DIVERSI TRACTATVS THEOLOGICI,

Ab HADRIANO SARAVIA *editi:*

Quorum titulos sequens pagina indicabit.

Iob. cap. 8.

8 *Interroga, obsecro, ætatem priorem, & sollicito animo inuestiga Patres eorum.*
9 *Hesterni enim sumus, & ignari; vt vmbra quædam dies nostri super terram.*





LONDINI,
Ex Typographia Societatis Stationariorum.
1611.

XUM

TITVLI TRACTATVVM QVI HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

De diuersis gradibus Ministrorum Euangelij.
De honore Præsulibus & Presbyteris debito.
De Sacrilegis & Sacrilegorum pœnis.
Defensio Tractatus de diuersis Ministrorum gradibus.
Responsio ad conuitia quædam Gretseri Iesuitæ, in quibus Hadriani Saraiæ nomine abutitur.
N. fratri & amico.
Examen Tractatus D. Bezæ de triplici Episcoporum genere.
De imperandi authoritate & Christiana obedientia libri quatuor.

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, APR 28 1913 NEW YORK.

AMPLISSIMIS PRAESVLIBVS, ET REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBVS AC Dominis, Dominis Episcopis & Anglicanæ Ecclesiæ vigilantissimis Pastoribus, nunc in Synodo collectis, Dominis meis omni obseruantiâ colendis,

HADRIANVS SARAVIA *gratiam & pacem à Deo Patre, per Iesum Christum Dominum nostrum, precatur & optat.*

ANglicanæ Ecclesiæ, Amplissimi Præsules, Patresque reuerendissimi, duo laudatæ memoriæ Archiepiscopi mihi authores fuerunt, vt meam de gradû Episcoporum supra Presbyteros conscriberem sententiam. Quod à me diuersis tractatibus factum est, quos simul in vnum volumen compegi, adiectis alijs quibusdam, tùm iam antè editis, tùm scriptis, quos apud me habebam. Sed quemadmodum malè accepti à plerisque Ecclesiarum Christi, quæ reformatæ dicuntur, Ministris fuerint, ex vno D. Beza discere licet. Ipse contrà scripsit, sed citra conuitium & contumeliam. Lambertus Daneus, qui dum vixit aliquo in loco haberi voluit, mihi scurriliter conuitiatus est, me porcum vocans & subulcum, hominemque abdomini farciendo natum. Meliora ex hâc postremâ editione mihi expectanda non sunt ab alijs quibusdam, quos Geneuensis schola peperit: quod citra conuitium vrbis & scholæ dictum accipi velim. Illos enim tantùm noto, qui, nescio quâ persuasione purioris (vt putant) reformationis inflati, elato supercilio omnes, quotquot ab eis dissentiunt, aspernantur, & se solos sapere & reformatos esse persuadent: quos, scio, habiturus sum infensissimos. Itaque ad vestram fidem confugere cogor, quibus, quæ mea in hac re fuerit integritas, notum est. Propriam nullam meam causam ago, sed Ecclesiarum communem. Nullis promissis muneribúsue acceptis inductus hanc causam suscepi, propter magnas offensiones, quæ ex reiectione Episcoporum datæ sunt aduersarijs, vt taceam de illis, quibus Ecclesiæ Romanæ displicent superstitiones & idololatriæ, & libentèr ab illis

discederent, nisi obstarent grauissima scandala sub nomine reformationis in Christi Ecclesiam inuecta. Vident enim non tàm ab Ecclesiæ Romanæ abominationibus decessionem esse factam, quàm à totâ antiquitate defectionem: acsi ab Apostlorum temporibus vsque ad hæc nostra tempora nullæ fuerint Ecclesiæ, quas nobis in reformatione pro exemplo constituere possimus, quod imitemur. Meo iudicio, omnem euertere veteris Ecclesiæ, quæ proximè Apostolos secuta est, politeiam, non tàm est reformare Ecclesias, quàm deformare. Mirum tamen est, quantoperè sibi in hâc rê plerique omnes reformatores placeant, quòd nihil habeant cum Ecclesiâ Romanâ cõmune: acsi in illâ nulla supersint adhuc veteris Apostolicæ Ecclesiæ vestigia, quibus si restituatur vera forma, habebimus veterem Romanorum Ecclesiam, quorum fides ab Apostolo Paulo magnificè commendatur. Aurum cum impurioribus metallis mixtum & adulteratum nemo sapiens vnquam reiecerit, sed illud repurgabit & separabit à suis fæcibus, vt sic purum reddat, iuxta Esaiæ vaticinium, vbi Dominus hanc gratiam populo suo promittit: *Ego* (inquit) *excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Quod in restituto puro Dei cultû & publicâ leitourgiæ formâ factum esse nemo pius orthodoxus vnquam negaturus est. Non tamen hæc scribo, vt intempestiuè præpostero zelo quicquam in Ecclesijs mutetur reformatis; sed vt intelligant, quid ipsis desit, & desinant sibi placere in suo errore, vnde ipsos pudere deberet; vt, vbi opportunum erit, emendent, & deinceps saniori doctrinæ non obstrepant. Peruersa de me & meis scriptis iudicia facilè contemnam, si modò vestro fuerint probata calculo, & vestro patrocinio iudicaueritis non indigna. Deum precor, vt suo sancto Spiritu vos omnes dirigat ad illa decernenda, quæ ad ipsius gloriam & Ecclesiæ suæ vtilitatem sunt conductura. Cantuariâ,

vigesimo die Nouembris, Anno 1610.

VENERABILIBVS ET PIIS VIRIS, ECCLESIARVM CHRISTI PER INFERIOREM GERMANIAM fidis Pastoribus plurimùm Obseruandis, ac dilectis in Christo fratribus, salutem.

NON rarò plerisque vestrûm (dilecti & obseruandi in Christo fratres) cùm Leidæ agerem, deploraui Ecclesiarum quæ istic sunt statum, quibus Satan cùm multis modis, tum inprimis nouo quodam æstu, & longè diuerso quàm olim insidias tendit, quando quæstuosa hypocrisi corrupit Ecclesias, & animos Christiani populi superstitione impleuit. A clero & populo (quod adhuc hodie in Papatu videre licet) vter alterum vinceret certatum est, ille ne quæstuosa sanctitate, an hic superstitiosa liberalitate: illi carè vendiderunt, aut vendunt sua merita; hi mercede non vili emerunt, & emunt: fallunt illi, falluntur isti, errant vtrique. Mirum quàm sit superstitio & hypocrisis ad permouendos animos vera pietate, quæ fuci est expers, efficacior: sic comparatum est humanum ingenium, vt falli velit & fallere. Quis recenseat fraudes & impostu as quibus plebem & alios quosuis Romanistæ pecuniâ emungunt? vt sunt Missarum nundinationes, Purgatorij ignes, reliquiæ Sanctorum, ossa, dentes, cineres, vestes, calcei, lora, crines, peccatorum veniæ, imagines, miracula falsa conficta, peregrinationes ad statuas, cruces, & id genus aliæ sexcentæ nugæ, quas perfricta fronte palàm fateri non pudet, pias esse fraudes fidelium. Quàm vtile aucupium sit auricularis confessio, Iesuitæ præter cæteros Romani Episcopi satellites, hodie norunt & experiuntur. At hodie quia has artes ignorant fideles Christi serui, negliguntur ab ingratis hominibus. Quemadmodum in veteri populo homines insanierunt in falsorum deorum cultu, & nullis pepercerunt sumptibus, vt animi sui libidinem superstitione explerent, & contrà tardi & segnes ad veri numinis cultum restituendum, & ingrati in veros Dei seruos extiterunt: ita nostris temporibus idem vsu venire, minimè mirum aut insolens videri debet: tam enim homo homini, ætas ætati similis est, quàm aqua est aquæ. Quanto in pretio & honore apud Pontificios Ecclesiarum ministri sint, notum omnibus est qui inter eos viuunt, aut aliquando vixerunt: hodie verò apud Euangelij professores, eorum qui sincerè veram pietatem docent; & quæ via ducat ad Deum, & quomodo homines reconcilientur Deo, nulla, aut certè perquàm parua habetur ratio: si quid ipsis honoris causâ tribuitur, quantumuis illud sit exiguum, creditur esse nimium. Huius peccati non tantùm populi ingratitudo, sed nos ipsi in culpa sumus, qui luxum & fastum, ac inexplebilem cleri Papistici auaritiam vitari non posse credidimus, nisi infra omnem ordinem Ecclesiæ ministerium deprimeremus, & citra delectum, prædæ omnes Ecclesiæ pos-

ſeſſiones exponeremus: vt iam Eccleſiæ deſit vnde ſacrarum literarum ſtudia alat, & Presbyteros qui ſerio toti miniſterio incumbunt Eccleſiæ, menſtruis ſportulis honoret. Hinc nouo more, malo exemplo, nouum genus Presbyterorum temporarium in Eccleſiam inuectum videmus: qui rebus ſuis intenti, obiter & tanquam aliud agentes, qualem qualem Eccleſiæ curam annuam quidem illam, aut ad ſummum biennem, cum Paſtore ſuſcipiunt. Et hoc pacto (quod his omnibus longè reor maximum) Eccleſiæ decus, & adunatæ fratrum concordiæ robur, quod in vno Epiſcopo ſitum eſt qui ſe audeat malorum conatibus cum authoritate opponere, perijt: dum enim deſpiciuntur ſinguli, contemnuntur vniuerſi: & ſimiliter dum ſinguli quaſdam Eccleſiæ ſuæ tantùm partes diligentiùs curant, negligunt quod in commune toti Eccleſiæ eſt vile. Exemplis ſupersedeo, vos ipſi cogitate, quid, & quare id dicam. Multa quotidie occurrunt, quæ in commune ad omnes pertinent Eccleſias, cui præſens remedium eſt adhibendum: quod tamen nemo audet in ſe ſuſcipere, quoniam res non tam vnum aliquem, aut paucos quoſdam tangat, quàm cæteros omnes illius prouinciæ. Sed cùm metuendum ſit ei qui propter Eccleſiæ communem ſalutem aliquid auderet, ne à cæteris fratribus non probaretur, ratúmque non habituri eſſent quod feciſſet, ac ita pro gratia, temeritatis & audaciæ notam incurreret: tempus expectatur quo fratres conuenient. Synodum conuocari propter ſingula huiuſmodi negotia, non ſemper eſt opportunum, & antequam cogi aut conuenire poſſit, malum aut acceptum eſt, aut amoliendi ablata occaſio aut facultas. Direptæ iſtic ſunt apud vos opes Eccleſiæ ſine vllo diſcrimine ſacri aut prophani, perinde ac ſi aliquid poſſidere Eccleſias Chriſti ſub Chriſtiano magiſtratu, nefas eſſet: & hæc Eccleſiæ Romanæ præcipua ſit hæreſis, quòd diuitias poſſideat. Quod ſupereſt adhuc, totum in Burgimagiſtrorum & Schabinorum (qui cuius ſint religionis vos ſcitis) eſt poteſtate: veſtræ fidei diſpenſandus ne obolus quidem relictus eſt. Si ſaltem ſitis priuatim pauperes, in communi eſſetis diuites. Sed perſuaſum omnes habent Miniſtros Eccleſiarum pauperes eſſe oportere: idq; vulgi animus altiùs infixum videtur, quàm vt euelli queat: vnde futurum eſt, ſi ſic pergant, vt Eccleſiarum miniſterium totum aut intereat, aut in contemptum veniat. Conſtitueram (ſi apud vos manſiſſem) ſuper hac re Dominos Status conuenire, ipſoſq; hortari ac obſecrare, vt eam vellent meliùs inſpicere: in bona Eccleſiaſtica ipſos nullum habere ius: quidquid in Belgio aduerſi accidit, eſſe ſacrilegiorum diuinam vltionem: bona Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, & multorum Monaſteriorum deſtinata fuiſſe ſtudijs ſacrarum literarum, vt eſſent ſeminaria Paſtorum & Miniſtrorum Eccleſiæ, ac veteranorum militum Chriſti emeritæ militiæ præmia. Quicquid à prima inſtitutione deflexit, à Chriſtiano magiſtratu ad verum & legitimum vſum reuocari, non auferri debuiſſe. Sed meum conſilium primò mors Domini principis Auraici remorata eſt: deinde D. Comitis Leceſtriæ gratia: ne id facere viderer, aut alieno tempore in ſumma conſternatione Reipublicæ, aut fretus fauore & conſilio Domini Comitis. Errorem multorum qui erga Euangelij doctrinam non malè affecti ſunt mirarer, niſi ſcirem Eccleſiarum Miniſtros, quos res propiùs tangit, huius erroris eſſe authores. Sed quando temporum iniquitatem, & improborum hominum iudicium conſidero, vtrum inde dolendum, an potiùs gaudendum ſit, neſcio. Nam etſi Eccleſias ſpoliari & adminiculis deſtitui quibus ſe ſuſtentet, calamitatem Eccleſiæ allaturum ſit maiorem quàm multi ſuſpicentur: tamen de Eccleſiarum opibus in iſtis reformationis initijs quæſtionem nullam fuiſſe motam non doleo, ne in diuitias Eccleſiaſticorum inhiaſſe potiùs, quàm Dei gloriam quæſiuiſſe aduerſarij queant iure dicere. Etenim ſi de bonis Eccleſiaſticis controuerſiam mouiſſent, calumniam malorum nunquam euaſiſſent: nunc autem cùm ad ſe nihil pertinere iudicarunt quæ Pontificij poſſidebant, & omnia reliquerunt arbitrio magiſtratuum, ab omni ſuſpicione liberi ſunt. Deus interdum

dum ignorantia seruorum suorum vtitur ad bonum aliquem finem, nimirum quando non suo tempore proposita veritas plus mali quàm boni allatura esset. Tamen quod nobis obijcitur nec negare nec excusare possumus, quosdam ad nostras transijsse partes, eásque fouisse spe prædæ Ecclesiasticorum bonorum. Quamuis pijs viris sicut eorum scripta testantur, hæc incognita non fuerint, dissimulare ac pati hanc iniuriam maluerunt, quàm quenquam offendere: & in hoc D. Paulum imitati sunt, qui in opulenta vrbe Corintho manibus operari, & sic victum quærere maluit, quàm nouo populo & Apostolici iuris ignaro malè suspicandi causam dare. Et profectò ea cogitatio fecit, ne apud quosuis quid ego iudicarem ausus fuerim aperire: Tamen apud meos fratres & collegas, ac nonnullos ex Magistratu vrbis Gandaui meam sententiam dissimulare non potui. Sed fateor me non ita liberè fuisse locutum, vt in hac disputatione facturus sum: verebar enim ne nuper ad veram Christi fidem conuersos offenderem, & ipse in suspicionem venirem ambitionis & auaritiæ. Nunc cùm eo loco & statu sim in quo nemo iure me possit accusare, tanquam peculiare mihi aliquod emolumentum quæram, aut aliud quidpiam quàm quod vtile est & necessarium Christi Ecclesiis: apertè dicere quod sentio de bonis & possessionibus Ecclesiarum mei esse officij iudicaui. Non enim mihi satis est, mihi hic bene esse prospectum: idem istic cupio meis fratribus. Tametsi meritò queri possim me à vobis quos innocentiæ meæ habere debui defensores, fuisse desertum: non tamen idcircò mihi studium & voluntas tum erga Ecclesias, tum erga vos quos Deus Ecclesiis suis præfecit mutata est, vt minùs de vestrarum Ecclesiarum vestráque salute sim sollicitus, quàm quum in eadem vobiscum fui naui. Itaque postquam satis est tum plebis tum Magistratuum indultum errori, qui allaturus est aut interitum aut certè incredibile Ecclesiis malum, diutiùs dissimulandum non est: interest Ecclesiæ ipsam de suo erga Pastores suos officio doceri. Perniciosum est malum exemplum relinquere posteris, qui reformationem esse credent quicquid sub reformationis nomine à maioribus traditum acceperint, quocunque id erit factum consilio: in facta magis quàm in causas intueri solent homines: facta patent, causæ plerumque latent. Vlteriùs me esse progressum fateor quàm quum istic essem, decreueram: quia hic in Anglia video ex malis exemplis aliarum regionum plerosque eodem errore abripi, & alios Ecclesiarum possessionibus inhiare ac spe deuorare, si contingeret quæ prætenditur Ecclesiæ reformatio; alios eas inuidere Ecclesiarum Pastoribus, indignum iudicantes Episcopos Euangelicos possidere diuitias quæ fuerunt clientum Romani Pontificis. Disputant, Euangelicæ reformationi aduersari potestatem & honorem, quem Episcopos in regno suo Regiæ Maiestati & cæteris ordinibus retinere placuit. Quamobrem quis sit Ecclesiarum Pastoribus debitus honor in Republica Christiana, & quousque possit progredi, latiùs fuit disputandum. Sed vereor ne offendantur nonnulli, & in primis ignari veteris Ecclesiarum gubernationis, disputatione de varijs Euangelij Ministrorum gradibus, & me notasse in nostra reformatione duo quæ mihi non probantur, nempe Episcoporum esse abrogatum ordinem, & nouum genus Presbyterorum introductum Apostolicis literis ignotum. Quod à me hoc consilio factum est, quòd vulgus hominum persuasum habeat, partem non minimam reformationis esse sitam in dilapidatione opum ecclesiasticarum, & in abolitione Episcoporum, ac in nouorum presbyterorum creatione, qui cum verbi Dei Ministris annum vnum aut alterum Ecclesiam regant. Hanc populi falsam opinionem reprehendo, non quòd improbem seniores quosdam viros pios adiungi Pastoribus & veris Ecclesiarum Presbyteris, sed ne credantur esse presbyteri, de quibus tum in Actis Apostolorum, tum in Epistolis Paulinis fit mentio: & ne tempore confirmatus error postea non facilè corrigi possit. Si cui fortè errare videbor, aut longiùs progredi quàm ipsi probetur, meliora doceat: ego lubens mutabo sententiam, & meliora docenti cedam. Quod non dico tanquam dubitē,

nec certò persuasus sim ea de quibus hoc libro disſero, ex verbo Dei esse desumpta (credo enim ab ea regula, quam nobis sequendam Deus dedit, me non discedere:) Sed tamen si quis confidit, se ex verbo Dei docere contrarium posse, audire & doceri paratior sum quàm docere, & vinci quàm vincere, modò ea sola, quam æquum est vincere, veritas vincat: mihi vlteriùs credi non postulo, quàm expresso Dei verbo & perspicuis rationibus fidem astruo. Interea, quemadmodum dissentientes à me tuli & fero, quamdiu Dominum Iesum Christum integrum retinent, hoc est, illa fidei Christianæ capita sine quibus nemo verus Christianus est: vt me eadem charitate ab ipsis dissentientem ferant opto, rogóque. Ecclesiæ generale & liberum Concilium, si quod consensu Christianorum Principum celebrari contingat, meæ sententiæ iudicem (vt debeo) admitto: sin minùs, nec ego persuaderi ab alijs, nec alios persuadere queam, simul Dei expectemus iudicium, reddituri quisque pro ratione accepti talenti, rationem ministerij nostri. Contendere mihi cum fratribus meis acerbiùs non est propositum: sed meam sententiam de diuersis Ministrorum Euangelij gradibus declarare, ac plebem Christianam, & ipsos Magistratus sui officij erga suos Pastores admonere: vt omnes norint in Republica Christiana sub summo Magistratu quem dignitatis gradum tenere debeant. Sicubi acerbior erit oratio, eam sceleris magnitudo mihi extorsit, non cuiusquam odium: Nam quicquid hîc peccatum est, errori & ignorantiæ imputo, non malitiæ. Sicut sacrilegia manifesta sunt, ita qui fuerint primi authores libens ignoro, & latère non molestè fero. Sed quia homines impij se nobis adiunxerunt, fauerèque Euangelio voluerunt videri, non tam pietatis in Deum amore, quàm omnis religionis odio, illorum perfidiam & impietatem ego acriùs insector, cuiuscunque illi sint ordinis: Nam noster Ordo hoc hominum genere immunis non est, in quos nulla satis aspera potest inuehi oratio. Sicubi Hollandos nomino, totam gentem non intelligo: absit: sed tantùm degeneres à natiua gentis suæ integritate, eóque maiore dignos vituperio, quò concredita sibi authoritate, & gentis suæ simplicitate turpiùs abutuntur: in quibus meritò impietatem, in cæteris tantùm redarguo errorem. Peccati quidem culpam error & ignorantia etsi minuunt, deformitatem non tollunt. Durum erit, scio, audire sacrilegia reprehendi, & quibusdam absurdum in Ecclesiæ gubernatione Episcopos desiderari: Nam hic in Anglia sunt quibus Episcopi displicent, tanquam sub eis nulla sit disciplina Ecclesiastica. Apud quosdam eò processit odium, vt à communione Anglicanæ Ecclesiæ tanquam Papisticæ & Antichristianæ sese segregent, cœtusq; suos priuatim seorsum habeant: Quos certè non potui non perstringere, quòd suum schisma & clancularia conuenticula exemplo nostrarum Ecclesiarum defendant. Notum est, primas peregrinorum Ecclesias, quæ Eduardo Rege hic congregatæ fuerunt, habuisse Episcopum Dominum Alasco. Et illæ quæ hodie sunt sub protectione clementissimæ Dominæ nostræ Reginæ Elizabethæ, agnoscunt Episcopos suæ diœceseos vbi habitant, eísque subsunt. Alij qui modestiores sunt, & norunt quam sit graue & perniciosum peccatum schisma, non abhorrent quidem ab Ecclesiarum suarum communione, sed pergunt in Episcoporum odio, & sibi promittunt aurea sæcula, si modò possent efficere vt amouerentur: quibus audeo prædicere futurum, vt se & omne Ecclesiasticum ministerium in summum contemptum adducant, maiorem eo qui istic est: & cùm gratia Deo hic sit aliqua disciplina, tunc nullam futuram nisi arbitrariam, quæ simulac incipiet desinet. De motibus & turbis quos vereor nihil dico: sed hoc scio, pleroſque omnes qui fuerint primi authores, futuros ipsius primos hostes, vbi hoc colore quod auent erunt consecuti. Calamitatem vestrarum Ecclesiarum vos videtis & sentitis: sed vnde nata, & quod sit verum remedium (ignoscite mihi si dico quod sentio) non mihi videmini tenere. Vltraiectinæ Ecclesiæ statum turbulentum audimus, & quis fuerit ab initio non ignoramus: quòd si Pontificio Episcopo surrogatus fuisset verè Christianus, & sacrificulis

crificuli Pastores Euangelici in singulis parœcijs contenti iure & redditibus Ecclesiarum, tranquilliora illic essent omnia tam in Ecclesia quàm in Republica. Idem dico de cæterus prouincijs, ex quibus eiectus fuit Ecclesiarum tyrannus. Sed quid faciat, præiudicio præoccupatis animis, iámque persuasis Episcopos habere, & ex decimis & alijs populi oblationibus viuere, esse Papisticum? Remedia quæ conanimi adhibere malis Ecclesiarum vestrarum, irritamenta sunt futura maiorum malorum, non tam quia mala sunt, quam quòd languores & morbi corporis totius Reipublicæ ea non ferant. Magna prudentia & magna moderatione hic opus est, qua vtsis pluribus sit, vno opus est, qui bona consilia exequatur: & qui non tantum vnam partem curet, sed omnibus inuigilet, omnibus inquam non totius orbis (quod nemo mortalis vnquam potuit aut poterit) sed vnius vrbis aut prouinciæ, quatenus humanæ vires se porrigere possunt. Tutius veterum Patrum insistitur vestigijs, quàm noua via sternitur. Quomodo autem meam sitis accepturi libertatem nescio, bene tamen de vobis spero, & rem totam Deo committo. Dubijs in rebus boni ciuis non est dissimulare quid sentiat de Republica, nec fidelis Christi serui suam sententiam supprimere de Ecclesia. Si quod mihi proposui fuero consecutus, erit vnde Deo gratias agam: sin minus, ego meam fidem erga Christi Ecclesiam liberauero: cui hoc officium me debere arbitror, vt præteriri silentio mihi notus error non debuerit. Nam quamuis forsan nihil promouero apud eos quorum gratiâ hæc scribo, exstabit apud posteros demonstrati erroris testimonium, vt ipsi aliquando emendent quod à patribus suis fuisse peccatum iudicabunt.

Londini, 4. Kal. Aprilis.
Anno Dom. 1590.

Vestri amantissimus

Hadrianus Sarauia.



CANDIDO LECTORI.

Viſquis es, candide Lector, in quem hic liber incidet, moueri te hac diſputatione nolim, tanquam reuocetur in dubium aliquod fidei noſtræ præcipuum caput, vnde tua ſalus dependeat, quando Epiſcoporum ordinem reſtituendum in illis Eccleſijs reformatis quæ nullos habent, diſputamus; contra quorundam magni nominis Scriptorum ſententiam, quibus noſtro ſæculo ad Eccleſiæ ſuæ ædificationem Deus eſt vſus. Quod certè mihi vitio vertere nemo non deberet, ſi meo ingenio, & non ſacrarum literarum authoritate, & veterum Patrum, totiuſque Eccleſiæ conſenſu fretus, id auderem. Quid igitur? (inquies) An illi quos magnos viros appellas, nihil viderunt? Dico vidiſſe quidem quod video; ſed illis accidiſſe quod caducas ædeis reſarcituris ſolet; qui cùm vndique plæraque putrida & vitiata conſpiciant, quamuis intra ædeis pulchra conclauia & plures neceſſariæ partes ſint, quas ſeruatas vellent; tamen quia cohærent putridis & labantibus, quæ emendatione habent opus, dirui & emendari poſſe diffidunt, niſi ſimul omnia demoliantur. Sic diffiſi ſunt ſuperſtitionem & tyrannidem Papiſticam ſe poſſe radicitùs extirpare, niſi ſimul multa Eccleſiæ ornamenta, quæ aut cõtaminata ſuperſtitione, aut illis cohærere credebantur conuellerent: ac ita factum eſt, vt ſimul cum impietate & idololatria, ſublata ſint plæriſque in locis, quæ tum conſeruandæ diſciplinæ morum, tum etiam in ſocietate ciuili dignitatis miniſterij retinendæ, adiumenta eſſe poſſunt Eccleſiæ. Nam vt in ijs quæ materia cõſtant, id fieri quod dixi ſæpe cogat neceſſitas, in moribus non eſt neceſſe: poſſunt enim illa quæ bona ſunt retineri aut reſtitui, amotis ijs quæ vitium afferunt publicis moribus. Quæſtionis igitur huius noſtræ caput non eſt de tua ſalute, ſed à quibus potiſſimùm ducibus & Magiſtris in viam æternæ ſalutis deduci, & in ea retineri poſſis. Sunt qui omnem diſciplinam morum Magiſtratui cõmittendam opinantur; & ſola, eaq; nuda prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum adminiſtratione Euangelij miniſterium includunt; quod cùm neque verbo Dei, neque vllo maiorum exemplo poſſit doceri, miror theologis talem opinionem venire in mentem potuiſſe. Alij ſunt, qui cenſuræ Eccleſiaſticæ poteſtatem tribuunt Epiſcopis, & re ac nomine Presbyteris, cum ea authoritate quam Deus Apoſtolis & Eccleſiæ futuris Epiſcopis dedit. Tertij ſunt, qui reiecto Epiſcoporũ ordine, Paſtoribus adiungunt temporarios presbyteros, quibus omne Eccleſiarum regimen & diſciplinam Eccleſiaſticam committunt: & hanc gubernationis formam diuinã vocant; alteram, quæ ſub Epiſcopis eſt, humanam. Similis controuerſia de Repub. inter philoſophos moueri ſolet, quando quæritur quod ſit optimum gubernationis genus. Sunt qui præferunt vnius imperium, & illud (vt eſt) optimum eſſe iudicant: alij optimatũ poteſtatem magis probant: alijs placet popularis potentia: his tribus accedit quartum genus imperij, quod mixtum & temperatum ſit ex alijs tribus: & illud omnium eſſe præſtantiſſimum diſputant. Sed quicquid ſit, non tam gubernationis genus eſt in ſe conſiderandum, quàm ingenium & conditio eorum quibus imperatur, & propter quorum ſalutem ipſa res inuenta eſt, vt ea cenſeatur optima regiminis forma, non quæ ſuâ naturâ eſt huiuſmodi, ſed quæ populo, tempori, locoque eſt in primis neceſſaria & vtilis. Hinc nulli genti Deus vnquam vllam certam ac perpetuam imperij formam dedit, quam pro

ratione

ratione loci & temporum mutari non liceret. Sed huius regiminis de quo differimus diuersa est ratio: quoniam enim proximè à Deo est profecta, eam pro arbitrio suo homines mutare non possunt, nec necesse est. Nam sic eam temperauit diuina sapientia, vt nulli ciuilis regiminis formæ aduersetur. Quando autem tota aliqua respublica facta est Ecclesia, gubernatio quidem mutationem aliquam recepit, sed quæ naturam ipsius non mutat. Vbi anteà qui vtrobique regebant alieni erant ab inuicem, nec quicquam inter se habebant commune, tunc sibi mutuas tradere debent operas. Quidquid alij de hac re opinentur, Christianus magistratus, rebus bene constitutis tum in Ecclesia tum republica, priuatus in Christi Ecclesia æstimari non debet, sicut nec Ecclesiarū ministri in Christiana republica. Quæ res non satis perspecta, erroris & sententiarum varietatem circa disciplinam Ecclesiæ & ipsius politiam adfert. Quod me attinet, Episcopos Ecclesiæ necessarios arbitror, & eam disciplinam & gubernationem Ecclesiæ esse optimam, & diuinam, quam pij Episcopi, cum veri nominis presbyteris, ex præscripto verbi Dei, & veterum Conciliorum administrant.

Quando mecum cogito temporum iniquitatem, & quorundam locorum statum in quibus Deo placuit per pios & doctos viros recolligere ex captiuitate Babylonica dispersas oues, non video quomodo veri potuerint restitui Episcopi. In Flandriæ & Hollandiæ Ecclesijs Pastoris officio functus sum: sed vix dicere queam quanta illic huic rei inuenirem impedimenta. Tamen quod extra ordinem factum est necessitate quadam, paucis quibusdam in locis & vno tantùm sæculo, vniuerso orbi legem non præscribit: hæc quæcunque est sententiarum diuersitas, nulla vnquam fuisset, nisi ex tyrannide Episcoporum nata esset, contraria antiquitati opinio, quæ suspectos habet omnes in vniuersum Episcopos. Sed similis suspicio de Consistorijs nostrarum Ecclesiarum nascitur; iure an iniuria, nihil dico: Quare ipsæ res sine animi perturbatione sunt examinandæ ei, qui vult verum certò cognoscere. Sæpiùs his viginti sex annis quid sentirem de Episcoporum ordine, in familiari colloquio amicis exposui, quamuis non vbique, neque apud omnes. Quæ futura esset de me opinio, conijciebam ex alijs, qui liberè quid de Episcoporum ordine sentirent, fratribus suis declarauerant. Incidit enim inter quosdam verbi Dei Ministros disputatio de Episcopis, in qua D. Petrus Villerius (quem honoris causa nomino) aiebat, non ita temerè reijciendam Episcoporum authoritatem: vnde grauiter quidam offensi conquesti sunt apud me qui disputationi non interfueram, insimulantes eum ambitionis: metuebant enim ne in Gallicanis Ecclesijs aliquando æqualitatem, quam inter Euangelij Ministros oportere esse iudicabant, labefactaret. Quid facerem? defendere eum non audebam, à cuius tamen sententia non abhorrebam, ne in eandem ambitionis suspicionem incurrerem. Sed ab eo tempore ea disputatio mihi occasionem dedit diligentiùs apud me rem examinandi. Idem quod mihi, pluribus alijs fratribus accidere non dubito, qui vident & sentiunt authoritatem Episcoporum deesse nostris Ecclesijs. Sunt quidam, qui nec pares nec superiores pati possunt: Gratia Deo, ego fratres meos superiores possum sine inuidia pati, & æquales ac inferiores sine contemptu & fastidio.

Nunc autem cùm hic sim in Anglia alienigena, nemo me suspicari potest ambire Episcopatum, & supra meos fratres principatum quærere. Liberiùs igitur quod sentio audeo eloqui, quàm olim quum inter fratres viuebam eiusdem dignitatis & authoritatis. Sed est alius metus qui me lentum ad hæc scribenda reddidit; videlicet ne videar assentari Episcopis, & eorum ambire gratiam. Quam quidem qui conferre volet cum conditione horum temporum, inueniet obnoxiam multorum odio & inuidiæ: & hominis cauti sibi, suisque tantùm rebus consulentis, tutius longè fuisse tacere, & rerum expectare euentum, quàm quod sentit scribere; quod me potuisse sine vllo meo incommodo, & cuiusquam mala gratia affirmare audeo. Quid autem me mouerit, nouit Deus; actum meum interpretabuntur homines prout ipsi affecti sunt: animum meum iudicabit Dominus. Sed tu candide Lector, paucis consilium meum accipe, nempe reformatis Ecclesijs & reformandis voluisse prodesse, & schismata nata extinguere, & nascentibus occurrere. Qui hac ratione id non commodè fieri putat, sua per me fruatur opinione: stultorum magister euentus aliquando palàm faciet, quàm bonum & vtile fuerit meum consilium: interim detrimentum quod reparari non poterit capiet Ecclesia. Fundamentum quidem nostræ salutis est nosse Deum, & quem misit Iesum Christum Dominum & seruatorem nostrum,

Episcopum

Epiſcopum animarum noſtrarum. Sed quemadmodum in quacunque re conueniunt homines, ſiue in lanificio, ſiue in arte fabrili, ſiue in alio quouis opificio quod rectè fieri curæ eſt ciuitati aut Principi, ordinem ſeruari oporret, & cenſuram operum inſtitui, quæ quò fuerit accuratior, res magis florebit, & diutiùs duratura eſt: ſic in religione, ab ijs qui eam puram & incontaminatam retinere volunt, idem fieri conuenit. Quod autem in gubernationis Eccleſiæ ratione non omnes conſentiunt, nihil ſapientem mouere debet. Quò aliqua res eſt vtilior ac magis neceſſaria hominibus, eò plures ei remoras & impedimenta obijcit humanæ ſalutis inimicus. Ecqua vnquam res apud mortales tam clara & manifeſta eſſe potuit, vt extra omnem controuerſiam eſſet? Quid enim illud eſt, te ſcire quòd nihil ſcias? & in quæſtionem vocare, videátne quis & faciat id quod maximè videt & facit? Nulla philoſophiæ pars, nullum præceptum, nullum eſt caput noſtræ religionis, quod non fuerit reuocatum in dubium. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum, vt occupentur in ea. Sed vanitas humani ingenij veritati rerum nihil detrahit. Perge igitur candide Lector, & perlege quæ ſequuntur, ac faue.

PRO-

PROLOGVS.

OPpugnatio tyrannidis Romani Episcopi super omnes totius vniuersi orbis Christi Ecclesias, regna, & imperia, eousque progressa est, vt omnem primatum & primatus nomen ex Ecclesia tolli oportere multi hodie censeãt: vt hoc pacto tyrannis Prælatorum vitetur. Sed erratur, meo quidẽ iudicio. Eiectis Tarquiniis Romã, Regis nomen posteà non tulère Romani, quasi cum nomine eiecta esset, quam oderant, tyrannis: qui tamen posteà plures tyrannidis formas perpessi sunt, quàm si Regis nomen & authoritatem retinuissent. Non enim in Regia potestate aut Regis nomine vlla inerat tyrannis, sed in Tarquinio. Sic dico, tyrannidem quæ Ecclesias Christi vastauit, non fuisse in primatu Episcoporum, & Archiepiscoporum: sed in ijs qui primatu abusi sunt, & vt dici solet ὑπὲρ τὰ ἱστάμενα πεδία currere latiùs prouinciæ suæ limites extenderunt quàm religio Christiana patitur, terminosq́, remouerunt quos Patres posuerant: vnde immensa & intolerabilis facta est Episcopi Romani potentia.

Veterem Ecclesiæ formam, & tot summæ eruditionis & pietatis viros qui Episcopi fuerunt, accusare tyrannidis non possum: sicut nec etiam ipsas Synodos quæ veterem Ecclesiæ politiam, quam à maioribus acceperant, confirmârunt, vllius erroris condemnare. Nam etsi errare posse Patres & Synodos non ignorem (vbi contraria verbo Dei decernunt) non tamen inde sequitur, eos hac in re errâsse.

Si quemadmodum vniuersaliter cunctis mortalibus innatam improbitatem agnoscimus, eam particulariter æquè in nobis ipsis videremus, oculatiores in nostris peccatis quàm in alienis reprehendendis essemus. Sed contrà fit. Si quid nobis aliqua de causa in Patribus non probetur, statim occurrit fuisse homines: & quia labi & errare est mortalibus proclive, inter errores illius etatis numeramus: de nobis interim parum solliciti sumus, ac si humana sorte essemus exempti, & nobis idem non possit euenire quod Patribus, in eo ipso quod damnamus.

Contra vnanimem & constantem omnium Patrum veteris Ecclesiæ cõsensum, nihil sine expresso Dei verbo est innouandum: hoc enim liberè dico, Quisquis Patribus omnem authoritatem adimit, ipse sibi nullam relinquit. Nam vt homines fuisse Patres confitear, & suos quosdam habuisse nævos: ipsos tamen in præcipuis Christianæ religionis capitibus, & externa Ecclesiæ politia (quæ inter nos & Pontificios controuersa sunt) habere patronos, non parui momenti res est. Tametsi populi Dei consensus ab Apostolorum temporibus vsque in hanc diem verbo Dei æquari non debeat: proximum tamen ab eo locum authoritatis iure sibi vendicat. Mos populi Dei ab omnibus Ecclesiis totius orbis receptus, inuiolabilis quædam lex est. Verisimile non est vniuersalem consensum omniũ Ecclesiarum & temporum, sine verbo Dei aut Apostolica traditione, potuisse accidere. Tamen quia nullus consensus, nulla consuetudo, nulla longi temporis præscriptio, contra Dei verbum locum in Ecclesia Christi retinere debet: ponderandæ sunt nobis rationes, & Scripturæ loca examinanda, quibus inducti Patres illud regimen in Ecclesia receperunt, quod hominibus nostræ etatis minimè probatur: vt certò sciamus, illine, an nos erremus.

Olim Episcopos & Archiepiscopos nemo bonus improbabat: hodie autem tyrannidis Episcopi Romani & satellitum ipsius odio factum est, vt hæc nomina in controuersiam vocentur, idq́, à diuersis, diuersa ratione. Alij, quia credunt ab Antichristo inuenta, aut ab ijs qui ipsi viam straverunt, extra Ecclesiam protinus eliminanda censent: Alij, qui modestiores sunt, propter antiquitatis reuerentiam ferenda quidem, (tametsi ea non probent) donec cum ipsa re, commodè antiquari possint. Episcopos & Archiepiscopos quos cum magno fructu præfuisse Ecclesiæ norunt, damnare quidem apertè non audent: sed quia vident nostri temporis Ecclesias quasdam reformatas, recepto Euangelio, & eiecta tyrannide Romani Pontificis, Episcoporum regimen etiam eieciſſe, Patres non probant: & nouã gubernationis Ecclesiasticæ forma magis placet: vtpote quæ creditur ab ipso Domino & Seruatore nostro instituta, & ab omni ambitione & tyrannide quàm maximè aliena.

Cur autem mihi non similiter probetur, ratio mea hæc est: quòd ex verbo Dei non satis demonstrari videatur, nec vllo maiorum exemplo confirmari: vt quæ partim illis incognita fuerit, partim

in

in hæreticis damnata. Itaque de hoc nouo Ecclesiæ regendæ modo idem censeo, quod alij de Episcoporum regimine iudicant: nempe quòd sit humanus & ferendus, vbi alius melior obtineri non potest: & contrà ille qui improbatur tanquam humanus, mihi videtur esse diuinus: vtpotè qui tam in veteri quàm in nouo Testamento à Deo sit institutus. Sed quia multis hominum flagitijs est contaminatus, quod hominum improbitati tribuendum est, ascribitur functioni: perinde ac si nulla similis calamitas huic nouo regiminis generi possit intentare.

Antichristus Romanus cum suis Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis & Metropolitanis, sic Christi Ecclesiam afflixit, vt sub his nominibus credatur latère tyrannis. Semel ictus à scorpione, sub quouis lapide credit latère scorpionem: & morsus à cane, quemuis pauescit canem. Huic malo vt nonnulli mederentur, retentare, mutârunt nomina: & pro Episcopis creârunt Superintendentes, & pro Archiepiscopis, Generales aut prouinciales Superintendentes: quasi de nominibus, non autem de ipsa re, ista sit controuersia. Vocabulorum cùm arbitraria sit significatio: quando de re constat, inanis est de illis digladiatio. Si gubernationum genera quæ istis nominibus significantur, ex verbo Dei demonstrentur, nulla causa est cur ob ipsorum vocabulorum odium tollantur. Si quis obijciat, multa esse corrupta in Episcoporum regimine, de eare à me nulla instituitur disputatio: Eadem querimonia de ciuilium magistratuum gubernatione fieri poterit. Sed nemo sanus idoneam vnquam rationem eam censuit à magistratu mouendi eos, qui præsunt Reipub. Nostra igitur quæstio est, vtrùm Dominus primatum cum eminentiore potestate inter Ecclesiæ pastores & Euangelij Ministros prohibuerit, vt Pastori Pastor, & Episcopus Episcopo, ad externam politiam conseruandam præfici non possit, non quomodo aut horitate sua vsi sint Episcopi. Si quis Episcopos eorumq; Consistoria accusare velit aut neglecti officij, aut iniquorum iudiciorum: nemo impedit quò minùs id fiat apud summum magistratum. Ego nullius Episcopi defensionem suscipio: tantus non sum, vt meo patrocinio opus habeant: ipsi pro se causam dicere, ac suis obtrectatoribus respondere valent: Tantùm veterem ordinem conseruandæ disciplinæ in Ecclesia Christi necessarium, & à Patribus summo studio obseruatum, sublatum esse deploro: Et ne prorsus nostri seculi calamitate tollatur, vehementer timeo: quia homines nostri seculi ita comparatos esse videam, vt totum Ecclesiæ ministerium ad nudam Euangelij prædicationem reductum cupiant. Decidi hæc nostra controuersia nulla ratione melius potest, quàm si ministeria sicut ab ipso Domino fuerunt instituta, & ab Apostolis tradita, per singulos gradus, seriemq; temporum quibus exerceri cœperunt, considerandæ proposuero. Sic facile quid cum verbo Dei consentiat, quid aduersetur, cognoscipoterit.

Itaque de Ministris Ecclesiæ dicturo, eorumque diuersitate, duo sunt quæ commodum ad hanc rem præbent ingressum: primum est ipsorum prima institutio: alterum est locus Epistolæ Pauli ad Ephesios, cap. 4. vbi Ecclesiæ ministeria per suos gradus distributa fidelibus proponit: & primo loco collocantur Apostoli, secundo Propheta, tertio Euangelistæ, quarto Pastores & Doctores: de quibus singulis ordine disseremus. Tametsi Paulus de ministerijs Ecclesiæ ex omnibus gentibus collectæ post Domini ascensionem datis, scripsisse videatur: nos tamen altiùs rem repetemus: nempe ab illo tempore quo Deus duodecim Apostolos designauit: quibus 72. discipulos addidit, quorum operà prædicando Euangelio per Iudeam est vsus.

Quamuis præsens disputatio de Euangelij Ministris & Ecclesiarum Christi Pastoribus instituatur: nos tamen de Διακονίᾳ, & Diaconorum officio pauca quædam sumus dicturi. Cùm enim Euangelica doctrina non nobis rerum diuinarum & futurorum bonorum contemplationem otiosam proponat, sed omnium virtutum, atque inprimis Christianæ dilectionis exercitium: ex Euangelij ministerio aliud ministerium natum est, quod circa corporeas præsentis vitæ necessitates versatur, & Ecclesiastica pecunia habet administrationem. Atque ita duplex ministerium est Ecclesiæ: alterum quod tantùm Dei gloriam & animarum salutem respicit, alterum rerum externarum procurationem. Posteà de honore & reuerentia quæ naturæ & Dei lege, omniumq; gentium iure debetur sacrorum Ministris, disputabo: postremò, de sacrilegijs & sacrilegorum pœnis, contra nostri temporis bonorum Ecclesiasticorum direptiones. Tria hæc ob argumenti diuersitatem in tres libros distinxi: sed quia connexa sunt & se consequuntur, simul in eodem volumine coniunxi

DE

DE MINISTRORVM EVANGELII DIVERSIS GRADIBVS LIBER.

Quid sit Euangelij ministerium, & quæ eius partes.

CAPVT I.

AMETSI de ipsorum Ministrorum Euangelij inæqualitate, noster hoc libro sit futurus sermo, non tamen alienum ab instituto meo est, à ministerij Euangelici definitione, eiusque partibus exordiri: hoc enim pacto fiet magis clarum, quid omnes Euangelij ministri inter se habeant commune, & quid cuique ordini sit peculiare. Ex varijs Scripturæ locis variè Euangelij ministerium potest describi: sed duobus verbis eisq; perspicuis, ex Apostolo Paulo desumptis, generatim complector: & dico, Ministerium Euangelicum est quædam dispensatio mysteriorum Dei, quæ aduentu Domini & Seruatoris nostri toto mundo facta sunt manifesta. Mysterium autem voco tam doctrinam admirandi consilij Dei in redemptione generis humani, quàm omnia quæ cum doctrina Deus coniunxit. Ea verò in tres partes ego distribuo. Prima est Euangelij prædicatio: altera communicatio sacramentorum: & tertia Ecclesiasticæ gubernationis authoritas. Euangelij prædicatio legatio est nomine Christi ad omnes gentes, qua peccatores rogantur vt Deo reconciliari velint: & alio modo, Est doctrinæ de gratuita peccatorum remissione, quam Christus morte sua acquisiuit, promulgatio: vel etiam dici potest, Gratuitæ iustificationis & sanctificationis Spiritus sancti, quæ fide in Christum obtinetur, doctrina. Plures aliæ definitiones adferri possent, nisi breuitatis studium impediret. Ex his satis quiuis intelliget, quid sit Euangelium, & Euangelij prædicatio. Ad secundam partem huius ministerij pertinent mandata Domini de baptizandis credentibus, & de Cœnæ Dominicæ celebratione in memoriam mortis ipsius. Ad tertiam verò partem, quæ est gubernationis, potestas clauium regni cœlorum, atque ligandi & soluendi in terris quæ ligata & soluta sunt in cœlis, potestas extenditur. Ea duo membra habet: alterum ordinationem Ministrorum, alterum censuram morum continet.

1.Cor.4.1. 1.Tim.3.16. Matth.16.19. & 18.18.

Hac potestate Apostoli crearunt in Ecclesia Christi episcopos & presbyteros, quibus suas commisêre vices: vt omnia ritè & decenter fierent, & in populo Christiano, εὐταξία conseruaretur. Presbyteri cum Episcopo ordinem in populo conseruant, ac eum in officio continent. Huius quoque potestatis fretus fiducia, contumaces veritatis aduersarios Apostolus Sathanæ tradidit, & in suis Epistolis interdum minas intermiscuit admonitionibus.

Act 14.23. 1.Tim.1.20. 1.Cor.4.21. & 2.Cor.12.21. & 13.2.

Sed de hac re controuersia quædam hodie nata est Patribus incognita. Sunt enim qui omnem censuram morum Christiano magistratui deferendam esse arbitrantur: quòd ad eius officium pertineat bonorum morum & honestatis publicæ habere curam, ac pœnis coercere flagitia: Pastoris verò partes (sub Christiano magistratu) tantùm sint docere virtutes, & reprehendere vitia, ac omnibus qui sese sacris participandis offerunt, (quales quales illi sint) indiscriminatim ea administrare: admonere quidem posse, vt percepturi sacramenta priùs seipsos probent: si admonitioni pareant, bene quidē: sin minùs, Dei & conscientiæ suæ iudicio esse relinquendos: arceri quenquam à communione sacramen-

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK

torum non oportere. Sed mirum est, eos qui intelligunt Euangelij ministros habere potestatem soluendi, non similiter intelligere ligare posse, & parem esse vtriusque rationem: & cùm illa contraria sint, contrarijs actionibus à Pastore fieri. Extra controuersiam est, peccatores solui ab Euangelij ministris, quando credentibus peccatorum remissio, Christi nomine promittitur, & sancto Baptismi lauacro consignatur: at quando eadem potestate infidelibus ira Dei & æternum exitium denunciatur, & sacramenta Christi negantur, pari ratione ligari quis dubitat? Quemadmodum enim contra fidi Pastoris officium est, lupos in ouile Domini sui admittere: sic etiam eos, qui clàm irrepserunt, non eijcere. Quod si contingat post baptismum quempiam à fide deficere, aut cùm ore Christum confiteatur, factis negare, & intra semetipsum rursum Christum crucifigere: ecquod erit erga hunc Pastoris officium? Ligabit (inquient) contumacem, & soluet pœnitentem: quod cùm non nisi contrarijs actionibus fieri possit, quemadmodum pœnitenti promissiones misericordiæ diuinæ proponet, & intra Ecclesiam recipiet, ita contumaci excidisse regno Dei, ciuitatem amisisse, & Dei domo indignum esse, denunciabit, negabítque cani qui ad vomitum redijt, panem filiorum Dei. Quemadmodum fidus dispensator mysteriorum Dei, neminem qui infidelis fuit baptizat, nisi se credere priùs apertè confiteatur: ita peccatorem publicè lapsum, ad communionem corporis & sanguinis Christi non recipit, nisi seriò pœnitentem. Hæc vetus est Theologia. Sed pluribus hunc errorem in præsentia confutare, non est mihi propositum: res integrum requirit tractatum. Hoc mihi ad confutationem nunc sufficere videtur, quòd recens & nouus sit error, contra Veterum omnium sententiam: vt de gentibus nihil dicam, apud quas semper sacri & prophani fuit magnum discrimen. Nam quòd Ecclesiastica potestate per summam tyrannidem olim abusi sunt, & adhuc hodiè abutuntur pontifices Romani, rei bonæ & à Deo institutæ non abrogat legitimum vsum. Simul cum religione lex nata est, à prima mundi origine, quæ impios à sacris excluſit. Deploranda profectò Ecclesiæ conditio est, quam eò prolabi videmus, vt schola virtutum cùm sit, nullam censuram morum pati velit: & quod hominibus gentilibus, veri cultus Dei ignaris, in Repub. pulcherrimum & maximè necessarium visum est, improbari à Christianis.

Quamuis vnum, & idem Euangelij ministerium sit omnibus pastoribus Ecclesiæ concreditum: in hac tertia parte non parua inter eos inuenitur inæqualitas, propter diuersos authoritatis gradus, quos primò Dominus statim ab initio, & posteà Apostoli constituerunt. Extra controuersiam est, primum dignitatis gradum tenere Apostolos, secundum Euangelistas, tertium Prophetas, Pastores & Presbyteros, quartum, Doctores postremum. Sed Pastores & Presbyteri in duos ordines ab Apostolis distincti sunt. Nam quemadmodum maior Apostoli authoritas fuit quàm Euangelistæ aut Prophetæ, & Euangelistæ maior quàm Episcopi vel Presbyteri: ita Titi & Timothei qui Presbyteri & Episcopi erant, maior fuit authoritas, quàm Presbyterorum, quos oppidatim Apostolica authoritate crearunt. Tametsi enim Christi baptismus vnus & idem sit, à quocunque ministretur, siue ab Apostolo, siue ab infimi ordinis Presbytero: & Euangelij doctrina nihilo melior aut deterior sit ab his quàm ab illis tradita: tamen bona regiminis forma non omnium æqualem esse authoritatem in gubernatione patitur: & minorem à Domino datam his quàm illis continuus ministerij Ecclesiastici vsus ab Apostolorum temporibus vsque ad hanc diem deductus indicat.

Huius rei claram demonstrationem continet prima 12. Apostolorum & 70. discipulorum vocatio. Nam vt initia veteris & nouæ Ecclesiæ congruerent, primùm 12. Apostoli electi sunt, futuri Patriarchæ & primi authores noui populi, quem ex gentibus sibi colligere Deus constituerat. Deinde, cùm maior esset messis quàm operarij, quemadmodum Mosi 70. seniores Dominus in veteri testamento adiunxerat, qui ei essent auxilio in populi Dei regimine: sic Seruator noster pari ratione, 70. alios addidit 12. Apostolis. Atque ita in illis primis Ecclesiæ incunabulis, duos ordines ministrorum Euangelij, Dominus instituit: quos quando numero distinxit, & in duas classes distribuit, honore, & potestate impares esse demonstrauit: Quod nunquam fecisset, si Euangelij ministros inæquales esse authoritate & dignitate, scelus futurum esse iudicasset. Hi fuerunt primi sub Domini directione, (dum sic in terris vixit) Euangelij præcones. Postquam autem cœlos ascendit, Prophetas in Ecclesia sua excitauit, quando in die Pentecostes Spiritum

ritum sanctum misit: qui non tantùm discipulos varietate linguarum, sed diuina sapientia & rerum futurarum cognitione admirandos redderet. Successu verò temporis, cùm creseceret Ecclesiarum numerus, & non ampliùs soli sufficerent fundandis ac regendis Ecclesijs; adsciuerunt sibi ex discipulis suis, quos docuerant, cooperatores. Qui tametsi clari fide aliisque Spiritus sancti donis essent, discipuli tamen erant & sectatores Apostolorum & Euangelistarum, longè suis magistris inferiores. At vbi non tantùm numerus Ecclesiarum, sed credentium supra modum augeri cœpit multitudo, singulis Ecclesijs Pastores ordinati sunt; qui illa ætate primùm citra discrimen Episcopi & Presbyteri vocati sunt. De his omnibus speciatim dicturi sumus, vbi de duplici vocatione ad Ecclesiæ ministerium quod sacræ Literæ tradunt, exposuero.

De ordinaria & extraordinaria vocatione ad Ecclesiæ ministerium.

CAP. II.

AD sacrum Ecclesiæ Christi ministerium, nemo non legitimè vocatus se debet ingerere. Solius enim Dei est sibi deligere Ministros, & quos velit eligi, dare leges hominibus. Vnde duo legitimæ vocationis sunt genera: alterum, quando quis ab ipsomet Deo vocatur: alterum, quando secundùm præscriptas à Deo leges ab hominibus Ecclesiæ minister constituitur. Hoc ordinarium dicimus, illud extraordinarium. Quod etiam duobus modis & diuersis temporibus accidit: nempe aut proximè à Deo nullo internuncio, aut etiam per Prophetam: ídque aut nullo adhuc ordine constituto, aut postquam iam ordo constitutus est. Prioris exemplum habemus in Mose & Aarone; vterque à Deo extra ordinem vocatus est: Moses à Deo proximè sine internuncio, & Aaron per fratrem Mosen, qui ad Sacerdotium, iussus à Deo, Aaronem cum filijs euexit, & totam tribum Leuiticam ad Tabernaculi ministerium, nulla adhuc scripta lege: vt ab ipsis sacerdotij ordo & totum ministerium Leuiticum exordium caperet. Posterioris exemplum habemus in Samuele, quem Deus vocauit post ordinationem sacerdotij receptam & confirmatam in populo Dei. Eodem modo Elias Thesbites, & plerique omnes veteris Testamenti Prophetæ fuerunt à Deo excitati. Elisæus verò & alij extra ordinē ita vocati sunt, vt Deus, Propheta internuncio ad eam rem sit vsus. In nouo autem Testamento Dominus 12. viros elegit, quibus posteà addidit ad Euangelij ministerium alios 70. discipulos, nullo adhuc Euangelij ministerio constituto: Paulum verò & Matthiam post institutionem ministerij collegio 12. virorum addidit.

Huius extraordinariæ vocationis virtus hæc est, vt quemadmodum solum Deum habet authorem, eundem quoque habeat certum directorem. Eam enim extraordinaria quædam diuina dona semper comitantur: vt nihil opus habeant qui extra ordinem sic à Deo vocati sunt, ab homine doceri, & informari in ijs quæ ad executionem sui muneris pertinent: sicut apparet in Mose & Prophetis, ac etiam in Apostolis ac Euangelistis.

Vocatio ordinaria ea est, quæ secundùm leges, quas Deus dedit, fit per homines: cuiusmodi fuit sacerdotium Aaronicæ familiæ, & Leuitarum ministerium, in veteri Testamento, & hodie est Episcoporum & Presbyterorum, qui tum ab ipsis Apostolis fundandis Ecclesijs assumpti fuerunt cooperatores, & iam constitutis dati rectores, tum ab eorum successoribus qui per continuam seriem temporum, quamdiu Ecclesia manet, ei præfuerunt.

Homines extra ordinem iniussu Dei, vocandi quenquam non habent authoritatem. Errant qui Titum & Timotheum & Ioannem Marcum, & alios Apostolorum cooperatores extraordinariam habuisse vocationem putant: cùm non alio modo vocati fuerint, quàm alij Presbyteri & Episcopi, quos singulis Eccclesijs præfecerunt Apostoli. Si quid in quopiam eorum peculiare fuit, ad extraordinariam vocationem trahi non debet: habuerunt enim Apostolos & Euangelistas magistros & directores in sibi concredito munere. Quamuis enim viri fuerint raris Spiritus sancti donis ornati, multum tamen aberant ab illa fidei soliditate quæ fuit in Apostolis & Euangelistis. Apostolus Apostolo nulla vnquam præcepta tradidit, sicut Paulus fecit Timotheo & Tito, qui ita Apo-

ſtolicum munus obierunt, vt non propria, ſed Apoſtolorum præcepta ſequerentur: vtpote qui ſimul diſcipuli fuerint & magiſtri. Et quemadmodum ſalutari doctrina Eccleſias & Eccleſiarum Paſtores informabant, ita ipſi informabantur ab Apoſtolis; Apoſtoli & Euangeliſtæ proximè à Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto, ipſiuſq; Spiritu: vt Paulus dicere potuerit, Quæ accepi à Domino, ea tradidi vobis; Timotheus verò nobiſcum, Ea quæ accepimus ab Apoſtolis, tradimus. Quamuis autem vtrique à Domino accipiamus quod Eccleſiæ tradimus: accipiendi ratio longè eſt diuerſa. Illi cum Domino vixerant, & ea quæ audierant & viderant, manuſq; eorum contrectarant de verbo vitæ, Spiritu ſancto directore tradebant Eccleſijs: Titus & Timotheus, ac omnes qui poſteà ſecuti ſunt, nobiſcum ea docuerunt & docent, quæ per manus illorum nobis tradita ſunt. Præter Titum & Timotheum Paulus collegas & cooperatores habuit Sylam & Barnabam, ſed non diſcipulos; quippe quorum vocatio à Deo fuerit extra ordinem. Proinde eis nulla præcepta dedit regendæ Eccleſiæ, eorumq; quæ ad ipſorum munus pertinebant, quemadmodum fecit Tito & Timotheo. Vnde cuiuis cogitandum relinquo quantum diſcrimen fuerit inter horum & illorum vocationem. De vocatione eorum quibus Deo vti placuit ad Eccleſias reformandas, multi quæſtionem mouent: ex qua qui nequeunt ſe explicare, ad extraordinariam confugiunt vocationem. Sed niſi ego vehementer fallor, nulla neceſſitate id faciunt. Nam corruptam & falſam de filio Dei & præcipuis fidei noſtræ capitibus doctrinam impugnare, & veram aſſerere, quiuis Chriſtianus in ſacris Literis verſatus poteſt & debet. Deinde, quotquot Deus excitauit, ordinariam vocationem habuerunt, paucis quibuſdam exceptis. Aduerſarij nihil habent quod Anglicanæ Eccleſiæ obijciant aut exprobrent: nam illa poteſt ordinariam vocationem defendere, ſicut etiam multæ aliæ per Germaniam Eccleſiæ. Vbi impietas vniuerſaliter Eccleſiam occupauit, non eſt extraordinaria vocatione opus ad illam profligandam: ab alijs qui ordinariam authoritatem habent in Repub. Eccleſiæ reformari poſſunt. In regno Iudææ plures reformationes legimus, ad quas neque extra ordinem ciuilis magiſtratus creatus eſt, nec nouum ſacerdotium. Ipſi ſacerdotes qui fuerant anteà multa idololatria contaminati, ſe ſimul & templum & populum omni idololatria & impietate repurgarunt. Hodie ſi Epiſcopi Eccleſiarum Gallicanarum, ſe & ſuas Eccleſias à tyrannide Epiſcopi Romani vindicare velint, & eas ab omni idololatria & ſuperſtitione repurgare; non habent opus alia vocatione ab ea quam habent. Idem dico de omnibus Eccleſijs (vbicunque terrarum illæ ſint) quas temporum iniquitate, aſtus Sathanæ varijs erroribus implicuit. Si noſtros homines aduocent, eorumque vti velint conſilio, poſſunt: ſed ſi nolint, nullam in eos eorumque Eccleſias authoritatem ſibi arrogare debent: ſed gaudere & illis congratulari conuerſionem, ac offerre ſocietatem.

De Duodecim Apoſtolis.

CAP. III.

DVodecim viri, qui primi eſſent Euangelij prædicatores, à Domino fuerunt electi; cum quibus familiariter viuere, & omnium conſiliorum quæ pro tẽporis ratione caperepoterant, eos facere participes voluit, vt poſteà magis idonei teſtes eſſent omnium eorum quæ tum vidiſſent, tum audiuiſſent. Prima ipſorum prouincia vltra Iudææ terminos non ſe porrexit. Nam ad Samaritanos & ad gentes ire prohibiti ſunt. Cum prædicationis munere, baptizandi & edendi miracula Dominus coniunxit poteſtatem. Quamdiu autem finis ceremonijs impoſitus non erat, nec abrogata Aaronici ſacerdotij poteſtas, nullas ſeorsìm collegerunt Eccleſias: ſed communionem & ſocietatem retinuerunt in omnibus quæ ad Dei cultum pertinebant, cum reliquo Iudæorum populo.

Quod autem Apoſtolorum fuerit munus, ex mandatis illis quæ Seruator noſter poſt reſurrectionem ſuam dedit, & ex promiſſis quæ leguntur apud Ioannem de Paracleto ipſis mittendo, facilè intelligitur. Matthæi vltimo cap. verba Seruatoris noſtri ad diſcipulos ſuos hæc ſunt: *Data eſt mihi* (inquit) *omnis authoritas in cœlo & in terra: profecti ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.*

Summa

Summa Apostolatus capita sic habemus notata. Primum est legatio illa proximè à Deo data ad omnes gentes, quæ nullis est definita terminis: alterum est, doctrinæ quam acceperant à Domino promulgatio: tertium, sacrorum signorum administratio: postremum, promissio auxilij diuini; quæ quamuis vsque ad sæculi consummationem, quatenus Ecclesiã vniuersalem respicit, extendatur, peculiaris tamẽ quam paulò ante mortem suam fecerat Apostolis, est intelligenda. Ioan. 14. cap. & 16. ministerij Apostolorum omnibus partibus obeundis Spiritus sancti promittitur donum, qui mentem, linguam, & sermonem eorum ita gubernaret, vt Christi, non suam doctrinam traderent. Tametsi docendi partes pluribus commissæ fuerunt, cum edendi miracula potestate; proprium hoc Apostolis mansit, vt ipsorum doctrina canon & regula esset, ad quam omnis aliorum doctrina exigenda foret, & quòd soli in Ecclesiæ primordijs per impositionem manuum, signo visibili conferrent Spiritum sanctum. Act. cap. 8. vers. 17. Sicut Moses Deum habuit legis authorem, similiter Euangelij Apostolos habere oportuit, vt firma & immota iacerent Ecclesiæ fundamenta.

Apostolorum vna & eadem omnium fuit authoritas, & par Apostolatus dignitas: discrimen nullum inter eos fuit, nisi quod ætas aut virtutum maior cumulus adferebat: & quamuis primus vbique legatur Petrus, ordinis fuit vocationis ille Primatus, non præcipuæ potestatis. Quòd si verbis illis Domini, *Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, aut alijs huius generis, data esse maior authoritas Petro intellecta ab Apostolis fuisset, nunquam bis posteà repetita quæstio esset, quis eorum videretur esse maior. Tametsi ad secretiora quædam Dominus Petrum, Iacobum & Ioannem adhiberet; ipse tamen omnibus se tam præbuit æquabilem, vt quem cui præferrent, ignorarent. Hoc dignitatis gradu Iudas perfida & sacrilega sua auaritiâ excidit: cui post ascensionem Domini in cœlos Matthias surrogatus fuit: huic collegio postremum omnium Paulum mirabili quodam modo Dominus adscripsit.

De 70. Discipulis.

CAP. IIII.

TAmetsi prophetas secundo loco Paulus collocet, in tertium ego eos reijcio: non tam vt dignitatis sequar ordinem, quàm temporis, in quo ministeria noui Testamenti sunt instituta. Cùm igitur Dominus videret præ amplitudine messis paucos esse operarios, alios septuaginta Discipulos Euangelizandi causa elegit: quibus etsi edendi miracula potestatem dederit, & paria iura quæ priùs dederat Apostolis, capiendi victum ab eis quibus Euangelizabant, eos tamen duodecim Apostolis non aggregauit, vt vnum collegium cum illis facerent: semper enim separati leguntur duodecim viri à septuaginta Discipulis: qui in hac re inferiores videntur Apostolis fuisse, quòd non tam familiari conuictu cum Domino vixerint, sicut 12. Apostoli: vnde nec testes esse potuerunt eorum omnium quæ fecit & locutus est.

Si qui fuerunt, illi pauci fuerunt, nempe duo, Ioseph qui cognominabatur Iustus, & Matthias: è quibus alter, Deo dirigente calculos, sortitus est locum Iudæ. Barnabas Apostolico more per varias regiones discurrit & colligit Ecclesias, quem ex duodecim Apostolis non fuisse certum est. Philippus in hoc ordine quoque censeri potest, aliique plures, qui cum Apostolis laborarunt in doctrina Euangelij propaganda. Itaque proximè à Domino vocatos fuisse cùm constet, & Ecclesiæ datos Euangelistas legamus: quos dicemus illos fuisse, si isti non sunt? Septuaginta igitur illi discipuli Euangelistæ fuerunt 12. Apostolis inferiores: quòd tanquam legati summis ducibus dati fuerint, qui eorum vices eâdem authoritate obirent.

Multos sibi præterea assumpsêre Apostoli cooperatores: sed in quibus tanta non erat fidei soliditas, sicut in eis quos Dominus ipse vocauerat, & eodẽ spiritu quo Apostolos suos dirigebat. Barnabæ, Iudæ, & Sylæ, secundùm Apostolos, legimus magnam in Ecclesia fuisse authoritatem, & eius propagandæ studium: in eos enim se effuderat Spiritus sanctus, sicut in Apostolos. Conuenerant enim ipso die Pentecostes omnes qui Matthiæ interfuerant electioni, eôdem loci cum 12. Apostolis, quando Spiritus sanctus aspectabilis cœlo

delapsus est: Et quamuis Barnabas 12. non fuit adnumeratus Apostolis, non desijt esse Euangelista.

Quamuis Lucæ & Marci magna fuerit authoritas, propter conscriptas Euangelicas historias: eos tamen non adnumero 70. Euangelistis, quia per homines ad ministerium Euangelicum vocati sunt. Tertullianus contra Marcionem lib. 4. de Luca scribit. *Lucas non Apostolus* (inquit) *sed Apostolicus, non Magister sed Discipulus, vtique Magistro minor, certè tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator.*

De Marco Papias in commentarijs (sicut refert Eusebius lib. 3.) scriptam reliquit hanc historiam. *Marcus qui fuit interpres Petri, quæcunque tenebat memoria, scripsit quidem accuratè, sed tamen non eo ordine quo erant à Domino dicta factaue. Neque enim Dominum audierat ille quidem, neq; erat eum comitatus: sed postea, vt dixi, comes Petri fuit, &c. Quare neutiquam in eo errauit Marcus, quòd quædam (sicut memoriæ ea antè mandauerat) isteris prodidit: quandoquidem hoc vnum mente & cogitatione sedulò prospexit, vt nec quicquam eorum quæ audiuisset prætermitteret, nec falsi aliquid ijsdem omnino interponeret.* Hæc ille. Notum est inferiorē authoritate fuisse Barnabę, vtpote ipsius sectatorem ac veluti discipulū, sicut etiam Pauli & Petri, nec in alio gradu quàm erant Titus & Timotheus. Ipsius tamen & Lucæ fides in describendo ea quæ ab Apostolis acceperant tanta est, vt eorum Euangelia inter canonicas Scripturas numerentur, & authoritate æquentur Euangelijs Matthæi, & Ioannis: nimirum qui Euangelicis narrationibus tantùm commodarunt operam suam Apostolis, & Euangelistis. Et cum Matthæi Euangelium, vnius Matthæi, & Ioannis, tantùm Ioannis videri possit: cæterorum omnium Euangelistarum & Apostolorum, potiùs quàm Marci & Lucæ eorum Euangelia censeri debent. In qua re magnam merentur laudem, quòd nihil humanitùs sint passi, quod historiarum scriptoribus accidere solet: sed ipsum Apostolorum & Euangelistarum spiritum ita sunt secuti directorem, ac si ipsimet Apostoli scripsissent. Testimonium Lucæ Paulus reddit, 2. Cor. 8. vers. 18. quando dicit, *Misimus autem vnà cum eo fratrem illum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.* Qui fuerunt Euangelistæ propriè & vero nomine, & qui non, ex his quæ diximus, quiuis potest intelligere.

De Prophetis.

CAP. V.

QVemadmodum neminem in ordinem 12. Apostolorum præter vnum Paulum annumeramus, ita 70. illis Discipulis nemo est æquandus. Nam licèt Deus speciali gratia alios addere illis 70. viris potuerit, nulla in re eis inferiores, sicuti Paulum 12. Apostolis aggregauit: tamen testimonium Scripturæ cum nullum hoc asserat, temerarium esset, id esse factum affirmare. Sed cum præter 12. Apostolos & 70. illos Euangelistas alij etiam Spiritus sancti primitias receperint, quo nomine eos à cæteris distinguemus? De numero 120. virorum supersunt 36. quos cùm nec 12. Apostolis, nec 70. Euangelistis annumerare liceat, Prophetas meritò dicemus. Et hoc est quod Petrus in sua & sociorum defensione ad populum, ex Ioelis Prophetia demonstrat, nempe spiritum Propheticum, qui olim promissus fuerat in vltimis temporibus dandum, tunc fuisse effusum in cœtum illum, quem varijs linguis prophetantem cum magna admiratione audiebant.

Triginta igitur illi sex viri, qui nec collegio duodecim Apostolorum, nec septuaginta discipulorum ascribuntur, primi Prophetæ fuerunt, quos Deus Ecclesiæ suæ dedit, postquam Seruator noster cœlos conscenderat. Ex quorum numero Damascenus Ananias, & Agabus, celebris vterque Propheta esse potuerunt. Iudas & Sylas Prophetæ etiam dicuntur, & eo nomine missi ab Apostolis Antiochiam, vt fratres adhortarentur & confirmarent.

Veros Prophetas hos fuisse dictos, non μεταφορικῶς iudico, vtpote qui Spiritu Dei futura præuiderint, & quid opus esset facto, Ecclesiam præmonuerint, & recondita mysteria eodem Spiritu docuerint.

Nam etsi omnis Scripturæ interpretatio Prophetia quædam sit, Doctoris ea magis

est

est propria quàm Prophætæ, & rectiùs interpretes sacrarum Literarum Doctores quis dixerit, quàm Prophetas. Sed Deus verum Prophetiæ donum, quod frequens inde ab initio fuerat in Israele, in Ecclesia sua renouauit, & tria Doctorum genera, quos infallibili suo Spiritu sancto dirigebat, nouo populo dedit, Apostolos, Euangelistas, ac Prophetas: & hi fuerunt primi Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteri & Episcopi.

Nomina Apostolorum, Euangelistarum, Prophetarum tributa fuisse etiam alijs Ecclesiarum Pastoribus & Doctoribus.

CAP. VI.

TAmetsi ex his quæ dixi satis possit intelligi, quos vocem Apostolos, Euangelistas & Prophetas: tamen quia etiam alijs pluribus hæc nomina non temerè tribuuntur, de illis quoque aliquid dicendum est. In Epistola ad Romanos 16. cap. Andronicus, & Iunia insignes inter Apostolos nominantur: & 8. cap. posterioris ad Corinthios, Titus, & qui cum eo erant fratres, Apostoli vocantur Ecclesiarum: & Epaphroditus in Epistola ad Philippenses dicitur eorum Apostolus. Nota deriuatio est Græcæ dictionis, & à mittendo dictos esse Apostolos, tanquam missos & legatos: secundùm quam significationem quicunque aliqua de causa mittitur nuncius, Apostolus dici potest. Secundùm hanc etiam significationem Seruator noster qui Apostolorum Princeps & Dominus est, etiam in Epistola ad Hebræos Apostolus appellatur. Sed in nouo Testamento hoc nomen nemini (quod sciam) datur, nisi Euangelij ministris; inter quos cum magna esset differentia, primos illos 12. Apostolos Paulus vocat summos Apostolos, 11. cap. posterioris ad Corinth. vers. 5. vbi ita scribit: *Puto enim me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis.* item 11. vers. 12. cap. Fuerunt igitur præter summos illos Apostolos, qui proximè à Christo legationis munus acceperunt, alij quamplures nuncupati Apostoli: quòd aut ab ipsis Apostolis cooperatores in Apostolico munere essent assumpti, aut ab Ecclesia Hierosolymitana, quæ mater erat Ecclesiarum, missi. Inter quos se nonnunquam ingerebant vltrò pseudoapostoli, quos Paulus vocat dolosos operarios, qui se transformabant in Apostolos Christi. Hi, quantum poterant, Pauli imminuebant authoritatem, vtpote qui in carne Dominum non vidisset: & idcirco non parem esse eius authoritatem cum ea quæ erat aliorum Apostolorum contendebant: vt hac ratione eum in infimum ac secundarium ordinem cogerent Apostolorum: quò sic, æquali cum Paulo certarent authoritate, & corrupta eorum doctrina faciliùs admitteretur.

Aduersùs horum improbitatem, magnò studio Paulus authoritatem sui Apostolatus defendit: quòdque à Deo, non ab hominibus Apostolus esset designatus, affirmat: quod frustra à Paulo factum esset, si Apostolorum nomen commune multis, qui ad collegium 12. Apostolorum non pertinebant, non fuisset; sed per homines, & ab hominibus, (vt Pauli verbis vtar) non proximè à Deo missi fuerant: inter quos Titus, Andronicus, Timotheus, Marcus, & alij quamplures, quos posterior ætas Episcopos, & Archiepiscopos appellauit, censendi sunt.

Idem de Euangelistæ nomine dicendum est, fuisse datum multis alijs præter illos 72. viros, quia ad illud idem munus exercendum, tum sub illis, tum sub Apostolis, ab Ecclesia vocati fuerunt. Quorum tametsi non erat æqualis donorum Spiritus sancti mensura, tamen pro talenti accepti ratione, cum magno fructu Ecclesias ædificabant, super illa fundamenta quæ iaciebant Apostoli. Sunt igitur Apostoli Euangelistæ appellati, tum ratione significationis vocabulorum, tum Apostolici & Euangelici muneris, ad quod coadiutores & cooperarij erant assumpti.

Prophetæ verò in sacris Literis vocantur non tantùm ij, quibus Deus res futuras reuelat, sed quotquot diuinorum mysteriorum fidi sunt interpretes, & nôrunt veteres Prophetias locis, temporibus, ac personis accommodare. Prophetiæ enim vocabulum ad omnem sacrarum Literarum interpretationem extenditur, quòd ea sit eiusdem Spiritus sancti donum, qui eas Patribus reuelauit: quo sensu omnes Euangelij Doctores & sacrarum Literarum interpretes dici possunt Prophetæ.

De Diaconis.

CAP. VII.

SI dignitatis ordinem in recensendis Ministrorum Ecclesiæ gradibus tenere proposuissem, Prophetis subijcerem Pastores & Doctores: sed cùm temporum seriem, quibus primùm instituti fuerunt, sequar, de Diaconis mihi differendum est, antequam ad Episcopos & Presbyteros veniam: priùs enim creati leguntur, cum præter Apostolos, & eos quos modò diximus Euangelistas & Prophetas, Ecclesia nullos haberet Presbyteros. Cùm Euangelij ministerium ex Domini institutione pauperum curam coniunctam habeat, ad suum munus Apostoli eam pertinere arbitrati sunt, donec murmur Græcorum aduersùs Hebræos electioni Diaconorum causam dedit. Fuêre enim initio distributores communis pecuniæ, quam fideles diuenditis possessionibus suis conferebant. Agente in terris adhuc Domino, Iudas illud munus obiuit: quòd si commodè Apostoli vtrumque exercere potuissent, nunquam ad eam rem alios deligi mandâssent. Tamen illud munus non ita fuit totum commissum Diaconis ab Apostolis, vt nihil posteà ad se pertinere iudicarent. Paulus & Barnabas rogati vt pauperum memores essent, sedulò ab ipsis id factum legimus: itaque 7. viros plenos Spiritu Sancto eligendos esse censuerunt, quibus ærarium Ecclesiæ & cura pauperum mandaretur.

Sed mirum est, quòd non tantùm colligendæ pecuniæ distribuendæq; operam dederunt, docendi etiam partes assumpsisse videntur. Nam dum Stephanus ardentiùs Christum docet, & de eo cum præfractis Iudæis disputat, primus Christi testis morte sua factus est. Philippus verò Samaritanis quoque Euangelium nunciat, & baptizat credentes. Ex quibus exemplis quid alij fecerunt, cogitandum relinquitur. Non enim quia de ipsis nihil scriptum est, æstimandi sunt fuisse otiosi: nam & de Apostolorum Christi maxima parte merum est silentium, quos tamen certum est munere sibi impositò fideliter fuisse perfunctos.

Hoc exemplum sequuti sunt Veteres, & ministerijs verbi & mysteriorum adhibuerunt Diaconos. Metuebant enim ne functio eorum vilescceret, & tantùm videretur esse œconomia, nihilque habere commune cum sacro verbi Dei ministerio. Quò igitur magis venerandi & spectabiles essent, legendi populo Euangelij, & distribuendi calicis in celebratione cœnæ Domini ipsis facta est potestas. Tandem eò creuit eorum authoritas, vt nusquam Episcopus iret, aut quidquam ageret sine Diacono, vt citiùs caruerit Episcopus Presbytero, quàm Diacono. Quomodò autem Diaconia tota interierit, nihil ad præsens institutum: mihi satis est ostendisse, quod fuerit olim Diaconorum officium.

Quæ Diuus Paulus in Diaconis requirit, ferè paria sunt cum ijs quæ in Presbyteris desiderat: & in prima Diaconorum creatione, Apostoli iubent eligi viros Spiritu Sancto plenos. Vnde non parui momenti hanc functionem æstimatam fuisse apparet, vt mirum nemini videri debeat, si cum pauperum cura aliquid maius Diaconis pro ratione donorum Spiritus sancti creditum fuit.

Hæc noto, vt nouerimus olim Ecclesias nihil absurdi fecisse, aut hodiè facere, si quæ Veterum morem imitantur, & Diaconiam ad futurum Presbyterij ministerium gradum fæciunt.

Hic quartus est Ministrorum Ecclesiæ Christi ordo, secundùm temporis seriem: & primus qui ab hominibus fuit institutus, nullis adhuc creatis Presbyteris, præter eos quos ipse Dominus dederat Ecclesiæ. An hic ordo seruatus sit vbique, vt priùs crearentur Diaconi quàm Presbyteri, nihil habeo certi. In Epistola ad Titum, in qua Paulus iubet creari Presbyteros per singulas ciuitates, nullam de Diaconis facit mentionem: & decimoquarto capite Actorum, vbi à Paulo & Barnaba in Ecclesijs ordinati Presbyteri narrantur, nihil de Diaconis dicitur. Quandoquidem maiora in Presbytero requirantur quàm in Diacono, faciliùs Diaconus inueniri potuit quàm Presbyter: cuius defectum ad tempus Euangelistæ & Apostoli meliùs supplere potuerunt,

quàm

quàm Diaconorum, quòd remotior sit ab œconomia pecuniæ functio Apostolica, quàm à ministerio Presbyteri. Et hoc accedit etiam, quòd pauperum necessitas longas non patiatur moras.

Quod Paulus in quarto capite ad Ephesios, huius Ministerij nullam facit mentionem, neminem mouere debet. Eius institutum non fuit, omnes narrare Ministerij ordines, sed tantùm notare præcipuos, quibus Domini Seruatoris nostri regnantis in cœlo potentia & beneuolentia erga suam Ecclesiam manifestatur.

Seruator noster sacrosanctam miserorum curam esse docuit, quando sibi datum aut negatum, quicquid pauperi datur aut negatur affirmauit: sed in reformatione Ecclesiæ quæ hodie apud nonnullos facta est, non ampliùs Ecclesiastica. Sed ciuilis est. Pauperum, ptochodochiotum, & viduarum ac pupillorum curam, quæ olim fuit Episcoporum propria, Magistratus in se recepit. Vnde hoc primùm sub Romano Pontifice sit natum, dicam aliàs. Magistratus qui Ecclesiam pristino splendori restitutam cupiunt, Ecclesiasticis viris eam committent.

Nam si quam fraudem deprehenderint, animaduertere, & quod peccatum erit emendare, in ipsorum semper est futurum potestate, non autem Episcoporum aut Pastorum Ecclesiæ, si ipsos Magistratus, aut eos qui ab illis huic rei præfecti erunt, malè versari contingat. Ipsos cogitare oportet idem ipsis posse accidere, quod metuunt in Ecclesiarum ministris. Religiosum pauperum ministerium est, & quædam Dei cultus pars. Duo mihi hoc loco deploranda sunt: Primùm, quòd apud nonnullas reformatas Ecclesias, Diaconatus totus œconomicus & annuus factus sit: deinde, quòd Diaconissarum ordo curandis ægrotis (cuius vmbra adhuc quædam est in papatu) apud nos totus interierit. Plurimùm (meo quidem iudicio) interest, quomodo & à quibus hominibus in domo Dei sublcuetur pauperum necessitas. Pristinum Ecclesiæ morem degenerasse in superstitionem non ignoro: sed hic noster qui nunc est, quorsum euadet? A superstitione prolabi in prophanationem homines magis proni sunt, quàm auream tenere mediocritatem.

Ecclesiæ maximum quondam decus, & summa Pastorum laus fuit, erga egenos liberalitas, & erga miseros commiseratio, pupillorum & viduarum cura & defensio. Quid ego hic commemorem nobiles fœminas, virgines, & viduas, Imperatrices, & Reginas, Imperatorum Regumque sorores, quæ in Deum pietate, & erga pauperes misericordia, sub Episcoporum vigili cura, se huic ministerio dedicarunt?

Quando in nostras Ecclesias intueor, non possum non laudare studium eorum qui veram Diaconiam in Ecclesia retinere desiderant, contra eos qui ad homines tota vita & moribus prophanos, tanquam ciuilis & vilis quædam procuratio sit, eam transferunt, numerántque inter infimos ciuitatis suæ ministros pauperum procuratores: sed hoc doleo, quòd solo nomine contenti, plenam verámque Diaconiæ rationem, cuiusmodi olim in Ecclesia fuit, non videantur assecuti. De qua re multa dicenda restant: sed ad Presbyteros & Episcopos mea festinat oratio.

Quòd Ecclesiæ nullos in suis primordijs habuerint Episcopos & Presbyteros, præter Apostolos & eorum cooperatores.

CAP. VIII.

VNdecimo capite Actorum prima Presbyterorum fit mentio in Ecclesia Hierosolymitana, quæ quamdiu Apostoli & Euangelistæ illic degebant, alijs Presbyteris non opus habuit. Sed postquam fuêre dispersi, Iacobo capite cæso, & Petro fugato, suos Presbyteros cœpit habere, quos ab eo loco Lucas semper coniungit cum Apostolis, qui erant Hierosolymis: quando autem, & quomodo, & à quo fuerunt ordinati, non legitur. Hic ordo licèt Diaconis posterior in Ecclesia constitutus fuerit, prior tamen est dignitate.

Ecclesias autem ad tempus fuisse sine Presbyteris, ex Epistola ad Titum, & 14. cap. Actorum, notius est quàm vt possit negari: quamdiu autem, definire nequeo. In hac re non tam temporis rationem Apostolos habuisse credo, quàm hominum, qui apti essent

ad

ad Ecclesiæ ministerium. Prudentiæ Apostolicæ non erat, cuiquam temerè manus imponere, & quos Deus non insigniuisset illis donis quæ requiruntur in Presbyteris, Ecclesiæ præficere. Itaque cùm nuper ad fidem conuersæ Ecclesiæ constarent ex neophytis, tempus fuit expectandum, quo mores probarentur, & facultas eorum, quibus committeretur regimen Ecclesiæ, nota fieret: Intereà temporis, Euangelistarum & Apostolorum curâ, eorúmque quos cooperatores assumpserant, omnia gubernabantur.

Apostolus Paulus in omnibus suis Epistolis sibi similis est; quocirca non casu factum est, quòd in Epistola ad Philippenses salutem dicit Episcopis & Diaconis, & in cæteris non item. Vnde quemadmodum intelligitur Philippensium Ecclesia habuisse Presbyteros & Diaconos; ita de alijs relinquitur incertum; nisi quantum aliâs ex scribendi genere quis fuerit status Ecclesiarum colligitur. Attentum lectorem esse oportet, qui cognoscere velit quæ Ecclesiæ habuerunt suos Presbyteros, quæ verò nullos. Verisimile non est, eum qui tam amanter in omnibus suis Epistolis, omnes quos nouerat aliqua virtute præditos, salutare, & benemeritis de Ecclesia vbique laudem tribuere, & si quid in quopiam desideraret, non dissimulare consueuit, Episcopos & Presbyteros præterijsse insalutatos.

Epistola ad Romanos multos salutat, quos etsi suos cooperarios nominet, nusquam tamen significantur Romanæ præesse Ecclesiæ. Aquilæ meminit & ipsius domesticæ Ecclesiæ, quæ aliàs Ephesi, aliàs Philippis fuisse legitur: Item Andronici & Vrbani, quorum alterum insignem fuisse inter Apostolos, alterum suum cooperatorem dicit: hos & cæteros omnes, quos Romæ agere norat, meritis ornat laudibus, qui simul cum Apostolis plantandis Ecclesijs laborarent. Quodsi aliquis eorum illius Ecclesiæ proprius fuisset Pastor, aliqua nota id significasset: sicut factum ab eo legimus in Epistolis ad Philippenses de Epaphrodito, & ad Colossenses de Epaphra & Archippo. *Act. 19. cap. & 28.*

Quando Romam venit, à fratribus quidem legitur receptus, non à Presbyteris, quod non magis ibi fuisset omissum, (si Roma tunc Presbyteros habuisset,) quàm Actorum 15. cap. vbi à Presbyteris receptus Paulus narratur. Ex his videre est, quis status fuerit Romanæ Ecclesiæ, quando Apostolus ad eam scripsit.

Idem demonstrari potest ex vtraque Epistola ad Corinthios (vt de cæteris taceam,) nempe non habuisse proprios Presbyteros, quando illæ Epistolę scriptæ fuerũt. Scribebat enim Apostolus nascentibus Ecclesijs, quæ adhuc formabantur, & in prima sua infantia erant, & præter Timotheum, Titum, Apollo, Lucam, Stephanum, & Fortunatum, & Achaicum, aliósue similes quos Apostolus mittebat, nullos Presbyteros habebant, nec alium Episcopum præter Paulum. Quamuis Ecclesiæ sine ordine non essent, is tamen non erat, quem, posteà ordinatis Presbyteris habuerunt. Intereà temporis, Apostoli & Euangelistæ, aliíque pij Doctores per vices, vt poterant, eas visitabant. Hinc Paulus & Apollo, se Corinthijs excusant, quòd tam crebrò eos inuisere non poterant, sicut desiderabant.

Quod ab Epiphanio & Ambrosio rectè obseruatum est. Epiphanius aduersus hæreses, hæresi 75, ita habet: *Cùm recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata veluti habebat, scripsit: vbi enim erant Episcopi constituti, scripsit Episcopis & Diaconis. Non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere, Presbyteris enim opus erat & diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Vbi verò non inuentus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo; vbi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cùm autem multitudo non esset, non inuenti sunt inter ipsos qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto, &c.* & addit: *Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis, nam singulæ res non ab initio omnia habuerũt. sed progressu tẽporis ea quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur, &c.* Ambrosius in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios scribit. *Non per omnia conueniunt scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc est in Ecclesia; quia hæc inter ipsa primordia scripta sunt: nam & Timotheũ Presbyterum à se creatum Episcopum vocat, quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente vno sequens ei succederet.* Hæc Ambrosius. Intelligenda igitur sunt scripta Apostolica secundùm rationẽ illorum temporum in quibus scripta fuerunt. Ponebant Apostoli fundamenta, alij superædificabant. Plantabat Paulus, Apollo rigabat. Simul cum tempore vt crescebat Ecclesia, & credentium numerus augebatur, sufficere multitudini non potuerunt quos ipse Dominus miserat: hinc Apostoli cooperatores ad Ecclesiæ ministeriũ sibi assumpserunt: primùm Diaconos, deinde Presbyteros. De quibus nobis nunc dicendum est.

De

De Presbyteris & Episcopis.

CAP. IX.

PAstores & Doctores Euangelistis Paulus subiungit: an verò duos ordines significare voluerit, an vnum tantùm, est ambiguum: quia quisquis Pastor est, idem etiam Doctor sit oportet, sed non contrà: fieri enim potest, vt quis Doctor sit, qui non est Ecclesiæ alicuius Pastor. Paulus tribus superioribus nominibus Apostolorum, Prophetarum, & Euangelistarum, eos videtur indicasse qui extraordinariam, & proximè à Deo habuerunt vocationem, non ab hominibus. Duobus verò istis postremis, Doctoris & Pastoris, (siue eosdem intelligamus siue diuersos) eos qui ab hominibus fuerunt præpositi Ecclesijs. Episcopi & Presbyteri sunt illi, quos Paulus vocat Pastores, sicut apparet ex vigesimo capite Actorum, vbi Paulus presbyteros quos accersiuerat Ephesо, dicit Episcopos à Deo constitutos ad pascendum Ecclesiam Dei. Quocirca nullum intelligimus Presbyterum aut Episcopum in Ecclesia Christi, qui non sit Pastor. Presbyteri enim officium est, salubri doctrina pascere gregem Domini.

Presbyter Græca vox est, quæ Hebraicè זקן Zaken respondet, & non solùm ætate seniorem (qui propter ætatem venerandus est) significat, sed etiam eum qui in Repub. dignitate & authoritate præstat: éstque honoris vocabulum, quo honoratiores & magistratus in veteri Testamento nuncupantur: & inde translatum est, vt Rectores Ecclesiarum Christi in nouo Testamento significet. Episcopi autem dicuntur ab inspectione, & vigili cura, éstque nomen operis & laboris: Pastor verò munus & officium denotat, & à pascendo grege Domini (vt diximus) doctrinæ cœlestis pabulo appellatus. Sunt præterea plura nomina quibus Ecclesiarum ministri communiter significantur, vt οἰκόνομοι, προϊστάμενοι, προηγούμενοι, ἡγούμενοι, συνεργοί, λειτουργοί, ὑποδιάκονοι, διάκονοι, id est, dispẽsatores, prẽsides, antistites, ductores, gubernatores, ministri. Quorũ exponere vim & significationis proprietatẽ supersedeo: potest id ab alijs peti. Ducam tantùm inde argumenta, prout res quam tracto postulabit.

Horum officium quamuis ab hominibus ordinetur, diuersum genere ab Apostolico munere non est. Primæ enim partes pastoris Euangelij sunt docere, exhortari, reprehendere, & veritatis aduersarios conuincere. Deinde, Sacramentorum administratio ad ipsos non minùs pertinet, quàm ad Apostolos. Postremò pastoralis vigilantia non est sine ea censuræ potestate, quam Ecclesiæ ædificatio exigit: succedere etenim (vt verbis Hieronymi vtar) Apostolico gradui: & alio in loco, *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradũ Petri, iam cum Christo regnantium.*

De duplici Pastorum ordine.

CAP. X.

SEd cùm non eadem & æqualis prouincia omnibus presbyteris concredita sit; & alij pluribus, alij paucioribus sint præfecti; non paruum quoque discrimen est inter eos, quos Scriptura eisdem nominibus Presbyterorum & Episcoporum vocat: quod cùm ipsis rebus potiùs quàm nominibus dijudicandum sit, in eas potissimùm animum intendere oportet, vt eaquæ proprijs notis potius quàm nominibus distincta sunt, ab inuicem separemus. Primi Presbyteri, quos ordinarunt Apostoli & Euangelistæ, fuerunt ipsorum cooperatores in opere Domini, vt Ioannes Marcus, Titus, Lucas, Timotheus, Demas, Syluanus, & alij complures, quorum sacræ Literæ meminerunt. Hi per manuum impositionem Presbyterij, Euangelij ministri creati fuerunt, non secùs ac alij, qui oppidatim postea singulis Ecclesijs fuerunt præfecti. Quod in Timotheo factum legimus, de cæteris omnibus est intelligendũ. Procuratio quæ his viris commissa fuit, generalis erat, non vnius tantum Ecclesiæ: fuerunt enim veluti auxiliares & subsidiarij Apostolorum.

Sed cùm indies magis ac magis fidelium multitudo, & ecclesiarum numerus augeretur, simul vt copia facta fuit virorum qui ad Presbyterij obeundum munus essent idonei, ipsi

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

XUM

ipsi Apostoli & Euangelistæ, aut ij quos in eodem munere adsciuerant adiutores, singulis ecclesijs presbyteros ordinauerunt: qui veluti in illa statione collocati, inde non discederent: sed sub Apostolis (tanquam fidi pastores) excubias super illius loci gregem agerent. Non enim constituebantur vt illis tradita tota gubernationis authoritate, soli Ecclesiam regerent, & illius cura deinceps nihil amplius ad Apostolos, & eos qui idem munus susceperant, pertineret: sed cùm vbique semper præsentes adesse non possent, illis absentibus vt nihil ecclesijs deesset, quod ad earum salutem conseruandam erat necessarium. Si 12. viri ecclesijs sufficere potuissent, 70. alij non fuissent ipsis adiuncti: qui cùm omnes simul pauci esse cœperunt, pro multitudine credentium, his & illis cooperatores habere opus fuit, qui eorum vices obirent.

Tametsi vnum tantùm sit ministerium Euangelij sub Christo, sicut vnum fuit sacerdotium sub Mose: tamen quemadmodum in vno sacerdotio gubernationis diuersi erant gradus, ita in vno Euangelij ministerio, & Pastorum & Doctorum hîc varios audiuimus ordines. Primùm ab ipso Domino duos gradus Euangelij ministrorum institutos videmus: quorum alter altero fuit superior: & posteà ab ipsis Apostolis similiter duos: quando quibusdam ecclesiarum vnius ciuitatis aut prouinciæ procuratio commissa est, & alij vni tantùm ecclesiæ fuerunt præfecti: Titum ac Timotheum multarum ecclesiarum, ac etiam eorum qui tum præficiendi, tum præfecti illis erant, habuisse curam, inde manifestum est, quòd admonetur Timotheus, vt caueat ne cui citò manus imponat, ne particeps fiat alieni peccati: & prohibetur accusationem admittere aduersus presbyterum, nisi sub duorum aut trium testimonio. Quæ res veluti manu nos huc deducit, vt sub Apostolis, & ab ipsis Apostolis duos diuersæ authoritatis presbyterorum ordines constitutos, qui cum ipsis ecclesias regerent, fateri cogamur: quibus etsi Scriptura distincta non dederit propriaque vocabula, posteritas dedit. Quamuis pastoris & Episcopi nomina de omnibus Euangelij ministris olim dicta sint, Episcopi nomen post Apostolorum tempora proprium primo presbyterorum ordini mansit: qui dum viuebant Apostoli & Euangelistę, illis ijsdem nuncupabantur nominibus (ornabant enim suos cooperatores eodem secum nomine) quod posteà reuerentia quadam erga summos illos viros & Ecclesiæ columina non nisi rarò & parcè factum legimus.

Presbyteros annuos qui ad docendum sunt inepti, & præsunt tantùm in Ecclesia, Apostolicæ literæ nullos agnoscunt.

CAP. XI.

EX malè intellecto loco Pauli in quinto capite prioris ad Timotheum, multi hodie inter presbyteros nouam differentiam collegerunt alienam prorsus à mente Apostoli, qui nihil minùs cogitauit quam temporarios presbyteros qui vnum atque alterum annum regerent ecclesiam, discernere à perpetuis Pastoribus, qui verbo Dei gregem pascunt. Nam Apostolicæ literæ nullum presbyterum in Ecclesia Christi agnoscunt, cui superius positæ descriptiones non conueniunt. Presbyteri Apostolici omnes sunt Pastores & verbi Dei ministri, sicut ex vigesimo capite Actorum suprà monstrauimus. Hoc enim Apostolus inprimis requirit in presbyteris & episcopis, vt apti sint ad docendum, & tenaces illius quæ secundùm doctrinam est fidelis sermonis, vt exhortari possint in doctrina sana, ac contradicentes arguere: sub hoc genere partes quæ conueniant inuenienda sunt: vnius aut duorum annorum presbyteri, qui ad docendum sint inepti, & tantùm præsideant in Ecclesia, sub hoc genere non continentur.

Quas Apostolus gubernationes inter Spiritus sancti dona numerat, de eximio & singulari dono intelligi debent. Bene regendi scientia summa & rara quædam res est: quam etsi hodie nemo non sibi vendicet; in paucis tamen inuenitur: quamobrem in summo presbyterorum ordine eam esse collocandam censeo: vtpote in Apostolis & Euangelistis, alijsque illius temporis Ecclesiæ primoribus ministris, qualles fuere Titus & Timotheus, alijque plures, qui præerant cum Apostolica authoritate multis ecclesijs. Toto cœlo mihi errare videntur, qui tantam Spiritus sancti gratiam in infimo quodam presbyterorum

byterorum ordine ponunt, eóque nouo, & ad docendum inepto, qui in Ecclesia veluti annuum quendam magistratum sortiuntur, & temporario funguntur Presbyterio, quod posteà deponunt. Apostolicæ Ecclesiæ, & quæ pòst per multa sæcula secutæ sunt, huius generis Presbyteros inter Ecclesiæ ministros non numerarunt.

Sola gubernationis authoritate, Apostoli & Euangelistæ, eorúmque adiutores, fuerunt maiores singularum Ecclesiarũ Presbyteris. Seniores quidem inuenio in consessu sacerdotum veteris Synagogæ, qui sacerdotes non erant: in Ecclesia verò cum Pastoribus Ecclesiarum nullos lego, qui Pastores non fuerint: nimirùm temporibus Apostolorum, & pluribus sæculis quæ secuta sunt, Christiani magistratus nulli fuerunt, qui cum Ecclesiarum Presbyteris de rebus Ecclesiasticis simul deliberare possent. Nam illi seniores, quos adiunctos sacerdotibus legimus, erant Iudaici populi magistratus, qui in ijs, quæ ad externum Ecclesiæ regimen spectabant, excludi à sacerdotum Concilio iure non poterant, sicut nec hodie Christianus magistratus à Synodis & Concilijs Episcoporum Ecclesiæ. Nam etsi duo sint gubernationis genera, alterũ ciuitatis, alterum Ecclesiæ: tamen vtrumque ab eodẽ profectum est authore. Quod quamuis diuersa fiat ratione, & illud à Deo sit quatenus creator, & moderator rerum humanarum; hoc quatenus redemptor est humani generis, & vnumquodq; suum habeat finem: tamen quando eadem societas Ecclesia est & ciuitas; sicut ab eodem vtriusq; regiminis authoritas manat, ita ad eundem postremum finem respicit, & eôdem se recolligit. Vnde fit vt multa habeant communia, quæ nunquam rectè, nisi communi consilio & assensu, possunt perfici. Euangelij Minister à DOMINO Seruatore regiminis in Ecclesia habet authoritatem: magistratus à Domino omnium Creatore in ciues, qui quoties simul amicè conspirant, & eôdem sua consilia referunt, optimè cum ciuitate, optimè agitur cum Ecclesia. Alios Presbyteros ab his quos dico, præfectos regimini Ecclesiæ (si qui sint) demonstrari velim: ego in verbo Dei nullos adhuc inuenire potui.

Ministeria Ecclesiæ dona sunt Spiritus sancti, & veluti quædam talenta fœnori data, de quibus Domino reddenda erit aliquando ratio. In arbitrio serui Christi non est, à semel suscepto ministerio seipsum temerè abdicare. *Qui manum semel mittit ad aratrum, & pòst retrò aspicit, regno Dei non est aptus.* Temporarium nullum ministerium quod fuerit ordinarium, lego vnquam fuisse in Ecclesia. Ex Diaconis Pastores posse eligi scio; sed defectio nulla ministerij dici potest, quando dignius suscipitur. Hunc morem quondam Tertullianus reprehendit in tractatu *De Præscriptionibus aduersus hæreticos*, cuius hæc sunt verba. *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes; nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt: nihilquam facilius proficitur quam in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus: nam & Laicis sacerdotalia munera iniungunt.*

Interpretatio loci Ambrosiani.

CAP. XII.

QVod ex Ambrosio adferri solet, ad Presbyterorum ordinem, quem hodie reformatæ nonnullæ Ecclesiæ recipiunt, confirmandũ, prorsus alienum est ab hac quæstione. Loquitur enim Ambrosius de senioribus ætate, non officio, quos olim Episcopi & Presbyteri in consilium adhibebant, quemadmodum vetus Synagoga facere consueuerat. Ipse non æquiparat eos cum Presbyteris vocatione, quos habebat, & qui cum eo Ecclesiam Mediolanensem regebant; sed queritur viros ætate graues, quos duriùs redargui Apostolus non vult, in eo pretio non remansisse apud Ecclesiæ Doctores, quo olim fuerant. Exponens enim verba illa Pauli ad Timotheum. *Seniorem ne increpaueris, sed exhortare vt Patrem*, ita scribit. *Propter honorificentiam etatis, maiorem natu mansuetudine ad bonum opus prouocandum, vt facilius suscipiat admonitionem: potest enim vereri commonitus, ne postea corripiatur, quod turpe est Seniori. Nam apud omnes vtique*

gentes honorabilis est senectus; vnde & Synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia: quod qua negligentia obsoleuerit nescio, nisi forte Doctorum desidia, aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. Hæc Ambrosius, qui nihil minùs cogitauit, quàm iudicare Ministrorum aliquem ordinem institutum ab Apostolis interijsse: habebat enim suos Presbyteros, qui cum eo Ecclesiam regebant: ipsa quoque verba apertè indicant ipsum loqui de senioribus ætate, non officio.

Ego non auersor, si quis seniores rerum peritos in consilium admittat rerum Ecclesiasticarum: sed hoc contendo, tales, inter Ecclesiæ ministros & Presbyteros quos Apostoli ordinarunt, non censeri: & eos errare, qui Presbyteros aut seniores quarundam Ecclesiarum reformatarum nostri temporis, esse putant eiusdem generis cum ijs, quos Apostoli ordinasse narrantur, Act. 14. & à Paulo accersiti Epheso, 20. cap. quorũ amplam descriptionẽ & muneris ipsorum, Epistolæ ad Timotheum & Titum continent.

Ecclesiæ Anglicanæ reformatio ædituos habet in singulis parochijs, qui speciem habent quandam istorum seniorum: & vulgò dicuntur Oeconomi, siue Guardiani bonorum Ecclesiæ: nullam quidem habent authoritatem arcendi à sacris: sed si quis excommunicatus sese in cœtum velit ingerere, operam suam adhibent monitu Ministri, vt pellatur. Eorum munus lege constitutum hoc est, vt bona ac redditus Ecclesiæ colligant, custodiant, erogent; nauem templi, cæteraque sarta tecta conseruent; indicem baptismorum, matrimoniorum, sepulturarum, cum Ministro custodiant; delinquentes ac inordinatè viuentes moneant; incorrigibiles, infamatos, scandalosos, ad Episcopum eiúsue surrogatos, puniendos ac coercendos deferant, ídque iuramento interposito: dispiciant etiam qui diebus Dominicis, vel festis, à diuinis precibus absunt, ab eísque mulctam lege impositam exigant, nec non silentio ac decoro, dum diuina geruntur, prospiciãt. Simile aliquod seniorum genus si habuit vetus Ecclesia, inter Presbyteros & Episcopos à Veteribus non numerantur, apud quos laici ab Ecclesiæ ministris fuerunt distincti. In Apologetico Tertulliani, seniores, qui in cœtibus Christianorum leguntur præsedisse, Episcopi & Presbyteri fuerunt, non laici: nisi secum pugnantem eum facere velimus, qui hæreticis exprobrat, quòd sacerdotalia munera laicis iniungerent.

Hæc à me dicta non velim accipi, tanquam reformatas illas Ecclesias accusem, quæ simili quodam genere seniorum vti videntur, quos desideraſse videtur Ambrosius. Ego ipse illis sum vsus, quando Pastoris munere in Ecclesijs quibusdam reformatis functus sum. Sublata enim Papisticorum Episcoporum tyrannide, cùm illi ijdem qui verè Presbyteri sunt, etiam funguntur officio Episcopi, totum Ecclesię regimen absque tyrannidis suspicione, in se recipere non potuerunt. Itaque necessarium fuit ex corpore totius Ecclesiæ pios homines eis adiungere: Nam sine illo fratrum præsidio, improbitati resistere, malósque in ordinem cogere non esset possibile.

Expositio loci Paulini prioris Epistolæ ad Timotheum, capite quinto, versu decimo septimo: Quid sit laborare in verbo & doctrina.

CAP. XIII.

NEminem mouere debet quod Apostolus dicit, illos Presbyteros præcipuè duplici honore dignos, qui in verbo & doctrina laborant, ac si inde consequens esset, Presbyteros in Ecclesia fuisse, qui nihil docerent: non enim hæc idem significant, laborare in verbo, & docere, cum nemo Presbyter ab Apostolis fuerit ordinatus, qui ad docendum non esset aptus. Sed cum mensura non sit æqualis donorum Spiritus sancti (sunt enim qui quinque talenta acceperunt, à quibus vsura quinque talentorum reddenda Domino est, alij tantùm duo) ab eo cui plus donatum est, maiora expectantur.

Si Pauli conferantur ærumnæ, quas pertulit Euangelij prædicandi gratia, cum aliorum laboribus; videbimus quanto maiore fuerit honore dignus illis, qui minùs laborauerunt. Idem de Presbyteris & Episcopis dicendum, quorum labores sunt admodum impares in eodem opere Domini. Sunt qui in otio & pace funguntur suo munere, & domi creditã sibi plebem docent, aduersíq; nihil patiuntur, quorum doctrina intra Ecclesiæ suæ terminos

terminos manet. Alij verò non vnum tantùm gregem docent, sed doctis suis lucubrationibus vniuersam Ecclesiam: non vno tantùm tempore dum viuunt, sed per multa sæcula: quod vt præstent, nullis parcunt laboribus, nullis vigilijs, non valetudini corporis, non denique suæ vitæ. Sunt præterea, qui leuem, Euangelij causâ, amicorum, honorum, & substantiæ iacturam existimant; innumera pericula subeunt, & perferunt quæuis opprobria, vt Christi Euangelium propugnent, & doceant. Et hos mihi videtur intellexisse Apostolus, non quosuis alios Doctores qui in Ecclesia præsunt, & docent populum Dei.

Græcum verbum κοπιᾶν non vno tantùm loco ab ipso vsurpatum, propriè significat magnum & ærumnosum laborem. Errántque qui simplicem tantùm prædicationem verbi Dei, Paulum hoc verbo indicasse arbitrantur, & discrimen putant inter Presbyteros hoc esse, quòd alij docuerint populum, alij tantùm regerent ad tempus, & verbi Dei ministris in ea re operam darent. Conuenientiùs illis temporibus, & significationi verbi κοπιᾶν Presbyteri intelliguntur, quales fuerunt Timotheus, Titus, Tychicus, Marcus, Lucas, aliíque Apostoli Pauli comites, & laborum socij, qui nullum detrectabant periculum, nullum fugiebant laborem, vt Euangelij doctrinam propagarent. De Timotheo Paulus in Priore ad Corinthios, vltimo capite, ita scribit, *Si venerit ad vos Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos, opus enim Domini operatur sicut & ego*: vnde intelligimus non sine timore, nec sine periculo fuisse Timotheum.

Paulò infrà de Stephano, & Achaico, & Fortunato loquens, qui seipsos dedicârant Sanctorum ministerio, ait etiam; *Vt vos subijciamini talibus, & omni cooperanti & laboranti.* Ad eundem modum interpretor locum prioris ad Thessalonicenses, quinto capite, versu duodecimo: *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborant in vobis, & præsunt vobis in Domino, & vos admonent.* Quibus locis verbo κοπιᾶν Paulus vsus est: quo non vulgarem, sed molestum & difficilem laborem intellexit. Pauli igitur sensus est, quò Presbyteri plures & grauiores molestias in suo munere perferunt, maiori honore dignos censeri: quocirca Paulus ad grauiores curas, quæ pluribus obnoxiæ sunt difficultatibus, respexit; non ad simplicem & solam verbi Dei prædicationem.

Episcopatum, scribens ad Tim. definit esse opus: vnde consequens fit, vt maior Episcopatus coniũctus sit cũ pluribus & maioribus molestijs. Si is qui vni tantùm præest Ecclesiæ, sine negotio non est, quid dicemus de ijs, quibus plurium Ecclesiarũ cura demandata fuit? vt Timotheo, & Tito, alijsque huius ordinis Episcopis. Distinctionis meæ summa huc redit. Inter Episcopos, siue Presbyteros, quos nobis sacræ Literæ tradunt, & sub Apostolis rexerunt Ecclesias, diuersos fuisse gradus, quocunque illi censeantur nomine; & alios præfuisse tantùm vni Ecclesiæ sub alterius directione, alios pluribus; quod de Tito, Timotheo, & alijs notum est. Scio multos qui hæc legent, tacito conceptæ opinionis præiudicio dicturos, Titum, & Timotheum, & alios quos nominaui, fuisse Euangelistas, & extraordinaria vsos fuisse potestate. Quibus ego respondeo, id me sæpiùs audiuisse & legisse, sed sine argumentis aut demonstratione, quæ mihi fidem faciant. Nam quod Paulus scribit Timotheo, eíque mandat vt faciat opus Euangelistæ, non magis euincit eum Euangelistam fuisse proprio nomine sic dictum, quàm alter ille locus Paulinus ad Corinthios: *Operatur opus Domini sicut & ego*, eum fuisse Apostolum. 2 Tim. 4. 5. 1. Cor. 16. 10.

Ordinem illum esse diuinum qui superiores Presbyteros constituit Episcopos, & humanum vbi omnes Pastores & Presbyteri sunt æquales.

CAP. XIIII.



Vprà diximus quæ sit extraordinaria vocatio, & quæ eius virtus, eamq; in Tito & Timotheo non inueniri. Veteres omnes scriptores Titum & Timotheum pro Episcopis habent, quibus paruerunt inferioris ordinis Presbyteri: quorum vestigijs insistentes Patres qui proximè Apostolorum tempora in omnibus Ecclesijs vixerunt, hanc regiminis formam, quam ab Apostolis didicerant, vsu retinuerunt. Hodie 2. tantùm gradus ministrorum Euangelij ab Apostolis relicti creduntur: Pastorum videlicet, & Doctorum:

rum: & sublato, quod dixi, Pastorum discrimine, & reiecta gubernationis veteri ratione, aliud regiminis & Presbyterij nouum genus introductum est, quod magna fiducia diuinum esse disputant; & illud, quod fuit inde ab Apostolorum temporibus, humanum. Quapropter disquisitione res digna est. Nam ad omnia quæ de Apostolis, & Euangelistis, ac Pastoribus diximus, respondent, temporariam Apostolicam gubernationem fuisse, & cum Apostolis ac Euangelistis accepisse finem, vt nemo hodie Pastor Pastori præesse debeat.

Sed vt huius quæstionis veritas clariùs appareat, omnia Dei dona, quæ fuerunt in Apostolis & Euangelistis, propiùs erunt inspicienda; vt sciamus, quid Apostolis eorúmq; temporibus fuerit peculiare, quid commune futurum sit cæteris omnibus Ecclesiæ ministris, vsque ad consummationem sæculi. Primum quod in Apostolis nobis est considerandum, est vocatio illa extraordinaria, quæ proximè à Deo est facta: deinde, Legatio nullis circumscripta finibus: Tertium, quòd in ijs omnibus, quæ ad ipsorum spectabant officium, infallibilem habuerunt directorem Spiritum sanctum, qui suggessit ipsis quæcunque priùs à Domino audiuerant, & omnia quæ ad hominum salutem & Ecclesiæ ædificationem erant necessaria, adeò vt in ipsorum potestate non fuerit à veritate deflectere. Postremum est ipsius Apostolatus potestas.

Priora illa tria fuerunt necessaria ponendis fundamentis Ecclesiarum, super quæ alij superstruerent, quæ nisi certam coniunctam Spiritus sancti haberent firmitatem, labasceret quidquid ab alijs posteà superstructum fuit. Edendi miracula gratiam prætereo, quòd illa data sit non Apostolis tantùm, aliísque Ecclesiæ Pastoribus, sed quibusuis, vt Deo visum fuit, fidelibus, vt de fide in filium Dei certam & indubitatam fidem facerent. Ex omnibus his donis nihil successoribus communicare potuerunt præter Euangelij ministerium: quod cùm Apostolicæ potestati coniunctum sit, eam simul ad posteros transmiserunt: vtpote quæ non tantùm propagandis, verumetiam conseruandis Ecclesijs sit necessaria. Sine verbi Dei prædicatione, & Sacramentorum vsu, ac Ecclesiastico regimine, nulla Ecclesia rectè potest subsistere. Quemadmodùm prædicatio verbi Dei, baptismus, & cœna Domini, non sunt data Ecclesiæ, vt tantùm seruirent temporibus Apostolorum, sed etiam futuris sæculis, vsq; ad Domini aduentũ: sic etiam regiminis forma, quæ ab ipso Domino fuit instituta, & ab Apostolis tradita, ac vsu Patrum confirmata, permanere debet. Illa autem habuit inferiores & superiores Pastores: ergo id in Ecclesia Christi retinendum est.

Aequalitas ministerij inæqualitatem in gubernatione non impedit. In veteri Testamento vnum fuit sacerdotium, idem & æquale omnibus sacerdotibus, tamen in regimine diuersi fuêre sacerdotum gradus: & in pari dignitate sacerdotij, impares fuerunt regiminis honores. Nec obest, quòd sacerdotium Leuiticum fuit Typicum, & Christum adumbrârit: quoniam politiæ & gubernationis ratio, quæ inter Sacerdotes & Leuitas fuit, non tam ad Typos, quàm ad ἐνεργείαν pertinuit, vt omnia ritè & ordine fierent. Quocirca cùm ipse Deus illius gubernationis & politiæ fuerit author, in qua Leuita Leuitæ, & sacerdos sacerdoti paruit; humana constitutio dici non debet, quando Minister Euangelij paret Ministro, & Pastor Pastori: id enim non magis hodie iniquum est quàm fuit olim.

Eminentiorem authoritatem inter Ecclesiarum Pastores, nulla lege Seruator antiquauit.

CAP. XV.

SEruator noster nulla lege superioritatem inter Pastores antiquauit, sed eam potiùs stabiliuit, quando in prima ministerij Euãgelici ordinatione superiores & inferiores Euangelij Ministros ordinauit. Cui institutioni non aduersantur verba illa Domini, *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur, vos autem non ita: sed qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est, & qui princeps est, sicut qui ministrat, &c.* Horum verborum verus & simplex hic est sensus: Vestra gubernatio diuersa erit ab ea quæ est Regum propria, siue eos intelligamus qui sæuam

uam in subiectum populum exercent tyrannidem, siue eos qui moderatè & secundùm leges vtuntur suo imperio: qui sensus non tollit discrimen personarum, quod naturæ lex & bona regiminis ratio postulat. Si quis locus citari potest ex Euangelicis scriptis ad probandam superioritatem inter Euangelij ministros, hic vnus est. Nisi enim Dominus intellexisset in Ecclesiæ gubernatione aliquos maiores cæteris esse futuros, nunquam dixisset: Qui maximus est inter vos, fiat sicut minimus. Compendio dixisse potuit: Nemo primus inter vos est, nemo maximus, aut princeps erit. Sed qui inter vos maximus est (inquit) sit sicut qui minimus, & qui princeps, sicut qui ministrat.

Quod præceptum nullum est, vbi nemo est qui supra cæteros excellat. Vbi omnes sunt futuri pares, præcepto nihil opus, quo moderatio mandatur, in præcipua dignitate constituto. Sensus igitur huius præcepti est: Quantò quis inter vos maior erit, tantò submissiùs inter suos fratres se gerat. Tametsi omnes Apostoli eiusdem ordinis & potestatis fuerint, ætatis discrimen & donorum Spiritus sancti magnum inter eos fuit: vnde fieri non potuit, quin illi, qui à Domino maiora dona acceperant alijs, fuerint etiam maioris authoritatis: quod Paulus ad Galatas primo capite apertè indicat, vbi ait se contulisse Euangelium cum ijs, qui videantur aliquid esse: quod identidem repetens, significat quosdam inter Apostolos fuisse præcipuæ authoritatis, à quibus tamen negat se quidquam accepisse. Hanc inæqualitatem, cuius ipsemet Dominus author erat, æqualem facere noluit: non enim qui quinque talenta accepit, credere debet se tantùm habere duo: multò minùs cui tantùm duo data sunt, æquare se illi qui habet quinque. Ecquæ adferretur ratio cur potestatis in regimine potiùs esse debeat æqualitas, quàm aliorum donorum? num sola potestate ad tyrannidem abutuntur homines? Nihil profectò interest, quibus donis quis se Papam constituat supra suos fratres, ingenio, rara & varia eruditione, ac eloquentia, morum sanctitate, ieiunijs, aliisque virtutibus externis; an diuitijs, & præcipua aliqua authoritate. Sed Seruatoris nostri responsio latè patet; nec ad Apostolos tantùm referenda est, tanquàm solummodò ibi vetuerit Apostolum in cæteros vsurpare imperium: extenditur enim ad omnes quibus erant præficiendi, suprà quos prohibetur tyrannis, aut ciuile imperiũ. Nam etsi magna futura erat potestas quam à Domino accepturi erant, ad Ecclesiæ ædificationem; ea à priuatis hominibus inter priuatos exercenda erat. Prohibet igitur Dominus more Regum & principum κατακυριεύειν, id est, vi dominari.

Hinc Paulus ad Corinthios scribit, *Non quòd dominemur fidei vestræ: sed quòd administri sumus gaudij vestri.* Et in 1. Pet. *Neque tanquam vi dominantes in cleros*: Id enim, quia priuatos non decuit, Dominus prohibuit, & lenitate potiùs ac precibus animos feroces mollire docuit, sicut ab Apostolo Paulo pluribus in locis, tum inprimis 2. ad Corin. factum legimus, vbi scribit: *Itaq; nomine Christi legatione fungimur, velut Deo precante per nos, nos oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* Idem tamen alijs in locis acerbiùs loquitur. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an cum charitate, & spiritu lenitatis?* & in posteriore: cap. 10. quando acceptæ à Domino potestatis mentionem facit, quàm non esset primatus in Ecclesia, in ijs quæ ad regnum Dei pertinent, apertè ostendit. Vnde apparet, prohibitione violentæ dominationis, qua reges in subiectos vti possunt, non sublatam fuisse potestatem gubernationis in Ecclesia, qua Euangelij Minister suprà alium Euangelij ministrum eminet, non magis quàm ea, quam Pastor suprà commissum sibi gregem habet. Diuersos illos duos ordines Ministrorum Dominus non confudit, vt nihil differrent Apostoli à 70. Discipulis. Vehementer miror homines doctos hoc loco persuaderi, eminentiorem potestatem Episcoporum suprà Presbyteros fuisse prohibitam: quod sine probro & accusatione sanctorum Patrum non fit, quos longè facilius est tyrannidis arguere, quàm conuincere, & regimen Ecclesiarum, quod sub illis fuit, accusare, quàm emendare. Dominus enim tantummodò errorem, in quo versabantur Apostoli, animis ipsorum voluit eximere, non præripere potestatem quam ipsis dederat, & daturus erat suprà Ecclesiam & Ecclesiarum Pastores, inhibere.

1. Cor. 1. 24. 1. Pet. 5. 3.

2. Cor. 5.

1. Cor. 4. 21.

Apostolici regiminis forma morte Apostolorum & Euangelistarum non accepit finem.

CAP. XVI.

QVòd Apostolicum regimen morte Apostolorum creditur esse finitum, nulla neque Scripturæ authoritate, nulla ratione, nullo denique Patrum exemplo demonstratur. Nihilo plus valet, quòd dicuntur Apostoli extraordinariam habuisse potestatem: nam pari ratione negari posset quenquam hodie habere baptizandi & prædicandi Euangelij potestatem. Si quæ erant extraordinaria in Apostolis, ea relinquere posteris non potuerunt. Eadem ratio efficiet, nec prædicandi Euangelij, nec baptizandi post Apostolos relictam esse authoritatem. Causam ego aliquam afferri velim, cur potiùs regendi Ecclesiam forma, quæ fuit sub Apostolis, hodie cessare debeat, quàm Euangelij prædicatio, & baptismi, ac cœnæ Dominicæ administratio. Nam horum omnium potestas erat æquè extraordinaria, ac Ecclesiæ gubernatio.

Perinde est, ac si olim in populo Dei post Mosis & Aaronis tempora aliquis dixisset, sacerdotes & Leuitas non eandem habere potestatem quam Moses & Aaron habuerant, quia eorum extraordinaria fuerat vocatio. Quemadmodùm igitur post suam ipsorum mortem, eandem gubernandi rationem, qua fuerant vsi Moses & Aaron, reliquêre posteris; ita etiam Apostoli & Euangelistæ fuerunt exemplum & lex nobis posteris, perfecti regiminis Ecclesiastici: & quod Seruator noster dixit de sacerdotibus Iudæorum, eos sedere super cathedram Mosis & Aaronis, idem dici potest de Episcopis, quòd in cathedra Petri & Pauli sedeant, hoc est, quòd successerunt in eodem regiminis munere.

Duo sunt vocabula, quæ non rectè accepta fallunt, scilicet Temporarium, & Extraordinarium: quæ de toto munere Apostolico, & omnibus eius partibus non pari ratione dicuntur. Tamen quidam credere videntur, quidquid in illis fuit extraordinarium, idem fuisse quoque temporarium, cùm quidquid fuit extraordinarium, certum sit non fuisse temporarium: nam omnia fuêre in Apostolis extraordinaria, quorum multa lapsu temporis facta sunt ordinaria. Quæ finem simul acceperunt cum Apostolis, tantùm fuêre temporaria: quæ autem illa sint, iam dixi. Vt ab Euangelij prædicatione incipiam, malè illa restringeretur ad Apostolos, aut eorum tempora: quamuis tam ampla legatio, qualis fuit Apostolorum, mandari nemini possit, aliqua similis potest, cum simili authoritate.

Mandatum omnibus gentibus prædicandi Euangelium, Apostolis in cœlum receptis, etiam Ecclesiam obligat: ad quam rem Apostolica authoritate opus est.

CAP. XVII.

EVangelij prædicandi mandatum, & ad omnes gentes legatio, ita præcepta intelligitur Apostolis, vt etiam obligari Ecclesiam intelligatur. Incredulis gentibus prædicandi Euangelij mandatum non solùm respexit Apostolorum sæculum, sed omnia quæ futura sunt vsque ad finem mundi. Matthæi vltimo capite, quandò Dominus dixit datam sibi omnem potestatem in cœlo & in terra, & mandauit vt euntes docerent omnes gentes, &c. addit, *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*: quod ad solos non potest referri Apostolos, sed ad omnes, quos bono animo esse iubet, & quibus pollicetur se affuturum.

Hæc promissio à superiori præcepto non potest separari: vnde apparet, Ecclesiæ mandatum à Christo, vt, receptis in cœlum Apostolis, Euangelium prædicari curet incredulis gentibus, pro temporum, locorum, & personarum quas habitura esset idoneas ad eam rem, ratione.

Si Apostolica authoritas temporaria fuisset, ea personale donum fuisset, ac particulare, nec

nec sibi socios & cooperatores in Apostolico munere, ad Domini opus, ad quod destinati fuerant, adsumpsissent. Sed cùm scirent suum ministerium, & quidquid habebant authoritatis, potiùs datum Ecclesiæ quàm personis, alios fecêre consortes Apostolicæ suæ potestatis, quos sciebant futuros etiam successores.

Tantum opus à tam paucis hominibus non poterat perfici. Eatenus Domini mandatum obligabat Apostolos, quatenus mortalitatis vires se porrigebant: nempe ad breue illud tempus, quod post acceptum Spiritum sanctum erant victuri: quo tempore neque promissionẽ auxilij, neq; ad incredulas nationes legationem Euangelij Dominus terminauit.

Habuêre igitur Apostoli opus multis adiutoribus, & cooperarijs ad Domini opus: quod, cùm ipsi perficere non potuerint, inchoatum reliquêre posteris absoluendum.

Si simul cum Apostolis ad cœlos commigrasset Apostolica legatio, & præter particularium Ecclesiarum curam, propagationem vlteriorem Euangelij ad se nihil pertinere iudicassent Episcopi, quos successores reliquerunt Apostoli, nunquàm ad tantam magnitudinem regnum Christi peruenisset.

Quid exemplis Patrum primitiuæ Ecclesiæ opus est? Quanto studio, quanto labore, quanto denique martyrum sanguine plantatæ & irrigatæ creuerint Ecclesiæ, res notior est, quàm vt admonuisse non sit satis.

Nimis proteruè (meo quidem iudicio) hanc sententiam quidam hodie tanquam Anabaptisticum somnium explodunt, quandò Ecclesia adhuc hodie, si non Apostolos, Apostolicos viros habere dicitur. Sed ipsi viderint. Nondum hodie post 1500. annos ad omnes gentes Euangelium peruenit. Tempore hoc intermedio, quàm multæ gentes (quas non adierant Apostoli) prædicatione piorum hominum (qui in hoc labore successêre Apostolis) Christũ Dominum receperunt, mitto narrare. Tantùm concludo, illius legationis & mandati de prædicando Euangelio, manere vim & obligationem in Ecclesia, quamdiu nationes erunt quæ ignorant Dominum.

Quòd hodie nemo mittitur ab Ecclesijs Christi ad gentes quæ ignorant Christum, non arguit potestatis mittendi, sed mittendorum qui idonei sunt, inopiam: aut certè ad propagandum regnum Christi, defectum zeli.

Tentare Dominum nemo debet. Ipse Apostolos suos Hierosolymis efferre pedem vetuit, & munere fungi ad quod erant delecti, antequàm Spiritum sanctum recepissent. Instructum priùs hominem esse oportet donis Spiritus sancti ad rem tantam necessarijs, antequàm eam aggrediatur. Sed quia iudicium vnius hominis potest esse temerarium, fallíque, Ecclesiæ oportet vt intercedat authoritas. Nam Apostolica potestate hîc opus est: quam si Ecclesia non habet, quantumuis idoneos nanciscatur viros, nec etiam mittendi potestatem habet. Nemo alteri conferre potest quod non habet. Ei qui mittitur (siue Apostolum, siue Euangelistam, siue Episcopum eum voces) non minore potestate opus est, quàm habuit Timotheus aut Titus, quandò similem suscepêre prouinciam.

Habet igitur Ecclesia hanc authoritatem designatam per claues, quas Dominus non tam Petro, Petríque collegis dedit, quàm Ecclesiæ: vt hodie possit, quod olim potuit; nempe opportunitate data, legationem prædicandi Euangelij cum Apostolica authoritate committere, viris ad eam rem idoneis.

Non minùs conseruandis & confirmandis Ecclesiis opus est authoritate Apostolica, quàm nouis plantandis.

CAP. XVIII.

SEd cùm non minùs conseruandis & confirmandis Ecclesijs opus sit authoritate Apostolica, quàm nouis plantandis, id nobis quoque videndum est: nam propter Episcopos, & Archiepiscopos, Primates & Metropolitanos, qui Apostolis & Euangelistis successêre, de eo nunc controuertitur

Sæpe mecum miratus sum, quid doctos & pios viros persuaserit, vt crederent Apostolorum & Euangelistarũ in Ecclesia cessare officium, & nullos hodie esse Pastores & Episcopos Apostolica authoritate præditos, quibus Presbyterorum fraternitas

nitas, in ijs quæ adbonum Ecclesiæ regimen pertinent, subijciatur; & ita Apostolorum faciunt extraordinariam potestatem, vt deriuata non fuerit ad posteros.

Nam quòd Ecclesia illa nomina non retinuit, non sufficiens est argumentum, vt doceatur cum illis nominibus authoritatem quoque interijsse. Si attendere quis velit postremos dies Apostolorum, & inprimis Pauli, facilè inueniet Apostolicum Ecclesiæ regimen simul cum Apostolis non potuisse interire.

Ex ijs quæ de Paulo sacræ Literæ testantur, iudicare de cæteris Apostolis possumus; quos non dubium est Paulo fuisse similes, & vsque ad extremum vitæ spiritum de Ecclesia Christi fuisse sollicitos, vbicunque Deo placuit eos ad cœleste regnum ex hac vita euocare. Epistola secunda ad Timotheum, ab Apostolo Paulo sub vitæ finem scripta, testatur, quam tunc etiam Ecclesiarum habuerit curam. Cooperatorum suorum illic mentionem facit: quorum alios ad varias miserat Ecclesias, alios accersit ad se, quos ad idem ministerium iudicabat necessarios: vt migraturus ex hac vita, de omnibus rebus ad Ecclesiarum salutem, & ad inchoatam multarum ædificationem prosequendam pertinebant, eis vltima mandata daret.

Hoc ipsius testamentum & vltimam voluntatem ipsis committere voluit: quæ vana fuisset, si cum eo Apostolica authoritas interitura erat, aut intra fines cuiusque parochiæ redigenda. Nam omnes quos illic Paulus commemorat, vt sunt Titus, Marcus, Lucas, Crescens, Tichycus, & ipse Timotheus, & alij quamplures, adiutores Paulo in Apostolatu fuêrunt: quorum fidei Apostolus plurium Ecclesiarum curam commiserat, quam vt abijcerent cum Dema illo, viuo adhuc Paulo, non fuit ipsis integrum, multò minùs ipso mortuo. Hæredes igitur (sicut anteà fuerant socij) Apostolici laboris & authoritatis facti sunt.

Alios Apostolos habuisse etiam suos comites & collegas in Apostolico munere, quibus discedentes ex hac vita curam Ecclesiarum cum pari authoritate demandârunt, minimè est dubitandum.

Illa porrò authoritas, qua prosequuti sunt opus Domini, non magis cum illis extingui potuit, quàm cum Apostolis, quamdiu aliqua superstes mansit Ecclesia. Quemadmodùm ipsi successerant Apostolis, suos similiter habuêre successores; quibus, si potestatem acceptam ab Apostolis ipsi non contulerunt, Ecclesia, quæ hæres est Apostolicæ potestatis, contulit.

Sed age, fingamus non ita esse (vt dixi:) reliquerint Apostoli Presbyteros & Doctores æqualis potestatis, qui tantùm singularum Ecclesiarum habuerint curam: & circumscripta fuerit eorum prouincia limitibus suarum Ecclesiarum: quid factum est de alijs Ecclesijs, quibus Apostoli, intercluſi morte, aut ij qui cum illis Ecclesias gubernârant, ordinare Pastores non potuerunt? Itáne aptè eorum mors cecidit, vt omnes Ecclesiæ habuerint Pastores & Doctores, & nullæ restarent informes, nimirùm tantùm inchoatæ, sine Diaconis, sine Doctoribus, vt fuerant aliquando Cretenses Ecclesiæ sub Apostolo Paulo? Quis opus inchoatum prosequutus est? an non aliquo Timotheo aut Tito opus fuit, qui perficerent quæ restabant? Viuis adhuc Apostolis, ampliſſimam legationem tradi Tito & Timotheo, aliisque pluribus opus fuit: quid post eorum decessum? Aut enim deferendum inchoatum opus ab Apostolis, aut prosequendum fuit ab illis ipsis, quos post se reliquerunt.

Eusebij historiæ Ecclesiasticæ testimonio, præcedens caput confirmatur.

CAP. XIX.

EVsebius de hac re, Ecclesiasticæ historiæ lib. 3. cap. 4. sic scribit. *Quòd verò Paulus gentibus verbum Dei prædicârit, quòdque Ecclesiarum fundamenta ab Hierusalem & eius finibus vndique ad Illyricum vsque fecerit, non solùm ex suis ipsius vocibus, sed etiam ex libro Lucæ, qui Acta Apostolorum inscribitur, satis perspicuum est. Porrò quibus prouincijs Petrus Christi Euangelium bis qui erant ex circumcisione enunciârit, nouumque testamenti sermonem tradiderit, ex sui ipsius verbis, petitu ex Epistola illa quam illius verè esse, omniúmque approbatione consummatam*

consummatam fuisse diximus, quam denique Hebraeorum stirpe oriundis, qui dispersè & vagè Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bythiniam incoluerunt, scripsit, satis euidenter & aperte constat, &c.

Ibidem. *Quot verò & quinam veri & ingenui horum Apostolorum imitatores facti, satis habiles & idonei ad Ecclesias, quas isti fundauerant, pascendas regendásque, æstimati fuerint, dictu certè non est proclive, solis illis exceptis, quos aliquis fortasse ex Pauli scriptis obiter possit colligere. Eòdem accedit Lucas qui Discipulos Pauli, dum in Actis eos enumerare contendit, nominatim percenset. Ex quorum numero fuit Timotheus, qui Ecclesiæ quæ est Ephesi, primus Episcopatum obtinuisse traditur. Titus itidem, qui Ecclesias quæ sunt in Creta præfuit, &c.* Ibidem. *Ex cæteris Pauli comitibus & discipulis, vnum fuisse Crescentem, quem in Galatiam profectum Paulus ipse testatur; alterum Linum, quem in secunda ad Timotheum Epistola, simul cum illo Romæ versatum memorat, quémque primum post Petrum in Romana Ecclesiæ Episcopatum sorte delectum suprà demonstrauimus: Alterum Clementem, qui Romanæ Ecclesiæ tertius constituebatur Episcopus, quem Paulus cooperatorem suum & concertatorem in Domino fuisse testimonio confirmat. Addo his Areopagitam illum, Dionysium nomine, quem in Actis Apostolorum, post Pauli concionem in Areopago apud Athenienses habitam, ad fidem conuersum fuisse, Lucas in Actis Apostolorum scribit, quémque primum Ecclesiæ Athensensis Episcopum designatum, alius quidam Dionysius Ecclesiæ Corinthiorum Pastor, scriptor sanè peranti quus, narrat.*

Idem Eusebius lib. eodem, cap. 31. *Et præter istos, alij complures erant eadem ætate percelebres: qui quidem & Apostolis proximè successerunt, & tanquam discipuli tantorum & tam insignium virorum eximia & diuina virtute decorati, Ecclesiarum fundamentis ab Apostolis vbique locorum præclarè iactis, structuram concinnam illam quidem adiunxerunt: qui & plenius cumulatiúsque amplificárunt prædicationem verbi diuini, & salutaria regni cœlorum semina fusè latéque per vniuersum orbem disseminárunt. Etenim plerique omnes discipuli qui eo tempore vixerunt, ardentiore sapientiæ cœlestis studio amore éque incensi, & præ quodam diuini verbi desiderio animis perculsi, præceptum Seruatoris anteà traditum exquisitè executi sunt: & his qui ope indigebant, facultates suas libenter impertierunt. Deinde à domicilijs suis peregrè profecti, munus obierunt Euangelistarum, atque ijs qui ne adhuc quidem omninò verbum fidei audiuissent, Christum prædicare, & Scripturas sanctorum Euangeliorum tradere omni cura & cogitatione studuerunt. Qui cùm in locis quibusdam peregrinis fidei duntaxat iecissent fundamenta, Pastorésque alios constituissent, illísque curam eorum qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Christi sedulò excolendorum commisissent, ipsi ad alias regiones gentésque cum gratia & virtute diuina se contulerunt. Quippe virtutes permultæ admirabiles, & miracula sacrosancti Spiritus ope, per eos ad id vsq; temporis gerebantur: ita vt frequens hominum multitudo, ipsa prima prædicationis auditione persuasa, propenso studio pietatem, & cultum, qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis exciperet, amplecteretúrque.*

Hæc Eusebius. Exempla particularia ex eodem authore, & alijs Ecclesiasticis historijs huc adferre possem, Episcoporum, quos Ecclesiæ diuersis temporibus ad gentes conuertendas miserunt; quibus necessariò par esse debuit authoritas ei, quam Titus & Timotheus acceperant ab Apostolo.

Quòd ad asylum extraordinariæ vocationis quidam confugiunt, quando istis vrgentur rationibus, rationem nullam habent: ordinario in Ecclesia constituto ministerio, pessimo exemplo allegatur extraordinarium, nisi certa fides de eo possit fieri.

Statum igitur Ecclesiarum totius orbis quis fuerit, quando hinc migrarunt Apostoli, si paulò attentiùs consideremus, inueniemus relictas plerísque in locis Ecclesias bene formatas, quibus nihil deerat, hoc est, quæ vnum suum habebant Episcopum; vt erant septem Asiaticæ Ecclesiæ, quas Spiritus Domini in Apocalypsi alloquitur: & alias informes adhuc, & in prima sua infantia, quibus deerant multa, alijs plus, alijs verò minus, pro ratione temporis & loci, ac hominum multitudine aut paucitate, qui Christo nomen dederant.

Et præterea, innumera fuisse loca, quæ adiri ab Apostolis non potuerunt, vbi nullæ erant Ecclesiæ. Quæcunq; autẽ erant, quales quales erant, ab Apostolico regimine omnes dependebant: cui si nemo successit cum eadem authoritate, veluti viduas & pupillos relictas fuisse consequens est; quod absurdũ est dicere. Sin mutatam fuisse regiminis rationem dicimus, cui sub Apostolis assueuerant, id fine pernicie Ecclesiarũ fieri non potuit.

Hinc

Hinc ego inferò relictam ab Apostolis authoritatem Apostolicam suis succesſoribus, quos præfecerant pluribus Eccleſijs: idque tum illis confirmandis, quæ plenè formatæ erant; tum perficiendis illis quæ reſtabant informes; atque etiam propagandis nouis, vbi nullæ erant. Et hæc eſt cauſa, cur breuì Paulus è vita migraturus, miſit Creſcentem in Galatiam, & Titum in Dalmatiam, & Timotheum accerſit cum Marco, quem vtilem & neceſſarium in Eccleſiæ miniſterium iudicauit.

Quemadmodum mundum relicturus Dominus, diſcipulis ſuis proſpexit, ſic Apoſtoli in poſterum conſuluerunt Eccleſijs, quas fundârât & collegerant, & colligendas ex gentibus reſtare nouerant: aliâs tanta incrementa nunquam poſt Apoſtolos Eccleſia accepiſſet. Deplorandum eſt, hunc zelum Apoſtolicum hodie ita refrixiſſe, vt nemo cogitet de propagando Euangelio inter nationes à fide Chriſti alienas.

Quamplurimæ igitur Eccleſiæ inchoatæ, cùm relictæ fuerint ab Apoſtolis, & plures adhuc inchoandæ; quæ fuit ipſis à Domino data poteſtas, opus illud, ab ipſis inceptum, conuerſionis gentium, proſequi debuit. Vnde neceſſariò conſequitur, illam Apoſtolicam poteſtatem à Domino datam Apoſtolis ad Eccleſiæ ædificationem, remanere in Eccleſia: & illas partes Apoſtolicæ gubernationis, quemadmodum olim datæ ſunt certis quibuſdam Epiſcopis, dandas eſſe hodie, vbi datæ non ſunt; & relinquendas, vbi iam eam Epiſcopi obtinent. Si quis in illo ordine reformationem deſiderat, ei ego non aduerſor. Diſpoſitionem huius poteſtatis Eccleſia Paſtorum habet, ſicut ſemper habuit; ita tamen, vt cui Deus magiſtratũ Chriſtianum dedit, is non excludatur: ipſi enim ſunt illi ſeniores, quorum in Bibliis tam crebra fit mentio, quos antiquitùs adiunctos fuiſſe ſacerdotibus & Leuitis in rebus grauioribus legimus: inſtar enim ſunt totius populi.

Conſenſu totius orbis Eccleſiarum, probatur Epiſcoporum ſupra Presbyteros authoritas.

CAP. XX.

QVod inde ab Apoſtolorum temporibus, & Patribus per vniuerſum terrarum orbem factum ab omnibus Eccleſijs legimus vſque ad noſtra tempora, canonem Apoſtolorum immutabilem eſſe iudico. Non parua res eſt abrogare, quod tanto, tam vniuerſali conſenſu receptum fuit: à quo receſſiſſe, præterquàm quod temerarium eſt, cladem maiorem Eccleſiæ adferet, quàm multi ſuſpicentur, cui ſubueniri poſteà non poterit. Inter vetuſtos canones, qui propter antiquitatem dicuntur Apoſtolorum, legimus eum qui hic ſequitur: τὸς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλήν· καὶ μηδὲν τι περᾶτέιν περίττὸν, ἄνευ τ ἐκείνου γνώμης· ἑκάστου δὲ μόνα περᾶτέιν ἐκεῖνα, ἅπερ τῇ αὐτῇ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις. Ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τ πάντων γνώμης ποιείτω τι· οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται, καὶ δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ τοῦ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι. Epiſcopos ſingularum gentium ſcire oportet, quis inter eos primus ſit, qui habeatur veluti caput; præter cuius ſententiam, nihil quod maioris momenti ſit, agant, ſed illa tantùm quis agat, quæ ad ipſius parœciam, & ad villas quæ ei ſubſunt, pertinent. Sed nec ille præter omnium conſcientiam quicquam faciat: ſic enim vnanimitas erit, & Deus glorificabitur per Dominum in Spiritu ſancto.

Hic canon, paulùm mutatis verbis, in Antiocheno Concilio renouatus eſt, his verbis: τοὺς κατὰ ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπισκόπον, καὶ τοῦτον φροντίδα ἁπάσης τ ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς πράγματα ἔχοντας· οὕτω δηλονότι καὶ τὴν τιμὴν προνοείσθαι αὐτὸν, μηδὲν πράττειν ἐξαίρετον τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τ ἀρχαίου κανόνα τὸν πατέρων ἡμῖν κρατήσαντα· ἀλλ' αὐτὸν ἐκεῖνα, ἃ ταῖς ἰδίαις ἐπισκοπαῖς προσήκει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξεῖναι ἔχειν τῶν ἑαυτῷ παροικιῶν, διοικοῦντι κατὰ τὸν ἑκάστῳ φοβερὸν καὶ ἐπιδέδωκε κρίσιν τοῦ θεοῦ τὸν ὑπὲρ τῶν ἑαυτῷ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν ὁριβυτέρους, καὶ διακόνους ἑκάστα διαλαμβάνειν· σπουδαίως μὲν πράττειν ἐπιχωρεῖν δίχα τῆς τοῦ μητροπόλεως ἐπισκόπου· μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς ἁπάντων γνώμης. Epiſcopi qui ſunt in ſingulis prouincijs ſcire debent, cum qui Epiſcopus in Metropoli præeſt, curam etiam totius prouinciæ gerere, propterea quòd in Metropolim vndique concurrunt qui habent negotia: quare viſum eſt, vt ipſe honore reliquis antecellat, & alij Epiſcopi nihil, quod maioris ſit momenti, ſine ipſo gerant, ſecundùm vetus decretum Patrum noſtrorum, ſed ea ſola quæ

ad

ad cuiusque parœciam, ipsíque subiectas regiones pertinent : vnusquisque enim Episcopus habeto potestatem suæ parœciæ, eámq; pro sua quisque pietate administrato, & curã habeat totius regionis, quæ suæ vrbi subiecta est, vt Presbyteros creet & Diaconos, & cum iudicio omnia disponat : præterea, nihil agere tentet sine Metropolis Episcopo, neque ille sine reliquorum sententia.

In hoc canone renouato, duo obserue : primum est, canonis vetustas ; alterum, Metropolis Episcopo non semper hanc fuisse commissam prouinciam, quando causa additur, cur ad Episcopum metropoleos potiùs, quàm ad aliũ quemuis deferẽdæ sint controuersiæ Ecclesiasticæ, cuius cùm non meminerit canon Apostolicus, Metropolis ratione non videntur semper habuisse primi Veteres. Vetustatem huius consuetudinis declarat 7. caput Niceni Concilij. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πεντα πόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον, πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθες ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σῴζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴτις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισεν μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. id est. Antiqua consuetudo valeat, quæ in Aegypto, Lybia & Pentapoli fuit, vt Alexandrinus Episcopus super hæc omnia excellentiam summamq; dignitatem habeat : quoniam & Romano Episcopo hæc ipsa consuetudo est. Similiter autem & apud Antiochiam, & in cæteris prouincijs primatus, dignitas, amplitudo, authoritas Ecclesijs conseruetur. Illud autem omnino constat, quòd si quis sine consensu Metropolitani fiat Episcopus, hunc, magnum Concilium definit Episcopum esse non oportere. Hactenus canon quem pluribus aliorum Conciliorum canonibus, & historijs Ecclesiasticis confirmare, haud est difficile : ex quibus quæ fuerit omnium veterum Patrum de hac re sententia, liquet.

Quòd aliqui putant Patriarchas, & Archiepiscopos primùm creatos à Niceno Concilio, aut vt alij volunt, à Constantinopolitano primo, est error. Nam Nicenum Concilium, quod coactum fuit circa 20. annum imperij Constantini Magni, nihil noui se constituere testatur, quando iubet veterem consuetudinem retineri. Nouum non erat, vnum aliquem Episcopum authoritatem habere supra cæteros suos fratres, certis legibus terminatam.

Quòd nonnulli disputant, multis præesse Ecclesijs diuersarum ciuitatum & prouinciarum, & curam earum habere, Apostolici & Euangelici esse muneris ; & eundem, simul esse Apostolum vel Euangelistam, & Episcopum non posse, quòd distincta sint munera ; eis responderi potest ; Neminem ante nostra tempora ita sensisse, aut scripsisse. Patres, quod acceperant à suis maioribus, testatum in suis scriptis reliquerũt, Iacobum Apostolum à cæteris fuisse constitutum Episcopum Hierosolymitanum. Quæ res causam iustam & necessaria n habuisse videtur, nimirum Ecclesiarum necessitatem. Nam cùm ea mater esset omnium Ecclesiarum, & ex vniuerso orbe Iudæi eò confluerent ; non debuit non habere Apostolum, quandiu licuit, præsidem, qui ad consulta fratrum in controuersijs, quæ quotidie incidere poterant, responderet : Aliàs, circùm vagari per varias gentes, & Euangelium prædicare, certum est, Apostolici esse muneris : vt consistere vno in loco non potuerint, nisi quatenus cogebat necessitas.

Quemadmodum igitur Apostoli officio functi sunt Episcopi, quando vnius Ecclesiæ curam peculiarem susceperunt, id vniuersalis Ecclesiæ postulante necessitate, nec quidquam æstimarunt alienum fecisse à sua vocatione Apostolica, aut eam confudisse cum Episcopali : ita similiter quod propriè ad Apostolos pertinebat, Episcopis fuisse mandatum, non debet censeri à ratione alienum, cùm id exigat bona Ecclesiæ gubernandæ ratio, sicut in Tito & Timotheo scimus fuisse factum.

Sed cùm Canon iubeat antiquam consuetudinem obtinere locum, non institutionem diuinam : illa Patriarcharum potestas consuetudine quadam irrepsisse in Ecclesiam videtur, potiùs quàm diuina ordinatione, aut Apostolica traditione. Respondeo, Canonem non negare ab Apostolis Ecclesiæ relictã esse potestatem gubernandi Ecclesias, Apostolicam : sed vt præter cæteros hi aut illi eam habeant, nempe Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, & Romanus, consuetudinis & dispositionis fuisse Ecclesiæ. Non enim illi Episcopi proximè à Deo Apostolicam accepêre authoritatem, quemadmodum Apostoli, sed ab Ecclesia, & per Ecclesiam : quæ sicut alligata non est certis locis aut Episcopis, ita nec authoritas Apostolica, vt ob iustas causas possit transferri.

Concilium

Concilium Nicenum, aut aliud simile, potuit Patriarchatum Romani Episcopi transferre aliò, & Rauennati aut Aquileiensi iusta de causa, si qua fuisset, eum cõmittere Episcopo. Idem dico de Antiocheno & Alexandrino. Hanc potestatem se habere, Episcoporum Concilia satis demonstrarunt, quando in omnibus Romano Episcopo parem fecerunt Constantinopolitanum. Vnde satis apparet, prærogatiuam Apostolicæ potestatis, non successionibus, sed vrbium commoditati fuisse datam. Quod igitur canon consuetudini tribuit, non tollit institutionem diuinam.

Sed vt redeam ad proximos successores Apostolorum & Euangelistarum, Titum, Timotheum, & cæteros, quos sacræ Literæ commemorant, adiutores assumptos ab Apostolis: fuisse Episcopos, & pluribus præfectos Ecclesijs, vetus traditio habet. Nihil enim hæc inter se pugnant, Episcopum agere, & Apostoli ac Euangelistæ opus exequi: Idem munus Episcopi & Apostoli esse; nisi quòd huius quàm illius sit amplius, latiúsq; pateat, communis Patrum sententia est. Cyprianus Epistola decima, ita scribit: *Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem, post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt.* Hæc Cyprianus: ex cuius verbis intelligimus, Episcopatum esse Apostolatum, sicut Apostolatus Episcopatus quidam est.

Apostolus Petrus in Actis, Apostolatum Iudæ vocat Episcopatum. Similiter Augustinus: *Nam nemo ignorat Episcopos Saluatorem Ecclesiis instituisse. Ipse enim priusquàm in cœlos ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinauit eos Episcopos.* Et Ambrosius in locum 4. capitis Epistolæ ad Ephesios, vbi Apostolus ait, datos Ecclesiæ quosdam Apostolos, ita scribit. *Apostoli Episcopi sunt, Prophetæ verò sunt explanatores Scripturarum, qui ordo nunc potest esse Presbyterij: nam in Episcopo omnes ordines sunt: quia primus sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, cætera ad implenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.*

August. Noui Testam. quæst. 14.

Theodoretus in prima ad Timotheum, cap. 3. *Eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos, eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos: procedente autem tempore, Apostolatus nomen reliquerunt eis, qui verè erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem imposuerunt eis, qui olim appellabantur Apostoli: ita Philippensium erat Apostolus Epaphroditus, &c. ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus.* Hæc Theodoretus.

Patres verò qui ætatem Apostolorum sequuti sunt, regiminis formam acceptam ab Apostolis mutandam non iudicarunt: quod certè fecissent, si temporariam Titi & Timothei regiminis formam, & extraordinariam credidissent. Neque enim verisimile est Timotheum & Titum, alioſque, quibus per vniuersum orbem similis prouincia ab Apostolis tradita fuerat, id ignorauisse. Augustinus exponens illud Psalmi 44. *Pro patribus nati sunt tibi filij*, docet, Episcopos successisse Apostolis. Nisi veteres habuisse Episcopos, & Primates, inde ab illis primis Apostolorum temporibus, negare, esset impudentiæ; & rem manifestam probare, superfluæ cuiusdam diligentiæ, pluribus citandis Patribus immorarer.

Sed hoc non controuertitur: quæritur enim vtrùm diuinus an humanus sit Episcoporum ordo, qui consuetudine magis quàm Dominica institutione irrepserit in Ecclesiam. Ex confessis igitur controuersa dijudicemus.

Episcopi sunt diuina institutione, & Apostolica traditione ordinati.

CAP. XXI.

APostolos nihil constituisse in Ecclesia, quod à Domino non acceperant, certum est. Crearunt autem Episcopos, qualis fuit Titus, & Timotheus, vbicunque opus fuit. Nisi enim per orbem vniuersum dispersi Apostoli Episcopos constituissent, tantus & tam vniuersalis consensus eos non approbasset. Nam cùm locorum immensis spacijs ab inuicem distarent Ecclesiæ, mirum esset, nullam Ecclesiam retinuisse diuinum illud, quod creditur esse, regimen, cuiusmodi hodie in Ecclesijs quibusdam reformatis conspicitur. Non potuerunt Ecclesiæ in rebus adiaphoris, de quibus nihil certi traditum fuit ab Apostolis,

Apostolis, non plurimùm inter se variare: miraculum certè maximum esset, in hac vna re potuisse consentire, & simul tanto consensu & tam vniuersali, traditionem Apostolici regiminis mutare.

Omnes orthodoxi crediderunt se in hac re sequi traditionem Apostolicam, & diuinam institutionem. Irenæus lib.3. cap.3. aduersus hæreses scribit. *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestam, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum, vsq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur.* Ex quibus verbis apparet, traditionem esse Apostolicam, & institutionem diuinam, quod in omnibus Ecclesijs, ab Apostolis institutis, fuit receptum: atqui Episcoporum ordo vbique ab omnibus Ecclesijs fuit receptus: traditio igitur est Apostolica, & institutio diuina. Cyprianus lib.4. Epist.9. *Vndè* (inquit) *schismata & hæreses obortæ sunt, & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? &c.* Idem Epistola 27. ordine Epistolarum, citans illud Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* infert, quòd inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cùm hoc itaq; diuina lege fundatum sit, miror quosdam, &c.

Inter Episcopum & Presbyterum nihil discriminis esse, fuit opinio Aërij, quæ hæresis est habita à Patribus.

CAP. XXII.

HIc audiuimus dignationem Dei & diuinam legem, quibus Episcoporum authoritatem niti crediderunt. Præterea, nisi verbo Dei Episcoporum ordinem fuisse constitutum orthodoxi Patres credidissent, nunquam inter hæreses Aërij opinionem numerâssent: qui post 300. annos ab Apostolorum temporibus, primus asserere ausus est, nihil inter Episcopum & Presbyterum interesse. De quo Epiphanius scribit, quòd sermo ei erat furiosus, magis quàm humanæ conditionis; quem & refert idem Pater dicere solitum: *Quid est Episcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo: vnus enim ordo est, & vnus* (inquit) *honor, & vna dignitas. Imponit manus Episcopus, sedet Episcopus in throno; sedet etiam Presbyter.* Hæc Aërius. Epiphanius contrà, primò ostendit, Episcopum creare Presbyteros, & non à Presbyteris Episcopum. *Episcoporum* (inquit) *ordo Patrum generator est; Patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum verò non potest generare Patres; per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen Patres & Doctores. Quomodo enim posset Presbyterum creare, qui potestatem imponendi manus non habet in electione?* Et ad rationes Aërij respondet, quòd eum deceperit nugacitas ipsius, & æmulatio, & ignarus fuerit historiarum veterum, quòd cùm recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata, velut habebat, scripsit. Vbi enim erant iam Episcopi constituti, scripsit Episcopis & Diaconis: non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere; Presbyteris enim opus erat, & Diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Vbi verò non inuentus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo: vbi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cùm autem multitudo non esset, non inuenti sunt inter ipsos qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Verùm sine Diacono impossibile est esse Episcopum: & curam adhibuit sanctus Apostolus, vt Diaconi essent Episcopo. Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis, prout ratio temporis locíque exigebat. Nam singulæ res non ab initio habuerunt omnia: sed progressu temporis, ea quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur, &c. Confirmat hæc exemplo populi Israëlitici, cui præfuit Moses, qui non vno die, sed tempore illam formauit remp. & quemadmodum errasset olim, qui reformandæ Ecclesiæ Israëliticæ exemplum sumere voluisset ab ipsius imperfecto, & nondum plenè formato statu: ita hodie errant, qui ad imperfecta initia Ecclesiæ, eius statum reuocant. Itaque infert Epiphanius hoc modo. *Sic etiam* (inquit) *quæ apud Apostolũ scripta sunt, donec ampliata est Ecclesia, donec ad propriã mensuram deuenit, donec ornatu intelligẽtiæ iustissimæ*

ex Patre & Filio & Spiritu sancto gubernata est. Multa intelligit Epiphanius defuisse, & posteà eundem non esse Presbyterum & Episcopum, ex eo quod Paulus ad Tim. qui Episcopus erat, scribit, *Aduersus Presbyterum ne citò admiseris accusationem, nisi coram duobus aut tribus testibus*: & non dixit ad aliquem Presbyterum, Ne admiseris accusationem contra Episcopũ, &c. Epiphanij sententiam confirmat Augustinus, qui hunc Aërij errorẽ inter hæreses numerat.

Refutatio sententiæ Hieronymi.

CAP. XXIII.

QVod obijci solet ex Hieronymo in 1. cap. Epist. ad Titum, Episcopos magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, &c. dico priuatam fuisse Hieronymi opinionem, consentaneam cum Aërio, & Dei verbo contrariam. Idcirco nobis examinanda erunt ipsius argumenta, ne temerè ab eo, & ab alijs pijs & doctis viris, qui idem sentiunt, recessisse videamur. Dicit igitur: *Antequàm diaboli instinctu studia in Ecclesia fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquàm verò vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur, &c.* Quod hîc dicitur, communi Presbyterorum consilio Ecclesias in principio fuisse gubernatas, non diffiteor: sed hoc non arguit Dominicæ institutionis Episcopos non fuisse postea præpositos Ecclesiæ, non magis quàm Presbyteros & Diaconos, non ex ordinatione diuina creatos ab Apostolis, quia Ecclesiæ absque Presbyteris, à Diaconis sub Apostolis regebantur, antequam crearentur Diaconi & Presbyteri. Nam Apostolos rexisse Ecclesias per seipsos, & alios quosdam suos adiutores, antequàm Ecclesijs Presbyteros ordinarent, ex Epistola ad Titum cuiuis notum est: & quisquis habet aliquid iudicij, ex ipsa re facilè intelligere potest, in illis primordijs, dum subinde visitari potuerunt Ecclesiæ ab Apostolis & eorum collegis, alios non opus fuisse dari Ecclesiæ Episcopos: sufficiebant Presbyteri, qui Episcopi (dum nulli alij erant præter Apostolos) dici potuerunt. Fateor igitur quoddam fuisse tempus, quando Ecclesiæ cõmuni consilio totius plebis regebãtur, vt in Creta ante creationẽ Presbyterorum, & Corinthi, & Romæ: quæ postea nactæ Presbyteros, vt Philippis & Ephesi, illorum consilio gubernatæ sunt: sub cura tamen & inspectione Apostolorum, & Euangelistarũ.

Sed inde non sequitur, ab Apostolis, vbi viros idoneos Deus dedit, non fuisse præfectos singulis Ecclesijs singulos Episcopos supra ipsos Presbyteros, qui in Apostolorum locum succederent, & illa eadem præstarent, quæ ipsi præstitissent, si vbiq; semper præsentes Ecclesijs adesse, aut semper viuere potuissent. Quid enim opus erat Episcopis, quamdiu ipsi Apostoli Episcoporum fungebãtur officio? Sed cùm in orbe vniuerso cresceret quotidie numerus Ecclesiarũ, & in Ecclesijs multitudo Christianorũ, vt nec in vno loco manere, nec ad omnia loca potuerint ire Apostoli, quæ ipsos desiderabant, & libenter inuisissent si fuisset in ipsorum potestate: tandem crearunt Episcopos, quibus suas mandarunt partes, cuiusmodi fuerunt Titus & Timotheus, & plures alij, eadem Domini institutione, qua creabant Presbyteros.

Quod Hieronymus ait magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Episcopos Presbyteris esse maiores, similitudinem veri nullam habere, doceo primò à tempore quando dicit cœpisse illam consuetudinem. *Antequàm* (inquit) *diaboli instinctu studia in Ecclesia nascerentur, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur, &c. Illa verò schismata sub Apostolis nata sunt, ergo tunc illa incepit consuetudo, & ipsi Apostoli, vitandi schismatis causa, mutârunt Dominicam dispositionem.* Quod perabsurdum mihi videtur dicere. Dominus noster, qui est Dei sapientia, longè melius nôrat, quid vtile & necessarium esset præcauendis schismatibus, quàm Apostoli. Quorum vt non fuit plus sapere in hac re velle videri: ita non fuit ipsorum ob vnius Ecclesiæ peccatum mutare Domini institutionem.

Deinde, vnde nouit Hieronymus ante illa nata schismata, Corinthiacam Ecclesiam habuisse Presbyteros, quorum consilio regeretur? Magis probabile est ex Apostolis

Pauli

Pauli, nullos adhuc tunc habuisse proprios Presbyteros. Si quis excipiat, post Apostolorum tempora id accidisse, & Hieronymum non tam respexisse Corinthiacam Ecclesiam, quàm alias complures, quæ in schismata inciderant, & idcirco non dixisse Corinthi, sed in populis: Respondeo, id dici non sat esse, sed ex historijs demonstrandum esse, quæ illa fuerint scihismata, & vbi, & quando nata, & quomodo inde tam vniuersalis consuetudo fuerit profecta. In Apoc. 1. leguntur angeli præfecti 7. Ecclesijs, quarum vna fuit Ephesus, quam constat antea plures habuisse Episcopos, sicut etiam Philippis; quos diximus fuisse tantùm Presbyteros. Dico igitur in Ecclesiarum primordijs fuisse tempus, quando nullos habuerunt nec Presbyteros nec Episcopos, præter Apostolos & Euangelistas, eorúmque coadiutores, vt in Creta: nam omnium fuere eadem principia. Num idcirco dicemus, non diuina institutione, sed consuetudine, præfectos Ecclesijs Presbyteros contra Dominicam dispositionem, quia sine Presbyteris sub Apostolis seipsas gubernarunt Ecclesiæ, & postquàm Democratico regimine abusæ sunt, consuetudine regimen commissum fuisse Presbyteris?

Præterea, si hæc argumentandi ratio valeret; contra Diaconorum institutionem similiter hoc pacto argumẽtari liceret, ac dicere. Non Dominica dispositione fuisse ordinatos, quia ab initio nulli erant, quamdiu credentium erat cor vnum & anima vna, & nemo, quod possidebat, suum esse dicebat: sed postquàm diaboli instinctu, murmur Græcorum contra Hebræos exortum est, creati fuerunt Diaconi; ergo consuetudine, non institutione Dominica ordinati fuerunt in Ecclesia; quod non consequi omnes vident. Nam etsi alias præter murmurationem causas adiungant Apostoli, creatio tamen Diaconorum inde nata fuit. Itaque dico, quamuis ex schismate natam esse fateremur primam creandi causam vnius Episcopi supra cæteros Presbyteros, non inde fieri consequens, ob illam solam causam id esse factum, aut non esse Dominicam institutionem.

Occasio hæc creationis vnius Episcopi, quam adfert Hieronymus, nimis incerta coniectura est, nullâ nixa probabili ratione, quòd propter vnius Ecclesiæ contentiones, Apostoli contra Dominicam institutionem, per vniuersum terrarum orbem, Ecclesijs, & Presbyteris, qui nil peccârant, vnum præfecerint Episcopum; iniquum hoc nimis fuisset.

Postremò, nos non legimus Corinthiacæ Ecclesiæ Presbyteros præbuisse schismatis causam, sed captam à plebe occasione suorum Doctorum, à quibus in fide aut instituti, aut baptizati fuerant. De præceptoris sui præstantia superbiendo, quemadmodum de parentibus & natiuitatis loco, aliisque id genus plurimis, vanitatem humani ingenij inflari solêre, notum est. Illi, vnde schismatis occasio nascebatur, Corinthi non erant præsentes, vt ad vitandum schisma, Presbyteri, qui sub vno Episcopo in ordinem erant cogendi, fuerint ipse Paulus, Cephas, Apollos, aliique plures, de quibus quisq; gloriabatur.

Mihi certè vana videtur hæc Hieronymi cogitatio, quale est quod addit de decreto facto in toto orbe. Quando obsecro, & à quibus potuit illud decretum fieri? quomodò tanto consensu recipi, contra primam, secundùm Domini voluntatem, Presbyterorum ordinationem? Nam per omnes totius vniuersi orbis Ecclesias Episcopi semper fuerunt supra cæteros Presbyteros, authoritate & dignitate superiores. Institutionem Dominicam Paulum mutasse, & vt id voluisset, potuisse, non est probabile. Cæteri Apostoli qui erant per varias nationes dispersi, ignorabant quid ageretur Corinthi, vt decreto Pauli addidisse credantur suum calculum. Sed vt demus schisma illud Corinthiacum ad eorum peruenisse notitiam, & ex diuersis & maximè remotis orbis partibus miraculo aliquo simul conuenisse: cui probabitur, vitandi schismatis causa, in mutationem Dominicæ institutionis consensisse?

Post Apostolorum tempora multò minùs fieri potuit, vt omnes Ecclesiæ conuenerint, aut consenserint in abrogationem ordinis accepti ab Apostolis, & à Domino instituti. Aliquæ saltem primam institutionem retinuissent. Antiquitatis huius consuetudinis ipse Hieronymus testis est, cùm hic, tum in Epistola quam scripsit ad Euagrium. *Alexandriæ* (inquit) *à Marco Euangelista vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri, vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant; quomodo si exercitus Imperatorem faciat, &c.* Sed falli Lectorem hîc nolo, & credere ex his verbis Hieronymi, Presbytèrôs semper vnum ex suo collegio collocasse in excelsiori gradu:

sunt innumera exempla, quibus docetur, præteritis Presbyteris, à populo & Clero sæpè electos fuisse aut Diaconos, aut alios qui non censebantur in Clero. Vnde apparet, decretum illud Ecclesias ignorasse, nec eius vnquam in electionibus Episcoporum habuisse rationem, vt ex Presbyteris vnum, qui præesset cæteris, eligerent Episcopum.

Esto tamen; demus Hieronymo, decretum quod cogitauit, fuisse factum: aut illud contra Domini institutionem factum est, & dicendum, Patres omnes & omnia Concilia errauisse, quod de nulla alia re dici potest, & non potuisse docuimus: aut de re adiaphora, quæ in eorum fuit potestate à quibus emanauit, esse factum oportet. Et qui sumus nos, qui decretum, cui totus Christianus orbis paruit, contemnere audemus? Dico igitur priuatam, & particularem hanc fuisse Hieronymi opinionem, & contrariam communi sententiæ omnium ferè Patrum, qui aut Hieronymum præcesserant, aut illa ætate simul cum eo viuebant.

Idcirco cùm non ignoraret sibi posse obijci, hanc ipsius, non Scripturarum esse sententiam; eam Scripturis confirmare conatur, citata Pauli ad Philippenses Epistola, in qua salutem dicit Episcopis, & Diaconis illius Ecclesiæ: item vigesimo capite Actorum, & primæ Epistolæ ad Titum, vbi illi, qui Presbyteri erant, vocantur Episcopi. Quibus locis antequàm respondeam, Theodoretum audire operæ pretium est. Is exponens hunc locum Pauli, ita scribit. *Episcopos appellant Presbyteros: vtrumque enim nomen habebant illo tempore, vt patet ex vigesimo capite Actorum, & ad Titum primo capite. Episcopis enim coniungit Diaconos, cùm de Presbyteris nullam fecisset mentionem: aliquin nec fieri quidem poterat, vt multi Episcopi essent vnius ciuitatis Pastores, quo fit, vt essent vnius ciuitatis Presbyteri, quos nominant Episcopos. Beatum autem Epaphroditum in hac Epistola nominauit eorum Apostolum: Vestrum enim (inquit) Apostolum, & necessitatis meæ adiutorem. Apertè ergo docuit Episcopalem dispensationem ei fuisse creditam, cùm haberet appellationem Apostoli.* Hæc Theodoretus.

Error Hieronymi & Aërij nascitur ex vocabulorum (Presbyteri & Episcopi) generali & promiscuo vsu, qui tunc temporis fuit. Sed cùm idem accidat dictioni (Apostolus) mirum videri potest, cur illic potiùs quàm hìc erretur. Nam quòd Barnabas, Epaphroditus, & alij complures nominantur Apostoli, nemo vnquam credidit nullum discrimen esse inter illos, & 12. viros. Sed quia vocationis 12. Apostolorum, Pauli, & aliorum, qui similiter dicti sunt Apostoli, notior est historia, quàm eorum, qui communi vocabulo Presbyteri & Episcopi dicti sunt, obscuritas tenet hanc rem inuolutam ijs qui latentes historias in actis, & scriptis Apostolicis nesciunt eruere, & propter communionem nominis nihil interesse inter eos, qui ijsdem significantur nominibus creditur. Quemadmodum nomen (Apostolus) turpiter falleret, si æquare 12. viris eos omnes quis vellet, quibus hoc nomen tribuitur; ita fallit *Episcopi* vocabulum tributum duplici Presbyterorum ordini. Varius est eiusdem vocabuli vsus, & non rarò speciem & genus eadem dictio significat. Gratiâ exempli, malitia, virtus, iustitia, modò generalem quandam significationem obtinet, modò contractiorem. Idem de hoc vocabulo *Presbyter* censendum est, quòd generalitate suæ significationis omnes Pastores complectitur, adeò vt Apostoli etiam vocentur Presbyteri, cùm infimus Pastorum ordo hoc peculiare nomen habeat. Præterea, inest dictionibus etymon, secundùm quod eas similiter accidit vsurpari: quo modo Episcopi, non tantùm Presbyteri, sed ipsi etiam Apostoli nuncupantur.

Exemplum in rebus & nominibus ciuilibus inueniemus, & Regum, Ducum, Comitum, Equitum, Militum, ac Baronum vocabulis idem accidere, quæ pluribus tribuuntur, qui magno interuallo dignitatis & honoris inter se distant. Nam magnum Regem sub se habere alios subiectos reges, nouum non est. Idem dico de Ducibus, qui sub se alios habent duces beneficiarios, quibus imperant: & Comites nonnulli, vt Flandriæ, & Rheni Palatinus, domini sunt aliorum Comitum. Quid opus est de Equitibus, Militibus, & Baronibus loquar, quibus, sub eodē nomine maxima est distantia potestatis, & dignitatis? Ridiculum se exhiberet ipsis pueris, qui ex communi nomine æqualitatem inferret. At alia (dicit quispiam) Ministerij Ecclesiastici, & ciuilis gubernationis ratio est. Respondeo, me non conferre ministeria ministerijs, sed nomina nominibus in significandi ratione,

vt

vt appareat quàm futilis sit ratio, quæ ex communibus vocabulis rerum & personarum tollit discrimen.

Quamuis igitur nostræ ætatis magni nominis Scriptores, vnius Episcopen supra cæreros Presbyteros abolendam censent, tanquam ea, consuetudine, & hominum voluntate locum obtinuerit in Ecclesia Christi, contra Dominicæ dispositionis veritatem: tamen apud me plus valet consensus vniuersalis omnium totius orbis Ecclesiarum, consentiens cum verbo Dei, quàm Aërij hæretici, aut Hieronymi allucinantis in verborum ambiguitate, & primorum temporum Ecclesiæ conditione.

Nam ex verbo Dei hoc manifestum est, ætate Ioannis Apostoli septem Asiæ Ecclesias septem habuisse Episcopos diuina, non humana ordinatione sibi præfectos. Cùm enim Spiritus sanctus illic nihil dissimulet eorum quæ petcârant aut Angeli ipsi, aut qui sub eorum erant regimine constituti; ambitiosam, quæ multis videtur, innouationem recèns in Ecclesiam inuectam, contra Domini institutionem, sine reprehensione nunquàm præterijsset. Etenim illæ Ecclesiæ plures habuerint Presbyteros; non tamen pluribus Presbyteris aut Presbyterorum collegijs vitio vertitur, quod in Ecclesijs peccabatur, sed singulos singularum Ecclesiarum Angelos alloquitur: quorum nisi eminentior in Ecclesiæ regimine fuisset authoritas, soli culpam & vituperium malè obitæ functionis non sustinerent.

Quidam nostri temporis Scriptor hanc hæresim (siue errorem mauis dicere) defendere, aut saltem excusare conatur: sed rationes, quibus id facit, sunt adeò in Concilia & veteres Patres contumelioſæ, vt me earum pudeat. Aërius tanquam bonus vir excusatur, & Patres apertè superbiæ & tyrannidis insimulantur: qui cùm nihil adferat solidi refutatione dignum, præter ea quæ suprà ex Hieronymo attulimus, eius argumenta non tangam.

Quantò Christianiùs & modestiùs clarissimus vir, pietate & rara eruditione reuerendus senex, Hieronymus Zanchius, in sua Confessione scripsit, quid de hac controuersia sentiret? Ipsius hæc sunt verba: *Fides autem mea nititur cum primis & simpliciter verbo Dei; deinde nonnihil etiam communi totius veteris Catholicæ Ecclesiæ consensu, si cum sacris Literis non pugnet: credo enim quæ à pijs Patribus in nomine Domini congregatis, communi omnium consensu, citra vllam sacrarum Literarum contradictionem definita, & recepta fuerunt, ea etiam (quanquam haud eiusdem cum sacris Literis authoritatis) à Spiritu sancto esse. Hinc fit vt quæ sint huiusmodi, ea ego improbare nec velim, nec audeam bona conscientia. Quid autem certius ex historijs, ex Concilijs, & ex omnium Patrum scriptis, quàm illos Ministrorum ordines (de quibus diximus) communi totius Reipub. Christiana consensu in Ecclesia constitutos receptósque fuisse? Quis autem ego sum, qui quod tota Ecclesia approbauit, improbem? Sed neque omnes nostri temporis docti viri improbare ausi sunt, quippe qui norunt, & licuisse hæc Ecclesiæ, & ex pietate atque ad optimos fines pro electorum ædificatione ea omnia fuisse perfecta & ordinata. Fuit mihi præterea habenda ratio illarum etiam Ecclesiarum, quæ licèt Euangelium complexæ sint, suos tamen & re & nomine habuerunt Episcopos. Quid quod in Ecclesijs quoque Protestantium, non desunt reipsa Episcopi, & Archiepiscopi, quos (mutatis bonis Græcis nominibus in male Latina) vocant Superintendentes, & Generales Superintendentes? Sed vbi etiam neque vetera illa bona Græca, neque hæc noua malè verba Latina obtinent, ibi tamen solent esse aliquot Primarij, penes quos ferè tota est authoritas. De nominibus ergo fuerint controuersiæ? verùm cùm de rebus conuenit, quid de nominibus altercamur? Interim quemadmodum non improbaui Patres in ea re, de qua est quæstio, sic etiam non possum nostrorum zelum non amare, qui ideò illa nomina oderint, quia metuunt ne cum nominibus vetus etiam ambitio & tyrannis, cum ruina Ecclesiarum, renocetur.*

Hæc reuerendus ille senex Zanchius. Adferrem plura nostri temporis Scriptorum testimonia ad hanc rem confirmandam, si opus esset, qui aut prorsus idem nobiscum sentiunt, aut certè modestissimè contrariam sequuntur sententiam: sed nobis hoc tempore vnus Zanchius instar multorum erit, qui idem sentiunt, ne multitudine testimoniorum plus iusto crescat volumen.

De vno Episcopo in vna diocæsi.

CAP. XXIIII.

POstquàm docuimus illud Ecclesiæ regimen esse institutum à Deo, in quo Pastores parent Pastoribus, & Presbyteri subsunt Episcopis; videndum nobis est, num vna Ecclesia, aut Diocœsis non recipiat duos aut plures Episcopos, eiusdem dignitatis & potestatis. Hierosolymitana Ecclesia duodecim Apostolos, & septuaginta duos Euangelistas, cum Prophetis, habuit Episcopos. Multis exemplis probari potest, vnam Ecclesiam duos habuisse Episcopos. Epiphanius contra hæresin Arrianam scribens, de Alexandrina Ecclesia, innuere videtur, hunc morem illa ætate fuisse in multis Ecclesijs, vt duos simul haberent Episcopos, quando in Alexandrina Ecclesia hanc consuetudinem fuisse negat, vt duos simul haberent Episcopos. Respondeo, duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos, cum cæteris, qui ad tempus manserunt Hierosolymis, Doctores & Episcopos, non vnius illius vrbis & gentis fuisse constitutos, sed totius vniuersi orbis. Quod ad consuetudinem quarundam Ecclesiarum attinet, quæ duos simul eodem tempore habuerunt Episcopos; qualis ille mos fuerit, & quàm rarus & extraordinarius, ex Augustini electione, qui viuo adhuc Valerio Hipponensi Episcopo, factus est Episcopus, disci potest: fuit enim factum contra decreta Niceni concilij. Nulla est tam generalis lex quæ exceptionem nullam patiatur. quandocunque causa subest: scelus non est, vnam Ecclesiam plures habere Pastores eiusdem potestatis: sed an expediat, vsus docebit. Episcopi olim graues æuo, cùm scirent senectuti ætatem aliam nullam succedere, & diem obitus sui esse proximum, nominare successorem, & nonnunquam collegam assumere solebant; idque, turbarum, quæ in electionibus Episcoporum accidere solebant, vitandi causa: aut quia interdum senio & morbo impediti Episcopi, munus Episcopale per se obire non poterant, eligebatur qui senis suppleret vicem, & cum eo in Episcopali throno sederet.

Exemplis vltramarinis Ecclesiæ inductus Valerius Hipponensis Episcopus, Augustinum sibi adiungi, & in suum coaptari locum, se adhuc viuo, obtinuit: quod quàm ægrè, precibus & exemplis victus, admiserit, Epistola 110. testatur: in qua narrantur acta à notarijs excepta in designatione Eradij Presbyteri, successoris futuri Augustini in Episcopatu, acclamante & approbante populo: quem his verbis est allocutus. *Scio quod scitis vos,* (inquit) *nempe Eradium idoneum & dignum Episcopatu, sed nolo de illo fieri, quod de me factum est: quid autem factum sit, multis scitis; illis soli nesciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem sciendi. Adhuc in carne posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo; quod concilio Niceno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* Hæc Augustinus.

Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Gregorium Nyssenum scribit de hac consuetudine in hæc verba. *Si verò quis contendat, non oportere, viuo Episcopo, alium eligere, sciat hæc nihil valere contra nos. Omnibus enim manifestum est, quòd non Nazianzeno, verùm Sofronis præpositi sumus, etiamsi ob reuerentiam Patrum, & eorum, qui id à nobis precibus contenderunt, velut hospites præsidentiam suscepimus.* Hæc Nazianzenus. Vnde intelligitur extraordinarium & rarum fuisse, vt duos vna Ecclesia haberet Episcopos. Huius consuetudinis fecit Epiphanius mentionem, vt ostenderet causam cur Athanasius proximè Alexandro non successerit, cùm ab eo esset designatus: nimirùm quòd eo superstite adhuc, creari eum Episcopum, mos Alexandrinæ Ecclesiæ non permiserit.

Nam hoc Episcopi & populus persuasum habebant, vnam Ecclesiam vnum tantùm admittere Episcopum: quando contrà factum est, necessitas, quæ legem non habet, id excusat. Cùm Constantius, precibus nobilium matronarum, Liberium Episcopum ab exilio reuocasset, & eum vellet simul cum Fœlice, qui ei fuerat surrogatus, Ecclesiam Romanam regere: populus auditis literis Imperatoris, illis irrisis, vno ore vociferati sunt, *Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus.* Cyprianus de legitimâ electione Cornelij;

Cùm

Cùm post primum secundus esse non possit; quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus, sed nullus est. Ignatius qui ætatem Cypriani præcessit, & secundus vel tertius ab Apostolis Episcopus Ecclesiæ Antiochenæ numeratur, dona vnius Dei, quæ in Ecclesia sunt, ad vnitatem reuocans, ita scribit: *Vna est caro Domini Iesu, vnus eius sanguis, qui pro nobis effusus est; vnus item panis omnibus confractus est, & vnum poculum vniuersis distributum est, vnum altare toti Ecclesiæ, & vnus Episcopus cum Presbyterorum collegio, &c.* Epist. ad Philadelphin.

Patrum hæc fuit ratio, quòd vnum Deus voluisset in veteri Testamento esse summum sacerdotem: cui quamdiu viuebat surrogari alius non poterat, nisi fortè tetro scelere vitam suam contaminasset, aut casu incidisset in morbum immundum, aut mutilationem corporis, quæ ipsum ineptum obeundo muneri sacerdotali redderet. Quod etsi sacramentum in se contineret, cui hodie locus in Ecclesia relictus non est; politia huius sacramenti, quæ separari ab eo potest, non est contemnenda Christianis.

Si quis dicat, hac ratione Episcopi Romani tyrannidē in omnes Christi Ecclesias posse defendi, rem non rectè accipit: plurimum enim interest inter præfecturam vnius gentis & regionis, ac totius vniuersi orbis. Quàm latissimè patet in omnes Christi Ecclesias, vbicunq; illæ sunt, summum imperium. Nulli vni Apostolo totus orbis commissus fuit. Petro Apostolatus circūcisionis obtigit, & Paulo præputij, sed ita tamen, vt socios non excluderent, & collegas eiusdem secum potestatis. Iacobus Iudæorum fuit Apostolus, qui Hierosolymis, & in Iudæa degebant: Petrus eorum qui dispersi inter gentes erant; Paulus verò inter Græcos Asiæ & Europæ suum Apostolatum circumscripsit, reliquas orbis partes relinquens cæteris Apostolis. Si sua prouincia Romanus Episcopus contentus fuisset, nemo eum impiæ tyrannidis accusaret.

Deinde, cùm constet traditiones Apostolicas, quod Ecclesiæ regimen attinet, & ipsius externam politiam, ex veteri Testamēto ab ipso Seruatore nostro, & posteà ab Apostolis fuisse desumptas, quantum temporum & loci gentisque conditio ferebat; reprehensione vacat, si ex eodem fonte Patres mutuati videntur, ad Ecclesiæ ædificationem, politicas quasdam constitutiones. Hinc Hieronymus ad Euagrium sic scribit. *Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quòd Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.*

Dico igitur; singulis diocœsibus, ac parochijs, quæ veluti vnam ciuitatem constituebant, rectè singulos fuisse ordinatos Episcopos, & similiter toti vni genti ac prouinciæ, vnum siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Primatem, aut Metropolitanum eum voces, optimo exemplo, & diuino consilio fuisse à Concilijs & Veteribus designatum. Sed vt semel hanc disputationem concludam; ex his quæ dixi de Euangelij ministerijs à Domino institutis, & ab Apostolis, qui sequuti sunt, Ecclesiæ relictis, Patrúmque & Conciliorum vnanimi consensu, & totius Ecclesiæ vsu, cognoscere quiuis potest, humanum non esse illud regimen, in quo Presbyteri parent superioribus Episcopis, & Episcopi suis Patriarchis, & Metropolitanis; sed diuinum, atque à Deo, tam in veteri quàm nouo Testamento, institutum.

De nominibus Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Metropolitanorum.

CAP. XXV.

EXpositis rationibus & argumentis, quibus adducor vt dissentiam ab ijs, quibus aliàs plurimum tribuo: nunc respondendum est maledictis quorundam, qui contempta modestia doctissimorum Scriptorum nostri temporis, nomina & munera Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & Patriarcharum, conuitijs lacerant, & infectantur, tanquam inflata, superba, Antichristiana, & impia. Disputant, ab Apostolo Paulo inter ordines ministrorum Euangelij, quos in Epistola ad Ephesios 4. cap. numerat, nullam fieri mentionem Patriarcharum, aut Archiepiscoporum. Sed respondetur, officia contineri nominibus Apostolorum & Euangelistarum; & 12. cap. ad Romanos, 8. versu, sub

vocabulo προϊστάμενος, & ad Corinthios κυβερνήσεις, quibus superiores Pastores significantur. Perpetua autem futura Apostolorum & Euangelistarum munera, superiùs iam à nobis demonstrata sunt, sicut etiam satis apertè indicant verba quæ sequuntur enumerationem ministrorum Euangelij, quando in quem finem Seruator noster dederit Ecclesiæ quosdam quidem Apostolos, alios verò Euangelistas, Paulus addidit, nempe ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Quamdiu enim ædificanda erit Ecclesia, ea manere necesse est ministeria, quæ ibi commemorantur: si sine illis ædificari potuisset Ecclesia, non essent instituta. Quod alia temporaria creduntur, alia perpetua, reuincitur à fine, qui assiduè vsq; ad Domini aduentum consectandus est à fidelibus, quos his ministerijs ædificari, & in vnum mysticum corpus Christi coalescere oportet. Tametsi Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum munus tam latè non pateat sicut 12. Apostolorum, nec eandem Spiritus sancti mensuram consecuti sint: discrimen hoc quantitatis & mensuræ est, non ipsius rei. Quos hodie dicimus Episcopos, Paulus Apostolos vocauit, vtpotè, vti diximus, qui eiusdem muneris essent socij, & authoritatis participes. Hinc passim Archiepiscopi & Patriarchæ vocantur Apostolici.

Quòd hæc vocabula superbiæ tumore inflata, & plena vanitatis vento dicuntur, rationes & argumenta quibus id persuadetur, inspicienda sunt. Primum argumentum ducitur à compositione Græcæ dictionis ἀρχὴ & ἄρχων, quæ principatum & imperium significant proprium magistratui, & alienum à simplicitate & modestia, quam Euangelij doctrina in Pastoribus postulat. Deinde, quòd Concilium Carthaginense prohibuerit quenquam Episcopum, Principem sacerdotum vocari. Canonis verba hæc sunt. Ωστε τῆς πρώτης καθέδρας ἐπίσκοπον μὴ λεγέσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ἢ ἀκρον ἱερέα, ἢ τοῦτο τρόπον τινὰ τοῦτο, ἀλλὰ μονὸν ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας. Quæ Gratianus 99. distinct. sic vertit. *Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotũ, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Præterea, dictio Archi-Episcopus nihil significatione differt à Græco vocabulo ἀρχιποίμην, hoc est, Pastorum princeps: quod nomen soli Christo cùm sit proprium, excusari à sacrilegio non posse videtur, qui illud vsurpat: proinde eliminanda sunt Christi Ecclesiâ omnia huiusmodi vocabula, & prorsus abolenda: Nec futilis nominum disputatio censenda est, quibus gloriæ Christi derogatur. Postremò, vocabula quæ ipse Antichristus, aut Antichristi spiritus inuexit, aut inuenit, vitanda sunt veritatis cultoribus. Sed horum vocabulorum authorem fuisse Antichristum constat: sunt igitur vitanda. Respondeo, significationem horum nominum, vi compositionis nihil habere inflati aut superbi: Græca enim dictio ἀρχὴ non tantùm imperium & magistratum significat, sed primum principium, & primam causam ac originem alicuius rei: & in compositione naturam dictionis sequitur, cum qua componitur: ac ita, cùm Episcopi vocabulum nihil significet quod superbum sit, quocunque modo accipiatur, superbi in se nihil habet; sicut apparet in dictionibus architectus, archiatros, archibubulcus. Sed dico de dictione Archi-Episcopus, non tam dominum & principem Episcoporum significare, quàm primum & præcipuum Episcopum. Non abhorrerem à Principis vocabulo, si nunc (vt propriè Latinis) tantùm primum & primarium virum significaret: sed cum vsu augustiorem significationem obtinuerit, vt accipiatur pro eo qui principatum & summam potestatem habet, aut abstinebo ab eo, aut parciùs vtar. Idem de dictione ἄρχων est dicendum, quod non semper Græcis significat magistratum, sed primum alicuius rei authorem ac causam: & Patriarcha, non magis potestatem habentem in alios, & magistratum gerentem, significat, quàm Hæresiarcha, qui ita nominatur, quòd primus author hæresis sit, non quòd imperium exerceat in suæ farinæ homines. Patriarcha propriè stirpis alicuius & gentis primum parentem significat. A significatione translata dictio est, vt significet Archiepiscopum, quòd ipse inter cæteros Episcopos, qui Patres habentur, sit veluti primus Pater, & vt imperium quod in alios habet, paternum intelligatur, non regium aut tyrannicũ. Modestiæ causa igitur Patriarchæ & Archiepiscopi appellati potiùs sunt, quàm ἔξαρχοι τῶν ἱερέων, vt omnes intelligerent, non aliud in suos fratres & coëpiscopos habere imperium, quàm Paulus habuit in Titum, & Timotheum; & illi similiter in alios Presbyteros, & Episcopos. Et sic apparet hic nullum nomen dari Episcopo primæ sedis, vetitum canone Carthaginensis Concilij; cùm

Patri-

Patriarcha & Archiepiſcopus nihil aliud ſignificent ſimplici & vero ſenſu, quàm primum Epiſcopum: ſi qui princeps legatur Epiſcoporum apud eos qui puriùs ſcripſerunt Latinè, neminem id offendere debet: nam vt notaui, idem principis vocabulum, quod primum & præcipuum ſignificat. Ita Ambroſius (vt alios omittam) in Pauli Epiſtolam ad Epheſios cap. 4. ſcripſit. *In Epiſcopo* (inquit) *ſunt omnes Ordines, quia primus ſacerdos, hoc eſt, Princeps ſacerdotum, & Propheta, & Euangeliſta.* Quod dictionem *Archiepiſcopus* ſignificare contendunt idem quod ἀρχιποίμην apud Petrum, demiror plurimùm ab eruditis viris & linguarum peritis proficiſci. Dixi modò quid Archiepiſcopus ſignificet, & quid dictio ἀρχὴ & ἄρχων in compoſitione valeat. Quocirca cùm in compoſitione huius dictionis ἀρχιποίμην, ſicut in cæteris, pro primo Paſtore alicuius loci, aut gentis poſſit accipi, æquè ac pro ſummo principe & Domino Paſtorum; non video cur de homine, qui primum locum inter Paſtores obtinet, non poſſit dici. Cùm autem Chriſtum ſignificat, propter ſummum imperium quod in omnes Paſtores habet, tanquam omnium & gregis & Paſtorum Dominus; variat ſignificatio, in qua nemo eſt noſtrorum Archiepiſcoporum qui ſe dicat, aut dici patiatur Archiepiſcopum. Chriſtus vocatur ὁ ἀρχιποίμην κατ' ἐξοχήν: cùm Archiepiſcopi in Eccleſia non ſimpliciter ſic dicantur, ſed huius vel illius ſedis Archiepiſcopi, cuius Suffraganei, ſiue Coepiſcopi totius huiuſmodi prouinciæ ſatis noti ſunt: inter quos ſolùm primarius moderator conſtituitur, eorúmque, non aliorum abſolutè omnium, dicitur Archiepiſcopus. Cùm igitur tantùm ſignificetur primus & præcipuus Paſtor alicuius prouinciæ, nihilo plus derogatur Chriſti gloriæ, quàm quando Presbyteros & Epiſcopos vocamus Paſtores & Doctores: cùm ipſe Chriſtus ſolus propriè ſit noſter Doctor & Magiſter, & ſolus noſter verus bonus Paſtor, qui animam ſuam dedit pro nobis. Similiter quamuis Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, noſter pater ſit, qui eſt in cœlis: mortales tamē, patres noſtros vocare, citra Dei iniuriam conceditur. Polyſema hæc eſſe nomina qui non ignorat, & diuerſis rebus diuerſa ratione tribui, ludere in re maximè ſeria, ad vanam ingenij oſtentationem, & lectorum perniciem videtur. Quamobrem conſtituto quod ſuprà docuimus, in regimine Eccleſiæ inſtitutione diuina fuiſſe præpoſitos Epiſcopis & Presbyteris ſuperiores Epiſcopos, aptioribus vocabulis illa diuerſitas poſt Apoſtolorum deceſſum exprimi non potuit, quàm Patriarchæ & Archiepiſcopi: in quibus (ſi ſeponas faſtum & tyrannidem eorum, qui ſua authoritate abutuntur, aut abuſi ſunt, & ſegniùs quàm decet ſuum munus obierunt) minus inſit timoris aut ſuperbiæ.

At (inquiet aliquis) Epiſcopi & Archiepiſcopi ſæculares curas amplectuntur, & ciuilis magiſtratus honores inuadunt, eorúmque ornantur titulis: quæ omnia quàm ſint contraria Euangelij doctrinæ, & huic nominum interpretationi, quis non videt? Sed alienum hoc eſt ab inſtituta diſputatione: non hoc nunc hic quæritur: ſuo loco poſtea dicam de hac re quid mihi videatur.

Puta (candide Lector) me non eos defendere qui hodie viuunt; qui dum videntur, inuidentur: ſed pios Chriſti ſeruos, qui cum magno fructu olim præfuerunt Eccleſiæ, antequàm Romana tyrannis Chriſti oppreſſerat Eccleſias: nempe Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyſenum, Baſilium Magnum, Athanaſium, Ioannem Chryſoſtomum, Cyprianum, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Ambroſium, Auguſtinum, & ſimiles: quorum vita, vt remotior à noſtra ætate, ita & ab inuidia. Dico igitur, me hos Patres, quos Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Patriarchas fuiſſe conſtat, & cum præcipua quadam poteſtate ſupra reliquos ſuos fratres gubernaſſe Eccleſias, vllius ſuperbiæ aut Antichriſtianiſmi me non poſſe damnare. Si quis habet diſcretionis ſpirituum maius donum, eo vtatur per me licet; ſed videat ne ſit ſpiritus temeritatis. Equidem nullum Antichriſti ſpiritum in illis patribus poſſum agnoſcere. Homines fuiſſe ſcio, & habuiſſe ſuos errores, tamen in hac re eorum ſcripta maiorem authoritatem apud me habent, quàm eorum, qui noſtra ætate, & noſtra memoria, de hac re ſcripſerunt.

Nomina hæc igitur, ſcilicet Archiepiſcoporum, ego nego ab Antichriſto inuenta: hoc primum: deinde dico, non promiſcuè reijciendum quicquid ab Antichriſto fuit vſurpatum, aut etiam inuentum: quia bona & vera nonnulla neceſſariò inuenit, vt multa mala & falſa tegeret. Ipſe Sathan in Angelum lucis ſe transformat, vt commodiùs fallat: ſanctitatem

tatem simulat, vt in scelus impellat: veritatem propugnat, vt in errorem inducat. Nam se palàm proderet, si nihil nisi mala & falsa doceret: & ita neminem facilè deciperet, nec ipsius regnum diu subsisteret. Nihil ineptius hac conclusione, qua sic infertur: Hoc Antichristus docet, ergo falsum: Hoc Antichristus inuenit, ergo malum: nisi addatur, aut saltem intelligatur, id esse contra verbum Dei. Gratiâ exempli: Quod à Spiritu sancto edoctus fuerat Petrus, id fide confessus est, nempe Iesum esse Christum, & Dei filium; fatetur idem ore Antichristus, & negantem flammis necandum trahi iubet: sacros verbi Dei codices recipit; & assiduò orandum esse, quia Dominus docuit; Ipse diem in nocturnas & diurnas precandi horas distribuit. Sed ieiunijs, & precibus, sacris codicibus, & ipsa confessione filij Dei ad superstitionem quia abutitur, num iccirco hæc repudiabimus? Ordinem ministrorum Ecclesiæ in precio esse voluit, & non infimum honoris gradum in repub. Christiana tenere. Quid? ne similes eis simus, probris & ignominia Christi seruos afficiemus? & in ipsa fæce plebis iacêre sinemus? Si imprudentes, contradicendi studio, quidquid dicit & facit Romanus Episcopus, auersari pergant; ipsi tandem totam religionem Christianam deserent. Nulla igitur ratione mouetur, quisquis repudiandum quidpiam censet, quia aut ipsius author, aut eo abusus ad tyrannidem, aut ad superstitionem, Episcopus Romanus fuerit.

In tria genera distribui possunt quæcunque in Romana Ecclesia, quæ nunc est, conspiciuntur. Quædam cum verbo Dei consentiunt, quædam planè ei aduersantur, plæráque sunt huiusmodi, qualis eorum est vsus bonus vel malus, quæ media aut indifferentia vocantur. Tametsi bonis rebus abutantur mali, naturam illæ ideo non mutant. Verbum Dei, Baptismum, & quidquid prætera apud Romanistas est, nemo sanus repudiare potest, tanquam mala, quia apud illos sunt. Malis verò quia nemo vnquam bene vtitur, penitùs deserenda sunt, cuiusmodi est omne genus idololatriæ, & quidquid doctrinam sanam euertit. Media cùm sint huiusmodi, vt is est qui illis vtitur, in libertate nostra sunt vt eis vtamur, prout res tempusque postulabit. Omnes medium & indifferens censent, quidquid nec vetitum, nec mandatum in verbo Dei legitur, & in arbitrio cuiusq; est relictum, vt vtatur aut non vtatur, nisi aliud interceßat, quod vsum alioqui liberũ, ratione temporis locivè, aut personarum impediat. Ego media & indifferentia sic opinor meliùs definiri, si dicamus ea esse media, quæ nulla lege, nec diuina nec humana vetita, aut mandata sunt: potest enim iussione eius, qui in nos habet imperium, vsus liberæ rei circumscribi multis modis, & multis de causis, quæ fusiùs prosequi huius non est loci. Tantùm hæc noto, vt nouerimus, quæ indifferentia sunt vsurpari à nobis posse, quamuis variè illis fuerit abusus Episcopus Romanus, aut alius quiuis Antichristus: nostram libertatem aliorum superstitio aut impietas non minuit: præsertim vbi accedit publica authoritas, quæ vti aut iubet, aut permittit ijs rebus, quibus superstitiosi & idololatræ abusi sunt. Quocirca quotiescunque aliquid in quæstionem venit, quod apud Romanistas, aut alios veritatis aduersarios vsitatum est, rei ipsius natura consideranda est, non abusus.

Magna hodie acerbitate hîc in Anglicana Ecclesia quidam de vestitu externo, pileis, superpellicijs, musica, organis, & alijs quibusdam ritibus disputant, quæ quia in Romana Ecclesia in vsu sunt, prophana & impia esse contendunt. Item de Episcopis & Archiepiscopis, ac possessionibus eorum, déque honoris gradu, quẽ in repub. Christiana obtinent; quæ nisi probentur contraria verbo Dei, nullam rationem adferri idoneam dico ad eorum abolitionem, quando inuentor aut author dicitur fuisse Antichristus. Mediæ res & indifferentes quibus ad suam tyrannidem est abusus, ad bonum vsum conuerti possunt, Ecclesiæ & reipub. vtilem.

Contentiosis, & quibus iam altiùs insedit adserere Episcopalem authoritatem esse pernicioſam Ecclesijs, hæc mea responsio non satisfecit, scio: & quod dixi de simplici significatione compositarum dictionum cum ἀρχὴ, non recipient. Quare etiamsi mihi simpliciſſima placeat dictionum Patriarchæ & Archiepiscopi interpretatio, quæ est modestissima: id tamen audeo asserere, vt maximè principatum quendam demus vi compositionis significari, inde non conuinci Episcopis non conuenire. Nam hac ratione si exactam dictionum significationem vrgere quis hoc modo velit, & cauillari; nefas erit quenquam mortalem appellare Monarcham, aut αὐτοκράτορα, quòd vera significatione nemini

generis inueniuntur vocabula, vsu recepta, erunt abolenda: proinde ἡγεμόνας, πρεσβύτους, Ecclesiarum ministros appellare non licebit: imò nec Presbyteri quidem vocabulum retinebimus, quia hoc in sacris Literis sit proprium Magistratibus, & Principibus, ac nobilibus prouinciarum; illa verò significent, Imperatores ac belli duces, alioſq; ciuilium rerum præfectos, quibus non minùs sunt propria, quàm ἀρχιερεῦσι: tamen passim Ecclesiarum ministri illis nominibus significantur.

Postremò, si Patrum quicquam valet authoritas, audiamus quomodo à Principis vocabulo non abhorruerint, sed passim ea dederint Episcopis. Origenes reprehendens agrestem austeritatem quorundam Episcoporum, sic scribit. *Et est videre in quibusdam Ecclesiis, præcipuè ciuitatum maximarum, principes populi Christiani nullam affabilitatem habentes, vel habere ad se pertinere æstimantes, &c.* Postea, *Non ista dicimus vt inclinemus Ecclesiasticum Principatum, &c.* In Epist. ad Rom. cap. 13. Ex quo apparet Iudices mundi partem maximam Dei legis implere. Omnia enim crimina quæ vindicare vult Deus, non per Antistites & Principes Ecclesiarum, sed per mundi iudices voluit vindicari. Idem Numerorum Cap. 27. Homilia 22. *Sed discant Ecclesiarum principes, successores sibi non eos qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ Principatum, &c.* Ignatius, *honora* (inquit) *filii Deum, & Regem, ego verò dico, honora quidem Deum vt authorem vniuersorum & Dominum, Episcopum autem vt sacerdotum Principem, imaginem Dei ferentem: Dei quidem per principatum, Christi verò per sacerdotium.* Idem. *Qui honorat Episcopum, à Deo honorabitur, vt itidem qui inhonorat eum, à Deo punietur, &c.* Ibidem plura in hunc sensum. Idem, *Omnia ergo in vobis decenti ordine perficiantur in Christo. Laici Diaconis subditi sint; Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Idem ad Antiochensem Ecclesiam: *Presbyteri, pascite gregem qui vobis commissus est, donec Deus demonstret eum, qui vobis imperaturus est. Ego enim iam immolor vt Christum lucrifaciam, &c.* Quibus verbis sanctus Christi martyr authoritatem Episcopi significauit supra cæteros Presbyteros.

Magna fuit olim Episcoporum in Ecclesia authoritas, magna reuerentia, & apud populum gratia, quod inprimis vtile & necessarium est Ecclesiæ. Quemadmodum in repub. magistratuum gratia apud plebem & authoritas plebi est vtilis, sic etiam Episcoporum in Ecclesia. Rectè sensit Hieronymus salutem Ecclesiæ in summi Sacerdotis dignitate pendere, &c. Non est hic minimus astus Sathanæ, quo in contemptum adducere adnititur Ecclesiarum antistites, vt hoc pacto labefactet fidei doctrinam, eámque in dubium reuocet, vt sic tandem totum Ecclesiæ statum perturbet aut conuellat, si possit. Cui rei qui se ministros præbent, quocunque colore id faciant, pessimè, non tantùm de Ecclesia, sed de tota merentur repub. Quod facit Perduellis in repub. hoc idem facit Schismaticus in Ecclesia.

Quàm iustas causas habeant Episcoporum aduersarij hîc in Anglia, vt eos in odium & inuidiã vocent populi, ad me nihil pertinet, qui arbiter aut iudex inter partes non sedeo: sed hoc dico, idem quod Episcopis in Anglia, vsu venire optimis quibúsque Euangelij ministris in Hollandia; qui illic minori non laborant odio, quàm hîc Episcopi. Quàm petulanter, impunè, professis suis nominibus homines improbi debacchentur publicis scriptis in veros Christi seruos, ipsi libri testantur: quarum iniuriarum ego, qui inter ipsos vixi, cùm non minimam partem tulerim, & feram adhuc, nemini mirum sit si æquiot sim Episcopis: Scio enim hanc communem esse sortem omnium seruorum Dei, & Satanam iam olim ab antiquo omnibus modis conari, inuisos reddere Præpositos Christi Ecclesiæ, vt penitùs sublata, aut valde imminuta eorum authoritate, omne genus heresium faciliùs possit inuehere: adeò vt si ipse Moses, & ipse Petrus & Paulus inter nos viuerent, & in eo precio & honore essent, quem vocationis ipsorum postulat dignitas, istorum hominum liuidos morsus non euaderent. Quamdiu seruorum Christi authoritas in Ecclesia manet integra, minimum est quod diaboli organa perficere queunt: ea vbi pessum it, audent quidlibet: res multa demonstratione non indiget.

Itaque de honoris gradu quem in bene constituta Christiana repub. tenere debent religionis Antistites, paulò liberiùs loqui me cogit nostri temporis iniquitas. Nam religioni debitum honorem deferri, impios non posse ferre, idque operam dare, vt totus intereat, aut vt nullus appareat, mirum non esset: sed id fieri per viros professione religiosos,

giosos, & eos ipsos, quos patronos & defensores esse oportuit dignitatis Ecclesiasticæ, perabsurdum est. Frustrà mihi allegant abusus, quibus non tam abusum, quàm omnem vsum ipsius rei tollere propositum est.

Si Ecclesiarum rectores non ea morum integritate, vitæque innocentia, suum ornant ministerium, quam ratio, religionisque sanctitas postulat; nihil causor, quò minùs leges in illos seueriſsimè animaduertant, meliorésque surrogentur: Non enim exempti sunt à summorum Magistratuum iurisdictione, vt non possint de illis, de vita, de fortunis eorum statuere, quemadmodum de reliquis ciuibus. Principum & reipub. interest, optimos viros Ecclesijs præfici, & malos loco moueri. Criminationum quidquid mali hìc & alibi congerunt in religionis antistites, opprobrium est supremo magistratui, qui tales in Ecclesia Christi fert sacrorum ministros, & Ecclesiarum præsides.

Cleri Romanæ Ecclesiæ alia est ratio, qui peculiarem habent magistratum, & sub communi lege aliorum ciuium in repub. non viuunt, suntque in repub. vt nulla ipsius sint pars, nisi quantum interest eorum commodis: in quos nullum ius animaduertendi ciuilis magistratus se habere credit, nec vllam emendandi potestatẽ, quidquid illud sit quod illi peccant. Si tamen conniuendum ad has publicas obtrectationes videtur magistratibus, de nulla re querar, modò obtrectatores se ita attemperent, vt tantùm crimen ab ipsis vocetur in crimen, non conditio: & dum perstringuntur vitia, maneat functionis dignitas inuiolata, neque cuiquam probro vertatur, quòd Episcopus sit, aut Euangelij minister.

De duplici Presbyterorum ordine ex Domini institutione, & Apostolorum traditione, ac perpetuo Ecclesiæ usu, quatenus argumenti quod tracto postulat ratio, hæc dicta hoc tempore sufficiant. Restat vt de Doctoribus etiam aliquid dicamus.

De Doctoribus.

CAP. XXVI.

QVando Apostolus in Epistola ad Ephesios Pastores & Doctores nominat, certum ex sermonis genere colligi non potest, vtrùm diuersos significare voluerit, an eosdem: quòd Pastor necessariò sit Doctor, sed non contrà. Ipsa res nos doceat oportet; non enim cui eruditio & sana doctrinæ facultas à Deo contigit, confestim Pastoris accipit authoritatem: cuiuis sacrarum literarum scientia dari potest. Reges, Nobiles, Equites, eruditi esse possunt, qui tamen vt præsint in Ecclesia, idonei non erunt. Tametsi sacramentorum administratio, & Ecclesiæ gubernatio, cum docendi munere coniuncta sint, vt Pastor esse nequeat qui non sit Doctor: id tamen non retromeat, vt omnis cui docendi partes concessæ sunt, sit Ecclesiæ Presbyter aut Episcopus: seorsim hæc ab inuicèm seiuncta inueniuntur. Ex ijs qui sunt ad docendum apti, eliguntur Presbyteri & Episcopi. Olim in veteri testamento sacerdotium sine potestate interpretandæ legis non erat; sed prophetiæ donum, & legis interpretandi facultas non conferebant sacerdotium. Sacerdos officio, legis diuinæ erat interpres, & Doctor, ac etiam Propheta: sed quiuis legis Doctor aut Propheta non erat sacerdos. Apostolus quidem Propheta Doctor, & Pastor fuit, sed non omnis Propheta aut Doctor, fuit Apostolus aut Pastor. Cùm igitur distinguantur à Pastoribus Doctores, & mysteriorum Dei cognitio, eaque interpretandi scientia donum sit Spiritus sancti; quotquot illo dono præstant, & tam scriptis quàm sermone Ecclesiam ædificare possunt, inter Doctores censendi sunt, cuiuscunque sint conditionis. Reges suæ maiestati nihilo magis derogant, si ad populi Dei ædificationem pium aliquod opus lucubrauerint, quàm Solomon aut Dauid, qui sua ætate non tam regia potentia illustres fuerunt, quàm diuina sapientia. Tametsi in Ecclesia Apostolus mulierem vetet loqui; potest tamen, si docta sit, scribere, & priuatìm domesticos docere. Si veram rationem scriptorum Apostolicorum tenere velimus, solerti iudicio à Pastoribus Doctores nobis discernendi sunt, qui præter doctrinam, & Scripturarum interpretationẽ, nihil attingebant. Quamuis in illis primis initijs scholas non habuerint Christiani, publicè tamen in Ecclesia loquendi Doctoribus & Prophetis erat potestas: quibus recta monentibus, fideles non

non secus parêre quàm Pastoribus tenebantur; sed ipsis nulla erat censuræ potestas aut ius coërcendi. In Corinthiaca Ecclesia Stephanus, Fortunatus & Achaicus docuisse leguntur, sed Episcoporum, aut Presbyterorum non videntur habuisse authoritatem. Vnde mirum non est, si corruptelæ & improbi mores, qui illic regnabant, ipsis corrigenda non mandentur; & non correxisse, vitio non vertatur. Ferre cogebantur quod emendare non poterant, expectantes aduentum Pauli. In Epistola ad Titum mirari quispiam poterit, cur Zenam legisperitum, & Apollo, qui in Creta erant, Paulus Tito non coniunxerit, & eadem mandata non dederit: nisi illud est, quòd tantùm fuêre Doctores; nam eos ibi esse cum Tito, non ignorabat. Si eiusdem ordinis & potestatis fuissent, eadem mandata accepissent. A tribus meliùs quàm ab vno illa potuissent perfici: sed ab Apostolo docendi munus illic pluribus datum fuit, sed gubernationis Ecclesiæ prouincia tantùm vni. Vnde intelligitur Doctores & Prophetas Pastoribus fuisse subsidio, ac sub eorum docuisse directione. Nam ad Episcopi officium in primis pertinet, per se, & per alios sibi creditam Ecclesiam docere. Sunt huius generis plura in scriptis Apostolicis, ex quibus principia Ecclesiarum & Apostolici regiminis forma notari potest, quam proximè sequens ætas receptam ab Apostolis & viris Apostolicis, tradidit posteris. Rectè notauit Epiphanius, latêre historias in scriptis Apostolicis, quarum ignorantia non rarò plerisque erroris causa fuit. Sic factum est, vt Episcopi docendi in Ecclesia potestatem fecerint ijs, quos Græci vocant Laicos: qua de re Euseb. lib. 6. cap. 13. de Origene scribit, *quòd nondum Presbyter, Cæsareæ ludum aperuerit, & ab Episcopis, qui ibi erant, non ad disputandum solùm, sed ad Scripturas etiam aperiendas magnoperè in communi Ecclesiæ confessu rogatus sit.* Quod Demetrius Alexandriæ Episcopus, Origenis æmulus, grauiter reprehendit, cùm tamen ipse eum in Arabiam anteà misisset, docendi sacras Literas causa, & eum catechistam esse Alexandrinæ Ecclesiæ non improbauerat. Sed inuidia quadam celebrem eruditionis Origenis famam indies crescere, ferre cùm non posset, calumniandi vndique quas potuit conquisitis causis, vitio vertebat Episcopis, quòd homini laico publicè interpretari sacras Literas permitterent: ad quam calumniam Alexander Hierosolymorum Episcopus, & Theoctistus Episcopus Cæsareæ, his verbis respondêrunt. *Quod autem in Literis adiunxeris, nunquam antea auditum, neque iam vsurpatum, vt Laici, præsentibus Episcopis, disputarent, Scripturásque exponerent, in eo mihi nescio quomodo videris perspicuè falsa dixisse. Nam vbi idonei & habiles reperiuntur, qui fratribus in verbo Dei adiumento sint, à sanctis Episcopis rogantur, vt populum in verbo instituant: sicut Laranda, Euelpis à Neone; Iconij Paulinus à Celso, & apud Synados Theodorus ab Attico; qui omnes beati & pij fratres erant. Ac verisimile est, quamuis nobis obscurum, & minimè cognitum sit, idem in alijs locis fieri.* Hæc Eusebius. Tametsi Ecclesiæ primitiuæ academicas scholas non habuerint similes ijs, quas nos hodie habemus; sine scholis non fuisse, vna Alexandria testis est, quæ Doctores ante Origenem protulit Pantænum, & Clementem Alexandrinum, aliósque plures. Non dubium est, eum morem profluxisse ab Apostolis. Quamuis enim sacrarum literarum scientia donum sit Spiritus sancti, hoc exercitationes, vigiliásque studiosorum sapientiæ non tollit. In populo Dei Prophetæ habuêre sua collegia, quibus Samuel, & Elias, & Elizæus, alijque præfuerunt: sub quorum disciplina viuere, atque ab illis dirigi cæteros Prophetas nihil puduit. Tumultuariæ confusionis Deus nunquàm fuit author, sed ordinis: viri Dei furiosi enthusiastæ non fuerunt, sed habuerunt sedatum & moderatum spiritum. Qui hodie scholas, earumque institutiones contemnunt, diuinæ pariter & humanæ societatis sunt ignari; & quid ea in quauis re valeat, non intelligunt. Consilia eorum qui primi academiarum fuerunt authores, nemo vnquam satis laudaret: Seminaria enim sunt omnis eruditionis & virtutis: quibus sublatis, peritura est omnis humanitas, cultúsque ciuilis, & in Americanos mores breui degenerabitur. Sed in Academiarum laudes longiùs digredi, nihil opus est. Tantùm dico, Doctores, quos Ecclesiæ Christi gignunt, & alios quosuis, qui priuatis laboribus, & assidua lectione Scripturarum, cognitionem earum sibi comparârunt, nihil in Ecclesia sibi contra Episcoporum voluntatem adsumere debere: priuati enim sunt, & sub eorum gubernatione. Rogati verò, aut iussi ab illis (vt olim, ita hodie) docere possunt, si sit ex vsu Ecclesiæ. Academiæ gradus, aut eruditionis testimoniũ, non minuere Pastorum Ecclesiæ authoritatem, aut bonũ perturbare ordinẽ debet. Quòd hodie qui creantur Doctores,

plerúmque Presbyteri sunt, non improbo. Rarum fuit olim in Ecclesia, Laicum publicè docere sacras Literas. Tempus, locus, necessitas, huic rei legem dant, modúmque præscribunt; non præceps & audax temeritas. Cauere hîc debent iuuenes elati, ob Academiæ acceptum eruditionis testimonium, ne putent se idcirco in Presbyterorum Ecclesiæ Christi assumptos ordinem, nisi alia accedat ordinatio: quod vix admonitione dignum iudicâssem, nisi errorem in quibusdam comperissem.

Sunt hodie qui contempto Pastorum munere, & ea ordinatione quæ per impositionem manuum ab Episcopis fit, Doctores in Ecclesia volunt haberi: Baptizare verò, & Eucharistiæ sacramentum administrare, ægrotos visitare, mortuos sepelire, preces in Christianorum cœtu recitare, non esse ex sua dignitate putant; quòd has ministerij partes mandari interdum videant indoctioribus, & infimi ordinis Ministris. Sunt alij, qui ad reformationem pertinere putant, vt singulæ Ecclesiæ cum Pastore Doctorem habeant; tanquã vnus Pastor, qui ex officio etiam Doctor est, vtrúmque munus solus non possit exercere. Alia huius generis multa prætereo, & inter specioſa somnia hominum sibi placentium numero, quos equidem non probò. Nam etsi Doctores agnosco publicè docuisse in Ecclesia, qui Pastores non erant; id temporibus Apostolorum factum fuit: Postea id fuit valde rarum, & aut necessitate, aut magna vtilitate Ecclesiæ postulante. Ordinarij enim Ecclesiæ doctores sunt ipsi Episcopi, qui soli si sufficerent omnibus muneribus Ecclesiæ obeundis, nec Presbyteros, nec Diaconos sibi adiungere opus haberẽt. In parua Ecclesia vnus Presbyter sufficit. Ecclesiarum amplitudo & frequẽtia, numerum & graduum diuersitatẽ inter Ecclesiæ ministros attulit. Si quis plura de hoc argumento desiderat, nostri tẽporis Scriptores legat. Sufficere hæc mihi videntur meo instituto, cui compositum non est exactiùs singula hæc pertractare, sed tantùm admonere, quid in nostris quibusdam reformatis Ecclesijs desiderem. Hos ego recensui ministrorum Ecclesiæ Christi gradus, sicut à Domino fuerunt instituti, & ab Apostolis traditi, & à primis Patribus, Apostolicisq; viris vsurpati: quorum insistere vestigijs tutius arbitror, quàm nouam semitam ingredi.

DE

DE HONORE PRÆSVLIBVS ET PRESBYTERIS ECCLESIARUM Christi debito, Liber secundus.

Quadam naturæ lege apud omnes gentes, Antistites Religionis æstimatos fuisse honore dignos.

CAPVT PRIMVM.

QVanta sit Ministerij Euangelici dignitas & excellentia supra omnia omnium gentium sacerdotia, atque adeò ipsum Leuiticum, & quo honore illud sit dignum apud Christianos, olim quidem demonstrari fuisset superfluum; hodie verò est necessarium: cogit enim nostræ ætatis quorundam hominum improbitas, (ne dicam impietas) paulò vehementiùs ingratis animis exprobrare erga suos Pastores neglectam pietatem: quos dum priuant debito honore, ipsam religionem in contemptum adducunt, & Deum, cuius legati sunt, se non magni facere palàm ostendunt. Sunt enim qui non magnoperè referre putant si violentur, & nullo in Rep. sint loco: quia Seruator noster & eius Apostoli spreuisse mundi honores leguntur, idcircò dignos nullo magno honore æstimant: quemuis exiguum & vulgarem (si modò & is contingat) sufficere, ne fortè animo efferantur, ac inde superbiant: tanquam honores illorum esse debeant proprij, qui eos ambiunt, accipiúntque in superbiam. Qui error à me hoc Tractatu confutandus est: & docendum, omni iure, diuino & humano, sacrorum ministerium in bene constituta Repub. inter primos honores habitum apud omnes gentes fuisse: & Christianos nihil minùs debere suis Pastoribus, quàm populus Dei debuit quondam suis Sacerdotibus.

Tametsi multis humana vita sit immersa errorum & ignorantiæ tenebris, vt ad res natura sua manifestas sæpè cæcutiat, & verum non queat cernere: tamen sunt quædam, quæ in se tantam perspicuitatis lucem habent, vt nemo, cui mens sit integra, ignorantiam possit prætendere: cuiusmodi sunt generales notiones æqui & boni, quas Deus, naturæ author, residere in nobis voluit, & nobiscum nasci: vt est in Deum pietas & Religio, erga patriam amor, & progenitores reuerentia.

Quamuis varijs modis contaminetur quod reliquum mansit imaginis Dei in homine post lapsum primi parentis; non tamen prorsus deletur. Commune quoddam naturæ lumen semper mansit, quo quid turpe, quid esset honestum, homines viderunt. A veri Numinis notitia, ipsiúsq; vero cultu, gentes quidem aberrârunt: sed hoc fixum mansit, numen esse, & illud esse colendum. Prophanata religio fuit, non sublata. Vbi eò ventum est, vt aut numen nullum esse credatur, aut non esse colendum; mens illa non tam errare, quàm furere dicenda est: nam contra illam Dei notionem, quæ omnium mortaliũ est insculpta mentibus, quæque vltrò, religionẽ metumq;, peccantibus (velint nolint) inijcit, peccatur. Cum hominibus nata est religio, non ab hominibus inuenta. Nulla gens tam fera, tam barbara vnquàm fuit, quæ absque religione viuere potuerit: sublata religione, tollitur omnis hominum inter se societas, legumque vigor.

Multa sunt in Repub. munera, quibus magni deferuntur honores; & Militiæ imprimis, cuius tamen vsus, vt sit necessarius, est exigui temporis: Religionis autem ministerium assiduum esse oportet. Sine milite Resp. esse potest: sine sacrorum Ministro non potest.

Vſus militis non eſt perpetuus: quò rarior, cò Reſpub. fœlicior. Religio nunquam intermitti poteſt. Quid opus eſt Religionis miniſterium cum cæteris, quæ in ciuitate honorem habent, functionibus comparem? cedere omnes Religioni oportet, ſiue excellentiam miniſterij, ſiue neceſſitatem, ſiue vtilitatem ſpectes. Quamobrem tam ſalutare & neceſſarium ciuitati munus, ſine honore in bene conſtituta Repub. eſſe, nulla ratio ſinit.

Omnes gentes in hac fuêre ſententia, vt ſacrorum Antiſtites, ex prima nobilitate ſibi deligendos eſſe, aut ſi fortè non eſſent origine nobiles, nobilitandos iudicarent. Conſenſum autem omnium gentium in omni re, naturæ legem eſſe, non malè definiuit Tullius: in quam impingere Euangelicæ reformationis colore, non mentis error eſt, ſed furor. Nulla Seruatoris noſtri præcepta, aut legi, olim Patribus ab ipſo datæ, aut naturæ, mortalium mentibus inſculptæ, aduerſantur.

Quanta fuerit ſacerdotum dignitas apud omnes gentes.

CAP. II.

QVanto igitur honore vbique gentium, falſarum religionum cultores ſemper ſuos ſacerdotes proſecuti ſunt, commemorabo; vt magis dementia eorum appareat, qui (neſcio qua religione) religioni debitum honorem detractum cupiunt. Tametſi Chaldæi, Perſæ, Aegyptij, Græci, Latini, Galli, Britanni, & aliæ omnes nationes, per varios errores, per varias & monſtruoſas ſuperſtitiones deflexerint à prima illa puraq; religione, quam noſtri generis primi authores reliquerant poſteritati: veræ tamen pietatis immota ſemper manſêre multa veſtigia: vt hæc ſunt, numinis prouidentiâ mundum gubernari, & rebus humanis præeſſe; ab ipſo mala depelli, & bona dari: itaq; ipſum eſſe piè colendum: ac proinde ſacrorum miniſtros, & religionum interpretes, eſſe præcipuo quodam honore dignos. Hinc factum eſt, vt apud Aſſyrios & Babylonios, Chaldæorum; apud Perſas & Medos, Magorum dignitas eximia fuerit, & authoritas magna. Præerant enim ſacris; & diuini ac humani iuris erant interpretes: ab ineunte ætate in omni diſciplinarum genere exercebantur: errantia ſydera, cœlorum motus metiebantur, & inde diuinabant: religiones, iura & leges ediſcebant, ac docebant: Regibus in gubernatione præſtò aderant, vt nec publicè, nec priuatim, quicquam fieret ſine illorum conſilio. Tanti Magorum diſciplina apud Perſas & Medos æſtimabatur, vt idoneus regno non cenſeretur, qui Magorum diſciplinam non didicerat.

Theſeus, nobiles (quos Eupatridas vocauit) primus ſeiunxiſſe legitur ab agricolis & artificibus: nobilibus tractandi rem diuinam, magiſtratus ex ſuo ordine creandi, adminiſtrandíque leges, tum pia religioſáque interpretandi definiendíque poteſtatem fecit. Hanc legem poſteà, à maioribus traditam, religioſè obſeruarunt poſteri: vnde factum eſt, vt magna reuerentia, & ſacrificijs, ac religioni deorum, & ſacerdotibus ipſis acceſſerit, cùm ſacerdotes è nobiliſſimis tantùm familijs eligerentur, & omnibus conſilijs publicis intereſſent. Nam tanquam dijs præſentibus, quibus nihil ignotum exiſtimare debemus, ita præſentibus ſacerdotibus, Mantibus ſcilicet apud Athenienſes, & Auguribus regi apud Lacedæmonios adſidentibus, omnia publica proponebantur conſilia.

Strabo lib. 12. ſcribit de duobus templis Bellonæ ſacris, quæ Comana dicebantur; quorum alterum in Cappadocia, alterum in Ponto, per omnia ſibi inuicem ſimilia; vtpote quòd alterum ad alterius eſſet factum exemplum, & eoſdem ritus & ceremonias habebant. Ibi vterque ſacerdos apud ſuos in ſummo, ſecundùm Regem, erat honore; & quamuis ſubditi omnes eſſent Regi, Pontificis tamen dicto erant audientes. Sex millia ſeruorum, quos Hierodulos appellabant, quiſque poſſidebat, & quamplurimum agri: bis in anno Pontifex diadema geſtabat: Reges & Pontifices plerumque ex eadem erant familia.

Plato de regno, hæc confirmat, & ait, ſacerdotes & vates de ſe præclarè ſentire, & in reuerenda exiſtimatione eſſe, propter factorũ & officij magnitudinem. Quare in Aegypto (inquit) neque imperare licet Regi abſque ſacerdotio. Sed etſi quis ex alio genere per vim

vim regnum inuasit, posteà tamen necesse est eum hoc genere initiari. Quin & in multis locis apud Græcos, summis Magistratibus maxima sacrificia demandata esse, quis comperiet: & sanè etiam apud vos non minùs clarum est id quod dico. Ei enim qui Rex sorte creatus est, augustissima, & maximè patria vetera sacrificia hîc attributa esse tradunt. Idem Philosophus dialogo duodecimo de legum latione, multa habet de honore qui tum viuis, tum mortuis exhibebatur Sacerdotibus, in publicis consessibus, & in funere, & in sepulchris.

Romani, populúsque Latinus, nec Aegyptijs, nec Græcis in hac parte inferiores fuêre: sed sacerdotium cum Regia Maiestate coniunxerunt. Omnes primi Latinorum & Romanorum Reges fuerunt sacerdotes. Imperatores qui posteà secuti sunt, etiam Pontifices esse voluerunt. Quantam curam religionis Romani habuerint, Valerius Maximus his verbis testatum reliquit. *Tantum autem studium* (inquit) *antiquis, non solùm obseruandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, vt florentissima tum, & opulentissima ciuitate, decem principum filij S. C. singulis Hetruriæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traderentur, &c.*

Quæ fuerit Augurum Romæ authoritas, ex Augure audiamus. Tullius lib. 2. de legibus ita scribit. *Maximum & præstantissimum in Repub. ius est Augurum, & cum authoritate coniunctum: neque verò hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid maius est (si de iure quærimus) quàm posse à summis imperijs & summis potestatibus comitatus & consilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? quid grauius quàm rem susceptam dirimi, si vnus Augur aliquid dixerit? Quid magnificentius quàm posse discernere, vt magistratu se abdicent Consules? quid religiosius quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? Quid leges non iure rogatas tollere? nihil domi, nihil militiæ per Magistratus gestum, sine eorum authoritate posse cuiquam probari?* Hæc Cicero: quæ multis exemplis confirmari possunt, si opus esset. De Flaminibus, cæterísque Romanorum Sacerdotibus, ac Pontificibus quid dicam? cùm Imperialem Maiestatem ornari crediderunt honore Pontificis Maximi. In præcipuo honore fuisse Romæ omnia sacerdotum collegia, notissima res est: sedebant in spectaculis publicis Sacerdotum omnium collegia, Pontifices Maximi, & Maximi Curiones: sedent (inquit Arnobius) quindecim viri laureati, & Diales cum apicibus Flamines: sedent Augures interpretes diuinæ mentis & voluntatis, nec non & castæ virgines, perpetui nutrices & conseruatrices ignis. Ex Romana historia qui plura volet, ea petat: proposito meo hæc sufficiunt.

Alpes transgrediar, & quæ fuerit apud Gallos, & Britannos religio, & quis religioni honos, considerandum quoque proponam. Druidas Sacerdotes fuisse præcipuarum gentium, quæ cis Alpes vixerunt, notum est: quos legimus in sexto Commentariorum Cæsaris in magna fuisse æstimatione: sic enim scribit. *In omni Gallia, eorum hominum qui in aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo: alterum est Druidum, alterum est Equitum. Illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica & priuata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnóque ij sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatísque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, & finibus controuersia est, ijdem decernunt, pœnásque constituunt. Si quis aut priuatus, aut publicus eorum decreto non stetit, sacris interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima: quibus ita est interdictum, ij numero impiorum & sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum sermonémque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet authoritatem, &c. Druides à bello abesse consueuerunt, neque tributa vnà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniúmque rerum habent immunitatem.* Hæc Cæsar. Omnes gentes, illo naturæ lumine, quod in homine reliquum est, & quo Deum, vel Deos colendos esse iudicârunt, omni honore & obseruantia colendos religionis Antistites, vbique semper arbitrati sunt.

Quis fuerit ſacerdotij honor in populo Dei.

CAP. III.

HOc omnium gentium iudiciũ non ab errore humanæ mentis proueniſſe, ſed quodam diuinæ legis ſenſu, ſacræ hiſtoriæ, & à Deo datæ leges demonſtrant, quæ inter primos honores ſacerdotium conſtituunt. A rege ſecũndum locum in populo Dei ſummus Sacerdos ſemper tenuit. Apud priſcos mortales, nulla ſcripta lege hominibus adhuc data, vbicunque pura religio viguit, huius prærogatiuam honoris, in familijs, ſupra ſuos fratres primogenitus habuit, ac ſacerdotio inſignis fuit. Quando autem Deus pro ſua authoritate, iura primogenituræ ad minorem natu tranſtulit, ſimul etiam ei honorem ſacerdotij dedit. Sic Iacob ſacerdos factus eſt. Manſit ille mos in populo Dei, vt penes natiuitate honoratiores eſſet ſacerdotium, vſque ad Moſis tempora, ſub quo, Dei mandato, à primogenitis ſacerdotium ad tribum Leuiticam tranſlatum eſt.

Quàm ſtudioſè Deus ſuum ſacerdotem honorari voluerit, libri Moſis teſtantur, neque opus eſt à me fuſiùs hic narrari: tetigiſſe ſumma capita ſatis eſt. Primùm, præter hoc, quòd ſchema geſſit ſummi térque maximi noſtri Pontificis Chriſti, iura ſibi debita, ſacerdotibus & Leuitis Deus dedit, quando vſum eorum quæ offerebantur, & quæ aliâs ſacra erant, & quæ contingere, ac in humanos vſus cõuertere nefas fuiſſet, ipſis conceſſit. Deinde, decimarum ius, alióſque ſupremi dominij honores, qui Deo, lege quadam naturæ, debebantur, ſacerdotibus ſtipem ſacri miniſterij eſſe voluit. Præterea, primos fructus, redemptiones primogenitorum, capitationes, cenſus, ad tabernaculi & ſacerdotum vſum referri iuſſit. Poſtremò, diuini & humani iuris eos fecit interpretes, & ſummi ſacerdotis iudicium in omnibus controuerſijs ratũ haberi, lege ſanciuit; cui parêre qui detrectaſſet, morte contumaciam luebat.

De duplici honore, qui debetur Presbyteris qui bene præſunt, & argumenta eorum qui contrarium ſentiunt.

CAP. IIII.

DVplici quidem honore in Chriſti Eccleſia dignos eſſe, iuxta Apoſtoli ſententiam, qui bene præſunt Presbyteros, omnes qui Chriſtiani haberi volunt, ore confitentur: ſed vbi ad rem ventum eſt, ſimplum vix reddi æquo animo ferunt. Siquidem bene merentibus gratia debetur, maxima profectò habenda eſt Eccleſiæ Dei Paſtoribus: parentibus enim threptra, iuriſconſultis chariſteria, medicis ſoſtra, Doctoribus ac Præceptoribus didactra, honeſti ratio, gratiæ teſtificandæ cauſa, deçernit. Hæc autem omnia beneficia vno complectitur, quiſquis fideliter Chriſti fidelibus ſacra miniſtrat: ipſis etenim Eccleſiæ Paſtoribus, parentis, medici, & Doctoris perſonam Deus impoſuit.

Vnde quorundam magiſtratuum impietas & ingratitudo maiori vituperio digna eſt, qui dum fauere videri volunt religioni Chriſtianæ, miniſtros debito fraudant honore, & non tantùm nihil de ſuo largiuntur, vt quidquid olim in pios vſus deſtinatum fuit, in profanos conuertant: atque diſputant, aliam huius temporis ſub Chriſti Euangelio eſſe rationem, ac olim fuit ſub lege Moſaica; diuitias & honores Deum priſcis indulſiſſe ſacerdotibus: at Euãngelij miniſtros, pauperes & inglorios viuere oportere, ad Chriſti Seruatoris noſtri exemplum, & Apoſtolorum, qui pauperem vitam elegêre, & honoris ac diuitias præſentis ſæculi contempſerunt: & cùm ipſi contemptum externarum rerum doceant, ipſos exemplo præire decêre.

Hæc oratio popularis, perquàm grata auaris & tenacibus; quibus non tam curæ eſt, vt Eccleſia pios & doctos nanciſcatur Miniſtros, quales Dominus noſter eſſe voluit, quàm vt hoc colore, à contemptu ſeruorum Dei, & à debita liberalitate, nihil dando, excuſentur: ac olim data in vſus miniſtrorum Eccleſiæ, rapuiſſe, nemo vitio vertat, ſacrilegiíque

giíque arguat. Hi confirmati in ſententia mihi videntur ſimulata fictáque ſanctimonia quorundam, qui contemptu opum opes venantur, & mendicitate ac ſordibus quæſtum faciunt. Cynicorum ingenia non ſimul cum nomine extincta ſunt; nec eorum qui mendicitatem ſanctitatem credunt. Idem error formas diuerſas induit; ne ille ipſe appareat eſſe, qui condemnatur in noto ſchemate. Species contemptus earum rerum, quas omnes vulgò admirantur, vt voluptatum, opum, & honorum, admirationem adfert imperitis hominibus, qui ſimulatam virtutis ſpeciem, ipſa virtute, quæ fuci expers eſt, pluris æſtimant. Si tantoperè placet Chriſti & Apoſtolorum exemplum; cur non item Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ, qui omnia ſua bona diſtrahebant, & pretia dabant Aſtolis?

Sed ea quæ prætereà ad confirmationem huius erroris adferuntur, mihi confutanda ſunt, ne præiudicio præoccupatus animus, ignotam veritatem antequàm ſatis eam perſpectam habeat, auerſetur: ego prudens nihil diſſimulabo eorum quæ adferri ſolent à patronis huius hypocriſis. Quemadmodum (inquiunt) diuitiæ illecebras habent ad vitia, fomentaque ijs miniſtrant: ita paupertas virtutum omnium eſt parens, & vitia retundit, domátque humani ingenij ferociam. Id ita eſſe confirmat Philoſophantium omnium iudicium. Cùm enim diuitias philoſophaturi ſibi futuras impedimento cognoſcerent, abijciendas à ſe aut perdendas iudicárunt. Huic opinioni Euangelica præcepta ſuffragari videntur, quando nuſquam non ad contemptum diuitiarum, & paupertatis amorem nos hortantur, diuitibus væ maledictionis æternæ comminantur. Seruator noſter beatitatem promittit pauperibus, & affirmat faciliùs camelum per acus foramen ingreſſurum, quàm diuitem regnum cœlorum. Ipſe pauper naſci, ipſe pauper viuere, ipſe pauper mori voluit, & de ſeipſo dixit, Cùm volucres cœli nidos habeant, & vulpes foueas, filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quos in diſciplinam aſſumebat, diuendere omnem ſubſtantiam iubebat, & dare pauperibus: nimirum quòd diuitiæ ſint veluti quædam compedes deſiderantibus ipſum ſequi, quibus irretiti progredi nequeunt: pondere rerum externarum depreſſus animus ad cœlum euolare nequit. Additur, temporibus Conſtantini vocem miſſam cœlitùs dixiſſe, venenum effuſum in Eccleſiam, propter opes & diuitias, quibus creditur pius Imperator Conſtantinus honoraſſe Eccleſiarum Paſtores & Epiſcopos. Hæc pluribus exornata proponi ſolent, ex quibus multa abſurda, & à ſenſu Seruatoris & Magiſtri noſtri Chriſti aliena conſequuntur.

Reſponſio ad argumenta præcedentis capitis.

CAP. V.

SEd vt veritas huius controuerſiæ omnibus pateat, hoc ſciendum eſt: præcepta Euangelica de contemnendis diuitijs, non paucis quibuſdam Apoſtolis eſſe data, ſed omnibus ijs, quibus Chriſtum ſequi, eſt decretũ. Commentum diſcrimen inter conſilia & præcepta ſeipſum refellit illis ipſis verbis, quæ cenſentur conſilia. Vnam enim omnibus legem, vnam rectè viuendi normam Deus dedit, vnúmq; ad immortalitatem monſtrauit iter, tam in veteri, quàm in nouo teſtamento. Quòd ſi quis priuato quodam inſtituto in paupertate ſibi viuendum eſſe ſtatuat, ego ei non aduerſor. Sed abdicatio rerum omnium, & paupertatis profeſſio non præcepta omnibus, ſed monſtrata, tanquam vitæ inſtitutum perfectius, falſò creditur. Verba Seruatoris noſtri hæc ſunt, Lucæ 14. verſu. 33. *Sic ergo quiſquis veſtrùm non valedicit omnibus bonis ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quidquid, vt Chriſti quis ſit diſcipulus, præcipitur obſeruatu neceſſarium, omitti non poteſt; vnde manifeſtum fit, non conſilium illic dari à Domino Seruatore, quod omitti ſit liberum; ſed præceptum purum, abſolutum, ſub interminatione damnationis, ſi omittatur.

Præbuit huic errori cauſam malè intellectus locus Matthæi 19. & Lucæ 18. & Marci 10. vbi duo diſtincta poni videntur, nempe commune iter ad vitam per obſeruationẽ mandatorum Dei, & alterum perfectius per diſtractionem omnium bonorum, & illorum liberalem elargitionem in pauperes. Apud Matthæũ legimus Seruatorem noſtrum cuidam

reſpondiſſe, *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, qui cùm ſe omnia ſeruâſſe à iuuentute ſua nimis inſolenter gloriaretur; quantum ab ea perfectione abeſſet, Dominus conuicit, quando latentem morbum auaritiæ foràs eduxit, & quàm à dilectione proximi abeſſet, palàm fecit, iubendo poſſeſſiones diuendere, & diſtribuere egenis. In qua re nihil noui, nihil extra ordinem Dominus ab eo exegit, quod facere lege illa, quam impleuiſſe ſe iactauerat, non teneretur, cùm iubet proximum non ſecus, quàm quiſque ſe diligit, amari. Huius enim præcepti vis eſt, omnia externa bona non tantùm debita eſſe Deo, & proximo, ſed etiam ipſam vitam, ſi poſtulet neceſſitas: à qua perfectione quàm longè abeſſet, prodidit, quando iubente Chriſto opes egenis elargiri, id nimis graue fuit. Tamen niſi ita comparati ſimus, vt dilectioni Dei & proximi cuncta poſthabere ſimus parati, regnum Dei ingredi non poſſumus. Non igitur rem Chriſtus Phariſæo propoſuit liberam, cuius omiſſio non excluderet à regno Dei; ſed prorſus neceſſariam, ſi quis illud ingredi velit. Idcirco cùm videret mœſtum abeuntem audito hoc præcepto, addidit, *Amen dico vobis, difficile eſt diuiti ingredi regnum cœlorum: rurſum dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem introire in regnum Dei*: quibus verbis apertè, non voluntaria res propoſita indicatur, quam ſi amplectaretur quis, bene faceret: ſin minùs, nihil peccaret, (cuiuſmodi eſt cœlibatus) ſed omninò neceſſaria ei qui cupit ſaluus fieri.

Quid igitur (inquiũt) ſibi vult illud Seruatoris, *Si vis perfectus eſſe, abi, vende quæ habes, & da pauperibus?* an non conceſſiſſe videtur ad vitam æternã obſeruationem mandatorũ Dei ſufficere, non autem ad perfectionẽ? Hanc non fuiſſe mentem Domini verba ipſius apertè docẽt; ſed fuiſſe locutũ de perfectione, quæ in lege Dei præcipitur, cuius tantùm exteriùs quandam vmbrã adoleſcens obſeruauerat, quũ ab ipſa re valdè adhuc eſſet remotus. Nam qui omnia quæ poſſidet, imò etiam vitã ſuam paratus non eſt impẽdere charitati proximi, is diligere proximũ ſuum tanquã ſe, dici non poteſt. Cùm igitur rogaret quid ſibi deeſſet, rectè Seruator eum ad debitum charitatis officium remiſit. Quocirca verborum Domini hic eſt ſenſus: Si vis perfectus eſſe legis Dei obſeruator, & eam viam ad ſalutem vis ingredi, quæ in legis plena & perfecta impletione proponitur, mandatum dilectionis Dei & proximi obſerua: abito, & ita res tuas compone, vt egenis eas diſtribuere quouis tempore paratus ſis. Niſi hoc præceptum ad omnes pertineret, quorſum illa verba, *facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem ingredi regnum cœlorum?* Omnis itaque Chriſto militaturus iubetur valedicere patri & matri, & omnibus rebus, quocunque nomine ſibi charis; immò & odiſſe animam ſuam: ad omnes enim dictum eſt, *Quiſquis veſtrûm non valedicit omnibus bonis ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Rem nouam non mandari à Seruatore noſtro ſuis diſcipulis, Abrahami exemplum docet, quem Deus olim quoque iuſſit patriam, parentes, & omnia quæ in Chaldæa habebat chariſſima, relinquere, vt iret quò Deo viſum eſſet. Primum fidei parentem Deus ſic exercuit, vt opes, & cætera huius vitæ ſubſidia deſerere paratus ſemper eſſet, & præſentibus vteretur tanquam alienis. Ad eundem modum veros filios Abrahæ Chriſtus vult pro re, loco, & tempore, ad ipſius gloriam & fratrum vtilitatem omnia ſua deſtinare: & hæc eſt illa perfectio, quæ hodie in Euangelio præcipitur, & olim Deus in lege & ante datam legem exigebat: ad quam ex æquo omnes obligantur: & ſine qua, nemo regnum Dei poterit introire. In contemptu omnium rerum externarum præire quidem Euangelij Doctores oportet, ſicut in cæteris omnibus virtutibus quas docent populum: ſed peculiare nullum ipſis præceptum datum eſt, quod non ſit omnibus Chriſtianis commune, præter illud quod ad eorum pertinet officium. Seruatoris autem quod allegatur exemplum, non tantùm imitandum Apoſtolis, Euangeliiſque Miniſtris, ſed omnibus Chriſtianis, pro cuiuſque vitæ conditione, eſt propoſitum. Varios honoris gradus Reip. neceſſarios, nec tollunt nec confundunt Chriſti præcepta. Omnibus in egenos liberalibus eſſe licet, & pauperibus ſpiritu inter ſummas opes. Nihil Danielem apud Babylonios ſatrapia, nihil Ioſephum apud Aegyptios regni præfectura, nihil Mardochæum, nihil Nehemiam apud Perſas aula Regúmque fauor impediuit à cultu Dei, nihil denique ipſa regia dignitas Dauidem, aliósque pios Reges remorata eſt, quò minùs pauperes ſpiritu, & externarum omnium rerum contemptores eſſent, ingrederentúrque regnum Dei. Legimus diuitias Iobi & Abrahami, aliorúmq; Patriarcharum, qui in Deum pij, in pauperes liberales, & ab omni auaritia

auaritia alieni fuerunt. Inopia rerum non adfert diuitiarum contemptum, & copia rerum contemptum non excludit. Si quis nihil habet, cupiditate tamen ardet habendi, morbo laborat auaritiæ: qui verò multa possidet, nec tamen amore possessionum vinctus detinetur, verus earum est contemptor.

Christi præcepta de vendendis possessionibus, non tam facto, quàm animi promptitudine seruanda Christianis intelliguntur, pro ratione temporis locíque. Barnabas vnus ex 70. Discipulis qui ab initio Dominum secuti fuerant, agrum quem habebat, non antè vendidit, quàm fratrũ postulauit necessitas, Actorum quarto capite. Quamdiu vixit dominus, possessionem retinuit. Incidere possunt tempora, quando reipsa idem fieri à quouis Christiano christiana coget charitas: sed vbi id nulla postulat necessitas, vtiliùs seruabitur, pluribus & diutiùs profuturum, quod Deus dedit, quàm si semel tota exhausta substantia, postea de sit vnde quis se & alios iuuare possit, &c. Euangelica præcepta secutos fuisse Abrahamum, Iobum & Dauidem audeo dicere: eorúmque Christianos æquè esse imitatores, atque sunt Christi & Apostolorum. Seruator noster de Zachæo testatus est, filium factum esse Abrahæ imitatione fidei, quando dimidium bonorum suorum se daturum pauperibus promisit, & redditurum quadruplum quæ defraudauerat. Quibus Seruatoris nostri verbis vanitas huius rationis conuincitur, qua Patriarchis & Sacerdotibus Leuiticis, tanquam carnali populo, diuitias & honores Deum indulsisse affirmatur, quæ negata à Domino sint Christianorum Pastoribus.

Quædam per indulgentiam esse data illis Temporibus, & ad quædam Deum olim connixisse fatendum est, quæ hodie non fert in Christianis: quia tunc communis omnium gentiũ error, in quibusdam etiam Dei populum peruaserat: cuiusmodi fuerunt polygamia, & crebra cum vxoribus diuortia. Sed Deum veteres olim tantùm saginasse bonis caducis, & non erexisse credentium animos ad res æternas, non dicitur citra in Deum impietatem, & Patrum magnam iniuriam.

Eadem fuit Patrum & nostra fides, eadem vtriusque testamenti doctrina: temporis facta est mutatio completis quæ prædicta fuerant de Messia & humani generis redemptione, non religionis aut bonorum morum. Quis sanæ mentis dicat sapientissimos illos prioris sæculi heroas, naturam & conditionem diuitiarum, & præsentis vitæ ignorasse? nempe fluxas & incertas esse, & vix dignas quæ numerentur in bonis; & homini aspirandum esse ad melius & præstantius bonum, quod certum & immobile sit, ac extra omnem fortunæ aleam positum? Hæc scilicet nouerant philosophi, ac de ijs acutè disputauerunt? diuini verò vates, & amici Dei, nihil rebus terrenis altius cogitauerint? quo absurdius nihil dici potest. Valeat igitur hæc opinio, & statuamus quod certum est: vnam salutis viam omnibus mortalibus esse monstratam, & vnam virtutis regulam æternam & immotam esse datam, vt quæ à Deo profecta sit: tutóque vestigijs nos posse insistere Patrum, vbi aberrâsse ab illa rectè viuendi norma, quæ tum illis tum nobis est data, non arguuntur. Si tunc diuitias & honores habere licuit sacerdotibus & Leuitis in populo Dei, idem hodie licet in Christiana Repub. Euangelij ministris.

De Philosophis, quos aiunt contempsisse opes & diuitias, dico, id longè meliùs & perfectiùs Christum docuisse, ac mandâsse fieri ab omnibus suis: & neminem esse verè Christianum, qui Philosophos in hac re non superet. Nam isti & à vero fine aberrârunt, & præter popularem auram ex stulta & inutili rerum iactura, nihil reportârunt. Possessiones enim non perdere Christus docuit, sed egentibus distribuere. Ipsæ res sunt in vsum hominis creatæ: & eas à Deo non perdendas, sed distribuendas accipiunt, qui diuites sunt: isti verò ac si naturâ suâ res essent noxiæ, non hominum vitio, eas abiecerunt. Quando irritamenta malorum opes dicuntur, id intelligitur prauitate non rerum, sed rebus abutentium fieri. Quidquid Deus creauit bonum est, & bonum vsum habet. Quòd igitur alius in mare suas opes præcipitauit, alius in paucas gemmas contracta tota sua substantia, eas confregit, vanam ostentationem & ridiculam habuit, vtilitatem nullam. Christi præcepta ad amorem Dei & proximi referuntur, quibus debemus quidquid habemus. Qui in Philosophis Cynicis, & nostri æui quibusdam fraterculis Cappucinis, conspicitur rerum contemptus, ab amore vtriusque recessit: vtpote qui ab omni humanitate & ciuili societate sit alienus. Christi autem & Apostolorum paupertas longè fuit alia. Vixit Seruator noster priuatus cum Iosepho & matre Maria,

Maria, ex labore & artificio fabrili victum quærens, non ex mendicatione. Matris viduæ curam habuit, eíq; prospexit, quantum postulabat conditio, quam ipse certo consilio eóque optimo delegerat. Non enim ei erant nocituræ opes, si eas possidere voluisset. Sed ne cuiquam vel minima daretur suspicionis causa, quòd ad regnũ terrenum aspiraret, aut ad constituendum aliud terreno Regno simile venisset, pauper viuere voluit, & ad tempus
1.Cor. 2.8. latêre. Nam si Dominum gloriæ mundus cognouisset, nunquam crucifixisset. Quod à paucis Magis factum legimus, omnes imitati essent, & ex remotissimis orbis partibus cum muneribus accurrissent. Quid facturum Tiberium credendum est, qui Christum in numerum Deorum retulit? & vt id publico decreto fieret, ad Senatum retulit? Decurso 30. annorum spatio, ad prædicandum Euangelium se contulit, & breui magnam habuit familiam; 12. Apostolos adsumpsit, & præter illos habuit alios 70. Discipulos; quibus ita prospexit vt nihil vnquam defuerit: ad quam rem non exigua pecunia ei fuit opus, vnde tantùm sobriè & tenuiter viuerent. Vnde, quæ fuerit liberalitas piorum erga Christum, colligi potest.

Quod cuidam respondit, Volucres cœli nidos, & vulpes habere foueas, filium hominis non habere vbi caput suum reclinaret; intelligi responsum debet ad cogitationes, non ad sermonem eius, qui Christum sequi volebat. Magnas ille commoditates ex comitatu Christi expectabat, & magnificas ac opulentas ædes cogitabat: Nam Dominus domicilium suum duobus Discipulis apud Ioannem legitur demonstrâsse. Sed Seruator noster nusquam illis rebus, quibus inescantur homines, tanquam illecebris, vt sunt honores & diuitiæ, quenquam allicere voluit: ea potiùs proposuit, quibus homines deterreri solent; vt sunt probra, egestas, & mortis pericula.

Ergo (inquit aliquis) palatia & magnificas ædes Episcopos Ecclesiarum Christi, aliósque Euangelij ministros haud inhabitare conuenit. Fateor, si ipsos constituas in simili conditione temporum, & rerũ, in qua Seruator noster vixit: hoc est, sub Magistratu veræ religionis ignaro, qui Messiam, ipsiúsque ministros affectati regni suspectos habiturus sit, si quidquam eorum conspexerit, quibus via ad regnum sternitur, vt sunt diuitiæ, palatia, arces, & satellitia: & præterea in populo, qui aliud regnum Messiæ cogitare non poterat, nisi quod exteriùs fulgeret regalibus insignibus, abundans omnibus illis rebus, quæ magni facere solent homines. Nam hoc consilio Dominus duo fecit: primò calumnijs Iudæorum obuiam iuit, vt iure affectati regni eum accusare non possent: deinde, regnum suum nihil habere commune cum huius mundi regnis docuit; & sic altero horum inuidiam & odium vitauit, altero errorem communem de regno Messiæ confutauit. Ab his si nullũ fuisset periculum, & perfici humanæ redemptionis mysterium cum splendore externæ maiestatis potuisset; à palatijs, & arcibus, & externis bonis, eorum largitor non abhorruisset. Debebant enim totius orbis palatia & arces Christum regem recipere. Quandò in mundum venit, in propria venit, & ad suos venit verus hæres non tantùm auiti regni, sed & totius mundi. Quòd Iudæi eum non receperunt eo honore quem debebant, non accidit sine impietatis crimine.

Dicant velim quibus mens sana est, quo honore, quo hospitio Seruator noster fuerit excipiendus, si ab Imperatoribus Romanis, & eorum procuratoribus, si à Pontificibus Iudæorum, & cæteris regibus, qui orbem terrarum regebant, cognitus fuisset. Plebs, & quotquot eum credebant esse Messiam, cum summis acclamationibus, & omni honore quem poterant, ipsum receperunt, & comitati sunt in vrbem Hierusalem. Eum honorem, & alios sibi delatos Seruator noster non reiecit, sed contra inuidos defendit. Si ea fuisset pietas in Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, reliquóque populo Iudaico, quæ esse debebat, accurrisse omnes oportuit ad recipiendum totius Seruatorem mundi, & promissum ipsis Messiam, cum omni honore & reuerentia, quam mortales non tantùm principi mortali, sed immortali Deo debent. Malè argumentatur ab eo quod errore & ignorantia factũ non est, ad id quod fieri iure debuit. Quod certo consilio Dominus suscepit extra ordinem, obligationem non habet, vbi par consilij ratio non adest, nec ad imitationem trahi debet. Quod in stabulo vili & abiecto voluit nasci, quod à Iudæis voluit crucifigi, lex non est, cui parendum sit; nec exemplum imitandum, sed consilium admirandum.

Quod de Domino Seruatore nostro dico, idẽ de Apostolis, & alijs Euangelij ministris,

pro

pro cuiusque conditione & gradu iudico. Et quemadmodum alius fuisset Domini nostri status, si omnes mortales, aut saltem cum quibus viuebat, Iudæi, ipsum esse Dominum gloriæ cognouissent; similiter dico, aliam conditionem esse oportere Ministrorum Ecclesiæ sub Christiano Magistratu, quàm est sub Gentili, & à Christo alieno.

Quod paupertatem attinet, dico eam, quæ præcepta est in Euangelio, omnibus Christianis esse communem; nihilo magis ad eam obligari Ecclesiarum præsules, quàm cæteri Christiani. Quotquot Seruator inueniet in vltimo examine vixisse diuites, contra quos væ æternæ maledictionis protulit, in æternum perituri sunt: & illi tantùm qui censebuntur inter pauperes spiritu, ad quos regnum cœlorum pertinet, seruabuntur. Paupertas Euangelica hæc est, quam Christus coluit, & colendam præcepit, mentis humilitas, contemptrix rerum visibilium. Pauper spiritu est, qui non gerit tumidum spiritum, nec cupiditatibus vinctus detinetur: conditione, quam ei dedit Deus, viuit contentus, se totum in viuendo committens Deo. Si nihil habet, aut quod habet est exiguum; non angitur curis: sin opulentus est, animo elato propter diuitias non est. Cogitat se nihil intulisse in hunc mundum, nihil quoque se esse asportaturum: opes esse fluxas & caducas, & facilè posse transferri ad alios, & varijs modis perire; eas se accepisse à Deo distribuendas, non in arca seruandas, aut luxu abliguriendas. Hasce omnes spiritualis paupertatis partes in diuitibus Apostolus Paulus requirit, 1. Tim. cap. 6. vbi Timotheum monet, vt ad hanc paupertatem diuites adhortetur: *Iis qui diuites sunt* (inquit) *in hoc sæculo nuncia, ne efferantur animo, neque spem ponant in diuitijs incertis, sed in Deo viuo, qui præbet nobis omnia copiosè ad fruendum: vt alijs benefaciant, & diuites sint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facilis consortes.*

Hic habemus illam paupertatem, quam in diuitibus Seruator noster exigit, cui rerum externarum vsus & proprietas nil aduersatur. Hæc (inquam) est illa paupertas, virtutum omnium parens, quam omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, quam Apostoli & primi Christiani, quam denique pij omnes coluerunt, & ipse Seruator noster verbo & exemplo in copia pariter & inopia, docuit esse seruandam. Sarcasmus est Iuliani Apostatæ, & hostium Christianæ religionis, deprædatis Ecclesiarum opibus, Doctoribus & Pastoribus Ecclesiarum insultare, ac dicere, ipsos esse pauperes oportere, ad Christi Seruatoris & Apostolorum ipsius exemplum.

Quod adfertur de voce audita Constantini temporibus; de Arrio (si fabula non est) & eius venenata doctrina intelligendum est; non de confictis donationibus Constantini. Opes à Constantino datæ, nihil obesse poterant Ecclesiæ, vtpote quæ nec nimiæ fuerint, nec Episcopos aut Presbyteros auocârint ab Ecclesiastica functione: œconomia verò distributióque earum tunc erat huiusmodi, quæ facilè vindicabat Episcopos ab omni suspicione auaritiæ.

Honor qui habetur Ecclesiarum Christi Pastoribus, cum quadam in Deum pietate coniunctus est.

CAP. VI.

IN veteri lege, Sacerdotibus & Leuitis fuisse optimè prospectum diuina institutione, notius est, quàm vt quisquam de eo mouere controuersiam possit: similiter in nouo Testamento, apertè satis eadem authoritate, pari ratione, Euangelij ministris, nisi quorundam obstaret sacrilega impietas, qui dum fomitem mali de Ecclesia tollere se dictitant, in aliud extremum impingunt. Nam non minor metus esse debet, ne inopia calamitatem adferat Ecclesiæ, quàm copia. Qua in re peccârunt nostri maiores, acutè nos videre credimus; vbi peccemus nos, ignoramus, qui lynces in alienis peccatis, & talpæ sumus in nostris. Constat honorem parentibus, iurisconsultis, doctoribus, & medicis deberi; & id nemo nisi improbus, est negaturus: vnde consequens fit, iustiori de causa Euãgelij Ministris Christianos obligari, quòd instar & pondus illorum omniũ obtineant. Sunt enim & patres, & doctores, & medici: proinde quanto dignitate excellunt, maiori obseruantia sunt colendi. Ille honor qui exhibetur doctoribus & medicis, humanus & ciuilis

ciuilis est, & hominem tantùm, humanúmque officium respicit: hic verò Deum & diuinum ministerium. Serui Dei sunt, & Oeconomi mysteriorum Dei, missi à Deo, vt pro Christo legatione fungantur; quos qui contemnit, Dominum Iesum, & Deum patrem contemnit. Honor aut contemptus serui Dei, proximè in Deum fertur, qui in ministro suo honoratur, aut contemnitur: & religiosus est honos, qui Dei seruo, Dei intuitu defertur. Quapropter honorarium, quo non tam homo quàm Deus honoratur, etiam sanctum est, & cum pietate coniunctum, promissionem habens remunerationis vitæ præsentis, & futuræ. Mat. 10. ca. *Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit iustum nomine iusti, mercedem iusti accipiet: & quicunque dederit potum vni ex his paruis, poculum frigidæ solum, in nomine discipuli, amen dico vobis non perdiderit mercedem suam.* Apostolus Paulus in Epistola ad Philippenses, quæ miserant ei dona, vocat odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam, & gratam. In pauperibus, quorum indigentiæ subuenitur, Christus colitur, & in Euangelij ministro honoratur. Hostiæ Leuiticæ finem acceperunt: Euangelicæ vsque in finem seculi perdurant. Euangelicæ victimæ sunt fidei confessio, laus, & gratiarum actio, quæ Deo redditur, & beneficentia & communicatio. Hinc Apostolus Christianos exhortatur, ad Heb. 13. cap. vt per Christum assiduè sacrificium laudis Deo offerant; id est, fructus labiorum confitentium nomini eius: & beneficentiæ & communicationis ne obliuiscerentur, sunt (inquit) victimæ quibus delectatur Deus. Quantumcunque prophani homines nihili æstiment honorem, qui Presbyteris debetur, eum tamen esse sacrum ex his testimonijs apparet, & cum sacrificijs, quæ in templo quondam offerebantur, comparari.

Confutantur aliæ quorundam rationes, & pluribus Scripturæ locis veritas confirmatur.

CAP. VII.

AT videre operæpretium est, quò furor se iactet implorum hominum, qui non tantùm nihil de suo largiri dignantur suis Pastoribus, sed honesta stipendia ex deprædatis Ecclesiæ opibus ipsis inuident. Ex vno D. Pauli exemplo, ad stiuam & rastra, & alias quasuis manuarias artes Ecclesiæ Ministerium vocant: vt sic studia sacrarum Literarum intereant, & ouile Christi doctis Pastoribus destitutum, luporum omnis generis morsibus & lanienæ pateat. Nihil (inquiunt) opus est magna eruditione Euangelij ministris: satis est vt plebem possint adhortari ad pietatem: Bibliorum codices extant vernacula lingua: leuiter salutâsse à limine musas, satis est Theologis. Quid obsecro est, arte cum Iuliano Apostata, qui Christianis liberales disciplinas inuidebat, Ecclesiæ moliri perniciem, si hoc non est? Sed ad Paulum redeo, qui in Epistola ad Corinthios laborem manuum, quo sibi victum comparauit, sibi laudi ducit, cum magno Corinthiorum probro; vnde consequens esse putant, vt idem faciant cæteri Euangelij ministri. Hic impudentiam an ignorantiam magis demirer, nescio, cùm Apostolus apertè indicet, se in ea re plus fecisse quàm tenebatur; & ius sibi æquè ac cæteris Apostolis fuisse, sumptum ab ipsis accipere, sed ob certas causas noluisse, & peperciisse ipsis. Illam commemorationem quis non videt esse exprobrationem neglecti officij? quamdiu illa legetur Epistola, vitio Corinthijs dabitur, quòd tantum Apostolum in opulenta vrbe egere passi sunt, & ab alijs Ecclesijs aut accipere stipem, aut operari manibus suis, ad victum necessarium comparandum. Magna profectò iniquitas est, vrgere quod semel atque iterum Paulus necessitate adactus fecit in nouo populo, ne quenquam offenderet, & vt malis calumniandi causam præriperet, ne ab ipso prædicari Euangelium dicerent non tam pietatis quàm quæstus causa; & præterire aliorum Apostolorum exempla, & alios Epistolarum Pauli locos, quibus sibi cumulatissimè necessaria fuisse ab Ecclesijs suppeditata testatur, & liberè debita sibi poscit officia; vt cap. 4. ad Phil. à 10. vers. vsque ad 20. & ad Philem. vers. 8. vsque ad 19. Vnde fieri putandum est, vt notetur ille locus Pauli ad Corinthios, qui de labore manuum mentionem facit, & non item Actorum, vbi credentes leguntur pretia suarum rerum

depositisse

depoſuſſe ante pedes Apoſtolorum, & omnem ſuam ſubſtantiam in poteſtate & arbitrio eorum poſuiſſe? & Ananiam & Saphyram, qui de prædij pretio aliquid ſubtraxerant, morte fuiſſe punitos? Auaritia tenax, & ingratitudo impia illic Argos reddit, hîc noctuas, vt ibi acutè videant, hic cœcutiant.

Iſtorum hominum furor vt magis appareat, Euangelica præcepta de hac re hîc recenſeri non erit inutile. Apud Matt. 10. cap. & Luc. 10. legimus Dominum, quando miſit Apoſtolos ad prædicandum Euangelium, poteſtatem feciſſe edendi quæ apud fideles inuenirent: *Dignus eſt operarius* (inquiebat) *mercede ſua*: & Paulus 1. ad Tim. 5. cap. 17. verſu, *Qui bene præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in ſermone & doctrina: dicit enim ſcriptura, Boui trituranti non obligabis os*: Et 1. ad Corinth. 9. cap. à 5. verſu vſque ad 15. ſeptem argumentis monſtrat, eos qui nunciant Euangelium, ex Euangelio poſſe viuere. Prima ratio hæc eſt: quòd nemo militet ſuis ſtipendijs. Secunda ſumitur ab agricolis, qui vineas colunt, quos de fructu vitis edere æquum eſt. Tertia à Paſtoribus, qui gregem paſcunt, & è pecore fructum percipiunt, ac lacte ſui gregis veſcuntur. Et ne cuiquam Apoſtolus videretur aliquid humanitùs paſſus, loqui, addit, *Num ſecundùm hominem hæc dico?* nempe cupiditate auaritiæ permotus? Legem idcirco citat, quæ humanitatem erga belluas, quæ noſtris vſibus ſeruiunt, præcipit, vt nouerimus multò magis ea eſſe vtendum erga homines, erga homines (inquam) qui de omnibus bene mereri non ceſſant: quod quartum argumentum eſt, & amplificatur ſimilitudine eius qui arat & triturat cauſa fructus percipiendi. *In Moſis lege ſcriptum eſt*, (inquit) *Non alligabis os boui trituranti: num boues curæ ſunt Deo? an hoc propter nos omnino dicit? propter nos enim hoc ſcriptum eſt: quòd ſub ſpe debeat is qui arat, arare, & qui triturat ſub ſpe, ſpei ſuæ particeps ſit.* Quintum argumentum ſumptum eſt ab ijs qui ſementem faciunt ſpe meſſis percipiendæ. *Si vobis* (inquit) *ſpiritualia ſeminauimus, magnum fuerit, ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus?* quaſi diceret, Nulla eſt inter hæc æqualitas: longè maiora damus, quàm à vobis accipimus. Sextum eſt ab inſtitutione diuina veteris Teſtamenti, qua conſtitutum erat, vt Sacerdotes & Leuitæ quotquot ſacris & altari operam dabant, inde viuerent. *An neſcitis* (inquit) *eos qui ſacris operantur, ea quæ ſunt ex ſacrario edere: & qui altari aſſident, de altari participare?* Poſtremò, ſimilem conſtitutionem in nouo Teſtamento eſſe factam à Domino oſtendit, vt qui Euangelium nunciant, de Euangelio viuant. His rationibus Chriſtianos teneri ſuis Paſtoribus luce clarius eſt, vt ab impia ingratitudine excuſari non poſſint, qui eos debito fraudant honore.

In Deum recidere Miniſtri ſui contemptum, & non tam hominem quàm Deum haberi ludibrio, locus ad Galatas ſexto cap. 6. verſu apertè docet: qui ſic habet: *Communicet autem qui inſtituitur in ſermone, ei qui ſe inſtituit, omnia bona: ne fallamini: Deus non irridetur: quidquid ſeminauerit homo, hoc & metet: nam qui ſeminat carni ſuæ, metet interitum: qui verò ſeminat ſpiritui, ex ſpiritu metet vitam æternam.* Communicet (inquit) qui inſtituitur, omnia bona. Pápæ (inquiet aliquis) quid hoc eſt? omnia bona? Sed ſynecdochen intelligere facile eſt: omnia bona dixit, pro parte omnium bonorum: quota, non præſcribitur. Veteri populo decima pars præcepta erat; nouo populo nulla: qui non tantùm decimas, ſed nonas, octauas, ſeptimas, ſextas, & quintas, totum denique aſſem, ſi Eccleſiæ poſtulet neceſſitas, Chriſto Domino debet. Addit poſteà, *Deus non irridetur*; ac ſi diceret, Fruſtrà vanæ obtenduntur excuſationes: non enim hîc agitur de hominis victu, ſed quanti facias Dominum tuum, & ipſius Euangelium: non putes te hominem ludere, vbi res cum Deo eſt, cui illudi non poteſt. Hîc ſi diuites, Nobiles, Barones, Comites, Duces, & ipſos denique Reges cogitemus ea liberalitate aliquando vſos erga Eccleſiarum Paſtores, quemque pro ratione ſuarum facultatum, quam Dominicæ leges iubent, & ratio gratæ memoriæ poſtulat: quantum putamus fuiſſe in Repub. Chriſtiana Eccleſiæ ærarium?

Maiorum bona exempla poſteris legem præſcribunt.

CAP. VIII.

MAiores noſtri cùm nullam de hac re ſibi in Euangelio præſcriptam legem viderent, quæ definiat quid & quantum cuique dandum eſſet, ſibi ſuiſque poſteris cõſtituerunt legem, & decimas ac alias oblationes, agros, & redditus annuos ex prædijs obtulerunt Eccleſijs: vt eſſet vnde Paſtores Eccleſiarum, & pauperes alerentur; & iuuentus in ſacrarum Literarum ſtudijs, aliiſque diſciplinis inſtitueretur: quas donationes firmas eſſe & immotas, illæ eædem leges volunt, quæ cuique rerum ſuarum proprietatem vſumque conſeruant.

Ex primorum Chriſtianorum liberalitate, quæ prædiorum pretia ad pedes Apoſtolorum adferebat, ipſa prædia potuiſſe dari, ſi temporis locique conditio tuliſſet, non dubium eſt. Sed qui euerſionem loci & gentis expectabant, & quàm Domini ſeruatoris noſtri, & ſuam conditionem non meliorem futuram ſub impijs ſacerdotibus prouidebant, vendenda omnia ſibi iudicârunt; & ſola ſuadente charitate, nemine cogente, omnem pecuniam Apoſtolorum diſpenſationi crediderunt. Horum exemplum ſecuti ſunt, qui ex ſuis opibus non tantùm ſemel, ſed in multa ſæcula Eccleſiarum neceſſitatibus ſuccurrendum, ſui eſſe officij æſtimârunt.

In caco-zeliam, rem degeneràſſe non ignoro: quocirca ego te (candide Lector) admonitum volo, me hic nec impias, nec ſuperſtitioſas donationes defendere: ſed notare magnam humani ingenij peruerſitatem, quæ pronior eſt in vitia contraria ruere, quàm in rebus tenere modum. Facilis eſt lapſus ab vno vitiorum extremo in aliud extremum contrarium: ſed tantò tolerabiliùs illi labuntur, qui in illud incidunt quod in exceſſu eſt, quàm illi qui in eam partem ruunt, quæ defectu peccat; quantò faciliùs eſt de copia quod ſuperfluit, detrahere, quàm ſupplere quod deeſt, inopiæ. Ridebit me forſan auarus quiſpiã, aut ſacrilegus Eccleſiaſticorum bonorum deprędator, cui ſtatutum eſt rapere potiùs, aut rapta retinere quæ olim piè data ſunt Eccleſijs, quàm de ſuo aliquid dare. Rideat per me licet, ſed videat ne Deum irrideat: mihi ſatisfactum erit, ſi Deo ſatisfecerit.

Oblationes Chriſtianorum pars quædam ſunt diuini cultus.

CAP. IX.

TAmetſi Deus muneribus non capiatur, nec vllis opus habeat: fructum tamen pietatis inquirit, animique grati teſtimonium, vúltque de ſubſtantia noſtra honorari: pars enim hæc vna cultus, qui Deo debetur, eſt, qua nos gratos & memores acceptorum beneficiorum profitemur. Deus ita ſpiritu & veritate (hoc eſt mente ac fide) coli vult, vt externum cultum non excludat: nam Creator & Seruator cùm ſit corporis & animi, ab vtróque coli debet: & corpora noſtra templa ſunt Spiritus ſancti, qui nos inhabitat. Pari ratione cùm ſit opum & bonorum omnium largitor, quæ præſentis vitæ vſus poſtulat, iure honorem & gratiarum actionem hoc nomine requirit.

Interrogatus Dominus noſter de cenſu ſoluendo Cæſari, reſpondit, *Deo reddendum quod debebatur Deo, & Cæſari quod debebatur Cæſari.* Cenſum igitur pendendum Deo ſubiectionis teſtificandæ cauſa, non ſecùs quàm Cæſari, ex hac reſponſione Domini fit manifeſtum. Salomon in Prouerbiis inter cætera hoc præceptum dedit, *Honora Iehouam de diuitijs tuis, & de primitijs omnium prouentuum tuorum: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino nouo torcularia tua ſeſe rumpent.* Cenſum enim Deo tanquam ſupremo Regi debemus, non ſecùs quàm terreno Principi; cui ſoluuntur tributa duplici nomine, & vt ſumptus quos facit reip. cauſa, ferre poſſit; & ſubiectionis teſtificandæ gratia: alterum eſt neceſſitatis, alterum honoris. Prius illud in Deo locum non habet, nec eo nomine quicquam à nobis poſtulat; poſterius verò tanto magis debetur, quanto homine Deus maior eſt, & Chriſtianis neceſſaria eſt profeſſio ſubiectionis.

Poſtquam

Postquàm Deus Israëlem sibi in peculiarem populum adoptauerat, tanquam Princeps & Dominus sui populi, sibi decimas omnium frugum, & alia supremæ potestatis iura sibi persolui mandauit. Et cùm apud Orientis populos nefas esset sine munere coram Rege comparêre, Deus eundem à populo suo popoſcit honorem: nimirùm quia Rex, & sui populi erat Dominus. Vnde in lege, qua in anno ter iubentur masculi sistere se coram Domino, prohibentur vacui munere comparêre.

Extat præterea apud Malachiam grauis obiurgatio contra Iudæos, qui fraudem in primitijs & decimis committebant: quod sacrilegium Deus etiam sterilitate puniuerat: sed si emendarent quod peccârant, futurum promittit, vt de cœlo abundantem copiam mittat omnium rerum. Verba Prophetæ hæc sunt: *Nunquid vim faciet homo iudicibus? Vos autem vim facitis mihi; & dicitis, In qua re vim fecimus? in decimis & primitijs. Maledictione ipsa vos maledicti estis, & dispoliastis me cuncta gens. Adducite omnes decimas ad domum thesauri, & sit esca in domo mea, & probate me nunc, dicit Dominus exercituum, & si non aperuero vobis fenestras cœli, & deprompsero vobis benedictionem, vt sufficientia non sit finis, &c.*

Inter pietatis opera in populo Dei habebatur, fideliter soluisse decimas, quæ non tam mortali sacerdoti dari censebantur, quàm Deo. Et Pharisæus in Euangelio, de fide sua in solutione omnium decimarum gloriabatur, tanquam de rara virtute.

Responsio ad obiectiones, quâ confirmatur, Euangelij Ministros non minore dignos honore, quàm erant Sacerdotes in populo Dei.

CAP. X.

EXcipitur, mutata esse tempora: hodie sub Euangelio omne Sacerdotium in se Christum transtulisse, quod ipsum, & ipsius adumbrabat officium: ritibus & ceremonijs externis imposuisse finem: ac ita cum sacerdotio antiquatum ius decimarum: & omnem externum splendorem, qui honorem & reuerentiam conciliabat Sacerdoti, esse sublatum. Neminem hodie sine impietate posse Sacerdotij honorem sibi arrogare. Inter præcipuos Antichristi numeratur errores, quòd se pro summo Sacerdote venditet; nimirùm, quòd ille honor hodie sit proprius soli Christo. Loco veteris sacerdotij, cui externus splendor, & religiosus adiunctus erat, Seruator noster ministerium Ecclesiasticum instituit humile & abiectum, sine vllo externo splendore: nominâque dedit rei & functioni congrua, nempe Apostolorum, Ministrorum, Diaconorum, Episcoporum, & Pastorum; dignitatis & honoris vocabulis valere iussis, qualia sunt Patris, Doctoris, & Domini; vt scirent quid ipsi de se, suóque ministerio sentire, & populus quo loco eos habere deberent.

Rectè quidem: (sed de singulis plenius postea videbimus) quid inde efficitur? minore honore dignos in Christiana Repub. priscis sacerdotibus esse Pastores & Episcopos Ecclesiarum Christi? Ex hac ratiocinatione consequens quoque futurum est, vt Aaronicum sacerdotium sit maiore honore dignum Christi sacerdotio, & legis ministerium Euangelico dignius: quo cùm nihil possit absurdius dici, fallacem esse hanc argumentandi rationem constat. Nam si ab externis rebus æstimandus est debitus honor Ministro, concludetur, Aaronem dignum summa veneratione; & Seruatorem nostrum Christum Pontificem ter maximum, nulla: quippe qui nulla fuerit insignis infula, nullo auro, nullis gemmis radiârit. Sed quod datur accipio, sacerdotes olim honore & obseruantia fuisse colendos: quid in ea re minus debeatur Euangelij Ministro, videndum est, paulóque altiùs repetendum.

Respondeo igitur, & dico, notandum esse in plerisque veteris Testamenti ceremonijs duo quædam non tarò concurrere distincta ab inuicem: quorum alterum vmbram, & promissiones rei exhibendæ per Christum continebat; alterum ad debitum pertinebat officium: vmbræ cessere, completis per Christum ijs quæ promittebantur; sed officiorum manet obligatio. Exempli gratiâ, præceptum de obseruatione Sabbathi promissionem requietis æternæ habet, & vmbram in otio corporum diei septimæ; & præ-

tereà morale officium de colendo Deo, & intermiſſione laboris danda ſibi & familiæ. Præcepta cætera externi cultus diuini officium continent Deo debitum, ſimul cum ritu illius temporis: ſublatis ritibus, Dei cultus eſt retinendus. Idem de ſacerdotio dicendum, cuius plures fuêre partes: quidquid vmbratile fuit, Chriſto ceſſit: cæteræ partes, quæ ad mores pertinebant, nempe quæ ad inſtitutionem populi Dei in pietate, & ſacramentorum adminiſtrationem ſpectant, ac Eccleſiæ regimen, mutata ſpecie, in ſuo genere manent.

Sacerdotalis functionis partes iſtæ fuerunt, docere pietatem, iura legéſque interpretari, Eccleſiam Dei regere, ſacra miniſtrare, medium ſtare inter Deum & populum, victimâ propitiare Deum, & ſanguine litare, peccatáque expiare. Quas omnes partes etſi ſolus Dominus noſter perfectè impleuerit, & quaſdam ita ſibi peculiares habeat, vt mortalium nemini potuerint committi: plures tamen multis communes fecit. Nam mediator inter Deum & homines nemo peccator eſſe poteſt: victima propitiare Deum hominibus, & ſanguine expiare peccata, irámque Dei auertere, qui purus ab omni labe peccati non eſt, non valet.

Typus tantùm huius diuini muneris in priſcis Sacerdotibus fuit, res autem in ſolo Chriſto: quiſquis ſibi hodie horum alterum vendicat, in Chriſtum blaſphemus eſt.

Sed quemadmodum huic ſuæ dignitati Dominus nihil derogauit, quando ſacrificandi omnibus Chriſtianis poteſtatem fecit ſpirituales hoſtias, nempe ſacrificium laudis, fructum labiorum confitentium nomini eius, preces & gratiarum actiones pro ſe & omnibus hominibus: (omnes qui Deum fide colunt, Reges & Sacerdotes facti ſunt:) ita ſine violatione peculiaris ſibi ſacerdotij, cæteras partes, quas ſuperiùs iam attigi, vt ſunt, pietatem docere, legem Dei interpretari, ſacra miniſtrare, & Eccleſiam regere, commiſit Apoſtolis, cæteriſq; Eccleſiarum Miniſtris, qui hoc nomine citra vllam impietatem, Sacerdotis honorem participare, & Sacerdotes eſſe dici poſſunt.

Quod nomen tametſi primis Eccleſiæ temporibus, Eccleſiæ Miniſtris datum nuſquàm legimus: (cùm id factum ſit ne confunderêtur miniſteria veteris Synagogæ & Eccleſiæ, dum vetus ſacerdotium adhùc ſtabat, aut nimis recens ipſius erat memoria) nihil tamen peccârunt Patres qui poſtea hoc nomen aſſumpſerunt, authore Eſaia, qui Leuitas & Sacerdotes Deum aſſumpturum ex gentibus prædixerat. Nec hodie in nomine quidquam eſſet periculi, niſi ſacrilegium obſtaret Epiſcopi Romani; qui altare contra altare erexit, & Sacerdotium, & ſacrificium expiatorium pro peccatis viuorum & mortuorum, contra illud vnum, quod iterari non poteſt, à Seruatore noſtro ſemel oblatum, inſtituit, partes hoc pacto inuadens ſacerdotij, quæ ſolius ſunt Chriſti: de ſuis pluribus hic non eſt diſputandi locus. Hoc tantùm teſtatum eſſe cupimus, nos impietatem Romani Antichriſti deteſtari, & quod hanc Sacerdotij partem attinet, præter vnum Dominum Ieſum, Sacerdotem nullum nos agnoſcere. In cæteris quas diximus, quemadmodum legationis, ſic ſacerdotij, Apoſtolos, & alios Eccleſiarum Paſtores, adſerimus accepiſſe dignitatem.

Ad argumentum venio, & dico fuiſſe ſublatum morte Chriſti quidquid in Sacerdote Leuitico ipſius adumbrabat officium, cuius nulla pars mortali tradi poteſt: ritus, & ceremonias, & externum ſplendorem ſacerdotis, cùm in veſtitu & in ornatu corporis, tum in illo decimarum iure quod tunc vigebat, ſimiliter concidiſſe: ſed non ſimul honorem, qui propter Miniſterij dignitatem debebatur Sacerdoti. Abrogato Aaronico ſacerdotio, iura illius ſacerdotij ſecundùm ſuas ſpecies quoque abrogata intelliguntur, & Eccleſiæ miniſterium à tribu Leuitica tranſlatum ad Apoſtolos, & eorum ſucceſſores: in quibus, cùm omnia, quæ honorem merentur, ſint maiora quàm in Leuiticis Sacerdotibus, nihilo minorem Chriſtianus ſuo Paſtori debet honorem, quàm Iudæus debebat ſuo Sacerdoti.

Iura decimarum & oblationum veterum, eo modo & ratione qua ſub Moſe offerebantur, ſub Chriſto ceſſare fateor: non vt populus Chriſtianus ſit minùs liberalis erga ſuos Paſtores, quàm Iudaicus populus fuit olim erga Sacerdotes: ſed vt in beneficentia, & vltronea communicatione, excellat & ſuperet liber populus ſeruilem, & ſponte faciat Chriſtianus, quod lege coactus fecit Iudæus. Nam cùm non modò paria beneficia, ſed longè maiora Chriſtiani à Deo acceperint, quàm Iudæi; & Miniſterium eorum, quos

quos Ecclesiæ suæ præfecit Deus, nulla in re sit inferius, aut minùs vtile ac necessarium veteris legis Ministerio: manet, si non maior illic quàm hic, saltem par eodem æquitatis iure obligatio: & quidquid fuit cæremoniæ in veteribus decimarum & primitiarum oblationibus, ita perijt, vt quod morale erat, vim suam retinuerit.

Si nulla analogia esset inter vtrumque Ministerium, & ipsius ratione obligationem, Scriptura non diceret, *Quemadmodum eos qui sacris operantur, ea quæ ex sacrario sunt edere; & qui altari assident, cum altari participare: Ita Dominus constituit ijs qui Euangelium nunciant, vt ex Euangelio viuant.* Ex quibus verbis parem esse rationem vtriusque ministerij significatur. 1.Cor.9.

Quòd Euangelij ministerium Seruator noster nullo apparatus externi splendore, nulla magnificentia ornauit, sicut fecerat olim Mosaicum; non hoc consilio factum est, vt minorem reuerentiam Christiani exhibeant suis Pastoribus, quàm olim exhibuerunt Israëlitæ suis sacerdotibus: sed quòd Euangelici ministerij tanta sit dignitas, vt nullis externis ornamentis indigeat: quæ tamen si adsint, non augetur; si desint, non minuitur. Ad Domini Seruatoris nostri honorem, & hominum salutem, omnia externa bona seruire debent, recepto publica authoritate Christi Euangelio: oblata possunt recusari, & negata expeti, prout res, locus, tempus, hominésque postulabunt. Seruos Christi ad omnia paratos esse oportet: ad honores pariter & opprobria, ad bonam & malam famam, copiam & inopiam, mortem denique & vitam, vt qui vtantur hoc mundo, sint tanquam non abutentes; præterit enim huius mundi forma.

Constituerat Deus in veteri Testamento peculiarem Rempublicam, quæ licet posteà varias acceptura erat formas regiminis, Sacerdotum dignitati ita prouidit, vt gradum honoris, quem in suo populo ipsos tenere volebat, semper retinuerint. Sub Euangelio peculiarem gentem nullam Deus adoptauit, nec reipub. certam formam dedit: ad omnes populos Euangelij præcones misit homines priuatos sine Imperio, quibus regiminis formas mutandas non præcepit, ne ad euersionem potiùs quàm conuersionem gentium missi viderentur. Quæ res non impedit, quò minùs meliorem, ac magis vocatione sua dignam conditionem accipiant, vbi publica authoritate Christiana religio recepta est, & legum, ac totius Reipub. facta est fundamentum. In veteri Testamento Sacerdotalis honor per suas species fuit expressus, quis, quantus, cuiusmodi, & quibus in rebus: In nouo Testamento non potuit; quòd is, idem, vbique, & semper, sibi similis apud omnes esse non posset. Sed quemadmodum alia quàm plurima exempla ex veteri Testamento, & naturæ lege, omniúmque gentium bonis moribus & institutis, Christiani sumunt, quæ ad ciuilem iustitiam formandam, & bonam gubernationem conducunt: idem in hac re fieri, æquitatis ratio iubet.

Ministerij vilitas & abiectio est in aduersariorum Ecclesiæ, & carnalium Christianorum oculis & iudicio, non eorum qui in rebus diuinis exercitatos habent sensus. Quantò Christus Mose maior est, & lege præstantius Euangelium, tantò est ministerium Euangelicum Aaronico sacerdotio præstantius: quod pluribus argumentis ab Apostolo Paulo docetur, & ex sermonibus Seruatoris nostri discere possumus. Magna res fuisset olim in populo Dei, quempiam similem esse Mosi aut Eliæ. Post acceptam à Deo legem, & familiare cum Deo in monte colloquium, tanto fulgore radiâsse Mosis vultus legitur, vt fulgorem non ferrent oculi Israëlitarum. Posteà Elias zelo diuinæ legis admirandis actionibus claruit, & tandem viuus in cœlum assumptus est. Paulus tertio capite poster. ad Corinth. disputat, ministerium Mosis esse literæ, Euangelij verò, spiritus, & iustitia; & idcirco tantò magis excellere, & ipsius maiorem esse gloriam. Seruator noster apud Matthæum, & apud Lucam, omnibus Prophetis præfert Iohannem Baptistam, quem ait fuisse plus quàm Prophetam; quo tamen, maiorem esse affirmat minimum regni Dei ministrum. Est igitur minimus Ecclesiæ minister iudicio Seruatoris nostri Christi, quouis sacerdote veteris Testamenti, in suo munere præstantior.

De nominibus humilibus, quæ Dominus ministris Ecclesiæ suæ dedit, vetitis inflatis titulis honoris, domini, patris & doctoris, dico nihil id esse factum, vt minori honore & obseruantia colantur in populo Dei Euangelij ministri, quàm olim Sacerdotes ac Leuitæ; aut vt infra omnes ordines abijciantur, nullóque in Repub. Christiana sint loco:

ſed vt humilitatem in tanta functionis ſuæ dignitate & excellentia retineant. Niſi enim ſalutaribus præceptis Dominus humani ingenij peruerſitatem etiam in ſuis ſeruis retunderet, tanta eſt dignitas functionis Eccleſiaſticæ, vt ipſius conſideratio inanes animos facilè vento tumoris impleat, & elatos per ſuperbiam præcipitet.

Sed quemadmodum humilitas docetur in contemnendis honorificis titulis; ita ſimiliter excellentia demonſtratur magnificis vocabulis: ſicuti quando vocantur ſal terræ, lux mundi, ſtellæ in firmamento, & in manu Domini, Angeli, & legati qui legatione funguntur pro Chriſto, œconomi & diſpenſatores myſteriorum Dei, Miniſtri Spiritus & vitæ, & non literæ; ligare & ſoluere in terris, quæ ligata & ſoluta ſunt in cœlis; remittere ac retinere peccata; claudere & aperire cœlum. His rebus nihil in mortalitate amplius hominibus dare potuit. De vſu & abuſu horum nominum, Doctoris, Domini, & Patris, dicemus poſtea.

Quare vt hanc diſputationem concludam „ ex ijs quæ diximus, aio, non minùs Chriſtianum populum teneri ſuis Paſtoribus, quàm olim Iſraëlitæ Sacerdotibus & Leuitis; & recepta publica authoritate religione Chriſtiana, eundem honoris gradum in Republica Euangelij miniſtris dandum, quem Sacerdotes & Prophetæ in Iſraële obtinuerunt. Quòd ſi ab ingrato populo & improbo magiſtratu, non haberi huius debiti honoris rationem contingat, Paſtores Eccleſiarum nihil commoueri propterea oportet, cùm miniſterij eorum dignitas tanta ſit, vt eam nulla hominum queat minuere iniquitas. Ita enim eſſe comparatos oportet, vt ſi deferatur ipſis debitus miniſterio ſuo honor, gaudeant de pietate fidelium, erga Deum & Dominum ſuum Ieſum Chriſtum: ſin negetur, tanquam ipſis perierit aliquid, non doleant, nec acerbiùs de iure ſuo cum magiſtratu, alieno tempore contendant; rem Deo committant, & Pauli exemplo tempus oportunum expoſtulandi expectent: ſúſq; deq; habeant quidquid in hac parte errore aut ignorãtia peccatur, precentúrque Deum meliorem mentem dari ijs, qui ſe Chriſtianos haberi volunt. Prima fidi Paſtoris cura ſit, quamplurimas Chriſto lucrari oues, non multas opes, aut vanos honores: primò quæratur regnum Dei, & iſta omnia adijcientur. Honoris igitur Euangelij miniſtris debiti cùm ſint plures partes, eas præſertim proſequar, quas ciuilis vitæ ſocietas in Chriſtiana Republica poſtulat: & illam in primis quæ in exhibenda ſtipe eſt ſita, & quocunque Reipublicæ ſtatu olim minus habuit controuerſiæ: de qua, quæ fuerit Patrum ſententia, qui proximè vixêre Apoſtolorum temporibus, audiamus.

Patrum ſententiæ de fidelium oblationibus.

CAP. XI.

INcipiam ab Origene, qui vixit ſub Seuero, circa annum 200. à nato Seruatore: Is in Numerorum lib. cap. 18. homilia 11. ſic ſcripſit: *Decet enim, & vtile eſt etiam, ſacerdotibus Euangelij offerri primitias: ita enim & Dominus diſpoſuit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant, & qui altari deſeruiunt, de altari participent. Et ſicut hoc dignum, & decens eſt, ſic è contrario, & indecens & indignum exiſtimo, & impium, vt is qui Deum colit, & ingreditur Eccleſiam Dei, qui ſcit ſacerdotes & miniſtros adſiſtere altari, & aut verbo Dei, aut miniſterio Eccleſiæ deſeruire, vt de fructibus terræ, quos Deus Solem ſuum producendo, & pluuias ſuas miniſtrando dedit, non offerat primitias Sacerdotibus. Non mihi videtur huiuſmodi animus habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus quos cepit, quos ita recondit quaſi alienos à Deo. Si enim à Deo ſibi datos crederet, ſciret vtique munerando ſacerdotes, honorare Deum de datis & muneribus ſuis. Et adhûc, vt amplius hæc obſeruanda etiam ſecundùm literam ipſius Dei vocibus doceantur, addemus ad hæc. Dominus dicit in Euangelijs, Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, id eſt, decimam datis, mentha, & cymini, & anethi; & præteritis quæ maiora ſunt legis: hypocritæ, hæc oportet fieri, & illa non omitti, &c.* Idem author ibidem. *Quomodo ergo abundat iuſtitia noſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, ſi illi de fructibus terræ ſuæ guſtare non audent, priuſquàm primitias ſacerdotibus offerant, & Leuitis decimæ ſeparentur: & ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutar, vt ſacerdos neſciat, Leuites ignoret, diuinum altare non ſentiat?*

Irenæus

Irenæus Polycarpi discipulus, lib. 4. cap. 34. de Christianorum sacrificijs & oblationibus scribit, quod pluribus locis repetit: vnde consuetudo & iudicium Ecclesiæ illius temporis de hac re facilè potest intelligi. Verba illius sancti Patris hæc sunt. *Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ, sicut Moses ait: Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui: vt in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem. Et genus oblationum reprobatum est, oblationes enim & illic, oblationes autem & hîc sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia, sed species immutata est tantùm: quippe cùm iam non a seruis, sed à liberis offeratur: vnus enim & idem Dominus; proprium autem character seruilis oblationis, & proprium liberorum, vti & per oblationes ostendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum nec sine signo, sine argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas: qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum, ad Dominicos decernunt vsus, hilariter & liberè dantes ea, quæ sunt minora, vtpote maiorem spem habentes, vidua illa & paupere hîc totum victum suum mittente in gazophylacium Dei, &c.* Posteà eodem capite. *Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, iustè munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est: quemadmodum & Paulus Philippensibus ait, Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ à vobis missa sunt, odorem suauitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo. Oportet enim nos oblationem Deo offerre, & in omnibus gratos inuentri fabricatori Deo, in sententia pura, & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias eorum quæ sunt eius creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius, &c.* Et eodem capite. *Offerimus autem ei non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi eius, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum, quæ à nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo, &c.* Irenæus vocat oblationes & eleemosynas bonas actiones, quemadmodum Cyprianus bona opera, authore Paulo, qui eas beneficentiam, & communicationem, & bona opera, & victimas etiam, quibus placatur Deus, nominat. *1. Tim. 6. 18. Tit. 3. 14. Heb. 13. 16.*

Plura ex eodem authore citari possunt: sed eiusdem sensus, verbis paulùm mutatis, Cyprianum in Epistolis audiamus, Epistola 34. qui de lectoribus, quos creauerat, ita scribit. *Cæterùm Presbyterij honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cum Presbyteris honorentur, & diuisiones menstruas æquatis quantitatibus partiantur, &c.* Sportulas, quæ Presbyteris singulis mensibus diuidebantur, honorem Presbyterij vocat. Ex Epistola 60. quantæ fuerint opes Ecclesiæ Carthaginensis potest æstimari, ex collatione cleri & populi: collecta enim fuêre sestertia centum, & missa Mauritaniæ Episcopis ad redimendos captiuos, plura mittere parati si postularet necessitas. Cypriani verba hæc sunt. *Misimus sestertia centum millia nummûm, cùm istic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia præsumus, cleri & plebis apud nos consistentis collatione collecta sint: quæ vos illic pro vestra diligentia dispensabitis.* Et in Epistola 66. ita scribit. *Leuitica tribus, quæ templo, & altari, ministerijs diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet, sed alijs terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum & alimentum suum, ab vndecim tribubus de fructibus qui nascebantur, decimas reciperet, &c.* Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini, ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestijs & negotijs sæcularibus alligentur: sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant; sed die & nocte cœlestibus rebus & spiritualibus seruiant, &c. Romæ illa ætate alebantur sub Cornelio quadraginta sex Presbyteri, Diaconi septem, subdiaconi totidem, acoluthi 42. exorcistæ, lectores, ostiarij, simul 52. Totius cleri numerus erat 155. virorum, quos ferè plerosque omnes suas familias habuisse certum est: viduæ præterea, & alij morbo aut egestate afflicti, erant mille quingenti; quos, vt ipse Cornelius testatur in Epistola ad Fabianum Antiochiæ Episcopum, omnes Domini gratia & benignitas abundè sustentabat: & ne quis putet tenuiter & parcè id factum fuisse, addit, tantam Ministrorum multitudinem, tantum egentium numerum, Dei prouidentia fuisse locupletatum, & rerum abundantia confluentem. *Cypr. epist. 34.* *Id est, 2500. ducatos ad minus, vel, nisi nimia videbatur summa pro illius temporis conditione, 2500000. Cypr. epist. 60.* *Euseb. lib. 6. cap. 38.*

Nota est Laurentij Diaconi Romanæ Ecclesiæ historia, penes quem thesauros adseruari Ecclesiæ, tyranni suspicabantur: quæ suspicio partim vera fuit, nam thesauros habebat Ecclesia; partim falsa, nã adseruandi thesauros mos non erat, sed distribuẽdi. Philippi oblationes & munera Ecclesiæ data serò repetebantur: Diaconorum enim ministerium

per pauperum manus ea recondiderat, vbi nec fur, nec ſacrilegus penetrare poterant. Eccleſiarum illorum temporum hæc non infima laus fuit, quòd quemadmodùm priuatim Chriſtiani erant pauperes, ita erant in communitate diuites, ad exemplum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ.

Ante Conſtantini tempora Eccleſiæ habuerunt prædia, & loca quædam, in quibus ſuos conuentus celebrabant.

CAP. XII.

CHriſtianos poſſediſſe prædia & fundos, quorum fructus diſtribuebantur clericis & pauperibus, teſtantur edicta Conſtantini Magni. Sub Diocleſiano omnia fuerunt Chriſtianis adempta, quæ priuatim & communiter poſſidebant. Sed pius Imperator Conſtantinus edictis ſuis prouinciarum præſidibus mandat, vt loca, in quibus Chriſtiani conuentus ſuos celebrabant, & alia quæ poſſederant, & ad ius communitatis ipſorum pertinebant, reſtituerentur. Sabellicus narrat, Lucinam nobilem & opulentam matronam à Maxentio fuiſſe relegatam, quia facultatum ſuarum Eccleſiam Rom. inſtituerat hæredem. A Conſtantini temporibus deterior Eccleſiæ conditio non fuit: (falſas & fictas Imperatoris Conſtant. donationes prætereo.) hoc certò conſtat, in Eccleſias fuiſſe liberalem. Sozomenus de Conſtantini liberalitate ſcribit, quòd ex terra, quæ in ſingulis ciuitatibus vectigalis erat, certum vectigal, quod ærario penſari ſolebat, acceperit, & Eccleſijs ac clero diſtribuerit; quam largitionem in omne tempus ratam eſſe lege ſanciuit. Euſeb. in vita Conſtant. idem teſtatur. Vt porrò omnes ſciant quæ fuerint opes Eccleſiarum illorum temporum, pauca illius æui proferam exempla, & incipiam ab eo quod de ſua Eccleſia, quæ Hipponæ erat, Auguſt. ſcriptum reliquit: erat enim ex Patricio genere, & re ſatis opulenta. *Ego* (inquit) *ſecundùm multorum ſenſum, comparantium ſemetipſos ſibimetipſis, non diuitias dimiſiſſe, ſed ad diuitias videor veniſſe; vix enim vigeſima particula res mea paterna exiſtimari poteſt, in comparatione prædiorũ, quæ nunc vt Dom. exiſtimor poſſidere.* Vnde illas opes haberet Eccleſia, in eadem Epiſt. inuenietur. Proſper de vita contemplatiua, narrat de Hilario Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcopo, quòd illa, quæ tunc Eccleſia habebat, non ſolùm poſſederit, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hæreditatibus, ampliauerit.

Euſeb. lib. 10. cap. 5.

Sabel. Ennead. 7. lib. 8.

Soz. lib. pr. cap. 3.

Euſeb. de vita Conſt. lib. 4. cap. 28.

Auguſt. epiſt. 225.

Inter Epiſtolas Baſilij Magni, integra extat, quæ docet pleroſque bonas portiones hæreditatis teſtamento relinquere ſolitos Eccleſiæ, & alios interdum integras. Sed quid opus eſt his citandis immorari? notæ ſunt leges Imperatoriæ de hac re: & ipſa res nemini eſt ignota. Sed lectorem admonitum volo, ne erret, quando identidem apud Patres legit, Eccleſiæ poſſeſſiones eſſe non tantùm Epiſcoporum & & Presbyterorum, ſed pauperum; hypocriſi & auaritia veterem Eccleſiæ morem fuiſſe perturbatum. Cùm omnia bona Eccleſiaſtica cuiuſuis diœceſeos, omnibus eiuſdem territorij Eccleſiaſticis communia eſſent, iuxtã diſcretionem Epiſcopi cuilibet Eccleſiaſtico diſtribuenda; tunc inualuit illud dictum, Bona Eccleſiæ bona pauperum: non quòd in vſus pauperum tota Eccleſiæ bona erogarentur, ſed quòd quarta pars illis deberetur. Vna enim pars ipſi Epiſcopo: ſecunda reliquis Eccleſiaſticis: tertia Eccleſiarum fabricis: quarta pauperibus, & captiuis redimendis cedebat. Vbi autẽ ob plurima huiuſce cõmunitatis incommoda, & multas Eccleſias ruri paſſim creatas, redditibúſq; dotatas, quaſi tacito totius orbis conſenſu ab hac cõmunitate receſſum eſſet; ac tertæ portiones menſæ Epiſcopali, aliæ etiã Presbyteris, aliiſq; Eccleſiaſticis in Epiſcopali quáque Eccleſia degentibus, tam pro ipſorum alimonia, quàm ſarta tecta tuẽda Eccleſia, aſſignatæ eſſẽt, nec non Presbyteri alij ruri paſſim in Eccleſijs parochialibus cum titulo perpetuo per Epiſcopos inſtituerentur, ſicque in partem ſollicitudinis cum Epiſcopo vocarentur, ne quod ab vniuerſis curandũ erat, à ſingulis (vt fit) negligeretur: dubium eſſe non poteſt, quin hac ratione ſi clero de bonis Eccleſiæ nihil fuiſſet ademptum, multò vberiùs pauperibus proſpectum fuiſſet per ſingulos cuiuſuis territorij Eccleſiaſticos, quàm cùm quarta pars reſiduæ Eccleſiaſticorum bonorum in ipſorum vſus deputaretur, idque minori cum murmure & incommodo. Sed eam quartam

tam partem monachi, & monachæ, aliíque, qui religioſi vocabantur, ad ſe pertraxerunt; qui paupertatis Euangelicæ, quam profitebantur, titulo, deprædati ſunt clerum & pauperes, & incredibilem confuſionem inuexerunt in bonorum Eccleſiaſticorum veterem œconomiam, vt deuoluta ſit ad diuites pars quæ pauperibus debebatur. Abuſus Commendarum & emphyteuſium prætereo.

Ambroſ. Epiſt. 31. lib. 5. *Poſſeſſio Eccleſiæ ſumptus eſt egenorum: numerent quos red. meriat templa captiuos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus viuendi ſubſidia miniſtrauerint. Aurum habet Eccleſia non vt ſernet, ſed vt eroget, & ſubueniat neceſſitatibus. Quid opus cuſtodire quod nihil adiuuat?* Auguſtinus tractatu in Ioan. cap. 21. & in Pſal. 103. diſſerit de iure, ex verbo Dei, Apoſtolorum & miniſtrorum Euangelij, accipiendi carnalia ab ijs, quibus miniſtrant ſpiritualia. *Dant aurum* (inquit) *& accipiunt fœnum:* Et Tomo 10. operum ipſius, extat integra homilia de ſoluendis decimis, tanquam debitis.

Hieron. in 3. cap. Mal. inter cætera quæ ad hanc ſententiam pertinent, hæc quoque habet verba. *Quod de decimis primitiiſque dicimus, quæ olim dabantur à populo ſacerdotibus & Leuitis, in Eccleſia quoque populis intelligite, quibus præceptum eſt, non ſolum decimas dare & primitias, ſed vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus; & ſequi Dominum ſaluatorem. Quod ſi facere nolimus, ſaltem Iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto, & ſacerdotibus, ac Leuitis honorem debitum deferamus. Vnde dicit Apoſtolus, Honora viduas quæ veræ viduæ ſunt: & Preſbyterum duplici honore honorandum, maximè qui laborat in verbo & doctrina: quod qui non fecerit, Deum fraudare & ſupplantare conuincitur, & maledicitur ei in penuria rerum omnium: vt qui parcè ſeuerit, parce & metat; & qui in benedictionibus ſeminauerit, in benedictionibus colligat, &c.* Plura huius generis in illo loco legi poſſunt in hunc ſenſum. Si pergam recenſere quidquid apud Patres de hac re ſcriptum eſt, eadem repetam, & idem itidem inculcabo, tædiúmque lectori adferam in re minimè controuerſa.

Diuiſio bonorum Eccleſiaſticorum.

CAP. XIII.

OPes Eccleſiaſticæ non ſunt eiuſdem generis: aliæ in oblationibus populi, aliæ in prædijs, aliæ in agrorum aliarúmque rerum cenſu, aliæ in feudis & regalibus ſunt ſitæ. Quæ omnes in duo genera ſolent diuidi: alterum eorum eſt quæ vulgò dicuntur ſpiritualia, alterum eorum quæ vocantur temporalia. Sed cùm hæc vocabula non ſatis propriè explicent ſuas res, magis propria fuerunt à politioribus inuenienda. Temporali enim non niſi æternum opponitur, & ſpirituali, carnale, aut corporale. Rectiùs igitur loquuntur qui temporalia vocant humana & ciuilia, & pro ſpiritualibus dicunt ſacra & diuina. Tametſi ſacrum generaliter quidquid Deo & ipſius miniſterio eſt conſecratum, dici mereatur: tamen oblationes, quòd proximè Deum reſpiciant, ſacra & diuina bona vocant, non tam diſcriminis cauſa, quam proprietate ipſius rei: ciuilia verò & humana bona, poſſeſſiones & agros Eccleſiarum, quæ naturâ & conditione ſimilia ſunt cum ijs, quæ ab alijs ciuibus poſſidentur; & eis data ſunt, vt tam in Eccleſia quàm in ciuitate honeſtum locum teneant, & dignitatem perſonæ, quam ſuſtinent, tueantur; quæ ſubſiſtere non poteſt, ſi opes ita ſunt tenues & acciſæ, vt nullam poſſit exercere liberalitatem. Magna ſunt quæ à Paſtoribus Eccleſiarum expectantur: vt ſunt hoſpitalitas, egenorum ſubleuatio, & alia quæ ſunt huiuſmodi: quæ Chriſtus ipſe non tantùm docuit, ſed etiam præſtitit. Turpe eſt enim Epiſcopum charitatem & liberalitatem in pauperes docere, quam ipſe exercere non poſſit.

Ne quis putet hanc diſtinctionem tantùm iuris eſſe Pontificij, proinde reijciendam: nouerit ex ijs quæ iam citauimus, eam eſſe Patrum. Ambroſius in Epiſtola de tradendis baſilicis, collationum populi, & agrorum, quos poſſidebat Eccleſia, meminit. Diuina igitur & ſacra cenſentur bona, dona & oblationes fidelium, quæ ſua ſponte Deo offerunt: quoniam in ea re non tam hominis quàm Dei habetur ratio. Sub hoc genere complectimur decimas: tametſi magnum ſit diſcrimen inter decimas, quas populus vltrò, non compulſus

pulſus ſoluit, aut indicta lege, ſibi & poſteris religioſè ſoluendas quondam ſuſcepit Eccleſiarum miniſtris; & illas decimas, quas Principes dederunt.

Nam & hoc ſcire conuenit, non tantùm ſacerdotibus decimas ſolui ſolitas, ſed etiam ſummo magiſtratui. Audiuimus vectigalia quædam, Reipub. ſolui ſolita, à pio Imperatore Conſtantino Eccleſijs data, nimirum multis in locis ſuperſtitione gentilium abrogata, cùm nobiliores & ditiores, cùm bona parte vulgi, Chriſti fidem non ſtatim receperint, oblationes fidelium pauperibus, & Eccleſiæ Paſtoribus alendis, ſufficere non potuerunt. Ego vectigalia illa, niſi me coniectura fallit, decimas fuiſſe arbitror: conſtat enim Romanos deuictis prouincijs decimas ſoluendas impoſuiſſe: quibus nullum vectigal quod magis conueniret, dare potuit Eccleſijs. Hoc exemplum Carolus Magnus imitatus eſt, quando deuictis Saxonibus, & eorum Rege Widekindo fugato, decimas indixit; quarum partem receperunt Epiſcopi & alij Eccleſiæ Paſtores; partem regij miniſtri. Coniecturam Crantzij in ſua metropoli non probo, qui decimas ab Epiſcopis in feudum datas nobilibus credit: cùm ex Annalibus conſtet, decimas illas receptas fuiſſe à Regijs miniſtris, antequàm eſſent Epiſcopi, & vbi nulli adhuc erant. Sed cum decimæ non ſufficere viderentur, fundos & prædia pio & prudenti conſilio in vſus Eccleſiæ adiecit. Nam ferox illa gens armis & vi domita, religionem Chriſtianam quidem admittebat, verùm alieno animo ab ea manebat, vt fame ac rerum inopia perire Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Doctores, quos ex varijs locis eò mittebat Imperator, citiùs paſſi fuerint, quàm vltrò aliquid daturi. Qui de hac re plura cupit, legat Crantzij metropolim, & Saxonicas hiſtorias. Decimæ igitur quas nulla religio Chriſtiani populi, ſed magiſtratuum liberalitas Eccleſiæ dedit, inter ciuilia bona numeranda eſſent: ſed cum hodie permixtæ ita ſint, vt primæ donationis ratio ignoretur, à certiore & meliore parte denominationem meritò habent, & inter ſacra numerantur.

Ciuilia & humana quæ dicimus bona, diuidi poſſunt in poſſeſſiones prædiorum, & annuorum reddituum ex agris alijſque rebus, quæ Eccleſia habuit etiam ſub infidelibus Imperatoribus, ante tempora Conſtantini; & in poſſeſſiones feudorum & dominiorum, quæ ciuilem iuriſdictionem habent. Quæ quoniam ab Eccleſiaſticis viris poſſideri non debere quidam contendunt, ſed ex mera eleemoſyna ipſis eſſe viuendum, id nobis ſimiliter eſt examinandum.

Eccleſiarum Paſtores non aluntur eleemoſynis, ſed ſui laboris debita mercede.

CAP. XIIII.

OPinati ſunt nonnulli, Dominum noſtrum, & Apoſtolos non tantùm pauperes vixiſſe, verùm mendicos: proinde ex eleemoſynis Euangelij miniſtris ad eorum exemplum eſſe viuendum. Sed hunc errorem conuincit Dei lex, quæ mendicitatem in populo prohibuit. Eam legem nuſquam infregiſſe aut antiquâſſe Dominus aut ipſius Apoſtoli leguntur. Extant Imperatorum leges contra validos mendicantes.

Eleemoſynæ dantur, miſericordiæ intuitu, opis & alieni auxilij egenis. Quidquid autem datur vt virtutis ſit teſtimonium, aut propter ſuſceptos labores merces eſt, aut honorarium, etiamſi pauper & inops ſit is cui datur. Quando Dominus diſcipulos ad prædicandum Euangelium emiſit, & poteſtatem ipſis fecit victum accipiendi ab eis, quibus euangelizabant, eos comparauit operarijs; & ſtipem quam erant accepturi, mercedi, quæ debita iure redditur, & exigitur. Vnde natura eorum quæ pij conferebant in Domini vſus, & Apoſtolorum, facilè intelligitur fuiſſe honorarij, non eleemoſynæ. Sicut oblationes, & ſacrificiorum quædam partes cedebant ſacerdotibus, non tanquam eleemoſynæ, ſed laboris fructus: ita Paſtores Eccleſiarum à fidelibus quos docent, grati animi teſtimonium, non eleemoſynam accipiunt: illud enim eſt iuſtitiæ, hoc commiſerationis opus. Si quis latiùs patére contendat apud Theologos ſignificationem eleemoſynæ, & accipi pro quauis beneficentia, quæ fit propter Deum, ſubleuandæ neceſſitatis proximi cauſâ; quàm id rectè dicatur, Græcæ linguæ peritis iudicandum relinquo: interim

terim fatebor, hac ratione quæ data sunt Ecclesijs in vsum Ministrorum, dici posse eleëmosynam, sed huiusmodi, vt toto genere differat ab ea, qua subuenitur pauperi, qui nihil de Ecclesia meretur, nec meritus est. Dixi, non aliam legem viuendi datam à Domino Euangelij ministris, quàm cæteris fidelibus: (sola muneris sui conditione excepta:) fideles nulla religione Principum esse beneficiarios prohiberi, dubium non est. Quod leges conditionis Pastorum attinet, nulla est quæ eos vetat Principum vti beneficijs, & illis deuinciri more reliquorum ciuium. Præterea, Euangelica præcepta non aduersantur iuri gentium, nec æquitati Mosaicæ legis: at illæ constituunt sacerdotibus, & sacrorum Ministris, agros, prædia, aliáque ciuilia iura. Nulla enim lege aut æquitate excludi possunt à communi ciuium iure ij, quibus inter ciues viuendum est, & sub eodem magistratu ferenda sunt cum cæteris ciuibus communia Reipublicæ onera.

Deus in lege sua præter decimas & oblationes, Sacerdotibus & Leuitis vrbes, & pomœria vrbium, ac oppidorum, dari præcepit, in quas non minorem habebant authoritatem, quàm reliquæ tribus in vrbes & agros, quæ sorte ipsis obuenerant. Recepto Euangelio authoritate publica, ad eundem modum ministros Euangelij agros & possessiones possidere, aut possidendas ipsis dari, nusquam Seruator noster prohibuit. Nec in constituta Repub. quæ Euangelium recepisset, deteriore conditione esse voluit, quàm fuerant olim in Israële Leuitæ & Sacerdotes. In ciuitate cùm sit viuendum Ecclesiarum ministris, adiumenta illa ipsis sunt necessaria, quibus ciuilis societas opus habet, & authoritatem & gratiam apud vulgum conciliant; cuiusmodi sunt sapientia, & diuitiæ: alterum horum qui contemnit, cum dignitate in ciuitate versari non potest. Sapiens in suo Ecclesiaste 7. cap. vers. 11. & 12. id notauit. *Bona est sapientia* (inquit) *cum hæreditate, & est excellentia videntium solem, quia in vmbra sapientiæ, & in vmbra argenti requiescet homo.* In his enim duobus situm est magnum ciuilis vitæ præsidium. Aliud est vitæ genus quod publicum est, & in omnium versatur oculis, & necessariò cum diuersorum ordinum hominibus, cum priuatis & cum magistratibus, cum summis & cum infimis rem habet: aliud obscurum & latens, nusquam tutum, sub infideli magistratu, eoque non rarò infenso; vt iniquissima sit comparatio horum duorum inter se, vt vtrobique parem facias vitæ conditionem, & ijsdem subijcias legibus.

De feudis, & ijs quæ ciuilem habent administrationem, controuersia.

CAP. XV.

SEd de feudis quod scrupulum mouet, est, quòd illa coniunctam habeant iurisdictionem ciuilem, & militiam; à qua legibus Ecclesiasticis interdicuntur Pastores Ecclesiarum, quibus ius gladij negatum videtur à Domino. Vetusti canones qui dicuntur Apostolorum, non ferunt Episcopum vacantem militiæ, aut ciuili alicui functioni. Canon sextus ita habet: ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, κόσμικας φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω· εἰ δὲ μὴ, καθαιρείσθω. Cyprianus in Epistola ad Presbyteros, qui Furnis erant, de hac re scribit, contra Victorem quendam, qui testamento Geminum Faustinum Presbyterum, tutorem constituerat, prohibétque ne pro dormitione eius apud eos fieret oblatio: Eius verba hæc sunt. *Episcopi antecessores nostri, religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare.* Hæc Patrum decreta confirmat exemplum Apostolorum, qui curà pauperum, quæ sancta ac pia est, se abdicârunt, & alijs pijs viris committi iusserunt, ne auocarentur à verbi Dei ministerio, quod ipsis in primis à Domino erat impositum. Item quod militiam attinet, aut ciuilem aliam functionem, inter canones, qui dicuntur Apostolorum, canon 82. ita habet. Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, στρατεία σχολάζων, ἢ βουλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, κοσμικὴν ἀρχὴν, καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν,

XUM

διοίκησιν, καθαρείσθω. τὰ γὰρ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. Chalcedonense Concilium canone 7. actione 15. anathematizauit eos qui hæc audent. Canonis verba hæc sunt: *Eos, qui semel in clero ordinati sunt, & itidem monachos, statuimus, nec ad militarem expeditionem, nec ad secularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, & non pœnitentia ducti ad id reuertuntur, quod propter Deum potiùs elegerunt, anathematizari.* His canonibus adstipulantur feudorum leges, quibus clericatu & monachatu feudum amittitur, nimirùm quòd præstando officio feudi Domino, propter quod datur, non idoneus sit qui clericus est aut monachus: feudum enim à iurisconsultis clientela militaris definitur. Militiæ autem vacare cùm leges Ecclesiasticæ non sinant clericos & monachos, beneficium militiæ nullo iure aut accipere, aut retinere possunt.

Episcopos, & alios Ecclesiarum Pastores, feuda possidere, & interdum sæculares & ciuiles curas suscipere, non esse prohibitum.

CAP. XVI.

REspondeo, agros & prædia ante Constantini tempora habuisse Ecclesiam, à me suprà demonstratum esse ex legibus primorum Christianorum Principum, & Patrum testimonijs. Quod feuda attinet, nulla est ratio ob quam Ecclesiasticis viris non æquè illis vti frui liceat, atque olim in Israëlitica Repub. sacerdotibus & Leuitis, vrbibus & oppidis, quæ à fratribus suis acceperant. Et ad canones citatos, primùm dico, sæcularibus curis Presbyteros & Episcopos distineri, & auocari à suo munere, me non probare, nisi quatenus Ecclesiæ aut Reipublicæ interest, & proximi necessitas exigit. Domesticæ rei curam hîc prohiberi, vt quis suam familiam negligat, eósque quibus aut affinitatis, aut propinquitatis iure obligatus est, Christiana charitas non sinit nos dicere; sed Consulatus, Prætura, aut Aedilitatis, aut Quæsturæ munera; vt Episcopus aut Presbyter, Consul, Prætor, Aedilis, Quæstor, aut Regis ac Reipub. procurator fiat.

Ad canonem 82. dico, voluntariam militiam prohiberi, non necessariam, aut à summo magistratu imperatam, exigente id aut obsidione, aut extrema aliqua necessitate. Quocirca dico, nullo imperante magistratu, nec cogente necessitate, contra honestatem & dignitatem sacri ministerij facere Presbyterum & Episcopum, qui militiam susciperet, siue vt miles, siue vt capitaneus. Sed cum incidit tempus, locúsque, qui hæc exigunt, necessitati parendum est.

Theodoretus lib. 2. cap. 30. de Iacobo quodam Episcopo vrbis Nysibis, quæ etiam à nonnullis dicitur Antiochia Mygdoniæ, narrat, eundem fuisse Episcopum, moderatorem, & ducem suæ vrbis, quam auxilio Dei contra Saporem Persarum Regem defendit, susíque precibus liberauit. Idem Theodoretus lib. 4. cap. 12. narrat, Eusebium Episcopum Samosatensem habitu militari indutum, Syriam, Phœniciam & Palæstinam peragrâsse: quò tum Presbyteros & Diaconos crearet, cùm alia Ecclesiastica obiret officia: quem contra hunc canonem peccâsse, nemo dicet.

De Theophilo & Cyrillo, Episcopis Alexandrinis, non idem iudico, qui sæcularem principatum sibi acquisiuerunt, Imperatore quidem conniuente, sed ipsis non imperante.

Canonis quem citat Cyprianus, rationem, fateor me non assequi; prouinciale & particulare decretum fuit, illi loco & tempori seruiens. Nam pupillorum & viduarum habere curam, opus inprimis pium est, & nusquam non à Deo in lege mandatum; vt magnam reprehensionem incurrant, qui causam & defensionem eorum non suscipiunt: & hic mos olim fuerit in Ecclesia, vt Episcopi patroni essent pupillorum & viduarum, potuerintque citra violationem canonum, ipsorum curam suscipere. Sardicense Concilium disertis verbis id concedit. Verba Osij Episcopi hæc sunt: *Importunitates, & nimia frequentia, & iniustæ petitiones fecerunt nos non tantam habere vel gratiam vel fiduciam, dum quidam non cessant ad comitatum ire Episcopi, & maximè Afri, qui (sicuti cognouimus) sanctissimi fratris & coepiscopi nostri Gratì salutaria consilia spernunt atque contemnunt, vt non solum ad comitatum multas & diuersas Ecclesiæ non profuturas perferant causas, vt fieri solet, vt aut pauperibus, aut viduis, aut pupillis, subueniatur; sed & dignitates seculares, & administrationes quibusdam*

busdam postulant. Hac itaq; priuatas olim non solùm murmurationes, sed & scandala excitat. Honestum est autem vt Episcopi intercessionem his præstent, qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expoletur; si tamen isthæc nomina iustum habeant causam aut petitionem. Si vobis ergo fratres charissimi placet, decernite, ne Episcopi ad comitatum accedant, nisi forte ki qui religiosi Imperatoris literis vel iussati vel vocati fuerint. Sed quoniam sæpe contingit, vt ad misericordiam Ecclesiæ confugiant qui iniuriam patiuntur, aut qui peccantes in exilio vel insulis damnantur, aut certè quamcunq; sententiam suscipiunt; subueniendum est his, & sine dubitatione petenda indulgentia. Hoc ergo decernite si vobis placet. Vniuersi dixerunt, Placet, & constituatur.

Hic canon expositionem continet sexti canonis Apostolici, docétque quas curas sæculares, quas verò minimè suscipere possit Episcopus, vel Presbyter. Imitatores in hac re fuêre Episcopi veterum Prophetarum, qui suam operam obtulêre viduis & pupillis: aut alijs afflictis: sicut de Elisæo legimus 4. cap. 2. lib. Regum: vbi Sunamithidem, quæ eum hospitio exceperat, ita allocututus est: *Quid vis faciam tibi? est ne conueniendus tibi rex, aut princeps exercitus?* Nouum nemini hoc pietatis officium videri debet, si pro afflictis precaturi Episcopi, aut alij Ecclesiæ ministri, Principes adeant.

Ambrosius qui legationem susceperat pro Valentiniano Imperatore, adhuc puero, ad Maximum tyrannum, ita est loquutus, vt ipse refert in Epistola ad Valentanianum. *Quos enim* (inquit) *Episcopi magis quam pupillos debemus tueri? scriptum est enim, Iudicate pupillos, & iustificate viduam, & eruite iniuriam accipientem: & alibi, Iudices viduarum, & patres orphanorum.*

Quod adfertur aut allegatur de Apostolis, non ita accipi debet, tanquam electis Diaconis, cura pauperum & viduarum ad eos nihil amplius pertinuerit. Suprà notaui Paulo & Barnabæ necessitatem pauperum fuisse commendatam, rogatósque fuisse vt pauperum memores essent: & posteà Corinthiorum, & aliarum Ecclesiarum legimus Paulum pertulisse Eleemosynas Hyerosolymam. Quod si ob priuatas proximi necessitates, Episcopis & alijs Ecclesiarum Pastoribus licet, dispensante charitate, suam operam impendere rebus externis, & de tempore, quod aliàs lectioni sacrarum Literarum, aut sacris laboribus daretur, & qui propriè ad munus ipsorum spectârit, nonnihil detrahere: quid publicæ necessitati, aut magnæ vtilitati non dandum esse dicemus Reipub. aut Principi?

Quid sit feudum, & quæ sint feudi leges.

CAP. XVII.

REstat iam, vt feudis respondeam: quorum ante Barbarorum in Romanorum Imperium illuuionem, nusquam vlla fit mentio: barbarum vocabulum simul cum Gotorum, Vandalorum, & Longobardorum regnis incepit: quod habeat etymon, & quid significaret, docti disputant, quorum recensere opiniones & sententias, nimis longum esset: sed hoc constat, Longobardis idem significâsse feudum, quod Latinis beneficium, vt feudatarius idem sit quod beneficiarius. Definitur feudum à iurisconsultis varijs modis. Primò quòd clientela sit militaris, ea lege contracta, vt cliens pro beneficio accepto militarem operam præbeat, vicissimque patronis suam illi fidem beneuolentiamq; præstet: vnde quæ fuerit prima feudi origo, potest intelligi. Sed quoniam feuda quædam non sunt militaria, magis vniuersalis, & veluti generis, hæc esse potest definitio. Feudum est beneficium ea lege alicui tributum, vt gratiæ testificandæ causa beneficiarius aliquod obsequium præbeat. Hic tria notanda sunt: personæ, res, & ius. Personæ sunt senior & vasallus (vt cum Feudistis loquar) inter quos clientela contrahitur, & plerúmque militaris; plerúmque dico, propter feuda Ecclesiastica. Res est materia feudi & substantia, vt sunt agri, prædia, iurisdictiones, & quidquid feudi nomine possidetur. Ius vtrinque nascitur: nam feudum ex parte Senioris beneficiũ est certa lege vasallo tributum, vt quodam obsequij genere ipsius authorem agnoscat; ex parte autem vasalli est ius vtendi, fruendi re aliena, ea lege, vt aliquod ea nomine obsequium, & gratiæ testificatio debeatur. Nihil autem horum trium est, quod magis conditioni ministrorum Euangelij aduersetur, quàm cuiusuis Christiani, qui imperio summi alicuius magistratus

viuit ſubiectus. Vt tota res magis pateat,& quid in ea ſit,quod conditioni Euangelij miniſtri repugnet,fiat manifeſtum,feudorum partes explicabimus.

Feudorum diuiſio.

CAP. XVIII.

DIuiduntur feuda varijs modis,ſed ea quæ ad præſens inſtitutum facit, eſt hæc. Feudum aliud eſt ciuile, aliud militare. Ciuile rurſus diuiditur in Eccleſiaſticum, qualia ſunt opima ſacerdotia, epiſcopatus, archiepiſcopatus, & abbatiæ, quæ per ſceptrum Imperatoris beneficio conferuntur: Aliud laicum, quales ſunt magiſtratus,& procurationes Reipub. veluti conſulatus, & quæ ſunt huius generis : de quibus particulariter diſſerere non eſt præſentis inſtituti. Nobis ſufficit in præſenti notâſſe non omnia feuda propter militiam dari; nam & hoc conſtat, naturam feudorum, legéſque ſæpiùs variâſſe, vt illo iure nihil ſit inconſtantius, & tota res in conſuetudine & arbitrio ſita ſit Dominorum, qui quauis conditione, aut nulla, ſi ipſis libuerit, rem ſuam vtendam dare poſſunt.

Prima quidem feudorum cauſa fuit militia equeſtris,vt Princeps equitatum, & capitaneos ſemper haberet paratos ad Reipub. defenſionem : & feuda nihil aliud in principio quàm militiæ ſtipendia erant, non hæreditaria,ſed annuis penſionibus ſimilia. Tunc nec mulieres, nec impuberes, feudorum capaces erant, nec alius quiſpiam qui ad militiam aptus non eſſet : poſteà verò facta ſunt hæreditaria, & multis in locis nihil ab hæreditate differunt. Quocirca leges, quæ clericum non idoneum cenſent qui feudum teneat, de militari feudo id intelligunt. Si tamen feudi Domino pro authoritate ſua videatur feudorum mutare leges, feudum quauis conditione Eccleſiæ aut clerico dare poteſt.

Leges quæ clericis feuda adimunt,etiam pari ratione mulieres & impuberes excludebant, alióſque omnes ad militandum ineptos : qui cùm hodie admittantur, nulla ratio eſt cur clerici excipiantur : poſſunt enim debitum militiæ obſequium (ſi quod debeatur) ſi non militent ipſi, æquè ac mulieres & impuberes, per alium præſtare,aut alio obſequij genere compenſare. Quandoquidem hodie Eccleſiarum Paſtores, & Epiſcopi,ſub eodem Magiſtratu & ijſdem legibus viuunt, nec vllam ſibi peculiarem præ cæteris ciuibus vendicant immunitatem à R.P.oneribus; eos priuare aliorum ciuium beneficijs iniquum eſt. Quemadmodum olim rectè omnibus,penes quos fuit Reipub. ſumma poteſtas,neceſſarium viſum eſt ob militiam & R.P. externam defenſionem nobilibus feuda dare : ſic etiam Paſtoribus & Epiſcopis,ob Eccleſiaſticũ miniſterium & ſacrorum venerandam adminiſtrationẽ, arces & oppida,ſaltus, ſyluas,lacus,ſtagna, prædia,& agrorum prouentus, ac decimas,feudi nomine conferre,quò dignitatẽ conditionis ſuæ tueantur,fuit æquum.

Feuda in Anglia,quæ dantur Epiſcopis aliiſque Eccleſiaſticis, nullam plerúmque exigunt militiam, ſed dantur in puram (vt vocant) eleemoſynam : nihilo minùs tamen veteres omnes epiſcopatus plurimos fundos,&c. clientibus ſuis in feudo militari tenendos conceſſerunt, qui hac ratione militaria,aliáque obſequia debita,vice Epiſcoporum,regibus Angliæ præſtant, ab eíſque Epiſcopos ſic immunes reddunt.

Ad obiectionem, qua contenditur ciuilem iuriſdictionem, externum ſplendorem, ac honores, quos feuda annexos habent, non conuenire cum ſimplicitate miniſterij Euangelici, reſponſio.

CAP. XIX.

SI quis obijciat,Regalia cum feudis eſſe coniuncta, vt ſunt ciuilis iuriſdictio,externus ſplẽdor in titulis,honoribus,& comitatu,quibus tum Principi,tum Reipub. nobiles ſunt ornamento, cum ſimplicitate Euangelij miniſterij,quam ipſe Dominus ſermone & exemplo docuit, non conuenire, quia illa hominem inuoluunt terrenis curis, à quibus Epiſcopos alienos eſſe conuenit: Item,quòd ipſe Dominus rogatus,inter fratres arbiter ſedere noluit, & cùm populus eum Regẽ creare vellet, ſe ſubduxit : Item,Apoſtolis

inter

inter se contendentibus, quis eorum videretur esse maior, respondit, *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur: vos autem non ita, sed qui maximus inter vos, fit sicut qui minimus est, & qui Princeps est, sicut qui ministrat*: quibus verbis & exemplis docemur, ministerium Christi nihil habuisse commune cum rebus politicis. Responsum sit huic obiectioni, vt superiùs notaui: in eo rerum statu, in quo Seruator, Apostolique vixerunt, non in ea repub. in qua summi Magistratus Iesum Christum regem & Dominum suum confitentur, habere locum. Nam quemadmodum Magistratus tunc alium in Ecclesia obtinet locum quàm anteà: sic vicissim in R. P. aliam conditionem seruorũ Domini fieri æquum est. Magistratus, qui anteà hostis & persequutor erat, iuxta Esaiæ Prophetiã, Ecclesiæ efficitur nutricius, Christíq; Domini pius cultor: sub quo absurdũ nimis esset Christi seruis, non maiorem habere honorẽ, quàm sub persecutoribus.

Verùm quia per suos gradus non est expressus in scriptis Euangelicis, quis, cuiusmodi, & quantus is esse debeat, multorum animi hærent hic dubij: res tamen naturâ suâ tam ex Dei scripta lege, quàm omnium gentium iudicio, facilis est, & nota per se, nisi obstaret Scripturarum, quas iam citaui, peruersa interpretatio: Ex quibus tamen nihil aliud directè concluditur, quàm partem ministerij Ecclesiastici non esse politica tractare; quòd extra controuersiam est: hoc enim non quæritur: sed vtrùm simul cum ministerio Euangelij, idem ille qui Ecclesiæ Pastor est, non possit (repub. id exigente) ciuiles res tractare. Nam cùm Pastor Ecclesiæ ciuis in repub. sit, ab eo nihil alienum censeri debet quod ad ciuitatem pertinet: vt legitimè vocatus, non possit aliquam partem R. P. attingere.

Quod modò citaui de Seruatore nostro, qui arbiter esse recusauit, alienum ab hac quæstione est. Nam Christi spiritus ore Pauli nos docet, infimos, qui in Ecclesia sunt, idoneos esse, qui de rebus terrenis iudicent; quoniam aliquando mundum, imò ipsos angelos iudicabunt: quod iudicium isto longè maius est. Id cùm de quibusuis Christianis Paulus dicat; Dominus noster censeri non debet non idoneus, qui inter duos fratres litem composuisset, si vterque parêre Christi iudicio paratus fuisset. Non igitur cogitari debet Seruator recusâsse officium arbitri, sed se iudicem esse, qui alteram partem ad comparendum citari iuberet, negâsse.

Leue profectò hoc testimonium est, vt probetur nefas esse Episcopo, qui ciuis & subiectus sit, mandante Magistratu, ciuilem aliquam iurisdictionem exercere, aut aliam aliquam partem R. P. suscipere, quæ non prorsus abhorreat ab ipsius vocatione.

Quòd canon 82. iubet eum dimitti, qui vtrumque retinere volet, & Ecclesiasticam iurisdictionem & principatum Romanum; non aduersor, si sit Episcopo integrum, & cum bona gratia sui principis, & sine damno R. P. & Ecclesiæ fieri possit.

Contra illum canonem peccârunt Theophilus & Cyrillus, Alexandriæ Episcopi, quos Socrates li. 7. cap. 7. narrat principatum illius vrbis sibi adsumpsisse: Romani Episcopi similiter, quando quæ sunt Cæsaris, sibi vendicant; qui cùm beneficiarij sint, & subiecti Imperatoris, se supra dominum suum extulerunt, eúmque sibi subiecerunt. Episcoporum verò qui suis regibus in rebus honestis parent, longè alia est ratio. Multa sæpè extra ordinem fiunt in repub. vt nulla lex constitui possit, quam interdum R. P. causa non liceat infringere.

Exemplum quod adfertur, nihilo plus valet: nam etiamsi Seruator noster terrenum regnum voluisset constituere, non eam esset ingressus viam: pars enim illa populi potestatem creandi Regem non habuit.

Ciuiles contentiones audire, & eas dirimere, Episcopis licet.

CAP. XX.

EPiscopos cognouisse sæcularia negotia, quando ipsorum se iudicio partes submiserunt, ex Patrum scriptis, & Codice Iustinianeo notum est: quæ res tametsi molesta fuerit pijs Episcopis, iniquitas tamen sæpè iudicum ciuilium, moræ, dilationes, calumniæ in iudicijs, pios Episcopos eum subire laborem, ex charitate & misericordia suaserunt.

Nec iudicandi sunt idcirco inuasisse ciuilis Magistratus partes, cùm id

conſenſu ſummorum Magiſtratuum factum ſit, ſicut apparet ex Codice Iuſtinianeo de Epiſcopali audientia, lib. 1. l. 8. tit. 4. vbi mandat illorum iudicationi eam adhiberi reuerentiam, quæ ſummæ poteſtati, à quibus non licebat prouocare, mandátque executionem ſententiæ per ſuos Iudices fieri.

Maximi res eſt periculi in Anglia, ob ſtatutum quod *Prouiſianis & Præmunire* vocant, (contra quod delinquentes perpetuis carceribus, omniúmque bonorum amiſſione plectuntur) Eccleſiaſticis, ciuilium Iudicum munera inuadere; ideóque cautiſſimum diſcrimen obſeruatur inter negotia ciuilis & fori Eccleſiaſtici. Si qui aliquando ex Epiſcopis aliíſue Eccleſiaſticis, cenſentur rebus ciuilibus obeundis pares, hoc fit ſpeciali mandato regio, ſub magno ſigillo Angliæ. Huiuſmodi autem munera dignitatem ſemper aliquam ſecum coniunctam habent, ita vt ſubſidio potiùs quàm impedimento profectui Euangelij meritò habeantur. Qualia ſunt munera Conſiliarij regij, Legati, Eirenarchæ ſiue cuſtodis pacis, & huiuſmodi: nec aliquis ſani (opinor) iudicij homo, ea cuilibet ciui à ſummo Magiſtratu aut non imponi, aut ſi imponantur, à quoquam deponi & detrectari poſſe dixerit.

Si quis excipiat, magis id alienum eſſe ab officio Epiſcopi quàm fuit olim procuratio pauperum, à qua tamen ſe abdicárunt Apoſtoli, quia illi, & muneri ſuo vacare non poterant, & fieri non poſſe, vt Epiſcopi rectè vtrumque munus obeant, quare altero ſe abdicare deberent: reſpondeo primùm, non ita Apoſtolos curam pauperum depoſuiſſe, vt eam ad ſe poſteà non pertinere iudicarent: manſerunt enim ſemper patroni pauperum & viduarum, ſicut & Epiſcopi, quos ita implicitos audiendis ciuilibus cauſis eſſe nolumus, vt officium ſuum deſerant, ſed vt quod ad officium eorum imprimis pertinet, iuſtitia & charitas inter eos retineatur, quorum ſalus ipſis commiſſa eſt.

Quid poſſit Epiſcopi ſedulitas in hac re, vnus pro multis exemplo eſſe poteſt Auguſtinus, qui nobis tot volumina elucubrauit, cùm tamen moleſto illi labori bonam temporis partem impenderet; ſicuti apparet ex ipſius libro de opere Monachorum: cuius verba hìc infero, quòd confutationem calumniæ contineant. *Dominum Ieſum* (inquit) *in cuius nomine ſecurus hæc dico, teſtem invoco ſuper animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies, certis horis, quantum in bene moderatis monaſteriis conſtitutũ eſt, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum, liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum pati, de negotijs ſæcularibus iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos moleſtijs idem affixit Apoſtolus, non vtique ſuo, ſed eius qui in eo loquebatur, arbitrio: quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus: aliter enim ſe habet Apoſtolatus eius diſcurſus: nec dixit, ſecularia igitur iudicia ſi habueritis, ad nos deferte, aut nos conſtituite ad iudicandum: ſed eos qui contemptibiles ſunt in Eccleſia, hos (inquit) collocate: & ad reuerentiam vobis dico, ſic non eſt inter vos quiſquam ſapiens, qui poſſit inter fratrem ſuum iudicare, ſed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles? Sapientes ergo qui in loco conſiſtebant, fideles & ſanctos, non qui hàc atque illàc propter Euangelium diſcurrebant, talium negotiorum examinatores eſſe voluit. Vnde nunquam de illo ſcriptum eſt, quòd aliquando tabbus vacauerit, à quibus nos excuſare non poſſumus, etiamſi contemptibiles ſumus, quia & hos collocari voluit, ſi ſapientes defuiſſent, potiùs quàm vt negotia deferantur in forum. Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſcipimus proſpe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia.* Hæc Auguſtinus: cuius rationes modeſtiſſimo cuique, meo quidem iudicio, ſatisfacient, mihi certè ſatisfaciunt, nec quicquam habeo quod in Auguſtini facto improbare poſſim.

Quicquid in verbo Dei aut prohibitum legitur, quod naturâ ſuâ non eſt flagitioſum, aut præceptum, quod per ſe non eſt bonum, Chriſtiana diſpenſat charitas, prout res tempúſque poſtulat; cui quidem dura hypocriſis, non mandati religio, cedere recuſat.

Nota eſt Theologorum regula, de ijs quæ in verbo Dei mandantur aut prohibentur: nempe, quædam eſſe vetita, quòd naturâ ſint mala: quædam verò mala tantùm, quia certo conſilio ſunt prohibita: & contrà, iuſſa quædam eſſe, quia bona & iuſta ſunt naturâ ſuâ; & alia idcirco cenſeri inter bona, quia fiunt obſequẽdi gratia, Deo iubenti, qui talia certis de

cauſis

cauſis ab hominibus exigit. Ea quæ ſunt primi generis, perpetuam, & immotam legem habent: altera verò mutantur, nec vlteriùs hominem obligant, quàm legis ratio durat. Cuius rei exempla habemus in obſeruatione Sabbathi, & panibus propoſitionis, quibus veſci nemini conceſſum erat, niſi ſolis ſacerdotibus. Sunt id genus plura, quæ aut mandata, aut prohibita leguntur. Nefarium non eſt, eſſe Regem; nec Magiſtratu fungi, ſcelus. Proinde ceſſante præcepti ratione, res libera manet; & Regibus aliiſque Magiſtratibus fas eſt ea poteſtate eſſe, iubere Eccleſiæ Epiſcopos in Chriſtiana R. P. quæ potiùs futura ſit & ornamento & adiumento ipſorum functioni, quàm impedimento: de functione loquor in genere, non vnius, qui impeditur, & opus habebit qui ipſum adiuuent; ſed aliorum omnium, qui in eodem occupantur munere, quibus inde accreſcet honor & authoritas. Si vtrinque omnia bene expendentur, & incommoda cum commodis comparentur, quæ tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ prouentura ſunt; quod decedet in vna parte, compenſabitur magno lucro in altera.

Expoſitio loci Lucæ 22.

CAP. XXI.

VEnio nunc ad locum 22. capitis Lucæ, vbi narratur quęſtio incidiſſe inter Apoſtolos, quiſnam eorum videretur eſſe maior: quæ cùm ex quadam honoris cogitatione & regni nata eſſet, Dominus noſter, humilitatis magiſter, eam repreſſit, & errorem confutauit, quando vetuit gentilium Regum imitari mores; & ſeipſum in regimine Eccleſiæ pro exemplo conſtituit. Nam quamuis ad eximiam eos vocâſſet dignitatem, diuerſam tamen eam eſſe ab alia quæ in regnis huius mundi cernitur, Apoſtolos intelligere voluit. Quemadmodum enim Dei regnum diuerſum eſt à regnis huius mundi, ipſius miniſtros ſimiliter moribus diuerſos eſſe oportet.

Aulicus mos eſt adulari etiam iniquiſſimis hominibus, & qui per tyrannidem plebem opprimunt, & omnem crudelitatem exercent, clementes vocantur, & benefici. Notauit igitur Seruator noſter mores eorum qui tunc populo Dei imperabant, aliorúmque tyrannorum qui per vim ſuo imperio ampliſſima regna adiecerant, quibus, ab oppreſſis, beneficentiæ laus tribuebatur.

Inſederat animis Apoſtolorum cogitatio, imperium Domini noſtri fore terrenum, cuiuſmodi videbant eſſe Romanorum, & olim fuerat Dauidis & Salomonis: altiùs mentes ſuas erigere non poterant; nimirùm qui adhuc infantes in Chriſto erant, & humi repebant: vnde quoque conſequens erat, vt præfecturas magnarum prouinciarum ſe habituros cogitarent, à quo errore Seruator eos reuocat. Sed vt quis ſit verborum Domini verus ſenſus, magis prætereà appareat, rem paulò altiùs repetam. Simplex admodùm quæſtio Apoſtolorum fuiſſe videtur, nempe quis eſſet inter ipſos maior: ſed qua in re, non exprimitur. Maior quis varijs modis dicitur; ætate, rerum vſu, eloquentia, eruditione, ſapientia, diuitijs, generis nobilitate, authoritate, & potentia: & ipſi erant homines priuati, nulla re inſignes, quæ vulgò inflare ſolent homines; ætas autem, rerum experientia, diuitiæ, nobilitas, & ſapientia, ſe palàm ita produnt, vt ambigendi rarò relictus ſit locus. Supereſt igitur vt de authoritate & potentia fuerit quæſtio, quod ridiculum quoque videri poteſt in paupere collegio duodecim Apoſtolorum, niſi fortè ex honoris cupiditate magis quàm ex ipſa re metiendam ambitionem ipſorum quis iudicet. Sed abſit vt bonos viros nefariæ alicuius ambitionis condemnẽ, quos Domini clementia non tam redarguit, quàm docuit. Ex reſponſione Domini potiùs quàm ex Apoſtolorum ſermone apparet, non ad præſentem rerum ſtatum, qui tunc erat, reſpexiſſe, ſed ad eum, quem breui ſub Chriſto futurum eſſe ſperabant. Nouerant regnum Dei adeſſe præ foribus, ad quod prædicandum miſſi fuerant; & quàm magnificè de illo regno Prophetæ ſcripſiſſent, videlicet, vt potentiſſimum, ita latiſſimum futurum, quod nullis finibus, niſi orbis terrarum includeretur; cui omnes gentes parêrent: & quamuis multos hoſtes & aduerſarios expectabant regum & rebellium, tandem populorum contumaciam fore domandam. Itaque propediem cum illud regnum Iſraëli reſtitutum iri crederent, quærunt quis in hoc

regno futurus ſit à Chriſto ſecundus. Quemadmodum Iſraëlitæ quatuor imperiorum tyrannidem pertulerant; futurum ſperabant, vt ſimiliter omnes gentes iuſtum populi Dei imperium perferrent. Videbant ſuum numerum ad duodecim tribuum Iſraëlitarum duodecim Principes congruere, & ſeptuaginta duos diſcipulos ſummum Senatum populi Dei referre: vnde ſicut inter illos, varios dignitatis gradus fuiſſe nouerant ſub Dauide, & cæteris regibus, idem inter ipſos fieri oportere iudicabant. Verborum Domini meminerant, quibus promiſerat ſeſſuros eſſe aliquando in regno Dei ſupra 12. thronos, ad iudicandum 12. tribus Iſraël. Has cogitationes habuiſſe Apoſtolos crediderim, rudes, & parùm adhuc in rebus diuinis exercitatos, errore quodam & ignorantia, potiùs quàm ambitione & ſuperbia. Dominus autem, quod animo verſabant, intuitus, hunc corrigit errorem, & docet non ad regna huius mundi adminiſtranda ipſos vocari, ſed quæcunq; tandem poteſtas, quam ab ipſo accepturi erant, futura eſſet, ipſos fore priuatos, non reges, nec regibus ſimiles: quæ ipſi cogitabant, ſine armis & vi non poſſe perfici; & imperium, quod ipſi fingebant, non niſi coactas, gentes ſuſcepturas. Quamobrem, quamuis ipſi primi, & duces futuri erant in nouo populo Dei, nihilo præſtantiorem ipſorum conditionem quàm priuatorum hominum futuram: quocirca in regiminis forma, quam ipſe conſtituerat in Eccleſia ſua, primos & præcipuos oportere ipſius imitari exemplum, qui inter eos viuebat tanquam ſeruus & miniſter, cùm tamen eum vocarent (quod reuera erat) magiſtrum & dominum.

Hæc ſimplex eſt verborum Chriſti expoſitio. Seruator noſter, quia res publicas, & regna gentium ad quas mittebantur Apoſtoli, noluit mutari, miſit eos inermes, & priuatos, ſine vllo ciuili imperio, nimirùm ad ſaluandas animas, non ad res innouandas: ne hic terrenum regnum ſi conſtituiſſet, nullum æternum, & cœleſte, poſt hanc vitam crederetur eſſe futurum. Magna quidem & præclara fuit Apoſtolici muneris functio, magna in ijs quæ concernunt Chriſti ſpirituale regnum poteſtas: ſed ea ſupra priuatorum hominum conditionem in Republica eos non extollebat: priuatos voluit præeſſe hominibus, in ijs tantùm quæ ad regnum Dei pertinent. Hæc prudenti conſilio à Domino ita conſtituta ſunt, ne cuiquam eſſet occaſio criminandi Euangelium, tanquàm ſeditioſum magiſtratui, & Reipublicæ pernicioſum. Præuidebat Dominus futurum, vt impij varijs calumnijs grauarent Euangelicam doctrinam: cùm tamen nulla humana philoſophia, nullæ leges ſtrictiùs hominum conſcientias aſtringant ſubiectioni & obedientiæ Magiſtratuum Euangelicâ doctrinâ. Philoſophiæ præcepta, legéſque gentium multa concedunt cum laude, etiam priuatis hominibus, contra tyrannos, quæ Chriſti religio prohibet. Huius præcepti prudens conſilium magis apparebit, ſi contrarium cogitemus, nempe Apoſtolos errorem, in quo verſabantur, fuiſſe ſecutos; & inueniemus vniuerſum orbem fuiſſe latrocinijs & ſeditionibus ab ipſis vaſtandum: nam eâ viâ, quam tenuit inſignis ille latro Mahometus, maximè à Seruatoris noſtri moribus & inſtitutis alienâ, ipſis ingrediendum fuiſſet. Tunc certè & confirmatus error in quo verſabantur Iudæi, & cauſa totius orbis Regibus ſeſe armandi contra Chriſtum, & ipſius Apoſtolos, data videri potuiſſet. In Dauidis ſtirpem poſt Hieroſolymitanum excidium, iuſſu Veſpaſiani inquiſitum fuit. Nam Iudæi, accepta illa clade, animos non demittebant ſuum Meſſiam expectantes: tempora, quæ Daniel prædixerat, impleta videbant, proinde natum Meſſiam argumentabantur, & propè adeſſe tempus, in quo Romanum imperium finem acciperet, & ipſi ſub Meſſia de vniuerſo orbe triumpharent: quæ res fecit, vt denuò grauis perſecutio contra Iudæos excitata fuerit. De Domitiano idem legitur, quòd Dauidis genus ſuſpectum habuerit, & metuens ne aliquis Meſſias inde conſurgeret, qui Romanis imperium auferret, in eos qui reliqui ex illo genere erant, inquiri iuſſit. Itaque quidam Iocatus nomine, adduxit nepotes Iudæ, qui frater Domini ſecundùm carnem fuerat, & non ſolùm à Dauide genus ducebant, ſed ſanguine propinqui domino credebantur, ad Cæſarem Domitianum: à quo de poſſeſſionibus quas habebant, & de pecunia interrogati, comperto quòd pauperes erant, & duriter viuerent, aſſiduum manuum laborem callis teſtantibus, & intellecto quòd Chriſti regnum non mundanum, ſed cœleſte & Angelicum crederent, nec venturum ante conſummationem ſeculi ad iudicandum viuos & mortuos: contempti ſunt tanquam abiecti, & ſimplices homines, ac liberi dimiſſi. Priuata conditio Apoſtolorum, & aliorum Paſtorum Eccleſiæ Chriſti, innocentiæ ipſorum apud omnes

gentes

gentes testimonium & præsidium fuit. Quid non designâssent Romani Cæsares, & alij Reges, Magistratúsque in Christianos, si Ministri Euangelij cum imperio missi, Respublicas sibi subijcere conati fuissent?

In Romanum Episcopum, qui iura imperiorum totius orbis sibi vendicat, qui Romanum imperium suum esse feudum asserit, qui orbem terrarum partitur Regibus quibus vult, hæc Domini præcepta meritò allegantur: non in Episcopos, qui sub æquabili iure aliorum ciuium legibus, & magistratui subiecti viuunt. Itaq; publica authoritate recepto Euangelio, non commodè hæc Seruatoris verba torquentur in quosuis Ecclesiarum Pastores & Episcopos, ne apud Magistratum in Christiano populo in ea veneratione sint, quam iura omnium gentium, ipsáque adeò naturæ lex, Deique scripta, sacrorum Antistites haberi æquum censent.

Ex Scripturæ locis, de quibus disputamus, hoc tantùm consequitur, Pastores Ecclesiarum, ratione ministerij sui, potestatem nullam habere in corpora, aut in pecunias Christianorum, nec posse sibi vendicare vlla iura, quæ Deus in solius magistratus posuit potestate: sed ab eo, nullo loco, nullo tempore, nulla de causa, nullam partem Reipublicæ committi posse Ecclesiæ Episcopis, probatum adhuc non est, nec posse probari puto.

Quùm Domestica rei necessitas excuset Ecclesiæ Pastorem interdum curis sæcularibus, & externo manuum labori vacantem, multò magis reipublicæ.

CAP. XXII.

NAm si de tempore, quod aliàs sacris Literis daretur, bonam partem detrahere licet, vt familiæ suæ, priuatæ rei prospiciat Ecclesiæ Christi minister: multò magis id Reipub. dandum est, si idoneus sit, qui consilio suo & opera Rempub. iuuare possit. Quando alicuius Ecclesiæ tanta est inopia aut ingratitudo, vt non valeat Pastori suo debitum reddere honorem, ad laborem manuum suarum recurrere potest. Concilium Elibertinum negotiari permittit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, ad victum sibi conquirendum. Idem faciunt plures canones, quos citare arbitror esse superfluum, cùm vnius Apostoli Pauli sufficiat exemplum.

Si verò priuata necessitas auocamenta ministerij excusat, quid publica? Sed in abiectis, & contemptis rebus, ob priuatum commodum Pastorem Ecclesiæ distineri, nemini magnoperè displicet: sed in magnis & honorandis Reipublicæ negotijs versari, hodie nemo non inuidet. Textor, fossor, & arator, Euangelij minister citra violationem sui Ministerij esse potest: Regius legatus, Consiliarius, aut Cancellarius esse non potest. Vnde obsecro in Republica Christiana hæc nata est Theologia? ab amore an ab inuidia?

Non dæc dico, quòd censeam Episcopos, aut alios Ecclesiarum Pastores, in suo munere temerè interturbandos: sed si id postulet aut Ecclesiæ aut Reipublicæ necessitas aut magna vtilitas, nulla religio impedit quò minùs Episcopi, cùm ciues sint, & magistratui legibúsque subiecti, pareant in rebus honestis suis Principibus, & operam impendant suis ciuibus.

Nec illud Pauli ad Timotheum, *Nemo qui militat, implicatur negotijs huius vitæ*, aduersatur nostræ sententiæ. Vitæ negotia sunt ea, quibus, quæ ad huius vitæ victum pertinent, comparantur, non quæ sunt Principis aut ciuitatis publica: ipsa militia negotium est publicum Reipub. cui qui adscriptus est, oportet vt negligat domestica; vt si quis similitudinem omni ex parte vrgeat, ei qui militat Deo, erit abstinendum ab omnibus domesticis negotijs: contra id quod licere diximus exemplo Pauli, quem suo munere strenuè & fideliter perfunctum fuisse nemo dubitat: qui tamen vitæ negotio implicitus fuit, quandò cum manuum labore victum quærere apud Corinthios necessitas coegit; & tempus impendere operi externo huius vitæ, quod aliàs melius meditationi, aut orationi dedisset: Idem facturus haud dubiè pro Re-pub. quod pro priuata fecit, si quis magistratus mandàsset, populíque vtilitas postulâsset. Similitudinis huius igitur sensus hic est: Abstinendum

nendum ab ijs, quæ militiam, in quam adſcripti ſunt, ita remorantur & impediunt, vt eam deſerere cogantur.

Adminiſtrationes quarundam rerum, quæ ad Rempub. pertinent, vt eſt, iuriſdictionem ciuilem certis in vrbibus aut pagis habere, quam per alium exerceas; Principi in quibuſdam à conſilijs eſſe; comitijs regni aut ciuitatis intereſſe; ſententiam de Repub. dicere; legationem obire; ſtatis anni temporibus iudicijs publicis, mandato Principis, intereſſe; hæc (inquam) eſſe huiuſmodi, vt qui hæc exerceat, non poſſit Epiſcopus, aut Eccleſiæ Chriſti eſſe Paſtor, demonſtrandum eſſet: & quòd is, qui horum aliquid attingit, vtilitatis publicæ cauſâ, iuſſus à ſuo Magiſtratu, rem ſe ſuóq; officio indignam committat.

Munera diuerſa non confundi, etiamſi ab eodem homine exerceantur.

CAP. XXIII.

QVod vulgò dici ſolet, rem Eccleſiaſticam à ciuili eſſe diſtinctam, nec oportere confundi, nihil ad hanc quæſtionem pertinet: manent illa diſtincta, quamuis ab eodem exerceantur homine. Aliæ ſunt iuriſconſulti partes, aliæ medici; idem tamen homo & iuriſconſultus eſſe poteſt, & Medicus. Idem homo eſſe poteſt Medicus, & Theologus; & curare vt Medicus corpora, & vt Eccleſiæ Paſtor animas.

Spiridion fuit Agricola, & ex re pecuaria victum quæſiuit; Epiſcopus tamen & animarum Paſtor: an vtrumque munus cenſendus eſt confudiſſe? At Epiſcopatus totum requirit hominem, & duabus functionibus vnus homo non ſufficit. Indefinita hæc ſententia falſa eſt: ſunt enim contraria multa exempla in veteri Teſtamento, & alijs hiſtorijs. Primùm quæro an Spiridion Epiſcopus, & Paſtor ouium, vtrique fuerit impar muneri? Nemo adhuc (quod ſciam) ei inuidit pecuariam cum Epiſcopali officio coniunctam. Nemo ſanctum virum condemnare auſus eſt, ſed omnes & ſimplicitatem & ſanctitatem viri ſunt admirati: tamen poterat quæſtus ex pecuaria auidior eſſe, quàm animarum lucri, ſi fuiſſet auarus.

Cur ſimiliter Conſiliarius Regis & Epiſcopus idem eſſe non poteſt? Amplitudo vtriuſque muneris videnda eſt, & auxiliorum quæ quis in vtróque munere habere poteſt, vt eo rectè defungatur. Eccleſiæ ſunt Eccleſijs longè maiores: & plura nonnullæ habent negotia, quædam pauciora, vt Paſtori ab Eccleſiæ ſuæ cura ſuperſit multum temporis. Et in magna Eccleſia, quæ multa & ampla negotia dat ſuo Epiſcopo, fieri poteſt, vt multòs habeat adiutores & ſubſidiarios.

Quòd ſi hæc duo ita ſibi eſſent contraria, vt ab eodem nunquam ſimul poſſent exerceri, nunquam Moſes ſimul Princeps populi Dei, & Sacerdos fuiſſet. Sed vereor ne mihi argutulus aliquis litem moueat, quòd Moſem dixerim Sacerdotem. Sed ſciat, creato Aarone, Prophetam, & Leuitam, ac Doctorem populi Dei manſiſſe, ſicut fuerat anteà: ſed Eli & Samuelem, Iudices ſimul & Sacerdotes fuiſſe, negari non poteſt. At dices, id extraordinarium fuit. Ego de re ordinaria non loquor, nec de omnibus Eccleſiarum Paſtoribus: tantùm diſputo, quid fieri liceat Reipub. neceſſitate poſtulante: interim exempla probant, eundem hominem duas illas functiones exercuiſſe.

Sed ſi ordinariam inter Sacerdotes ciuilem poteſtatem, in Iſraëlitica Republica videre volumus, cogitemus ordinem 48. vrbium, quas inter ſuos fratres habuerunt, & earum politiam: non enim regi potuerunt ſine Magiſtratu & Iudicibus ordinarijs: an aduocâſſe dicemus ex aliena tribu Magiſtratus, qui inter ipſos lites & controuerſias dirimerent, quum ipſi Sacerdotes & Leuitæ iuriſconſulti eſſent, & ordinarijs iudicijs non tantùm adeſſent, ſed etiam præeſſent? Deut. 21. cap. 5. verſ. iuxta eorum ſententiam omnis lis & controuerſia terminabatur. Eandem ego regalium rationem, quæ Eccleſiaſticis vitis data ſunt, in Chriſtiana Repub. eſſe iudico, cum vrbibus & ſuburbanis, quas olim Sacerdotibus & Leuitis, iuſſu Dei, Iſraëlitæ dederunt.

Dauid

Dauid & Salomon opera Leuitarum & Sacerdotum vsi sunt in rebus ciuilibus.

CAP. XXIIII.

ET quemadmodum Reges Dauid & Salomon, & alij, Leuitis & sacerdotibus, tanquam subiectis imperio suo, vsi sunt, in ciuili regimine: ita Reges Christianorum vti possunt operâ Episcoporum & aliorum Ministrorum Ecclesiæ, si qui inter eos, ipsis & Reipub. vsui esse possunt. 1. Paral. 23. iussu Dauidis recensiti sunt Leuitæ à triginta annis & suprà, & inuenti sunt 38000. Ex istis 24000. fuerunt destinati ad vrgendum opus domus Domini, & sex millia, vt essent præfecti & Iudices.

Et ne quis putet eos fuisse tantùm Iudices rerum Ecclesiasticarum, sicut quidam hodie persuasum cupiunt, ex forma regiminis, quam videt in aliquibus Ecclesijs reformatis, interpretantes Scripturas, legatur 26. cap. eiusdem libri; inueniet de Isharitis Chenamam, & fratres eius, viros robustos in opere externo, fuisse supra Israëlem præfectos, & iudices. De Hebronitis Hasabiam, & fratres eius, viros robustos, mille septingentos Præfectos Israëli trans Iorden, ad occidentem, in omni opere Iehouæ, & in ministerio Regis. Et eodē capite, Dauid dicitur constituisse cognatos Iodija, viros robustos, duo millia septingentos, Principes familiarum, super Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Manassitarum, in omni re Dei & Regis.

His addo quod legitur 19. cap. secundi lib. Paralip. de Rege Iosaphat, in restitutione cultus Dei, & Reipub. reformatione, constituisse Iudices de Leuitis & Sacerdotibus, & de Principibus familiarum Israëlis, ad iudicium Iehouæ, & ad causam. Quod ex vltimo versu huius capitis, quidam Sacerdotes & Leuitas putant tantùm fuisse præfectos causis Ecclesiasticis, quia ibi legitur, *Ecce, Amarias sacerdos summus super vos in omni re Iehouæ, & Zebadias filius Ismael, Dux Domus Iehouæ, in omni negotio, &c.* tanquàm hic distinctio facta sit inter causas ciuiles & Ecclesiasticas; error est, natus, vt dixi, ex opinione regiminis concepta, quod nostro tempore videmus tum in Romana Ecclesia, tum plerisque Ecclesijs reformatis. Hoc enim loco Negotium Regium, & prioris libri, cap. 16. Res Regia non idem significat, quod res ciuilis, aut politicum negotium: sed quod ad regis ius pertinebat, quod descriptum primò fuit à Samuele, posteà consentiente populo imitatum aut auctum fuit, vt fieri solet, de quo nihil à Mose fuerat definitum.

Quæ autem fuerit res Iehouæ, superior versiculus 10. præcedens per suas species declarat: totius enim legis Mosaicæ tam ciuilis & moralis, quàm ceremonialis, sacerdotes erant interpretes, & mandante Rege, ordinarij iudices. Hæc eò commemoro, vt quid Euangelij ministris, qui Leuitico succesſère ministerio, liceat in rebus ciuilibus, sub Christiano magistratu omnes nouerint: non quòd eos cupiam illis implicari, nisi quantum rerum temporúmque cogit necessitas: & vt nouerimus præcepta Seruatoris nostri non in alium finem esse data, quàm (vt dixi) ne error de ipsius regno confirmaretur in discipulorum animis, & ne potestatem ipsis datam, coniunctam esse cum imperio crederent, resque nouarent in rebus publicis.

Error confutatur eorum, qui credunt, nulla ciuilia Reipub. negotia Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum esse committenda.

CAP. XXV.

HOdie communis hic error non tantùm vulgi, sed bonæ partis doctorum virorum inuasit animos, vt credant ciuilia Reipub. Christianæ negotia, ad Episcopos & Ecclesiarum Pastores nihil pertinere, quasi ciues non sint, nec vlla Reipub. pars. Coriarij, tinctores, textores, coctores ceruisiæ, fabri, fullones, mercatores, comitia celebrant, de Repub. sententiam dicunt: (quod equidem in libero populo nō improbo) sed Pastores Ecclesiarum excludi, contra æquabile ius ciuium est, qui sub iisdem legibus & magistratu viuunt

viuunt, & communia ferunt cum cæteris ciuibus oneta: de quorum vita & fortunis, de ijſque omnibus, à quibus tum ipſorum priuata ſalus, tum Eccleſiarum publica pendet, non minùs deliberatur, quàm de pannis, de lana, de piſcibus, de corijs, cæteríſque mercibus importandis, aut exportandis: num minor Paſtoribus Eccleſiarum cura Reipub. eſſe debet, quàm Burgimagiſtris?

Ecquam obſecro cauſam allegabunt cur excludantur comitijs vrbanis & prouincialibus ij, quorum inprimis intereſt videre ne ipſis commiſſus grex exponatur lupis, non tantùm in ijs quæ ad animorum ſalutem pertinent, ſed etiam corporum? vigiles & Epiſcopi à Deo ſunt conſtituti tanquam in ſpecula, vt inſpiciant à remotis venientia mala, quæcunque illa ſint, vt de ijs quæ ſunt cauenda, tum populum, tum ipſos magiſtratus admoneant: quod profectò ab ipſis fieri non poteſt, ſi rerum, quæ geruntur in Republica, ignaros eſſe oportet.

Si ſtare incolumis Eccleſia cadente Republica, aut ex eius ruina capere commodum poſſet, nihil dicerem: ſed cùm in eadem naui, & eodem periculo, concludantur Eccleſia & Reſpublica, non poſſunt Paſtores de Repub. & Eccleſia non eſſe minùs ſolliciti quàm Burgimagiſtri, quorum pleríque aliud Reipublicæ, aliud Eccleſiæ, aliud rei ſuæ priuatæ vtile eſſe iudicant. Hi annuo tantùm funguntur magiſtratu, illi nunquam ſuas deſerere poſſunt Eccleſias: hi ſibi ſuiſque rebus multis modis poſſunt conſulere cum detrimento Eccleſiæ, & Reipublicæ, ac cum periculo capitis Paſtorũ Eccleſiæ; illi nullo modo ſe nec ſua ſeruare poſſunt, niſi ſeruetur ſimul Eccleſia & Reſpublica. Hi cauent ne Reſpub. detrimentum patiatur in mercimonijs, in pecore, in annona, ne aliquando ſuaui rerum caducarum vſu priuentur; illi non hæc negligunt, ſed præterea ne iuſticia, fides, pietas, Chriſtiique domini vera religio (quæ ſola ad immortalitatem eſt via) intereant, curam habent. Num minus quod ad Reipublicæ ſalutem conducat, Eccleſiarum Epiſcopi intelligunt, indoctis Burgimagiſtris? Peſſimè quidem vigilias ſuas, & ſtudiorum ſuorum labores collocàrunt, ſi nihil didicerunt vnde ſaltem conſilio Reipub. queant eſſe adiumento.

At conditio (inquient) Paſtoris Eccleſiæ eſt priuata; Burgimagiſtri funguntur magiſtratu: eundem Eccleſiaſticum & ciuile miniſterium obire haud conuenit. Me non latet quid in hac re deceat, quid ſecùs. Sed comitijs intereſſe, ſuffragium ferre, conſilium dare, ſententiam de Repub. dicere, non eſt Magiſtratu fungi.

Prophetarum libri pleni ſunt conſiliorum de pace, de bello, cæteríſque omnibus, quæ ad Reipub. incolumitatem pertinent. In populo Dei, inconſultis Sacerdotibus & Prophetis, nihil, quod alicuius eſſet momenti, fieri ſolitum, ſacræ hiſtoriæ teſtantur. Cæterarũ gentium, quibus aliqua fuit Religio & numinis reuerentia, idem mos fuit.

Nihil opus eſt vt denuò commemorem Chaldæos, Magos, Aegyptios, Sacerdotes, Græcorum Mantes, Romanorum & Latini populi augures, Gallorum Druidas, quibus inconſultis, quidquam in Repub. tentari ominoſum credebatur. Nec eos fallebat opinio: contemptum numinis certa vltio ſequebatur: Opinio etiam falſæ Religionis contemptæ aut neglectæ, Deum ſenſit vindicem. Nihil priſca antiquitas fœliciter poſſe contingere in Repub. credidit, ſine Religione: bella auſpicabantur Religione, & bella religione terminabant.

Vnde obſecro hic error natus eſt inter eos qui de vera Chriſti religione gloriantur, vt dedignentur religionem in ſuis deliberationibus conſulere? ſed ſi à conſilijs publicis Deus, fides, pietas, æquitas exulant, & religio impijs eſt ludibrio, Reſpublica peruerſiſſimo cuíque quæſtui; fœlices Epiſcopi, fœlices Eccleſiæ Paſtores ſunt, ſi quàm longiſſimè abſint à conſeſſu iſtiuſmodi. *Beatus ille vir qui non ambulauit in conſilio impiorum, & in pia peccatorum non ſtetit, & in Cathedra derioſorum non ſedit.*

Fuit quondam tempus ſub Chriſto domino, quando Epiſcopi in conſiſtorio Imperatorum ſtare, indignum dignitate ſua iudicârunt; an propter ſuperſtitioſum errorem, an propter corruptos mores Conſiſtorianorum, neſcio: ſed hoc ſcio, ſeruum Chriſti in congregatione Dei conſpici, non eſſe indecens. *Deus aſtat in congregatione magnifica, & in medio Deorum iudicat.* Sed ſi illic de dolo, de fraude, de proditionibus, de cædibus nefarijs, aliíſque id genus tetris facinoribus deliberabitur, non mirum ſi puduerit illic ſtare Epiſcopos. Nam etſi etiam illic ſit Deus vt Iudex & vindex, Diabolus ibi eſt vt Præſes. Aliàs ratio nulla fuit, cur ob iuſtas cauſas, aut tanquam Legatus, aut tanquam

ex

ex verbo Dei consilium daturus, aut tanquam supplex pro viduis & pupillis, aut damnatis, cæterísque iniuriâ aut calamitate oppressis (qui mos tunc fuit Episcopis) indecorum fuerit in consistorio Episcopum conspici.

Quid in hac re fecerit, & quid senserit Ambrosius, lib. 5. epist. 27. ipse de se narrat: & quando se excusat Imperatori Valentiniano, quòd in palatio disputare nollet cum Auxentio Arriano Episcopo, debitum tamen officium agnoscit, quando scribit: *Dignanter igitur Imperator accipe, quòd ad consistorium venire non potui. Ego in consistorio nisi pro te stare non didici: & intra palatium certare non possum, qui secreta palatij nec quæro, nec noui.*

Quamuis Ambrosius contra dignitatem Episcopi esse iudicaret inter Consistorianos stare: tamen id esse officij sui credidit in principis & Reip. causa. Sed vndecunque hæc persuasio sit orta, quicunque credunt tractare ciuilia negotia nefas esse Ecclesiarum Pastoribus, iniuriam faciunt religioni, principibus, & R. P. quos vsu, consilio, fidéque necessariorum ciuium & subiectorum priuant.

Si quid veterum Episcoporum exempla authoritatis hodie habeant, susceptas legationes rerum ciuilium ab Episcopis hic recensere multas possem: sed duo sufficient nobis exempla; primum est Ambrosij, qui bis legatus fuit à Valentiniano ad Maximum tyrannum; idque non sine fructu. Alterum exemplum est Maruthæ Mesopotamiæ Episcopi, quem Romanus Imperator legatum misit ad regem Persarum, vt Socrat. lib. 7. Ecclesiasticæ historiæ narrat: quæ legatio tum ipsi Imperatori, tum Ecclesiæ vtilis fuit.

His ego exemplis & rationibus adducor, vt quædam publica R. P. negotia credam à magistratu Episcopis, & Ecclesiarum Pastoribus mandari posse, & eos turpiter errare, qui in populo Christiano, ab omni negotio ciuili alienos Euangelij ministros esse oportere existimant.

Ex verbis Seruatoris nostri & traditione Apostolica aliud nihil docetur, quàm publicam potestatem ciuilem nullam esse coniunctam cum ministerio Ecclesiastico. Sed mutato rerum statu, vbi Ecclesia est Respublica, & Respublica Ecclesia, ministrorum Euangelij conditio eadem esse potest, quæ fuit olim sacerdotum & Leuitarum in populo Dei.

Vbi Ecclesia est R. P. idem homo tanquam Episcopus curam Ecclesiæ Domino Iesu, & fidem ac obsequium Regi, tanquam ipsius beneficiarius reddere potest.

CAP. XXVI.

SVnt qui Ecclesiam in Repub. esse putant, tanquam eius quædam pars, & quòd ipsa tota Respublica non sit Ecclesia. Verùm hæc distinctio in Christiano populo locum non habet: olim quando permixti Christiani erant cum gentilibus, sicut hodie sunt inter Mahumetanos, valuit, & dici potuit Ecclesia esse in R. P. sicut Israëliticus populus in Aegypto, & in Babylone. Statum non tango R. P. in qua sub eodem magistratu, populus in partes diuisus est, & Ecclesiæ dissident: grauissima res est. & quæ proprium tractatum desiderat. Sed vbi totus aliquis populus nomen dedit Christo, & nemo illic est qui Christi baptismo non sit tinctus, Ecclesia est Respublica, & Respublica est externa, & visibilis quædam Ecclesia; cui inseruire, aut altero tantùm, aut vtroque nomine, (modò constitutus à Deo ordo seruetur, distinctáque maneant quæ naturâ separata sunt) nullum Euangelium prohibet.

Quòd quis Christiani populi Pastor aut Episcopus est, habet à Christo: quòd ciuis & beneficiarius, habet à principe: vt cuique horum suum reddat, neutrum cogitur abijcere: quæ sunt Cæsaris Cæsari idem homo reddere valet, vt nihilo minùs reddat Deo, quod debetur Deo. Episcopus vigilantem curam super commissum sibi gregem vt Pastor, Christo debet: & vt ciuis beneficiarius, obedientiam & fidelitatem, ac certum obsequij genus principi.

Si contingeret, hodie quempiã nobilem virum, Regis & Imperatoris feudatarium, ad Ecclesiæ ministerium vocari, vtpote qui eruditionem haberet cum pietate coniunctam,

quæ

quæ in Epiſcopo requiritur, Euangelium non prohibet talem in Eccleſia fieri Epiſcopum, & retinere feudum & regalia quæ anteà habebat, ſi R. P. leges id ferant.

Nec eſt quod quiſpiam putet negotijs ſæcularibus auocandum à cura paſtorali, ſi quis Dei timor in eo ſit, & Eccleſia ei ſit curæ: per miniſtros illa conficienda curabit, Eccleſiam per ſe gubernabit. Tantum temporis ad res vanas videmus à ſerijs rebus ſupereſſe nobilibus, quantum ad curam paſtoralem ſufficere poteſt. Non igitur poſſeſſio beneficiorum principis tanta habent impedimenta, vt quis ſimul eorum dominus eſſe, & bonus Epiſcopus non poſſit.

Quod ſi ergo rex Chriſtianus iudicet intereſſe Reipublicæ, aliquos epiſcoporum feuda ipſius beneficio poſſidere, dari aut accipi nuſquam lego vetitum. Quod prohibitum non lego, conceſſum intelligo: quod R. P. prodeſt, Eccleſiæ non obeſt: præſertim quando Eccleſia eſt ipſa Reſpublica.

Aliud argumentum ab oblationibus & honorario, quod Paſtoribus Eccleſiarum debetur, ſumptum, contra feudorum donationes, confutatur.

CAP. XXVII.

QVod ſi quis vlteriùs inſtet, & dicat, oblationes, quæ in Eccleſia fiunt, quibus tum Deus ipſe, tum ipſius ſerui honorantur, aduerſari feudorum naturæ, quoniam memoriæ accepti beneficij teſtificandæ cauſa offeruntur; feudum verò contrà datur à Domino, ea lege vt vaſallus ob collatum beneficium quodam officij genere authorem ipſius agnoſcat: quæ duo cùm inter ſe pugnant, rectè feuda data Epiſcopis & Eccleſiarum Paſtoribus non videntur; confirmatur hac ratione: Quæ paſtoribus Eccleſiarum dantur, ratione miniſterij ipſorum, honoraria quædam ſunt, & inter opera pietatis numerantur, quæ à Deo compenſanda ſunt, ob quæ temporariam mercedem, aut ciuile aliquod obſequium exigere, iniquum eſt; feuda autem ea lege dantur, vt feudatarius patronum benefactorem quodam officij genere agnoſcat: Non rectè igitur feudis maiores noſtri Epiſcopos aut alios Eccleſiarum Paſtores honorârunt. Differentia bonorum Eccleſiaſticorum, quam ſuperiùs poſuimus, nempe alia eſſe ſacra & diuina, alia ciuilia & humana, reſponſionem facilem & perſpicuam adfert. Feuda ciuilia bona ſunt, quæ non numerantur inter oblationes, ſed inter donationes. In lege Dei vrbes & ſuburbana data ab Iſraëlitis ſacerdotibus & Leuitis, inter oblationes non numerantur. Differunt enim inter ſe, offerre Deo quidpiam, & donare aliquid Eccleſiæ propter Deum, vt Eccleſiarum Paſtores, & Epiſcopi commodiùs, & honeſtiùs inter ciues viuant, & onera R. P. faciliùs ferant. Res mobiles, quæ ipſo vſu pereunt, Deo offerri dicuntur, quando miniſtris aut pauperibus propter Deum dantur: alterum honorarij nomen habet, alterum eleemoſynæ: hæc beneficia oblationis & ſacrificij cùm naturam habeant, certa aliqua lege, aut intuitu alicuius remunerationis percipiendæ, ab ijs qui inde emolumentum capiunt, non dantur. Proinde, cum feudorum natura nihil habent commune: Nam etſi ad gratam memoriam obligent, non tamen ea lege dantur, vt aliquod obſequium propterea præſtetur. Feudi igitur natura diuerſa cùm ſit ab oblationibus, cum illis non debet miſceri: nec inde rectè arguitur Eccleſiarum miniſtros illis non poſſe donari. Primò, cùm ciues ſint, & ſub ijſdem legibus & magiſtratu viuant, & onera communia ipſis ferenda ſint cum cæteris ciuibus; ciuilia bona ipſos poſſidere poſſe, principis & Reip. beneficio, nulla æquitas prohibet. Deinde, agros & prædia Eccleſiarum cùm ſub Chriſtianiſſimis principibus tributum ſoluere iniquum non ſit æſtimatum à ſanctis Patribus: feudorum fructus & emolumenta, partim Eccleſiæ, partim Reip. aut principi ſeruire, contra religionem non eſt. Quidni agris & feudis idem accidat, quod ipſis hominibus? qui Deo deuoti ipſiúſq; miniſterio mancipati cùm ſint, nihil indignum munere ſuo committunt, quando pro dignitate conditionis ſuæ, obſequium principi, & alia Reip. debita officia præſtant.

Quod additur de honorario aut ſtipendio Miniſtrorum, eâdem ratione ſoluitur: nihil enim diuerſi continet. Quemadmodum homo ſe & ſuos labores Deo & Eccleſiæ conſecrare poteſt, vt nihilominùs Principi ſuo, & Reipub. debitum reddat obſequium: ſic agri,

agri, prædia, & feuda donari possunt Ecclesijs, vt immunitatem à seruitute, & obsequio patronis debito, non consequantur. Episcopus, & quiuis alius Ecclesiæ minister, legibus & magistratui subiectus est: ac Principi, tanquam communi patriæ parenti, obedientiam cùm debeat, strictiùs eum nouo beneficio obligari absurdum non est.

Quot bella, quàm funesta toti Christiano orbi mouerint Romani Episcopi contra Imperatores, & alios Reges Christianos, propter inuestituras feudorum, quas sibi vendicabant, vtpote Deo sacras, ac proinde (vt sibi persuadebant) immunes ab omni seruitute ciuili, testes sunt omnes historiæ.

Nimis hodie illi Magistratus se ingratos, audeo etiam dicere impios, præbent in Ecclesiarum Christi Pastores, qui propugnando Magistratus ciuilis authoritatem, quam labefactauerat Romanus Episcopus, effecerunt, vt eam plenam & integram recuperauerint, hanc ab eis reportant mercedem, quòd bona olim destinata in vsus ministrorum Ecclesiæ, ipsis inuident. In quos verè dici potest, quod Apostolus Paulus obijcit Corinthijs, *Libenter quidem tolerâsse eos, qui ipsos in seruitutem adigebant,* 2.Cor.11.19. *qui accipiebant, qui sese extollebant, qui ipsos in faciem cædebant*: addo qui ferro & igni, ac omni denique suppliciorum genere afficiebant: fidos verò Christi seruos, qui in libertatem ipsos asseruerunt à tyrannide Pontificia, non tantùm nullo dignantur honore, vt modis omnibus aliorum famæ, & aliorum vitæ insidientur, & omnium, quacunque possunt ratione clam & palam, gratiam & authoritatem minuant. Diuini beneficij, quod per Euangelij prædicationem adepti sunt, hoc est præmium? & hæc est gratia, quam rependunt suis Pastoribus? sed ignoscat ipsis hoc peccatum, qui huius iniuriæ iudex, & vindex, Deus est aliquando futurus.

De honorificis titulis, qui dantur Episcopis.

CAP. XXVIII.

POstquam de feudis, & ciuili iurisdictione, quæ illis coniuncta est, fumus locuti; restat vt de honoris vocabulis etiam aliquid dicamus. Ego vno atque altero complectar cætera, quæ aut loci temporisque consuetudo, aut Principum Regúmque benignitas subiectis primoribus regni tribuunt, quibus hic in Anglia nonnulli offenduntur, & Episcopis non danda esse disputant. Primum vocabulum quod displicet, est Domini, quod hodie tamen honoris gratiâ dari consuetum est, potiùs quàm dominij. Propria significatio nota est, quòd relationem habeat ad dominium proprietatémque rei, qua significatione quisque rei suæ Dominus est. Refertur similiter ad seruum, in qua significatione, nec ipsi Romani Imperatores Domini dici voluerunt. Suetonius de Octauio narrat, quòd Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium semper exhorruerit. Barbari aliud discrimen personarum, nisi Domini & serui, non nòrunt: eorum Reges in subiectos herile habent Imperium: Patresfamiliàs idem ius habent in vxores & natos, quod in seruos: Quod hodie apud nos valdè durum videretur & iniquum, non similiter populo seruire assueto. Moschouitæ tamen hodie hoc modo imperant; Nec admodum dissimile est Turcarum Imperatorum Imperium. Omnia Orientis imperia fuerunt olim huius generis, in deuictas gentes: an aliud priuilegij habuerint Regum gentiles, incertum relinquo. Hos verè quis dixerit Dominos: quo sensu nostri Reges dici nolunt Domini; non enim pro seruis subditos suos habent. Maxima ipsorum gloria est, quòd subiectum habeant populum liberum, pulchriúsque ducunt libero populo imperare, quàm seruo.

Tametsi Rex verè Dominus, & solus Dominus in regno suo dici possit, relata significatione ad subiectionem totius populi, aut ad regni proprietatem & dominium: tamen cum Regis nomen nemini Reges communicent, illud Domini subiectis non inuident, sed quos dignos censent, eo honorant. Nec tantùm inferiores, vocant se superiores Dominos, sed etiam qui eiusdem ordinis sunt proceres, imò ipsimet Reges honoratiores regni sui compellant Dominorum & Dominarum nominibus. Polysemon est Domini

vocabulum,&(vt dixi) plerúmq; honoris magis quàm Imperij: quod aut malitiã arguit, aut certè magnam ignorantiam eorum, qui diſputant Epiſcopis non conuenire tanti honoris nomen. Hodie apud Latinos, cuiuis, qui in aliqua æſtimatione eſt, hoc nomen datur: Itaque pro diuerſitate regionum, perſonarum, & rerum, videmus ſignificationem huius vocis mutari.

Qui apud Anglos eam honoris maioris ſignificationem habere æſtimant quàm vt conueniat Epiſcopis, ex eodem errore naſcitur, quo credunt, Epiſcopos inter proceres regni numerari, eſſe abſurdum. Sed plerique in hac re idem mihi pati videntur, quod filij Iacob, quando fratrem ſuum honoratiorem ipſis fieri inuiderunt, quos in fratre ſe fore honorandos cogitâſſe potiùs oportebat. Contra rationem bene conſtitutæ Reipublicæ eſt, ſacrorum antiſtites inter primos non cenſeri ordines: qui honor cùm multitudini non poſſit haberi, in paucis totùm ordinem honorari, ſummis Magiſtratibus rectè viſum eſt. Quod cùm Legi diuinæ, & moribus veteris populi Dei, & iudicio omnium gentium conſentaneum ſit; mirum eſt viros eruditos inueniri qui aduerſentur.

Veruntamen audiamus quibus adducti rationibus Eccleſiaſticum ordinem ita depreſſum cupiunt, vt Domini vocabulum non eſſe tribuendum Epiſcopis iudicent. Superba (inquiunt) hæc dominationis vocabula ſunt ab Antichriſto inuenta: & Seruator noſter Apoſtolis contendentibus de primatu reſpondit, *Reges gentium dominantur eis, & qui poteſtatem exercent in eas, benefici vocantur: vos autem non ita.* & Mathæi 23.capite, *Patrem veſtrum neminem vocetis in terra; vnus enim eſt pater veſter qui in cœlis eſt: ne vocemini doctores, vnus enim eſt veſter Doctor.* Quidquid præterea adfertur, parui eſt momenti: his Seruatoris noſtri præceptis bene intellectis, facilè per ſe cætera concident.

Dico igitur dominationis vocabula inuenta fuiſſe ante ipſum Antichriſtum, authore eo qui & dominationis eſt: ſuperbi nihil eſt in vocabulo, ſed in vſurpata & in impotenti dominatione, quæ diſſimulato proprio nomine contrarium ſæpe adſumit, & Seruum Seruorum ſe dicit, qui Dominum ſe eſſe Dominorum credit: & Minores ac Minimos, qui maiores & maximi, eo ipſo quòd ita vocantur, volunt videri. Dominus verò non vſum, aut rem harum vocum, Dominus, Doctor, & Pater, inter ſuos abolere voluit: ſed duo tantùm his præceptis cauenda docere. Primum eſt tumor vanus ex nomine, quo inflari ſolent hypocritæ: alterum fiducia electi Doctoris, aut Patris: quorum authoritate freti, in varias factiones profeſſores nominis Chriſti ſcindunt Eccleſiam, & dicunt, Ego Cephæ, ego autem Apollos, ego verò Pauli; cuique ſuus placet quem delegit Doctor: cùm in nullius Doctoris, niſi in vnius illius, qui errare non poteſt, Chriſti, nobis verba iurandum ſit. Mens Domini nunquam fuit inhibere, ne quos ipſe Eccleſiæ ſuæ Doctores & Patres daturus erat, ſuis nominibus compelleramus; aut ne nati genitorem Patrem, & diſcipuli Magiſtrum Doctorem vocarent, & ſerui Chriſtiani heros ſuos dominos: Oneſimus Philemonem dominum ſuum agnoſcere, & vocare potuit, & debuit; Paulus qui perfectus fuit imitator Chriſti, primæ ad Tim.2. cap. ſeipſum vocat Doctorem gentium, quem nos æquè vt Apoſtolum Chriſti, ita quoque Doctorem poſſumus dicere. Primæ ad Corinthios, 4. cap. ſe Patrem eorum ſcribit: *Etſi* (inquit) *decem millia pædagogorum habueritis in Chriſto, at non multos Patres habetis: ego enim per Euangelium vos genui.* Idem pluribus alijs locis legere poſſumus: vnde intelligitur, ſolam ambitionem nominum prohibitam fuiſſe cum electione Doctoris: quia ab vno illo ſolo Doctore eſt expetenda veritatis cognitio, qui ſuo Spiritu nos inducere valet in omnem veritatem.

Sed de vocabulo Dominus, quid dicemus? primò nuſquam ſcriptum eſt, Ne vocemini domini: deinde, etiamſi ſcriptum inueniretur, non alium haberet ſenſum, quàm ea quæ iam allegauimus. Dominationem in clerum Domini vetitam eſſe, extra controuerſiam eſt. Si domini vocabulum ſemper dominationem ſignificaret, aliquid dicerent: ſed variam huius vocabuli eſſe ſignificationem audiuimus. Quod autem Dominus dixit Apoſtolis, *Vos autem non ita*, quis ſanæ mentis interpretabitur idem eſſe, ac ſi dixiſſet, non vocabimini Domini? Quod ſi Reges & Principes R. P. vos in conſeſſu Magnatum voluerint ſedere, & de ſtatu R. P. & Eccleſiæ veſtram audire ſententiam, & vobiſcum de rebus grauiſſimis deliberare, & propter reuerentiam nominis mei, & veſtræ conditionis

inter

inter honoratos regni sui habere, cauete, nec finite vos vocari dominos: superbum nimis hoc nomen est. Hinc nata est hypocrisis, quæ sub vocabulorum humilitate sæuissimam exercet tyrannidem, & titulo delectatur serui seruorum; & eius satellites, aut Fratres minores, aut etiam Minimi gaudent vocari: tanquam sub istis nominibus nullus tumor, nulla superbia, nulla tyrannis subsit; & solum Domini vocabulum necessariò comitem habeat aut fastum, aut tyrannidem.

Sensus verborum Domini nunquam fuit, ab vsitatis honorum vocabulis, consensu populi, voluntate summorum magistratuum delatis, interdicere discipulos; docere tantùm voluit Euangelicum ministerium non esse Regium & ciuile imperium: vnde non efficitur Reges non posse Pastorum Ecclesiæ opera vti, nec eos præcipuo aliquo honore prosequi. Dominus noster nullis suis præceptis Regiam potestatem imminuit, nec ab humanitate & beneficentia erga suos seruos prohibuit, ne eis vti possent in rebus necessarijs, quæ ad R. P. salutem pertinent: aut officiorum, quæ præstitissent, nullam haberent rationem, & pro meritis eos honorare, quorum fidem & prudentiam experti essent. Nebuchadnezar apud Babylonios Danielem honorauit, Mardochæum Darius Persarum: Christianus Rex Christi seruum honorare religione prohibetur scilicet? Modum excedi posse non dubito, nempe quando diuinus honor mortali tribuitur, aut quando ambitiosè ab eo, quem humilitatis doctorem esse oportet, immoderatus expetitur: sed immoderatus censeri non debet ciuilis honor, quem à Principe ob iustas causas subditis dari mos patrius recepit.

Sanctissimi viri, quorum vita tantùm priuata fuit, in nouo & veteri Testamento Domini nomen admiserunt. Tertio Regum, cap. 18. Abdias seruus Regis Achabi, factus obuius Eliæ, eum dominum salutat; & 4. Regum, cap. 4. à Sunamithide Elisæus eodem compellatur nomine. Actorum 16. Paulum & Sylam custos carceris dominos appellat; quorum tamen non minor animi modestia fuit, quàm Petri, qui à Cornelio se vltra modum honorari non est passus. Paulus & Barnabas, scissis vestibus insilierunt in turbam, & diuinos honores detestati sunt quos Sacerdos Iouis cum plebe ipsis exhibere volebat; quòd si in Domini vocabulo immodicus fuisset honor, illud profectò repudiâssent. Dico igitur, in Republica Christiana, quæ Ecclesia est, externa omnia, vt sunt opes, diuitiæ, & ciuiles honores, ab omnibus & singulis omnium ordinum fidelibus, ad Dei gloriam, & communem vtilitatem referri posse, (vt referenda sunt) & seruos Christi ad honores, & contumeliam, copiam rerum, & inopiam, ità comparatos esse oportere, vt illis omnibus rectè queant vti, ad Ecclesiæ Dei ædificationem.

De famulitio, & comitatu Episcoporum.

CAP. XXIX.

PRæterea, comitatus Episcoporum, & strepitus famulorum non parùm offendit quorundam oculos, quòd similiter in ea re Duces & Comites regni videantur imitari: Non ita Paulus, & Petrus (inquiunt) incedebant comitati. Respondeo, hanc orationem esse popularem, & vana specie simplicium animis illudere: nam hoc audeo asserere, comitatum Domini & Apostolorum tam honoratum fuisse, quàm esse potuit pro ratione temporis, & rei, ob quam in hunc mundum venerat: honoratior futurus, si Deus seruandi genus humanum aliud consilium probâsset. Nam in suam familiam vltra 80. viros adsumpserat, qui eum comitabantur quocunquè ibat, aut præcedebant, quò erat venturus.

At nulli Nobiles aureis torquibus ornati, (inquiunt) nulli phalerati equi, in illo comitatu. In illa solemni pompa quando ingressus est Hierusalem, vili vectus fuit asello, paupere sodalitio suorum discipulorum comitatus. Rursus dico, hunc popularem esse scimonem, in quo nihil inest firmi contra id de quo controuertitur. Seruator noster hoc modo consuluit illi tempori, ne aut affectati terreni regni suspicionem incurreret, aut nostræ redemptionis opus impediret. Aliàs, si Herodi, si deniq; Principibus Sacerdotum notus fuisset, & illi, quantus vir erat, cognouissent: quod plebs fecit, & ipsi pro sua

magnificentia feciſſent: ſed tunc nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

Qui honorem effuſi nardi gratum habuit, & à Magis munera, aurum, thus, myrrham accepit; ſibi à Principibus delatum obſequium, ſi cum ſalute humani generis fieri potuiſſet, nunquam repudiâſſet. Inepta planè, ſiue contra Pontificios ea ſit, ſiue contra noſtros Epiſcopos, ratiocinatio hæc eſt, quæ ab illis temporibus, & ab infidelis populi factis argumentatur ad tempora Chriſtianorum, & officium eorum qui ſe Domino ſubmiſerunt. Non tamen faſtum, aut luxum, aut ſuperfluum famulitium in Epiſcopis probo: ſed comitatum eum non eſſe improbandum iudico, quem regionis & gentis conſuetudo poſtulat. Vetus Eccleſiæ mos fuit, vt Epiſcopus nuſquam ſolus progrederetur, aut ſolus eſſet: domi & foris omnium actionum ſuarum habebat teſtes. Qui æquiores ſunt Epiſcopis, mallent togatos comitari Epiſcopos: quod & ego mallem. Sed rem expendamus: nam qui habere homines ſui ordinis Epiſcopos comites volunt, aliquid videntur dicere, & priſcorum Patrum niti exemplis. Sed Epiſcopos noſtros nunquam ſine illis eſſe notum eſt. De numero igitur erit quæſtio: qui idem omnibus præſcribi non poteſt, quia facultates omnium non ſunt pares. Sed age, graues viros adiungamus Epiſcopis: quò plures erunt, maior futura eſt familia, & famulorum numerus maior, & comitatus maior eo hodie qui conſpicitur: proinde etiam & inuidia maior naſcitur.

Sed ſtipatorum gladij, & nobilium aurei torques offendunt quorundam oculos, tanquam Epiſcopum à nobilibus honoris cauſa deduci, ſiue adoleſcentes ſint qui cum eo viuant, ſiue grandiores natu viri, indignum officio Chriſtianorum ſit. Generoſos adoleſcentes & ingenuos, ſumpta virili toga, adduci ad Epiſcopum, vt eum vbique comitentur, eius tum dicta tum facta obſeruent, & inde doctiores & meliores euadant, nemo, niſi malus & inuidus, vitio vertet. Epiſcoporum domus, collegia doctorum virorum, & ſcholæ virtutum ſunt, & olim fuerunt: quid impedit quò minùs hodie etiam ſint?

Sed ne Epiſcoporum defenſionem, potiùs quàm vocationis ipſorum, videar ſuſcepiſſe, nullius virtutes commemoro, qui hodie præſunt Anglicanæ Eccleſiæ, præter reuerendiſſimum patrem Dominum Ioannem Archiepiſcopum Cantuarienſem, & reuerendiſſimum Dominum Gulielmum Epiſcopum Couentrienſem, meum Epiſcopum: alij omnes pariter mihi ſunt ignoti. Noui aliquando, dum viuebat, reuerendiſſimum Dominum & Patrem, Edmundum Grindallum, cuius memoria apud omnes Chriſti Eccleſias celebris eſt; & duos præterea alios Epiſcopos eruditione & pietate claros, Dominum Iuellum Sarisburienſem, & Dominum Hornum VVintonienſem, quorum pietatem, & eruditionem, omnibus Epiſcoporum æmulis opto. Quos præterea Epiſcopos & Archiepiſcopos noſtrâ memoriâ Anglia habuerit, eorum doctæ lucubrationes, & Martyrum hiſtoriæ teſtes ſunt. Ipſos, tum integerrimæ vitæ, tum raræ eruditionis viros fuiſſe, nemo niſi malus diffitebitur. Dico igitur me Epiſcopos non defendere, ſi qui ſint improbi, ſed Epiſcoporum vocationem; quam, piam, Chriſtianam, Apoſtolicam, vtilem & neceſſariam Eccleſiæ, in conſcientia mea coram Deo iudico. Abuſus & crimina, quibus calumniatores onerant Epiſcopos, perſonarum ſunt, non vocationis. Sublata Romana tyrannide, & poteſtate Regia reſtituta in integrum Principi, quicquid ab Epiſcopis peccatur (ſi quid peccatur) facilè poteſt corrigi. Summi magiſtratus inprimis intereſt, videre vt Eccleſijs præficiantur viri pij, multis virtutibus clari, quales verbum Dei præcipit: id ſi negligant Principes, ſchiſma remedium eſt ipſo morbo grauius. Quod ſeditio eſt in Repub. ſchiſma eſt in Eccleſia.

Quamuis hæc nihil ad Eccleſiarum, quæ vobis commiſſæ ſunt, ſtatum attineant (obſeruandi fratres) vbi nulli ſunt Epiſcopi, aut potiùs vbi omnes ſunt Epiſcopi: fuſiùs tamen hæc à me diſputantur, vt tota res meliùs vobis omnibus perſpecta ſit, & vt omnes intelligant honores, qui Epiſcopis deferuntur, eſſe Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ, tum ornamento, tum adiumento: ac toto cœlo errare, qui eos ipſis inuident, & in ordinem redactos Epiſcopos cupiunt. Id quodam aſtu Satanæ (meo iudicio) procuratur, non alio conſilio, quàm vt omnes Eccleſiarum Paſtores ſimul in contemptum adducat, & ſic religionis omnis intereat authoritas, quò impietati impunè blaſphemias quaſcũq; in Chriſtũ, & in omnes religiones euomere liceat, nemoq; ſit qui ſe impiorum hominum conatibus

opponere

opponere audeat. Scio quid loquar, nec vos, dilecti in Christo fratres, quotquot per Zelandiam, & Hollandiam, Pastorum officio fungimini, nisi cœci & surdi estis, ignorare potestis. Sed de hac re in præsentia satis dictum sit: dicam aliquando, si Dominus dederit, quæ restant, apertiùs.

Vtrum præstet Ecclesiarum ministros viuere ex stipendiis magistratuum, quàm ex oblationibus fidelium.

CAP. XXX.

EOrum qui credunt Euangelij ministros ex Euangelio posse viuere, non est eadem omnium sententia. Nam sunt qui Ecclesiarum Pastoribus & ministris, tantùm ex oblationibus & decimis Christianorum viuendum censent, illis bonis, quæ temporalia dicuntur, abdicatis, & magistratu populóque relictis. Alij duntaxat quamdiu magistratus Christianis est infensus: qui vbi Euangelium recepit, ipsius esse videre, vt Ecclesiarum ministris honesta stipendia designentur: quod vbi factum est, cessare oblationes debere. Ego contrà sentio, verbo Dei doceri oblationes in Ecclesia perpetuas esse oportere, vtpote quæ sint pietatis in Deum, & ipsius seruos, exercitationes & testimonia, quibus tum Deo gratiæ redduntur, tum suæ plebi Pastores, Pastoribúsque plebs, mutuo nexu deuinciuntur. Nescio enim quomodo quis beneficentia non tantùm deuincit, sed ipse occulto sensu deuincitur: & quemadmodum benefactor suum facit cui benefacit, ita se quoque illius fieri sentit; gaudétque de beneficentia (si modò candor & ingenuitas vtrobique adsit) vterque, tam qui dat, quàm qui accipit.

Nimis politicæ & prophanæ mihi videntur rationes, quibus abrogatæ sunt in nonnullis Ecclesijs, & abrogandæ censentur oblationes. Nam etsi pietas quæstu metienda non sit, illa tamen sine fructu esse non debet. De vario & multiplici abusu, quod allegari solet, nihil est; nisi abrogandas olim, dum præceptæ erant, fuisse ceremonias, & sacra omnia, quæ Deus instituerat, dicamus, quia impiè illis abutebantur hypocritæ. Nihil est enim tam sanctum, quod non temeret hominum impietas; quare quid iubeat Deus, inquirendum est, non quid huic, aut illi est visum honestius. Antiquatas oblationes si quis obijciat, quemadmodum & decimæ, aliáque sacrificia veteris legis; eum scire volo, ea ratione exigendas hodie non affirmari, nec fuisse exactas à Patribus, sicut testimonijs eorum quos suprà citaui, notari potest: sed tanquam grati animi in Deum, & beneuolentiæ in Ecclesiarum Pastores testimonia: quod officij genus non temporariam habet legem, sed perpetuam; qua fideles, quamdiu in hoc mundo degent, teneri minimè dubium est.

Deinde obijci solet, vbi ex amplis Ecclesiæ prouentibus aut certis stipendijs abundè Pastoribus prospectum est, oblationes cessare debere. Respondeo, ad hoc quidem valere, vt minores, & non ita crebræ sint, sicut aliàs essent, vbi nulla prædia, nullos annuos fructus agrorum recipit Ecclesia: non vt prorsus nullæ sint. Finis oblationum, non est tantùm subleuanda Ministrorum necessitas, sed in Deum pietas. Hinc Prouerb. 3. cap. 9. vers. Sapiens dicit, *Honora Iehouam de tuis diuitijs, & de primitijs omnium prouentuum tuorum, &c.* Non dicit, Honora sacerdotem (qui tamen honorandus erat, & honorabitur) sed, Honora Iehouam: Et Paulus ad Philip. 4. cap. non se requirere munus testatur, sed fructum exuberantem in rationem ipsorum, non suam. Qui oblationes tollunt, hoc fructu pietatis fideles priuant qui ex bonis operibus prouenit, & communionis mutuæ hinc inde bonorum, quam fideles inter se exercere debent. Quocirca quemadmodum ex possessionibus datis Ecclesiæ, viuere licere Pastoribus Ecclesiarum diximus, idem de oblationibus est dicendum. *Tit. 3. cap. 14. vers.*

Argumenta & rationes, quibus probatur, potiùs Euangelij ministris viuendum ex stipendijs magistratuum, quàm ex oblationibus & decimis fidelium, confutantur.

CAP. XXXI.

NVnc rationem stipendiorum, quæ à magistratu soluuntur, examinemus: id enim hodie nonnullis magis probatur, quàm vsus prædiorum, aut oblationum: quòd credant, sic meliùs multa incommoda, quæ humana imbecillitas adfert, vitari posse. Rationes & argumenta noua sunt, & Patribus incognita, aut saltem non tanti æstimata, vt iudicârint idcirco abolendum esse pietatis testimonium, quod oblationes fidelium adferunt. Prima ratio hæc est: Quòd sic tollatur occasio cauponandi verbum Dei, quæ aliàs facillima esset, subdolis & hypocritis Ministris, à quibus ad quæstum & ad vsuram conferri facilè posset vniuersum ministerium: vt a quibus plurimum sperarent, illis sese accommodarent. Respondeo, id cuiquam iniuriâ videri, cùm pactio ipsa stipendij cauponatio potiùs videri debeat, nisi ex ratione dandi & accipiendi cauponatio iudicanda sit, eámque animo metiamur, non re. Quid enim est cauponari aliud quàm lucri causa aliquid venditare? Magistratus qui certum ministerij laboribus pretium constituit, aut ipse Pastor qui exigit, etiamsi apertis verbis hinc inde nulla intercedat licitatio, cauponari potiùs videntur, quàm ij, qui ex oblationibus fidelium, & certis agrorum prouentibus viuunt. Oblationes certæ non sunt & religionem quandam habent; stipendia verò sunt certa, & ciuilia potiùs quàm religiosa. Vter quæso cauponari potiùs dicendus est? is ne qui ratione sacri ministerij religiosa munera à plebe sua recipit, an is qui stipendio certo suam operam addicit? Maiorum nostrorum sapientia cauponationem nulla re meliùs posse euitari credidit, quàm si vtrinque dando & accipiendo intercederet religio. Dico igitur, hoc malum quod quidam metuunt, videlicet, ne vniuersum ministerium ad quæstum & vsuram conferatur, nunquam in hominibus auaris posse vitari: quia ita animo comparati sunt, vt ex quacunque re lucrum, si possint, captent; eóque se etiam semper conuertent, vbi maiora erunt stipendia.

Primum argumentum.

Deinde καξησία Euangelica seruatur sic meliùs: nam à quibus indies acciperent, eorum vitia aut non possent taxare, aut fraudi illis esset liberiùs contra mores & vitia recepta agere: nunc cùm nemo de suo quidquam numeret, sine metu liberiùs omnium ordinum homines officij admonentur. Hæc ratio partim seipsam conficit, & in authorem retorqueri potest; partim seipsa concidit: nam metus quoque est, ne Pastor ad eorum gratiam loqui cogatur, à quibus stipendium recipit, qui plerumq; pluribus peccatis, & grauioribus, quàm ipsa plebs, implicantur: ad quos nisi Pastor orationem accommodet, periclitabitur stipendium. Ex multitudine si quosdam sua libertate offendat Doctor, nunquàm tantum incommodi nec sibi, nec suæ conditioni accersit, quàm si incurrat in vnius Magistratus odium. Dicendi libertas popularis est, qua dum offenduntur pauci, lætantur multi: & susceptum hoc nomine paucorum odium, multorum parit gratiam. Præterea, malè Euangelij Ministris Seruator noster consuluit, (si quid ponderis hæc ratio habeat) quando quemadmodum in veteri lege ex oblationibus populi Sacerdotes & Leuitas viuere iussit, ita ex Euangelio, in nouo Testamento Apostolos eorúmque successores viuere voluit, si periculum est, ne idcirco vitia taxare non audeant. Sed oblationum non assequuntur rationem, aut parui faciunt, quæ de oblationibus populi Christiani leguntur apud veteres Theologos.

Secundum.

Primò, adulationis suspicionem qui hac ratione credit tolli, quæ alioquin non possit vitari, errat, & temerè omnem antiquitatem condemnat. Age, conciones Patrum, qui ex oblationibus populi vixerunt, & Ecclesiasticæ disciplinæ seueritatem illorum temporum, conferamus cum concionibus Pastorum nostri sæculi, & videamus, qui liberiùs fuerint loquuti. Pudebit certè nos nostræ ætatis, quæ cùm vitiorum sit opulentissima, tam longè Doctores absint ab illa libertate reprehendēdi vitia, quam fuisse in priscis illis Patribus ipsorum testantur monumenta. Deinde conferantur Pastorum conciones illarum

rum Ecclesiarum, vbi ex liberalitate populi viuunt, cum illis qui stipendia à Magistratu accipiunt, & vtri eorum melius in hac parte suo funguntur munere, facilè apparebit. Postremò, nil opus est pendere totos ex oblationibus populi, vbi præter oblationes sunt amplissimi agrorum prouentus, olim destinati in vsus Ecclesiæ. Accedit hoc etiam, quòd Christiani Magistratus officium sit cogere malos ad officium erga suum Pastorem: vt planè vanus sit iste timor qui allegatur.

Quòd non creditur alio modo suspicio adulationis posse vitari erga illos qui multa dant, & liberali manu, & parcatur illorum erroribus qui prædiuites sunt, & dare possunt, vanum est, natum ex errore, quòd creditur, ad oblationes Christianos non obligari, aut ad Ecclesiam eas deferri, aut alio modo colligi, superstitiosum aut inuerecundum: quod etiam patrocinatur sacrilegijs nostri temporis, quæ Ecclesijs ex tantis opibus nihil reliquerunt: vt si quid desit in oblationibus, aliunde illa suppleatur inopia.

Per certa stipendia (inquiunt) cauetur verecundiæ Ministrorum, & pudori familiæ. *Tertium.* Quis enim ingenuus libenter singulis suam fateatur egestatē? & quo modo pudore saluo familiæ, per domos errabit, colligendo ostiatim necessaria? certè pudor periclitabitur & verecundia.

Nunquam auditum fuit ad eam necessitatem Ecclesię Ministros fuisse redactos, vt ostiatim colligere stipem fuerint coacti, in populo cui erant præfecti. In Papatu mos ille à mendicantibus fraterculis superstitioso errore fuit inuectus, nullo præcedente Patrum exemplo. Christianorum oblationum, vnde Ecclesiarum Ministri & pauperes alantur, colligendi alia est ratio. Aut enim vltrò à fidelibus adferūtur, aut ab honestioribus viris illius Ecclesiæ, Diaconis nempe, aut Senioribus colliguntur. Sed ex certis stipendijs, quæ ab incerta pendent Magistratus voluntate, malè consulitur tum familiæ necessitati, tum Ministrorum pudori, vbi adeò exigua sunt stipendia, aut tam auarè soluta, vt Ministerium deserere cogantur, coacti egestate, Pastores. Plebe persuasa se Pastoribus suis nihil debere, & ad Magistratus pertinere officium prospicere Ecclesiarum Ministris, quomodo plerisque in locis se gerat Magistratus, pudet referre.

Disputant præterea non posse fraude vti in stipendijs Ministros, cùm satis constet quantum accipiant: alioquin prætexere posse auaros Ministros, se etiam minus accipere quàm vel accipiant, vel sufficiat. *Quartum.*

Ad hoc Argumentum respondeo, oblationes, de quibus est quæstio, non esse secretas, & non omnibus notas, qui velint scire quantæ sint, quantumque Minister recipiat. Sed quid attinet omnes scire quantum accipiat aut habeat Ecclesiæ Pastor? quis huic rei potest modum præscribere? non enim est Pastoris tantùm accipere, sed etiam liberaliter dare. Quod additur, auaros Ministros posse prætexere se minus accipere quàm accipiant, vel sufficiat, ex eodem nascitur errore. Multos ego ministros noui, inter quos nemo quidē est, cuius vulgò facultates, & quantum ab Ecclesia acciperet, non esset notum, vt non magis hic quàm illic possit esse mendacio locus. Sed quid his rationibus est opus? quomodo vixisse credimus veteres Ecclesiarum Episcopos? vt Ignatius, Irenæus, Cornelius, Cyprianus, quorum memoria cum laude in finem vsque sæculi permanebit. Calumnijs maleuolorum nunquam obuiam iri poterit, siue ex decimis & oblationibus Ministri viuant, siue ex certis stipendijs aluntur: hic & illic quod accipitur, homines maleuoli & inuidi exaggerabunt. Ego sæpiùs hos audiui sermones, stipendium ducentorum aut trecentorum, & ad summum quadringentorum florenorum Flandriæ, esse magnum stipendium: ego familiam (inquiebant) minoris alo; nec ex lucro, aut ex prouentu annuo, tantum recipio; iniquissimè, non seipsos cum seipsis, sed cum Ministri conditione comparantes: quasi non multum interfit inter hominem priuatum infimæ sortis, & publicum Ecclesiæ ministrum: cui duorum annorum stipendium, aut trium, comparandis necessarijs libris vix sufficient: quem & erga egenos liberalem & hospitalem esse oportet.

Quod etiam dicitur consultum iri hac ratione subditis, qui plerumque pauperes sunt, & in pagis duriter victitant: quomodo enim illi alere possint Ministrum, qui ipsi alendi sunt? ex errore nostri temporis prouenit, qui alicubi Ecclesiastica bona in fiscum ciuilis magistratus retulit, & decimas, Pastoribus Ecclesiarum solui solitas, colligit. In pagis, pauperes, qui nihil habent, nihil dant, nec dare coguntur, vbi ex oblationibus & decimis *Quintum.*

viuitur: ſi quod quis habet, eſt exiguum, parum dat: pro facultatibus & magnitudine reddituum, ſiue ex pecuaria, ſiue ex agricultura fructum faciant, ſoluunt decimas. Nulla certè ratione pauperibus, qui in pagis viuunt, meliùs conſuli potuit, vt Paſtores non alant, qui ipſi alendi ſunt: nam hoc pacto Eccleſiarum Paſtores aluntur ab ijs qui multum habent, & eos alunt qui nihil habent. Certi ſunt agrorum fructus, & maior longè eſt numerus eorum qui illos percipiunt, quàm egenorum qui nihil habent.

Sed iſtæ rationes in cauſa ſunt, vt peſſimè ſimul pauperibus & Paſtoribus ſit conſultum, dum bona, quæ in ſacros & pios vſus erant deſtinata, ſpolianda & prophananda prophanis hominibus tradita ſunt, à quibus ipſos mendicare ſtipem, & ſeruire, ac turpiter adulari, neceſſe eſt, vt iuſtam laboris ſui mercedem accipiant.

Quòd argumentantur futurum vt quærant occaſiones dimittendi Miniſtrum, quando videbunt ſæpiùs eſſe conferendum; vel acerbiùs inuehentur in vitia, & ita mutandi etiam immeritos, cum maiori authoritate & contentione, cauſas comminiſcentur: Dico & hoc etiam naſci ex malè, ab initio, inſtituta Eccleſia, quæ in poteſtate populi ponit, pro ſua libidine dimittere, aut mutare Paſtorem: acſi quando hoc acciderit, otioſus ſpectator huius iniuriæ Chriſtianus Magiſtratus eſſe debeat, & malos cogendi ad officium non habeat poteſtatem. Sed reſpondeat Cornelius Epiſcopus Romanus & Martyr, qui deſtitutus præſidio Chriſtiani Magiſtratus, & vexatus à factione Nouati, adeò vt parum abfuerit, quin deſponderet animum, cederétque improbis; num ei aliquid defuerit ex oblationibus inter illa odia, & malorum diſſenſiones, quò minùs quingentos quinquaginta clericos, & pauperes mille quingentos inde alere non potuerit? Nunquam Patribus, qui ex oblationibus populi vixerunt, metuendi fuêre mali, ſed contrà, malis fuerunt metuendi, & re vera metuebantur.

Septimum. Nihilo plus valet quod dicitur, malos reprehenſos nihil eſſe daturos, & fame paſſuros perire Miniſtrum; tanquam id non magis metuendum ſit, ne fiat (quod experimur) à Magiſtratu, qui ſtipendia ſoluit, quandocunque bonus Paſtor malo diſplicebit Magiſtratui. Rarò accidit Paſtores in ſuis parochijs tantùm habere malos: mixtus Domini grex eſt bonis & malis. Amant boni quod odêre mali: quibus diſplicuiſſe, Paſtori magna laus eſt apud bonos, qui non patientur fidum ſuum Paſtorem detrimentum pati, ſed ſupplebunt ipſi quod propter malos perijſſe videbitur.

Octauum. Adferri quoque ſoiet alia vtilitas ſtipendiorum, hæc videlicet, quòd non debeant Miniſtri videri accipere ab illis, à quibus non oportet, vt ſunt planè impij, idololatræ, hæretici, cum quibus nullam oportet eſſe communionem, aut etiam pij, boni, ſed pauperes, quibus potiùs conferendum erat; tales ſunt viduæ, pupilli, orphani, ægroti, egentes, quos expilare eſt nephas. Vnde (obſecro) accipit Magiſtratus, & à quibus, ea, vnde numerantur Eccleſiarum Miniſtris ſtipendia? ex propriòne peculio, an ex ærario publico? quod promiſcuè notum eſt colligi ab impijs ſimul & pijs, à pauperibus & ditioribus? Mira hæc eſt religio, vt nefas ſit Paſtores accipere ab illis, à quibus Magiſtratus, quod ipſis tribuit, accipit. Omnes ſoluunt vectigalia, & alia Reipub. tributa, citra vllum diſcrimen, quiſque pro ratione ſuarum poſſeſſionum, aut mercium: ab ijs qui nihil habent, nihil accipiunt. Hæc Religio ſimilis eſt Franciſcanorum, qui ſignatam pecuniam cùm non audeant manibus contrectare, habent alium aliquem, qui id eorum nomine faciat. Fateor non decere vt ab omnibus accipiant Paſtores Eccleſiarum: ſed ſicut voluntariæ oblationes impiorum diuitum non ſunt accipiendæ à Chriſti ſeruis, ita piorum pauperum non ſunt repudiandæ, quando non excedit dantis facultas: quamuis exiguum ſit quod datur, cùm ſit pietatis fructus, nec contemni, nec ſupprimi debet in fidelibus. Dixi voluntarias oblationes hæreticorum, (quia accidere poteſt vt Euangelij Miniſter etiam ab infidelibus decimas accipiat) lege & conſuetudine loci, Paſtoribus debitas: nec in ea re magis Religio violatur, quàm ſi fructus agrorum repetatur à colono, aut mancipe hæretico.

Nonum. Argumentum, quod ab oſtentatione ducitur, in quam creduntur facilè poſſe relabi contributores beneficiorum, quos latêre eſſet impoſſibile, vnde contentio facilè naſci poſſet, quis cæteros excelleret, nullum eſt: niſi ſimiliter à publicis bonis operibus, vitandæ oſtentationis cauſa, Chriſtianos abſtinere volumus. A liberalitate nemo deterrendus eſt, ne in vitium vanæ oſtentationis, & laudis hominum incidat. Contentio & æmulatio

latio bona est, qua alius alium benefaciendo superare nititur: Animos & corda Deus iudicabit.

Postremum argumentum est, Nullum esse præceptum, vt Ecclesiarum Ministri ex oblationibus populi alantur; vnde concluditur, non esse necessarium vt eadem alendi Ecclesiæ Pastores ratio omni tempore, & omni loco retineatur: omnia ad εὐταξίαν spectare debere, vt ad ædificationem fiant. Respondeo, quamuis præceptum non sit Euangelij ministrō vt ex oblationibus populi viuat: potest enim de suo viuere, & ob certas causas, ad tempus, plebi suæ parcere, aut oblationes pauperibus distribuere: mandatum interim manet, quo populus obligatur Pastorem suum honorare, & liberali communicatione bonorum suorum, gratam piámque voluntatem erga eum testari: non enim tam de alimento Ministri est quæstio, quàm de animi gratitudine, & in Deum pietate, qui in seruo suo honoratur, aut contemnitur. Ego omnium gentium & regionum mores non noui: nec is sum qui cuiquam in hac re præcipere velim: de ijs, quæ vsu & experientia didici, loquor; & doleo nos in multis rebus, quæ sunt huius generis, vetera antiquare, nec meliora substituere. Certum quidem est Parœcias habuisse sub Pontificijs sua iura, agros, prouentus, & decimas, vnde Pastores alebantur; An quia irrepserant abusus, omnis eorum in vniuersum vsus tolli debuit? Perquàm frigidæ mihi videntur istæ, quas nunc confutaui, rationes: quibus quemquam moueri mirum esset, nisi odium Papismi in contraria ijs, quæ illic vsitata sunt, abriperet. *Postremum.*

Rationes, quibus improbantur stipendia Ministrorum Ecclesiæ, reiectis populi oblationibus.

CAP. XXXII.

QVum Apostolica regula iubeat in omnibus εὐταξίαν seruari, & omnia ad ædificationem fieri; videre operæpretium est, num id commodiùs fiat stipendia soluendo Ecclesiæ Ministris ex ærario publico, quàm illo more antiquo, populo Dei tradito ab Apostolis, recepto à Patribus, qui oblationes & decimas dat Pastoribus. Nobiscum natam sapientiam non æstimo, vt aliquid meliùs constituere possimus, quàm factum est à Veteribus. Deinde, nihil noui hodie constituendum in Ecclesia arbitror ei, qui tutus esse vult ab aduersariorum calumnia, sine approbato exemplo præcedentium temporum. Hæc honorandi Ecclesiæ Pastores ratio noua est, sacris Literis & Pastoribus incognita: nunquam enim auditum fuit ante nostra tempora, Ecclesiam habuisse stipendiarios Ministros.

Quando stipendia à fisco sumpta, aut ab eo collecta, fructum pietatis abolere, eóque populum priuare, dixi, nolo accipi quasi nephas esse iudicem, Magistratum ex publico ærario in Ecclesiæ vsus contribuere: sed quòd populus Christianus suo Pastori necessitudinis religiosæ vinculo deuinciri debeat, cúmque honorare grati animi erga ipsum testificatione: quod cum impeditur, frigere vtrinque oportet charitatem. D. Paulus (vt diximus) præcipit, vt qui sermone instituitur communicet omnia bona sua Doctori, à quo debito officio nulla stipendia diuites & opulentos auditores liberant. Nam illa communicatio bonorum non semper fit necessitatis subleuandæ causâ sed honoris gratíque animi testificandi gratiâ. Honoratur pauper Christianus frater propter ipsius egestatem; Pastor verò propter officij sui dignitatem. Postremò, mobilis est Magistratus voluntas, qui offensus Ministris, quo iure quáque iniuria, negaturus est stipendia. Quandocunque laborabit ærarium publicum (quod multis modis accidere potest) miserrima futura est Ministrorum conditio. Populus non assuetus quicquam suo Pastori pendere, ad se nihil pertinere iudicabit ipsius necessitatem, & adduci non poterit vt officio suo erga Pastorem satisfaciat: Plerique potiùs suum Pastorem deserent, quàm quicquam contribuant; & desertus deserere gregem cogetur, sicut in nonnullis locis Hollandiæ accidit. Quàm sit misera per Hollandiam Ministrorum Euangelij conditio, ob vilitatem stipendij, & solutionis difficultatem, ipsi nôrunt qui experiuntur, quando non paruo itinere & incommodo, supplices sua stipendia ad quæstores mendicatum ire coguntur: à quibus,

bus, non rarò cum probro excepti, remittuntur vacui, nihílque domum reportant præter itineris moleſtiam, & iacturam ſumptus & temporis.

Ad hæc hoc etiam accedit, quòd Magiſtratus, quia de fiſco ſuo credit ſe numerare ſtipendia, in Miniſtrorum ciuilium loco habere Paſtores Eccleſiarum incipit, audéntque impotenti animo homines interdum viles, depoſito magiſtratu, (vt ſunt coriarij, fabri, lignarij, inſtitores) Paſtoribus ſuis inſultare, ac dicere: Vos eſtis ſerui noſtri, nos ſoluimus vobis ſtipendia. Me puderet (ita me Deus amet) adeò contemptum mediaſtinũ aut caculam alloqui. In ſolenni epulo, quod Gandaui Principi Auraico dabatur, cùm ex aduerſo ſederem duobus Schabinis, aut Burgimagiſtris, & iam incaluiſſent mero, ac ex mutis facti eſſent loquaciſſimi, méque reſpondendo intentum vicino fortè crederent non audire quid loquerentur, hunc eorum ſermonem bene memini. Cauendum nobis eſt (inquiebant) ne iſti Miniſtri nobis aliquando plus negotij faceſcant quàm fecerunt noſtri Papæ; deprimendi nobis ſunt, ne nimis gratia & authoritate apud populum creſcant, vt Magiſtratibus metuendi ſunt: & in primis videndum eſt, ne lauta ſint eorum ſtipendia: Qui delicatè nutrit ſeruum, inueniet eum contumacem. Iſti (ſi Deo placet) Eccleſiarum Chriſti patroni & defenſores volebant videri: ſed ipſi (quod citra bonorum vituperium dictum ſit) poſteà prodiderunt quid fouerent in animo, religionis & patriæ ſuæ facti proditores. An ſimiles eis nullos alat Hollandia, viderint quorum intereſt: ex effectis ſimilibus ſimiles arguere cauſas licet. Hæc contumelia naſcitur à ſupercilio ſolutionis ſtipendiorum, direptis Eccleſiarum poſſeſſionibus, aut in fiſcum relatis. Quamobrem nemo miretur, ſi ego hanc Euangelij miniſtros honorandi rationem non probem: honor enim non eſt, qui cum ignominia coniunctus eſt. Maneat ergo quæ ſapienter tam in veteri quàm in nouo Teſtamento à Domino, honorandi ipſius ſeruos, mandata fuit ratio, ſicut ea à priſcis Patribus intellecta & vſurpata fuit: nec fiducia noſtri nos fallat, nos poſſe inuenire meliorem. Ita corrigantur abuſus, vt legitimus reſtituatur vſus. Tanti non ſit improbitas eorum qui ſuis flagitijs ſacra prophanáque contaminárunt, vt nos ſacra prophanáque ſimul commiſceamus, &, quod natura ratióq; in rebus conſtituit, diſcrimen tollatur.

DE

DE SACRILEGIIS, ET POENIS SACRILEGORVM, LIBER TERTIVS.

Donationes factæ Ecclesiis firmæ sunt, illis ijsdem legibus, quibus bona sua cæteri ciues possident.

CAPVT PRIMVM.

MAiorum nostrorum in ditandis Ecclesijs studium & liberalitas nota sunt, quos vbique & semper omni ex parte errâsse, hoc est, (vt vno verbo dicam) prorsus in hac re insaniuisse, & posteros plus videre & sapere, qui contrariam ingrediuntur viam, sine vllo Dei mandato, sine vllo præcedentis seculi exemplo, mirum videri potest. Sicut in peccatis Patrum niti exemplis est stultum, & à ratione alienum: ita temerè ea contemnere, vbi nullius peccati possunt argui, est impium.

Proni nos omnes patres & nati sumus in vitia: sed vtrum magis est procliue, aliena auferre, an propria dare? Dederunt maiores, quod nemo negare potest, nō mala mente; auferunt minores à maioribus data; quo animo, res ipsa indicat. Dedêre maiores iuxta leges: auferunt minores contra leges. Donationes factæ Ecclesijs, robur & firmitatem habent ab illis ijsdem legibus, quibus cæteri ciues sua bona possident: tyrannicum nemo non iudicaret, si quis Magistratus, indicta causa, quenquam possessionibus suis eijceret.

Fuerunt igitur audiendi Ecclesiastici, & ipsis iustæ causæ allegandæ, cur non diutiùs ferendi in R.P. Christiana fuerint frui Ecclesiarum possessionibus: audiendi etiam illi, qui in munere pastorali sacrificuli successuri erant, quorum intererat quid de bonis illis fieret. Sed sine vlla causæ cognitione, aut disceptatione legitima, fiscus, si modò fiscus, rapuit omnia. Quod si papatum abiurare parati, & veram Christi religionem suscipere inuenti essent Ecclesiastici, nulla causa relinquebatur, cur Episcopi, & Ecclesiarum Presbyteri, suis' parœcijs & possessionibus debuerint expelli, nisi fortè inter hæreses, & idololatrias Romanæ Ecclesiæ, possessiones Ecclesiarum numerare velimus, qui error à nobis confutatus est.

Hic quid potissimùm culpem, ignoro, Euangeliíne ministrorum ignorantiam, an magistratuum nonnullorum auaritiam: vtriq; certè in peccato sumus. Sed astuti quidam & vafri homines, qui non pietate, sed prædæ cupiditate, aut spe impunitatis omnis contẽptus religionis, se nobis adiunxerunt, & Euangelicæ prædicationi fauere voluerunt videri, huius mali authores sunt, & defensores: quod in alijs est error aut ignorantia, in istis est malitia. Quis enim à sacrilegio excuset eos, qui, Ecclesiarum reformationis colore, in nonnullis Germaniæ & Belgij locis, deprædati sunt quidquid in pios & necessarios vsus datum fuerat Ecclesijs, & Ecclesiarum ministris? Summos magistratus patronos Ecclesiarum agnosco, & pro suo iure leges de bonis Ecclesiæ ferre posse, sed non ea sibi vendicare. Patroni non est clientem spoliare: inauditum fuit ante nostra tempora, omnes possessiones Ecclesiasticas sine delectu, quenquam Christianum magistratum in fiscum suum retulisse. Qui tantummodò partem aliquam modicam, laborante ærario Reipublicæ, surripuerunt, apud omnes historicos malè audiunt. Quid iudicandum de illis, quibus totus as in prædam cessit? Neminem nomino; sed eos intelligo qui suo exemplo vicinis præiuerunt, & sacrilegij exemplum dederunt: in hoc, Iulianum Apostatam, aut Turcarum Imperatores imitati, qui sacri prophaníque nullum discrimen nôrunt; non Christianum vllum Magistratum (quod sciam) vel huius nostri æui, aut maiorum nostrorum. Turpe est sacrilegium Magistratui Christiano posse obijci, sed turpius committi.

Quid

Quid sit sacrilegium.

CAP. II.

QVidam hoc tempore inueniuntur, qui sacrilegium nullum committi putant, quòd sacri prophanique in rebus externis morte Seruatoris fuerit sublatum discrimen: quæ sententia non Theologi, sed hominis athei mihi videtur. Nam quantumuis sanctis omnia sunt sancta, & prophanis omnia prophana: discrimen tamen in rebus quod ab vsu & fine habent, non tollitur. Semper apud omnes gentes magnum discrimen fuit constitutum inter ea quæ diuino cultui dedicata erant, & ea quæ seruiunt communi hominum vsui: à fine res nomen plerumque accipiunt. Homines priuati suam habent pecuniam, & R. P. quoque suam: si materiam spectes, eadem natura est vtriusque, nempe aurum & argentum, & quidquid præterea habet pretium: sin finem & possessorem, est diuersa: priuatæ pecuniæ finis est, vnius familiæ vtilitas; publicæ verò, ipsius Principis & totius Regni. Eadem ratione pecunia, quæ ad Dei cultum data aut collecta est, finem suum habet diuersum ab istis: qui cùm sit sacer, pecuniæ quoque nomen dat, & sacra nuncupatur.

Porrò quia grauior est iniuria qua in Principem, & in R. P. peccatur, quàm si in priuatum esset commissa: compilatio priuatæ pecuniæ simplex furtum dicitur; publicæ, peculatus. Sic in Deum quantò grauius est peccare quàm in hominem, furto & peculatu sacræ pecuniæ direptio sceleratior est. Eam proprio nomine idcircò sacrilegium appellant, & sacræ rei furtum definiri solet. Huius furti turpitudo tanto tetrior est, quanto acerbioribus pœnis ipse Deus, atque adeò omnium gentium leges vindicârunt. Definitio non tantùm complectitur res destinatas vero veri Dei cultui, sed etiam falsorum numinum. Nam sacrilegium etiam conscientia facit, & opinio contempti numinis.

Quomodo autem omnia illa, quæ possidebant, pauperum & Ecclesiæ titulo, Romani Episcopi propugnatores, distracta & direpta fuerunt, & translata in priuatos vsus, ac in fiscum relata, à me narrari nihil est opus; res est manifesta.

Rationes quibus sacrilegia excusari solent.

CAP. III.

AT sacrilegi & sacrilegorum Patroni & defensores contendunt, quidquid huius factum est, iure id esse factum, & cuertendæ tyrannidis Papisticæ causâ, ac stabiliendæ Euangelicæ Religionis. Rationes eorum hæ sunt. Opes Ecclesiasticas idololatriæ & prophanis vsibus seruiuisse, quibus sublatis, ad neminem deuolui legibus illas potuisse, nisi ad reip. ærarium, cuius administrationem Magistratus Christianus habet.

Quemadmodum pij imperatores, Constantinus, Theodosius, Honorius, & Arcadius, gentilium idololatria legibus prohibita, loca & redditus templorum & sacerdotiorum citra vllum sacrilegij crimẽ in sua potestate habuerunt, vt de illis statuerent quod videbatur: ita hodie depulso Papatu, opes & annui fructus, qui obueniebant sacrificulis, & Monachis ac Nonnis, Christianus Magistratus sibi pari iure vendicat: vacantia bona ad fiscum pertinere noti iuris est. Nullus enim olim Episcopus Ecclesias quicquam iuris habere in illas opes credidit, quæ cultui idolorum destinatæ fuerant: vt mirum sit hodie quenquam Euangelij ministrum inueniri, qui papisticarum Ecclesiarum diuitias, reformatis Christi Ecclesijs adserere audeat. In Cod. libro primo de paganis & sacrificijs, titulo 14. extat decretum Imperatorium, cuius hæc sunt verba. *Omnia loca quæ sacris error veterum deputauit, nostræ rei iubemus sociari. Quod autem ex eo iure, vbicunque ad singulas quascunque personas vel præcedentium Principum largitas, vel nostra Maiestas voluit peruenire, id in eorum patrimonijs eterna firmitate perduret: ea verò quæ multiplicibus Constitutis, ad venerabilem Ecclesiam volumus pertinere, Christiana sibi meritò Religio*

ligio vendicabit, Dat. 3. Cal. Sept. Rauennæ, Honorio 10. & Theodosio 6. A. A. Coss. Ex hoc decreto liquet, arbitrij & iuris fuisse Imperatorum, ea bona quæ, gentilium idololatria sublata, vacabant, dare, quibus Imperatoribus visum est. Et Dig. lib. 33. tit. 2. de vsu & vsu-fructu Legatis, leg. 16. Legatum, legimus de legatis ad spectacula edenda, quæ celebrari non poterant, quæ, mutatis nominibus spectaculorum in Missæ vocabulum, paria erunt omnia. Verba legis hæc sunt. *Legatum ciuitati relictum, vt ex redditibus quotannis in ea ciuitate memoriæ consecrandæ defuncti gratiâ spectaculum celebretur, quod illic celebrari non licet, quæro quid de legato existimes. Modestinus respondit, Cùm Testator spectaculum edi voluerit in ciuitate, sed tale quod ibi celebrari non licet, iniquum esse, hanc quantitatem pecuniæ, quam in spectaculum defunctus destinauerat, lucro hæredum cedere. Igitur adhibitis hæredibus, & primoribus ciuitatis, dispiciendum est, in quam rem conuerti debeat fidei commissum, vt memoria Testatoris, alio, & licito genere celebretur. Hæc Modestinus lib. 9. Responsorum.*

Ex qua lege, quid de legatis ad celebrandas Missas iudicandum sit, videre quiuis potest. Ad hæc accedit, fuisse Ecclesiasticorum auaritiam inexplebilem, donationes & legationes procurâsse immensas, & superstitiosas, sine ratione modóque. Liberalitas vbi defecit, ipsi mercati sunt agros, prædia, & regiones sæpè integras: vt occupaturi tandem totum orbem Christianum fuerint, nisi Imperatorum & Regum leges modum & finem præscripsissent; qui videbant id cum magno Reipublicæ fieri detrimento. Cauendum itaque est prudenti magistratui, ne rursus ad eundem impingat lapidem.

Responsio ad Argumenta superioris capitis.

CAP. IIII.

REspondeo, cauendum non minùs esse, ne dum stulti vitare vitia cupimus, in contraria ruamus. Si modum non tenuisse nostros credimus Maiores, an non eorum error nos admonere debet, quum nos quoque homines sumus, & procliuius sit labi in contrarium vitium, quàm tenere modum? & fieri similiter posse, vt nos auaritiæ & tenacitatis astus abripiat, quò minimè oportet?

Nam vt admittam, in immensum, cum totius Reipub. magno detrimento, accumulaturos opes fuisse viros Ecclesiasticos, nisi terminum & modum posuissent Principum Christianorum leges; & olim donationes multas factas esse, partim superstitiosas, partim nimias: inde non efficitur, nullas fuisse legitimas, pias, Deo gratas, & cum Dei verbo consentaneas, & Ecclesiæ vtiles ac necessarias.

Si quid in opibus illis superfluum fuit, excídi potuit: quod superstitioni & idololatriæ tantùm erat deputatum, simul cum idololatria tolli, aut in meliores vsus mutari. Quod dicunt euertendæ tyrannidis Pontificiæ causâ id esse factum, & constituendæ Euangelicæ religionis, prætextus est. Homines astuti prædicatione Euangelij, & simplicitate piorum (quibus id persuadere facile fuit) abusi sunt, vt in opes illas, tanquam in opimam prædam, inuolarent: ita esse res ipsa clamat, in qua diutiùs immorari nolo, ne commotum hoc cœnum, grauem nimis ac tetrum exhalet odorem.

Quod ad defensionem adfertur sacrilegij, examinandum est. Primum est, opes Ecclesiasticas idololatriæ & prophanis vsibus seruiuisse: quibus sublatis, ad neminem deuolui legibus illas potuisse, nisi ad publicum ærarium. Huius propositionis fallacia vt intelligatur, dico, plurimum interesse inter ea, quæ destinata fuerunt idololatriæ, & luxui; & ea, quibus homines abutuntur ad luxum & impietatem. Nihil est tam sanctum quo non abutantur impij. Rei bonæ abusus ipsius non mutat naturam. Omnes illæ diuitiæ, quæ in Ecclesia Romana conspiciuntur, non fuerunt datæ ad impios & sacrilegos vsus: multa enim olim data sunt in vsum Ministrorum Ecclesiæ & pauperum: quibus tametsi sit abusus clerus pontificius, rerum donatarum & donationum idcirco natura non est mutata. Donationum, quæ factæ sunt Ecclesijs, aliæ præcesserunt corruptionem Ecclesiarum, aliæ sunt secutæ: suprà enim docui simul cum Ecclesia, ab ipsis Apostolorum

temporibus, oblationes & donationes fidelium incepisse. Quæ autem præcesserunt corruptionem Ecclesiarum, sacras esse Deo pius nemo negauerit. Episcopus Romanus, aliique hæretici, inuenêre Ecclesias fundatas ab Apostolis, & necessarijs, pro temporum ratione, instructas opibus: quibus quamuis per scelus multas adiecerint, non omnes eodem loco habendæ sunt, sed à fine sunt iudicandæ. In Romana, & aliorum hæreticorum Ecclesijs, plurima sunt, quæ si in suo genere considerentur, verè Christiana sunt, & à Deo mandata; cuiusmodi sunt, sacrum Ecclesiæ Ministerium, & cura pauperum: quidquid ad horum alterum, aut ad vtrumque fuit legatum, pium habet finem, & sanctum habere potest vsum: prophanatio non tam nos mouere debet, quàm rerum natura, in quas ius nullum acquiritur, præscriptione, aut longi temporis abusu. Sed si aboleri contingat vsum prophanum, aut idololatriam, ad priorem, cui seruierant, legitimum vsum redire debent. Arca Domini à Philistijs capta fuit & violata, sed non idcirco sacra Deo esse desijt: & recepta à Philistijs, minoris facienda non fuit quàm antea. Vasa & ornamenta templi Salomonis à Nebuchadnezare in Babylonem sunt translata: quæ sepositа in templo Deorum ipsius, suo modo religiosè habuit. Babylone capta, iure victoris Cyrus ea sibi vendicare potuit: sed cognito ad cultum diuinum quondam in Salomonis templo pertinuisse, ab ijs abstinuit, & restitui pristinis vsibus mandauit: ne in eandem sacrilegij culpam incurreret, ob quam Deus Baltazarem puniuerat. Quæ piè destinata semel fuerunt vsibus Ecclesiæ, Deo sacra sunt: nec in alios vsus ea transferre fas est.

Triplex differentia bonorum Ecclesiasticorum, quæ hodie possidet Romana Ecclesia.

CAP. V.

SEd quum omnia bona quæ videmus in Ecclesia Romana, eiusdem non sint generis, idem iudicium de omnibus esse non potest. Triplex eorum est differentia: primo loco pono ea quæ nostri maiores Ecclesijs dederunt in stipem ministrorum Ecclesiæ, & pauperum: Deinde, quæ in superstitiosos vsus fuêre collata, vtpotè missarum pro viuis & mortuis, & quæcunque Monachis, & Nonnis, ac sacrificulis data sunt: postremo loco repono immensas donationes & pernicioſas Reipub. Christianæ, ab Imperatoribus & Regibus aut temerè factas, aut vi dolóue ab illis extortas: cuius generis sunt inuestituræ feudorum Ecclesiasticorum, quæ à Principibus data fuerunt Ecclesijs: eóq; nomine cùm iure ad eos pertineant, tamen Episcopus Romanus sibi ius illud vendicat. Item regna quæ Episcopo Romano facta sunt vectigalia, & in perpetuum ipsius beneficia. Mitto totius orbis imperium, quod summum sibi vendicat. Hæc cùm diuino & humano iure ad Reges pertineant, quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddenda sunt. Reges Ecclesiarum suarum Ministros esse Dominus vetuit, Lucæ 22. 25. vbi Apostolorum errorem his verbis corrigit, *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur; vos autem non ita*: id est, non eritis Reges, quibus, magnificis titulis clementiæ & beneuolentiæ adulantur ij, qui eorum patiuntur crudele imperium. Iure igitur Reges repetere possunt, quidquid per fraudem aut vim ad se pertraxit Romanus Episcopus. Sed prudentiam & moderationem hîc requiro, vt Cæsar ita sua recipiat, ne quæ Dei sunt simul auferat. Romanæ Ecclesiæ clerus vtrumque rapuit. Christianum Magistratum ipsos imitari indignum est, & sacrilegio furtum vlcisci. Quæ superstitio patrum, & impius error dedit in vsus impios & superstitiosos, vacare fateor, sublata superstitione & idololatria; & Magistratum pro sua authoritate de illis bonis posse statuere quod videbitur. Ecclesia nullo iure ea sibi vendicare potest: tamen si quid valet legis allegatæ authoritas, & doctissimi patris Augustini consilium, ea quæ celebrandis missis legata sunt, aut alendis Nonnis aut Monachis, conuerti possunt in meliores vsus, quibus memoria Testatorum alio & licito genere celebretur. In 16. cap. Num. per scelus & impietatem thuribula, quibus suffitum, tanquam sacerdotes, 250. perduelles Deo obtulerant, consecrata fuerunt: quæ seruire communibus vsibus Dominus posteà noluit, sed ducta in laminas, & altaris fieri operimentum; & æs, quo fuerant abusi impij, in sacrum vsum conuerti mandauit: quod quidem mandatum licet generale non sit, continet tamen documentum, quo

docemur

docemur quid in re simili fieri conueniat. August. Epist. 154. ad Publicolam, de euersis idolis & idolorum templis & lucis, ne factum auaritia videatur non pietate, non in vsus priuatos sed communes, vel in honorem Dei veri conuertenda censet, vt de illis fiat quod de ipsis hominibus, cùm ex sacrilegis & impijs in veram religionem mutantur.

Summo Magistratui cùm lex Dei nihil præscribat, & quidquid apud Mosem hac de re scriptum extat, ad populum Israëliticum peculiariter spectet, religionem inijcio nullam, quò minùs pro sua prudentia statuat quod videbitur. Nec decreto Honorij & Theodosij Imperatorum aduersor: sed admoneo considerandum esse Principibus, alijsque summis magistratibus qui reformârunt Ecclesias, suo iure eas spoliatas fuisse à monasterijs, quando decimarum atque oblationum iura, quæ Principes Christiani populúsque Pastoribus suis & pauperibus olim dedicârant, ad se pertraxerunt. Adsumpserant enim contra veteris Ecclesiæ morem, in se regimen Ecclesiarum, & paupertatis titulo rapuerunt quæ distribuenda erant veris pauperibus.

Monachorum bona non sunt eiusdem generis.

CAP. VI.

QVemadmodum in illis bonis quæ possidentur ab ijs, qui Pastores & Rectores dicuntur Ecclesiæ, magnum esse discrimen demonstraui: ita Monachorum bona non sunt eiusdem generis. Recensere quomodo ad tantas peruenerint opes, nimis longum esset: hoc tantùm notari velim, quidquid à Monachis fuit possessum, pauperibus & Pastoribus Ecclesiarum debitum, ad bonorum Ecclesiæ primam speciem pertinere, quæ Monachatu euerso vacare censenda non sunt, quamdiu superstes manet Ecclesia cum suis Ministris & pauperibus. Itaque eiecta Papistica idololatria, ea tantùm quæ ad confirmandam Papæ aut superstitionem aut tyrannidem seruiebant, ad fisci ius deuoluta sunt: cætera, quæ causam & finem non habebant impium, restituenda erant Ecclesijs. Sicubi quicquid possederant Monachatus professores, ad fiscum transijt, non tam consensu quàm consilio eorum quos ipsa res tangebat, & intercedere, ac magistratum meliùs docere debuerunt, facti culpam sustinent. Tanti bonorum Ecclesiasticorum prophanatio & abusus esse non potuit, vt rerum donatarum naturam mutare, aut vitium adferre donationi potuerint. Id quod arca Domini erat, retinuit apud Philistæos, & vasa templi Dei in Babylone suam sanctitatem non amiserunt. Quòd veris & legitimis Ecclesiarum bonis Papa Romanus cum suo clero fœdè & impiè abusi sunt, & abutuntur, veris Ecclesiæ Ministris fraudi id esse non debet: Nam possessores non sunt Domini, sed tantùm dispensatores, qui vsum, fructum, & administrationem bonorum Ecclesiæ habent, non proprietatem. Quòd olim Episcopi nihil iuris Ecclesiam habere crediderunt in opes & prouentus dedicatos gentilium Deorum cultui, mihi nihil aduersatur, qui non contendo Ecclesiam habere ius in ea quæ impietati proximè destinata fuerunt: ea iam confessùs sum in arbitrio & potestate esse Magistratuum: dixi enim mihi non displicere decretum Honorij & Theodosij, aliorúmque piorum Imperatorum & Christianorum Regum, quorum exemplum imitari si dignati fuissent illi, quorum error me ad hæc scribenda compulit, nihil hac disputatione opus fuisset.

Aliud est populum aliquem transire à Paganismo ad Christianismum, quàm à Papismo, aut alia hæresi.

CAP. VII.

PRætereà hoc prætereundum non est, aliud esse populum quempiam transire à Paganismo ad Christianismum; & aliud à Papismo, id est, ab hæresi, ad verum Christianismum. Discrimen quod est inter Paganismum & Christianismum, longè diuersum est ab eo quod est inter Christianismum & Papismum. Paganismus cum Christianismo nihil habet commune: Papistica Religio est Christianismus superstitione & idololatria contaminatus: & (vt ita loquar) species quædam est impuri Christianismi. Nam Scriptura

ſacra veteris & noui Teſtamenti, fœdus Dei, Baptiſmus Chriſti, peccatorum remiſſio, & Chriſtiani nomen, & pleráque alia ibi ſunt, propria Eccleſiæ, quæ notæ ſunt Chriſtianiſmi; & nuſquam extra Eccleſiam in Paganiſmo, aut Iudaiſmo, aut Mahumetiſmo inueniuntur. Si hæreſes & ſuperſtitiones tollantur quæ in Eccleſiam Romanam irrepſerunt, quod reliquum manet, eſt Chriſtianiſmus. Ipſe papiſmus eſt Eccleſiæ morbus, non ipſa Eccleſia: ſed quod lepra, aut alia lethalis contagio, in humano corpore, hoc papiſmus eſt in Catholicæ Eccleſiæ corpore: vt papatum deſerere non ſit Eccleſiam deſerere, ſed Eccleſiæ peſtem fugere. Quando Ethnicus fit Chriſtianus, alienus & extraneus adſumitur, adoptatur, & inſeritur nouo populo, ac eſſe membrum incipit Eccleſiæ. In reformatione, adultera Eccleſia fit caſta coniux, & viro ſuo Chriſto reconciliatur, ſpurij & nothi Chriſtiani fiunt legitimi: quare quæcunque vſurpauerat adultera Eccleſia de bonis mariti, tanquam vxor iure ſibi vendicat legitima Eccleſia. In codice Theodoſiano, lib. 16. tit. 44. contra Donatiſtas ſic habet. *Ea verò loca, in quibus dira ſuperſtitio nunc vſq; ſeruata eſt, Catholicæ venerabili Eccleſiæ ſocientur, ita vt Epiſcopi & Presbyteri, omnéſque antiſtites eorum, & Miniſtri ſpoliati omnibus facultatibus, ad ſingulas quaſque inſulas atque prouincias exulandi gratiâ dirigantur.* Ibidem lib. 4. ab ijſdem Imperatoribus Honorio & Theodoſio, contra Montaniſtas decretum legimus in hæc verba: *Si qua enim propria eorum nunc extant ædificia, quæ non Eccleſiæ, ſed antra debent feralia nominari, venerabilibus Eccleſijs orthodoxæ ſectæ cum donarijs addicentur.*

Ante noſtra tempora non rarò mutationes acciderunt in Eccleſia: in quibus quando pij Imperatores ejecerunt hæreticos, ipſi non ſpoliárunt eorum Eccleſias poſſeſſionibus, ſed eas reddiderunt orthodoxis: de qua re Auguſtinus Epiſt. 50. ad Bonifacium virum militarem ita ſcripſit. *Quicquid ergo nomine Eccleſiarum partis Donati poſſidebatur, Chriſtiani Imperatores legibus religioſis, cum ipſis Eccleſijs ad Catholicam tranſire iuſſerunt.* Hæc Auguſtinus. Ita factum eſſe niſi notum eſſet, pluribus teſtibus id probarem. Igitur (vt quæ dicta ſunt contraham) bona Eccleſiaſtica fraude aut vi parta, nullóque iure vſurpata, aut data in finem ſuperſtitioſum, ſunt in ſummorum Magiſtratuum poteſtate: Sed quæ legitimè data Eccleſijs acceptáque ſunt, Deo ſunt conſecrata, nec poſſunt ſine ſacrilegio aliò transferri. Diuus Auguſtinus, tractatu in Iohannem 50. cap. duodecimo, tomo nono. *Ecce inter ſanctos eſt Iudas, & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcunque: fuit fur loculorum, ſed dominicorum: loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro, qualiſcunque furti & peculatus, peculatus enim dicitur furtum de Republica; & non ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ, quantò vehementiùs iudicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non vndecúnque tollere, ſed de Eccleſia tollere? Qui de Eccleſia furatur, Iudæ perdito comparatur.* Hæc Auguſtinus.

Quàm graue peccatum & incurabile ſit ſacrilegium.

CAP. VIII.

Plat. de leg. dial. 9.

PLato laturus legem contra ſacrilegos, magna vtitur præfatione, & peccatum iudicat eſſe incurabile, & eum, qui eiuſmodi cupiditate agitur, non humano neque diuino malo concitari, ſed ex veteribus & non expiatis flagitijs, hominibus innaſci: & idcirco adhortatur eos qui praua illa cupiditate incitantur, ad expiationes abire, & ſupplices ad Deorum templa confugere, bonorum vti conſuetudine, ipſos audire, ac honeſta ac iuſta conari, colere, ac loqui. Quod ſi ne ſic quidem morbus deceſſerit, tali viro mortem vita potiorem eſſe debere. Itaque hanc ſancit legem. *Quicunque in ſacrilegio deprehenſus fuerit, ſiquidem ſeruus aut externus fuerit, clade in facie & manibus inſcripta, & flagellatus tot plagis quot iudices decreuerunt, extra regionis terminos nudus ejiciatur: fortaſſis enim hac pœna ad modeſtiam redactus melior euadet. Nulla enim pœna in damnum alicuius irrogatur, ſed ex duobus alterum ferè efficit: aut enim meliorem, aut minùs improbum reddit eum qui pœnam dedit. At ſi ciuis tale quid in Deos committere compertus fuerit, aut parentibus aut ciuitati magnam aliquam & nefandam iniuriam intuliſſe, de eo velut incurabili iam index ſtatuat, hoc ſecum reputans, qualem inſtitutionem ac educationem ex puero adeptus,*

Plat. de leg. dial. 9.

adeptus, à maximis malis non abſtinuit. Huic itaque pœna ſit mors minimum malorum : aliis autem proderit exemplo, dum inglorius ſit, & vltra regionis terminos extinctus.

Leges duodecim tabularum de ſacrilegio ita ſtatuunt, *Sacrum ſacróue commendatum qui clepſerit, rapſerítque, parricida eſto.* Quid ſeueritatem legum opus eſt commemorem? nota res eſt. Qui hominum iudicium euadunt, aut quia nimis potentes ſunt, aut quia latent, vt in eos animaduertere leges nequeant, diuinam vltionem euadere non poterunt. Eſt enim vnum ex grauiſſimis criminibus quæ ira diuina proſequitur : cuius rei ſacræ & prophanę hiſtoriæ innumera nobis ſuppeditant exemplа, ex quibus pauca quædam proponam.

Exempla vltionis diuinæ in ſacrilegos.

CAP. IX.

PRimum erit exemplum ſacrilegij illud, quod legitur de Achan, Ioſuæ 7. capite, qui de anathemate Hiericontis pallium Babylonicum, ducentos argenti ſiclos, & lingulam auream ſuſtulerat : ob quod vnius peccatum totus Iſraël ſenſit iratum Deum, donec ſacrilegi, & totius familiæ ſupplicio, peccatum expiatum fuit. Huic adiungam alterum commiſſum à Sacerdotibus, non minus ſeuerè à Deo punitum, quàm in Achan fuerat. Primo Samuelis, ſecundo capite legimus, virum Dei veniſſe ad Eli ſummum Sacerdotem, & dixiſſe ei, *Sic dicit Iehoua, annon manifeſtando manifeſtaui me domui patris tui cùm eſſet in Aegypto in domo Pharoch, & elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, vt offerret ſuper altare meum, vt ſuffiret thymiama, vt geſtaret ephod coram me, & dedi domui patris tui omnes oblationes filiorum Iſrael? Cur calcitraſtis in ſacrificium meum, & in oblationem meam, quam præcepi in tabernaculo; & maiore honore affeciſti filios tuos quàm me, vt impinguaretis vos de primitijs omnium oblationum Iſrael populi mei? idcirco dixit Iehoua Deus Iſrael, dicendo dixeram, quòd domus tua & domus patris tui ambularent coram me vſque in ſæculum : nunc autem dicit Iehoua, abſit hoc à me, quia honorantes me honorabo, contemnentes autem me contemnentur. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ne ſit ſenex in domo tua : & aſpicies inimicum in habitaculo, in cunctis quibus benefaciet ipſe Iſrael : neque erit ſenex in domo tua omnibus diebus : & virum non excidam tibi ab altari meo vt conſumam oculos tuos, & dolore afficiam animam tuam : & omnis multitudo domus tuæ morientur viri : & hoc tibi ſignum quod eueniet duobus filijs tuis Hophni & Phinees, die eadem morientur ambo. ſuſcitabóque mihi ſacerdotem fidelem; vt fuerit in corde meo & in animo meo, faciet; & ædificabo ei domum ſtabilem, ambulabítque coram Chriſto meo omnibus diebus : & erit quicunque reſiduus manſerit in domo tua, veniet & incuruet ſe ei pro nummo argenteo & buccella panis, & dicet, Adiunge me quæſo vni parti ſacerdotiorum, vt comedam buccellam panis.* Hæc vir Dei, &c. Quæ omnia, vt prædixerat, paulò pòſt tempore euenerunt. Nam in prælio filij Eli cæſi ſunt : arca fœderis à prophanis hominibus capta eſt : Eli nuncium horum audiens, è ſella lapſus, confracto occipitio mortuus eſt : nurus eius, vxor Phinees, in puerperij doloribus perijt : ſacer locus Silo à Deo relictus eſt, nec vnquam poſteà arca Dei eò reducta fuit : ſub Saule interfecti ſunt octoginta quinque viri ſacerdotes ex familia Eli. Mitto dicere alias calamitates quas familia illa paſſa eſt, ob duorum hominum ſacrilegia. Quamuis ſuo modo ſacram acram Philiſtæi honorificè habuerunt, Deo tamen impietatis ſuæ dedêre pœnas, nec impunè eis fuit attrectâſſe rem diuinam. 1. Sam. 22.

Sacrilegia quæ inde commiſſa ſunt vſque ad captiuitatem Babylonicam prætereo. Balthaſaris regis Babyloniæ facinus, iuſtitiæ diuinæ in ſacrilegos inſigne eſt exemplum: hic ſacra vaſa quæ auus ipſius Nebuchadnezzar Hieroſolymis abſtulerat, in conuiuium adferri iuſſit, vt ex illis ipſe, & ipſius conuiuæ, in Dei contemptum biberent. Sed ira diuina in ipſo ſcelere ſacrilegum deprehendit, & imminens exitium portento manus ſcribentis in pariete adeſſe pro foribus denunciauit. Ad regem Daniel ſeruus Dei vocatus, vt ſcripturam diuinitùs parieti inſculptam legeret, & interpretaretur, impietatis in Deum graui oratione ipſum redarguit, quando inter cætera his verbis eſt eum

allocutus. *Aduersus Deum cœli elevatus es, & vasa domus Dei attulerunt coram te, túque & principes tui, vxores tuæ, & concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis; Deos pretereà argenteos & aureos, æreos, ferreos, ligneos & lapideos, qui non vident, neque audiunt, laudâsti: sed Deum, in cuius manu vita tua, & omnes viæ tuæ sunt, non honorâsti: tunc à conspectu eius missa est palma manus, & scriptura hæc exarata est*, MENE MENE, THECEL, VPHARSIN. *Hæc est interpretatio sermonis.* MENE, *numerauit Deus regnum tuum, & complenit illud.* THECEL, *appensus es in statera, & inuentus es deficiens.* VPHARSIN, *diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Hæc Daniel. Itaque in illa ipsa nocte interfectus fuit Balthasar, & Assyriorum ac Chaldæorum imperium, quod 130. annis steterat, finem accepit, & Medis ac Persis est à Deo datum.

Ad tempora Græcorum transeo, sub quibus multa & grauia mala Iudæi perpessi sunt, tam à propria gente, quàm ab ipsis Græcis. Alchimi Pontificis Iudæorum tentatum facinus demoliendo templo Dei, impunitum non mansit; paralysi percussus, cum magno cruciatu animam exhalauit. Heliodorus à Seleuco rege Hierosolymam missus diripiendi thesaurorum templi causâ, quos ingentes illic asseruari intellexerat, manum Dei sensit, cum suis comitibus qui cum eo venerant; nec mortem euasisset, nisi Onias Sacerdos mortem à Deo deprecatus esset. Sic liberatus ad Regem suum redijt, & testatus est, Deum esse illius templi inspectorem, & ærarij defensorem: si quem haberet Rex suis rebus infensum, cui malè vellet, illuc eum mitteret. Marco Crasso Romanorum Imperatori spoliâsse illud Templum magno constitit; per Persas Deus sacrilegium vltus est: cum exercitu enim miserè cæsus perijt, & liquefactum aurum (quod viuus nimis sitierat) in eius caput & os Persæ infuderunt, mortuo insultando, inexplebilem auaritiam ei exprobrantes. Iudas proditor dignus est qui inter sacrilegos primum locum teneat, quem eò auaritia impulit, vt Domino suo, quem innocentem nouerat, auri causâ non peperceret. Sed ipse posteà sui accusator, & reus, & iudex, & carnifex, de se ipso supplicium sumpsit. Huic exemplo admirabile illud Ananiæ & Saphiræ adnectendum est, quos Deus corporali morte castigauit, eò quòd de pecunia, quam ipsimet vltrò Deo dedicauerant, partem aliquam seponere, ac sibi retinere ausi fuerint: quæ res tametsi maiorem excusationem habeat, quàm si in aliena pecunia id fecissent, tamen videmus in hac re Dei seuerum iudicium ad aliorum omnium Christianorum terrorem & exemplum.

Iulianum Imperatorem simul apostasiæ & sacrilegiorum dedisse pœnas, omnibus historijs proditum est. Hic Christum & Christianos deridens, quando bonis omnibus Ecclesias & Episcopos exuebat, se consulere ipsorum saluti aiebat, quòd pauperes Euangelica præcepta eos esse iuberent. Iuliano Iulianum auunculum adiungo, sacrilego sacrilegum, & sacrilegij administrum, qui Antiochiæ quæ in Syria est, preciosissima vasa & monimenta Ecclesiæ numero plurima conquisiuit, vt in ærarium Imperatoris transferret; quibus in terram proiectis, cœpit petulanter in Christum illudere, & blasphemias pro sua libidine iacere; ad extremum, super vasa sedere, sicque factam iam contumeliam adaugere. At illico pòst, membrum genitale & meatus illi, quos natura ad necessitatem circa illud locauit, ei contabescunt, & carnes illis corporis partibus circumdatæ putrescentes in vermes conuertuntur: morbus denique ita creuit, vt artem medicorum longè superaret: nam in intimis partibus abditi, ad carnes viuas integrásq; serpsêre, & nunquam à rodendo destitêre donec hominem enecâssent. Cæteros prætereo, quibus ira diuina consimilem pœnam inflixit.

Plures Christianorum regum historias insererem, qui iustas sacrilegiorum suorum Deo dedêre pœnas, nisi eas recensere nimis prolixum esset, & quòd inter sacrilegia historiæ quædam numerent. Sacrilegium fuisset quod Dauid commisit, quando panes propositionis comedit, nisi eum excusâsset necessitas. Impietate sacrilegium metiendum est, quæ tam in falsi numinis contemptu sita est quàm veri, quandocunque non vera fide & pietate erga verum Deum, sed quadam irreligione despicitur, quod cæteri colunt. Tanti interest in hac re quo animo aliquid fiat, vt phana & delubra falsorum numinum demoliri, & deorum signa confringere, quadam veri Dei religione, ipsius cultoribus pietas sit. Idem à cultoribus falsorum numinum, aut ab atheo contemptore deorum si fiat, impietas & sacrilegium. Sed si fortè aliquis quærat, quomodo contemnere numen dici possit,

sit, qui nullum esse credit: respondeo, illud ipsum quòd nullum credit, à contemptu proficiscì. Vnde nemini mirum videri debet, quòd ira Dei in sacrilegos idololatras desæuijt.

Cuius rei cùm innumera nobis prophanæ historiæ suppeditent exempla, paucis erimus contenti. Delphicum templum famâ toti orbi celebre, nec Brennus, nec Xerxes violare potuerunt, quin manifestam omnibus numinis vltionem sentirent. Auri Tholosani vnde natum sit adagium, notum relinquo. Cambysis milites ad deprædandum Ammonis templum missos, harenarum moles viuos sepeliêrunt: & ipse sacrorum Aegyptiorum irrisor, quæ licèt superstitiosa essent, id quia impiè fecit, non diu post interfectum Apum, proprio pugione vulneratus perijt. De Pyrrho, omnium iudicio, pœnas sumpsit diuina vltio, qui spoliatis Locrensis Proserpinæ thesauris, cùm onustus nefaria præda nauigaret, vi subitæ tempestatis tota cum classe vicinis littoribus illisus est: in quibus pecunia incolumis reperta, thesauro Deæ fuit restituta. Huic adhuc vnum (sed contrarij euentus) exẽplum addam de Dionysio Syracusano, propter eos quibus risus est suauissimus, inter suos congerrones, Deum, omnémq; religionem deridere: vt qui Christi fastidiunt doctrinam, homines gentiles doctores habeant. Valerius Maximus lib. primo, cap. secundo, de neglecta religione, de Dionysio hæc Marci Tullij verba refert. *Syracusis genitus Dionysius, tot sacrilegia sua quot iam recognoscimus, iocosis dictis prosequi voluptatis loco duxit. Phano enim Proserpinæ spoliato Locris, cùm per altum secundo vento classe veheretur, ridens, amicis, Videtísne (ait) quàm bona nauigatio ab ipsis dijs immortalibus sacrilegis tribuatur? Detracto etiam Ioui Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum tyrannus Hiero è manubijs Carthaginiensium ornauerat, iniecloque ei laneo pallio, dixit, æstate grauem esse aureum amiculum, hyeme frigidum, laneum autem ad vtrumque tempus anni aptius. Idem Epidauri Aesculapio barbam auream demi iussit, quòd affirmaret non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipsum verò barbatum conspici. Idem mensas argenteas atque aureas è phanis sustulit: quódque in his more Graciæ scriptum erat, bonorum deorũ eas esse, vti se bonitate eorũ prædicauit. Idem victoriolas aureas & pateras & coronas, quæ simulachrorũ porrectis manibus sustinebantur, tollebat: & eas se accipere, non auferre dicebat: perquam stultum esse argumentando, à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere. Qui tametsi debita supplicia non exsoluit, dedecore tamen filij, mortuus pœnas rependit, quas viuus effugerat: lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatémque supplicij grauitate cõpensat.* Hæc Valerius, qui tametsi nonnihil dicere videatur, longè maius est quod à Tullio notatũ fuit, perpetuo conscientię metu cruciari tyrannos: perpetrata scelera nusquam eos quiescere sinunt, sed intus mentem continuis tormentis, tanquam carnifices facinorosum, in rota aut aculeo torquent. Sardonius inter tot sacrilegia Dionysij risus fuit, tot maleficiorum conscius metu vacare non potuit. Quamuis enim multorum iudicio foris beatus esse crederetur, ipse sentiebat quàm esset miser, & remotus ab ea, qua frui credebatur, fœlicitate. Ipse Damoclem experiundi cupidum quãta esset illius vitæ beatitas, experiri permisit, quando in lecto aureo decumbere cum iussit, & delicias omne genus ei subministrari, vt se fortunatum arbitraretur Damocles: sed postquam fulgentem gladium seta equina pendentem è lacunari supra suum decumbentis verticem demissum vidit, voluptas perijt omnium eorum quæ suauia antè iudicauerat: itaque in illo metu Damocles diutiùs esse beatus noluit, exorauítque tyrannum vt abire liceret. Satísne videtur declarâsse Dionysius sacrilegos in perpetuo versari metu? Sed quid dicemus ad illud Satyricum, *Dicite, Pontifices, in templo quid facit aurum*? petere (vt ego pro gentilium pontificibus respondeam) iniquum est: tamen id audeo dicere, illud aurum quale quale fuit, impijs & idololatris fuisse sacrũ. In templo Dei quod adseruabatur, quem habuerit vsum, ex verbis Oniæ summi sacerdotis ad Eliodorum sciri potest: nempe viduis subleuandis, & pupillis eas pecunias fuisse repositas: & quod Ecclesiæ ærarium attinet, & aurum, quando habuit, bonis temporibus illud non fuit otiosum, necessitatibus miserorum subleuandis inseruiebat. Aurum (inquit Ambrosius) Ecclesia habet, non vt seruet, sed eroget. Alere egenos, & opitulari afflictis, summa semper laus fuit Episcoporum. Quia Christianus populus olim liberales volebat habere Episcopos, abundè suppeditabat vnde essent. At hodie hoc vnum studemt omnes, vt ad mendicitatem redigantur, & præter necessarium victum (eum si modò habent) nihil habeant quod supersit. Docere charitatem, prædicare liberalitatem possunt, eam exer-

cere non possunt. Auaritiam, & luxum Episcoporum ex opibus Ecclesiæ, obiectum iri scio, quódque illam partem abliguriant, qua pauperes subleuari oporteret; quod sacrilegium eò grauius est, quòd ab ijs committitur à quibus minimè decuit. Sed habet quod sacrilegio sacrilegium excusatur: & ne Ecclesiarum Pastores sint sacrilegi, qui Ecclesiarum bona occupârunt, sacrilegos esse malle. Nam hoc certum est, quod eo nomine Ecclesiarum Pastoribus est ademptum, pauperibus non esse redditum: vt hodie pauperum peior sit conditio, quàm vnquam fuit anteà: & ipsos liberaliores fuisse expertos Ecclesiasticos, quàm hodie experiantur nobiles, aut alios quoscunque qui Ecclesiæ bona possident: faciliùs eiecta Romani Episcopi tyrannide possent pauperes ab Ecclesiarum Pastoribus sibi debitam partem obtinere, quàm ab ijs qui in illas possessiones successerunt. Sed vt finem faciam, dico, quotquot Ecclesiarum bona deprædantur, aut illis abutuntur, quicunque illi sint, à sacrilegio non posse excusari, proinde diuinam vindictam non euasuros.

FINIS.

DEFEN-

XUM

DEFENSIO

TRACTATIONIS DE DIVERSIS MINISTRORVM EVANGELII GRADIBVS:

Contra

RESPONSIONEM CLARISsimi viri D. THEODORI BEZÆ:

Ab ipso Authore

HADRIANO SARAVIA recognita, & nunc *tertiò edita.*



MDCX.

UNION
THEOLOGICAL SEMINARY,
NEW YORK.

XUM

AMPLISSIMIS PRÆSVLIBVS, ET REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBUS, ac Dominis, D. IOHANNI VVHITGIFTO Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Anglicanæ Eccleſiæ Primati; & D. IOHANNI ÆLMERO Londinenſi, & D. THOMÆ COOPERO Wintonienſi & D. RICHARDO FLETCHERO Wigornienſi Epiſcopis, cæteriſq; omnibus Epiſcopis, & Anglicanæ Eccleſiæ vigilantiſſimis Paſtoribus, Dominis meis omni obſeruantia colendis, gratiam & pacem à Deo Patre per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, precor & optō.

AMPLISSIMI *Præſules, Reuerendiſsimiq; in Chriſto Patres, hanc refutationem reſponſionis Dom. Bezæ ad meum Tractatum, vobis potiſsimùm dedicandam cenſui. Quamuis non tantùm veſtra ſed omnium Eccleſiarum Chriſti cauſa communis ſit, quam defendo, tamen quia vos propius tangit, ad vos potiſsimùm confugio, & defenſionem vlteriorem veſtræ prudentiæ & eruditioni committo. Cauſa nulla fuit, cur me potiſsimùm in hoc argumento oppugnandum ſibi clariſsimus vir D. Beza deligeret: plures ante me docti & pij viri, veri cultus diuini inſtauratores, ſuam ſententiam de Epiſcopis ſcripſêre: ſingularis me nulla delectat opinio: ſed eo nomine mihi ſuſpectum eſt, quidquid apud quoſuis ſcriptores lego. Etenim errores hoc modo irrepſêre in Eccleſiam, & qui initio priuati & peculiares alicuius magni nominis viri fuêre, poſteà facti ſunt publici & communes: & quod initio nocere niſi vni paucíſue poterat, poſteà ſucceſſu temporis, & errorem ſequentium multitudine, toti Eccleſiæ factum eſt exitiale. In meo tractatu de diuerſis miniſtrorum Euangelij gradibus, quicquid homines cogitent, non tantùm veſtras dignitates defendere in animo habebam, ſed omnium Eccleſiarum Chriſti, tam Galliæ, quàm Germaniæ Epiſcopis, & aliis viris doctis, & priſcæ Eccleſiæ gubernationis non ignaris, datas offenſiones à noſtris hominibus, pluribus in locis, ſi non tollere, ſaltem minuere; & vulnus (quod nunquã ſanabunt qui inflixerunt) lenire, & quantũ liceret, remoras propagationis doctrinæ Euangelicæ amoliri conatus ſum. Nunc videtis, quantus vir malæ cauſæ patrocinium ſuſcipiat: cuius opinio hoc nomine, populari inuidiæ & quorundam cupiditati grata eſt, quòd Epiſcoporum opes ceſſuras ſibi in prædam ſperant, & hæc vna eſt ipſis reformatio, bonorum Eccleſiaſticorum direptio. In hac renouata diſputatione Epiſcopalem authoritatem diuinæ inſtitutionis, & Apoſtolicæ traditionis eſſe defendo: & id tam verbo Dei, quàm vniuerſali omnium Eccleſiarum conſenſu doceri: & gubernationem illam Eccleſiarum, qua ſacerdotes in veteri Teſtamento vſi ſunt, & Apoſtoli & Euangeliſtæ in nouo, eſſe optimam & vtiliſsimam tam Eccleſiæ quàm reip. nec ea meliorem inueniri, aut cogitari poſſe, neminem poſſe negare, pro fundamento adſumo. Deinde quomodo in ea ſacerdos ſacerdoti, Euangelij miniſter Euangelij miniſtro paruit, demonſtro. Communis tum Eccleſiæ, tum reip. vtilitas hæc eſt: Eccleſiæ, contra ſchiſmata & hæreſes; Reipublicæ, in mutua coniunctione & neceſſaria Paſtorum Eccleſiæ cum ciuili magiſtratu: quæ nulla eſſe cum multitudine æqualium miniſtrorum Eccleſiarum poteſt. Quamuis hæc graduum inæqualitas, qua Epiſcopi*

ſupra

ſupra Presbyteros eminent, aduerſarios habeat, & magnæ authoritatis obtrectatores: nihil deterrere quenquam debet aliorum error & ignorantia, aut aliorum liuor & inuidia: vtrúmq; eſt contemnendum: error tempore patebit, liuor tempore deſinet. Seruos Chriſti armatos eſſe conuenit aduerſùs omnes animi perturbationes; & has præſertim, quas honor & ignominia, laus & vituperium adferre ſolent: neque his aut illis commoueri decet. Quid verbum Dei doceat, quid priſca antiquitas receperit, quid denique vtile ſit Eccleſiæ & reipub. tantùm ſpectandum eſt: non quid aut error perſuaſerit, aut neceſſitas temporum aut locorum coegerit. Nihil horum legem firmam fixamq; conſtituit. Dum durat neceſſitas, quædam ſuam vtilitatem habent; quæ vbi ceſſat, ad æquitatem redeundum eſt. Tempus fuit quando ſummi monarchæ Dominum ignorabant, & ipſius cultores, & Chriſti Eccleſiam perſequebantur: quando nemo Chriſtum profiteri poterat, ſine capitis ſui, & fortunarum periculo. Et in primis Epiſcopi tunc præter cæteros, in magno verſabantur diſcrimine. Mutatis temporibus, vbi Deo placuit, ſicut per Prophetas ſuos prædixerat, excitare Reges & Reginas, qui alumni & alumnæ eſſent Eccleſiæ, mutata eſt Eccleſiæ Chriſti, & Miniſtrorum eius quoque conditio: & honeſto habendos eſſe loco inter Chriſtianos, ipſa ratio, atque adeò naturæ lex omnes gentes docet: ſicut fuſiùs in meo tractatu, De honore Eccleſiæ Præſulibus & Presbyteris debito, diſputaui: quæ à quibuſdam & ſannis excipi, & contractis naribus ſalsè irrideri audio: quòd initio 29. capitis, comitatum & famulitium Epiſcoporum defendam, ab exemplo Seruatoris noſtri, qui 12. Apoſtolos, & 70. diſcipulos adſumpſit. Quæ res vt ab imperitis aut malenolis narratur, habere primo auditu abſurditatẽ videtur; & inepta comparatio. Sed nihil tam benè & appoſitè dictum eſt, quin malè narrando poſsit deprauari. 29. c. verba hæc ſunt: Prætereà, comitatus Epiſcoporum, & ſtrepitus famulorum, non parùm offendit quorundam oculos; quòd ſimiliter in ea re, Duces & Comites regni videantur imitari. Reſpondeo, hanc orationem eſſe popularem, & vana ſpecie ſimplicium animis illudere. Nam hoc audeo aſſerere, comitatum Domini & Apoſtolorum tam honoratum fuiſſe, quàm eſſe potuit, pro ratione temporis, & rei, ob quam in hunc mundum venerat: honoratior futurus, ſi Deus ſeruandi genus hominum aliud conſilium probâſſet. Nam in ſuam familiam vltra 80. viros adſumpſerat, qui eum comitabantur quocúnq; ibat, aut præcedebant, quò erat venturus. *Pluribus huius generis vtor ibi argumentis, quæ hic non repetam. Mirum dictu, quàm ridiculum & ineptum hoc argumentum videatur. Sed quod tunc dixi, iterum aio, contra eos qui comitatu offenduntur Epiſcoporum, comparationem quam adferunt, eſſe popularem, & plauſibilem rudi vulgo, ſed fallacem & imperitam, & ab omni ratione alienam; quia ipſe Dominus noſter non ita incedebat ſolus, vt comitatum nullum habuerit, ſed, quantum tempus & conſilium Domini, qui latere volebat, & mori patiebatur, honoratiſsimum, pro conditione priuata, quam ſibi delegerat, habuit: & non repudiaturum fuiſſe comitatum nobilium & ſatellitum, ſi Regis huius ſeculi perſonam eum ſuſcipere, humanæ ſaluti vtile fuiſſet: quod ipſe Dom. non negauit, quando Pilato dixit, ſi ex hoc mũdo regnum ipſius fuiſſet, contra Indæorum vim, militum fuiſſe habiturum defenſionem. Quod ſi ſummi ſacerdotis Aaronici dignitatem ſuſcepiſſet, profectò & ea, quæ ad illam perſonam pertinebant, adiunxiſſet. Dominus noſter nuſquam prohibuit habere, aut eſſe in vita præſenti, quod ipſe diſpenſatione diuina, nec habere, nec eſſe voluit. Prater rerum ordinem facta ſunt multa in Domino Ieſu, nec cuiquam præcepta, nec imitanda propoſita: vt ſunt, quòd natus fuit in ſtabulo, non in regio Palatio, virgine paupercula; & plurima huius generis. Ciuilem ſocietatem Euangelica doctrina non perturbat, nec eorum quicquam, quod ad eam conſeruandam pertinet. In qua cùm viuant Eccleſiarum Paſtores, ab eis rebus alienos*

alienos esse, quibus respub. aut ornatur aut defenditur, nusquam Dom. præcepit. Honoris autē gradus diuersi sunt necessario vbiq; constituti, conseruanda societatis gratiâ: inter quos qui visi sunt posse dari Episcopis, cum vtilitate Ecclesiæ & reipublicæ, eos maiores nostri dederunt: & vt inter proceres reipub. censerentur, decere iudicârunt. Qui certè honor etiam & togatis iurisconsultis, qui iuridicundo præsunt in curijs, cùm tribuatur, sacrorum & religionis Antistites habere, semper omnes gentes æquum esse censuerunt. Vnde etiam fit consequens, vt eum comitatum habeant & famulitium, qui ex vsu & consuetudine à sobrijs & modestis proceribus haberi solet. Quid hîc sit, quod naso suspendant adunco homines aut rerum humanarum ignari, aut certè nimium morosi, non video. Magnum discrimen est inter veros Episcopos & fidos Domini nostri Iesu Christi seruos, & Episcopi Romani clientes, qui mortali fidem, quam debent Dom. Iesu, obligârunt, vt ei & veritati bellū inferant: qui & Ecclesiam hactenus ita vexârunt, & omni idololatria corrupèrunt: qui & in ipsos reges, & principes, ac summos orbis Monarchas, eósque omnes qui vel hiscere tantùm ausi sunt contra ipsorum tyrannidem, nimis insolenter debacchati sunt. Vnde factum est, vt Episcopi tum nomē tum officium inciderit in hominum odium. Iustum Dei iudicium in se Romanæ Ecclesiæ Episcopi, & quotquot in clero illo numerantur, qui veritatem Dei in mendacium commutârunt, & eam in iniustitia detinent, agnoscere debent: & meritò mala eis euenire, & euenisse multis in locis, quæ à vulgo & barbaris militibus passi sunt: quibus non infensi, sed suis peccatis erunt, si secum reputent abominationes & spurcitias suæ Ecclesiæ: & quàm ipsi nihil aliud sint, quàm quod legitur apud Ezeck. 22. vers. 25. 26. Coniuratio prophetarum in medio Ecclesiæ, qui instar leonum rugientium sæuiunt in animas. Opes quidē & gloriam debitam Dei seruis tanquam Pastores accepisse, sed surripuisse Dei legem, & polluisse sancta Dei, nec inter sanctum & prophanum posuisse discrimen; sacrum atque prophanum, eodem loco habuisse: propterea effudit Deus super eos iram: & igne iræ suæ tandē, nisi resipiscāt, consumet eos. Si Anglicanæ Ecclesiæ Episcoporum exempla sequi vellent, seipsos, & nominis, muneris, & sui dignitatē conseruarent. Christianam Ecclesiæ Christi reformationē Episcopis, & reliquis Ecclesiarum Pastoribus, nullum honorem, qui cum impietate nō est coniunctus, adimere Anglia docuit. Desinant esse quod est apud Hoseam, laqueus super montem Mispa, & rete expansum super Thabor populo Christiano, & esse desinent Prophetæ contemptibiles. Desinant esse viri prauaricationum, & polluere sanctitatē; desinant esse offendiculo multis in lege, & corrumpere pactū Leui, & Deus stercus super eorum vultus nullum asperget, non reddet eos contemptibiles & humiles omni populo. Hæc vna salutis ratio est, tum Ecclesiæ, tum reipublicæ cōseruandæ. Repugnando nihil profici, tēpus docuit. Ira Dei è cælo se manifestat; eam qui euadere cupiunt, Babylonem deserant. Domini Bezæ opinio, norma non est reformandæ Ecclesiæ: & quæ per tumultum, & belli furores, & militarem licentiam facta sunt, potiùs quàm maturo & sano consilio, exemplum non habent Christianis imitandum. Quod Episcoporum hodie nomen & officium (quod priscis Christianis magni honoris fuit) apud nonnullos hodie non tantum è vulgo, sed etiam theologos in odium venit, iræ Dei signum est in veritatis aduersarios. Hic error à iusto Dei iudicio prouenit, ad internecionem eorum qui veritatē oppugnant agnitā. Præstent Episcoporum officium, reformationi necessariæ, ipsi (ipsi inquam Episcopi) manum primi adhibeant, & subitā mutationem sentient. Aliàs iram Dei, quæ illos persequitur, non euadent. Nō est consilium contra Dominum, qui omnia eorum consilia momento euertet, maximè tunc quando salua esse omnia, & in tuto credent. Ab Anglia petant exēplum, & videant quanta pace & rerum omniū copia cōtra omnes Satanæ molitiones, hactenus sub hac reformatione gauisa sit. Quādiu Gallicana Ecclesia in Babylone manebit, aut Babylonē & Aegyptū intra sua viscera retinebit,

plagarum, quas Deus ei præparauit, particeps erit. Baculus arundineus est Hispanus, & caro, non Deus: maledictus qui spem suam ponit in homine, & ponit carnem brachium suum. Si cæci non essent, res suas meliori loco, post 34. annorum bella non esse, quàm erant quando primùm inceperunt, viderent. Salutis hæc vna est via, vera ad Deum tratum peccatis nostris pœnitentia, & animi contritione conuersio. Si soli Deo darent gloriã, & Ecclesias suas reformauerint Episcopi, & cæteri omnes Ecclesiarum ministri præstiterint eas virtutes, quas Deus, quas Christianus populus ab eis expectat; si cõiurationẽ, qua contra Deum & Dei verum cultum conspiratur, dissoluerint, subitò qui desperatè mali non sunt, mutabunt sententiam. Virtuti comes est honor & gratia. Quod ad vnum Heli sacerdotem à Deo dictum legimus, Ego honorantes me honorabo, & qui me contemnunt, contemnentur; omnibus qui ad idem munus vocati sunt, dicitur. Quod si ea fuerit hominum ingratitudo, vt veritatem & falsitatem, vitium & virtutem, eodem loco habeant; magnum solatiũ est cuiusq; conscientia. Functionis rectè obitæ merces est à Domino expectanda, qui ipse seruorum suorum futurus est decus, & gloria, & merces ampliſsima. Ex vulgi opinione nõ est semper seruorum Dei fidelitas æstimãda, cui malis fauere, & bonis inuidere ferè proprium est. Virtutis quidẽ splendorem liuor & obtrectatio obnubilant, sed constantia quasuis has nubes facilè discutit. Ad eam connitendum est omnibus Christi seruis, vt nemo tam impudens sit, qui criminis insimulare audeat, quos omnibus nota defendet innocentia. Si tamen ipsam virtutem mali criminari pergant, quod mali culpabunt, boni amabunt. Cùm itaque (Reuerendiſsimi in Christo Patres) non tantùm vestrâ, sed omnium Ecclesiarum Christi interſit, Episcopalem gradum retineri, & in parte fœlicitatis huius regni numerandum sit, quòd hunc ordinem retinuit: vt conseruetur, & offensio Ecclesiis obiecta, quas abrogatio Episcoporum à vera Christi doctrina deterruit, atque deterret, tollatur, ne error latiùs serpat, summa ope pios omnes niti decet. Si ab initio quando spargi cœpta sunt huius erroris semina, aliquis acriter restitisset; nunquã tam latè sese error effudisset. Sed factum est, cùm propter reuerentiam, quæ primis authoribus huius erroris deberi credebatur, & aliàs digni erant, leuiùs nonnulli de hac re viri docti scripserint, & pudor aliquis Episcopis in propria causa liberiùs loqui cùm esset, vt multos imprudẽtes dissimulatus abripuerit error, qui eis nunquam in mentem incidisset: diutiùs certè deinceps hic error dissimulari non potest, nec debet ijs, qui bene consultum communi Christi Ecclesiis esse volunt. Videmus quanto studio sui Apostolatus authoritatem vbique defendat Paulus, quòd ab eius adsertione penderet Christi doctrina, quam docebat. Quamuis per homines vocati sitis ordinaria & canonica Ecclesiæ Anglicanæ vocatione; à Deo tamen est vestra vocatio. Et vester Episcopatus est quidam Apostolatus: qui si à Deo non est, ruit quicquid in Ecclesia Anglicana nomine Christi domini sit. Quomodo hanc mei tractatus de diuersis ministrorum gradibus defensionem accepturi sint, qui aduersariam tuentur opinionem, nescio: omnibus probatam iri non spero. Minitari mihi audio secundam responsionem: etiamsi D. Beza quiesceret, ipsius discipulos causam suscepturos. Quibus nihil aliud opponendum mihi esse posthâc iudico, quàm veterum Patrum omnium ætatum consensum, & Anglicanæ Ecclesiæ authoritatẽ. Quæ restant alio loco tractabo, si vita superstes fuerit, & Dei gratia cõcesserit. Vestra prudentia videbit quod è re totius Ecclesiæ fuerit vtile & necessariũ. Rem totam ego Dei prouidentiæ committo, eumq; precor vt vos omnes incolumes seruet ad nominis sui gloriam, & Ecclesiarum, quibus vos præfecit, ædificationem. Lambetho 4. die Februarij, Anno à natiuitate Domini. 1594.

V. D. obseruantissimus,

HADRIANVS SARAVIA.

CANDIDO LECTORI S.

QVANDO Saluſtius ſuam hiſtoriam hac ſententiâ exorſus eſt, *Omnes homines qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant veluti pecora*, lepidè & eleganter multis illud dictum videtur: nec contradicerem, ſi ſermo noſter ſemper ſale ſapientiæ conditus eſſet. Etenim magnum Authoris rerum omnium beneficium eſt, quòd loquendi facultate homo præditus eſt, eáque belluis præſtet; vt mentem ſuam ſermone poſſit communicare alijs quibus vult. Qua in re excellere, præclarum ſemper omnium iudicio fuit habitum: & inter humanas diſciplinas, eloquentiæ non infima laus eſt. Sed quum ea non ſemper cum ſapientiâ coniuncta ſit, ſilentium ſuam quoque habet laudem. Proximus ille Deo (vt dixit quidam) eſt, qui ſcit ratione tacere. Itaque quum animaduerterem longè plures eſſe, qui ſermone peccant, dicendíque abutuntur licentiâ, quàm qui rectè & moderatè, vt oportet, vtantur; tacere tutius eſſe duxi, quàm loqui aut ſcribere. Nam etſi loquendi facultate à belluis homines diſtent, id datum non eſt, vt loquantur quicquid lubet; ſed quando aut neceſſitas cogit, aut inuitat vtilitas. Rectè & hoc fuit dictum, nihil tacuiſſe nocere, ſed eſſe locutum. Quod ſi quis ſecum exactè reputet, rarò ſilentium nocuiſſe inueniet, locutum verò ſæpiſſimè. Hinc diuinis præceptis inſtituimur vt ad loquendum tardi ſimus: & eum virum perfectum ſermo diuinus prædicat, qui non offenderit in ſermone. Dominus noſter in Euangelio teſtatur fore reddendam rationem, in vltimo iudicij die, de omni ſermone vano. Itaque quia hæc res eſt periculi plena, ſi quando loquendum aut ſcribendum eſt, magna prudentiâ eſt opus, vt noſtra oratio, quantum fieri poteſt, multis proſit, nemini obſit. Vanos, & pernicioſos, atque maledicos ſermones, omnium iudicio damnatos, omitto: periculum quoque eſt in oratione, quæ ſpeciem habet pietatis & vtilitatis. Nam ſæpè etiam peccatur in ea, quæ reuera talis eſt, quando cautiones non adhibentur, quas ſecum comites exigit veritas, vt ſit ſalutifera. Quidpiam verum eſſe poteſt, quod non ſuo tempore in lucem productum, plus damni attulerit quàm commodi. Idem de perſonis & locis eſt iudicandum; multi enim apti non ſunt, qui doceant veritatem; nec omnes ſimiliter idonei ſunt, qui eam accipiant. Hinc Seruator noſter ænigmaticis parabolis plebi veritatem, quam tunc non poterat capere, occuluit. Non quàm verè quidpiam dicatur ſemper ſpectandum eſt: ſed quàm oportunè, & quàm vtiliter. Qua in re grauiter peccare iudico Scriptores, qui ſatis eſſe putant ſi bona & vera, ſuo quidem iudicio, ſcribant, non habita ratione eorum quibus loquuntur: neque ſcandalum, quod lectoribus dabunt, ad quorum manus æditi libri peruenient, quicquam penſi habent. Quum autem & ipſe homo ſim, eáque omnia mihi poſſint contingere, quæ clariſſimis pleriſque Scriptoribus euenìſſe video: deterritus à ſcribendo fui. Et quamuis apud me quædam meditata haberem, quæ fortè digna eſſe luce alij iudicarent, vitam tamen ſilentio tranſigere conſtitueram. Sed mutare ſententiam pluribus de cauſis coactus ſum. Prima fuit communis error quarundam Eccleſiarum reformatarum, in quibus ego miniſtraui, de Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis: quem nunquam defenſum iri à clariſſimo viro D. Beza credidi. Quæ eius eſſet de Epiſcopis ſententia noueram, ſed Seniores annuos apud eum eſſe eo loco, quem ſua reſponſione indicat, non credidi. Aliam cauſam mihi dedêre famoſi libelli maledicorum hominum, quibus non tantùm perſonas eorum, qui Eccleſiæ Anglicanæ præſunt, ſed etiam dignitatem & gradum Epiſcopalem conuitijs & maledictis impudenter ac petulanter proſcindunt. Qui error longè grauior eſt, quàm perſuaderi poſſit ijs, qui eum defendunt cum maximo non tantùm Anglicanæ Eccleſiæ, ſed omnium Chriſtianarum Eccleſiarum, quæcunque illæ ſint, ſcandalo. Habebam quidem aliquid apud me paucis comprehenſum capitibus, de neceſſitate Epiſcoporum, & dignitate miniſtrorum Euangelij ad Ordines Hollandiæ, ſi modò illud probare potuiſſem fratribus ſymmiſtis, cum

quibus tunc viuebam. Postquàm huc redij,& in sermonem incidissem de hac re cum huius Ecclesiæ quibusdam Pastoribus, mirati sunt meam de Episcopis sententiam: & nisi leuis mea sit suspicio, credidêre me potiùs id auribus eorum dare, quàm quòd reuera sic sentirem in animo. Prætereà,videbam nostras Ecclesias in suspicionem venire,tanquam seditiosis & schismaticis Anglicanæ Ecclesiæ fauerent, & causam eis darent discedendi,& contemnendi suam Ecclesiam: Qua suspicione vt nostras liberarem Ecclesias, & ministerium Pastorale in Ecclesia Anglicana suscepi, & tractatum de diuersis Ministrorum gradibus edidi, quò coniunctionem animorum in vna eademque fide testatam mundo facerem. Inuitabar Episcoporum Anglicanæ Ecclesiæ exemplo, qui ritibus & ceremonijs diuersis à suis Peregrinos vti in suis diœcesibus, non tantùm ferunt & patiuntur,sed etiam amicè amplectuntur, & fouent. Malè faciunt, qui propter externos ritus & ceremonias sese ab inuicem segregant, ac diuidunt. Quum igitur viderem optimos quosque non abhorrere à communione nostrarum Ecclesiarum, similiter colendam mihi communionem cum Ecclesijs Anglicanis,in omnibus locis vbi vixi,semper existimaui: & quandocunque me contigit in eorum adesse Ecclesijs, quando cœna Domini celebrabatur, sacra symbola pacis & vnitatis Christianorum vnà cum eis percepi. Ita mihi iudicaui esse faciendum: quòd tum ipsa fides commmunis, tum quòd omnes orthodoxi scriptores,tam veteres quàm recentiores,id doceant, & semper docuerunt. A communione illius abhorrere Ecclesiæ,in qua Christus,& per Christum nobis parta gratia purè docetur, propter diuersos externos ritus, magnæ imbecillitatis est iudicij, aut certè fastus,& supercilij Pharisaici certum signum. Sed quod scripto & exemplo hîc in Anglicana Ecclesia ædificare volui,D.Beza responsione sua ad meum tractatum subruit,& totum euertit. Et nonnulli,ipsius gratia & authoritate, quam suis laboribus est adeptus, freti,in errore suo perseuerant, & confirmantur. Ego alium quemuis maluissem Antagonistam, quàm D. Bezam, cuius vt mihi nomen venerandum semper duxi, ita nunquam futurum credidi,vt mihi aliquando esset oppugnandum. Nam quamuis ab eo in quibusdam dissentiam, ea non sunt huiusmodi, vt eius existimationẽ & authoritatem in cæteris omnibus apud me minuant. Ad hæc accedebat,quòd Germaniæ,& Galliæ, aliorumque Europæ regnorum Ecclesijs, siue adhuc sub Romano Episcopo degant, siue ad veritatem doctrinæ Christianæ conuersæ sint, & suos habent Episcopos,magnam offensionem dari videam, quando hæc de Episcopis noua opinio defenditur, & gradus diuersos in gubernatione Ecclesiastica abolendos esse disputatur; qui tamen tum verbo Dei, tum omnium Ecclesiarum, omnium temporum, & locorum consensu,luce clariùs docentur: vt mirum sit à viris doctis,& aliàs orthodoxis,Aërij errorem odio tyrannidis pontificiæ renouari. Hæc offensio,quam abolitio Episcoporum,& omnis veteris Ecclesiasticæ gubernationis euersio,cum nouorum Presbyterorum & Diaconorum,quales D.Beza esse vult, substitutione,attulit, longè maior est,quàm D.Beza putet. Sunt enim in Ecclesijs nondũ reformatis multi viri docti,omni scientiarum genere instructissimi,& antiquæ theologiæ non ignari;quibus etsi facilè pleraque præcipua fidei capita probari possint,nunquam D. Bezæ sententia de Episcopis & Presbyteris persuadebitur. Bonæ causæ & veræ qui falsam & malam adiungit, ei iniuriam facit. Germania & Gallia suos primates & Episcopos habent, non adeò obtusi ingenij, quin percipiant, quam ipsi patiantur,Episcopi Romani tyrannidẽ.Sed nescio quo iudicio Dei nostrorũ hominum actiones & scripta viam intercludunt Pontificijs non malis,& aditum ad veritatis Euangelicæ cognitionem. Quæ his triginta tribus annis tam in Gallijs quàm alijs religionibus acta sunt, maiorem remoram prospero Euangelicæ prædicationis successui ingesserunt, quàm omnes simul cateruæ Iesuitarum, & aliorum Doctorum & Hypocritarum Romanæ Ecclesiæ potuerunt omnibus suis scriptis. Si in nostris hominibus, & in eis qui nostri haberi volunt, ea fuisset moderatio, quæ in Christianis esse debebat,minus odij,& inuidiæ conflatum esset bonæ causæ: & longè numerosiores essent vbique Christi Ecclesiæ. Malè curat ægrotum corpus, qui dum vni membro putat adferre salutem, vniuerso nocet corpori. Nec Deo nec hominibus vnquam ea reformatio probabitur, qua, dum aliorum cupiditati,& aliorum morositati consulitur, reformatio in pluribus alijs locis impeditur. Sic enim instituenda est in hac vniuersali Ecclesiæ Christi vastatione, vnius partis reformatio, vt cæteræ ab ea non deterreantur.

Quod

LECTORI.

Quod fit, quando disputatio cum aduersarijs suscipitur, de non necessarijs doctrinæ capitibus, & veluti bellum toti Antiquitati, sibique consentienti, de rebus quæ verbo Dei non aduersantur, indicitur. Multæ controuersiæ cum aduersarijs motæ sunt, quibus supersedisse longè esset vtilius: quando enim supèrflua tractantur, necessaria negliguntur.

Quidquid tamen in tanta rerum perturbatione peccatum est, aut ardore nimio recuperandæ libertatis Christianæ, aut odio idololatriæ, & tyrannidis Pontificiæ, aut certè vtroque, libenter excuso. Candidos autem lectores rogo & hortor, vt animo tranquillo ab omni perturbatione amoris & odij, vtrínque disputata à Dei seruis de hac re perlegant: & quæ fuerint certamina eorum, qui primi puram Euangelij prædicationem in Ecclesiam reduxerunt, cum propugnatoribus impietatis & idololatriæ Romanę, secum expendant: & quàm probrosum sit Ecclesijs, ea quæ tunc concessa aut negata fuêre aduersarijs, mutari à nobis, cogitent. Quæ olim facta & transacta sunt, qui aut in dubium reuocant, aut destruunt, pessimè Ecclesiæ consuluńt. Plures fuerunt primi reformationis Ecclesiarum authores, diuersis in locis & temporibus: & quod vbique communi consensu ab omnibus Christianis factum oportuit, quisque in suis ditionibus iniquitate temporum vt potuit, præstitit. Tyrannis Pontificia iam olim tantum malorum inuexerat in Christi Ecclesiam, vt his sexcentis ferè annis, nemo nisi desperatè impius fuerit, qui non iudicârit, magna Ecclesiam habere opus reformatione. Sed ea frustrà expetita & expectata fuit à nostris maioribus: qui eam pertinere iudicârunt ad solos Ecclesiarum præsules, & inprimis ad Romanum Episcopum, qui arcem summam tenebat Ecclesiæ. Verùm quum illi essent omnium malorum, quibus vastatur Ecclesia, primi authores; & eò peruenerant, vt nec sua vitia, nec remedia pati possent: Deus tandem misertus Ecclesiæ suæ, pios Doctores & Pastores suscitauit, & Euangelij sui lucem è tenebris eduxit. Ad eam Reges & Principes Christiani, populíque oculos sustulerunt: ac videntes se suosque maiores expectatione reformationis falsos, & multum falli, nihilque à Romano Episcopo ipsiusque clientibus, sperandum esse boni; ad verbi Dei normam, prout quisque potuit, in suis ditionibus Ecclesias suas reformârunt. Atque hoc pacto reformatio, quam generalem esse oportebat, & vnam eandemque, facta est cuique prouinciæ & genti particularis. Qua in re in tanta varietate ingeniorum, hominum, gentium, & locorum, non omnes potuisse in eandem regiminis Ecclesiastici formam consentire, nemo offendi debet: sed magis admirari in ipsa religionis substantia, tantum potuisse interuenire consensum. Optandum quidem esset, potuisse Doctores omnium nationum conuenire, & concordem in externis rebus communi consilio ædere reformationem. Quod cùm factum non sit, & an sperari possit aliquando futurum, dubitem, non inutile futurum spero, plures, tanquam in communi & generali quodam totius Ecclesiæ Consilio, de Ecclesiæ gubernatione sententiam dixisse, ac dicere; quantum cum pace Ecclesiæ fieri potuit: & sine cuiusquam præiudicio, ac condemnatione eorum, qui non obstinato animo contrà sentiunt: & qui priuatus est, in se non adsumit, quod est totius cuiusque Ecclesiæ in qua degit. Re hinc inde disputata, quemadmodum in deliberationibus solet accidere, nemo à vicinis dedignetur quod melius est, & sibi deesse videt, accipere: aut resumere quod mutauit temerè. Non enim credendum est, primos plerosque authores reformationum Ecclesiarum potuisse videre omnia, præsertim qui pauci fuêre, & in magna rerum perturbatione & temporum id sunt aggressi. Quapropter vbi aliquid deesse videmus quod olim fuit in veris Christi Ecclesijs, ferendum potius est, quàm maledictis insectandum. Quod me attinet, ego cum omnibus Christi Ecclesijs, in quibus vera fidei doctrina de Deo Patre, & filio eius Domino nostro Iesu Christo recepta est, pacem & cõmunionem retinere cupio. Nec enim propter externos ritus indifferentes, & gubernationis Ecclesiasticæ diuersam formam, quam fortè non tam elegit libera voluntas, quàm introduxit temporum dura necessitas, ab Ecclesia, in qua nulla docetur impietas, & à Deo & Domino Iesu Christo defectio, secessio est facienda. Quòd si morosuli quidam aliud sentiunt, fruantur per me proprij sensus delicijs: molestus eis non ero. Vna me consolatur res, quòd nullius noui dogmatis sum author: vetera, prisca & antiqua defendo, obseruata ab ijs quorum nomina nemo bonus non veneratur & colit. Inter cæteros qui reformârunt Ecclesias, sæpè miratus sum sapientiam eorum qui Anglicanæ Ecclesiæ restituerunt verum Dei cultum, & ita se attemperârunt, vt nusquam decessisse ab antiqua &

priſca Eccleſiæ conſuetudine reprehendi poſſint; ea moderatione vſi ſint, vt vicinos à reformatione non deterruerint, ſed magis ſuo exemplò inuitauerint: quam ſi alij fuiſſent ſecuti, minus bellorum ciuilium haberemus. Primùm ad verbi Dei amuſſim dogmata, & totam fidei doctrinam reuocârunt: Eccleſiæ regimen, ritus, & ceremonias ex vſu & vniuerſali more populi Dei, qui olim fuit, reſtituerunt: ita vt nullius iure nouitatis queant accuſari. Quidquid aut reiectum eſt, aut mutatum, aut retentum fuit, tam authore verbi Dei, quàm vſu & traditione veterum Chriſtianorum poteſt defendi. Sic enim ſecum rectè cogitabant, ſe non eſſe primos Chriſtianos: & diſcrimen magnum eſſe conſtituendum inter eos qui nos præceſſerunt, à primis Apoſtolorum temporibus vſque ad hæc noſtra tempora, Chriſtianos: & conſiderandum eſſe quomodo, quibus in rebus, & à quibus, & quando à puritate doctrinæ, quam initio tradiderunt Apoſtoli, receſſum eſt: & ita à Pſeudochriſtianis fuiſſe decedendum, vt notum eſſet coniunctos manere in fide cum illis, quos veros fuiſſe Chriſtianos nemo audet negare. Et profectò ita faciendum eſt ijs omnibus, qui ſuam innocentiam Deo teſtatam & hominibus eſſe cupiunt. Defectionis ab Eccleſia nos accuſant, qui eam innumeris ſuperſtitionibus, & idolatria ita contaminârunt, vt in ea manere, ſit in Babylone, deſerta cœleſti Hieroſolyma, à Deo & vera pietate exulare: Et vt olim in Aegypto ſerua, & in Babylonem Dei Eccleſia captiua fuit abducta, ſic hodiè contrà quàm olim factum eſt, ipſa Babylon & Aegyptus in Eccleſiam ſunt introductæ, & ipſius in ea dominantur Principes. A qua, iubente Deo, qui exeunt, Eccleſiam non deſerunt, ſed Aegyptum & Babylonem fugiunt. Quum autem hæc in eodem populo, & in eadem gente permixta & confuſa ſint, nec vt olim diſcretus ab Aegyptijs Iſraël manſerit, nec Iudæus à Babylonio, duo cauenda ſunt; videlicet ne Aegyptiacos mores pro Iſraeliticis vſurpemus, nec verè Iſraeliticos tanquam Aegyptiacos deteſtemur, & Babylonicum putemus quod ad Dei templum pertinet. Erant in Babylone templi Dei theſauri. Quidquid in Eccleſia Romana videmus fieri, malè & imperitè tanquam Idolatricum ſtatim à nonnullis reijcitur; plurima ibi ſunt illius Eccleſiæ corruptione antiquiora, quæ diuina inſtitutione, & Apoſtolica traditione à Patribus fuêre in Eccleſijs recepta: quæ etſi ibi corrupta ſint, non idcirco deſierunt eſſe quod erant, & ſunt naturâ ſuâ. Quando tanquam Papiſtica contemnuntur, quæ communi conſenſu olim à primis Apoſtolorum temporibus, per multas ætates probata fuêrunt; in odium & inuidiam omnia vocantur, quæ optimo iure & neceſſitate, ſecundùm Dei verbum, abrogata & mutata ſunt: & pij traducuntur tanquam Apoſtolicarum traditionum deſertores. At Eccleſiam Romanam ita deſeruiſſe nos oportet, vt Eccleſias Apoſtolicas, quæ fuerunt olim ſiue Romæ, ſiue Corinthi, ſiue Alexandriæ, ſiue Antiochiæ, vel alibi in Aſia, vel in Africa, vel in Europa, appareat nos colere, & cõiunctos cum Patribus illarum Eccleſiarũ & priorꝭ æui Chriſtianis manere: cum quibus veram communionem & ſocietatem non retinẽt, qui Romanæ Eccleſiæ noſtri ſeculi adhærẽt. Præuideo tamen ex hac diſputatione duo hominum genera offenſionis accepturos anſam. Primi, quibus nihil placet niſi cuius ipſi ſunt authores, aut ijs, quibus ſe addixerũt, magiſtris probatur. Alteri omnis religionis iugũ libenter excuterent, ſi poſſent; quibus enim Dei metus moleſtiſſima res eſt, quaſuis impietatis ſuæ excuſationes quærunt. Nam huc, tanquã ad ſcopum Satan collimat, quando & religionum varietatẽ inuehit, & controuerſijs innumeris omnia perturbat: vt in ſtultorum mentibus concludat, aut nullum eſſe Deum, aut in cœlis otiari, nec humanas res curare. Illos primos nulla prorſus afficio iniuria, de qua iure queri poſſint; quum illud ipſum patiantur, quod inferunt alijs viris doctiſſimis, cum quibus ſentio, & à quibus ipſi diſſentiunt: qui quum eis numero ſint longè plures, nec pietate nec eruditione, nec vlla denique virtute inferiores, & ſerui Dei, & fidi Eccleſiarum Chriſti fuerint Paſtores, & inter eos nonnulli Chriſti martyres; non video cauſam vllam, cur mihi ſuccenſere debeant, tanquam mihi non liceat, quod ſibi permiſſum volunt. Aliorum verò amentia paucis mihi reuincenda eſt vnica ratione hac, diuerſitatem in re quapiam, & de eadem varias controuerſias, veritatem rei non tollere. Nihil enim eſt in vniuerſa rerum natura, de quo non variè ſentiant ac diſputent Philoſophi. Aethera, cœlum, aſtra, ſolem & lunam eſſe conſtat, moueríque: & hic inferior orbis, in quo ſunt ignis, aër, aqua, terra quam calcamus, controuerſias habet maximas, perplexas, & inexplicabiles; non an hæc ſint, quæ ſenſibus noſtris percipiuntur; ſed quid, & vnde ſint. Societatem humanam nullam

poſſe

posse constare, nisi viuatur legibus, sub certo aliquo regimine, certum est; at in ratione gubernationis, nunquam consentire potuêre mortales. Legum iurisque sunt infinitæ quæstiones & controuersiæ inter iuris legumque peritissimos. An idcirco nullum esse ius, nullas leges oportere dicemus? Quid pluribus opus est? Quo res certior & magis necessaria est, pluribus ac magis dubijs inuoluta est difficultatibus. Quòd si idcirco argumentari licet esse nullas, aut non necessarias, atque ab hominum pendere arbitrio; idem de religione statuant, si videbitur. Ambigua de re quauis certamina ab hominibus, eorúmq; nascuntur aut ignorantia, aut varijs animi perturbationibus; non à rebus, quæ naturâ sua certæ sunt ac solidæ. Nulla inter nos est de religione controuersia, sed quomodo optimè conseruari inter homines, atque propagari possit. Disputatio hæc amica & fraterna à D. Beza mecum suscepta est: in qua, etsi tum mihi, tum ipsi, in disputationis calore, humanitùs aliquid acciderit; Christianam charitatem inuiolatam mansisse, & mansuram confido. Mihi permolestum accidit, D. Bezam toto suo libro contra me argumentari, tanquam contra eum qui tyrannidem & dominationem Episcoporum defendat: & quòd mea verba in eum sensum transmutat & transfert, vt ipsi lubet: qua in re mihi iniuriam ab eo fieri arbitror. Nam etsi mihi non persuadeo, id per malitiam aut calumniam, sed errore, nescio quo, esse factum; non potui tamen non commoueri magis quàm vellem: quod ipse tanto facilius mihi debet ignoscere, qui idem tum mea legendo, tum ea quæ scripsit clarissimus vir D. Matthæus Sutliuius, idem passus esse videatur. Qui, quum eum nusquam non honorificè compellet, Conuitiatorem tamen vocat. Quamuis enim eius rationes plerisque in locis libri sui refellat, id non facit vt eum oppugnet, sed Anglicanæ Ecclesiæ reformationem defendat contra quosdam, qui immodestius ipsius authoritate, & nomine, in suis scriptis, quàm decuit, abuti videntur. Quocirca necessarium iudicaui, vt hîc totam D. Bezæ responsionem, cum meo tractatu insererem: vt lector, sicubi fortè aut ipse, aut ego, nos non rectè intelligimus, notare possit (ne nobiscum erret) quid erremus: & melius videat quid sit quod disputamus. Nam D. Beza me non rectè accipit, & nonnunquam non tam me, quàm contra suijpsius cogitationes disputat: idem mihi posse vsu venire putaui. Quum itaque præter veritatis cognitionem, neuter nostrûm sibi quidquam aliud propositum habuerit; vtriusque existimationem integram apud lectorem manere velim.

Vale.

PROLOGVS.

OPPVGNATIO *tyrannidis Romani Episcopi super omnes totius vniuersi orbis Christi Ecclesias, regna, & imperia, eoúsque progressa est; vt omnem primatum, & primatus nomen ex Ecclesia tolli oportere, multi hodie censeant: vt hoc pacto tyrannis Prælatorum vitetur. Sed erratur, meo quidem iudicio. Electis Tarquinijs Româ, Regis nomen posteà non tulêre Romani: quasi cum nomine electa esset, quam oderant, tyrannis: qui tamen posteà plures tyrannidis formas perpessi sunt, quàm si Regis nomen & authoritatem retinuissent. Non enim in regia potestate, aut regis nomine vlla inerat tyrannis; sed in Tarquinio. Sic dico tyrannidem, quæ Ecclesias Christi vastauit, non fuisse in primatu Episcoporum, & Archiepiscoporum: sed in ijs qui primatu abusi sunt, &, vt dici solet, ὑπερ τὰ ἐσκαμμένα πηδήσαντες, latiùs prouinciæ suæ limites extenderunt, quàm religio Christiana patitur; terminosq; remouerunt quos Patres posuerant; vnde immensa & intolerabilis facta est Episcopi Romani potentia.*

Veterem Ecclesiæ formam, & tot summæ eruditionis & pietatis viros, qui Episcopi fuerunt, accusare tyrannidis non possum: sicut nec etiam ipsas Synodos, quæ veterem Ecclesiæ politiam, quam à maioribus acceperant, confirmârunt, vllius erroris condemnare. Nam etsi errare posse Patres & Synodos non ignorem (vbi contraria verbo Dei decernunt) non tamen inde sequitur, eos hac in re errâsse.

Si quemadmodum vniuersaliter cunctis mortalibus innatam improbitatem agnoscimus, eam particulariter æquè in nobis ipsis videremus, oculatiores in nostris peccatis quàm in alienis reprehendendis essemus. Sed contrà fit. Si quid nobis aliqua de causa in paribus non probetur; statim occurrit fuisse homines: & quia labi & errare est mortalibus procliue, inter errores illius ætatis numeramus; de nobis interim parùm soliciti sumus, ac si humana sorte essemus exempti, & nobis idem non possit euenire quod Patribus, in eo ipso quod damnamus.

Contra vnanimem & constantem omnium Patrum veteris Ecclesiæ consensum, nihil sine expresso Dei verbo est innouandum. Hoc enim liberè dico, Quisquis Patribus omnem authoritatem adimit, ipse sibi nullam relinquit. Nam vt homines fuisse Patres confitear, & suos quosdam habuisse nævos; ipsos tamen in præcipuis Christianæ religionis capitibus, & externa Ecclesiæ politia (quæ inter nos & Pontificios controuersa sunt) habere patronos, non parui momenti res est. Tametsi populi Dei consensus ab Apostolorum temporibus vsque in hanc diem, verbo Dei æquari non debeat; proximum tamen ab eo locum, authoritatis iure sibi vendicat. Mos populi Dei ab omnibus Ecclesijs totius orbis receptus, inuiolabilis quædam lex est. Verisimile non est vniuersalem consensum omnium Ecclesiarum & temporum, sine verbo Dei aut Apostolica traditione, potuisse accidere. Tamen quia nullus consensus, nulla longi temporis præscriptio, contra Dei verbum locum in Ecclesia Christi retinere debet, ponderandæ sunt nobis rationes, & Scripturæ loca examinanda, quibus inducti Patres illud regimen in Ecclesia receperunt, quod hominibus nostræ ætatis minimè probatur: vt certò sciamus, illine, an nos erremus.

Olim

Olim Episcopos & Archiepiscopos nemo bonus improbabat : hodie autem tyrannidis Episcopi Romani & satellitum ipsius odio factum est, vt hæc nomina in controuersiam vocentur : idque à diuersis, diuersa ratione. Alij, quia credunt ab Antichristo inuenta, aut ab ijs qui ipsi viam strauerunt, extra Ecclesiam protinus eliminanda censent. Alij, qui modestiores sunt, propter antiquitatis reuerentiam ferenda quidem, (tametsi ea non probent) donec cum ipsa re, commodè antiquari possint. Episcopos & Archiepiscopos, quos cum magno fructu præfuisse Ecclesiæ nôrunt, damnare quidem apertè non audent : sed quia vident nostri temporis Ecclesias quasdam reformatas, recepto Euangelio, & eiecta tyrannide Romani Pontificis, Episcoporum regimen etiam eiecisse, Patres non probant : & noua gubernationis Ecclesiasticæ forma magis placet : vtpote quæ creditur ab ipso Domino & Seruatore nostro instituta, ab omni ambitione & tyrannide quàm maximè aliena.

Cur autem mihi non similiter probetur, ratio mea hæc est : quòd ex verbo Dei non satis demonstrari videatur, nec vllo maiorum exemplo confirmari : vt quæ partim illis incognita fuerit, partim in hæreticis damnata. Itaque de hoc nouo Ecclesiæ regendæ modo idem censeo, quod alij de Episcoporum regimine iudicant : nempe quòd sit humanus & ferendus, vbi alius melior obtineri non potest : & contrà ille, qui improbatur tanquam humanus, mihi videtur esse diuinus : vtpote qui tam in veteri quàm nouo Testamento à Deo sit institutus. Sed quia multis hominum flagitijs est contaminatus, quod hominum improbitati tribuendum est, ascribitur functioni : perinde ac si nulla similis calamitas, huic nouo regiminis generi possit interuenire.

Antichristus Romanus cum suis Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis & Metropolitanis, sic Christi Ecclesiam afflixit, vt sub his nominibus credatur latère tyrannis. Semel ictus à scorpione, sub quouis lapide credit latère scorpionem : & morsus à cane, quemuis pauescit canem. Huic malo vt nonnulli mederentur, retenta re, mutârunt nomina : & pro Episcopis creârunt Superintendentes ; Et pro Archiepiscopis, generales aut Prouinciales Superintendẽtes : quasi de nominibus, non autem de ipsa re, ista sit controuersia. Vocabulorum cum arbitraria sit significatio ; quando de re constat, inanis est de illis digladiatio. Si gubernationum genera, quæ istis nominibus significantur, ex verbo Dei demonstrarentur, nulla causa est cur ob ipsorum vocabulorum odium, tollantur. Si quis obijciat, multa esse corrupta in Episcoporum regimine, de ea re, à me nulla instituitur disputatio. Eadem querimonia de ciuilium magistratuum gubernatione fieri poterit : sed nemo sanus idoneam vnquam rationem eam censuit à magistratu mouendi eos, qui præsunt Reipub. Nostra igitur quæstio est, vtrùm Dominus primatum cum eminentiore potestate, inter Ecclesiæ Pastores & Euangelij ministros prohibuerit ; vt Pastori Pastor, & Episcopus Episcopo, ad externã politiam conseruandam præfici non possit : non quomodo authoritate sua vsi sint Episcopi. Si quis Episcopos, eorúmque Consistoria accusare velit, aut neglecti officij, aut iniquorum iudiciorum : nemo impedit quò minùs id fiat apud summum magistratum. Ego nullius Episcopi defensionem suscipio, tantus non sum, vt meo patrocinio opus habeant. Ipsi pro se causam dicere, ac suis obtrectatoribus respondere valent, tantùm veterẽ ordinem conseruandæ disciplinæ in Ecclesia Christi necessarium, & à Patribus summo studio obseruatum, sublatum esse deploro : & ne prorsus nostri sæculi calamitate tollatur, vehementer timeo : quia homines nostri sæculi ita comparatos esse videam, vt totum Ecclesiæ ministerium ad nudam Euangelij prædicationem redactum cupiant. Decidi hæc nostra controuersia nulla ratione melius potest, quàm si ministeria, sicut ab ipso Domino fuerũt instituta, & ab Apostolis tradita, per singulos gradus, seriemq; temporum, quibus exerceri cæperunt, consideranda proposuero : sic facilè quid cum verbo Dei consentiat, quid aduersetur, cognosci poterit.

Itaque

XUM

Itaque de ministris Ecclesiæ dicturo, eorúmque diuersitate, duo sunt quæ commodum ad hanc rem præbent ingressum. Primum est ipsorum prima institutio: alterum est locus Epistolæ Pauli ad Ephesios, cap. 4. vbi Apostolus Ecclesiæ ministeria per suos gradus distributa fidelibus proponit: & primo loco collocantur Apostoli, secundo Prophetæ, tertio Euangelistæ, quarto Pastores & Doctores: de quibus singulis ordine disseremus. Tametsi Paulus de ministeriis Ecclesiæ ex omnibus gentibus collectæ, post Domini ascensionem datis, scripsisse videatur; nos tamen altiùs rem repetemus, nempe ab illo tempore quo Deus duodecim Apostolos designauit: quibus 70. discipulos addidit, quorum operâ prædicando Euangelio per Iudæam est vsus.

Quamuis præsens disputatio de Euangelij ministris, & Ecclesiarum Christi Pastoribus instituatur, nos tamen de διακονία, *& Diaconorum officio, pauca quædam sumus dicturi. Cùm enim Euangelica doctrina, non nobis rerum diuinarum & futurorum bonorum contemplationem otiosam proponat, sed omnium virtutum, atque inprimis Christiana dilectionis exercitium, ex Euangelij ministerio aliud ministerium natum est, quod circa corporeas præsentis vitæ necessitates versatur, & Ecclesiastica pecunia habet administrationem. Atque ita duplex ministerium est Ecclesiæ. Alterum quod tantùm Dei gloriam, & animarum salutem respicit; alterum rerum externarum procurationem. Posteà de honore & reuerentia, quæ naturæ & Dei lege, omniumq; gentium iure debetur sacrorum Ministris, disputabo: postremò, de sacrilegijs & sacrilegorum pœnis, contra nostri temporis bonorum Ecclesiasticorum direptiones. Tria hæc ob argumenti diuersitatem in tres libros distinxi: sed quia connexa sunt, & se consequuntur, simul in eodem volumine coniunxi.*

D. THEO-

D. THEODORVS BEZA.

Ad Tractationem de miniſtrorum Euangelij gradibus ab HADRIANO SARAVIA Belga editam.

CONtrouerſia mihi tecum eſt, mi Sarauia: & quidem de re magna, ſicut tu rectè iudicas, nempe præcipuis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis capitibus, id eſt, penes quos illa reſideat, & quæ ſit ijs, à quibus exerceretur, diuinitùs attributa poteſtas. Etſi enim abs te non ſum ego nominatim appellatus, vt eſt ab alio poſtea, non tam certè Chriſtiano diſputatore, quàm petulante conuiciatore factum: tamen iſta quorſum, & in quos dicantur, res ipſa demonſtrat.

HADRIANVS SARAVIA.

TAmetſi non ignorauerim, quæ D. Bezæ eſſet ſententia de hac controuerſia; eum tamen, nec quidquam quod ab eo ſcriptum eſt, mihi oppugnandum non propoſui: ſed tantúm eos, & eorum ſcripta, qui temerè pacem Anglicanæ Eccleſiæ turbant. Quorum cauſam doleo à D. Beza defendendam ſuſcipi: hoc enim non expectabam. Quemuis potiùs aut ex Belgio, aut ex Scotia, aut fortè ex Anglia anonymon, eorum quendam quos hæc res propiùs tangit, aduerſarium credidi. Quod verò clarum & reuerendum virum, Matthæum Sutliuium, Decanum Exceſtrenſis Eccleſiæ, attinet; eum præter ipſius meritum, petulantem conuiciatorem vocari doleo, & D. Bezam rem accipere, acſi contra eum ſcripſiſſet: qui nihil minus cogitauit, quàm D. Bezam ſcriptis ſuis laceſſere, aut eius exiſtimationem lædere. Si quid tamen inclementiùs dictum videatur in eos quos oppugnat, & D. Bezæ nomine & authoritate ſe tuentur, tanquam in ſe dictum, minimè accipere debuit. Iuſtâ enim hâ commoueri potuit, propter famoſos libellos hîc in Anglia ſparſos, quibus non tam Epiſcoporum dignitas indignis modis laceratur, & in odium adducitur, quàm in dubium tota reformatio Anglicanæ Eccleſiæ vocatur, & in omnibus ſuis partibus deridenda veritatis inimicis exponitur. Quos ſi D. Beza legiſſet, & diſſidia & hæreſes, quæ conſecutæ ſunt, nôſſet; æquior eſſet omnibus, quos poſt longam patientiam, importunitas fanaticorum hominum, tandem coegit ſcribere; & ab ipſo fonte, vnde iſtæ turbæ & diſſidia ſunt nata, auſpicari: nempe ab Epiſcoporum, & patriæ reformationis contemptu; quem ſchiſmatum & hæreſium Cyprianus principium ſemper fuiſſe, rectè ſcripſit.

D. BEZA.

EST igitur mihi tecum illa de re neceſſariò ſuſcepta diſceptatio, ſed amica & fraterna, atq; adeò ex vetere illa formula. Inter bonos bene agier oportet. Iudex autem inter nos Dominus ille noſter, & ſummus, vnicus, ac perpetuus ἀρχιποίμην ex ſacris illis ſuis tabulis ſedeto, iis quos tandem ipſi vilum erit adhibendis in legitimo conuentu interpretibus; quorum ſententiam omnes, ſicuti par eſt, Eccleſiæ ſequutæ, mutuam inter ſe pacem & concordiam ſeruent. In primis verò, vt lectores intelligant in quibus conſentiamus, & diſſentiamus, quod ad illam bonorum Eccleſiaſticorum ſacrilegam vſurpationem, & ſacri ipſius Miniſterii contemptum attinet, in eo tibi communis eſt nobiſcum querela, quamuis remedia malis iſtis abs te propoſita non omni ex parte probem. Quod autem iis non aſſentiris (quinam autem illi ſint ſatis noſti) qui omnem morum diſciplinam Magiſtratui committendam putant: & excommunicationem, itidémque ab eius vinculo abſolutionem legitimam Euangelij miniſtris vindicas, illud tam rectè facis, quàm perperam & adulatoriè fortaſſe faciunt qui contrarium ſentiunt. At qui non omnia Magiſtratui pio in Eccleſiaſtica iuriſdictione attribuunt, omnem ei propterea non adimunt, vt calumniator ille calumniatur.

HAD. SARAVIA.

QVæ neceſſitas D. Bezam compulerit, vt mecum in hanc harenam deſcenderet, neſcio: cum maiore Eccleſiæ ædificatione, & (meo iudicio) minore ſcandalo, hoc labore ſuperſedíſſe potuit. Ego teſtari poſſum, inuitum me cum meæ communionis Symmiſta in vllum certamen venire: quòd ea res, etiam inter eos, qui arctiſſima neceſſitudine, & diuturni temporis amicitia coniuncti ſunt, alienationem parere animorum conſueuerit,

UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

XUM

ſueuerit. Quam autem fraternam & amicam, atque adeò ex vetere illa formula, Inter bonos bene agier oportere, futuram diſputationem pollicetur, an præſtet, relinquo cuiuis iudicandum: mihi profectò non ita videtur. Fieri poteſt, vt D. Beza initio id ſibi propoſuerit, ſed inter diſputandum bilis efferbuerit, quæ eum abripuit quò noluit. Gaudebam quando legere hanc reſponſionem incepi, expectans quod minimè inueni. Quare de me polliceri nihil audeo. Conſtitueram non commoueri legendo, ſi quid occurreret quod non probarem: ſed homo ſum; & quam mihi propoſueram conſtantiam, non præſtiti. Non enim potui non commoueri vehementiùs quàm vellem, meaque coſuetudo patitur, quoties in locos incidi, vbi nec ſincerè, nec candidè mecum D. Beza agit, vt ſuis locis apparebit.

Ego ſcio Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & eſſe, & futurum iudicem: quomodo affectus ſim noui; & ex me de fratribus iudicare æquum eſt: accuſat, aut excuſat vnumquemque noſtrûm ſua conſcientia: & me ſcribere, iudicante & atteſtante ità mihi eſſe faciendum mea conſcientia, Dominus nouit. Vnde miror, ſi D. Beza eodem modo affectus hæc ſcripſit, quo iudicio alterum noſtrûm Deus errare ſinat. Noſtri errores, & noſtræ ignorantiæ, pœnæ ſunt peccatorum noſtrorum, tanto grauiores, quo nocentiores. Sed in hac re me ſolatur hoc vnum, quòd mei erroris (ſi erro) magiſtros & authores habeo, cum quibus errare præſtat, quàm cum aduerſa parte ſapere.

D. BEZA.

SI qui ſunt autem (quod ſanè mihi non facilè perſuaſeris) qui omnem Epiſcoporum ordinem, vt tu ſcribis, reijciant, abſit vt quiſquam ſatis ſanæ mentis, furoribus illorum aſſentiatur. Neque hoc ſcelere tenentur, qui de Epiſcopalis muneris ſiue πρεσβυτερίου finibus regundis, & de diſcrimine inter ordinem & gradum poſtulant, vt ex verbo Dei decidatur. Quod ſi qui longiùs vel iſtic vel alibi ſunt progreſſi, nihil illud ſanè neque ad nos, neque ad Orthodoxas & bene conſtitutas Eccleſias. Scimus enim Dei beneficio, quod etiam res ipſa poſcit, omnia, in domo Dei præſertim, decenter & ordine fieri oportere.

HAD. SARAVIA.

QVid Epiſcopi vox mihi & vulgo ſignificet, ignorat nemo: & quos ego Epiſcopos intelligam, & defendam, totus meus tractatus indicat: nempe quales fuerunt Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Baſilius magnus, Cyprianus, Irenæus, Ignatius, & quotquot præter hos Orthodoxi & pij fuerunt, omnibus illis ſeculis & ſequentibus, quamdiu ab illis in Babylonicam confuſionem non eſt prolapſum. Quos ſi reijcere tantus eſt furor, ſicut D. Beza fatetur, vt difficile perſuaderi poſſit ei, quemquam eſſe ſanæ mentis, qui furoribus illis adſentiatur; quſ fit vt in Scotia, & in Belgio, ſicut & Geneuæ, vnde exemplum ſumptum eſt, ita omnis Epiſcopalis gubernatio ſublata ſit, vt nec nomen, nec veſtigium vllum priſcæ gubernationis Eccleſiaſticæ ſit relictum?

Mihi nunquam perſuadebitur, eos tantùm petere, vt de finibus muneris vel πρεσβυτερίου Epiſcopalis regundis, & de diſcrimine inter gradum & ordinem ex verbo Dei decidatur, qui ſimul ſuſtulerunt & gradum & ordinem. Reſtituatur ordo, qualis cognitus fuit Patribus; & tum de finibus Epiſcopalis functionis, & differentia inter gradum & ordinem moueatur quæſtio. Certè ab orthodoxis Eccleſijs & Doctoribus in hac re, longiùs meo iudicio proceſſum eſt, quàm oportuit. Si vel vmbram Epiſcopi retinuiſſent, in qua nobis delineâſſent πρεσβυτερίου veri & Apoſtolici Epiſcopi, eſſet excuſationi relictus locus. Nihil dicit qui ſe ſcire ait, quod nemo natus homo vnquam negauit, nec negaturus eſt; omnia decenter & ordine fieri oportere; quando de ipſo ordine eſt quæſtio.

D. BEZA.

HVnc autem ordinem cur aliunde quàm ex Apoſtolicis ſcriptis, id eſt, ex Spiritu verè ſancto, & in Eccleſijs præſidente petierimus? fueritne verè ille, vt eſt ab Apoſtolis conſtitutus, ſine vlla prorſus mutatione perpetuò retinendus, an alicui poſt eius conſtitutionem obnoxius, ſuo loco videbimus. Conuitiatorem autem illum, à quo diſcrimen inter cuiuſque rei ὑποκείμενα, & adiunctas circumſtantias tollitur, & qui nos ridiculè ad logicam doctrinam de prædicamentis reuocat, quis æquo animo ferat?

HAD. SARAVIA.

ET hoc extra controuerſiam eſt, quando non tam de verbo Dei eſt quæſtio, quàm de interpretatione & vero ſenſu: præſertim in tanta hominum licentia, qui ſibi quemuis affingere

affingere sacrosanctis literis sensum licere putant. At spiritus sanctus qui Ecclesiis præsidet, verus est scripturarum interpres: ab eo igitur est petenda vera interpretatio. Et cùm is sibi non possit esse contrarius, qui primitiuæ Ecclesiæ præsedit, & per Episcopos eam gubernauit; ipsos nunc abiicere, consentaneum veritati non est. Quapropter vniuersalem praxin omnium locorum, omnium temporum, omnium Ecclesiarum, tanquàm certissimum interpretem, sequendum arbitror. Commentitiam distinctionem, animi gratiâ confictam, ad perspicuæ veritatis luci tenebras offundendas, & errorem defendendum, nihil moror. Dominus iudex erit, & vindex omnis sophisticæ, in rebus maximè seriis excogitatæ, propositi erroris retinendi aut defendendi causâ. Quē D. Beza conuiciatorem vocat, vir doctus & integer est, & dissimulandi expers: qui scapham vocat scapham, nec fucum veritati fieri sophis pharmacis patitur. Ignarus non est quantum discriminis sit inter rei cuiusque essentiam, & ipsius circumstantias. Quod hîc non magis habet locum, quàm in lente vnguentum.

D. THEOD. BEZA.

TV vis denique Ecclesiasticam censuram episcopis, & reiac nomine presbyteris, cum ea auctoritate tribui, quâ Deus Apostolis, & Ecclesiæ futuris Episcopis dedit. Et nos verò quid aliud postulamus? Sed quinam sint isti Episcopi & Presbyteri, & qua auctoritate à Christo instituti, hoc illud est, de quo inter nos controuertitur. Hic igitur veluti campus esto, in quo non pedes, sed mentes conferamus. Ego quidem certè tuis vbique vestigiis insistam, vt vtrique ad eandem, eamque veram metam, duce Veritate, perueniamus.

HAD. SARAVIA.

TRia sunt, in quibus sine vllo verbo Dei, Ecclesiæ nostræ à prisca antiquitate recesserunt. Primum est Episcoporum abolitio, alterum Presbyterorum & diaconorum temporariorum inuentio, & tertium amborum officium & functio. Hic tamen nouitius error, & nuper natus, paruo tempore adeo altas iecit radices, vt è multorum animis posse euelli diffidam, patrono & defensore Beza; propter opinionem quam imbiberunt; cui plerumque plus tribuere solent homines quàm veritati. Nam hoc audeo dicere: Si Geneua abolitionem Episcoporum non probâsset, & hos Presbyteros & diaconos non recepisset; nemo id esse faciendum in sacris literis vsquam inuenisset, aut inueniret. Quandocunque in re quapiam ab antiquitate vniuersali & sibi consentiente, & per omnes ætates constante, receditur; opus est apertioribus verbi Dei testimoniis, & validioribus argumentis, quàm D. Beza in hac sua responsione attulit. Quæ tantùm abest, vt me vel minimùm dimouerint à prima mea sententia, vt magis in ea cõfirmauerint: & iure Episcopalem gradum, & Presbyterorum atque diaconorum re & nomine ordines, cum ea authoritate, quam Deus Apostolis & futuris Ecclesiæ Episcopis & Presbyteris dedit, retineri & restitui me desiderâsse & desiderare censeam. Quamuis enim de Episcoporum authoritate, qualis & quanta illa fuerit olim, & esse debeat, quæstio moueri possit; Episcopos tamen & Episcoporũ successiones, quibus vnus vni, à temporibus Apostolorum semper & vbique successit, non plures pluribus; & Presbyteros, quos semper & vbique fuisse perpetuos, & non tantùm censuræ morum præfuisse, sed docendi, & sacramenta ministrandi in Ecclesia potestatem habuisse constat, in dubium reuocari; quò magis cogito, magis vsque ad stuporem demiror. Sed D. Bezam audiamus, quid ad meum tractatum respondeat.

DE MINISTRORVM EVANgelij diuersis gradibus Liber.

HAD. SARAVIA.

Quid sit Euangelij ministerium, & quæ eius partes.

CAPVT I.

TAMETSI de ipsorum ministrorum Euangelij inæqualitate, noster hoc libro sit futurus sermo; non tamen alienum ab instituto meo est, à ministerij Euãgelici definitione, eiusque partibus exordiri. Hoc enim pacto fiet magis clarũ quid omnes Euangelij ministri inter se habeant cõmune, & quid cuique ordini sit peculiare. Ex variis scripturæ locis, variè Euangelij ministerium potest describi: sed duobus verbis, eisque perspicuis, ex Apostolo Paulo desumptis, generatim complector; & dico,

1. Cor. 4. 1. 1. Tim. 3. 16.

ministerium Euangelicum est quædam dispensatio mysteriorum Dei; quæ aduentu Domini & Seruatoris nostri toti mundo facta sunt manifesta. Mysterium autem voco tam doctrinam admirandi consilij Dei, in redemptione generis humani, quàm omnia quæ cum doctrina Deus coniunxit. Ea verò in tres partes ego distribuo. Prima est Euangelij prædicatio: altera communicatio sacramentorum: & tertia Ecclesiasticæ gubernationis authoritas. Euangelij prædicatio, legatio est nomine Christi ad omnes gentes; qua peccatores rogantur vt Deo reconciliari velint: & alio modo, est doctrinæ de gratuita peccatorum remissione, quã Christus morte sua acquisiuit, promulgatio: vel etiam dici potest, gratuitæ iustificationis & & sanctificationis Spiritus sancti, quæ fide in Christũ obtinetur, doctrina. Plures aliæ definitiones adferri possent; nisi breuitatis studium impediret. Ex his satis quiuis intelligit, quid sit Euangelium, & Euangelij prædicatio. Ad secundam partem huius ministerij pertinent mandata Domini de baptizandis credentibus; & de Cœnæ Dominicæ celebratione in memoriam mortis ipsius. Ad tertiam verò

Math. 16. 19. & 18. 18.

partem quæ est gubernationis; potestas clauium regni cœlorum, atque ligandi & soluendi in terris, quæ ligata & soluta in cœlis, potestas extenditur. Ea duo membra habet: alterum ordinationẽ ministrorum, alterũ censuram morum continet.

Acts. 14. 23.

Hac potestate Apostoli creârunt in Ecclesia Christi Episcopos & Presbyteros, quibus suas cõmisêre vices; vt omnia ritè & decenter fierent, & in populo Christiano, εὐταξία conseruaretur. Presbyteri cum Episcopo ordinem in populo conseruant, ac eum in officio continent. Huius quoque potestatis fretus fiducia, contumaces veritatis aduersarios Apostolus Sathanæ tradidit; & in suis Epistolis interdum minas intermiscet admonitionibus.

1. Tim. 1. 20. 1. Cor. 4. 21. & 2. Cor. 4. 21. & 13. 2.

Sed de hac re, controuersia quædam hodie nata est, patribus incognita. Sunt enim, qui omnem censuram morum Christiano magistratui deferendam esse arbitrãtur; quòd ad eius officium pertineat bonorum morum & honestatis publicæ habere curam, ac pœnis coercere flagitia. Pastoris verò partes (sub Christiano magistratu) tantùm sint docere virtutes, & reprehendere vitia, ac omnibus, qui sese sacris participandis offerunt, (quales quales illi sint) indiscriminatim ea administrare; admonere quidem posse, vt percepturi sacramenta priùs se ipsos probent: si admonitioni pareant, bene quidem; sin minùs, Dei & conscientiæ suæ iudicio esse relinquendos: arceri quenquam à communione sacramentorum non oportere. Sed mirum est, eos qui intelligunt

Euangelij

Euangelij ministros habere potestatē soluendi, non similiter intelligere ligare posse, & parem esse vtriusque rationem: & cùm illa contraria sint, contrarijs actionibus à pastore fieri. Extra cōtrouersiam est, peccatores solui ab Euangelij ministris, quando credentibus peccatorum remissio, Christi nomine, promittitur, & sancto baptismi lauacro consignatur: at quando eadem potestate infidelibus ira Dei & æternum exitium denunciatur, & Sacramenta Christi negantur; pari ratione ligari, quis dubitat? Quemadmodùm enim contra fidi pastoris officiū est, lupos in ouile Domini sui admittere; sic etiam eos, quos illa intrauerunt, non eiicere. Quod si contingat post baptismū quempiam à fide deficere, aut cùm ore Christum confiteatur, factis negare, & intra semetipsum rursus Christū crucifigere: ecquod erit erga hunc pastoris officium? Ligabit (inquient) contumacem & falsum pœnitentem: quod cùm non nisi contrarijs actionibus fieri possit; quemadmodum pœnitentis promissiones misericordiæ diuinæ proponet, & intra Ecclesiam recipiet: ita contumaces excidisse regno Dei, ciuitatem amisisse, & Dei domo indignum esse, denunciabit; negabitque cani, qui ad vomitum rediit, panum filiorum Dei. Quemadmodùm fidus dispensator mysteriorum Dei, neminem qui infidelis fuit, baptizat, nisi se credere prius aperte confiteatur; ita peccatorē publicè lapsum ad communionem corporis & sanguinis Christi non recipit, nisi seriò pœnitentem. Hæc vetus est Theologia. Sed pluribus hunc errorem in præsentia confutare, non est mihi propositum: res integrum requirit tractatum. Hoc mihi ad confutationem nunc sufficere videtur, quòd recens & nouus sit error, contra veterum omnium sententiam: vt de gentibus nihil dicam, apud quas semper sacri & prophani fuit magnum discrimen. Nam quòd Ecclesiastica potestate per summam tyrannidē olim abusi sunt, & adhuc hodiè abutuntur pontifices Romani; rei bonæ & à Deo institutæ non abrogat legitimū vsum. Simul cum religione lex nata est, à prima mundi origine, quæ impios à sacris excluſit. Deploranda profectò Ecclesiæ conditio est, quam eò prolabi videmus, vt schola virtutum cùm sit, nullam censuram morū pati velit: & quod hominibus gentilibus veri cultus Dei ignaris, in Repub. pulcherrimum & maximè necessarium visum est, improbari à Christianis.

Quamuis vnum, & idem Euangelij ministerium sit omnibus pastoribus Ecclesiæ concreditum; in hac tertia parte non parua inter eos inuenitur inæqualitas, propter diuersos authoritatis gradus, quos primò Dominus statim ab initio, & postea Apostoli constituerunt. Extra controuersiam est, primū dignitatis gradum tenere Apostolos, secundum Euangelistas, tertium Prophetas, Pastores & Presbyteros quartum, Doctores postremum. Sed Pastores & Presbyteri in duos ordines ab Apostolis distincti sunt. Nam quēadmodùm maior Apostoli authoritas fuit quàm Euangelistæ aut Prophetæ, & Euangelistæ maior quàm Episcopi vel Presbyteri; ita Titi & Timothei, qui Presbyteri & Episcopi erant, maior fuit authoritas, quàm Presbyterorum, quos oppidatim Apostolica authoritate creârunt. Tametsi enim Christi baptismus vnus & idem sit, à quocunque ministretur, siue ab Apostolo, siue ab infimi ordinis Presbytero; & Euangelij doctrina nihilo melior aut deterior sit, ab his quàm ab illis tradita: tamen bona regiminis forma, non omnium æqualem esse authoritatem in gubernatione, patitur; & minorem à Domino datam his quàm illis, continuus ministerij Ecclesiastici vsus, ab Apostolorum temporibus vsque ad hunc diem deductus, indicat.

Huius rei claram demonstrationem continet prima 12 Apostolorum & 70 discipulorum vocatio. Nam vt initia veteris & nouæ Ecclesiæ congruerent: primùm

12 Apostoli electi sunt, futuri Patriarchæ & primi authores noui populi, quem ex gentibus sibi colligere Deus constituerat: & cùm maior esset messis quàm operarij, quemadmodum Mosi 70. seniores Dominus in veteri Testamento adiunxerat, qui ei essent auxilio in populi Dei regimine; sic Seruator noster, pari ratione, alios 70 addidit 12 Apostolis. Atque ita in illis primis Ecclesiæ incunabulis, duos ordines ministrorum Euangelij Dominus instituit: quos quando numero distinxit, et in duas classes distribuit, honore & potestate impares esse demõstrauit. Quod nunquam fecisset, si Euangelij ministros inæquales esse authoritate & dignitate, scelus futurum esse iudicâsset. Hi fuerunt primi sub Domini directione, (dum hic in terris vixit) Euangelij præcones. Post quam autem cælos ascendit, Prophetas in Ecclesia sua excitauit; quando in die Pentecostes Spiritum sanctũ misit: qui non tantùm discipulos varietate linguarum, sed diuina sapientia, & rerum futurarum cognitione admirandos redderet. Successu verò temporis, cùm crescerent Ecclesiarum numerus, & non amplius soli sufficerent fundandis ac regendis Ecclesiis, adsciuerunt sibi ex discipulis suis, quos docuerant, cooperatores: qui tametsi clari fide aliisq; Spiritus sancti donis essent, discipuli tamen erant & sectatores Apostolorum & Euangelistarum, longè suis magistris inferiores. At vbi non tantùm numerus Ecclesiarum, sed credentium supra modum augeri cœpit multitudo, singulis Ecclesiis Pastores ordinati sunt: qui illa ætate primùm citra discrimen, Episcopi & Presbyteri vocati sunt. De his omnibus speciatim dicturi sumus, vbi de duplici vocatione ad Ecclesiæ ministerium quod sacræ literæ tradunt, exposuero.

D. Theod. Beza. ad Cap. I.

Verus est (inquis) mihi in hoc libro sermo, de ipsorum ministrorum Euangelij inæqualitate. Imò de ipsis quoq; singularum sacrarum functionum appellationibus, & temporariarum à perpetuis distinctione, inter nos controuertitur. Disputatio verò de inæqualitate sic accipienda est, vt omnes nõrint, à nobis neque sacro ministerio fungentium, supra suos greges eminentiam negari, neq; sacras inter se functiones exæquari, neq, inter eiusdem muneris collegas πρωτοκαθεδρίαν ordinis tolli.

Had. Saravia.

Clarissimus vir Theod. Beza multa, quæ studio in tractatione mea prætermisi, requirit, & adiicienda fuisse censet; quod non negarem, si quæ desiderat, ante me scripsisset nemo: sed quæ benè & eruditè sunt à quampluribus viris doctis scripta, in quibus ab eis nihil dissentio, quorsum meo tractatui inseruissem? Non enim rudes earũ rerum de quibus disputo instituo; sed peritos, qui tam vsu quam lectione, regendæ ecclesiæ formam edocti, diuersam ab ea quam patres tenuerunt, amplectuntur: à quibus in hac re, cur cum tota antiquitate diuersum sentiam, expono. Sed huius nostræ disputationis videndum est quod sit κρινόμενον; diuersos gradus ministrorũ Euangelij asserο, quod non negatur: & eminentia pastorũ supra suos greges admittitur, & sacræ functiones inter se non exæquantur, nec inter eiusdem muneris collegas πρωτοκαθεδρία ordinis tollitur. Quid igitur restat controuersiæ? admittit D. Beza, Apostolos fuisse superiores Euangelistis, sicut & reliquis omnibus Ecclesiarum pastoribus; similiter & Euangelistas Episcopis & Presbyteris; ita vt eis præcipere potuerint. Quo concesso, egò satis demonstratum arbitrabar, Ecclesiæ Pastores & Presbyteros præcipere inferioribus Presbyteris & Pastoribus, non esse alienũ à Christi institutione & Apostolorũ traditione: proinde Episcoporũ regimen, non humanũ esse inuentũ, sed institutum diuinum.

Sed id non esse consequens, D. Beza & alij qui idem cum eo sentiunt, disputant; aiũntque (quod ante eos nemo) simul cum Apostolis & Euangelistis illam præcipiendi regendiq; tam Ecclesias, quam earum Episcopos & Presbyteros potestatem interisse; & quemadmodum inter Apostolos fuit tanta æqualitas, vt nemo Apostolus vnquam imperauerit Apostolo, nec Euangelista Euangelistæ; ita hodie Episcopum non debere imperare Episcopo, nec Presbyterum Presbytero, sublatamque hodiè graduũ inæqualitatem, vt nihil interesit inter Episcopum & Presbyterum: qui pares cum sint & eiusdem ordinis atque dignitatis, tyrannicum esse, si alter alteri, vtpote suo pari & æquali,

æquali præcipere præsumat. Nos contrà affirmamus cum tota antiquitate, regimen illud Ecclesiæ Apostolicum, inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia permansisse, nec simul cum Apostolis & Euangelistis interiisse: sed à patribus semel acceptum, & in hunc vsq; diem retentum, aboleri non debere.

Quando autem doceri volunt Apostolis imperâsse Apostolum, aut Euangelistis Euangelistam, perinde illud esse, ac si quis vellet demonstrari Patriarchâ imperare Patriarchæ, Metropolitanum Metropolitano, & Episcopum Episcopo, & Presbyterum Presbytero. Quos omnes quosque in suo ordine fatemur sibi esse æquales; nec in pares ac eiusdem ordinis collegas habere imperium: Sunt enim omnes Patriarchæ pares, omnes Archiepiscopi & Metropolitani, sic Episcopi inter se, & Presbyteri pares. Sed inde non consequitur Episcopum non esse superiorem suo Presbytero, & Metropolitanum Episcopo. Per quas autem ambages simplicem meæ orationis filum D. Beza deducat, vt meum tractatum conuincat erroris, videbimus, & ad singulas eius rationes & argumenta respondebimus.

D. THEOD. BEZA.

CAeterùm cùm ministerium Euangelicum vniuersum definis mysteriorum Dei dispensatione, cuius tres partes non ineptè facis, Euangelij videlicet prædicationem, sacramentorum administrationem, & Ecclesiasticæ gubernationis auctoritatem; quam rursum diuidis in ministrorum ordinationem, & morum censurã; tu videris an Diaconorũ sic specialiter & propriè appellatorũ munus, satis rectè possit hac definitione comprehendi; à qua tamen illam excludere nefas est: qua de re suo loco disseremus.

HAD. SARAVIA.

REprehenditur ministrorum Euangelij definitio, quòd sub ea non comprehendantur Diaconi. Fateor me non eos complexum diaconos mea definitione, qui in subsidium pastorum Ecclesiæ, tam in verbi prædicatione, quàm sacramentorum administratione non adsumuntur: & quòd aliud mihi videatur, quempiam ministrũ esse Euangelij; aliud, ministrum Ecclesiæ. Eum autem, qui nullam prorsus partem mihi strandi Euangelij, & sacramentorum sibi creditam habet, Euangelij ministrum rectè non dici; quamuis sit minister Ecclesiæ. Diaconissas enim ministras Ecclesiæ censeo, non tamen Euangelij: pari ratione Diaconi, quibus præter pauperum procurationem nihil creditur, ministri quidem Ecclesiæ sunt, non Euangelij: sed suo loco & hoc pertractabitur.

THEOD. BEZA.

ORdinationis autem nomine, si electionem ipsam ministrorũ intelligis, ministris non rectè tribuis, quod totius est Ecclesiæ: eo tamen ordine seruato, quem suo loco explicabimus; ne quis nos arbitretur illi nuperistic mortuo phantastico Morellio Parisiensi, in Democratica politeia reuehenda, adsentiri.

HAD. SARAVIA.

ELectionem ministrorum Ecclesiæ gubernatoribus ita tribuo, vt nec ipsos Christianos magistratus, nec populum excludam, quin illi, prout leges iuraq; locorum ferunt, præsententent quos elegerint, consecrandos vel ordinandos vel constituendos Episcopis. Cuius quandoquidem diuersa est apud diuersos ratio; quamdiu hoc agitur, vt popularis tumultus euitetur, & idonei piiq; & docti viri præsententur, nullam improbo, quam ordines alicuius reipublicæ Christianæ legibus sanciuerunt, nisi expresso Dei verbo repugnet. Ius patronatus notum est: quod, vbi authoritate publicâ receptũ est, etsi reformatum nonnihil cupiam, tollendum authoritate priuata non censeo.

In parte autem Ecclesiasticæ gubernationis quando pono ordinationem, aut (si quis malit) constitutionem ministrorum; id à me fit, quòd ad Episcopos pertineat primò tum doctrinæ tum morum examen; & deinde cum manuum impositione & precibus, potestatis Ecclesiasticæ communicatio. Et quamuis electioni factæ vel à magistratu, vel à populo, vel ab vtroque, vel ab vno patrono multum tribuam; nihil tamen actum esse censeo, nisi accedat ministrorum Ecclesiæ consecratio vel constitutio, per eorum manus, quibus regni Dei concredita est dispensatio: quam si Magistratus vel Patronus populúsue haberet, electio eorum sufficeret. Sed ea data est Ecclesiæ rectoribus: proinde nihil actum à populo vel magistratibus iudico, nisi accedat manuum impositio eorum, qui præsunt Ecclesiæ.

Quod Morellium attinet, scio reformatas quasdam Ecclesias ab eo re ipsa dissentire, scriptis verò ferè vbique consentire: vellem (quod in me D. Beza desiderat)

eam rem dilucidiùs & apertiùs pluribus in locis, à doctissimis hominibus explicatam: ne aliquando rerum imperiti, nobis in Ecclesiam reuehant tumultuarias & seditiosas illas populi electiones: quas ego non tam ab Apostolis fuisse institutas reor, quam cõsuetudini datas locorum & temporum, in quibus annui magistratus à populo creabantur.

D. THEOD. BEZA.

DEnique quòd sacrarum functionum nomina, & ordinem ὑπαλλήλον, repetis ex Apostolo Ephes. 4. 11. facis quod factum oportuit: si modò præsumamus quod certissimum est, Apostolum non omnes illic sacras functiones, iam tum in Ecclesia constitutas, exprimere voluisse, sed eas duntaxat, quæ sermoni & * doctrinæ vacabant, vt apparet 1. Timoth. 5. 17. quem locum à falsa interpretatione suo loco vindicabimus. In istis verò functionibus inter se comparatis, & ex Dei verbo administratis, non simplicem tantùm ordinem, sed etiam gradum agnosco: sic tamen vt prophetis sic peculiariter appellatis, non tertium, vt tu, sed secundum gradum cum Apostolo assignem. Sed illud verè prorsus scribis, distinctos esse duos illos numero ordines, Pastorum vnum, Presbyterorum alterum, sic propria & angustiore significatione appellatorum. Hoc enim apertissimè demonstrat Apostolus, non eo tantùm loco, quem modò citaui, sed etiam apertissimè Rom. 12. 8. τὸς προϊσαμένους, sic itidem peculiariter vocatos, tum à doctoribus, tum ab exhortatoribus siue pastoribus, diserte discernens.

* *Eas vnica definitione quando complexus sum, eam D. Beza improbauit.*

HAD. SARAVIA.

CVr tertium gradum assignem Prophetis, ratio mea hæc fuit. Primò, quòd Apostolus curiosiùs qui præcellebant dignitate, directo ordine non posuerit: obuium id passim in sacris est literis. Deinde, quod mihi credo nemo negaturus est, illa ætate non omnes Prophetæ fuerunt præfecti Ecclesiis, vt eas cum authoritate regerent: quandoquidem Prophetiæ donum tunc dabatur, sicut linguarum donum multis ex plebe hominibus: Etenim, vt scribit Paulus Corinthijs, omnes prophetare poterant; vt ne quidem fœminis Prophetiæ donum fuerit negatum. Philippo Euangelistæ quatuor erant filiæ Prophetissæ. Et ipse Philippus; præterea Barnabas, Simeon Niger, Lucius Cirenensis, & Manahen Prophetæ & doctores erant, inter quos Paulus numeratur qui Apostolus erat; reliquos verò viros secundos post Apostolos fuisse censeo, hoc est Euangelistas. Quos si Euangelistas nolit esse D. Beza, mihi de nomine cum eo non erit quæstio; quamdiu fatebitur eos proximum ab Apostolis in Christi Ecclesia tenere gradum, & vixisse cum Domino in carne, atq; ipsum post resurrectionem suam eis apparuisse, & post ascensionem cum Apostolis Spiritum sanctum recepisse. Hos enim ego viros (quos non vulgari dono Spiritus sancti instructos fuisse constat, & longè excelluisse eos, quibus ordinem prophetandi in Ecclesia Corinthiaca Paulus præscribit) simul fuisse, vocatione diuina immediata, Euangelistas & Prophetas arbitror.

Hos autem gradus ministrorum Euangelij censeo ita fuisse distinctos, vt maiores includerent inferiorum ministeria: & Apostolos fuisse Prophetas, & Euangelistas, & doctores & Pastores: similiter Euangelistas fuisse Prophetas, & Pastores, & Doctores: plerosq; Prophetas fuisse Pastores, & Doctores: Pastores verò fuisse Doctores, sed non contrà. Non enim omnes doctores (qui & Prophetæ dici etiam possunt) fuerunt Pastores & Euangelistæ, & Apostoli. Et hæc res mihi adeò clara videtur, vt multa demonstratione non videatur opus habere. Quòd si quis contrà cõtenderit, & aliud sentiat, fruatur illo suo iudicio, & mihi meum relinquat liberum: rectè an secus sentiam, cedò quemuis iudicem.

Quod D. Beza putat me Pastorem à Presbytero distinguere, & distinctos duos ordines ponere, errat: idem & vnus mihi est ordo Presbyteri & Pastoris. Nam etsi inter eos superiores & inferiores agnoscam, ratione regiminis Ecclesiastici, nemo mihi est Presbyter, ex sententia & norma Apostolica creatus, qui non sit etiam pastor. Quandoquidem Episcopi & Presbyteri officium est pascere gregem Domini, & quotquot in eum ordinem adsumuntur. Paulus vult esse διδακτικὸς, hoc est, vt latiùs ad Titum se explicat, ἀντεχομένους τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατοὶ ὦσιν καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Non est ex sententia Apostoli creandus Presbyter qui illa dona non habet. Præterea non adsentior D. Bezæ, illud alterum Presbyterorum ipsius genus propriè significari ad Rom. 12. 8. dictione προϊσάμενος; & eundem tum à doctoribus, tum ab exhortatoribus siue pastoribus discerni. Paulus quidem in illo loco diuersa eiusdem corporis membra officiaq; enumerat,

merat, sed non ita distinctas personas intellexit, vt in eadem plura non simul concurrant, & eidem plura neget competere. Nusquam dicit Paulus eum qui præerat Ecclesiæ cum diligentia, non docuisse in doctrina, nec exhortatum fuisse in exhortatione. Si enim id Paulus dixisset aut sensisset, non sibi constitisset; quem iam superiùs docui requirere in προϊσταμενῳ, vt sit *aptus ad docendum, & tenax fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, vt possit etiam exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere.* At misces membra membrorumque officia (inquiet aliquis) quæ distincta vult Apostolus.

Attende quomodo nihil discretum confundam; & vt sibi constet Apostolus. Prophetiam aliquis habere potuit, & Propheta esse; alius doctrinam, & esse doctor, qui nó esset præpositus vel Episcopus Ecclesiæ: sed non contrà, excepta veri nominis Prophetia. Quæ versu nono vsque ad finem capitis subnectuntur sunt eiusmodi, vt non possunt diuersorum membrorum censeri officia, sed omnibus communia, vt in membris Christi haberi non possit, qui *illa* non habeat. Interim D. Bezam confiteri à Domino institutos diuersos gradus ministrorum Euangelij libenter accipimus, & lectorem admonemus, vt secum rem examinet. Nam hoc concesso, quid sit, quod contra nos disputat non video. Non enim docere poterit illam ordinationem diuersorũ graduum, aut reuocatam, aut prohibitam; & nunc ἄτακτον esse, quod tunc fuit εὐτακτον, pernicioſumque natura sua, quod tunc fuit vtile & necessarium.

THEOD. BEZA.

IN iis verò quæ subiicis, nõ pauca magni momenti mihi videor non immeritò desiderare. Vt initia (inquis) veteris & nouæ Ecclesiæ congruerent, primùm sunt duodecim Apostoli electi, futuri Patriarchæ & primi auctores noui populi, quem ex omnibus gentibus sibi colligere Deus constituerat: deinde cum maior esset messis quàm operarij, quemadmodum Mosi septuaginta seniores Dominus in vetere Testamento adiunxerat, qui ei essent auxilio in populi Dei regimine: sic Seruator noster pari ratione alios septuaginta duodecim Apostolis addidit: atque in primis illis Ecclesiæ incunabulis duos ordines ministrorum Euangelij Dominus instituit; quos quando numero distinxit, & in duas classes distribuit, honore & potestate impares esse demonstrauit: quod nunquam feciſſet, si Euangelij ministros inæquales esse auctoritate & dignitate, scelus futurum esse iudicâsset. Hi fuerunt primi, sub Domini directione, dum hic in terris vixit, Euangelij præcones. Postquam autem in cœlos ascendit, Prophetas in Ecclesia sua excitauit, quando die Pentecostes Spiritum sanctum misit. Successu verò temporis cùm crescceret Ecclesiarũ numerus, isti (id est duodecim illi Apostoli & illi septuaginta discipuli) asciuerunt sibi cooperatores ex discipulis suis, quos docuerant. Et hi sunt quos tu postea, capite sexto, facis alteram Euangelistarum speciem: ab illis septuaginta eo quoque distinctam, quòd illi quidem ab ipso Domino, isti verò per homines, nempe per Apostolos & illos septuaginta, fuerint ad ministerium Euangelicum vt cooperatores adsciti. Hæc inquam tua verba sunt, nobis expendenda. Primùm igitur in istorum discipulorum numero tibi non constas. Vis enim pag. 17. fuisse septuaginta duos, veterem interpretem Latinum sequutus, Luc. 10.1. Sed hoc leuiculum est. Quòd autem audes affirmare istos septuaginta ἀμέσως à Christo missos, ab ipsius ascensione ad Euangelij prædicationem cum illis duodecim Apostolis exercendam, quo tandem verbi diuini testimonio comprobaueris? Nam ne illa quidem duodecim Apostolorum missio, cuius fit mentio Math. 10. Marc. 5. & Luc. 9. fuit illa propriè & peculiariter Apostolica appellata, ad quam tum implendã prorsus inepti fuissent Apostoli, sed fuit duntaxat quoddam eius præludium & rudimentum, vt omnes ac penè singuli, ad audiendum ipsum Christum accurrerent.

HAD. SARAVIA.

QVOD Dominus Beza non pauca magni momenti desiderare sibi videtur, præstare non potui: quæ iudicaui argumento quod tractabam conuenire, proposui. Omnia quæ lectores desideraturi erant, mihi in mentem venire non potuerunt: nec scriptorem vllum esse, aut vnquam fuisse puto, in quo nihil desideretur. Sed vt ad rem veniam, de 70 Discipulis, sic D. Bezæ responsum esto. Quocunque modo rem accipiat, siue 70 Discipulorum vocatio temporaria fuerit, & à Domini morte desierit, siue permanserit, stat quod probatum volui: nempe tunc duos gradus præconum Euangelij fuisse, & 12 Apostolos vt numero, ita dignitate distinctos ab illis 70 fuisse, atque vtrosque ab eodem Domino immediatè vocatos. Post ascensionem verò missos ἀμέσως à Domino fuisse 70 Discipulos quod quærit, quo verbo Dei doceam; vicissim quæro, quo diuini verbi testimonio reiiciatur. Illa quæ subiicitur ratio nimiùm infirma est (vt maximè vera esset) missionem videlicet illam, cuius fit mentio Matthæi 10. Marc. 5. Luc. 9. propriè & peculiariter Apostolicam non fuisse appellatam.

Quicquid

Quicquid de illa prima vocatione sit, quamuis à secunda, quantum ad dona & personarum conditionem attinet, multùm differat, nolim tamen ita loqui, & Apostolatus præludium tantùm ac rudimentum dicere, cùm sacra scriptura cos vbique vocet Apostolos, æquè ante adscensionem Domini, sicuti postea. Strictior aut amplior legatio proprietati legationis nihil detrahit additue. Prima Apostolorum legatio, sicut & aliorum 70 Discipulorum fuit, vt docerent & baptizarent, ac vt miraculis doctrinam suam confirmarent. Addita fuit prohibitio ne ad Gentes aut ad Samaritanos irent: qua significatur aliàs potuisse, & eo nomine diuersam primam missionem à secunda non fuisse. Spiritus sancti charismatũ amplitudo maior aut minor, legationis naturam non mutat, sicut nec personæ, quæ mittitur, excellentia & amplitudo: legantur loci quos allego, & ita esse inuenietur.

D. THEOD. BEZA.

DEnique non alia penè fuit hæc missio, quàm illa Iohannis Baptistæ; eo excepto, quod Apostoli nuntium de Christi παρουσία miraculis additis confirmârunt. Iohannes autem nullum signum fecit, Iohan. 10. 41. Istos autem duodecim postea demũ, Christus noua & prorsus alia vocatione, plantandis in vniuerso mundo Ecclesiis misit, peculiari Spiritus sancti gratia & abundantia, tum ante suum in cœlos ascensum, Ioh. 20. 22. tum præcipuè in die Pentecostes, admirabiliùs additis illius legationis externis signis, donatos: à qua missione Apostolus propterea, tum Apostolatus, tum aliarum Apostolatus ministerio postea adiunctarum sacrarum functionum recensionem meritò est auspicatus, Eph. 4. 10. & 11.

HAD. SARAVIA.

NOn aliam priorem illam missionẽ 12 Apostolorũ & 70. Discipulorũ fuisse, quàm Iohannis, eo excepto, quòd Apostoli nuntium de Christi παρουσία miraculis additis confirmârunt, audio à D. Beza dici, sed non probari. Matthæi 10. cap. Dominus omnibus Prophetis Iohannem Baptistam prætulit, & Iohanni eum qui minimus est in regno cœlorum: quæ comparatio cùm personarum non sit, sed ministeriorum; miror à doctissimo viro D. Beza æquari inter se. Quòd plantandis Ecclesiis missi non fuerint, potestatis non arguit defectum, sed materiæ. Populus Iudaicus Dei populus erat; in Ecclesia contra Ecclesiam quæ adhuc stabat, non erat alia noua ædificanda: tempus abnegationis Christi, & impletionis typorum qui figurabant Christum, erat expectandum.

Si locus cap. 4. Ephes. arguit Apostolos non propriè fuisse illos 12 viros, & tum demum Apostolatum auspicatos, quando receperunt Spiritum sanctum; eadem ratione demonstrauerit nullos fuisse similiter Prophetas, nullos Pastores, nullos deniq; Doctores. Petri verba sunt clara Act. 1. cap. qui de Iuda verba faciens ait, eum adnumeratũ fuisse 12 Apostolis, & sortitum fuisse partem illius ministerii (puta Apostolici) quod Apostolatus ministerium vocat Episcopen. Atqui certum est ante Christi resurrectionem, laqueo sibi ipsi Iudam conscium fuisse mortem: non igitur tum demum Apostolatus initium cepit, à celebri illa missione Spiritus sancti, cuius particeps Iudas nunquã fuit.

D. THEOD. BEZA.

ISTorum autem septuaginta Discipulorũ vbi vllam vel circa vel post ascensum Domini mentionem factam inuenies? Eorum verò missio Luc. 10. cap. 1. cõmemorata fuit ab Apostolatu, propriè sic appellato, & post ascensum Domini instituto, penitus diuersa.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza quærit à me, vbi 70. Discipulorum vllam vel circa vel post ascensionem Domini mentionẽ inueniam. Sed ab eo vicissim, quod amplius est, etiam ego petam, vbinam præterquam 10. cap. Lucæ vlla fiat 70 Discipulorum mentio. Si inde colligere licet, non diutiùs durâsse illorum vocationem, quàm speciatim expresso numero memorantur, certè auerit oportet post primum eorum ad Dominum reditũ. Quod si dicere est absurdum, minimè que consequens; idem aio non consequens esse, desiisse ab officio prædicationis, nec post nec ante ascensum Domini in cœlũ, q illius numeri 70 Discipulorũ non fiat mẽtio. Sufficere debet multò plures quàm erant illi 12 viri sequutos fuisse Dominum, Euangelicam historiam satis apertè significare. Apud Matthæum quando Dominus aiebat Discipulis, fore vt ab vno ex eis proderetur; ne fortè alium quempiam, qui è numero 12 Apostolorum non erat, intelligerent; proditorum

torem suum significauit vnum esse ex iis, qui cum eo accumbebant, & cum eo manum in catino intingebant.

Et Luc. 24. c. 33. indicat cum Apostolis & alios plures fuisse congregatos; è quorũ numero Cleophas fuit, & alter ille Discipulus qui cum eo ibat Emaũtem: & apud Iohannem, Nathanael cum Apostolis inuenitur. In Galilæam verò, & alios quamplures conuenisse cum Apostolis vt Christum viderent, certum est; cùm Apostolus Paulus dicat visum eum à plus quàm quingentis fuisse fratribus: Inter quos 70 illos Discipulos, quos secundo post Apostolos honore Dominus dignatus fuerat, adfuisse, mihi verisimilius est, quàm contraria sententia. Eorum vocationem ab Apostolatu (propriè sic dicto) diuersam fuisse, non nego, & ante, & post Domini ascensionem, & datum Spiritum sanctum.

Sed Apostolatum primùm fuisse institutum post ascensum Domini, non admitto: manifestè enim id falsum est. Sed fieri potest, vt aut typographus, aut ipse D. Beza hic ascensum posuerit pro resurrectione; & ego sic accipio; nempe quando sensum Dominus aperuit Apostolis vt intelligerent scripturas, & potestatem remittendi & retinendi peccata, promissam iam anteà, contulit, & ad omnes Gentes misit: quæ omnia prior Apostolatus non habuit; & secundus Apostolatus videri potest, id est secunda legatio. Bis missos Apostolos non nego: sed quandoquidẽ posterior missio priorẽ non sustulit, sed ampliorem fecit, nec ei quicquam detraxit, sed quod decrat addidit; non duo Apostolatus, sed vnicus mihi videtur à Domino institutus; incrementa rebus addita, res non diuidunt.

THEOD. BEZA.

QVod autem alibi excipis non omnia illa singularia fuisse scriptis tradita, vanissima est exceptio. Quis enim sibi persuadeat, potuisse vel debuisse à sacris illis scriptoribus rem tam necessariam præ ceteris mitti, in solam duodecim illorum Apostolorum missionem intentos. Istam igitur Euangelistarum propriè sic appellatorum speciem, tu videris vnde tandem deprompseris.

HAD. SARAVIA.

QVàm autem sit vana mea exceptio, liberum esto cuiusuis lectoris iudicium. Nihil ego aio prætermissum nobis scitu necessarium à sacris scriptoribus, quod non sit collectu facile ex iis quæ scripta sunt. Lucas luculenter, quod fuerit horum 70 virorũ officium, describit, quæ potestas & quod priuilegium; vt negari non possit secundum, Apostolos ad euangelizandum fuisse destinatos. Quorum si fuit Domini iudicio, tunc quando tantùm inter solos Iudæos Euangelium disseminandum erat, exiguus numerus pro messis amplitudine; quid sentiendum, quando in vniuersum orbem Euangelium omnibus gentibus fuit nuntiandum? Adiuncti scilicet fuerunt 70 viri Apostolis ab ipso Domino ante ipsius mortem, fines Iudææ non egressuris; postea verò missis in vltimas totius orbis oras, nemo.

D. THEOD. BEZA.

DEinde, vt illam tibi largiamur, vnde tandem illam inter istos 70 Euangelistas, & 12 Apostolos potestatis imparitatem deducis? Ex eo, inquis, quòd Christus hos duos ordines numero distinxit, & in duas classes distribuit. Num verò quicquid posterius est institutum, & alteri priori adiunctum, idcircò censendum inferius? In illa verò missione septuaginta discipulorum, quam solus Lucas commemorat, quem randẽ gradum inuenies quo duodecim illis priùs missis subiiciantur? Imò quamuis duodecim illos Christus ea gratia peculiari sit dignatus, quòd illos vnos sibi domesticos asciuerit: vllam tamen indè potestatis inter illos & reliquos discipulos imparitatem, nihilo iustiùs constitueris, quàm si Iohanne reliquis vndecim superiorem indè fuisse contenderes, quòd Christo charissimus præ cæteris fuit discipulus. Apostolatus verò functione fuisse illos posteà propriâ non tantùm ordinis, sed etiam potestatis eminentiâ, cæteris prælatos, absit vt inficiemur: vt meram esse calumniam omnes intelligant, cùm nobis hoc mendacium tribuitur.

HAD. SARAVIA.

IMparitatem inter duodecim Apostolos & septuaginta discipulos mihi largiri, nullam habeo gratiam: eam (quod sciam) antehac negauit nemo. Quando præterea quæritur, vnde istam imparitatem inter istos 70 Euangelistas & duodecim Apostolos deducam: Num quicquid numero distinguitur, idcircò fuerit altero inferius: num quicquid posterius est institutum, & alteri priori adiunctum, idcircò censendum inferius?

ferius? Respondeo, minimè. Nam qui numero distinguuntur, & posteriùs vocantur, æquè superiores, parésue esse possunt, ac inferiores. Matthias post Domini ascensionem Apostolus vocatus est, & postremus omnium Paulus: qui cæteris idcircò nulla in re fuêre inferiores: vtpotè qui cooptati fuerunt in ordinem 12. Apostolorũ: sed numero non fuêre distincti ab aliis 12. De 70 discipulis igitur qui post Apostolos ad prædicandum regnum Dei sunt vocati, sic accipito; me non idcirco quòd posteriùs vocati sunt, colligere Apostolis fuisse inferiores; nisi ex vera ratiocinatione hac, quòd cùm superiores non fuisse certum sit, nec etiam pares, necessariò consequi, fuisse inferiores. Illud alia probatione non eget: hoc indè fit manifestum, quòd additi collegio duodecim Apostolorum non fuerunt, nec ad eundem apostolatum vocati, sed semper manserunt ab illis discreti. Quandò vocantur Apostoli, secundarii intelliguntur: primi enim dicuntur 12, ne forte quis eos commisceat cum 70: sicut in priore ad Cor. 15. cap. legimus, vbi Apostolus de apparitionibus Domini facit mentionem, 5. vers. ait visum Cephæ, deinde 12 illis; & 7. versu posteâ visus est, Iacobo, deindè Apostolis omnibus: significans secundarios Apostolos 70 illos. Qui cùm à Domino immediatè vocati fuerint, & ad Euangelizandum missi, quid impediat quò minùs vocentur propriè Euangelistæ, ego non video.

Piæ memoriæ D. Caluinus, D. Bezæ præceptor, Instit. lib. 4. cap. d. 4. non videtur adeò ab hac sententia abhorruisse, de Euangelistis scribens. *Per Euangelistas* (inquit) *eos intelligo, qui cùm dignitate essent Apostolis minores, officio tamen proximi erant: adeoq; vices eorum gerebant. Quales fuerunt Lucas, Timotheus, Titus, & reliqui similes: ac fortassis etiam 70 discipuli, quos secundo loco ab Apostolis Christus designauit.* Quid autem mouerit tantum virum vt *fortassis* diceret, de 70 discipulis, & absolutè Lucam & Timotheum Euangelistas nominaret, miror, cùm in suis commentariis in 7. versum prior. ad Corin. 15. cap. per omnes Apostolos intelligat non solos 12. sed 70 discipulos etiam, quibus Euangelij prædicandi munus Dominus iniunxerat. Ecquos alios officio absolutè proximos fuisse Apostolis, certiùs & tutiùs dicere possumus? Secundarios fuisse Apostolos omnium doctorum sententia est; & Euangelistæ nihil aliud fuerunt, quàm secundi ordinis quidam Apostoli.

Epiphanius apertè testatur, quòd Dominus post suam resurrectionem adscensurus in cœlum, 12. Apostolis adiunxit 72 discipulos, quando in vniuersum terrarum orbem eos misit prædicatum Euangelium, cuius verba hæc sunt: καὶ ἔνθεον ἀπὸ τελέσας ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς πέμψας κήρυκας εἰς ὅλην τὴν οἰκουμένην σίμωνα πέτρον καὶ ἀνδρέαν ἀδελφὸν αὐτοῦ &c. & subdit ἀπέστειλε δὲ καὶ ἄλλους ἑβδομήκοντα δύο κηρύττειν· ἐξ ὧν ἦσαν οἱ ἐπὶ τῶν χηρῶν τετάγμενοι, sedit ad dextrã Patris, missis in vniuersum terrarum orbem Simone Petro, & Andrea fratre ipsius, &c. emisit & alios septuaginta duos ad prædicandum, ex quorum numero erant septem illi qui viduis fuêre præfecti.

Subiectos autem fuisse Apostolis, ego nusquam aio (quod sciam) sed vno gradu inferiores. Nam quotquot proximè à Deo vocantur, nullius hominis ea in re subiicio arbitrio: quippe qui directorem habeant in suo munere, eum quem habent authorem. In veteri populo Deus propheras excitauit, sed eos summo pontifici in demandato ipsis munere non subiecit. Hoc tamen eos non æquabat honore aut potestate regibus vel sacerdotibus. Idem dico de 70 discipulis, quamuis honore & potestate, & Spiritus sancti donis fuerint Apostolis inferiores, sub eorum imperio, quod prædicandi officium attinet, non fuisse. Quod me satis perspicuè significâsse arbitror, quando scripsi vtrosque fuisse primos, sub Domini directione, dum in terris vixit, Euangelij præcones: indè hoc tantùm colligens, inæqualitatem gradus & ordinis, statim ab initio prædicationis Euangelicæ fuisse inter Euangelij ministros ab ipso Domino constitutam: quæ posteà permansura erat post ipsius resurrectionem, in probo Ecclesiæ regimine.

Iohannis cum aliis Apostolis comparatio, & istorum 70 discipulorum non est apta: quandoquidem in 12. Apostolorum numero locoue, Seruator 70 discipulos nunquam habuit, sicut habuit Iohannem, & Iacobum, & Petrum.

Cæterùm quod clarissimus vir D. Beza, se non inficiari ait, Apostolos posteà functione propria, fuisse non tantùm ordinis, sed etiam potestatis eminentiâ, cæteris prælatos, & calumniam esse atque mendaciũ, quando id ei tribuitur, nescio quid sibi velit,

nec

nec in quem hoc scribat. Nusquam id ego ei me tribuisse memini; aut ab eo aut ab alio quopiam probato scriptore ordinis & potestatis eminentiâ, cæteris omnibus Apostolos fuisse prælatos, negari. Sed indè, tanquam confesso, atque posito extra controuersiam, argumentatus sum, nec vetitam verbis Seruatoris nostri, nec sublatam in Ecclesiæ potestatis eminentiâ inter Euangelij ministros, & Ecclesiarum Pastores, quando Dominus Apostolis dixit, Reges gentiũ dominantur eis, & qui potestatem exercent inter eas, benefici vocantur, vos autem non sic, &c.

D. THEOD. BEZA.

DEniq; quod ad septuaginta illos seniores Mosi adiunctos attinet, quos tu vis fuisse illorum 70 typũ duodecim Apostolis additorum, inuenio istud duabus vicibus factum: primum videlicet ex Ietronis monitu, Exod. 18. 21. & quidem non ab ipso Domino diuinitùs, sed ab ipsis Israelitis selectos, teste Mose illam historiam repetente. Deut. 1. 13. secundò verò, non quidem rursùs electos, vt apparet ex Domini verbis, Num. 11. 16. sed nouo prophetiæ dono donatos, idq; ad tempus, ibidem vers. 25. Vide autem, quæso, quàm caducum fundamentum isti sententiæ tuæ substruas, cùm tantum sit inter istos typicos, vt tu quidem arbitraris, & istos imaginarios tuos septuaginta discipulos discrimen. Nàm illi neq; ad sacram functionem, Aaroni viz. & Leuitis attributam, sed ad ciuiles audiendas controuersias decidendas, & politicum populi regimen fuerunt instituti: neq; extra ordinem, sed populari electione missi, & postea prophetiæ quidem dono, sed non nisi ad tempus, instructi: istos verò tuos Euangelistas septuaginta tu vis ad sacras functiones ἀμέσως ab ipso Domino, & quidem minimè ad aliquod tempus, fuisse vocatos.

HAD. SARAVIA.

QVandò dixi Dominum, tam in electione 12 Apostolorum quàm 70 discipulorũ, respexisse ad veteris Mosaicæ politeiæ statum, quæ suos Patriarchas, & 12 principes tribuum habuit, similiter 70 seniores, qui primò Mosi adiutores dati sunt, vt eum parte laboris in gubernatione populi leuarent, nihil noui commentus sum, quod ante me clarissimi doctissimique scriptores non scripserunt. Vnus Caluinus erit nobis loco multorum, qui in sua trium Euangelistarum harmonia ita habet. *Quant au nombre de 70 il semble auoir suiui, l'ordre auquelle peuple estoit accoustumè de toute ancienneté. Il faut auoir memoire de ce que nous auons dit touchant les douze Apostres, quantant quily auoit eu delignees, ce pendant que l'estat du peuple auoit fleuri: autant d'apostres ont esté creez, qui fussent comme Patriarches, pour assembler les membres du corps deschiré, à fin que de la vint vn restablissement entier de l'esglisse. Il y a eu quasi semblable raison en ces septante. Nous scauons que Moyse ne pouuant fournir a la charge print septante inges auec soy, pour gouuerner le peuple.* Quod 70 *numerum attinet, ordinem Dominus sequutus est, cui iam olim populus adsuenerat. Et meminisse nos oportet eius quod diximus de duodecim Apostolis: nempè quot fuerant tribus, dum floruit illius populi status, tot creatos fuisse Apostolos, qui essent veluti Patriarchæ, qui discerpta illius corporis membra colligerent, vnde integra Ecclesia restitutio emanaret. Eadem ferè ratio fuit horum septuaginta. Scimus enim cùm Moses tanto nõ sufficeret oneri, adiunctos ei 70 iudices qui cum eo populum regerent.* Hæc Dominus Caluinus; ex quo quæ scripsi de 70. penè ad verbum desumpta videntur.

Vt initia (inquam) noui & veteris populi congruerent, primùm duodecim Apostoli sunt electi, futuri Patriarchæ & primi authores noui populi, quem ex gentibus colligere Deus constituerat. Deindè cùm maior esset messis quàm operarij, quemadmodum 70 seniores Dominus in veteri Testamento Mosi adiunxerat, qui ei essent auxilio in populi Dei regimine; sic seruatorem nostrum pari ratione alios 70 discipulos addidisse 12 Apostolis: quos quando numero distinxit, & in duas classes distribuit, honore & potestate impares esse demonstrauit.

Quo modo autem hanc meam sententiam D. Beza refellat, ego non adsequor. Fateor quidem post Domini ascensionem Apostolos fuisse, ordinis & potestatis eminentiâ, cæteris Ecclesiæ pastoribus prælatos: quid autem causæ sit, cur non æquè ante adscensionem Apostoli fuerint 70 discipulis superiores, rationem nullam adfert. Si post Domini adscensionem in cœlos Apostolorum ordo & potestas eminentior fuit cæterorum omnium ministrorum Euangelij; quid absurdi consequitur, si quis dicat & ante Domini adscensionem Apostolos 70 discipulis fuisse superiores? Nam quod ait 70 illos seniores Mosi additos pro typo 70 discipulorum me accipere, parùm refert arbitror, ita sit, necne: sufficit quòd certum est, ad numerum illum Dominum respexisse videri:

videri: Mihi verò nunquam in mentem venit illos 70 iudices veteris populi typum facere 70 diſcipulorum; & parùm ad rem facere exiſtimo, comparari inter ſe an typici aut ſimiles habeantur.

Quòd autem D. Beza ait, *duabus vicibus 70 ſeniores Moſi additos*, ego non inuenio. Primùm videlicet *ex Ietronis monitu Exod. 18. cap. 21. & quidem non ab ipſo Domino diuinitùs, &c.* de 70 ibi nulla fit mentio. Conſulat lector locum; & hoc tantùm inueniet, Moſen ex omni Iſraele delegiſſe viros fortes, & conſtituiſſe eos capita ſuper populum, principes ſuper mille, centuriones, quinquagenarios, ac decanos, qui iudicabant populum; de illis 70 iudicibus ibi nulla fit mentio. Deut. 1. cap. 13. verſ. Moſes rem geſtam ita refert, acſi populus eos elegerit, quos conſtituit principes. Sed electio illa accidit, quòd Moſes ſingulos nôſſe non potuit, qui eſſent idonei qui præficerentur gubernationi. Idcirco ſibi exhiberi voluit viros, ex quibus ipſe principes & præfectos eligeret; ſibi reſeruans, ſummi quod eſt proprium imperij, eos conſtituere quos iudicaret idoneos, quibus iudicandi regendiq; partes committeret. Philo Iudæus de creatione principis ita ſcribit. *Eſt autem id quoque ſummæ poteſtatis officium, eligere aliquot adminiſtrationis, reddendiq; iuris ſocios: vnus enim non ſufficit, quantumuis alacris fortiſque corpore ſimul & animo, in tanta mole negotiorum ac multitudine.* Hanc autem poteſtatem Moſi datam fuiſſe probat locus Numb. 11. capit. 16. vbi Dominus Moſi mandat vt *congreget ſibi 70 viros è ſenioribus Iſrael, quos nôrat eſſe ſeniores populi & principes eius.* Et additur, *adducéſque eos ad oſtium Tabernaculi Eccleſiæ, & ſtent ibi tecum, tunc deſcendam & loquar tecum ibi; & ſeparabo de Spiritu qui in te eſt, et ponam in eis, & ſuſtinebunt tecum onus populi, & non ſuſtinebis tu ſolus.* Ex quibus verbis manifeſtè apparet, hos 70. tunc primùm fuiſſe electos, vt nouum collegium iudicum conſtituerent; quod anteâ non fuerat.

Principes quidem & ſeniores populi erant anteà plures, qui ſingulas chiliadas & centurias regebant: ſed vniuerſum populũ qui cum Moſe gubernaret nemo creatus fuerat. Quod ex ipſius verbis ad Dominũ apparet, quando ait: *non potero ego ſolus ferre omnẽ populũ iſtum, cùm grauior me ſit.* & 24. Exodi, vbi ſeniorum fit mentio, quos Moſes his verbis adloquitur: *Expectate nos hic, quouſq; reuertamur ad vos; Ecce Aaron & Hur ſunt vobiſcum, qui habuerit cauſas accedat ad eos.* Si tunc iudices 70 illi fuiſſent conſtituti, ſicut legitur Num. 11. cap. ad Aaronem & Hur eos qui cauſas habuiſſent, non remiſiſſet.

Quòd autem ex principibus populi, 70 creati ſunt iudices, Domini iuſſio fuit: quòd verò hi potiùs, quàm alij, Moſis electio. Acciuit igitur Moſes, qui vnus vniuerſi populi regimen ſuſtinebat, conſiliarios, quibus Deus ad eam prouinciam dignè obeundam, ſpiritum qui in Moſe reſidebat, impertitus eſt.

Non mihi probatur verſio illa, quæ vertit לא יספו *et non addiderunt*, à verbo יסף: & quamuis Rabbi Kimhi ita exponat, quòd ſcilicet tantùm prima die prophetârint; melius illi, qui à verbo & à radice נבא deductam hanc vocem volunt; & deſinere & ceſſare ſignificat, vertuntque *& non ceſſauerunt*: ſupple *prophetare*: Onkelos interpretatus eſt ולא פסקו *& non ceſſauerunt*: huius ſententiæ ſunt N. Lyranus, Munſterus, & Vatablus, & vulgaris tranſlatio. Spiritum ſanctum ad tempus fuiſſe ipſis conceſſum nulla veriſimili ratione dicitur.

Quandò primùm in eos Spiritus ſanctus illapſus eſt, prophetârunt; vt extraordinario miraculo toti populo palàm fieret, diuina illorum 70. virorum electio. Hoc quidem temporarium fuit, & vnius diei. Sed cùm eis Moſis ſpiritus communicatus dicatur, vt Moſi in gubernatione ferrent opem, ad illum diem reſtringi non debet Prophetiæ donum, ſicut nec officium ad quod deſtinabantur. Quòd cùm vnius diei non fuerit, ſed totius temporis, quo in illo munere perſtiterunt, ad quod eos Deus vocauerat; ita ſimiliter prophetiæ donum permanſit in eis, quamdiu iudicis officio functi ſunt. Perinde enim hoc eſſet, ac ſi donum Sp. ſancti datum in die Pentecoſtes Apoſtolis, illo die quis terminaret. Quod in veteri illo populo factum fuerat, idem Dominus in nouo Teſtamento repetiit: nec diſpar fuit cauſa: & quemadmodùm Moſe 70 illi iudices fuerunt inferiores; ita 70 diſcipulos, quos Dominus Apoſtolis addidit, aio non fuiſſe eis pares.

Quam

Quàm autem caducum hoc fundamentum meæ ſententiæ ſubſtruxerim, cùm tantum ſit inter iſtos, quos me Dominus Beza putat vocâſſe typicos, & iſtos ſeptuaginta imaginarios diſcipulos, diſcrimen, iudicet æquus lector: modò nôrit me nec hanc comparationem facere meæ ſententiæ fundamentum, nec Moſaicos ſeptuaginta viros vſquam dicere typicos, nec fugiſſe me quod inter hos & illos ſit diſcrimen, vt ſemper eſſe ſolet inter res quæ comparantur. Niſi enim inter res quæ comparantur diſcrimen ſit, non ſimiles ſed eædem erunt. Quòd ſi omnis comparatio vitioſa futura eſt, niſi ad amuſſim res quæ comparantur conueniant, nullas inter ſe res diuerſas comparare licebit.

Sed quorſum hæc diſputat D. Beza contra me, qui ex duobus ordinibus prædicatorum Euangelij, quorum alter duodecim viros, alter ſeptuaginta continebat, argumentum duco; non ex comparatione horum cum priſcis illis aut duodecim Patriarchis, aut ſeptuaginta iudicibus?

Quod D. Beza cenſet ſeptuaginta illos viros non ad ſacram functionem, ſed ad ciuiles cauſas audiendas, & politicum regimen, fuiſſe inſtitutos, idque non extra ordinẽ, ſed populari electione, fateor me non ſatis adſequi: nec videre me, etiam ſi rem ita concedam habere, quomodò id aduerſetur adſertioni meæ, qui ex inſtitutione duodecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum demonſtrare tantùm volui, ſtatim in ipſis Euangelicæ prædicationis primordiis, duos diuerſos & inæqualis dignitatis, Euangelij miniſtros fuiſſe ordinatos: ad quam rem nihil adfert momenti, quòd in veteri populo & duodecim tribuum fuerint duodecim principes, & præterea 70 iudices. Cogitemus nullos fuiſſe; manet meæ ratiocinationis robur.

Sed nec hoc diſſimulare poſſum, me non capere quod ait, ſeptuaginta viros non ad ſacram functionem fuiſſe vocatos, quia mactandis victimis & thymiamatis ſuffitui faciendo non deſtinabantur: quandoquidem Sacerdotalis functionis non infima pars fuerit, ſub rege vel iudice, de appellationibus omnium cauſarum cognoſcere, & de lege conſulentibus reſpondere. Et cùm ſeniorum, quibus hodie nonnullæ reformatæ Eccleſiæ vtuntur, originem & antiquitatem, ab iſtis ſenioribus, & aliis, qui Leuitis & Sacerdotibus adiuncti ſeguntur, D. Beza deducat; miror eum dicere ad ſacram functionem non fuiſſe inſtitutos: niſi fortè ſentiat (quod non puto) Leuitarum & Sacerdotum functionem, pro ea parte, qua præerant corrigendis moribus, non fuiſſe ſacram & Eccleſiaſticam, ſed ciuilem & prophanam. Non rectè meo iudicio politicum regimen, & auditio cauſarum ciuilium, ſacræ functioni opponitur, tanquàm populum Dei iudicare, prophana res fuerit.

Poſt Moſen non deſiiſſe arbitror illud ſeptuaginta virorum concilium, in quo præfuiſſe ſummum Sacerdotem notum eſt. Veteris populi ciuilis gubernatio cum Eccleſiaſticâ permixta fuit, aut potiùs coniũcta: & iuris ciuilis cognitio, pars Theologiæ tunc fuit. Hæc Dominus magno & prudenti conſilio in Eccleſia noui Teſtamenti ſeiunxit: ne prætextu Eccleſiaſticæ poteſtatis, Apoſtoli aliique Eccleſiarum Paſtores, totius vniuerſi orbis gentium, ad quas mittebantur, politeias turbarent.

Quàm autem conſentiant cum ſacra hiſtoria hæc duo, quòd 70 illi viri non extra ordinem, ſed populari electione creati fuerunt, & prophetiæ dono non niſi ad tempus inſtructi, iudicent æqui lectores.

D. THEOD. BEZA.

POſtremò, velim in hac diſputatione huius meminiſſe, quod in hoc extremo capite rectiſſimè ſcribis, tandem videlicet creſcente credentium ſupra modum numero, ordinatos fuiſſe ſingulis eccleſiis Paſtores, qui citra diſcrimen, Epiſcopi & Presbyteri, vocati ſunt, quod tu poſteà cap. viz. 23. in Hieronymo ſumma contentione refutare ſtuduiſti.

HAD. SARAVIA.

AD Hieronymi ſententiam ſuo loco reſpondebo: intereà temporis admonitum lectorem cupio, prima Eccleſiarum tempora non eodem ſemper modo accipienda. Primis Eccleſiarum exordiis proximè quæ ſequuta ſunt tempora, in primis temporibus numerantur: In quibus exordiis ſub Apoſtolis Eccleſiæ non adeò frequentes, nihil opus habuêre aliis Epiſcopis ab ipſis Apoſtolis eorũque cooperatoribus, quàdiu

ipsi illis inuigilare potuerunt. Quod vbi præstare diutiùs non potuerunt, qui in eadem regiminis authoritate succederent, creati sunt Episcopi. Quod vsque ad hæc nostra tempora, per vniuersi orbis omnes Christi Ecclesias obseruatum cùm sit, retinendum censeo, tanquàm ab Apostolis diuinitùs traditum ordinem: quo melior nullus ab hominibus excogitari potest. Prætereâ, aliud est, primos Ecclesiarum Pastores citra discrimen fuisse Presbyteros & Episcopos vocatos; aliud, omnes fuisse paris authoritatis: commune nomen non arguit communem, parémue authoritatem.

HAD. SA-

HAD. SARAVIA.

DE ORDINARIA ET EXtraordinaria vocatione ad Ecclesiæ *Ministerium*.

CAPVT II.

AD sacrum Ecclesiæ Christi ministerium, nemo non legitimè vocatus se debet ingerere: solius enim Dei est sibi deligere ministros, & quos velit eligi, dare leges hominibus. Vnde duo legitimæ vocationis sunt genera. Alterum, quando quis ab ipsomet Deo vocatur: alterum, quando secundum præscriptas à Deo leges, ab hominibus Ecclesiæ minister constituitur. Hoc ordinarium dicimus, illud extraordinarium. Quod etiam duobus modis & diuersis temporibus accidit: nempè aut proximè à Deo, nullo internuntio, aut etiam per Prophetam: idque aut nullo adhuc ordine constituto, aut postquàm iam ordo constitutus est.

Prioris exemplum habemus in Mose & Aarone; vterque à Deo extra ordinem vocatus est. Moses à Deo proximè sine internuntio, & Aaron per fratrem Mosen, qui ad sacerdotium, iussus à Deo, Aaronem cum filiis euexit; & totam tribum Leuiticam ad Tabernaculi ministerium, nulla adhuc scripta lege: vt ab ipsis Sacerdotij ordo, & totum ministerium Leuiticum exordium caperet. Posterioris exemplum habemus in Samuele; quem Deus vocauit post ordinationem Sacerdotij receptam, & confirmatam in populo Dei.

Eodem modo Elias Thesbites, & plerique omnes veteris Testamenti Prophetæ fuerunt à Deo excitati. Eliseus verò & alij extra ordinem ita vocati sunt; vt Deus Propheta internuntio ad eam rem sit vsus. In nouo autem Testamento Dominus duodecim viros elegit; quibus postea addidit ad Euangelij ministerium alios septuaginta discipulos, nullo adhuc Euangelij ministerio constituto: Paulum verò & Matthiam, post institutionem ministerij, collegio duodecim virorum addidit.

Huius extraordinariæ vocationis virtus hæc est, vt quemadmodùm solum Deum habet authorem, eundem quoque habeat certum directorem. Eam enim extraordinaria quædam diuina dona semper comitantur: vt nihilopus habeant qui extra ordinem sic à Deo vocati sunt, ab homine doceri, & informari in iis quæ ad executionem sui muneris pertinent, sicut apparet in Mose & Prophetis, ac etiam in Apostolis ac Euangelistis.

Vocatio ordinaria ea est, quæ secundùm leges, quas Deus dedit, fit per homines: cuiusmodi fuit sacerdotium Aaronicæ familiæ, & Leuitarum ministerium, in veteri testamento; & hodie est Episcoporum & Presbyterorum. Qui tum ab ipsis Apostolis fundatis Ecclesiis assumpti fuerunt cooperatores, & iam constitutis dati rectores; tum ab eorum successoribus, qui per continuã seriem temporum, quamdiu Ecclesia manet, ei præfuerunt.

Homines extra ordinem, iniussu Dei, vocandi quenquam non habent authoritatem. Errant, qui Titum, & Timothenm, & Iohannẽ Marcum, & alios Apostolorum

lorum cooperatores extraordinariam habuisse vocationem putant: cùm non alio modo vocati fuerint, quàm alij Presbiteri & Episcopi, quos singulis Ecclesiis præfecerunt Apostoli. Si quid in quopiam eorum peculiare fuit, ad extraordinariam vocationem trahi non debet: habuerunt enim Apostolos & Euangelistas magistros & directores, in sibi concredito munere. Quamuis enim viri fuerint rarij spiritus sancti donis ornati, multùm tamen aberant ab illa fidei soliditate, quæ fuit in Apostolis & Euangelistis. Apostolus Apostolo nulla vnquam præcepta tradidit; sicut Paulus fecit Timotheo & Tito, qui ita Apostolicũ munus obierũt, vt non propria, sed Apostolorum præcepta sequerentur: vtpotè qui simul discipuli fuerint & magistri. Et quemadmodùm salutari doctrina Ecclesias, & Ecclesiarum pastores informabant; ita ipsi informabantur ab Apostolis. Apostoli & Euangelistæ proximè à Deo, & Domino nostro Iesu Christo, ipsiúsque spiritu edocti, vt Paulus, dicere potuerint; Quæ accepi à Domino, ea tradidi vobis. Timotheus verò nobiscum; Ea quæ accepimus ab Apostolis, tradimus. Quamuis autem vtrique à Domino accipiamus quod Ecclesiæ tradimus; accipiendi ratio longè est diuersa. Illi cum Domino vixerant, & ea quæ audierant, & viderant, manúsque eorũ contrectârant de verbo vitæ, spiritu sancto directore, tradebant Ecclesiis: Titus & Timotheus, ac omnes qui postea secuti sunt, nobiscum ea docuerunt & docent, quæ per manus illorum nobis tradita sunt. Præter Titum & Timotheum, Paulus collegas & cooperatores habuit Silam & Barnabam, sed non discipulos: quippe quorum vocatio à Deo fuerit extra ordinem. Proinde eis nulla præcepta dedit regendæ Ecclesiæ, eorum quæ ad ipsorũ munus pertinebant, quemadmodum fecit Tito & Timotheo. Vnde cuiuis cogitandum relinquo quantum discrimen fuerit inter horum & illorum vocationem.

De vocatione eorum, quibus Deo vti placuit ad Ecclesias reformandas, multi quæstionem mouent: ex qua qui nequeunt se explicare, ad extraordinariam confugiunt vocationem. Sed nisi ego vehementer fallor, nulla necessitate id faciunt. Nam corruptam & falsam de filio Dei, & præcipuis fidei nostræ capitibus, doctrinam impugnare & veram asserere, quinus Christianus in sacris literis versatus potest, & debet. Deinde, quotquot Deus excitauit, ordinariam vocationem habuerunt, paucis quibusdam exceptis. Aduersarij nihil habent quod Anglicanæ Ecclesiæ obiiciant, aut exprobrent. Nam illa potest ordinariam vocationem defendere; sicut etiam multæ aliæ per Germaniam Ecclesiæ. Vbi impietas vniuersaliter Ecclesiam occupauit, non est extraordinaria vocatione opus ad illam profligandam; ab illis, qui ordinariam authoritatem habent in Reb. Christianæ Ecclesiæ reformari possunt. In regno Iuda plures reformationes legimus, ad quas neque extra ordinem ciuilis magistratus creatus est, nec nouum Sacerdotium: ipsi Sacerdotes, qui fuerant antea multa idololatria contaminati, se simul, & templum, & populum, omni idololatria & impietate repurgârunt. Hodie si Episcopi Ecclesiarum Gallicanarum, se & suas Ecclesias à tyrannide Episcopi Romani vendicare vellent, & eas ab omni idololatria & superstitione repurgare, non habent opus alia vocatione ab ea quam habent. Idem dico de omnibus Ecclesiis (vbicunque terrarum illæ sint) quas temporum iniquitate, astus Sathanæ variis erroribus implicuit. Si nostros homines aduocent, eorúmque vti velint consilio, possunt; quod si nolint, nullam in eos eorúmque Ecclesias authoritatem sibi arrogare debent: sed gaudere & illis congratulari conuersionem, ac offerre societatem.

D. Theod.

D. THEOD. BEZA.

IN hoc secundo capite firmissimum quidem fundamentum ponis, solius esse Dei, sibi ministros deligere, quod duobus ἀντιδιαμέτροις modis faciat, vno extraordinario, altero ordinario. Sed extraordinarium, neque à forma exteriore, neque ex sui natura satis explicatè mihi videris definire. Ordinariam igitur vocationem eam appello, cuius quidem auctor Deus est, sed quæ fiat eorum suffragiis, quibus Deus in Ecclesia sua hoc ius tribuit, secundùm leges ab ipso præscriptas. Extraordinaria autem ea est, cuius Deus ipse author est, siue proximè, & ipsius Dei voce, vt vocatus est Abraham, Moses, Samuel, alij denique plurimi, sub veteri Testamento: & sicut Christus ipsemet, tum suos illos duodecim Apostolos, ad Patrem reuertens, & Paulum ex ipsis cœlis electum vocauit: siue adhibitis aliis, non à quibus illi vocarentur, sed quibus vt internuntiis vsus est, vt Dei vocationem & mandatum denuntiarent. Sic Aaron & tribus Leui per Mosis interuentum, & Elizæus misso ad ipsum Elia: sic autem nullum à Christo vocatum lego, nec inter nec post adscensionem, quod ad ipsam ministerij functionem attinet, sed duntaxat certi alicuius operis respectu. Sic per Angelum internuntium vocatus est Philippus ad Eunuchum baptizandum, Act. 8. 26. & Ananias ad Paulum, Apostolum diuinitùs designatum, baptizandum & consolandum missus. Act. 9. 11. & tum Barnabas tum Paulus, ex Prophetarum denuntiatione, non ad Apostolatum, sed ad primam illam ex Antiochia profectionem. Act. 13. 2. Sed aliam prætereà speciem huius extraordinariæ vocationis absque prætermissam, quæ tamen maximi est momenti, in scripturis inuenio, post constitutam etiam Hierosolymitanam Ecclesiam. Hi sunt enim quos Christus non sua voce, non per visionem, de qua nobis constet, non per internuntium vllum, siue Angelum, siue hominē, sed suo afflatu intrinseco hùc & illùc misit. Talis procul dubiò fuit illa Philippi, anteà Diaconi, & post Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersionem, Euangelistæ, hoc afflatu facti, profectio in vrbem Samariæ, ignaris prorsùs Apostolis, nedum vt illum eò miserint Act. 8. 4. & 5. & 14. Tales fuerunt & illi ex eadem dispersione, qui primi in Phœnicia & Cypro Euangelizârunt, atque adeò celeberrimā illam Antiochenam Ecclesiam, inscijs etiam Apostolis, fœlicissimè sunt auspicati, Act. 11. 19. & 20. & 22.

HAD. SARAVIA.

IN distributione, quam feci vocationum ad ministeriū Ecclesiæ Dei, non videor Bezæ extraordinariam vocationem, neque à forma exteriore, neque ex sui natura, satis explicatè definire. Fieri quidem potest, vt crassiore modo rem percurrerim, quàm vt omnibus satisfactum sit, præsertim politioribus & acutioribus: sed modò vera sint quæ tradidi, & ad quæstionem propositā appositè dicta, mihi satis est. Quod deest, aut supplet ea quæ nunc extat, aut adiiciet quæ futura est, doctorum virorum exactior in hoc argumento diligentia. Exempla plura & diuersa vocationis extraordinariæ, loco definitionis attuli; quòd ea vnius formæ non sit, nec ab ea rectè queat definiri. Naturam ipsius etiam exempla docent: quod autem ei proprium est declaraui: plura non sum ausus addere, ne temeritati, & fanaticorum hominum amentiæ, causam temerè turbandi Ecclesias & respublicas præberem.

Duas extraordinariæ vocationis species D. Beza commemorat: quarum alteram à meo instituto alienam iudico, alteram equidem non agnosco. Prima est, quam dicit esse certi alicuius operis respectu; quæ si ad priorem pertineat vocationem, illam ad eam reuoco, nec ab ea separo. Omnis enim Propheta, qui extra ordinem à Deo vocatus est, ab eodem similiter in plerisque extra ordinem dirigitur. Quos enim à Deo extra ordinem vocatos legimus, eosdem similiter ad ea ipsa direxit, quorum causâ vocauerat. Absurdum meo iudicio est, tot in Prophetis & Apostolis, extraordinarias vocationes numerare, quot à Deo acceperunt particularia mandata. Exempli gratiâ, Moses proximè à Deo vocatus est, & Samuel, sic Petrus, sic Paulus.

Nemo vnquam, quod sciam, toties vocatum à Deo ad ministeriū dixit, quoties missus fuit, vt particulare aliquod mandatum exequeretur. Idem dico de Samuele, qui pluries ad Saulem, semel ad Dauidem missus legitur. Petrus ad Cornelium mittitur, sed non alia vocatione ab ea, quam priùs habuit, quando vocatus anteà ad Apostolatum fuit, vt testis Domini nostri vniuerso orbi esset. Paulus Gentium Apostolus semel factus, per reuelationem, aut ipsi aut aliis Prophetis factam, quò Deo placuit profectus est. Sed particulares omnes istæ missiones, in prima includebantur, atque ab ea pendebant; vt nouæ & aliæ non debeant dici, haberiue: fuêre enim directionis diuinæ ad opus, ad quod Deus suos seruos iam antè vocauerat: quò ipsi potuissent vltrò accedere, si res ita tulisset.

Cum quis generale mandatum habet, particularia in eo contenta ipsius sunt arbitrij, nisi Deus demonstret, quid priùs & potissimùm fieri velit. Ad Cornelium Petrus ire

potuisset, & eum docere fidei mysteria, si cognouisset hominē ad suscipiendum Euangelium paratum. Philippus ignorabat Eunuchum legentem Esaiam Prophetam, & indè occasionem adnuntiandi Christum dari. Ananias verò Euangelij minister docere & baptizare Paulum poterat, fretus vocatione sua, si causa se obtulisset, sicut alium quemuis. Quòd autem diuinitùs fuit admonitus, vt fidem plenius Paulum doceret, & baptizaret, sicut quòd Barnabas & Paulus iussu Spiritus sancti relictâ Antiochiâ, sunt profecti ad varias gentes: item quòd Spiritus Domini non eos permisit ire Bithyniam vt constituerat, sed visione admoniti deflexerunt iter in Macedoniam: hæc inquam & quicquid est huius generis, ad nouam & extraordinariam ad ministerium Ecclesiæ vocationem referri non debent: sed ad extraordinarias prouidentiæ diuinæ in ministerio directiones. Mea diuisio fuit vocationum ad Ecclesiæ ministerium; non ad certum aliquod opus: quocircà nihil mihi necesse fuit hanc speciē vocationis, vtpotè alienam à re, quam in suas partes distribuebam, inferre.

Sed speciem illam extraordinariæ vocationis ad Ecclesiæ ministerium, quam clarissimus vir Dominus Beza miratur à me prætermissam, & maximi momenti iudicat, nempe afflatus intrinseci, cùm nullo testimonio scripturarum, nec exemplo certo doceatur, non admitto. Est enim periculi plena, & noui maliq́ue exempli: quam sibi temerarius atque audacissimus quisque nebulo arrogare potest. Theologi vocationem ad Ecclesiæ ministerium diuidere solent, in externam & internam. Afflatum autem Spiritus sancti intrinsecum, ad vocationem refero internam; sine qua, quemadmodum nemo potest (quantumuis ab hominibus ritè vocatus, nihilq́ue desit ad legitimam externam vocationem) Ecclesiæ suscipere ministerium; ita ea sola fretus, nemo se ministerio Ecclesiastico ingerere debet. Vtrobique altera pars falli potest, tam qui eligit, quā qui eligitur. Sicuti falli possunt in sua electione ij, penès quos potestas est pastorem idoneum Ecclesiæ præficere, si eum vocent, qui se ad tantam functionē non iudicat à Deo esse vocatum, quem nemo potest vt suscipiat ministerium vi compellere; ita pius hominis animus, nisi accesserit externa vocatio Dei vel hominum, falli potest.

Generalis motio Spiritus sancti, qua ad quoduis pium opus pij incitantur, non admit in re particulari & definita, errorem. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: sed non quisquis huius generis bonum opus piè desiderat, est censendus à Deo ad illud vocari. Dauid piè templum Dei ædificare in animo habebat; qui internus animi affectus, non nisi à Deo potuit proficisci, qui tamen ab eo sibi templum ædificari nolebat. Poterit similiter quispiam piè desiderare functionem Ecclesiasticam, ad quam tamen Deus eum non destinauerit.

Externa vocatione confirmatur, aut etiam excitatur (quando nulla præcessit interna) pius animus ad suscipiendum munus Ecclesiasticum, siue proximè à Deo, siue per homines ad illud vocetur.

Ea verò quæ proximè à Deo est vocatio, quia nunquàm sine aliquo externo & visibili signo aut visione facta legitur, externæ vocationis speciem habet: nec cum interno numinis afflatu, aut inspiratione misceri debet: non, nisi fortè aliud quippiam, quàm ipse intelligere queo, D. Beza intrinseco afflatu significare velit. Numinis afflatu & reuelatione Petrus Apostolus credidit, & confessus est Dominum esse Christum, & filiū Dei viui: sic etiam quotquot in filium Dei credunt, & eandem profitentur fidem. Sed afflatu longè diuerso, in die Pentecostes ad Iudæos concionatus est: hunc præcessit signum externum & visibile, illum verò minimè.

Ad omne opus bonum, authorem præcedere Spiritū Christi credimus: qui primùm mentes piorum suo afflatu & inspiratione mouet, & excitat, ad perficienda quæcunque sunt Deo grata opera: sed hæ internæ motiones, in rebus, quæ nec omnibus sunt præceptæ, nec cuiusuis arbitrij Deus esse voluit, non sunt sequendæ, nisi per media, quæ Deus ordinauit, tam in ciuili quàm in Ecclesiastico regimine. Aliâs, audacissimis quibusque & maximè temerariis hominibus, omnia expositum iri necesse erit. Itaque mihi ignoscet D. Beza, si huius generis intrinseco afflatu Philippum factum esse Euangelistam, aut alium quempiam pium Euangelizandi munus in se suscipere fuisse ausum, ei non assentiar.

Mihi magis placet patrum sententia, tutiórque videtur, qui missum fuisse Philippum

ab

ab Apostolis docuerunt. Cypr. Epist. ad Iubajanum scribit: *Illi enim qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, & intùs in Ecclesia, quæ vna est, & cui soli gratiam baptismi dare, & peccata soluere permissum est, à Philippo diacono, quem ridem Apostoli miserant, baptizati erant.*

Huic enim vocationi si locus detur, aut datus vnquàm concedatur, multò citiùs eò sequetur, quod clarissimus vir dominus Beza, ex mea sententia non rectè intellecta, euenturum metuit; nempe futurum, vt nihil obstet, quò minùs quiuis, vbiuis, qui se sapientè existimabit, & afflatũ numine, corruptæ seu verè seu falsò doctrinæ impugnandæ prætextu, vel suggestum conscendat, vel clandestinos cœtus habeat, vt facitare solent Anabaptistæ, & Libertini.

D. THEOD. BEZA.

NEque dubium est, quin alios eiusmodi quamplurimos eodem afflatu, non modò in illis primis Ecclesiæ incunabulis, sed sequutis etiam seculis, Dominus passim excitârit, vt ex Ecclesiastica historia repetere licet.

HAD. SARAVIA.

QVotquot in illis primis Ecclesiæ incunabulis, non missi ab Ecclesia Ierosolymitana, aut ab Apostolis, ausi sunt se ministerio docendi ingerere, & malum exemplũ ediderunt, & Ecclesias prauis opinionibus labefactârunt, & turbârunt, sicut eos qui Antiochiæ primùm, ac deinceps in Galatia, & alibi, clam irrepentes, factitâsse legimus: de quibus Apostoli qui Ierosolymis conuenerant Act. 15. ad Ecclesias scripserunt, in hæc verba: *Audiuimus quosdam è nobis egressos vos turbâsse, verbis labefactantes animas vestras, iubendo vos circumcidi, & seruare legem: quibus mandata nulla dederamus.* Absit igitur vt huic licentiæ longè perniciosissimæ, vllam fenestram aperiamus. Quod tametsi Dominum Bezam nolle, certò sciam, vtpotè qui fanaticis hominibus minimè faueat; tamen ex hoc internæ vocationis genere, quod ipse statuit, euenturum est longè citiùs, quàm ex mea assertione. Dixi enim (quod verum esse, nec posse vllius erroris, aut periculi seditionis tumultusue argui contendo) quemuis Christianum in sacris literis benè versatum (si modò sit opportunũ) posse & debere, corruptam & falsam de filio Dei doctrinam impugnare, & veram asserere: de qua re mox videbimus.

D. THEOD. BEZA.

ET ne longiùs abeamus, prima illa instauratæ in Anglia Ecclesiæ fundamenta, Henrici 8. temporibus, Anglicani sanè Episcopi non iecerunt, sed pro viribus potiùs impediuerunt.

HAD. SARAVIA.

EX ignorantia Anglicanæ historiæ, D. Beza hæc scribit. Episcopi qui fuerunt sub postrema Henrici. 8. tempora non idem de religione senserunt. Quòd mali veritati Euangelicæ insidiati sunt, abolere laudem quæ debetur bonis, non debet. Infrà demonstrabimus, quicquid Euangelicæ reformationis in Anglia videmus, Deũ per pios & ordinarios Episcopos, & eorum fautores, introduxisse.

D. THEOD. BEZA.

IDem quoque diuinitùs factum in aliis Europæ totius regionibus, sed in Gallia præsertim, & in Belgio, testantur eximiorum illorum Dei seruorum historiæ, quorum vocationem martyrij corona sanciuit.

HAD. SARAVIA.

VEllem Dominum Bezam nominibus suis designâsse illos Dei seruos, qui intrinseci afflatus Spiritus sancti vocatione freti, Ecclesias collegerunt: tales ego neque in Anglia, neque in Germania noui.

D. THEOD. BEZA.

VIx igitur ac ne vix quidẽ præstiteris quod hoc loco scribis, eos viz. sese satis explicare non posse, qui quæstionem mouentes de eorum vocatione, quibus Deo ad Ecclesias paucis antè annis reformandas vti placuit, ad extraordinariam vocationem nulla (vt tibi quidem videtur) necessitate confugiunt: cedò verò quamobrem? quoniam (inquis) quotquot Deus excitauit, ordinariam vocationem habuerunt (paucis quibusdam exceptis.) Quod ad istos quosdam paucos attinet, corruptã & falsam de filio Dei & præcipuis fidei nostræ partibus doctrinam impugnare, & veram asserere, quiuis christianus in sacris literis versatus potest, & debet.

HAD.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza mea verba suis implicuit, ita vt non satis explicatè ei respondere queam: quapropter vt mea responsio clarior appareat, mea verba subiiciam; quæ hæc sunt. *De vocatione eorum, quibus Deo visum placuit ad Ecclesias reformandas, multi quæstionem mouent: ex qua qui nesciunt se explicare, ad extraordinariam confugiunt vocationem: sed (nisi ego vehementer fallor) nulla necessitate id faciunt. Nam corruptam & falsam de filio Dei & præcipuis fidei nostræ capitibus doctrinam impugnare, & veram asserere, quiuis Christianus in sacris literis versatus potest, & debet.* Deinde quotquot Deus excitauit, ordinariam vocationem habuerunt, paucis quibusdam exceptis. Ex his meis verbis Dominus Beza hoc modo argumentatur, atque absurdum infert.

D. THEOD. BEZA.

QVid igitur obstabit, mi Sarauia, quò minùs quiuis, vbiuis, qui se sapientem existimauerit, corruptæ seu verè seu falsò doctrinæ impugnandæ prætextu, vel suggestum conscendat, vel clandestinos cœuentus habeat; vt factitare solent Anabaptistæ & Libertini; pessimum illorum exemplum sequuti, qui Antiochiæ primùm, ac deinceps in Galatia, & alibi clam irrepentes, tantos ediderunt tumultus: de quibus loquentes Apostoli Act. 15. 24. *Audiuimus, inquiunt, quosdam è nobis egressos vos turbâsse, verbis labefactantes animas vestras, iubendo vos circumcidi & seruare legem, quibus mandata nulla dederamus.*

HAD. SARAVIA.

MAlum, quod necessariò consecuturum est extraordinariam illam intrinseci afflatus Spiritus sancti vocationem, quam D. Beza ponit, officio pij viri, in iis quæ ad salutis doctrinam pertinent docti, tribuit: cui tamen ego nusquàm oppugnandæ falsæ doctrinæ prætextu, conscendendi suggestum potestatem feci; aut quicquam tentandi, alieno loco & tempore. Qui bene versatus in verbo Dei est, nouerit tempus loquendi, & tempus tacendi, & opportunitatem rerum gerendarũ viro prudenti esse spectandam. Non abs re Salomon præcipit ne derisorem increpemus. *Corripiens derisorem* (inquit) *accipit ignominiam, & increpans impium, accipit maculam suam. Ne increpes igitur derisorem, ne fortè odio habeat te: increpa sapientem, & diliget te.* & alio loco. *Non amat illusor increpantem se, ad sapientes non accedit.* Et Seruator noster vetat *sanctum dari canibus, & margaritas spargi coram porcis*, quod laboris præmium sit expectandũ præmonuit; *ne fortè conculcent eas pedibus suis; & conuersi lacerent vos.* Multi intempestiuo sermone sibi malum consciuerunt, nec cuiquam profuerunt. In populo Dei, quamuis ipsi prophetæ multa peccari viderent in Deũ, & homines, non sui officij esse duxerunt, illa reprehendere; nisi, speciali accepto ad eam rem mandato, destinati essent à Deo. Tamen mandatum de diligendo proximo eos obligabat, sicut & Christianos: Quod quamuis generalem omnibus adferat necessitatem procurandæ salutis proximi nostri, quem non secùs ac nosipsos diligere iubemur; tamen sicut in alia quauis, naturâ suâ, honesta re, peruertitur officium, si prudentia non dirigat actionem; sic etiam & in hac hominis Christiani officij parte, fidei requiro prudentiam, & directionem. Iniquus est verborum meorum D. Beza interpres: quem an excusare possit sensus mei ignorantia, cùm nullam extraordinariam vocationem me admittere nôrit, iudicet æquus lector.

Quandocunque ordinarij Ecclesiæ doctores sunt corrupti, nihil necesse est vt ordinem Ecclesiæ perturbent, & suggestum conscendant, qui legitimè ad illud officium non sunt vocati; quamuis veræ pietatis scientiã retineant: Ecclesiam suis docere possunt scriptis. Doctrinæ Christianæ donum non ita peculiare Deus fecit publicis & ordinariis Ecclesiæ suæ doctoribus, quin & quibusuis illud non possit impertiri; sicut re ipsa facere, & fecisse olim constat, quandò prophetiæ donum dabatur omnium ordinum hominibus. Nobiles, & regni aut alicuius reipub. proceres, & principes, imò & reges, simul cum plebeis, fieri & esse possunt theologi: qui citra Pastorum Ecclesiæ iniuriam, suis doctis lucubrationibus ædificare Christianum populum possunt, propugnando veritatem, & confutando errores; aut aliâs ad pietatem & virtutem exhortando. Sapientiæ, & veræ doctrinæ donum, ad Ecclesiæ ædificationem datur, cuicunque datur.

In

In publica verò corruptione doctrinæ, quisquis ille est qui doctrinâ valet, & idoneus est propugnandæ & defendendæ veritati; si facultas adsit & opportunitas, talentũ Domini sui tenetur vsuræ exponere: sin secus fecerit, in Dei iudicio, cum improbo seruo defossæ pecuniæ, atque asseruatæ Domini sui reus erit; ac proinde etiam non confessi Domini coram hominibus.

Sed eos qui tantùm ad priuatam sui ædificationem probè sunt instituti, nec eò profecerunt vt alios docendo sint idonei; cauere oportet, ne supra vires quicquã assumant. Hic est astus Satanæ sciolos suscitare, qui bonam causam malè defendendo prodant: benè instructos homines eruditione & scientia conuenit esse, vt dignè & cum ædificatione quod assumunt præstent.

Iustinus Martyr, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, priuati, & vir illustris Boëthius, Christianam catholicam veritatem; illi contra gentiles, & hic contra Arrianos, doctè propugnârunt. Et nostra ætate, nobilis vir Philippus Mornaius, non modò rudioribus, sed etiam doctioribus, suis eruditis scriptis prodest. Est & alter Philippus in Belgio, qui sua eruditione Ecclesiæ similiter adiumentum attulit, & adferet vt spero, nec bonorum fallet (quæ de eo habetur) expectationem, si vita fuerit ei superstes. Nihil necesse est Ecclesiæ turbari ordinem; vt ij quos Deus rara aliqua donauit sacrarum literarum cognitione, talentum acceptum ad Ecclesiæ ædificationem, fœnore multiplicandum, in lucem proferant. Illustres habet Ecclesia doctores, & habuit, qui nunquam suggestum conscenderunt: docent tamen, vt olim docuerunt Ecclesiam, nec docere, quamdiù durabit mundus, desinent.

Quòd si qui sunt huiusmodi, ad Presbyterorum ordinem adiungi cupiant, & pastoris suscipere onus: nunquàm ita destitutam fuisse Ecclesiam iudico, vt defuerint, qui eos, inuito etiam Romano Episcopo, & eius omnibus suffraganeis, aliisque hæreticis præsulibus, ordinare possint; si ab illis, qui de successione gloriantur, ordinati non fuerint, aut liquidò ordinari non possint: vtpotè quorum mentes iam Deus veritatis suæ luce illustrauerit, & ipsis integrum non sit, ordinationem petere ab eis, qui sua impietate diuina & humana contaminauerunt: de quorum ordinatione statim dicturi sumus, quid sentiamus.

D. THEOD. BEZA.

Absit igitur vt huic licentiæ, longè pernicioſissimæ, ostium aperiamus. Nec propterea tamen mirificam illam extraordinariam vocationem, ex vnius Dei intrinseco afflatu profectam repudiamus: in qua potius Dominus Deus noster admirabilem se se, ad asserendam suam Ecclesiam præbet. Sed vt veram & legitimam illam ab adulterina, summo studio vitandâ, discernamus, tres proponimus regulas: vnam, vt ibi demùm sit ei locus, vbi nullus est legitimæ vocationis vsus, quem eiusmodi quispiam doctor contempsisse videri possit; alteram, vt probetur eiusmodi hominis spiritus priusquàm admittatur: id est, vt tum eius doctrina ad verbi diuini normam, quoad eius fieri potest, exigatur (quod Christus ipse in se fieri iussit; Iohan. 5. 39. & in Beroensibus laudatur, Actor. 17. 12.) tum eius mores & ingenium diligenter explorentur; sicuti monet Christus Math. 7. 20. & quales describuntur Rom. 16. 17. 1. Timo. 3. 6. 2. Pet. 2. 14. & deinceps, & in primis Iud. vers. 12. & alibi passim. Tertium denique, vt sic probati ab Ecclesia, cuius ipsi fundamenta iecerint, legitimè ordinentur.

HAD. SARAVIA.

Quàm autem afflatus intrinseci vocationis exemplum, sine externa ordinatione, sit pernicioſum Ecclesiis, quotidie experimur; quandò videmus eam à fanaticis hominibus obtendi, & iactari. Regulæ, quas obseruari vult D. Beza, nihil adferunt aduersùs hoc malum remedij. Quippè quæ non priùs seruari possunt, quàm acceptum malum fuerit. Prima regula hæc est, vt ibi demùm sit ei locus, vbi nullus est legitimæ vocationis vsus, quẽ eiusmodi quispiam doctor contempsisse videri possit. Nulla enim tam sancta & orthodoxa vnquam inueniri poterit Ecclesia, quam non sit calumniaturus hæreticus; tanquam ibi perierit tum vera doctrina, tum legitimæ vocationis vsus. Deindè si quandò euenerit, vt simul cum vera doctrina, legitimæ vocationis vsus interierit; hæreticus æquè ac verus doctor surgere poterit, qui ab errore in alium errorem populum auocabit.

Præterea, quamuis veritatis cognitionem, in vulgi publico errore, Deus alicui dederit; incertum est, num Deus velit verbum suum illi populo nuntiari. Nolle enim interdum

dum ex inhibitione facta Apostolis, ne quibusdam in locis verbum Dei prædicarent, notum est. Matth. 7. cap. 6. vers. vetuit *ne sanctum detur canibus, & margaritæ proiciantur porcis.* Hinc prophetæ in veteri populo, ad officium suum pertinere non iudicârunt, publicos vitæ humanæ errores reprehendere; nisi quandò missi à Deo fuerunt. Temeritas hæc ingrata est Deo, quenquam ingerere se huic ministerio, non legitimè vel ab ipso Deo, vel ab hominibus vocatum & missum: & quamuis legitimè quis sit vocatus, etiam ab ipso Deo, non debet missionis suæ anteuertere tempus. Malè cessit Mosi, missionis suæ præuertisse tempus: quando fretus vocatione sua, adiit suos fratres, quos liberandos ab ipso, Deum constituisse persuasum in animo habebat. Expectatum oportuit, donec Dominus ei diceret, ito: sicut posteà factum est. Apostolos, quos Dominus docendis tam Iudæis quàm Gentibus vocauerat, nusquàm progredi ante tẽpus voluit: sed continere se Ierosolymis iussit, donec Spiritum sanctum acciperent.

Sed agè, quomodo hac vocatione interni numinis afflatus fretus, ingerere se potuit Philippus, aut alius quiuis, ad prædicandum & baptizandum, cùm legitima haberi potuerit vocatio: & secundùm primam hanc regulam, hæc demum vocatio locum habeat, vbi legitimæ vocationis vsus cessat? Si res ita esset, nemo certè Philippum à contemptu missionis Apostolicæ excusare posset. Quòcirca verisimile mihi non est, solo intrinseco afflatu, Philippum ad docendum & baptizandum Samaritanos accessisse: nisi aut ab ipso Domino, adhûc in terris agente, aut post resurrectionem, ad eam rem priùs vocatus & destinatus fuisset. Cùm ad vnum hominem, Eunuchum Candacis reginæ, non nisi bis diuinitùs admonitus accesserit; verisimile idne est, à nemine missum, solo interno motu, Samaritanis Euangelium adnuntiâsse? Hoc vocationis genus nec temporibus illis, nec Philippo conuenit. Idem ego censeo de cæteris; qui dispersi apud varias gentes euangelizârunt: siue apud Antiochiam, siue alibi id factum legatur.

Constat quidem fuisse quosdam, qui non missi, Euangelium Christi prædicare sunt ausi, sed successu parùm prospero: vtpotè qui turbârunt Ecclesias, & bonum, quod testimonio veritatis adferebant Ecclesiis, malo schismatis aut falsæ doctrinæ, corrumpebant. Qui legitimè ad tantam functionem vocatus non est, à vero fine, quem propositum sibi habere debet verus Euangelij minister, non potest non aberrare.

Altera regula est, vt probetur ciusmodi hominis spiritus. Benè quidem monet Beza; sed à quo probabitur? Iubemur (fateor) pluribus in locis, probare spiritus, vtrùm sint à Deo; sed hoc præceptum ad eos tantùm pertinet, qui iam in verbo Dei exercitati sunt; & inde de doctrina, iudicium aliquod habere possunt: non cuiusuis est donum, discretio spirituum. Qui variis erroribus imbuti sunt, aut rudes adhûc sacrarum literarum, priùs infecti veneno falsæ doctrinæ fuerint, quàm de doctrina iudicare possint. Ineptus de veritate iudex est, eius ignarus, aut contrario errore imbutus. Iudæi in lege & prophetis ab incunabulis instituti, de Messia & ipsius aduentu iudicare poterant; & Christiani, iam recepto Euangelio, inter veros & falsos doctores discrimen constituere. Verum præposterum hoc erit, quod monet D. Beza: priùs enim doctoris futuri examinanda doctrina est, quàm admittatur ad docendi munus.

Multi apud nostrates crassâ Romanæ Ecclesiæ idolalatriâ, variisque abusibus offensi, incidunt in Anabaptistas; à quibus priùs hæresin hauriunt, quàm de ea iudicare queunt. Quamobrem hoc vocationis genus, prorsùs repudiandum iudico; quòd sit moribus pernicioſum, & eius nullum, nec in veteri nec in nouo testamento, proferri possit exemplum. Absurdum præterea mihi videtur, vt quispiam ab Ecclesia illa ordinetur quam collegerit, & cuius fundamenta iecerit, præposterum hoc est, & verè ὕστερον πρότερον. Ad congregandam Ecclesiam, semper prior Ecclesiastes fuit Ecclesiâ; non item in ea, quæ iam aut congregata est, aut dispersa recolligenda. Quocircà ego huius vocationis exemplum & authoritatem ex verbo Dei, certiora requiro illis quæ D. Beza citauit.

Priuatus autem quiuis Euangelicæ doctrinæ peritus, inter infideles agens, vbi præter eum nemo est qui Christũ doceat, potest, & semper potuit, si adsit opportunitas, Christũ docere: nec ad eam rem alia vocatione opus habet ab ea, quæ generalis est, & à Dei mandato, de diligendo proximo, cuiuis imponitur: sed vlteriùs non progredietur; pastoris partes non invadet absque ordinatione, & vocatione, quâ Dominus in Ecclesia

sua

sua instituit. Huius rei in historiis Ecclesiasticis extant passim exempla: cuiusmodi illud est, quod Theodoretus, & Sozomenus narrant de Frumentio quodam, qui captus ab Indis, data opportunitate, Christum priuatus docuit: & cum Romanis mercatoribus, qui cò mercimoniorum causâ nauigabant, cœtus habuit. Tandem, cùm gentem propensam ad Christi fidem recipiendam videret, se ad Athanasium Alexandriæ Episcopum contulit, rogans vt Indis Episcopum mittere vellet: quò, cùm magis idoneum neminem ipso Frumentio mitti posse iudicaret, eum ordinauit Episcopum, & ad Indos remisit. Hæc ordinaria mihi videtur & perpetua mittendi ministros, nouis colligendis Ecclesiis, aut vastatis reparandis, ratio.

Casum si quis mihi proponat, qui nunquam accidit, nec accidet, nempè si vnus tantùm relictus esset Christianus, vel pauci tantùm, sublatis omnibus ordinariis Pastoribus è mundo vniuerso, aut in orbis aliqua parte remotissima, vnde accessus nullus pateret ad aliquam Ecclesiam, quid tunc faciendum esset? si quis me roget, respondebo. Deum, qui author humani generis est & seruator, prospecturum, & nos non decere curiosius ante tempus, esse sollicitos de re, quæ aut nunquàm, aut perquàm rarò euentura est.

Postremò, si locus detur extraordinariæ vocationi, quænam obsecro illa erit? quo nomine eum vocabimus, qui sic vocatus erit? quem eum esse dicemus? num Apostolum? num Prophetam? num Euangelistam? eâdem ratione, quâ se Pastorem & Doctorem dicet, etiam se esse Apostolum vel Euangelistam iactare poterit. Sed non hic se continebit malum: Idem similiter in republica metuendum erit. Nam ratio nulla est, cur in Ecclesia extraordinariæ vocationi potius locus sit, quàm in republica. Atque ita (si Deo placet) stultus & dementatus populus extra ordinem vocatos reges, & libertatis vindices cum Monasterienſibus, accipiet. Quam hæc sint plena periculi, & contraria ordini, quem tam in Ecclesiis, quàm rebus publicis, Deus constituit, nemo non videt.

D. THEOD. BEZA.

His, inquam, quasi cancellis, istam, de qua nunc agimus, extraordinariam vocationem circumscribimus, nunquàm illam alioqui approbaturi: & sic à falsissimis aduersariorum calumniis, beatos illos Dei seruos asserimus, à quibus tot Ecclesiæ tunc nostrâ patrúmque memoriâ, Antichristi faucibus ereptæ.

HAD. SARAVIA.

Minimè vitari malum, cui D. Beza tribus illis legibus cautum voluit, demonstrâsse me arbitror. Quod Dei seruos attinet, qui Ecclesias patrum nostrorum nostrâque memoriâ, faucibus Antichristi eripuerunt, alia meliorique ratione à calumnijs aduersariorum vindicantur, quando potestas nota, & quæ negari non potest, allegatur; quàm quando confugitur ad id quod inuisibile est, & soli Deo cognitum, & quod improbissimus turbulentissimúsque quiuis nebulo impudentissimè iactare audebit. Si qui autem fuerint, siue in Gallia, siue in Germania, aut in Belgio, qui nec missi, nec ordinati ab Ecclesiis iam constitutis, earúmque ministris, munus Ecclesiasticum in se suscipere ausi sunt, absit vt eos à temeritate excusem: pessimi enim exempli res est, præsentibus & futuris seculis.

Quemadmodùm plurimum interesse oportet inter seruorum Dei ad Ecclesiæ ministerium vocationem, & eam quæ fanaticorum hominum est propria; qui à malo spiritu enthusiasmis perciti abripiuntur in varios furores, & de vocatione sua rogati, ad internos Spiritus sancti motus afflatùsque confugiunt; ita veros Christi seruos suæ vocationis testimonia certiora mundo adferre conuenit, quæ extra controuersiam sint omnibus, qui rectè de rebus humanis iudicant. Humani generis creator & conseruator Deus ordinem, nec in ciuilibus, nec in Ecclesiasticis rebus perturbari vult: quicquid eò tendit, à Deo non est.

Nota est Munsteriana insania, nihil opus est vt eam commemorem. Sed quod hîc Londini duobus ab hinc annis accidit, toti mundo narrari, non inutile futurũ arbitror exemplum. Est in Anglia hominum genus, qui externa specie reformationis vrbis Geneuensis illecti, à quâ Anglicana quia differre ipsis videtur; sibi eam, quam admirantur morum disciplinam deesse credunt: quum tamen re ipsa habeant, quod in externa forma quærunt; si vellent, aut eâ nôssent vti. Bis in anno inquisitio morum habetur; in qua,

qua, quicquid publicè peccatur contra Dei legem & Christianam honestatem, Pastor Ecclesiæ quocunque censeatur nomine, potest, & debet exponere: & ne ipse solus odium sustineat, Oeconomi æditui, & testes synodales adiurati coguntur, ea quæ nôrunt commissa contra articulos ipsis propositos, testari & deponere.

Lege, à communione notum peccatorem prohibere, ministri Ecclesiarum iubentur; vt si quis sit, qui apertas exerceat cum quopiam inimicitias; si quem rumor sit esse scortatum, aut aliquod huius generis crimen, quod christianum non decet, cõmisisse; à cœna Domini arcetur, donec iudicio Episcopi, aut Vicarij ipsius, aut Archidiaconi, Ecclesiæ satisfecerit. Sed hoc pulchrum ipsis videtur, in Consistorio, instar Episcopi, præsidere, & seniores habere adsessores, parœchianos suos coram se citare, vt in eos morum censuram ipsi exerceant: quam potestatem quia non habent, tragicum exclamant, nullam esse morum disciplinam in Ecclesia Anglicana. Archidiaconos, & Episcoporum vicarios atque officiales, qui censuræ morum præsunt, esse homines corruptissimos, & canonicas commutare pœnitentias, tanquàm ipsi & quòs seniores vellent, homines non sint futuri, qui corrumpi possunt. Ita plerique de Senioribus & Consistoriis suis loquuntur; ac si nihil humanitùs ipsis accidere posset. Quicquid in eos, qui præsident Episcoporum Consistoriis dicitur, potest in ipsos retorqueri: quia nullum vnquàm potuit, nec poterit tam sanctum tribunal constitui, nullæ tam iustæ leges dari, quibus si homines præfeceris, non sit interuentura calamitas communis omnibus iudiciis. Leges suas Deus Leuitis & Sacerdotibus dederat, vt secundùm illas iudicarent; & quicquid vitium potest adferre iudiciis, legibus ante sustulerat; nihilo tamen fuêre meliores, nec incorruptiores Iudaici populi iudices, quandò libuit ab æquitate deflectere, aliarum gentium Iudicibus. Qua in re non inspiciendum quid mali faciant, qui præsunt iudiciis, sed quid iubeat legum æquitas, secundùm quas iudici iudicandũ est; contra quas, cùm nihil adferant, quicquid mali in personas congeritur, conuitia sunt: quæ magis à morbo quodam animi proficiscuntur, quàm à sano iudicio. Si qua sententia contra ius & æquitatem lata fuerit, interiecta appellatione retractari poterit.

Tamen vt ea quæ tantoperè arridet morum disciplina, locum obtineat in Anglicana Ecclesia; & illa, quæ authoritate totius regni & Ecclesiæ Anglicanæ cõstituta & recepta est, contemnatur, peregrinarum rerum admiratores, & suarum contemptores nullũ non mouent lapidem.

Primùm, freti hac extraordinaria vocatione, collegêre sibi quidam seorsim clam Ecclesias, suo more regendas: quorum alij ad Geneuensis Ecclesiæ regimen, tanquàm perfectius exemplar, suam reformationem finxerunt, additis & reiectis quibusdam, quæ hanc perfectiorem redderent: vtpotè quòd illa sit rudior & crassior, qualis initio potuit nasci, veluti fœtus vrsini solent, qui postea lambendo formantur. Hi externam pacem cum Ecclesia Anglicana se retinere simulant; nec ordinationem ab Episcopis, & præsentationem à Patronis reiiciunt; sed eatenùs admittunt, quatenùs politicum quiddam esse censent. Acerrimi interea sunt suorum Episcoporum hostes, quorum functionem & nomen, tanquàm Antichristianum, detestantur: & tanquàm non ritè ordinati ab Episcopis fuerint, aliam ordinationem in suis conuentibus classicis vel synodalibus accipiunt. Nam hi nullam Ecclesiam omnibus suis numeris absolutam agnoscunt, nisi quæ pastorem, doctorem, seniores, diaconos & diaconissas habeat: & hos in quauis parœchia ordinandos censent ministrorum gradus.

Ex his nati sunt & alij, quibus hæc tam accurata, tam diuina reformatio non placet: & omnia, quæ illi ad consistorium pastorum, doctorum & seniorum deferri volunt, isti ad populi referri iudicium oportere contendunt: illudque esse pastorum & seniorum officium, mandata populi exequi. Sed nec isti inter se consentiunt. Sunt qui publicè conceptas preces ex libro recitatas, aut antè meditatas cõtemnunt, immò etiam ipsam orationem dominicam: cœtus qui fiunt in templis, quæ nomina Apostolorum aut aliorum sanctorum gerunt, detestantur: diem, Martis aut Lunæ dici, mensem, Ianuarij, Augusti, vel Iunij, idololatriam censent. Isti nullam in Anglia nec alibi, præter suos cœtus, veram Christi Ecclesiam agnoscunt. Alij, qui paulò moderatiores sunt, Ecclesias suas seorsim in syluis congregant, aut aliis secretis locis, & Ecclesiam Anglicanam non alio loco habent, quàm Romanam, vtpotè Antichristianam.

Cùm

Cùm hæc schismata, & hi furores, ad Reginæ, & Dominorum consiliariorum, atque Episcoporum aures peruenissent, prioris quam posui sectæ qui credebantur duces, iussi sunt sacratiori Reginæ concilio, quod conuenire statis anni temporibus solet, in regiæ Westmonasterij loco qui à Stella nomen habet, se sistere. Ibi capita quædam interrogationum ipsis proposita sunt; vt iurati veritatem responderent: quod cùm facere recusarent; vtpotè qui contenderent neminem teneri seipsum accusare; ob pertinaciam, custodiæ sunt traditi; donec melius persuasi discerent sui esse officij, respondere ad illa capita quæstionum, quæ ipsis proposita fuerant. Eorum autem fautores, & qui eis nimiùm erant addicti, & Episcoporum nomen & officium exosum habent, molestè ferebant, homines pios, doctos, innoxios, indigna pati. Temporis progressu plures euocantur, aut qui delati fuerant, aut intemperantiâ linguæ suæ seipsos satis prodiderant. Indicuntur preces & ieiunia in priuatis & clandestinis conuentibus ab amicis pro liberatione eorum qui in vinculis erant; in Scotiam vsque rumor perstrepuit.

Tandem inuenti sunt quidam, qui se Spiritus sancti numine incensos credidêre, & extra ordinem vocatos, ad eos liberandos qui in custodia tenebantur; simul & ad stabiliendam disciplinam Ecclesiasticam. Eorum hæc sunt nomina, Edmundus Coppinger, Henricus Arthington, & Willielmus Haket. Coppinger primus incepit sese dare precibus & ieiuniis: & ea pro se fieri à fratribus postulare: ministros verbi Dei consulebat; quibus, quàm se sentiret intùs incitari à Spiritu sancto confitebatur, ab eis consilium petens. Alij nullo modo probabant hominis insaniam, rei magnitudinem & pondus reputantes; ad quam non iudicabant Coppingerum esse satis idoneum, atque deterrebant eum quantùm poterant. Alij frigidiùs & timidiùs, veriti ne si probâssent, & res parùm succederet, in periculum legum incurrerent, tanquàm participes & approbatores pernicioſi contra rempublicam consilij: metuebant enim ne Spiritum extinguerent, & prophetiam prohiberent. Alij furiosos in amentia sua confirmârunt: nescio quid magni ab eis expectantes. Tamen hic Coppinger se suaque consilia cupiebat omnibus probari fratribus, & inprimis viris doctis, nempe quos addictos nouerat disciplinæ Geneuensi (nec enim alios aut fratres, aut doctos æstimabat) quibus & has quæstiones proposuit.

An hoc tempore in Ecclesia extraordinarij operarij & adiutores sint, siue illi Apostoli, siue Euangelistæ, siue prophetæ vocentur, vnus aut plures vt opus erit, qui tanquàm Nazaræi & seruatores, & admonitores modo speciali existant.

Si qui tales sunt, num eorum vocatio non sit proximè à Deo, quam & ipsius spiritus obsignet in eorum mentibus, à quo eximium illud donum habent: nempè gratiam, sapientiam, scientiam, animi robur, magnanimitatem, zelum, patientiam, & humilitatem, quibus eorum vocatio manifesta fiat Ecclesiæ.

Et quando hæc dona in quopiam apparent, vtrùm Ecclesia debeat esse solicita de euentu, quem Deo visum erit dare. Quod si id licet Ecclesiæ, qua ratione & modo agendum sit cum eo, qui extraordinariam illam habet vocationem. Hoc concesso, vsq; ad finem seculi futuras extraordinarias & immediatas à Deo vocationes. Num non inueniantur in illis locis, vbi Euangelium quidem annuntiatur, & sacramenta aliquo modo ritè administrantur, quamuis non vbique, sed hîc atque illic non perfectè, sed ex parte: & vbi vera disciplina non est constituta, sed oppugnata à magistratu.

Si responsum fuerit extraordinariam vocationem non expectandam, nisi in vastitate & desolatione Ecclesiæ, quæritur num vastitas & desolatio Ecclesiæ dicenda non sit, quandò principes & præcipui magistratus adeò ignari sunt, vt nesciant quàm sit necessaria vera Ecclesiastica disciplina, sed ei repugnant, & persequuntur eos qui eius sunt studiosi: vndè fit vt quiuis improbi admittantur ad publica verbi DEI exercitia, & ad communionem cœnæ Domini. Vtrùm (inquam) sperare liceat, Deum (ad laudem & gloriam sui nominis, & vtilitatem Ecclesiæ) posse aliquem extra ordinem vocare, conferendo ei spiritum sanctum pleniùs & abundantiùs quàm cæteris, vt in nomine Dei agat cum magistratu, vt curent populum vbîque docendum, & veram disciplinam exercendam, in populo iam priùs edocto.

Vtrùm vbi Pastores, & doctores, & seniores, & diaconi, & diaconissæ, nulli sunt in Ecclesia constituti, sed tantùm minister vnus populo est obtrusus, qui sit eorum

pastor, nec ab eis electus, nec eis gratus, dici & haberi (etiamsi ea dona Dei, & gratiam spiritus sancti habeat, quæ in illa vocatione requiruntur) legitimè ad ministerij Ecclesiastici functionem vocatus debeat. Coppinger, ex doctrina de extraordinaria vocatione has theses, siue quæstiones, hauserat, persuasus se moueri & incitari à spiritu sancto ad res magnas, sicut olim prophetæ & iudices à Deo leguntur excitati, qui rempub. componerent, & errantem populum in viam reuocarent. Quamuis multi hominem tum priuatim, tum publicè dehortarentur ab his furoribus, perrexit tamen confirmatus ab aliis quibusdam; nec defuit, donec nactus est socios, cum quibus plenius insaniret. Causam prætendebat esse Dei; & eorum qui in custodia detinebantur, vtpotè fidelium Dei seruorum liberationem, & veræ censuræ Ecclesiasticæ constitutionem.

Quidam Penry tribunitius, & verè seditiosus concionator, nulla ordinaria vocatione fretus, aut vllis Ecclesiæ præpositus, sed prætextu Genuensis disciplinæ promouendæ, oleum huic incendio ministrabat è Scotia, quò fugerat: vnde sub id tempus quo suam tragœdiam Coppinger cum sociis erat incepturus, redierat; & Londini, aut in vicinia latitabat.

Quidam ex illis concionatoribus, quos custodiæ mandârant Domini Consiliarij, nomine Wigginton, hunc Coppingerum ex fatuo reddebat insanum, aut ex insano furentem: eique alium commendauit, insignem nebulonem & hypocritam Willielmum Haket: qui iam pridem, postquam sua, & quæ vxoris erant omnia, decoxerat; & conuersus à purioribus istis concionatoribus ad meliorem frugem videri volebat, se etiam (si Deo placet) extraordinariè à Spiritu Dei incitatum aiebat, ad reformationem non tantùm Ecclesiæ, sed etiam reipub. Inita inter hos amicitia & familiaritate, dignum est patella nacta operculum. Postquam Coppinger non iam collegam ad insaniam, sed ducem erat consequutus; eis quidam tertius Arthington, dementatus hypocrisi istorũ, accessit: funiculus enim triplex difficilè rumpitur, nisi sit putridus.

Fertur hic Haketus in concipiendis ex tempore precibus, adeò excelluisse, vt Dei spiritu eum totum ardere, & ab eo ipsius regi linguam, illi duo crederent: & adeò in sui rapuit admirationẽ, vt nihil eum precibus non posse crederent à Deo obtinere: proinde quiduis ab eo posse perfici. Quamuis initio nihil præter Ecclesiæ reformationẽ, & regni & Reginæ salutem, moliri se testarentur: postea tamen multa priuatim contra regiam maiestatem, & ipsius consiliarios, maledicta euomebant, tanquàm spiritus afflatu prophetico: videlicet ipsam esse impiam, & regni iure excidisse. Quam autem impotenti odio ferretur in optimam suam principem Haketus, palàm fecit, quando insignia regia parietibus insculpta, et radebat, & confodiebat. Dominos consiliarios reginæ, solis propriis nominibus, nullis additis honoris consuetis titulis, significat. Tandẽ primas partes huic hypocritæ in hac fabula dederunt: & ipse duos comites suos prophetas creauit, cuique propriam designans prouinciam, vt Edmundus Coppinger gratiam & misericordiam Dei offerret populo; Henricus Arthington verò æternam damnationem iramque Dei, nolentibus ipsis credere, denuntiaret.

His ita constitutis, & consilio suo communicato cum Wiggintono captiuo, quodam die manè hora octaua, Haketum in lecto suo adhuc decumbentem venêre consalutatum Regem. Coppinger vncturus eum in regem, ter pronus in terram procidit: adsurgens ad lectum Haketi propiùs accessit; qui extenta manu è lecto manũ Coppingeri apprehendit, nihil inquiens vnctione tua mihi opus est; iam enim è cœlo ab ipso spiritu sancto vnctus sum. Cùm Coppinger eum interrogaret quid fieri vellet; Ite (inquit) & ciuibus vrbis Londini nuntiate, Christum Dominum è cœlis descendisse, cum ventilabro in manu sua, vt iudicet orbem. Quòd si quis vos roget vbi sit; dicite eum esse in ædibus Walkeri, in fracto angiportu: si credere nolunt, veniant hûc, & me, si possint, occidant: Mora, respondit Coppinger, in nobis nulla erit: fiet quod iubes: & confestim Coppinger abiit: quem subsequutus est Arthington. Vixdum egressus illam domum, cœpit clamare Coppinger, de cœlo noua immensæ commiserationis diuinæ se adferre; Iesum Christum de cœlo descendisse. Qui sequebatur Arthington idem repetebat, & confirmabat: atq; per vicos & vrbis plateas progrediebantur. Ad quos cõcursus populi magnus factus est. Et cùm in publicam, & maximè frequentẽ vrbis plateam, vocatam Cheapside, deuenêre, iuxta pyramidẽ illic erectã tanta populi multitudo

conue-

conuenerat, vt progredi nusquàm possent, carrũ ibi vacuũ conscenderunt, & indè ad populum cœpêre concionari vociferantes, Anglia resipisce, resipisce Anglia. Quinam ipsi essent, exposuêre populo: nempe se prophetas esse extra ordinem vocatos, vt alter Dei misericordiam, alter iudiciũ & vindictam prædicaret. Haketũ laudibus magnis efferunt, & quod ipsius esset officiũ exponunt: videlicet, qui Christum repræsentet, sitq; corporis ipsius glorioli particeps, & præcipuo ipsius spiritu donatus, vt eius fungatur officio, & ventilabro secernat bonos à malis, & Euangelium per vniuersam Europam, & disciplinam Christianam introducat: iam aduenisse tempus, quo hæc omnia perficiantur. Præterea, populo narrabant vbi Haketum vidissent, & vbi esset, & moraretur: se verò esse prophetas immediatè extra ordinem à Deo missos, vt ei in tanto opere adiutores essent. & hæc omnia adfirmabant cum suiipsorũ diris imprecationibus & execrationibus, exoptantes confundi, & in æternum damnari, ni res ita esset, vt fuerant locuti. Alter horum, Dei misericordiam & ingentem consolationem, atque ineffabile gaudium pollicebatur omnibus, qui extemplò pœniterent, & hoc Euangelium & oblatam opportunitatem reformationis amplecterentur. Alter autem horrenda Dei iudicia detonabat impœnitentibus, & inprimis ciuitati Londinensi; quotquot non credebant contestabatur corpore & animo esse damnatos: futurum vt homines in mutuas cædes ruerent, & lanienam hominum tanquam porcorũ facerent: Haketum esse Europæ regem, & ab omnibus ei esse parendum, qui hæc Dei iudicia vellent euadere: reginam iure regni sui excidisse, & dignam, quæ regno suo priuetur: consiliarios verò eius nonnullos esse perfidos regni proditores. Hæc facta sunt 16. die Iulij, an. D. 1591.

Postquàm totam ciuitatem murmur cõplêsset, & quid hoc portenti esset, omnes admirarentur; rumor statim ad reginam peruenit, quæ Greenwichij agebat: qui locus à Londino distat tantùm tres aut quatuor mille passus. Ipsa confestim duos consiliarios ad vrbem misit, qui de re tam insolita quærerent. Quæstionem autem & iudicium hîc inferere nimis longum esset: hoc notâsse sit satis, prætextu huius extraordinariæ vocationis, & intrinseci numinis afflatus, fanaticos istos homines populum concitare, reginam regno suo spoliare, consiliarios malè mulctare, Episcopos trucidare, hunc nouũ regẽ inducere, & Ecclesiam simul & remp. transformare, in animo habuisse. Quàm autem impudenter se gesserit constitutus coram iudicibus iste Haketus, quas blasphemias contra Deum & Dei filiũ protulerit, horrendũ est dictu. Sub carnificis manu constitutus blasphemo ore ipsi Deo minitabatur, nisi auxiliũ præsens ei mitteret: atq; ita in illo suo furore, læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ reus, morte pœnas dedit. Miser Edmũdus Coppinger amentiam simulans capite illiso, & voluntaria inedia sibi mortem consciuit. Hen. Arthington furoris & amentiæ pœnitens, principis clementiâ vitam retinuit.

Vana persualio vocationis extraordinariæ ab intrinseco numinis afflatu miseros hos homines in hoc exitium impulit. Eadem dementia Monasterienses peperit furores, & duces rusticanorum per Germaniam motuum cum magna multorum clade fefellit: quibus si Dèus fœlicem successum dedisset, prosperum scelus virtus vulgo credita fuisset. Quid enim distant ab his Machumetici furores? Quid H. N. quid D. G. & aliorum enthousiastarum? Quicquid in Ecclesia superstitionis, & idololatriæ, falsæque doctrinæ irrepsit; totum ab hoc hominum genere manauit. Monachorum instituta, conficta miracula, & id genus sexcenta, hoc modo Satan inuexit: sic ipse suo astu omnia perturbat, vt veri numinis cultum pessundet, atque in contemptum adducat, & Atheismum inuehat.

Non hæc noto vt lectori persuadeam clarissimum virum D. Bezam huic hominum generi fauere, aut aliquo modo patrocinari, ipsius sentẽtia de hac re satis, ex ipsius scriptis, omnibus nota est: tantùm quid consequens sit ex hac vocatione quam ponit, motionis intrinsecæ spiritus sancti, admonere volui. Nonnullæ sunt causæ, quæ mouêre potuerunt D. Bezam, vt hanc extraordinariæ vocationis speciẽ adderet; sed longè plures & grauiores sunt quæ non modò suadẽt, sed cogunt eam tollere. Fieri potest, vt quæ aduersarij calũniantur de vocatione fideliũ seruorũ Dei, impulerint D. Bezam & alios, hanc speciẽ vocationis cõstituere: sed meo iudicio tam facilè re ipsa erroris & impudẽtiæ conuincũtur, quàm foris speciem fallacẽ veritatis præ se ferunt. Coaceruant quidẽ multa, quæ tantùm petitiones sunt, vt dialectici loquuntur, principij. Disputant enim

ac si extra controuersiam esset quod maximè controuertitur, nempe Romanam Ecclesiam esse orthodoxam; nullâ idololatria, nullis crassissimis hæresibus contaminatâ; & incontaminatum seipsum custodire ab illius spurcitiis, esse ab Ecclesia secessionem facere: quo concesso, robur habent quæ dicunt, eo item negato, corruit quicquid contra vocationem fidelium seruorum Dei congeritur: siue eam habuerint in Ecclesia Romana, siue in Ecclesiis quibus ministrant. Certam vocationem habere dum constat, frustrà de ea disputatur, inter doctores Ecclesiarum quæ contrarias & pugnantes tuentur de fide sententias. Sed siuè apud nos, siuè apud Romanistas, quantumuis doctrinam quis profiteatur ecclesiæ, in qua est, sine externa legitima vocatione illius ecclesiæ, non potest officium docendi, nec Ecclesiæ ministerium, si quo fungatur, tueri. Si postea ei, qui legitimè in aliqua Ecclesia vocatus est, moueatur lis de ipsius vocatione, frustra & temerè id fit: doctrina, falsitatis priùs debet conuinci, quàm vocatio possit irrita fieri. Luthero, Bucero, Oecolampadio, Zuinglio, Melanthoni, & Caluino, quibus nemo contradicturus erat propter vocationem, si Romanos errores docuissent, fit iniuria; quandò non conuictus alicuius hæreseos, in dubium eorum vocatio reuocatur. Quòd si nullam, nec ab Ecclesia Romana, nec ab aliqua alia, habuissent vocationē, repelli potuisse eo solo nomine hoc seculo arbitror, quòd vocationem nullam haberent.

D. THEOD. BEZA.

SEd prætereà quænam ista est quæso ordinaria vocatio, quam eos habuisse dicis, quos Deus paucis quibusdam exceptis, excitauit? Certè papistica. Nam hæc tua verba sunt; Hodiè si Episcopi Gallicanarum Ecclesiarum, se & suas Ecclesias à tyrannide Episcopi Romani vindicare velint, & eas ab omni idololatria & superstitione repurgare, non habent opus alia vocatione ab ea quam habent. Quid ergo? Papisticas ordinationes, in quibus neque morum examen præcessit, neque leges vllæ seruatæ sunt inuiolabiliter, ex diuino iure in electionibus & ordinationibus præscriptæ, in quibus puri etiam omnes canones impudentissimè violati sunt: quæ nihil aliud sunt, quàm fœdissima Romani prostibuli nundinatio, quâuis meretricū mercede, quā Deus tēplo suo inferri prohibuit, inquinatior: quibus deniq; alij non ad prædicandum sed peruertendum Euangelium; alij non ad docendū, sed ad rursùs sacrificandum, & ad abominandū βδελύγμα sunt ordinati, vsq; adeò firmas tecū esse cēsebimus, vt quoties tali cuipiam pseudoepiscopo, Deus cōcesserit ad verū christianismū trāsire, omnis ista istiusmodi ordinationis impuritas simul expurgata censeatur? Imò qui sic animum per Dei gratiam mutauit, quo ore, quo pudore, qua cōscientia papismum quidem detestabitur, suum autem inordinatissimam ordinationem non eiurabit? aut, si eiuret, quomodo ex illius iure auctoritatem docendi habebit? Nec tamen nego quin tales, si probè doctrinam veram tenere, si honestis moribus præditi, si ad gregem pascendum apti comperiantur, ex pseudoepiscopis noui pastores legitimè designentur.

HAD. SARAVIA.

WIclef, Iohannes Huss, Martinus Lutherus, Martinus Bucerus, Thomas Cranmerus, Latimerus, Ridleus, Vergerius, Farellus, Viretus, & alij innumeri, eximia pietate & eruditione viri, qui nobis & vniuerso orbi lucem Euangelij prætulerunt, Presbyteri & Episcopi in Romana Ecclesia vocati & ordinati fuerunt: à quibus nemo iure potuit quærere, qua vocatione freti Euangelium docerent, & secundum illud Ecclesias regerent, & reformarent: qui, tametsi superstitiones & idololatrias Romanæ Ecclesiæ eiurauerant, vocationem suam ad Ecclesiæ ministerium non abiurârunt. Sed quemadmodùm baptismi sui superstitiones admixtas detestari potuerunt, retento baptismo quod in Ecclesia Romana à Presbyteris sacrificis perceperant, idem de vocatione ad Ecclesiæ ministerium factū est. Deus, qui sapienter omnia dirigit, atque gubernat, non nobis excitauit Turcos aut Paganos, qui aberrantes in verā veritatis viam reuocarent; sed è medio Ecclesiæ, in Ecclesia natos & institutos, semper aliquos excitauit, qui idololatriam, & falsa de filio Dei dogmata, aliosque errores & peccata reprehenderent: quorum vocatio conditioque in dubium vocari non potuit. Quòd si fecisset, eos illis donis insignisset, quæ de eorum vocatione indubitatam fidem facerent. Mirum est in Ecclesia Romana quenquam baptismum agnoscere, qui ministerium Ecclesiasticū neget.

Nam quamuis Romana Ecclesia nec orthodoxa, nec catholica, nec catholicæ Ecclesiæ sanum membrum sit; Ecclesia tamen est: & vide quid amplius dicam, ipsa est mater nostra, in qua & per quam nos Deus regenerauit, & filij sui sanguine tinxit, & à peccatis abluit, atque in numerum hæredum regni cœlorum adscripsit: sed quia meretrix & adultera est, contrà eam meritò cōtestamur: vtpotè qui reuerentiam fidemque Deo patri, eiusque filio Domino nostro maiorem debemus, quam matri adulteræ. Romana Ec-

na Ecclesia non alio loco piis doctoribus & Episcopis, adeoque cuiuis pio christiano esse debet, quàm fuêre olim Prophetis Israel & Iuda, sub impiis Sacerdotibus & regibus. Quod Deus illis per seruos suos exprobrat, verè & in Romanam Ecclesiam competit: qui vlteriùs progrediuntur, rationem Ecclesiæ non assequuntur.

Visibiles & externæ Ecclesiæ multis modis corrumpi, & à veritate aberrare possunt: nec maius priuilegium sibi vendicare potest Romana Ecclesia, quàm olim potuit Israel aut Iuda: de quibus Dominus ad Hoseam ita loquitur; *Vade, accipe tibi vxorem fornicationum, & filios fornicationum, quia fornicando fornicabitur terra, ne eat post Iehoua.* Quibus verbis defectionem populi sui à vera pietate significauit; qualem & in Romana Ecclesia conspicimus: & tertio capite, apertiùs his verbis, *Rursum vade, & ama mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Iehoua filios Israel: ipsi autem respiciunt ad Deos alienos, &c.* Quemadmodùm adultera illius temporis Ecclesia filios & filias Deo pariebat, ita nunc & Romana, & alia quæuis corrupta Ecclesia. Quamdiu enim apud eos remanent testimonia, signaque fœderis Dei; nempè nouum & vetus testamentum, cum sacramento baptismi in nomine patris & filij & Spiritus sancti, & fide in Deum patrem & filium & Spiritum sanctum; & per filium Dei, & ipsius mortem credentes seruatum iri; quamuis multa impia, & minimè consentanea cum hac fide, & verbo Dei, contento in nouo & veteri testamento, quod credunt, affingant falsi doctores, Ecclesiæ tamen sunt vniuersalis partes & membra. Fidem fœderis Dei, & constantem ipsius veritatem, non abolet perfidorum ministrorum Ecclesiæ Dei incredulitas.

Scindunt ac diuidunt se ab inuicem factiosi christiani, & in primis doctores ad turbas & dissidia nati: cœtus piorum hinc indè manent vniti. Ecclesia vna est; quæ nec scindi, nec diuidi potest. Israel à Iuda secessit: qui ad Deum in vtroque populo pertinebant, vnam Ecclesiam constituebant, & vna fide in Deum sese recolligebant. Et sicut fœdus Dei in ceruicoso & duro populo, semper ad idololatriam propenso, mansit; ita hodiè in Latina & Græca Ecclesia permanet. Et de pueris apud illũ natis, & circumcisis, quod legitur in Ezechiele, de pueris apud dissidentes christianos baptisatis est intelligendũ. *Tulisti* (inquit Dominus ad Ecclesiam adulteram) *filios tuos, & filias tuas, quos genera sti mihi; & immolâsti illos eis* (nempe Baalim) *ad consumendum: nunquid parum est tibi de fornicationibus tuis? & immolâsti filios meos, dedisti q; eos vt transire faceres eos per ignem, &c.* Hinc fit manifestum, adulteræ & meretricis Ecclesiæ natos, Deum pro suis agnoscere. Huius matris etsi nos pudere debeat, negandum tamen non est, quòd mater sit, propter pactum & fœdus, quod cum illa Deus habet; virtute cuius, quotquot in illis Ecclesiis nascuntur, in populo Dei censentur; donec imitatores matris adulteræ facti, proprio peccato per idololatriam & pernicioſos errores, iplimet à Deo decesserint.

Quotquot in Ecclesia Romana baptizantur, in nomine Christi, non Papæ, aut sanctorum baptizantur, & profitentur se christianos esse, & per Christũ quærere salutem, atque Deum patrem inuocare: & certè eatenus sunt fratres nostri, quamuis multis erroribus sint immersi. Idololatriæ, & abominationes quæ illic vigent, non magis veritatem, fidemq; promissionum Dei delere queunt, quàm in veteri Testamento: & sicut ibi fœdus Dei ministeriumque Ecclesiasticum non prius interiit, quàm Dominum Iesum Christum negauerunt, & prorsus abiecerunt; sic in Ecclesia Romana & aliis, quas malitia temporum, & versutia Satanæ seduxit, & à puritate Euangelij, in prophanos & impios cultus traduxit, sacramentum Christianismi & ministerium Ecclesiasticum interisse non est censendum. Corrupta quidem illa sunt, & conditionem sequuntur Ecclesiæ; non tamen sunt nulla. Quemadmodùm igitur Deus per Hieremiam (quæ Dei est misericordia) benignis verbis contra gentium mores, amanter Iudaicam & Israeliticam adulteras Ecclesias, ad sanam mentem, vt ad eum reuerterentur adhortatus est; sic in nouo testamento, nunquàm defuêre viri Dei, qui abusus & abominationes Ecclesiarum apertè reprehenderent. Verba Hieremiæ hæc sunt; *Si dimiserit vir vxorẽ suam, & abierit ab eo, & fuerit viri alterius, nunquid reuertetur ad eum amplius; an non prænaricando prænaricata est terra ipsa? tu autẽ prænaricata es cũ amatoribus multis, sed reuertere ad me dixit Iehoua. &c.* Eodem modo Romana meretrix, & quotquot ab ea seductæ à puritate & veritate doctrinæ Christi Ecclesiæ defecerunt, ad pœnitentiam inuitandæ sunt; vt relicta prophanatione Christianismi, ad veram pietatẽ cõuertantur: & eo maxi-

nomine quòd Ecclesiæ sunt, & Christo Domino, tanquàm viro legitimo desponsatæ, obligantur.

Porrò Ecclesia nulla esse potest, vbi nec vllum Christi sacramentum, nec ministerium Ecclesiæ conspicitur. Non pauci in illis Ecclesiis semper fuerunt, qui veram de filio Dei & efficacia mortis ipsius, & nostrorum operum meritis, tenuerunt sententiam, & docuerunt: quorum vocatio communis erat cum iis qui pontificios errores propugnabant. Deo nunquàm in illa Babylonica perturbatione defuerunt veritatis Euangelicæ contra papam, & papæ errores, testes; qui homines ab impietate ad verum Dei cultum reuocarent: & qui corpora sua pro vera Christianæ fidei defensione flammis tradidere: quorum certè vocatio à Romana Ecclesia quam tunc habebant, non tam abiurata veritatis professione, quàm confirmata fuit.

Patrum nostrorum memoriâ Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, & alij, non aliam habuerunt vocationem, ab ea quam in Romana Ecclesia susceperant: quibus quandò sisti Cæsari eos contigit, nunquàm iure ipsis de eorum vocatione vlla potuit moueri quæstio: quòd si fuisset, paratam habebant responsionem magis idoneam meo iudicio eâ quæ in colloquio Possiaco facta fuit. Quamuis enim omnes qui ibi conuenerant coram rege, non eandem haberent ordinationem, & alij ab Episcopis Romanæ Ecclesiæ ordinati essent, alij ab Ecclesiis reformatis: neminem eorum pudere suæ ordinationis debuit. Fateri, citra vllum periculum, quod ego videre queam, poterant, se ordinatos fuisse & vocatos, alij ab ipsis Episcopis Romanæ Ecclesiæ, alij à Presbyteris orthodoxis, ordine recepto in Christi Ecclesiis, præcedente examine morum & doctrinæ, & accedente magistratus authoritate, & populi consensu, cum impositione manuum, & precibus.

Quamuis ordinationes ministrorum Ecclesiæ propriè ad Episcopos pertinere iudicem: necessitas tamen facit, vt vbi illi desunt, nec haberi possunt, orthodoxi Presbyteri possint in necessitate ordinare Presbyterum: quæ res, tametsi præter ordinem fiat receptum ab ipsis Apostolorum temporibus, necessitate tamen excusatur: quæ facit vt in tali rerum statu Presbyter sit Episcopus. Proindè quamuis factum sit extraordinarium, vocatio extraordinaria non est censenda.

Omnium scholasticorum vna est communis sententia, eaq; orthodoxa; non esse suscipiendos ordines ab hæretico Episcopo, potiùs perferendam esse excommunicationem. Vlteriore demonstratione hoc non eget. Episcopum autem Romanũ cum omnibus alijs Episcopis, qui sub ipsius iugo degunt, esse hæreticum, et omniũ hæreticorũ supremũ caput, fideles Dei serui perspicuis & inuictis argumentis docuerunt; & Christi orthodoxæ Ecclesiæ paratæ sunt, in libero generali Concilio, ex verbo Dei hoc fusiùs demonstrare. Quamobrem nemini bono, cui Deus veritatis suæ notitiam dedit, ordinationem ab illius Ecclesiæ Episcopis accipere, est integrum. Prouidentiâ Dei factum est, vt vniuersus clerus Papisticus nunquam potuerit ita corrumpi, quin inter illos semper aliqui fuerint, qui veritatem Euangelicam propugnârunt, & idololatriam, alioſque impios abusus illius Ecclesiæ, reprehenderunt. Atque hoc etiam verum est, quòd in tali Ecclesiæ perturbatione, quandò omnes Episcopi à vero Dei cultu deficiunt ad idololatriam, sine vlla gubernationis Ecclesiæ violatione, ad pios Presbyteros & orthodoxos tota Episcopalis gubernationis Ecclesiasticæ authoritas deuoluitur: vt Presbyter liquidò possit ordinare Presbyteros. Gulielmus Altisiodorensis in summa sua, lib. 4. ait. *Si essent in mundo tantùm tres simplices Sacerdotes, oporteret quòd aliquis illorum consecraret alium in Episcopum, alium in Archiepiscopum. Presbyteri, sicut & Episcopi, in sua ordinatione, claues regni cœlorum accipiunt; sunt enim etiam Apostolorum successores.* Hieronymus ad Heliodorum, in vniuersum de Clericis scribit, *Absit vt de his quic quam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus ore conficiunt: per quos & nos Christiani sumus. Qui claues regni cœlorum habentes ante diem iudicij iudicant. &c.* Ibidem ille ipse de eisdem addit. *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradũ Petri, iam cum Christo regnantium. &c.*

Vnus Deus, vnus Dominus Iesus Christus, vna Ecclesia, vnum Baptisma, vnum Ministerium. Discrimen quod inter Presbyteros & Pastores Ecclesiæ Christi est, in regiminis Ecclesiastici authoritate consistit. Quod non violatur, quandò amotis quolibet

modo

modo superioribus ordinibus, qui sunt infimi gradus soli remanent; apud quos consequens est, vt tota tunc clauium Ecclesiæ potestas resideat. Quòd autem illa potestate non vtuntur, ideò fit, quia nulli gregi sunt præpositi, & nullos sub sua habent potestate, quos soluant et ligent. Qui tantùm in partem solicitudinis pastoralis adsumpti sunt ab Episcopis, vlteriùs quàm ipsis mandatum est, progredi non possunt. Quæ ad iurisdictionem pertinent, non attingunt, quia eam sibi reseruant Episcopi. At vbi Episcopi omnes facti sunt impij hæretici, ab illorum iurisdictione orthodoxi Presbyteri liberantur: & potestatem clauium, quam in sua ordinatione acceperunt, sibi vendicare debent. In generali hæresi, quæ tam ipsos Episcopos, quàm populum corrupit, reditus ad veritatem verâ pœnitentiâ ad Deum conuersis, nihil adimit, sed restituit, & emendat quod priùs in hæresi vitiatum erat. Hæresim intelligo damnabilem, quæ consentientes in illam à Deo separat; cuiusmodi est Romanæ Ecclesiæ impietas: in qua tamen quamdiù remanet Ecclesiæ forma, ministerium similiter illic superesse necesse est. Non probo moritatem illorum, qui nullum in Ecclesia Romana agnoscunt ministerium, & illud, quodcunque ibi est, diabolicum esse autumant. Vbi enim est Baptismus, ibi sit etiam minister oportet, & ministerium. Quisquis ministerium in Ecclesia Romana nullum nisi diabolicum agnoscit, miror quomodò baptismum illic administratum probare queat, et habere ratum. Quàm propè hoc ad Anabaptismum accedat, iudicent alij. Quare vt in conuersione ab Antichristiana impietate, ad veritatem Euangelicam, Baptismò susceptò in papatu non est renunciandū: ita etiam nec Ecclesiastico ministerio, si quis ibi aliquod obiuit.

Omnes nostri seculi reformationes factas obseruo authoribus, qui in Romana Ecclesia fuerant Presbyteri: Quibus veritas doctrinæ Christianæ, & ad Christum conuersio, claues regni cœlorum, hoc est Ecclesiasticæ gubernationis potestatem quam in papatu acceperant, non aufert, vt sub Christo non possint, quod sub Antichristo potuissent, si Romana Ecclesia ad illas angustias, quas dixi, reducta esset. Potuerunt etiam primi restauratores Euangelij pari iure sibi adsumere socios, & collegas in opere domini: hoc est, id quod ipsi erant, ordinare Presbyteros ac restituere traditum ab Apostolis Ecclesiasticum ordinem. Quod Pontificij obijciunt nos et nostros homines esse Hereticos, & Apostatas, in ipsos regerimus conuitium. Antichristianam Romanam esse Ecclesiam demonstrare nobis erit facilius in libero Concilio, quàm ipsis futurum est, de Apostasia conuincere nostras Ecclesias. Interea temporis, quamdiù sub iudice lis est, fruemur priuilegijs, quæ Dominus Ecclesiæ suæ dedit.

Ego certè nescio qua necessitate D. Beza ad extraordinariam vocationem fuerit cōfugere coactus. Non enim arbitror aut ipsum, aut Nicolaum Galasium, aut si quis præterea ibi erat non ordinatus ab Episcopis Romanis, sine vocatione legitima, recepta in Christi Ecclesiis, ministerium verbi arripuisse. Doleo à Chemnitio nobis, quos sacramentarios vocat, exprobari, nos nihil à fanaticis Anabaptistis differre, quod multoties sine vocatione, aliqui nostrûm doceant: adfertq; quod iam attigi exemplum. *Cùm aliquando in Gallijs* (inquit) *Papistæ contenderent cum sacramentarijs, de vocatione, & illi hosce interrogarent qualemnam haberent vocationem, respondit Beza, se nec mediatam nec immediatam, sed extraordinariam vocationem habere docendi in Gallijs. Et audio illos Geneuæ hunc morē seruare, vt aliquos in theologia instituant, & postea in Gallias docendi causâ mittant. Sed qualis est vocatio, talis est etiam successus.*

Papisticas ordinationes supra modum, ne dicam supra verum, declamatorio more D. Beza exagitat & exaggerat: qua in re vereor ne bonam causam lædat, apud conscios examinis, quod hodiè plerisque in locis apud pontificios habetur; qui dicent D. Bezam maleuolentia, odioque in aduersarios, abripi ad calumniandum. Ipse, ni fallor, examini nunquàm interfuit; sed ex iis, quæ non rarò accidisse ab aliis audiuit, in vniuersum de tota re iudicat. Ego quid viderim narrabo, & quod verum est aduersariis concedam; vt sciant nos indè, nihil pro veritate quærere præsidij. Nam vt dem, quod tamen verum non est, omnes vbique gentium, ordinandorum examinationes, quæ apud eos fiunt, esse exactissimas; non possunt tamen non esse corruptæ, quamdiù impios, crassos & fœdos suos errores pro veritate venditant: & hæresis ipsis est, quod aperte verbum Dei docet. Errare D. Bezam falliqué fateor, qui nullum morum & doctrinæ

examen

examen ordinandos subire putat. Ego noui de præcipuis doctrinæ capitibus graues quæstiones proponi, præsertim futuris Presbyteris: & propter imperitiam vitæque turpitudinem plerosque repelli, & fuisse repulsos in diuersis diœcesibus, & à diuersis qui præerant examini. Fallitur D. Beza quandò in vniuersum pontificiorum examen damnat hoc nomine; quòd semper apud omnes, & vbique vetusti de examine ordinandorum violentur canones: tanquàm aut nullum præcedat examen, & totum subsatum sit; aut quosuis promiscuè admittant qui præsunt examini: quorum neutrum semper verum est. Corrumpi solitos examinatores, & corrumpi multis modis posse non ignoro: & venale esse quicquid Romæ est: & quod per canones non licet, pecunia non raro efficit. Sed indè non fit consequens, fœdam illam nundinationē semper intercedere, aut nullos examinari, omnes esse indoctos, & moribus ac vita impuros, quos ad Presbyterium admittunt. Vt indocti, & palam improbi, admissi, Romanæ Ecclesiæ corruptionis testimonium præbent; ita docti & probi testantur, eruditionis & honestatis apud eos haberi interdum rationem. Similiter negare propter solam opinionem eruditionis & virtutis, interdum vltrò deferri Episcopatus & Sacerdotia, est impudentiæ: cùm constet eximiæ eruditionis viros, & apud homines exteriùs inculpatæ vitæ eligi Episcopos, & Presbyteros creari. In quos certè locum non habet, quod D. Beza de examine, & aliis peccatis, quæ tam in ordinationibus, quàm electionibus Presbyterorum & Episcoporum accidere solent, disputat.

Si hos ad veram fidem conuerti contingat, non magis, veterū patrū iudicio, opus eis est noua ordinatione, quàm nouo baptismo: vt enim errores & impietatē abiurent, nihil opus est, vt simul vocationem ad Ecclesiæ ministerium, & Presbyteri aut Episcopi ordinem, si quem obtinuerunt, abiurent. Domini Presbyterium est institutū, non Romani Papæ inuentum. Plurimum superstitionis in baptismo humana temeritas admiscuit: quam abnegare retento baptismo, qui relicta superstitione Papistica, ad Christū se conuertunt, liquidò cùm possint, cur in ordinatione Ecclesiastici ministerij non idē seruetur, nulla ratio est. Multi tum veteres patres, tum nostræ ætatis pii docti viri, nulla in re D. Bezæ inferiores, non vident cur id fieri non possit & debeat, quoties & Ecclesiæ pax & ædificatio id postulat. Quidquid contrarium Dominicæ ordinationi ab hominibus additum fuit, abolere nequit quod Dei est. Tutiùs in his rebus tritis sanctorū patrum insistitur vestigiis, quàm noua via quæritur.

Patres duobus modis, aduersus hæreticos ad veritatem fidei conuersos, se gesserunt; alios enim in eo ministerij Ecclesiastici gradu, quem ante tenuerant, perseuerare, alios inter Laicos numerari voluerunt: in qua re, rationem potiùs habuerūr publicæ ædificationis Ecclesiæ, & salutis populi, quàm meriti priuatæ personæ. Publico iudicio damnatos de hæresi, aut ab ea conuersos, non statim, neque semper, nec vbique pristino suo ordini, si quem tenuerant, restituebant: nec hoc vt fiat, à me agitur. Quòd si hodiè relicto papatu, sacrificuli ad nostras Ecclesias confugiant, aut alij hæretici, eos certè non censeo subitò in Ecclesiæ ministerio collocandos: sed quandò totum aliquod regnum gratiâ Dei, ab hæresi & superstitione conuertitur ad veram Christi fidē, nempè ipsi reges summique magistratus cum vniuerso clero & populo, aut potiore parte, Episcopos & Ecclesiarum Pastores, qui errores suos abiurare parati sunt, non moueri loco, tam reip. quam Ecclesiæ interest. Quidquid hîc, vt in baptismo, contrarium Dominicæ ordinationi, & Apostolicæ traditioni additum fuit ab hominibus, eam non abolet. Nam si concedamus, vitia quæ obueniunt rebus à Deo institutis, eas posse ita deprauare, vt esse desinant quod sunt, nullum coniugium inter maritum & vxorē, nulli reges stare, nihil denique quod ad hominum salutem à Deo est optimè constitutum, manere poterit, quandocunque impietate & iniquitate hominum illa corrumpi continget. Nam quomodò omnia malis artibus ineantur, & administrentur, quæ à Deo cōstituta sunt, & sanctè & religiosè suscipienda, & administranda forent, videmus.

Quòd autem D. Beza ait, *alios non ad prædicandum, sed peruertendum Euangelium, alios non ad docendum, sed rursùs ad sacrificandum abominandū βδελύγμα esse ordinatos*; rem, meo iudicio, non vt oportet accipit. Tametsi in papatu, qui immersi sunt illius Ecclesiæ erroribus, Euangelij doctrinā peruertant: nemo tamen Presbyter ordinatur hoc consilio, vt aut Christum oppugnet, aut ipsius Euangelium peruertat. Quod si fieret, aperta esset

esset defectio à Christo, quæ nec cũ Ecclesia, nec cum ipsius ministerio quidquam rã tineret commune. Sed plurimum interest, inter ea quæ sunt aberrationis rei cuiuspiam (cum voluntate tamen & animo efficiendi id, à quo aberratur) & quæ sunt ex professo odio & inimicitia illius eiusdem rei. Pontificis propositum non est oppugnare Christum, vel eius doctrinam, quòd id tamen faciunt, ignorãs, præter animi sententiam. Machumetani verò & Gentiles, & Iudæi, & quotquot apertum bellum indixêrd Christo, & ipsius Euangelio, nihil habent in sua religione, quod ex eorũ vel ex parte referri possit ad institutiones Domini nostri: & ideò ii concinnatæ epũ institutis ad Christum conuerti, & fidem christianam recipere, nihil retinere possunt eorum quod ex sua religione & impietate acceperant. Eorum autem qui Christum profitentur, & à veritate christianæ doctrinæ aberrant, quam tradidêre Prophetæ & Apostoli, & errores diuquàm scoriam miscent argento veræ doctrinæ; tamen super fundamento, quod est Christus, cum stipula etiam aurum ædificant, & stipulam & ligna, aliaquè parum fundamento digna, longe alia est ratio. Per ignem stipula & lignis consumptis, & repurgatis, remanebit aurum & argentum. Labefactant igitur & suis inuentionibus corrũpunt pontificij de filio Dei doctrinam; sed eam non tollunt: errores enim siccollas, remanebit vera de filio Dei doctrina.

Quòd præterea D. Beza ait alios ordinatos non ad docendum, sed ad rursùs sacrificandum abominandum βδέλυγμα, plus videtur habere momenti. Profectò si in nullum alium finem, quàm ad sacrificandum essent ordinati omnes pontificij Presbyteri, agnoscerem cum D. Beza non posse inter Ecclesiæ Christi, post eorũ conuersionem, vllo modo Presbyteros haberi, & eam peritura vocationem papisticam, vera conuersione ad Deum. Sed officium Presbyteri à pontificio non definitur sola sacrificandi potestate: ordinatur enim vt verbum Dei doceat, vt baptizet, & vt præsit Ecclesiæ Iisque Episcopo auxilio: sicut apparet ex Episcopi precibus & verbis, quando ordinat Presbyteros. Sic enim eos alloquitur: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare.* &c. Et impositis vtraque manu super caput ordinandi, sic precatur, *Oremus (dilectissimi) Deum patrem omnipotentẽ, vt super hos famulos, quos ad Presbyteri munus elegit, cælestia dona multiplicet, & quod eius dignatione susceperunt, ipsius consequantur auxilio,* & alio loco. *Deus sanctificationum omnium author, cuius vera consecratio plena & benedictio est, Tu Domine super hos famulos tuos, quos tibi Presbyterij honore dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde: vt gratiarum actionis & censura videndi, probent se esse seniores, his institui disciplinis, quas Paulus expressit, vt in lege tua die ac nocte omnique tempore meditentur, quæ legerint, credant, quod crediderint, doceant, quod docuerint, imitentur, iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, cæteraſque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirmẽt, ac patrimonium & immaculatum ministerij sui donum custodiant, & in defectu plebis tuæ, puros & vnitos in corpus & sanguinem filij tui quam vlatus benedictionum formã, & impositæ chartæ te in virum perfectum, & pleni sunt spiritu sancto plenæ iudicij Christi, irrefragabilis & æternæ iudicij, conscientia pura, fide plena, spiritu sancto plena per solam, per eandem &c.* Hîc videre possumus in quem finem ordinentur Presbyteri in Romana Ecclesia: ex qua ordinatione, superfluas si tollas cæremonias, & offerendi sacrificium, missæque celebrandi tam pro viuis quàm defunctis potestatem, à Romano Episcopo inuentam, habebis veterem creandi Presbyteros ritum. Cæremoniarum nugas & sacrificij mortis Domini nostri prophanationem, & impietatem, contaminasse ministerium Ecclesiasticum in Romana Ecclesia credo, sed non sustulisse, vt qui Presbyteri & Episcopi illic ordinati sunt, non sint Presbyteri nec Episcopi.

Ordinatio autem Episcoporum sic habet. Primò, vt in quarto Carthaginensi Concilio fuit constitutum, electus interrogatur de fide sanctæ trinitatis, & de diuersis causis de moribus, quæ huic regimini congruunt, & necessaria sunt. Quem tres Episcopi his verbis adloquuntur. *Interrogamus te (dilectissime frater) charitate fidem, & mentẽ prudentiam tuam, quantum tua capax est natura diuina scripturarum sensibus apte modo dare valeris.* Respondet electus; *Ita, ex toto corde volo, in omnibus obedire, & consentire.* Deinde viterius interrogatur: *Vis ea quæ ex diuinis scripturis audieris, plebem, cui ordinandus es, verbis docere, & exemplis?* Respondet, *Volo.* Quo peracto addunt, mysteriorum, & Apo-

& Apostolicæ sedis constitutiones susc ipere, & beato Petro, eiusque vicariis, Romanis pontificibus, fidem, subiectionem, & obedientiam, secundùm canonicam authoritatẽ exhibere; quandoquidem cum superiori fundamento non cohæret, sed planè aduersatur, nullam obligationẽ adfert. Quòd pergunt interrogare de moribus, & vitæ sanctitate quam præstare tenetur Episcopus, pia sunt: quæ vbi se profeſsus est velle seruare, hanc actionem Episcopi his verbis concludunt. *Hæc omnia, & cætera bona, tribuat tibi Dominus; & custodiat te, & corroboret in omni bonitate.* Interrogatur postea particulariùs de fide in Deum patrem, & filium, & spiritum sanctũ, & an credat sanctam catholicam & Apostolicam vnam esse veram Ecclesiam, in qua vnum datur verum baptisma, & vera omnium remissio peccatorũ. Item an Anathematizet omnem hæresin extollentem se aduersùs sanctam catholicam Ecclesiam. His & aliæ adduntur interrogationes piæ, quæ postquam se credere profeſsus est, Cósecrator respondet. *Hæc tibi fides augeatur à Domino, ad veram & æternam beatitudinem, dilectissime frater in Christo.* Sequitur breuis oratio paucis concepta verbis. *Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendũ est ministerio, tua virtutis impleatur effectu.* Preces plures partim christianæ, partim superstitiosæ adhibentur, cum superfluis multis & ridiculis cæremoniis in vnctione, consecratione chirothecarũ, annuli & baculi: cùm olim annulo & baculo simplici in possessionem Ecclesiæ & rerum Ecclesiasticarũ mitterentur Episcopi. Publicis his actionibus publica authoritate peractis, eas magistratu & populo christiano, quouis modo, aut legibus aut consuetudine, aut consensu siue explicito siue implicito, approbantibus, efficitur Episcopus.

Qui autem hoc est ritu institutus, & cum ea stipulatione, ego non video cur non debeat haberi Episcopus; qui ex voto & sponsione facta, partes omnes & officium implere boni & christiani Episcopi teneatur. Et quamuis millies se obstringat Romano Episcopo, cùm hoc repugnet cum iis quæ acta & promissa sunt Domino Iesu Christo, & ipsius Ecclesiæ, fidem ei nullam debet: sed secundùm veram catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ normã, & Apostolicam doctrinam, ex sponsione facta Deo & Ecclesiæ, suam plebem fideliter docere, & clerum suum regere, tenetur. Ad quem rem nec Geneua, nec Theodoro Beza, nec aliis quibúsue orthodoxis pastoribus opus habet ordinari. Adiutores si indè, & ab aliis reformatis Ecclesiis petat, in re pia pio præsuli debetur auxilium & societas.

Alio sermone, & longè diuerso, D. Bezæ præceptor, piæ recordationis Io. Caluinus, in Epistola illa quam ad amicum in Romana Ecclesia præsulem factum scripsit, vsus mihi videtur. In qua non eum negat Episcopum, si functionem illam obire velit & possit; sed abusus & pericula proponit, quæ Episcopos Romanæ Ecclesiæ circumstant. Interim eum fatetur, inuocato nomine Dei, iurâsse in probi sanctique pastoris munus: & ita Deo & hominibus obstrictum teneri. Et quamuis eum pro Episcopo habendum non censeat, in quo ne obscurissima quidem linea extet, quæ Episcopum aliqua ex parte figuret; non desinere teneri, quod Deo simul & hominibus sacramento pollicitus erat. Et tandem concludit, non vt Episcopatum, si eius administrandi facultas esset, abiiciat; sed vt è duobus alterum eligat: aut vt Episcopi sedem deserat, aut quæ sunt Episcopi præstet: his verbis, *Omninò sanè quod ab Episcopo requiri audis, præstandum est, aut sedes Episcopi deserenda.* Quandò Dominus Beza his verbis me compellat, *vsq; adeo firmas papisticas ordinationes recũ esse censebimus; vt quoties tali cuipiã pseudoepiscopo Deus concesserit ad verum christianismum transire: omnis illa ist insuaue ordinationis impuritas, simul expurgata censeatur?*

Respondeo, me non de quouis vno Episcopo fuisse locutum, qui forte aut per scelus ad Episcopi dignitatem peruenerit; aut fauore sit euectus ad eam functionem, ad quam est ineptus, sed de totius Galliæ Episcopis, totáque Gallicana Ecclesia, aut potiore ipsius parte. Ipsos communi consensu, & authoritate regis, atque omnium ordinũ, posse inconsultis aliarum Ecclesiarum, quæ reformatæ habentur, ministris, se & Ecclesiam suam reformare: & qui sunt Episcopi & Pastores Ecclesiarum, retinere gradum, & ordinem ministerij sui, quotquot ad illud sunt apti; & conuersione ad verum Christianismum, pseudoepiscoporum ordinationis omnem impuritatẽ deleri: mihique mirum videri id à quoquam theologo, & præsertim à tanto viro, qualem D. Bezam iudico, negari.

gari. *Denique ad illud tecum censebimus, &c.* Mecum mi Beza? parum id refert arbitror, mecum sentias, dissentiásue: ego nullus sum. Sed in hac re si mecum sentias, senties cum iis, quorum te nihil pudere debebit. Noui dogmatis ego non sum author; nec vnquàm, Deo dante, futurus sum. Patrum orthodoxorum hæc est sententia. Sic enim in Epistola quadam scribit Augustinus: *Habeant ergò isti de praterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem: & veniant ad Ecclesiam Christi, hoc est, matrẽ catholicam: sint in illa clerici; sint Episcopi vtiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter.* Et idem in eadem Epistola, *Hoc erga istos ab initio seruauit Affricana catholica & Episcoporum sententia, qui in Ecclesia Romana inter Cecilianum, & partem Donati iudicauerunt; damnatóque quodam viro Donato, qui author schismatis fuisse manifestatus est, cateros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt: non quò etiam foris ab vnitate corporis Christi possent habere Spiritum sanctum; sed maximè propter eos, quos foris positi possent decipere, & à susceptione illius muneris impedire. Deinde, vt etiam ipsorum infirmitas leniùs excepta, intùs sanabilis fieret, iam nulla pertinacia claudente oculos cordis aduersùs euidentiam veritatis.* Mitto canones diuersorum Conciliorum hîc inserere, breuitatis causâ.

Iam venio ad aliquem vnum Episcopum, qui aut tantùm titularis est Episcopus, aut non tantæ potentiæ, vt se suosque contra vim Episcopi Romani, aut clientum ipsius defendere possit: cui proculdubiò locus in Romana Ecclesia nullus ampliùs est relictus, nisi mori velit. Hic cùm Ecclesiam nullam habeat, & ad alienam confugere cogatur; si eas habeat virtutes, quæ in Episcopo desiderantur, & in ipsius ordinatione nihil intercesserit vitij contra vetustos canones, nisi quod ex aberratione Romanæ Ecclesiæ prouenit; pœnitentia & conuersione sua deletum, quicquid impuritatis in ipsius ordinatione fuit amissum, existimo: vt haberi possit & debeat, inter Ecclesiæ ministros. Quem si ad aliquam Ecclesiam vocari continget, noua ordinatione ei nihil sit opus. Ridebunt fortè hæc iuniores theologi, sed probabunt graviores viri.

Quod in papatu sacrarum literarũ studiosus, qui se sacro verbi Dei ministerio mancipare, & in Ecclesiæ ministrorum ordinem cooptari expetit, piè desiderat; quamuis ipsius animus ex educationis ratione, locique & temporum iniquitate, errores contraxerit: inter errores tamen numerari non debet. Quare, quando meliorem religionis christianæ cognitionem, Deo dante, est consequutus, pium illum affectum sub Christo, deponere non debet, quẽ antè habuit sub antichristo; in cuius synagoga si fuit ordinatus in Ecclesiæ Ministrum, sicut & baptizatus, ordinationem non magis abiurare debet, quàm baptismum. Ratio hæc est, quoniam vtrunque est Christi, non antichristi. Non enim magis Papæ est Ecclesia, eaque quæ ad Ecclesiam pertinent, in qua præsidet; quàm Dei templum fuisse illius Idoli censendũ est, quòd in illo collocârat Antiochus Epiphanes: templum quidẽ Dei prophanabat, sed non suum faciebat. Quòd si tamen Presbyter aut Episcopus aliquis sit huiusmodi, vt plerosque omnes esse contendis; tantùm in hoc ordinatos vt sacrificent; nec magis idoneos ad functionem Episcopalem, quàm bos ad volandum; ego nusquàm scripsi, eos qui tales sunt, retinendos esse Ecclesiæ ministros; aut ab illis, vllam expectandam esse reformationem Ecclesiæ. Sed cùm falsum sit, omnem Presbyterum papisticum, aut ad sacrificandum tantùm institutum esse, aut non magis aptum ad Ecclesiasticam functionem, quàm bos est ad volandum; moderatiùs D. Bezam scripsisse vellem; ne bonam causam magis lædat, quàm iuuet. Constat in Ecclesia Gallicana Episcopos & Presbyteros non paucos inueniri omni scientiarum genere claros, qui si ad Christum conuerterentur, Ecclesiam Christi non minùs ædificare possent Geneuâ profectis. Quos omnes dũ nimis despicit & inter asinos constituit, à veritate alienat; non ad eam allicit.

D. THEOD. BEZA.

SEd non nescis tamen quanti sit momenti Apostolica illa de neophyti præceptio, 1. Tim. 3. 6. Et quàtum sit istiusmodi hominibus credendum, ipsa quoque Anglia est olim tristissimis exemplis experta. Quod in genere de Gallicanarum Ecclesiarum Episcopis (& nimirùm de Presbyteris sacrificis) faciendum censes, vide quàm leuiter tibi excideris, ignaro nimirùm ex illis plerosque, etiam si millies ex Papistis Christiani euaderent, non magis tamen ad Episcopalem functionem idoneos inuentum iri, quàm boues ad volandum, aut asinos ad lyram. Sed & illud nescio, an, cùm primùm Ecclesiæ apud Anglos instaurentur,

staurarentur, tales fuerunt qui tum erant in Anglia Episcopi, id est, ea eruditione, & iis donis ac moribus præditi, quales esse necesse sanè oportebat in sacro illo ministerio, ac præsertim in Episcopali gradu collocatos. Ad Presbyteros autem quòd attinet, quos omnes etiam idoneos ad docendum esse vis, & quorum tot sunt in Gallia myriades, falleris quoque vehementer, si vel vnum ex centenis in Gallia inueniri posse putas, qui expeditè eò vsque literas nôrit, vt expeditè legere & recitare quicquam possit. Itaque bellè sanè fuerit Gallicanarum Ecclesiarum, si tibi creditur, instauratio.

HAD. SARAVIA.

VTinam præceptum illud Pauli de neophytis obseruaretur à nobis qui adolescentulis pastorale munus imponimus, nulla singulari eruditione, sed loquentia, dicendique facilitate tantùm commendatis: plura non addam. In generali totius alicuius gentis reformatione religionis, de neophytis præcepti ratio locum non habet: præsertim quando ad nullum altiorem honorem nuper conuersus ad veram fidem euehitur; sed eum retinet, quem anteà obtinebat. Quæ hic elatio metuenda est? vbi quis in ea statione manere iubetur pro Christo, in qua erat anteà constitutus pro Antichristo. Paulus in neophyto animi elationem, quâ nihil in pastore pernicioſius esse potest, cauere voluit. Quid de Anglia dicere velit D. Beza non intelligo. Temporibus regis Eduardi Anglicana Ecclesia consensu omnium ordinum Euangelicam reformationẽ suscepit. Quid obsecro fieri D. Beza voluisset aliud, quàm quod factum est? Nimis iniquus censor. D. Beza videri potest, qui reformationem tot & tam insignium (siue eruditionem siue pietatem spectes) Christi martyrum partam, & confirmatam sanguine, notare audeat. Quid obsecro suasisset Beza, si tunc temporis hîc præsens in Anglia fuisset? an ipse plus nouem millibus parœchiarum nouos pastores creare potuisset? Præstabat populum pastorem habere hypocritam, bonis obtemperantẽ legibus, quæ non sinebant eum seducere populum, sed in syncero Dei cultu quoquo modo præire cogebant, quàm destitui pastore & religione.

Rex Eduardus authoribus Episcopis, Thoma Cranmero, Latimero, Ridleo, & aliis pluribus, nationalem synodum conuocari iussit, & Ecclesiam reformari in doctrina & moribus. In ea synodo nemo erat, qui non ordinatus anteà fuisset dum vigebat idololatria. Quod mali hanc reformationem auersati sunt, vitio bonis verti non debet. Eam rex, & ordines huius regni probârunt, & publicæ legis vim accepit. Impio Dei cultu hac ratione sublato, & deiecta tyrannide Romani Episcopi, omnibus pastoribus omnium ordinum, doctrinæ summam ex verbo Dei desumptam, quam docerent, proposuit, & quo ritu populus Deum coleret, & sacramenta ministrarentur. Quotquot piis edictis parere non detrectârunt, gradum officiumque in Ecclesia retinere voluit, quod anteâ habebant. Temporibus reginæ Mariæ, mutato religionis statu, quemadmodũ multi defecerunt, ita multi constantes permanserunt. Nec illi tantùm qui Presbyteri & Episcopi pontificij anteà fuerant, defecerunt, sed quibus gratia Dei, propter eorum ingratitudinem, ad persistendum defuit. Si quis euoluat martyrum historias nostrorum temporum, plures ex hoc hominum genere Euangelij doctores inueniet, pro testimonio veritatis oppetiisse mortẽ, quam ex iis, quos aut nulla, aut non tam insignis superstitio polluerat. Ab hoc hominum genere, quod nimis superciliosè D. Beza despicit, prima Euangelij prædicatio emanauit.

Eorum quotquot sub tyrannide Episcopi Romani militauerunt, & sub rege Eduardo reformatæ Ecclesiæ fuerant Pastores & Doctores, tres partes facio. Prima est, eorũ qui aut voluntario exilio, aut qui sanguine suo testimonium Euangelicæ veritatis constanter consignârunt. Secunda eorum qui timore & imbecillitate victi cesserunt. Tertij fuerunt, qui etiam totis viribus, vt canes ad vomitum reuersi, veritatem hostiliter persecuti sunt. Primis & secundis fit iniuria; tertia pars quod commisit nihil bonorum laudem minuere debet: defectionis malum in nullo hominum genere euitari potest. Sed quantùm huic hominum generi tum in Anglia credendum fuerit, expendat ipse D. Beza, nisi ei creditum fuisset, nunquam Euangelium nèc Germania nec Anglia recepisset. Et nisi in hoc hominum genere, veritatis lucem Deus reseruâsset, Euangelij prædicatio, qua hodiè fruimur, restituta non fuisset.

Quod autem in genere de Episcopis & sacrificulis Gallicanarum Ecclesiarum faciendum censeo, nempe vt abiuratis erroribus papisticis, verũ Dei cultum amplectentur,

tur, vt quisque in suo ordine graduque remaneat, non probari D. Bezæ miror. Nam quamuis inter illos multi sint, qui ad functionem Episcopalē non magis idonei inueniantur, quàm boues ad volandū: multos enim esse confitendum est, si ad Christū conuerterentur, relicto pontifice Romano, qui magis idonei ad Episcopalem functionem, & regendas Ecclesias futuri essent, illis, quos in eorum locū surrogaturi essent nostrarum Ecclesiarum ministri. De clero Gallicanæ Ecclesiæ iudicium feci ex clero Angliæ & Germaniæ. Ago iam annum 77, & quotquot memoria complecti possum Episcopos, tam veteres quàm nouos, paucis exceptis, literatos omnes fuisse scio: & ad munus Episcopale, si veritatem Euangelicam amplecti, & quæ sunt veri & Christiani Episcopi præstare voluissent, non ineptos. De reliquo clero quod res est, negari non debet: pleriq́ue omnes hodiè latinè nōrunt: & vt olim rarum fuit doctum inuenire sacrificulum, qui latinè sciret; ita hodiè rarum est, quenquam ita indoctum esse, vt latinum sermonē non probè intelligat, & non etiam loquatur. Rara autem & excellens eruditio rara res est, tam apud eos quàm apud nos. Lutetiæ Parisiorum aliquando vixi: doctos omnium ordinum theologos ibi vidisse & audiuisse me memini; neminem tamen humano iudicio adeò ineptum & indoctum, vt si Euangelicæ veritatis cognitionem seponas, non æquè indoctos concionatores & ministros inueniri apud nos liceat. Sed quidquid sit, de multitudine sacrificulorum, & superfluo Gallicanæ Ecclesiæ clero; non tam inopē doctorum virorum Galliam esse reor, vt suppeditare ex tanta multitudine idoneos Ecclesiis pastores non possit, si Deus daret illius regni Episcopis, cum suo rege, relictis Romanæ Ecclesiæ erroribus, ad Christum se conuertere. Quòd si pleriq́; omnes Galliæ Episcopi & Pastores tanti sunt asini, & adeò ad Episcopalem functionem & pastoralem curā inepti, vt bos ad volandū aptior sit, quàm vt illi præsint Ecclesiæ; meū me fefellit iudiciū: tales ego nusquā assero, posse aut debere in suscepto Ecclesiastico munere permanere. Sed si ita est, vndè posset D. Beza, eiecta tanta asinorū multitudine, doctos Ecclesiis suppeditare pastores? Verùm nondū eò ventū est. Tamen quia benè de Dei misericordia spero, facillimam & commodissimam reformationis viam demonstro.

D. THEOD. BEZA.

SEd & ista tua expendamus. Vbi impietas, inquis, vniuersaliter Ecclesiam occupauit, non est extraordinaria vocatione opus. Possunt enim Ecclesiæ, ab iis, qui ordinariam authoritatem habent in repub. reformari. Sic in regno Iuda plures reformationes legimus, ad quas neque extra ordinem ciuilis magistratus creatus est, neque nouum sacerdotium. Ipsi sacerdotes qui fuerant antè multa idololatriis contaminati, se simul & templum & populum ab omni idololatria & impietate repurgârunt. Hîc ego verò primùm quæro, quid per extraordinariam vocationem intelligas? id est, an istam nouitatem ad aliquas functiones, abrogatis vetustis, instituendas, an verò extraordinariam veterum functionum restituendarum formam, an denique ad nouas personas ordinandas istud referas? Nos quidē nouas vllas functiones substantiales, id est, quibus sacrum ministerium ipsum contineatur, in Ecclesiis restituendis, tantùm abest vt sentiamus, vt contrà toti in eo simus, vt veteres illæ Apostolicæ, abolitis temerè inuectis, purè & integrè restituantur. Sin verò non de nouis aliquibus functionibus instituendis, sed de noua quapiam forma, ad veteres veras functiones restituendas, vocationis istam nouitatem refers, quatenùs in huiusmodi Ecclesiarum alicuius regionis statu vocationis extraordinariæ tertiam quam fecimus speciem (eam videlicet quæ à mero intrinseco Spiritus sancti impulsu proficiscitur) non modò non repudiandam, sed contrà, vt singulare Dei beneficium amplectendum censeamus, paulò antè declarui.

HAD. SARAVIA.

QVærit Dominus Beza, quid per extraordinariam vocationē intelligam, quasi non satis id explicatè posuerim. Quocircà ne lector, nescio quò, cogitatione abducatur, ego nihil aliud per extraordinariam vocationē intelligo, quàm quod omnes theologi in hunc vsque diem intellexerunt, ipséque D. Beza intelligit; à quo, in hoc tantū dissentio; quòd speciem illam extraordinariæ vocationis, quam definit esse intrinsecū spiritus sancti impulsum, non admitto. Quæ autem me causæ mouerint, vt eam reiiciam, superiùs dixi; tantùm hoc addo, me intelligere, non opus esse extraordinaria vocatione restaurandæ Ecclesiæ collapsæ, tanquàm nequeant Ecclesiæ reparari sine ea; quandocunque Deus magistratuum, & eorum qui in Ecclesia ordinariam habent vocationem, mentes ab errore ad veritatem traducere volet.

Scio Deum extra ordinē excitâsse multos Prophetas in veteri populo, qui tum reges tū sacerdotes sui admonerent officij: cùm tamen illud vltrò, satis ex ipsa legis doctrina

admoniti præstare tenerentur. Sed quia in vna gente & populo faciliùs poterat cognitio legis supprimi, subindè Deus extra ordinẽ prophetas excitabat: vsque adeò vt tunc temporis illa res, in populo Dei, non censeri debuerit extraordinaria: sed in vocationis modo, fuit peculiare quoddam Dei vocantis & mittentis signum, quo seruos suos Deus claros reddebat; vt essent inexcusabiles qui eos repudiarent.

Hodiè verò huiusmodi immediata à Deo vocatio nulla est: nec est expectandum, vt quis à Deo mittatur extra ordinem, qui Ecclesiam reformet. Latè patet Ecclesia, nec in vna gente tantùm existit Euangeliũ: Prophetica & Apostolica scripta latiùs sunt diffusa, quàm vt possint supprimi: ex eis semper peti potuit poteritque, inuito Satana, salutifera doctrina: & non tantùm fieri potuisse aio, sed factum esse manifestum est: idque ab iis, qui in Ecclesia ordinariam habuêre vocationem: cuiusmodi sunt Episcopi & Presbyteri, & qui in clerum irrepserunt omnium ordinum Monachi. Qui huius rei maiorem fidem postulat; perlegat martyrum historias, & catalogum testium veritatis; & videbit, per quos homines Deus reformauerit Ecclesias.

Dico igitur in veteri populo Iudæ plures nos restitutiones veri cultus Dei legere: nullos tamen propterea, aut nouos magistratus excitatos, aut nouum sacerdotiũ. Nouitatem refero non ad nouas functiones, nec ad formam restituendarum veterũ functionum nouam; sed ad personas: quod me satis apertè significâsse arbitrabar; quandò dixi, ipsos sacerdotes, qui anteà fuerant multa idololatria contaminati, seipsos ab ea simul & templum & populum expiâsse, ac veterem Dei cultum reparâsse: extra ordinẽ autem nullum sacerdotẽ nouum fuisse excitatum, qui non antè fuerat sacerdos, ad cõtaminatum idololatria sacerdotium reparandum: vim nullam regibus esse factam, reformandæ religionis causâ, colore extraordinariæ vocationis.

Et hodiè reges, aliíque summi magistratus, cũ illis religionis præsulibus, penès quos est ordinarium apud eos Ecclesiæ regimen, possunt reformare Ecclesiam, & purũ Dei restituere cultum, sine vllis extraordinariæ vocationis Euangelij ministris: nec opus habent ad eam rem aliundè ministros accersant, qui restituendæ Ecclesiæ, dicant se extraordinariam habere vocationem.

Quòd si summi magistratus, populúsque nullos habeant pastores ordinarios, qui sese submittant reformationi Euangelicæ, tunc nec hîc opus erit extraordinaria vocatione: accersant fidos verbi Dei ministros ab aliis reformatis Christi Ecclesiis: apud quas cùm ordinaria vocatio sit, ibidem ordinari poterunt qui mittantur, si iam ordinatos, & verbi Dei ministerio perfunctos, mittere nequeant. Quòd Deus sua benignitate & clementia doctos & pios viros excitauit, qui prauos mores & impios reprehenderunt, & verum Dei cultum docuerunt, ad extraordinariam vocationem referri non debet; quandoquidem omnes, quos nostra ætas & patrum nostorum nouit, ordinariam habuerunt.

Quod D. Beza ait nouas vllas functiones substantiales, id est, quibus ministerium continetur, Ecclesiis restituendis se non putare instituendas, accipio; ego idem censeo: & propterea Presbyterorum nouum genus in Ecclesia inuectũ, tanquàm absolutè necessarium, & ab Apostolis institutũ, & antiquam Episcoporum functionẽ aboleri, non probo: sed pòst, hoc à nobis infrà fusiùs disputabitur. Quod rursùs tangit de tertia specie extraordinariæ vocationis, non ei assentior: cur autem speciem illam extraordinariæ vocationis prorsùs repudiandã censeam, superiùs exposui; hoc loco nihil amplius addam.

D. THEOD. BEZA.

VBi verò lupi sub larua pastorum in greges Domini grassantur, nec sese, quod facere consueuerunt, vel abigi, vel in ordinem redigi patiuntur; si piis semper expectandum putas, dum illi vltrò cedant, vel publica authoritate expulsi, vbi quidem minimè assentior. Nobis igitur tunc, non quidem functionibus, sed personis opus esse, necessitas ipsa declarat. Quòd si cessârit, aut etiam opus Dei impedierit magistratus adhûc falso cultui deditus, nihil quidem temerè, nihil seditiosè mouendũ, extra controuersiam est: sed piè tamen & constanter amplectendas affirmo, omnes diuinitùs oblatas veri cultus diuini restituendi occasiones: neque expectandum vt ab ipsis prostibulis lupanaria claudantur. Et ni ita factum esset, quas tandem Ecclesias hodiè haberemus?

HAD.

HAD. SARAVIA.

QVid his verbis D. Beza significare velit, quandò pios expectare non æquum censet, donec lupi publica authoritate expellantur, quidam dubitant: & videri priuata authoritate lupos illos posse expelli, tacitè innuere; sicut in Belgio, & aliis in locis factum est: vbi templa & monasteria cum Monachis & Episcopis, vniuersoque clero papistico spoliata & diruta sunt, populari tumultu & militari licentia, inuitis summis magistratibus, & contra fidem datam. Sed quod lenius est, interpretari me æquum censeo; quippè Dominum Bezam ea esse animi moderatione & prudentia, vt ab omni seditione & temeritate pios esse alienos velit: & nihil aliud intelligere, quàm piis non esse expectandum, vt ipsi se ipsos & familias suas reforment, & ab impiis & profanis sacris abstineant, donec lupi se aut abigi, aut in ordinem cogi patiantur, vltroque cedant, vel publica authoritate expellantur. Ad quàm quidem rem fateor, non functionibus noui, cùm quæ iam à Domino sint constitutæ sufficiant, sed personis, qui eas obeant, esse opus.

De vocatione restat disputatio; solo illo impulsu Spiritus sancti quempiam fretum, tanquam extraordinariè à Deo vocatum, functionem docendi inuadere non probo; neminem enim noui ex omnibus illis viris, quos Dominus patrum nostrorũ & nostra ætate & memoria excitauit, qui sola illa vocatione fretus, Ecclesias reformandi regendique prouinciam sumpserit. Exemplis res demonstranda esset, quibus etsi controuersia dirimi non possit; afferretur tamen aliquid lucis huic argumento.

In colloquio autem Possiaco, quamuis responsum fuerit extraordinaria vocatione ministros, qui illic stabant, docere Christi Euangelium; melius & verius meo iudicio responderi potuit, ordinaria, & in Ecclesiis recepta ordinatione, ex officio suo docere Christi Euangelium, & contrarios abusus reprehendere. Nisi ego vehementer fallor, omnes illi duodecim viri ordinariam habebant, ab Ecclesia Christi externa & visibili, legitimam vocationem: cuius eos pudere non debuit. Sed D. Beza facit, vt de vocatione quorundam dubitẽ, qui in Ecclesiis reformatis, munere pastorali funguntur, de qua re bis deleo, & fieri & factum esse posse, Ecclesiis nostris exprobrari.

Et illud quoque tanquam ambiguum accipitur; vbi ait, *Sedpiè tamen & constanter amplectendas affirmo omnes diuinitus oblatas veri cultus diuini restituendi occasiones, neque expectandum vt ab ipsis prostibulis lupanaria claudantur*, quia D. Beza illic loquitur de piis qui viuunt sub magistratu adhùc falso cultui dedito, & qui ab officio cessat, aut opus etiam Dei impedit, contra quos quamuis nihil temerè, nihil seditiosè mouendum extra controuersiam ponat: cùm non omnium de seditione & temeritate idem sit iudicium, & quibusdam seditio videatur iusta defensio, & publicæ vtilitatis propugnatio; nescio an credat occasiones diuinitus offerri, quando inuitis & repugnantibus summis magistratibus, veri cultus diuini publicè restituendi occasio, priuatis hominibus offertur. Ego non puto Dominum Bezam probare ea omnia quæ in Belgio, vel etiam in Gallia, à populo, & barbaro milite, priuata authoritate, facta sunt cõtra summi imperij & magistratuũ voluntatem & iussum. Oblata diuinitus occasione vti, restituendo vero Dei cultu, non prohibeo, modò quæ nullo iure fiunt, sed quibus omnia iura violantur, non probentur: ipse sum ea occasione vsus, quamuis minimè probarem, quæ fiebant contra leges per vim & tumultum, vt fieri in bello ciuili solet.

Astus est Satanæ miscere multa mala bonæ causæ: atque hoc modo eam in odiũ & inuidiam trahere, apud eos qui aliàs ab ea nihil abhorrebant; vt sic alienentur animi, & absterreantur à bono, prætextu mali. Reformationem Ecclesiæ necessariam omnes quondam vulgo clamabant, omnes expetebant, & eò omnium ordinũ animi propendebant, qui his bellis adeò facti sunt ab ea alieni, vt spes quæ fuit olim, hodiè nulla, aut certè quam exigua superst. Deteriori statu hodie Flandria est, quàm fuit: sunt anni 42 elapsi, antequàm quidquam aut populi furor, aut militaris licentia turbâsset. Tametsi Deus mala quæ fiunt, in bonum mutet, hominũ ea non est virtus; sed ipsius bonitas, qui mala nulla ferret, nisi bona inde elicere nôsset: non tamẽ sunt facienda mala, aut eis assentiendũ, vt Deus illa cõuertat in bona. Sed cũ Deus ordinis sit author, non cõfusionis, ex bonis nasci bona, potius quã ex malis, nobis est præoptãdũ. Expectandũ nõ esse fate-

ab ipsis prostibulis claudantur lupanaria: sed priuata authoritate illa non sunt per tumultum demolienda.

Hæreo ad eam quæ sequitur D. Bezæ interrogationem, vbi ait; & ni ita factum esset, quas hodie tandem Ecclesias haberemus? Nescio quid dicam, aut quomodò intelligere debeam illud, *& nisi ita factum esset*: An vt hic sit sensus, nisi oblatas diuinitùs occasiones cultus diuini restituendi, pij viri essent constanter amplexi, etiam cum vitæ suæ periculo, nullas hodie haberemus Ecclesias; & occasiones oblatas intelligat dissidia nobilium, & ordinum iustas offensiones: quæ prædicandi verbi Dei siue clam siue palàm dederunt opportunitates: vt homines relicta Sodoma, & Ægypto, & Babylonica confusione, ad Christum se conuerterent: benè est; ita enim fieri oportuit, modò nihil rerum nouarum ab ipsis Euangelij ministris, eo colore contra summos magistratus, & pacem publicam tentetur. Sin hæc bella ciuilia quacunque de causa nata sunt, intelliguntur aliquid adiumenti attulisse Ecclesiis; tantum abest vt ita sentiam, vt nihil luctuosius accidere potuisse Christi Ecclesiis arbitrer.

Bellorum calamitas longè plus detrimenti tum Ecclesiis, tum rebus publicis attulit, quàm commodi: hanc enim rem æstimari nollem, ex eo quòd quibusdam in locis, hac occasione Euangelium liberè prædicetur; sed quòd ex longè pluribus sit per bella exclusum, vbi receptũ iri magna spes erat; si nulla interuenissent. Mihi enim persuadeo, si decima pars fidelium, qui in his bellis perierunt, pro Christo mortis supplicium constanter pertulissent, quòd nullas hodie in Gallia papatus vires haberet. Inter eos, quos calamitas horum temporum absumpsit, eos fœlicissimos iudico, qui dolo & perfidia malorum, in pace mactati & Deò immolati fuerunt. Sed dum homini Ἰυχίμῳ pulchrũ esse mori succurrit in armis; & cum Petro in horto pro Domini salute pugnare parati ores sumus, quàm tanquàm oues ad occisionẽ duci, & cum Christo ferre crucem, Christo neminem lucramur: sed multos à Christo fugamus. Bello partæ Ecclesiæ, bello sunt interituræ; quod vis peperit, contraria vis adimit.

Quid (inquies) an bellare Christianis putas esse nefas; & alienum à Christiani magistratus officio ducis, innoxios homines ab iniuria malorũ defendere? minimè. Constantini arma contra tyrannos, & in primis contra Liciniũ non improbo: & in Galliis similiter & in Belgio iustas belli causas principes habuisse scio. Sed propagandi Euangelij, armis & bello, nullam vim tribuo: & in pœnis numero, quibus iratus Deus, peccata hominum, qui aut veritati aduersantur, aut non obtemperant, punit: quos enim bellum bonos & pios recipit, subitò malos & impios reddit. Si propagari bello Dominus Euangelij prædicationẽ voluisset, Apostolos suos armâsset: deplorandum est, ad hoc remedium fuisse confugiendum. Quòd si bellum nullum ciuile interuenisset, meliore statu & conditione res Ecclesiæ essent.

D. THEOD. BEZA.

HOc enim quod ponis rarissimè accidit, quod regno Iudæ datum est; nempè vt sacerdotes anteà idololatræ, vltrò sese præberent instaurandæ religionis administros. Nec minùs etiam rarum est sedere reges pios, & quod vel præcipuum regum munus est, diuini cultus ex diuini verbi præscripto, vel constituendi, vel vbi constitutus est, conseruandi, sicuti par est studiosos: à quorum voluntate & arbitrio si penitùs dependere subditorum conscientias oportet, nulli magis essent violatæ regiæ maiestatis accusandi, quàm Prophetæ, & Christus ipse, ac deinceps Apostoli, & veri illorum successores: quô beatior est Anglia, reginam Ecclesiarum etiam peregrinarum nutricem, & tales ab eius consiliis homines nacta, quales illos prædicas, & ego quoque existimo.

HAD. SARAVIA.

QVod ponis (inquit D. Beza) rarissimè accidit. Imò hoc rarissimo est rarius, per bella ciuilia, per tumultũ & seditionẽ popularem, regionis alicuius vsquàm vnquàm Christianã Dei cultus reformationẽ cõtigisse. Quod Deus sua misericordia Iudæ dedit, regnis, & rebus pub. Christianorũ, vt spero, non negabit. Sed hactenùs cõmunis error, quo reges & alij summi magistratus, Ecclesiæ reformationẽ non sui esse officij, sed illas partes esse pontificũ iudicârunt, obstitit, quo minùs eam in regnis suis adhiberẽt, quam tẽpora iam olim postulabant, reformationẽ. Non defuit in regibus sæpè pietas, nec voluntas reformandæ Ecclesiæ, & iam olim morbis Ecclesiæ remedũ adhiberi curâssent, si primã illius rei curam, ad se pertinere credidissent. Sed quãdiu tantùm

rerum

rerum terrenarum procurationem sibi commissam iudicârunt Reges & principes; & spiritualium, Episcopis & Ecclesiæ rectoribus, ad œcumenica concilia, & Romanũ Episcopum respexerunt: à quibus dum expectatur reformatio, homines in suis erroribus perseuerârunt: donec Lutheri temporibus, in Germania, & aliis per Europam locis, incepta est iniri ratio, qua Ecclesiis doctrinæ christianæ puritas, & piè Deum colendi ritus restituerentur. In qua re illi ipsi tum magistratus, tum Ecclesiæ ministri & doctores ordinarij, qui priùs idololatræ fuerant, se præbuêre duces & authores: Quod alij pleriq; repugnârunt, non facit vt ordinaria non fuerit eorũ vocatio, qui non expectato Romani Episcopi concilio, quod sui erat officij præstiterunt.

Henrico Anglorum regehuius nominis 8. Episcopi Romani tyrannis, Angliæ regno, & aliarum regionum quæ ei adiacent, deturbata est: idq; consensu omnium ordinum regni. Sub id tempus Stephanus Gardinerus Episcopus Wintoniensis (aliàs acerrimus Euangelicæ doctrinæ hostis) scribit librum de vera obedientia, quo confutauit vsurpatam Episcoporum Romanorum tyrannidem, adeò christianè & copiosè, vt nullus Martinus Luther potuerit efficacius. Illi doctrinæ duo Angliæ Archiepiscopi, cum plerisq; aliis Episcopis, & theologis, & iuris canonici doctoribus, numero 44. subscripsêre: quem & Academiæ huius regni etiam approbârunt. Ea res omnibus piis animos tunc erexit in magnam vlterioris reformationis Ecclesiæ spem. Inter quos postremi non fuêre omnium ordinum Ecclesiastici, & sacrarum literarum in vtraque Academia theologi. Initio res satis feliciter incepta est promoueri: non ab illis, qui extraordinariam vocationem habebant, qui nulli in Anglia erant; sed ab illis ipsis qui & tyrannidem Episcopi Romani, & impios cultus antea defenderant: & spes erat, ad bonum exitum perduci rem potuisse; nisi dolis & technis suis, regis animum à bonis consiliis, verisi pelles quidam perfidi homines diuertissent: qui quamuis exteriùs simularent se Romano aduersari Episcopo, ei tamen animo fauebant.

Sed erant magnæ apud regem authoritatis, ipsius dilecta coniux Anna regina, & Cromwellius, & Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis: quos cum suis consiliis obstare malisciret, quò minùs perficerent quod animo agitabant, & futurũ præuideret, vt Rex non conquiesceret in Romani Episcopi abdicatione, reginam piam regis coniugem veræ pietatis amantissimam, & bonorũ quos hæreticos vocabant fautricem, aulicis artibus & calumniis oppressêre. Alter erat Cromwellius eximia virtute heros, tyrannidis pontificiæ, simul & idololatriæ aduersarius, qui malorum consilia & conatus, aut remorabatur aut frangebat, quantum poterat: sed & hunc in inuidiam adductum de medio tollendum curârunt. Procul dubio si Annæ reginæ longior vita contigisset, à rege Henrico christiana religio & doctrina Euangelica restituta fuisset.

Non possum hoc loco continere me, quin aliquantulum digrediar (si modò digredior) vt castissimæ, Deiq; amantissimæ Reginæ innocentiam, contra virulenta & impudentissimè conficta mendacia, notam mundo faciam. Sunt hodiè quidam homines degeneres, gentium legibus infames, & patriæ suæ hostes, qui omnibus virtutibus ornatissimas principes, quibus nec nostra, nec auorum nostrorum secula illustriores, omniq; laude digniores vllas pepererunt, ementitis probris, infamare studeant. Comminiscuntur fabulas rerum gestarum antequàm ipsi aut nati essent; aut si nati erant, per ætatem quid ageretur nôsse possent: quarum hodiè conscius nemo testis citari potest. Quæ si veræ essent, serò isti venissent, vt eas exprobrarent. Harum viperarum parentes olim hanc laudem natis præripuissent. Non defuêre Regi Henrico hostes potentissimi; non etiam defuêre hostes virulentissimi, eloquentia & varia eruditione armati: quibus nec timor nec pudor vllus fuit, non tantùm veras, sed etiam falsa quæque obiicere. Sed illis temporibus, ignota erant teterrima flagitia, quæ nuper sceleratissimi rabulæ in viuos & mortuos Reges & Reginas ausi sunt confingere. Se ipsam refelliisset tunc impudens maledicentia; & nota mendacia authores iugulâssent suos.

Sed eccè innocentiæ testes ego irreprehensos adfero, quos nemo maledicus vnquàm eleuare poterit. Andreas Theuetus, cuius florente ætate, Henricus rex diem huius vitæ clausit extremum, in Cosmographiæ vniuersalis libro decimosexto, cap. quinto, De obitu Regis Henrici octaui scripsit, à pluribus nobilibus Anglis se tunc accepisse, Regem ante obitum suum, tum peccatorũ omnium pœnituisse; tum in primis vehe-

menter iniuriæ, qua Reginam Annam Bolenam coniugem suam affecerat, quandò per calumniam falsi criminis eam accusari & damnari passus est, indoluisse. Ipsa hæc sunt authoris verba. *Plusieurs gentils hommes Anglois m'ont asseuré, qu'ilz ont bonne repentance des offenses par luy commises, estant a l'article de la mort: & entre les autres choses, de l'iniure & crime commise contre la dite Royne Anne de Bolan, fauxement vaincue & accusée de ce qu'on luy imposoit.* Vides (candide lector) quid homo Gallus, professione aliquando Franciscanus, Romanæ Ecclesiæ deuotus cliens, hostis & insectator Euangelicæ veritatis acerrimus, testetur de Henrico Rege, & Anna Bolena. Ecquos dicemus illos nobiles Anglos fuisse, qui tam familiariter cum homine Franciscano colloquuti sunt? Lutheranósne quos dicunt, an catholicos? Lutheranis scilicet Franciscanus fidem in hac re haberet.

Bonerus Archidiaconus Leicestrensis, postea Episcopus Londinensis, in Epistola quam præfixit tractatui Stephani Gardineri Episcopi Wintoniensis de vera obedientia, laudat tum Regis nuptias, tum ipsam Reginam Annam. Annales Angliæ eam cum ab omni virtutum genere, tum maximè à vera pietate in Deũ, & rara munificentia in pauperes, commendant.

Tametsi florentissimæ totius Europæ Academiæ iudicârant Henrici Regis cum Regina Catharina, fratris ipsius derelicta, incestum coniugium; multis tamen displicuisse diuortium, & nuptias cum Anna Bolena Papæ deuotos non probauisse, notum est: vtpote quæ Lutheranismi ipsis esset suspecta, & suspicio erat, quòd coniunx facta, marito futura author esset piorum consiliorum. Si superuixisset, præuidebant certam prophanorum sacrorum & omnis idololatriæ papisticæ demolitionem, & veri cultus diuini restitutionem: nec Papam posse reuocari, quamdiù ipsa viueret.

Sed DEVS consilia malorum irrita fecit: quod sperabant indigna innocentis Reginæ morte, non sunt consecuti; nec quod animo agitabant perficere potuerunt, ante Reginæ Mariæ tempora. Interea temporis inimicorum Regis nemo adeò tunc fuit effrons, vt nefanda & falsa probra tangeret, quæ nunc maleuolos in vulgus spargere nihil pudet: qui haud fuissent silentio illa præterituri, si vel minima eorũ suspicio ipsis incidisset. A quibus (obsecro) didicerunt isti, quòd patres eorum ignorârunt? Sed quemadmodum de rebus, quæ remotæ sunt locis & temporibus ab auditorum cognitione, ij, qui varias peragrârunt orbis partes, aut longam senectutẽ attigerunt, confidenter mẽtiri audent; quia nemo adest qui tunc vixit, aut extra patriũ solum peregrinatus est, qui eos redarguere falsi possit: ita eadem fiducia freti, isti perfrictæ frontis homines, apud ignaros, qui nihil quod contradicant, habent, quiduis affirmare nihil verentur. Quis recenseat mendaciorum plaustra, quæ nefarij homines conuehunt, de monstris & signis, quæ volunt apparuisse in Anglia, quæ tamen nec visa, nec audita vsquam à quoquam fuerunt? Et id tantùm faciunt, vt suam gentem & legitimam Reginam, apud exteras nationes, tanquàm impiam & Deo exosam traducant, persuadeantque in eius vitam & regnum, quiduis cuiuis impunè licere.

Sed hunc fuisse impiorum hominum iam olim ab antiquo morem & ingenium, ex Dauide discere possumus, qui eos in suis psalmis graphicè depinxit. Psal. 13. *Sepulchrũ* (inquit) *patens est guttur eorum, linguis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, contritio & infœlicitas in viis eorum, viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum.* Hæc ego noto: vt lectores nôrint veritate destitui quotquot ad maledicta confugiunt, & odiosas fabulas narrant, vt aduersarios in odiũ vocent, & inuidiam eis apud imperitos procurent. Sed benè res habet, quandò mala causa huius generis patronos & defensores nanciscitur. His nihil addam: ad illos primos Euangelicæ reformationis in Angliæ regno authores, mihi redeundum est.

Restabat Archiepiscopus Thomas Cranmerus, cui similiter multis modis insidiari sunt; vt à rege & eum quoque alienarent, insimulantes eum, quòd hæreticorum fautor esset. Multi præterea ordinis Ecclesiastici viri, tam Episcopi quam Presbyteri & Ecclesiarum Pastores, à veritate Euangelij non abhorrebant. Sed sublata regina impij nacti sunt opportunitatem erigendi sex columnas, quæ ruentis idololatriæ papisticæ essent fulchra, sex articulos vel axiomata illa dico, quibus cõplexi fuêre idololatriæ summam,

quæ

quæ in papatu est, quibus contradicere capitale fuit, & piis exitium procuratum est. Pius tamen Archiepiscopus, iussu regis, contra impia illa dogmata, quæ tot piis viris fuerant exitio, librum meditatus erat, in quo regi sententiam suam de sex illis articulis exponebat.

Quòd si regi longior vita contigisset, sicut papam, sic & papatum toto regno suo eiecisset. Huius consilij Gallorũ Franciscus haud erat ignarus, qui etiam constituerat Papã & papatu Galliam suam liberare, si morte præuentus non fuisset. Horum consiliorum non tantùm participes, sed & authores erant, tum nobiles quidam pij, tum, quos Beza tantoperè contemnit, Episcopi; non homines extra ordinem vocati, sed qui tunc in Ecclesia præsidebant. Quo Dei iudicio factum sit, vt meliorem successum Ecclesiæ reformatio in Gallia non habuerit, curiosiùs inquirendum non est.

Tyrannidis pontificiæ iugo in Anglia semel excusso, non potuêre ea quæ simul coniuncta sunt, non indiès labascere. Sic factum est, vt sub Eduardo rege, melior reformatio consequuta sit: non per homines extra ordinem intrinseco tantùm spiritus sancti motu excitatos, qui nullam vocationem in Ecclesia haberent, sed per ordinarios tum magistratus, tum Episcopos, & Doctores: illos (inquam) eosdem qui tunc Ecclesias administrabant, & sub pontifice Romano, & Henrico 8. administrauerant: qui postea, imperante Maria, sanguine suo Ecclesiæ reformationem secundùm Euangelij normam suo ministerio constitutam consignârunt.

Eorum qui præter cæteros claruerunt, & æterna memoria digni sunt, hæc sunt nomina, Thomas Cranmerus, Archiepiscopus Cantuarienſis, & Ecclesiæ Anglicanæ Primas, & Metropolitanus, Hugo Latimerus Wigornienſis Episcopus, Iohannes Hooperus Gloceſtrenſis, Robertus Farrarius Menenſis, Nicolaus Ridleus Londinenſis, & alij plures Episcopi, quos omnes recenſere longum esset. Hi omnes sub Papa primùm militârant: illo abiurato, & quidquid erat ipsius, quandò Christum & Christi Euangelium sunt amplexi, vocationem suam nec deseruerunt, nec abiurârunt.

Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, nihil opus habuit eiuratione Episcopatus sui, vt aggrederetur ditionis suæ reformationem, quam animo constituerat: & perfecisset, si fidos & constantes habuisset ministros. Sed corrupti muneribus, promissis & pecunia, ij, quorum consilio & auxilio inprimis fidebat, eum deseruêre. Tamen quod potuit pius Episcopus præstitit: neque ad eam rem extraordinaria vocatione opus habuit, sicut nec illi quibus ad eam rem vsus est.

Martinus Lutherus, Martinus Bucerus, & alij Euangelij doctores, qui nulla extraordinaria vocatione freti, ordinarijs Episcopis Christi Euangelio repugnantibus, Ecclesias reformârunt, & reformare potuerunt. Quandò magistratus Vlmenſis suæ ditionis Ecclesias reformare voluerunt, & ab Argentinenſi senatu ad se mitti Bucerum postulârunt, qui Ecclesias apud eos constitueret; nihil de extraordinaria vocatione ipsis in mentem venit. Ordinariam iam vocationem habebat Bucerus in Ecclesia, sicut & alij, quos sibi adiutores adiunxit, vt Oecolampadius, & Ambrosius Blauterus.

Georgius princeps Anhaltinus reformauit Episcopatum Meresburgenſem: qui certè quamuis à Pontificiis Episcopis non fuerit ordinatus, vocationem nullam nisi ordinariam habuit: sicut ipsemet doctè & Christianè defendit. A capitulo enim Ecclesiæ Meresburgenſis canonicè electus, vt Ecclesiam & Episcopatum Meresburgenſem administraret, à veris & legitimis Euangelij ministris, & fidis Christi Ecclesiæ pastoribus constitutus & ordinatus est Pastor Ecclesiæ, & minister verbi Dei.

Nam non tantùm debet censeri ordinaria vocatio, quæ à pontifice Romano probatur; nouum hoc est, vt doceri potest ex ipso pontificali: sed quisquis secundùm veteres canones Ecclesiæ eligitur, & constituitur alicuius Ecclesiæ pastor, ordinariam habet vocationem, etiamsi reclament omnes Romanistæ Episcopi. Principes Germaniæ, & magistratus vrbium per Germaniam, suas Ecclesias reformârunt, adhibitis doctoribus & pastoribus, qui antèa in Ecclesia Romana docuerant, & Ecclesias administrârant. Neminem vnquàm legi extra ordinem vocatum, illa vocatione quam vrget D. Beza, qui ausus sit Ecclesiæ ministerium in sesuscipere, aut, vt verius dicam, inuadere, & vsurpare, qui nullas in Ecclesia dederit turbas.

Quàm autem sit rarum, quod in meo tractatu posui, nunc iudicet æquus lector, postulo.

ſtulo. Ex tot regionum & populorum exemplis permotus, quos Deus miſericordia ſua reſpexit, & è denſiſſimis Ægypti tenebris in lucem Euangelij eduxit, de Gallia non deſperaui. Sed oportet vt concedam D. Bezæ, ipſum eſſe Gallicanarum rerum peritiorem quàm ego ſum, & multa ſcire quæ me latent. Miror tamen vndè factum ſit, vt Gallicanæ Eccleſiæ clerus, & qui ibi ſunt docti theologi, magis à Dei miſericordia ſint alieni, quam fuêre Germani aut Angli: qui ſi olim nacti regem fuiſſent ad Euangelij ducem, vniuerſus clerus cum nobilitate & populo conſequuti fuiſſent: non obtuſa adeò geſtabant pectora Galli, vt Euangelij veritas ad eos penetrare nequiuerit. Sed in Dei iudicia curioſiùs inquirere nos haud conuenit.

Vereor tamen ne hæc bella ciuilia, & odia priuata, & moroſitas theologorum nimia, multos ab amplectanda Euangelij reformatione alienârit, aliâs ad eam ex ſeſe ſatis propenſos; ſuperfluas mouere controuerſias, ſuperfluas adfert inimicitias. Multum intereſt inter priuatam reformationẽ, vel eam quæ eſt vnius paruæ reip. & illam, quam fieri neceſſe eſt ampliſſimi regni omnium ordinum conſenſu, & regis authoritate publica: de qua ſi quandò incidit quæſtio, Geneuâ qui profecti ſunt Euangelij miniſtri, eam ſuam, quam diuinam eſſe à ſuis magiſtris accepêre reformationem, velle toti Gallicanæ Eccleſiæ imponere, & Archiepiſcopos & Epiſcopos, cæteroſque viros in illa Eccleſia primarios, ſub iugum ducere, atque in ordinem ex animi ſui ſententia cogere, nimis imperioſum eſſet. Non hoc ſentit (inquiet aliquis) D. Beza: Gaudeo. Quid igitur eſt quod contra me diſputat? Rariſſimè nempè accidere, vt ſacerdotes anteà idololatræ, vltrò ſe præbeant reſtaurandæ religionis adminiſtros. Id non quæritur: ſed quandocunque id fit, aut factum eſt, aut futurum aliquandò ſperatur, num qui ſacerdotium ſuum olim prophanauerant, illud in conuerſione ſua eiurârint: & hodiè ſi Epiſcopi, & Presbyteri papiſtici ſe & ſuas Eccleſias reformare velint, miniſterio ſuo abdicandi ſint, debeántque ſuam eiurare vocationem? Ego ſentio non debere, & ſatis eſſe, ſi ſuperſtitionem & idololatriam pugnantem cum verbo Dei abiurent.

Quod autem rarò videmus adeò eſſe pios reges, qui conſtituendæ veræ religionis ex verbo Dei, & iam conſtitutæ conſeruandæ ſint ſtudioſi; rariùs id in populo inueniri eſt. Quandò rarum eſt regna, & integras reſpublicas ſecundùm verbi Dei normam, reſtaurationem veri cultus diuini admittere, vt eas expectare piorum conſcientias nuſquàm iubeo; ita priuatim bonam conſcientiam apud Deum retinere, fugiendo prophanas ſuperſtitiones, & huius mundi idolomanias, adhortor: ne quidquam præpoſtero zelo publicè moueant, aut clam moliantur vi & armis, contra ea quæ moribus & legibus conſtituta ſunt. Quidquid ſtat authoritate publica, non eſt niſi illâ eâdẽ demoliendum. Nuſquàm in verbo Dei legimus priuatis hominibus præceptum, vt idola magiſtratuum authoritate erecta deiciant. In populo Dei, nullius prophetæ extat exemplum, quo id doceri poſſit. Quod Gedeon, quod Iehu, quódque Helias fecêre, fuit aut publica authoritate & ordinaria factum, aut à Deo extra ordinem mandatum: vnde nulla generalis lex poteſt conſtitui. Hinc concilium Elibertinum. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Euangelio non eſt ſcriptum, neq; inuenitur ab Apoſtolis vnquàm factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.*

De ſereniſſima, & Deo dilecta ſeruatáque noſtra regina, nunquàm Deo ſatis dignas gratias agere poterimus, quòd inter cætera beneficia, quæ per eam Eccleſiæ ſuæ Deus contulit, Epiſcoporum ordinem aboleri paſſa non eſt. Non defuerunt qui id ſuaderent, ſi ſe facilem quorumuis conſiliis exhibuiſſet. Cauit ne Chriſtianis regibus, quos Epiſcoporum Romanorũ tyrannis ſubiectos adhùc tenet, tam pernitioſum tum & regno ſuo, tum orbi Chriſtiano vniuerſo daret exemplum.

Vereri me dixi in prioribus huius tractatus editionibus, de exemplo quod in Scotia datum fuit, ne aliquandò ſera ſequeretur pœnitentia: & ne remora eſſet iniecta reformationem aliorum regnorum maior quàm perſuaderi poſſet illius authoribus. Sed gratia Deo qui corda regũ in ſua manu habet, quòd ſereniſſimo noſtro Regi hanc mẽtem dedit, vt quod in ipſius tenera ætate in hac re peccatum fuit, maturo & prudenti iudicio nunc corrigit, & per vim eiectos Epiſcopos reſtituere, quantum poteſt, pergit. Vtinam temporibus edocti, aliquandò melius ſapere diſcamus. Quamcunque de Epiſcopis opinionẽ D. Beza habeat, pleriq; non defuturi eſſent reformationi, niſi obſtaret theolo-

theologorum quorundam morositas, qui dum superfluas quæstiones mouent, à necessariis deterrent.

HAD. SARAVIA.

De duodecim Apostolis.

CAPVT III.

DVodecim viri, qui primi essent Euangelij prædicatores, à Domino fuerunt electi; cum quibus familiariter viuere, & omnium consiliorum, quæ pro temporis ratione capere poterant, eos facere participes voluit; vt posteà magis idonei testes essent omnium eorum, quæ tum vidissent, tum audîssent. Prima ipsorum prouincia vltra Iudæa terminos non se porrexit: nam ad Samaritanos & ad gentes ire prohibiti sunt. Cum prædicationis munere, baptizandi, & edendi miracula, Dominus coniunxit potestatem. Quamdiu autem finis cæremoniis impositus non erat, nec abrogata Aaronici sacerdotij potestas; nullas seorsim collegerunt Ecclesias: sed communionem & societatem retinuerunt in omnibus, quæ ad Dei cultum pertinebant, cum reliquo Iudæorum populo.

Quod autem Apostolorum fuerit munus, ex mandatis illis quæ Seruator noster post resurrectionem suam dedit, & ex promissis, quæ leguntur apud Iohannem, de paracleto ipsis mittendo, facilè intelligitur. Matthæi vltimo cap. verba Seruatoris nostri ad discipulos suos hæc sunt. Data est mihi (*inquit*) omnis authoritas in cœlo & in terra: profecti ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; docêtes eos seruare omnia quæ mandaui vobis: & ecce ego vobiscũ sum vsque ad consummationem sæculi.

Summa Apostolatus capita hîc habemus notata. Primum est legatio illa proximè à Deo data ad omnes gentes, quæ nullis est definita terminis: alterum est, doctrina, quam acceperant à Domino, promulgatio; tertium, sacrorum signorum administratio: postremum, promissio auxilij diuini. Quæ quamuis vsque ad sæculi consummationem, quatenùs Ecclesiam vniuersalẽ respicit, extendatur; peculiaris tamen, quam paulò ante mortem suam fecerat Apostolis, est intelligenda. Iohan. 14. cap. & 16. Ministerij Apostolorum omnibus partibus obeundis Spiritus sancti promittitur donum, qui mentem, linguam, & sermonẽ eorum ita gubernaret, vt Christi, non suam doctrinã traderent. Tametsi docendi partes pluribus commissæ fuerunt, cum edendi miracula potestate; proprium hoc Apostolis manst, vt ipsorum doctrina, canon & regula esset, ad quam omnis aliorum doctrina exigenda foret; & quòd soli in Ecclesiæ primordiis per impositionem manuum, signo visibili conferrent Spiritum sanctũ. Actor. cap. 8. vers. 17. Sicut Moses Deum habuit legis authorem; similiter Euangelij, Apostolos habere oportuit; vt firma & immota iacerent Ecclesiæ fundamenta.

Apostolorum vna & eadem omnium fuit authoritas, & par Apostolatus dignitas: discrimen nullũ inter eos fuit, nisi quod alius, aut virtutũ maior cumulus adferebat. Et quamuis primus vbique legatur Petrus, ordinis fuit vocationis ille Primatus, no præcipuæ potestatis. Quòd si verbis illis Domini, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, *aut aliis huius generis, data esse maior authoritas Petro, intellecta ab Apostolis fuisset: nunquàm bis posteà repetita*

tita quæstio esset, quis eorũ videretur esse maior. Tametsi ad secretiora quædam, Dominus Petrum, Iacobum, & Iohannem adhiberet; ipse tamen omnibus se tam præbuit æquabilem, vt quem cui præferret, ignorarent. Hoc dignitatis gradu Iudas perfidâ & sacrilegâ suâ auaritiâ excidit: cui, post ascensionem Domini in cœlos, Matthias surrogatus fuit: huic collegio postremum omnium Paulum mirabili quodam modo Dominus adscripsit.

D. THEOD. BEZA.

DVodecim Apostolis peculiariter & κατ' ἐξοχὴν sic appellatis, quibus posteà decimus tertius additus est Paulus, meritò, non ordinis duntaxat, sed etiam potestatis primatum in Ecclesia Christiana, tribuis: sed in descriptione illius Apostolicæ potestatis quædam desidero. Nam neque doctrinæ, quam à Domino acceperant promulgatio, neque sacramentorum administratio fuit simpliciter, & in sese, Apostolico muneri propria, quanquam ab illis incœpit post Christi discessum; sed certarum duntaxat circumstantiarum respectu, à cæteris sacris omnibus euangelicis functionibus sic fuit distincta, vt ab hac penderent: quarum tres penitùs expressi: vnam, quòd eorum legatio ἀμέσως, & ipsius Christi voce sit illis commissa, non autem ab hominibus, neque per hominem Galat. 1. alteram, quòd indefinitè ad quaslibet gentes sine vlla exceptione fuit illis delegata: tertiam, quòd ipsorum doctrina fuerit canon & regula totius Christianæ religionis, ad consummationem vsque seculorum annuntiandæ: quartam autem, eamque præcipuam tantùm attigisti, quòd (inquis) soli Apostoli in Ecclesiæ primordiis, signo impositionis manuum visibili, Sp. sanctum conferrent: quod latiùs fuit explicandum. Sic enim Dominus significare voluit, datam his vnis initio fuisse plantandarum, & constituendarum per vniuersum mundum Ecclesiarum potestatem: quamuis cùm huic oneri sustinendo soli pares esse non possent, quod ipsi perficere vbique non potuerunt, per Euangelistas, propriè sic vocatos, ab ipsis hûc vel illûc, prout expediebat, missos, peregerint. Hæc autem potestas, cuius symbolum visibile fuit manuũ impositio, ipso quoque sancti spiritus nomine passim vocatur, propter sancti Spiritus χαρίσματα, quibus Euangelij prædicatio confirmabatur.

HAD. SARAVIA.

TAmetsi D. Beza in plerisque idem mecum sentiat, ferè tamen aliquid deest quod desiderat, & latiùs explicandum fuisse censet, quod ab ipso suppleri mihi molestũ non est. Sed cùm in alia sim sententia, quæ addenda fuisse censet, à me non potuêre addi: si idem cum D. Beza sensissem, idem quoque scripsissem. Apostolatum alio modo considero, quàm ipse facit. Ego Apostolatus essentiam constituo in Euangelij prædicatione, sacramentorum administratione, & Ecclesiarum regimine. Quod circũstantias attinet peculiares 12 Apostolis, eas quidem admitto; vt illorum 12 virorum (quibus additus fuit Paulus) Apostolatus distinguatur ab aliorum, nempè Euangelistarum & Episcoporum (quales fuerunt Titus & Timotheus) Apostolatu. Sed ea differentia non fuit in essentia Apostolatus: sed in prouinciæ amplitudine, & donorum Spiritus sancti præstantia, & magnitudine.

Pluribus modis quidpiam proprium dici, notum est. Aliud est illud quod totam rei naturam mutat, & eius veluti altera quædam pars est; cuiusmodi fuit proprietas Leuitici ministerij, quâ distinguitur ab Euangelico. Aliud, quod in eadem natura diuersitatem tantùm adfert: cuiusmodi est rei cuiusque magnitudo, & quidquid exteriùs rei adiacet, eamq; ornat. Verba legationis Apostolicæ hæc sunt. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis.* Apertè hæc verba mihi naturam Apostolici muneris exprimere videntur, & quibus in rebus sit situm. Indefinita legatio ad vniuersos pertinet, adeoque ad vniuersam Ecclesiam, non ad singulos. Apostolatus Iacobi, vrbe Hierosolymitana & Iudæa finitus fuit. Petri verò Apostolatum, Iudæorum, qui per varias gentes dispersi erant, præcipua cura terminauit. Et Pauli labores & ærumnæ in prædicando Euangelio, intra Asiæ minoris, & Europæ gentes finiebantur.

Euangelistas autem missos hûc illûc ab Apostolis, non diffiteor; modò non intelligantur ab eorum missione debuisse pendere: vt non potuerint ipsi sua vocatione freti, vltrò, non missi ab Apostolis, prædicatum ire, quò ferebat Spiritus sanctus: sicut Barnabam & Philippum fecisse constat. Sed qui propriè Euangelistæ vocati sint, mox videbimus.

D. BEZA.

D. THEOD. BEZA.

ITaque Philippus post dispersionem euangelizauit quidem in vrbe Samariæ: sed eò missi sunt postea Petrus & Iohannes qui Ecclesiam illic constituerent, Act. 8. 5. & 6. Et hoc ipsum quoque fecit Cæsareæ Petrus, Act. 10. 44. & 45. Barnabas autem Hierosolymis missus idem præstitit Antiochenæ Ecclesiæ, Act. 11. 22. Sic Paulus Corinthiacã Ecclesiam plantauit, quam Apollos postea rigauit, 1. Cor. 3. 6. Quãobrẽ patris nomen sibi apud illos vendicat, 1. Cor. 4. 15. vt & Galatis se peperisse, & rursum parturire dicit, Gala. 4. 19. & hûc referendum est, quod de Spiritu sancto nonnullos percontatur Ephesi, Act. 19. 2. & 5. Neque dubium est, quin ab alijs Apostolis idem sit passim factitatum. Est autẽ hæc Apostolatus nota, per quam ab inferioribus functionibus discernitur, inter cæteras summoperè obseruanda; vtpotè quâ manifestè quoque tua refellitur opinio, quâ Apostolicam adhûc authoritatem in Ecclesia minimè desisse censes: de qua re in c. 18. & 19. dicemus.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza Petrum & Iohannem dicit missos in vrbem Samariam, vt illic Ecclesiam constituerent: quasi à Philippo id fieri non potuerit, cùm per orbem vniuersum plurimæ fuerint constitutæ Ecclesiæ, antequam ad eas peruenire potuerint Apostoli, & ad quas accedere omninò non potuerunt. Vt Samaritanis manus imponerent, et Spi. S. acciperẽt, missi leguntur Apostoli; vt sic eos in recepta fide cõfirmarent. Quod Ecclesiæ constitutionem attinet, fieri cœpta erat, & perfici poterat, etiamsi nullus missus ad eos fuisset Apostolus. Quod allegatur de Petro & Iohanne, fieri poterat sine eorum ministerio: nam Spi. S. sine Petri ministerio illapsus est in Corneliũ, & cæteros omnes eius amicos ac familiares, qui simul eò conuenerant. Versus 16. c. octaui Actorum, & quartus decimi noni videntur innuere, etiam in credentes Spiritum sanctũ aliquandò descendisse, sine impositione manuum Apostolorum.

De Barnaba miror vndè D. Beza habeat, eum idem præstitisse Antiochenis, quod Petrus & Iohannes Samaritanis; cùm nusquam legatur per manuum impositionẽ Barnabæ, Antiochenis datum fuisse Spiritum sanctum: quippe qui Apostolus non fuerit, sed illius tantùm ordinis, cuius erat & Philippus. Quòd Paulus quidem Corinthiorum & Galatarum plantauit Ecclesias, nihil impedit, quò minus idem ab Euangelistis factum fuerit: quare fundare Ecclesias, non est peculiaris Apostolatus nota, quam non habeant cum pluribus aliis, quibus Dominus plantandis & fundandis Ecclesiis vsus est, communem; vt eâ ab aliis inferioribus Ecclesiasticis functionibus, Apostolatus duodecim virorum discernatur.

Philippus & Barnabas Ecclesias fundârunt, ad quas non leguntur alij accessisse Apostoli: vtpotè qui non potuerint totum soli peragrare orbem: & ideirco ipsis addi fuêre alij, qui post eos veluti secundarij quidam essent Apostoli. Vnde ex hac nota Apostolicam authoritatem non tam defuisse, quàm permanere vsque in finem seculi doceri potest: quandoquidẽ donec veniat Dominus iudicatũ viuos & mortuos, restabunt semper nouæ ædificandæ Ecclesiæ; & veteres cùm confirmandæ tum restaurandæ. Hic plura non addam: fusiùs postea de hac authoritate disseremus.

D. THEOD. BEZA.

DEindè quòd primã illam duodecim illorum missionẽ, quæ fuit illis cum 70 discipulis cõmunis, eo tantùm ab altera distinguis, quòd illa vltra Iudææ terminos sese non porrexit; cur non probè, paulò antè dixi, & iterum repeto, quoniam id sæpissimè inculcas: fuit, n. illa duntaxat proclamatio quædam, & ad audiendum ipsum Christũ citatio, vt apparet ex ipsius mandati formula, Matt. 10. 7. longè (quod ad rem ipsam attinet) diuersa, ab ea quæ scribitur, Matt. 28. 19. & 20. & Marc. 16. 16. & expectanda etiam Luc. 24. 47. Nec verum esse arbitror, quod his, baptizandi quoque potestatẽ tunc illis fuisse commissum, cùm nulla, ne tenuissima quidem, fiat eius apud Euangelistas mentio.

HAD. SARAVIA.

PRimam Apostolorum missionem à secunda quomodò distinguam, æquus lector videre potest: sed missionem à vocatione distinguo, quòd ea interdum tempore præcedat, nec semper cum ea sit cõiuncta. Est enim non raro post vocationem, opportunitas missionis expectanda. Vocatus quidem ad liberandum Israelem fuit Moses, antequam mitteretur; sicut & Dauid vnctus in regem fuit, & ad regnum vocatus, sed non vt subitò illud inuaderet ante Saulis mortem. Malè cessit Mosi, quando vocatione sua fretus,

fretus, missionis tempus anteuertit: sed Dauid eam non esse anteuertendam non ignorauit; atq; ideò tempus, à Deo ipsi vt regnaret definitum, expectauit. Itaque aliud est ad aliquod munus vocari & designari, aliud in possessionem mitti.

Ad Apostolatum vna fuit duodecim Apostolorũ vocatio, & vnus Apostolatus fuit, quamuis ante & post Domini resurrectionẽ à se nonnihil diuersus. Ad vnum regnum populi Dei Dauid vocatus fuit; tamen priùs in Hebron regnauit super vnam tribũ Iudam: & posteà quando ipsius imperio se subiecêre reliquæ decem tribus, nouus, aut alius non est factus rex, nec nouum accepit regnum, aliud & à priore diuersum. Atque ita vocatos Apostolos aio, qui vnus & idẽ Apostolatus sua initia & progressus habuit; & nonnihil à se diuersus fuit, post acceptum Spiritum sanctum. Primò, quandò vt eum sequerentur Dominus iussit, & quod facturus esset, eos hominum piscatores promisit: deindè quando ad Gentes & Samaritanos ire vetuit, eósque excepit, quàm latè pateret eorum vocatio simul & missio, nisi temporaria illa exceptio accessisset, demonstrauit. Præterea claues regni cœlorũ potestatémque ligandi atque soluendi se laturum promisit, quam ante mortem suam non dedit: quippe quæ adhuc coniuncta cum Aaronico erat sacerdotio, non priùs finem acceptura, quàm sacrificio corporis sui leuiticas hostias aboleret, sacerdotiúmque, & quidquid cum eo coniunctũ erat, in seipsum transtulisset. Et hinc stante vetere Ecclesia, nouam fundare non poterant. Hæc certè ex iis quæ scripsi quiuis facilè intelligere potest.

Sed quòd primam ad Iudæos missionem ita D. Beza extenuat, tanquàm proclamatio tantùm quædam fuerit, et ad audiendum ipsum Christum citatio, non quo satis mirari; cùm ad prædicandum regnum Dei & pœnitentiam missos fuisse, luce clariùs testetur Euangelica historia. Matt. 10. c. 7. 14. Mar. 6. c. 12. Luc. 9. c. 2. cum hac comminatione (inquiens) *Quicunq; non receperit vos, nec audierit sermones vestros, exeuntes domo aut vrbe illa, excutite puluerem pedum vestrorum. Amen dico vobis, tolerabilior erit conditio Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm vrbis illius.* Et quàm hæc alia non fuerit vocatio ab illa, quam mandauit post suam resurrectionem, tametsi fuerit alia missio, verba illa quæ Dominus addidit, fidẽ faciunt. *Cauete ab hominibus*: (inquit) *tradent enim vos in consessus, & in synagogis suis flagellabunt vos. Sed & ad præsides ac reges ducemini meâ causâ, vt hoc sit eis & gentibus testimonium, &c.* Eadem illa Apostolica vocatio temporibus diuersis accommodanda fuit: quid enim in perpetuo Apostolatus sui cursu ipsis esset euenturum, Dominus prædicit: quorum tamen nihil ipsis accidit, quamdiu cum eis hîc in terris vixit. Petrus post resurrectionẽ Domini, paulò antequam reciperent Spiritum sanctum, de Iuda ita loquitur: *Annumerabatur* (inquit) *nobiscum, & sortitus erat hoc ministerium, nempe Apostolatus:* qui si alius ante Domini resurrectionem ab eo fuit, qui post ipsis est impositus, non rectè ita Petrus loquutus esset: Diuersitatem eidem rei multis modis accidere, vt tamen eadem maneat, notum est, nec demonstratione eget.

Sed & hoc adhûc mihi longè absurdius est, D. Bezam, quem toties iterum atque iterum legisse ac relegisse oportet nouum testamentum, quod doctissimis annotationionibus illustrauit, & ter quaterue ad incudem reuocauit, scribere; se *non arbitrari verũ esse, quod aio, baptizandi potestatem tunc illis fuisse commissam, cùm nulla, ne tenuissima quidem, fiat eius rei apud Euangelistas mentio:* cùm diserte apud Iohannẽ legatur, *Dominum non baptizâsse, sed ipsius discipulos*, Ioh. 4. cap. 2. & 3. c. 22. Hic lapsus D. Bezam admonere debet ipsum labi posse, nec oraculũ esse quicquid ab ipso proficiscitur. Quæ fides ei, qui in re tam manifesta errat, in obscurioribus atque perplexis quæstionibus debeatur, viderit ipse lector. Quod à me nolim ita dictum accipi, tanquam doctis eius scriptis quicquam detrahere velim. Sed ne Bezæ nomen veritati in controuersiis præiudicium adferat; & nôrint lectores Bezam turpiter in re clara interdùm hallucinari.

D. THEOD. BEZA.

DEnique nullas neque à Christo ipso, neque ab eius discipulis seorsim tum collectas fuisse Ecclesias, à Iudaicis synagogis distinctas, rectè sentis; quibus denique plantandis, sicuti dixi, posteà duodecim isti fuerunt constituti. Sed illud planè verissimum est, quod in hoc extremo capite affirmas; vnam & eandem istorum duodecim, quibus adiunctus posteà fuit Paulus, potestatem fuisse, & parem Apostolatus dignitatem: quod cùm ita sit; puto & illud manifestò liquere, gradum istum Episcopalem, ac multò

multò minùs Archiepiscopalem, perpetuò in Ecclesia non extitisse, quasi aliter stare Ecclesiæ commodè non potuerint, nec possint.

HAD. SARAVIA.

QVia parem asserо Apostolatus dignitatem, indè manifestò D. Beza liquere putat gradum Episcopalem, & multò minùs Archiepiscopalem, perpetuò in Ecclesia non extitisse. Miror mihi non idem videri; sed hæc nec cohærere, nec se consequi iudicare. Quàm infirma, nulliúsque momenti, hæc sit ratiocinatio, ex ratione quæ sequitur, facilè apparebit; si quis hoc tempore mihi, quod prisci omnes patres affirmârunt, et fusiùs posteà suo loco probaturus sum, concedat: In locũ Apostolorũ successisse Episcopos & Archiepiscopos. Hoc dato, non magis sequitur Episcopos Presbyteris non esse superiores, quia omnes Episcopi æquales sunt; vel quia omnes Archiepiscopi sunt æquales, ideo non esse Episcopis superiores, quàm Apostolos non fuisse Euangelistis, aliisque suis cooperatoribus superiores, quia ipsi Apostoli inter se erant æquales. Nam hæc semper ab initio Archiepiscoporum, & Episcoporum, atque etiam Presbyterorum, fuit ordinis natura, vt par esset tam Archiepiscoporum, quàm Episcoporum dignitas: vt nec Archiepiscopus in Archiepiscopum, nec Episcopus in Episcopum vllum magis haberet imperium, quàm Presbyter in Presbyterum. Nam quemadmodum Apostolatus eandem esse dignitatem dicimus; proindè Apostolos omnes fuisse æquales: idem dicimus de Episcopis qui successêre Apostolis.

Si D. Beza, aut alius aliquis docere posset, Apostolos & Euangelistas aliis Ecclesiarum Presbyteris vel Episcopis, non fuisse maiores, & nullam habuisse eis imperandi potestatem, nobis satisfactum esset: Sed quamdiu id aduersarij non faciunt, voluntq; demonstrari Apostolum supra Apostolum constitutũ: quod quia non fit, falsò putat Archiepiscopos & Episcopos nullos posse demõstrari. Tametsi id contra Romanũ Episcopũ valeat, qui se suamq; potestatẽ eò extulit, vt supra cæteros omnes totius vniuersi orbis Episcopos, Episcopum se constitutum iure diuino persuasum omnibus velit, nihil contra nos dicunt, qui talem nullum aut Episcopum, aut Archiepiscopum agnoscimus: sicut nec vllum Apostolum supra cæteros Apostolos. Ridicula planè hæc est contra nos ratiocinatio. Nemo Apostolus suis collegis imperauit, ergo Episcopi non possunt imperare Presbyteris. Sed si intra leges argumentandi se contineret hæc ratiocinatio, quas ratio præscribit, dicerent; ergo nemo Episcopus imperare potest Episcopo, nemo Archiepiscopus Archiepiscopo, nemo Metropolitanus Metropolitano, nemo Patriarcha Patriarchæ, nemo Primas Primati. Nam hos in potestate & authoritate regiminis Apostolici successisse credimus: & quemadmodum illi, quamuis in pares nullum haberent imperium, inferioribus tamen ordinibus imperabant; idem ab Episcopis qui legitimè Ecclesiæ Christi præsunt, ab Apostolorum temporibus fuisse factitatum, vsque ad hæc nostra tempora, adfirmamus.

D. THEOD. BEZA.

QVanto enim maius est & grauius onus Ecclesias plantare, quàm rigare; siue fundamentum illarũ ponere, quàm superstruere. & extructas regere; tanto magis istum gradum vigere inter ipsos Apostolos illos duodecim oportuit.

HAD. SARAVIA.

SI contra Romanæ tyrannidis defensores, qui Episcopum Romanũ supra cæteros omnes totius orbis vniuersi Episcopos efferunt, D. Bezæ res esset, valeret hæc ratio: si modò nobiscum faterentur, omnes eiusdem dignitatis & authoritatis fuisse Apostolos; nec quenquam potestate fuisse collegis superiorem. Sed illi, vt tueantur quẽ, opinionis errore, vniuersalem Romano Episcopo tribuunt Primatum, Petrũ faciunt Archiapostolum: nos autem prouinciarum Primates, & Archiepiscopos, paris honoris & potestatis, quemadmodum fuêre Apostoli, dicimus: & sicut plantandis Ecclesiis, nihil opus fuit vnum Apostolum præesse cæteris omnibus; ita nec illis cõseruandis, regendisue arbitramur necessarium, vnum Primatem dignitate & authoritate supra cæteros omnes totius orbis Episcopos eminere.

Æqualitatẽ quæ fuit inter Apostolos, etiã Episcopi Romani olim cũ aliis primatibus

retinebant: & hactenùs primates diuersorum regnorum atque prouinciarum eam coluerunt. Nunquàm Hispaniarum Primas in Primatem Gallicanarum Ecclesiarum ius vllum sibi vendicauit; sicut nec Archiepiscopus Antiochenus nihil iuris vsurpauit in Alexandrinum, nec alius quispiam in vicinum, nisi raro & irrito conatu. Solus Romanus Episcopus suâ prouinciâ non cõtentus, vniuersum orbem ambitione sua deuorauit. Quod alia via Constantinopolitanus tentauit, non successit. Tamen quemadmodùm pares authoritate & dignitate Apostolos, ad ædificandas Ecclesias, superiores necessariò præfuisse aliis omnium ordinum Ecclesiarum pastoribus & ministris, extra controuersiã est; sic etiam nos dicimus, ad earũ conseruationẽ & propagationẽ, Episcopos, & archiepiscopos, primates, & Metropolitanos, inter se dignitate & authoritate pares, cæteris inferiorũ ordinũ pastoribus præsidere, cum eminentiore potestate. Nec inde consequitur, quia necesse est in Ecclesiastico regimine, Presbyteros subesse Episcopis, & Episcopos suis Metropolitanis, & Primatibus, vnum vniuersalem, qui vniuerso orbi præsit, constituendum Archiepiscopum, non magis quàm vniuersalẽ Apostolum supra Apostolos; sicut ipsi supra alios Ecclesiarũ Episcopos & Presbyteros erant constituti.

Non enim sequitur; ædificandis Ecclesiis necessarium fuit, vt Apostoli authoritate præessent tam pastoribus & Episcopis Ecclesiarũ, quam populis: ergo necessarium etiam fuit, vnũ aliquem Apostolũ authoritate supra suos collegas eminere. Id enim nõ magis esse consequens, multi ante me doctissimi viri docuêre, quã si quis argumẽtetur, ac dicat; quia in gubernandis regnis, necesse est vnum aliquẽ potestate superiorẽ esse, qui omnibus imperet, cuiuscunque sint ordinis & dignitatis; ergo etiam necesse est regibus omnibus vnũ aliquẽ præfici. Quod nunquàm est factum, nec vnquàm futurum est; nisi sub vno omnium Domino, qui Deus & homo est, Iesu Christo.

Si quis dicat Ecclesiasticam gubernationem multùm differre ab imperio regio, fatebor quidem; sed ita, vt si regium imperium nihil opus habeat superiore rege, minùs Ecclesiastica administratio. Sed quamuis sit diuersa ratio gubernationis, & suis peculiaribus notis discernantur ab inuicem; tamen quod generi propriũ est, vtraque species natura retinet. Atqui gubernationis genus ordines habet subalternos: qui tametsi infrà supraque sistantur, ne decurrant in infinitum; plures tamen admittit, immò nonnunquàm exigit; donec vtrobique tam infrà quàm suprà, ad pares deueniatur.

D. THEOD. BEZA.

ETsi tam esset, vt nonnulli contendunt, veluti ipsa natura sic præcipiente, in omni sacro cœtu gradus iste, ad seruandum inter collegas consensum necessarius; saltèm quamdiù simul Hierosolymis fuerunt congregati Apostoli, nempè saltem ad illam vsque dispersionẽ, quæ Stephani mortem est consecuta, Act. 1. vnumquempiam iam supra suos coapostolos extitisse oportuisset: quo fundamento Oecumenicum illum Christi vicariatum, à Petro Romanæ sedi collatum, Romanus pseudoepiscopus contendit.

HAD. SARAVIA.

TAnta est naturæ vis, vt vincat etiam eos à quibus impugnatur. Æqualitatem inter Ecclesiæ pastores, qui Apostolis successerunt, D. Beza esse oportere, aliique plures cum eo hodiè contendunt, & eminentiam authoritatis Episcoporũ damnant tyrannidis; cùm ipsi interim æqualitatem, quam profitentur, minimè obseruent: nec enim vt maximè velint possunt. Verum quidem illud est, *naturam expellas furcâ licet, vsque recurret*. Constat enim ipsum D. Bezam collegis suis esse longè superiorem: & Iohannes Caluinus dum vixit, plus authoritatis in suos collegas habuit, quàm hodiè Angliæ Primas in coepiscopos exerceat: nota loquor, vt impudentis fuerit negare, quod res ipsa clamat, & scripta eorum testantur.

At hæc maior authoritas (inquies) non fuit imperij, sed meriti. Nihil refert arbitror, quo modo æqualem potestatem collegis quis eripiat. In deliberationibus, vbi alicuius nomen, ætas, eruditio, gratia, plus ratione valent; libertas, aut nulla, aut certè imminuta intelligitur. Quæ autem vtilia, honesta, iusta, & cum ratione consentanea sunt, verisimilius est, & semper fuit potius à magnis nominibus, quàm à vulgaribus proficisci: & in viro docto, atque in sene, plus creditur inesse iudicij, quàm aut in iuuene,

iuuene, aut in viro indocto. Iuuenes plerùmque sunt imperiti rerum, & homines indocti naturâ minùs vident, & minùs sciunt: quocirca hominem imperitum, & iuuenem, & indoctum, sententiæ viri docti, & grauis senectute, & multæ experientiæ, refragari, eique, etiamsi melius sentiat, suum iudicium præferre, temeritas est. Quod si quid ingenui pudoris in iuuene sit, quamuis verius & melius sentiat, non tamen audebit, (quod nec decet) contradicere seni: quod tamen si fecerit; cum modestia, & eo decoro, quod ætatem & conditionem suam decet, non erit tamen pondus sententiæ tam graue, sicut ea quæ à D. Beza proficiscetur.

Synodi cuiusdam, cùm recitarentur, me præsente, canones, vbi ventum erat ad illum canonem, qui æqualitatem inter verbi Dei Ministros obseruandam mandat; & in primis cauendum, ne verbi Dei Minister verbi Dei Ministro, aut diaconus diacono præcipiat; fratribus qui ibi aderant testatus sum, mihi non displicere canonem: sed non prius me probaturum, quàm authores illius in verbi Dei Ministris omnia paria efficerent: Naturæ rerumque ordinem docere, vt saltem senes præeant, præsintque iunioribus; & vt ipsi iuuenes senibus obsequantur, & obtemperent: item, vt doctores præcepta tradant discipulis: atqui constat inter Ecclesiarum pastores, tantum ætatis esse discrimen, vt patres & aui iunioribus seniores esse queant. Item eruditionis & doctrinæ, qua alij alios superant; vt aliqui magistri & doctores esse possint aliorum. At illud discrimen (inquies) canone illo non tollitur, aperta illa esset insania. Sed agè, nũnàm regiminis ordo minùs ab ipsa natura manat, quàm illa ipsa quæ nunc cõmemoraui, qui in societate nullus est, nisi sit qui præcipiat, & qui obtemperet? Sed (inquies) plures imperabunt paucioribus: rectè quidem, nisi hæc quæ dixi vim adferrent legi, facerentque vt pauctores (vel etiam vnus) reliquos ad se traherent.

Quanti autem sit apud Geneuates hodiè vnius Bezæ authoritas, & quondam fuerit laudatæ memoriæ Iohannis Caluini, hinc apparet, quod etiam exteri, ab ipsorũ pendere voluerint sententia; vt quod ipsi probâssent, reciperent; quod improbâssent, reiicerent. Quid enim in dubiis rebus à remotissimis Europæ partibus Geneuam curritur, mittitur, scribitur, vt D. Bezam adstipulatorem habeant suæ sententiæ? Insaniunt profectò qui hoc faciunt, si nulla D. Bezæ est præcipua authoritas. Vndè quæ sit vnius Bezæ, domi supra suos collegas eminentia, disci potest; & quomodo inter collegas æqualitatem queat obseruare, iudicent alij. Quod me attinet, ego mallem Bezam habere legitimum Episcopum, quam collegam tyrannum. Nam quidquid aut in se assumit supra cæteros, aut ei tribuitur plus quàm cæteris, contra æqualitatis legem fit; & eatenùs tyrannis quædam est: quæ nulla esset, nisi contra legem, quam sibi constituerunt, fieret.

Quod Apostolos attinet qui simul aliquandiù Ierosolymis vixerunt, certum est à Domino non fuisse creatos, vt simul eôdem loci, siuè regionis vnius, siuè vrbis, manerent: quamobrem collegio aliquem præfici nihil necesse fuit. Tamen quamdiù simul vixerunt Ierosolymis, vnumquempiam tunc præfuisse collegio duodecim Apostolorum, non est absurdum: quod dum obstinatius negatur, nihil bona causa contra Romanum Episcopum iuuatur. Quis vnquàm conuentum vidit aut cœtum conuenisse, in quo non aliquis præsederit, qui quæ agenda essent proponeret, & sententias rogaret, atque suffragia colligeret? Quod etiam si Petro delatum fuisse à collegio Apostolico, cum priscis patribus dicamus, nil ea re causæ Romani Episcopi datur, vndè suam tyrannidem stabiliat: fuit enim hoc in Petro temporarium, & dispersis Apostolis finitum.

HAD. SARAVIA.

De Septuaginta Discipulis.

CAPVT IIII.

Ametsi Prophetas secundo loco Paulus collocet, in tertium ego reijcio: non tam vt dignitatis sequar ordinem, quàm temporis, in quo ministeria noui Testamẽti sunt instituta. Cùm igitur Dominus videret præamplitudine messis paucos esse operarios, alios septuaginta discipulos, Euangelizandi causâ, elegit. Quibus etsi edendi miracula potestatem dederit, & paria iura, quæ priùs dederat Apostolis, capiendi victum ab eis quibus Euangelizabant; eos tamen duodecim Apostolis non aggregauit, vt vnum collegium cum illis facerent. Semper enim separati leguntur duodecim viri à 70 discipulis; qui in hac re inferiores videntur Apostolis fuisse, quòd non tam familiari conuictu cum domino vixerint, sicut 12 Apostoli: vndè nec testes esse potuerunt eorum omnium quæ fecit & locutus est.

Si qui fuerunt, illi pauci fuerunt, nempe duo, Ioseph qui cognominabatur Iustus, & Matthias: è quibus alter, Deo dirigente calculos, sortitus est locũ Iudæ. Barnabas apostolico more per varias regiones discurrit, & collegit Ecclesias; quẽ ex 12 Apostolis non fuisse, certũ est. Philippus in hoc ordine quoq; censeri potest, alijque plures, qui cum Apostolis laborârunt in doctrina Euangelij propaganda. Itaque proximè à domino vocatos fuisse cùm constet, & Ecclesiæ datos Euangelistas legamus; quos dicemus illos fuisse, si isti non sunt? Septuaginta igitur illi discipuli Euangelistæ, fuerunt 12 Apostolis inferiores, quòd tanquã legati summis ducibus dati fuerint, qui eorum vices eâdem authoritate obirent.

Multos sibi præterea assumpsêre Apostoli cooperatores: sed in quibus tanta nõ erat fidei soliditas, sicut in eis, quos dominus ipse vocauerat, & eodem spiritu quo Apostolos suos dirigebat. Barnabæ, Iudæ, & Silæ secundùm Apostolos, legimus magnam in Ecclesia fuisse authoritatem, & eius propagandæ studium: in eos enim se effuderat Spiritus sanctus, sicut in Apostolos. Conuenerant enim ipso die Pentecostes omnes, qui Matthiæ interfuerant electioni, eôdem loci cum 12 Apostolis, quandò Spiritus sanctus aspectabilis cælo delapsus est. Et quamuis Barnabas 12 non fuit adnumeratus Apostolis, non defuit esse Euangelista.

Quàmuis Lucæ & Marci magna fuerit authoritas propter conscriptas Euangelicas historias: eos tamen non adnumero 70 Euangelistis, quia per homines ad ministerium Euangelicum vocati sunt. Tertullianus contra Marcionem lib. 4. de Luca scribit. Lucas non Apostolus (*inquit*) sed apostolicus, non Magister sed discipulus, vtique magistro minor, certe tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator.

De Marco, Papias in cõmentariis (sicut refert Eusebius l. 3.) scriptam reliquit hanc historiã. Marcus qui fuit interpres Petri, quæcunque tenebat memoria, scripsit quidẽ accurate, sed tamen non eo ordine quo erant a Domino dicta, factaue. Neque enim Dominũ audierat ille quidẽ, neque erat eum comitatus: sed postea, vt dixi, comes Petri fuit, &c. Quare neutiquã in eo errauit Marcus, quod quædam (sicut memoriæ ea ante mandauerat) literis prodidit: quandoquidẽ hoc vnũ mẽte & cognitione sedulo prospexit, vt nec quicquam eorum quæ audi-

audiuisset prætermitteret, nec falsi aliquid iisdem omnino interponeret. *Hæc ille. Notum est Iohannem Marcum inferiorem authoritate fuisse Barnabæ, vtpotè ipsius sectatorem, ac veluti discipulum, sicut etiam Pauli: nec in alio gradu quàm erant Titus & Timotheus. Marci tamen & Lucæ fides in describendo ea quæ ab Apostolis acceperant, tanta est, vt eorum Euangelia inter canonicas Scripturas numerentur, & authoritate æquentur Euangeliis Matthæi & Ioannis: nimirùm qui Euangelicis narrationibus tantùm commodârunt operam suam Apostolis & Euangelistis. Et cùm Matthæi Euangelium vnius Matthæi, & Iohannis tantùm Iohannis, videri possit; cæterorum omnium Euangelistarum & Apostolorum, potiùs quàm Marci & Lucæ, eorum Euangelia censeri debent. In qua re magnam merentur laudem, quòd nihil humanitùs sint passi, quod historiarum scriptoribus accidere solet: sed ipsum Apostolorum & Euangelistarum spiritum ita sunt secuti directorem, acsi ipsimet Apostoli scripsissent. Testimonium Lucæ Paulus reddit, 2. Corinth. 8. vers. 18. quandò dicit;* Misimus autem vna cum eo fratrem illum cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. *Qui fuerunt Euangelistæ propriè & vero nomine, & qui non, ex his quæ diximus, quiuis potest intelligere.*

D. THEOD. BEZA. ad cap. 4.

MEra fabula est tota hæc tua narratio: quam non ex sacra historia, sed ex illis fœdis lacunis, id est suppositittis Clementis & Anacleti Epistolis, hausiam, miror abs te nobis, tanquàm certissimũ quiddã, obtrudi. Sed (inquis) cùm ecclesiæ datos Euãgelistas legamus, quos dicemus illos fuisse, si isti non sunt? Imò verò respondeo hos ipsos esse, quos vocat Apostolus σωέργους, & συλλειτέργους, non ab ipso Christo, sed ab Apostolis ipsis posteà, prout res ferebant, delectos; quos nulla certè de causa, nec vlla probabili ratione, ab istis, quos imaginaris, secundarijs Apostolis, alios facis: siuè (quod non inuitus tibi vt probabile concedo) pleroſque istos Apostolorum cooperatores ex illis 70. vt probatioris fidei discipulis, allectos fuisse dicamus; siuè ex aliis, quales habere plurimos potuit Christus, fuerint ab Apostolis asciti. Nec alios Euangelistarum nomine ab Apostolo significatos fuisse affirmo, vt propterea non fuerint abs te Prophetæ, suo loco in tertium locum reiecti.

HAD. SARAVIA.

MIror haberi pro fabula, ex lacunis Clemẽtis & Anacleti desumpta, quod ex verbo Dei tam perspicuè deducitur, vt nihil posse manifestiùs deduci putem. Supra centum discipulos fuisse constat, qui præter cæteros cum Apostolis Hierusalẽ vsque secuti sunt Dominum: quibus & post resurrectionem seipsum viuũ ostendit, quos omnes fuisse prophetas, & simul cum Apostolis recepisse Spiritum sanctum, nulla verisimili ratione negari posse, & immediatã habuisse ab ipso Domino vocationem demonstraui, & fusiùs demonstrabo. Et D. Beza non negat, ex iis ab Apostolis cooperatores allectos. Quid igitur improbatur? Numerus Euangelistarum septuagenarius, & quòd hos secundos post Apostolos facio, & Prophetas tertio loco repono? Ridiculũ: quasi negem eos, quos dico Euangelistas, fuisse Prophetas; aut ad illum numerum alios plures additos fuisse pernegem; cùm ipse fatear potuisse quidem ad illum numerũ plures addi, sicut Paulus duodecim Apostolis fuit allectus; & Dominus ante passionem, quandò illos septuaginta discipulos adiunxerat Apostolis, tunc tantùm mittendos in Iudæam, paruam prouinciam (cum vniuerso orbe si comparetur) dixerit messem ampliorem quàm erant operarij; & præ magnitudine messis, operarios fuisse paucos: proindè messis Dominum rogandũ fuisse, vt operarios extruderet in suam messem. Sufficere exiguus ille numerus 70. discipulorum, additus duodecim Apostolis, si non potuit, & maiorem vna Iudæa postulabat; quid de vniuerso terrarum orbe censendum?

Absurdum non mihi videtur plures post resurrectionem ab ipso Domino immediatè potuisse vocari; sed quia verbum Dei hoc nusquàm narrat, certò definire temerarium iudico. Quòd illos 70. allegaui, factum à me hoc consilio est, vt distinctam notarem immediatam, quæ est à Deo, vocationem, ab ea quæ fit per homines, & coniunctam habet peculiarem gratiam. Quare si quis eos omnes, qui cum Apostolis recepêre Spiritum sanctum, 70 discipulis adnumeret, quocunque eos nomine vocet,

siuè Prophetas, siuè Euangelistas, ei non aduersabor; modò mecum fateatur, quamuis inferiores essent Apostolis, proximam tamen à Deo habuisse vocationem.

Prophetæ vocabulum latè patet, sicut & doctoris, vtipsis Apostolis & Euangelistis etiam conueniat: sed quia fuerunt prophetæ, qui nec Apostoli nec Euangelistæ erant; quibus regimen Ecclesiæ, quod pastoribus est proprium, nullum commissum erat, eos tertio loco posui; & eis Euangelistas, qui simul & prophetæ erant, prætuli; nihil motus ordine, qui scriptus est à Paulo; cuius mens tantùm fuit, à Domino distinctos ministrorum verbi sui ordines dàtos, non dignitatē, quâ super cæteros alij excellunt, significare. Non enim semper in verbo Dei eius, qui dignior est, nomen cum inferiore coniunctum, præponitur. Barnabam Paulo Lucas vbique præponit: quē tamen constat fuisse Apostolum, nulla in re duodecim aliis Apostolis inferiorem; quod de Barnaba dici non potest. Quamuis enim strenuè Euangelistæ munus obierit, & vir fuerit ab Apostolis secundus, non fuit tamē eis adnumeratus. Sed causa certè, cur non æquè vt Philippus censeatur Euangelista, nulla est. Idem de Nathanaele, de Cleopha, & pluribus aliis, quos Dominus ipse Apostolis cooperatores dederat, & Apostoli quoque vocantur, iudico: quos ab eis, qui per homines, & ab hominibus, ad Ecclesiæ ministerium posteà vocati fuerunt, segrego. Non enim Titum, & Timotheum, aliosuè, quos Apostoli adiutores sibi adiunxerunt, pares illis facio; nec propriè Euangelistas fuisse puto: quamuis opus Euangelistæ ipsis impositum fuerit. Aliud enim est Euangelistæ aut Apostoli opus facere; aliud esse Apostolum aut Euangelistam. In partem Apostolici & Euangelici muneris & laboris, Apostoli & Euangelistæ multos assumpserunt; quos Apostolos & Euangelistas eiusdem secum gradus non creârunt.

1. Cor. 15. 7.

Quod D. Beza adfirmare se ait, nullos ab Apostolis, Euangelistarū nomine fuisse significatos, præter eos, quos ipsi adsciuerant cooperarios & adiutores, me nihil mouet; qui non quid affirmet aut neget, sed quid doceat, & quibus argumentis sua probet, specto. Vellem citâsset locum, in quo Apostolus aliquem vocârit Euangelistam. Præter Philippum in toto nouo testamento, nemo vocatur Euangelista. Barnabam, & Philippum, ac plures alios è numero fuisse 72 discipulorum, Epiphanius censet; & à Domino, post suam resurrectionem, cum duodecim Apostolis missos fuisse ad prædicandum Euangelium. Longè probabiliùs dicitur hos 70 & alios, qui cum Domino conuersati fuerant, secundum in Ecclesia ab Apostolis tenuisse locum, & siuè Prophetas, siuè Euangelistas voces, datos à Domino fuisse Apostolis adiutores, quàm ab eis adsumptos.

Omnes illius temporis prophetas, & prophetissas, non tenuisse secundum locum ab Apostolis, locus 14. capitis, prioris ad Corinthios ostendit, quandò ait, *Potestis omnes prophetare*. Prophetiæ donum nunquàm in veteri nec in nouo Testamento, fuit alligatum rectoribus Ecclesiæ. Præter sacerdotes & Leuitas, ex quauis tribu Deus Prophetas excitauit: & in nouo Testamento prophetiæ spiritum, sub quo comprehenditur interpretandi scripturas donum, Ecclesiarū pastoribus non ita fecit proprium, vt extra illum ordinem nemo inueniri possit propheticarum literarum interpres. Quid in hac mea sententia sit fabulosum, & ex confictis Clementis & Anacleti Epistolis desumptum, iudicent candidi lectores.

(·.·)

HAD. SA-

HAD. SARAVIA.

De Prophetis.

CAPVT V.

QVemadmodum neminem in ordinem 12 Apostolorũ præter vnum Paulum annumeramus; ita 70 illis discipulis nemo est æquandus. Nam licet Deus speciali gratia alios addere illis 70 viris potuerit, nulla in re eis inferiores, sicuti Paulum 12 Apostolis aggregauit; tamen testimonium scripturæ cùm nullum hoc asserat, temerariũ esset id esse factũ affirmare. Sed cùm præter 12 Apostolos & 70 illos Euangelistas, alij etiam Spiritus sancti primitias receperint, quo nomine eos à cæteris distinguemus? De numero 120 virorum supersunt 38. quos cùm nec 12 Apostolis, nec 70 Euangelistis annumerare liceat, prophetas meritò dicemus. Et hoc est quod Petrus in sua, & sociorum defensione ad populum, ex Ioelis prophetia demonstrat; nempè spiritum propheticũ, qui olim promissus fuerat, in vltimis temporibus dandum, tunc fuisse effusum in cœtum illum, quem variis linguis prophetantem, cum magna admiratione audiebat.

Triginta igitur illi octo viri, qui nec collegio duodecim Apostolorum, nec septuaginta discipulorum adscribuntur, primi prophetæ fuerunt, quos Deus Ecclesiæ suæ dedit; post quàm Seruator noster cœlos conscenderat. Ex quorum numero Damascenus, Annias, & Agabus, celebris vterque propheta esse potuerunt. Iudas & Silas prophetæ etiam dicuntur; & eo nomine missi sunt ab Apostolis Antiochiam, vt fratres adhortarentur, & confirmarent.

Veros prophetas hos fuisse dictos non μεταφορικῶς *iudico, vtpotè qui spiritu Dei futura præuiderint, & quid opus esset facto, Ecclesiam præmonuerint, & recondita mysteria eodem Spiritu docuerint.*

Nam etsi omnis scripturæ interpretatio prophetia quædam sit, doctoris ea magis est propria, quàm prophetæ; & rectiùs interpretes sacrarum literarum, doctores quis dixerit, quàm prophetas. Sed Deus verum prophetiæ donum, quod frequens inde ab initio fuerat in Israele, in Ecclesia sua renouauit; & tria doctorum genera, quos infallibili suo Spiritu sancto dirigebat, nouo populo dedit, Apostolos, Euangelistas, ac Prophetas: & hi fuerunt primi Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteri, & Episcopi.

D. THEOD. BEZA in cap. 5.

PRophetarum nomine à pastoribus & doctoribus distinctorũ, rectè mones eos intelligendos, qui Spiritu Dei de futuris sibi diuinitùs patefactis Ecclesiam præmonuerint, & recondita mysteria eodem spiritu docuerint, sicut expressè legitur Actorum 13.2. & 11.27. & 28. & 20.23. & 21.11. qua ratione Paulus inter ἀποκάλυψιν, & γνῶσιν discrimen constituit. Fuerunt igitur isti prophetæ peculiariter appellati, quos Dominus Apostolis, licèt hoc modo quoque spiritu prophetico præditis adiunxit, vt hoc etiam spiritus sancti prorsus supernaturali charismate, Apostolicam prædicationẽ confirmaret. Sed quòd tu eorum numerum audes definire, quòd videlicet triginta octo fuerint, explendo centum viginti illorum numero, qui post ascensionem Domini ad eligendum Matthiam conueniisse leguntur, Act. 1.15. tu videris cur tam præsertim confidenter affirmes. Vis enim compositum hunc numerum fuisse, primùm ex duodecim Apostolis, deindè ex septuaginta illis commentitiis Euangelistis, ac deinceps ex triginta octo istis prophetis, quasi videlicet toto illo tempore, quod ab electione Matthiæ ad Pentecostem intercessit, nec plures nec pauciores cum Apostolis conuenirent, quàm in primo illo post Domini ascensionẽ coacto cœtu: quod tu videris vndè didiceris.

HAD.

HAD. SARAVIA.

DE re non vsque adeò magni momenti mecum controuerti D. Bezam miror; nempè de numero prophetarum, & de septuaginta discipulis; quos ita voco Euangelistas, vt eis spiritum non denegem propheticum, quò minùs non possint, vt erant etiam, prophetæ nominari, sicut reliqui triginta octo etiam Euangelistæ, si quis discrimẽ inter hos & illos tollat, quod ego constituo. Præterea, plures fuerint an pauciores; quid hoc ad rem de qua inter nos controuertitur? ego me contineo intra numerum quem Lucas posuit; vt frustrà à me quærere videatur D. Beza, vndè didicerim toto illo tẽpore, quod ab electione Matthiæ ad Pentecostẽ intercessit, nec plures, nec pauciores cum Apostolis cõuenisse: quod ego vicissim meliùs ab ipso petere possum, vndè ipse didicerit, plures vel pauciores conuenisse cum Apostolis quàm sacra historia commemorat.

Ego viros illos centum & viginti in tres classes distribuo. Prima est 12 Apostolorũ, quos distinctos fuisse ab aliis, extra controuersiam est. Altera est 70 discipulorũ, quos ego longè certiùs secutos fuisse Christum cum Apostolis existimo, quàm quis negauerit: & meritò hoc nomine esse præferendos aliis, quòd euangelizandi munus, & edendi miracula potestatẽ, Dominus adhùc in terris agens, eis contulerit, & secundo loco post Apostolos habuerit. Quam prærogatiuã honoris Dominus post resurrectionem suam confirmâsse potiùs quàm abrogâsse censendus est, quandò post resurrectionem suam eis apparuit, 1. Cor. 15. cap. 7. Luc. 24. cap. 33. & eis sensum aperuit vt scripturas intelligerent. Postrema classis est eorum qui nec inter Apostolos, nec inter 70 discipulos censebantur; quos ego, discriminis causâ, prophetas dixi, ne cum 70 illis discipulis confunderem: non quòd prophetas ad illum numerum restringerem, acsi Deus præter illos centũ & amplius, qui fuêre cum Apostolis, viros, neminem dignatus sit prophetiæ dono; cùm constet in illis Ecclesiæ primordiis, per impositionẽ manuum Apostolorum signo visibili, & sine impositione manuum, spiritum sanctum datum fuisse etiam Gentilibus, ad Dominum conuersis.

Verùm temerè D. Bezæ ac nimis confidenter videor, hunc centum & viginti virorum numerum distribuere in Apostolos, Euangelistas & Prophetas. Sed esto cuiusuis candidi lectoris huius meæ sententiæ iudicium, quid in ea sit absurdi. Certum est cum Apostolis eos, qui conuenerant ad Matthiæ electionem, recepisse spiritum sanctum: quos omnes cùm velit saltem fuisse prophetas, & ex iis Apostolos fateatur assumpsisse cooperatores; quæ ratio suadet eis dare Prophetæ nomen, negare Euangelistæ? Act. 13. c. Barnabas, & Simeon dictus Niger, & alij, vocantur doctores & prophetæ, quibus Paulus postremo loco illic censetur. Quid indè? an idcirco non fuerit Apostolus, qui inter doctores & prophetas numeratur? Apostolus qui est, etiam Euangelista, & Propheta, & Doctor, & Pastor est: & qui est Euangelista, tametsi non sit Apostolus, est tamen Propheta, & Doctor, & Pastor. Vtrùm alienum sit necnè à ratione, & ab historia sacra, asserere 70 discipulos in illo centum & viginti virorum numero fuisse, cedò quenuis iudicem.

Hoc constat, ex iis qui ab initio fuerant cum Apostolis secuti Dominum, duos fuisse electos, vt alter eorum in locum Iudæ surrogaretur: & post Apostolos, nullos fuisse qui familiariùs cum Christo vixerint illis 70: quocirca ex illis duos electos, quorum alter cum Apostolis eadem authoritate & dignitate testis esset eorum quæ fecerat, & docuerat, oportet. Verba Petri hæc sunt, *Quamobrẽ ex his viris qui nobis adsociati sunt toto tempore, quo Iesus cõuersatus est nobiscum, à baptismate Iohannis vsque in diem, in quo assumptus est sursùm è medio nostrùm, vnum oportet fieri testem resurrectionis ipsius.* Ecquos dicemus hos fuisse, nisi Nathanaelẽ, & alios quos cũ Apostolis Dominus se iussit sequi; quibus & prædicandi & baptizandi munus tradiderat, & virtutem edendi miracula; quibus & Dominus dixerat; *Qui vos audit, me audit*, &c. Sed ad D. Bezam reuertamur.

D. THEOD. BEZA.

IMò quòd 38. istos prophetas tam certò adfirmas, spiritus Apostoli primitias, vnâ cum 12 illis Apostolis primariis, & illis tuis 70 Euangelistis, die pentecostes accepisse, multis euidentissimis rationibus refellitur.

HAD.

HAD. SARAVIA.

QVid moueat Dominum Bezam, vt passim, hîc, & vbique tam contemptim 70 discipulos, meos Euangelistas nominet, nescio. Viri eruditionem & iudicium miror tam hìc quàm aliis in locis allucinari, & non videre verum, nec quod vero magis est consentaneum: atque pro euidentissimis habere rationibus, quæ cum veritate sacræ historiæ pugnant, quantum ego quidem iudicare possum. Tamen quia mihi posse euenire illud ipsum, quod tanto viro accidisse video; id facit vt mihi ipsi diffidã, & doctos lectores, & in verbo Dei exercitatos constituam iudices inter præclarum virum D. Bezam, & me: vt rationes & argumenta vtriúsque partis expendant, sequantúrque non hominis authoritatem, sed ipsam veritatem: quam quisquis fuerit sequutus, nemini facit iniuriam. Quàm autẽ multis eísque euidentissimis rationibus refellatur, simul cum Apostolis recepisse spiritum sanctum, quotquot simul cum 12 Apostolis recensentur, & simul centum & viginti constituebant numerum, audiamus.

D. THEOD. BEZA.

PRimùm enim quòd dicuntur illi, quibus tam solenni missione datus tunc fuit spiritus sanctus, concorditèr eodem loco fuisse, die illo Pentecostes, non potest nisi valdè coactè, ad superiorem illum centum viginti capitum conuentum, quasi die Pentecostes repetitum, referri: sed cum proximè præcedente vltimo præcedentis capitis versiculo prorsùs cohæret. Ibi enim dictus est Matthias vndecim illis Apostolis adiunctus, qui omnes tunc ex 11, facti 12, simul die Pentecostes conuenerint, promissionẽ videlicet expectantes, totius quidem Ecclesiæ commodo: tamen non toti Ecclesiæ, nec discipulis omnibus, sed istis propriè & peculiariter factam. Luc. 24. 49. Matth. 28. 16. 19. Marc. 16. 14. & 15. Act. 1. 2. & 4. Neque id temerè sic fuit gestum, vt vnus & idem par esse Apostolatus, eò quoque declararetur, quòd non vt anteà vnus ante alium diuersis locis & temporibus ad discipulatum, sed simul eodémque loco & tempore, & iisdem adhibitis signis, ad vnum & eundem Apostolatum sunt adsciti.

HAD. SARAVIA.

AD rationum D. Beza plenam cognitionem, citatos ab eo scripturæ locos expendamus, Luc. 24. cap. 36. vers. Dominum apparuisse non tantùm vndecim Apostolis, sed aliis pluribus qui cum eis erant, narrat: & ex Iohanne idem videtur innui. Nam Iohannes non ait, die illo resurrectionis circa vesperam, vndecim tantùm apparuisse Apostolis, sed *discipulis*; nullo addito numero; quo nomine *discipulorum*, alios discipulos intellexit, qui non erant Apostoli. Lucas disertè habet duos discipulos reuersos Ierusalem, & inuenisse Apostolos, & eos qui cum eis erant: quibus inter se colloquentibus, hoc est, Apostolis, & aliis qui cum eis erant, & duobus illis reuersis ab Emaunte, Dominus apparuit. & ver. 45. idem Lucas scribit, quòd tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Iohannes factum id narrat non 12 Apostolis tantùm, sed discipulis, quibus Spiritum sanctum dedit vt peccata retinerent, & remitterent, id est, potestatem illam ligandi, & soluendi, quam anteà promiserat. An cuiquã verisimile esse potest, Dominum in alia apparitione, tantùm vndecim Apostolis aperuisse sensum vt intelligerent scripturas, præteritis aliis discipulis, qui illìc adstabant?

Præterea, quandò ibidem ait? *Ecce ego mittam promissionem patris mei in vos, sed expectate vsque dum induamini virtute ex alto:* si non æquè dictum esset cæteris omnibus qui aderant, atque Apostolis, quorsùm illi cum Apostolis primò iuerunt in Galilæam, & indè rursùm redierunt Ierusalem? Quid illìc expectârunt? Si nihil ipsis erat promissum, vana erat expectatio. Itèm quandò 11 Apostoli dicuntur missi in Galilæam, in montem quem Dominus indicârat eis, quis hoc referat ad vndecim Apostolos, exclusis aliis discipulis, cùm à Paulo visus dicatur plusquàm à quingentis fratribus simul existentibus? Quod in Galilæa factum fuisse satis potest intelligi: illìc enim ad mare Tyberiadis, Dominus apparuit quatuor Apostolis, & tribus discipulis, Iohann. 21. cap. 1. v. vt intelligantur simul cum Apostolis alios quoque discipulos conuenisse in Galilæa, vt viderent Dominum. Quod apud Matth. 28. cap. 16. vers. & Marc. 16. 14. iuisse in Galilæam leguntur 11 discipuli, & illìc vidisse Dominum, non ideò cæteri discipuli debent excluí intelligi. Sed quod Lucæ vltimo capite, 50 versu narratur; *Postea in Bethania Dominum deduxisse suos discipulos*, tantùm ad 11. Apostolos referri, non nisi coactè potest. Sicut nec quod Act. 1. ca. legitur, *& postquàm congregârat eos, præcepit à Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris, quam audistis ex*

stis ex me ; quia Iohannes quidē baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto infra paucos dies : tum quòd promissio baptismi spiritus sancti pertinuerit tam ad reliquos Domini discipulos, quàm ad Apostolos ; tum quòd versu 13. dicantur à monte reuersi conscendisse superius cubiculum, vbi Petrus, Iacobus, Iohannes, & Andreas habitabant. De omnibus intelligendum est qui Apostolis adiuncti erant. Promissionem autem baptismi spiritus sancti ad reliquos discipulos pertinuisse, indè fit luce clarius ; quòd etiam communis fuerit omnibus primis credentibus.

Quando tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, referunt Iohannem Baptistam prætulisse Christum sibi, inter alias virtutes, quibus excellsiorem Dominum, & ipsius ministerium suo præstantius, prædicabat, baptismi excellentiā allegauit: quòd cùm ipse tantùm baptizaret aqua, Dominus baptizaturus esset spiritu sancto & igni. Hoc, dominus de mittendo spiritu sancto verba faciens, repetit, & ad Iohannis prophetiam adludit. Hinc statim vt auditum fuit Hierosclymis, Samariam verbum Dei recepisse, mittuntur duo Apostoli, per quorum manuum impositionem reciperent spiritum sanctū. Galatæ credentes receperant spiritum sanctum. Qui Iohannis Baptismo baptizati fuerant, & baptismum spiritus sancti ignorabant, baptizantur baptismo spiritus sancti, per impositionem manuum Pauli. Cornelius, & ipsius amici acceperunt spiritum sanctum antequàm baptizarentur, aut illis manus imponerentur. Et illi centum & octo viri, inter quos erant 70 discipuli, qui quôuis Dominum fuerant secuti, quibus & seipsum viuum post resurrectionem suam ostenderat, & Apostolorum cum 12 Apostolis honorantur nomine, vt qui secundarij essent Apostoli, cum 12 Apostolis non receperint spiritum sanctum illo ipso die Pentecostes, vbiubi tunc Hierosolymis fuerint ? quandò igitur, & vbi ?

Vidisse autem Dominum conscendentem cœlos simul cum 12 Apostolis, probatur vers. 12. primi capitis Actor. *Tunc reuersi sunt in Hierusalem à monte qui vocatur Oliueti, qui est prope Hierusalem distans itinere Sabbathi.* Reuerti non poterant cum Apostolis, nisi cum illis fuissent : fuisse autem sequens versiculus declarat. *Et quùm introissent, adscenderunt Cœnaculum vbi commorabantur Petrus, & Iacobus, & Iohannes, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.* Alios ab Apostolis illis vndecim oportet fuisse, qui in cœnaculum adscenderunt, vbi illi commorabantur, &c. quo satis apertè ostenditur, plures cum Apostolis in monte fuisse, quandò Dominus cœlos conscendit. Quod certè cōfirmatur, quandò & versu 14 sequenti, illi omnes dicuntur simul perseuerâsse vnanimiter in precibus, cum vxoribus, & Maria matre Iesu, & ipsius fratribus. Et omnium manifestissimè, vbi quantus fuerit numerus eorum, qui simul in precibus perseuerabant, describitur, id significatur, ver. 15. *Et in diebus illis stetit Petrus in medio discipulorū. &c.* Lucas enim, ne quis id de 12. viris, & paucis quibusdam sex aut septem intelligeret, eorum, qui cum Apostolis in oratione perstabant expectantes spiritum sanctum, numerum expressit. *Erat* (inquit) *numerus nominum eorum qui vno illo in loco erant, circiter centum viginti* : quos omnes ex orationis contextu, adfuisse, quandò Dominus in cœlum adscendit, & posteà simul in orationibus perseuerâsse indicare intelligitur. Ad illam tantùm conuenisse actionē, quæ illìc narratur, vocatos, cùm sciptura non dicat, non est verisimile. Eligendum esse duodecimum Apostolum Petrus proposuit omnibus eis, qui ibi vno in loco in precibus & obsecrationibus perseuerabant. Ad quos enim referas illud ver. 14. *Et hi omnes, &c.* nisi ad eos, qui reuersi à monte Oliueti, venisse dicuntur ad locum, vbi Petrus, & cæteri Apostoli morabantur, cum matre Iesu, & fratribus ipsius ? Etenim dum ita simul erant & perseuerabant in orationibus, Petrus de surrogando in locum Iudæ Apostolo, sermonem habuit ad illum cœtum, qui iam ibi congregatus erat ; non qui ipsius, aut aliorum Apostolorum consilio conuocatus fuerat. Quoto autem die ab adscensione Domini id factum sit, non multùm refert scire : modò teneamus id accidisse, dum hi omnes, vt iussi erant, cum precibus expectabant promissionem ipsis factam à Domino.

Secundo capite postquàm Lucas narrauit quid interea, dum expectabatur Spiritus sanctus, factū sit, repetit quod 14 versu dixerat, videlicet vno in loco fuisse omnes qui Dominum viderant cœlum petentē cum 12. Apostolis ; & matre Domini, & fratribus ipsius.

ipsius. Quod certè sicut ibi de solis Apostolis dictum accipi non potest, quos eôdem loci fuisse hospitatos dixit, cum Maria matre Iesu, & fratribus ipsius, sed de omnibus, qui cum Apostolis à monte redierant; ita hoc loco multitudinem significauit, cuius antè mentionem fecerat. Nam quos vna fides iungebat, in tanta Spiritus sancti expectatione, diuersa hospitia non disiungebant: nisi forte tam laxas ædes Ierosolymis nullas fuisse quis credat, quã recipiendis hospitibus ex vniuersò terrarũ orbe, domicilia certũ est ampla & capacia habuisse. Quandò tria millia fuêre addita Ecclesiæ; illa dicuntur eôdem loci simul habitâsse: & vnus locus 120. capere non potuit? Coacta profectò interpretatio D. Bezæ est, qui ad duodecim restringit, quod de multitudine discipulorum Lucas scripsit. Emphaticoteron illud ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτὸ est, quàm vt eam patiatur: vtpotè quæ falsum implicet sensum, cùm duodecim non solos habitâsse, sed cum Maria matre Domini, & fratribus eius antèa Lucas dixerit. Quos quomodò non adfuisse simul tunc cum duodecim Apostolis possit defendi, & non simul accepisse Spiritum sanctum, qui totam domum illam impleuisse dicitur, non video. Act. 2, c. 4

Itaque cùm Mariam, & fratres Domini vnà cum duodecim Apostolis fuisse, & recepisse Spiritum sanctum, negare sit absurdum; illud *& erant omnes, &c.* ad 12 Apostolos ita restringi non potest, vt soli accepisse Spiritum sanctum, intelligantur. Proinde aliorum multitudinem discipulorum excluſam, nec illìc tunc fuisse præsentem verisimile non est. Quis credat illo ipso die Pentecostes non similiter cum Apostolis, reliquos Domini discipulos, qui eum vbique comitati fuerant, in Galilæam iuerant, indè rursùs Ierosolymam redierant, participes fuisse donorum Spiritus sancti? Et quæ adeò communis propemodùm omnibus credentibus gratia in illis primordiis fuit, vt in ipsum Cornelium, & ipsius familiares incircumcisos, nondum baptizatos, visibilimodo sese effuderit, vt nouis linguis loquerentur: hósne cuiquã discipulos præteriisse, quandò in Apostolos descendit, rationi consentaneum videtur?

Agè, vbi illos Christi amantes discipulos, illo die Pentecostes, si eôdem loci cum Apostolis non erant, dicemus fuisse? Quid agebant? si non vnà cum Apostolis precibus vacabant? Promissionem factam solis Apostolis D. Beza ita statuit, vt tamen ad Ecclesiæ commodum referatur, cuius ipsi pars erant. Quid autem Dominus promisisset non ignorabant, & ipsorum interesse sciebant: quare vbivbì fuerint, orationibus fuisse intentos oportet; sed sine fructu, quod ipsorum personas attinet. Et quod Eldad & Medad, absentibus in castris à societate reliquorum 70. virorum, largitus est Deus, vt similiter acciperent Spiritum sanctum quem dederat eis, quos Moses apud tabernaculum fœderis constituerat, istis 120 viris non euenit; quippè qui præsentes in eodem loco cum Apostolis non fuerint. & 70 illos quos Mosi adiutores dederat eiusdem spiritus fecit participes; non autẽ hos, quos Apostolis dabat. Sed saltem ipsos ad famam tanti miraculi accurrisse primos, nemo mihi spero negabit; & congratulatos fuisse Apostolis. At præteritũ illud à Luca fuit; qui cùm diuersa studia eorũ qui accurrerunt, narret; & alios irrisisse miraculum, alios pœnitentiâ ductos credidisse, & fuisse baptizatos; dignum non fuit vt historiæ suæ hoc insereret. Quàm parùm hæc conueniant cum Dei liberalitate, cum loco, & moribus, puto lectorem intelligere posse.

Oratio Petri ad eos qui ad famam tanti miraculi conuenerant, ex prophetia Ioelis 2. cap. 28. ducta, longè ampliorem gratiam prædictam effundendam esse in omnem ætatem, & sexum, quàm vt ad 12. restricta tunc fuerit, docet. Ex Petri verbis longè euidentiùs colligere licet, multos præter Apostolos, tunc eiusdẽ gratiæ fuisse participes: & Spiritus sancti donum tunc latiùs fuisse diffusum, & diffundendum, quàm vt eo soli gauderent 12. viri. Istis rationibus adductus, Spiritum sanctum effudisse se in omnẽ illam multitudinem 120. virorum scripsi. Tamen ego eandem & parem mensuram omnium fuisse, non arbitror: & cumulatiùs resedisse in Apostolis, quàm in cæteris, quos ad tantum munus non vocauerat, credo.

Augustinus tract. 2. in Epist. Iohan. aperte testatur 120. viros simul sedisse, & Spiritum sanctum accepisse. Eius verba hæc sunt; *Duodenarius ille numerus decuplatus erat: Sedebant centum viginti homines, & venit Spiritus sanctus, & implenit totum locum illum, & factus est sonus quasi ferretur flatus vehemens, & lingua diuisa sunt velut ignis. &c.*

Chriso-

Chrysostomus in 2. Act. *Praeterea demonstrat omnes fuisse congregatos, vt simul qui aderant crederent, & discipulos communere dignos ostenderet, &c.* Et ibid. *Quid autem an in duodecim fuit tantùm, non etiam in cæteris? Nequaquam; sed venit etiam in illos centũ viginti. Neq; enim temerè Petrus allegauit Prophetæ testimonium, dicens:* Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus Deus &c. Et Oecumenius in eundem locum idem habet, Epiphanius tom. 1. circa finem aduersùs hæreses, apertè 72 discipulos ad prædicandum Euangelium à Seruatore missos, cum 12 Apostolis, in vniuersum mundum testatur. Ex his non contentioso homini satisfactum reor: & quàm non sint perspicuæ, nec euidentes D. Bezæ rationes, sed perabsurdæ, me demonstrâsse puto. Et ex citatis locis, Luc. 24. 49. & Math. 28. 16. 19. Marc. 16. 14. & 15. Act. 1. 2. & 4. quamuis non toti Ecclesiæ; discipulis tamen omnibus illis, propriè & peculiariter promissionem S. sancti factam, constat.

Locum verò Matth. 28. c. 19. vers. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare quæcunque præcepi vobis. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*; ad totum cœtum illum, qui Ecclesiam representabat, & quatenùs eam representabat, referri debere, non tantùm ad Apostolos; duobus argumentis euidentissimis demonstro. Primum est, Si ad solos & singulos Apostolos mandatum illud directum intelligitur, confirmatur error eorum, qui prædicationem Euangelij & baptismum, finẽ cum ipsis Apostolis accepisse credunt: quod enim peculiariter & propriè ad Apostolos pertinuit, cum Apostolis finem accepit; nec aliis communicari potuit. Sed doctrinæ & sacramentorum administratio, vsque ad finem seculi permansura est; & quotquot ab Apostolorum temporibus docuerunt, & baptizârunt per vniuersum terrarum orbem, Ecclesiarum pastores, id in finem vsque mundi facturi sunt, virtute huius præcepti. Non igitur solis 12 Apostolis illud mandatum datum fuit, sed etiam eorum successoribus. Quod speciale & proprium in hoc mandato est Apostolis, vt ad omnes gentes eant, ex parte ad 70 pertinet discipulos; qui tanquàm legati additi fuêre 12 Apostolis, quemadmodùm Mosi 70 seniores in auxilium. Quod particulare mandatũ, quamuis hodiè nemo priuatus habeat in specie, manet in genere.

Alterum argumentum quod sententiam D. Bezæ funditùs euertit, est promissio, quæ mandato coniuncta est; nempè, *ecce ego vobiscum sum vsque ad cor summationem seculi.* Promissionis enim huius hæc est vis, ministerio Ecclesiæ suæ Dominum adfuturum, vsque ad finem seculi. Nam nec doceri quæ mandauit Dominus, nec sacra mysteria ritè celebrari, nec vlla denique pars ministerij obiri potest; immò nec ipsi ministri subsistere, durareue queunt in tanta peruersitate impiorum hominum, nisi Dominus ipse adsit, qui opituletur, & defendat suos, & sua, ab interitu. Sed cùm 12 Apostoli morituri fuerint ante finem seculi, non tantùm ad Apostolos, sed ad cœtum illũ fidelium, qui representabat Ecclesiam, promissionem illam esse factam, sicut & mandatum, necessariò intelligendum est. Quamuis enim singuli moriantur, vniuersalis fidelium cœtus non moritur: qui quamdiu in hac vita conflictabitur, præsentem habebit Dominum auxiliatorem. Vndè hoc modo libet argumentari. Promissio Matthæi 28. facta, propriè & peculiariter ad eos pertinet, qui vsque ad finem seculi duraturi erant: 12 Apostoli verò non erant victuri vsque ad finem seculi, ergò propriè & peculiariter ipsis solis illa promissio non est facta. Iterùm sic adsumo, Cœtus fidelium & Ecclesia duratûra est vsque ad finem seculi: ergò propriè & peculiariter ad eam facta illa est promissio: atque per consequens Apostolis, aliisque qui futuri erant, & sunt Ecclesiæ doctores, quatenùs in ea censentur.

Locus præterea Marci eundẽ sensum habet, & per Matthæum & Lucam elucidandus est. Actorum locus citatus 1. cap. & 4. vers. restrictiùs loqui videtur. 2. vers. ita habet. *Vsque ad illum diem in quo assumptus est, postquàm per Spiritum sanctũ mandata dedit Apostolis quos elegerat.* Hîc mandatum memoratur datum Apostolis (inquiet aliquis:) fateor: id enim extra controuersiam est. Sed quæstio est, qui hîc intelligantur Apostoli. Nam Apostoli, quibus Dominus seipsum representauit viuum, fuêre in duas classes distributi. Prima continebat 12. altera 70. & Paulus 1. Corinth. 15. cap. apertè testatur quòd primò visus fuerat Cephæ, & duodecim Apostolis: & posteà Iacobo,

Iacobo,& deindè omnibus Apostolis. Si Lucas 12 Apostolos intelligi voluisset,numerum hîc addidisset, vt vbique solet; ne aut in Apostolorum vocabulo, aut discipulorum, erraretur.

Quòd mandatum docendi & baptizandi ad alios quoque pertinuerit, nos iam docuimus. Quemadmodùm tertius & quartus versus ita refertur ad duodecim Apostolos, vt alios cum Apostolis admittat; similiter quod in secundo versu legitur, per tertium est exponendum. *Quibus* (inquit Lucas) *seipsum exhibuit viuum, post quam passus fuerat, certis & indubitatis argumentis, visus per 40 dies, loquens de regno Dei*, id est, de iis rebus quæ spectant ad regnum Dei: & 4 versu, *quos cùm congregasset, mandauit eis ne discederent à Ierosolymis, sed expectarent promissionem patris: quam (inquit) vos audistis ex me*. Certum est quòd multis præterea seipsum viuum exhibuerit, & cum duodecim Apostolis multos alios congregauerit; vt à plusquam quingentis fratribus simul, vno tempore fuerit visus: quocirca cùm hoc narrandi genere non neget Lucas Dominum seipsum viuum exhibuisse aliis, quàm 12 Apostolis; & mandâsse, ne ab Ierosolymis discederent qui in die ascensionis cum Apostolis fuerant; negari similiter ex secundo versu non debet, nihil quicquam mandata Apostolis data pertinuisse ad alios septuaginta discipulos. Quod 5. versu promittitur de baptismo Spiritus sancti, quis neget ad eos quoque pertinuisse, qui cum Apostolis in Iudæam redierant: cùm eius impartiendi omnibus, qui aquâ tantùm fuerant baptizati, studiosos Apostolos fuisse legamus? Actor. 8. cap. 17. vers. & 19. cap. 6. vers.

THEOD. BEZA.

Deindè in illius historiæ progressu, dicuntur omnes isti fuisse Galilæi.

HAD. SARAVIA.

HOc non arguit alios 120, qui Christum in cœlum ferri viderant, non accepisse Spiritum sanctũ cum Apostolis, tanquàm soli 12 Apostoli fuerint Galilæi, non autem cæteri illi Christi discipuli: quos omnes ab angelis, qui sublato Domino apparuisse leguntur, notum sit vocatos fuisse Galilæos.

D. THEOD. BEZA.

NEc dicitur Petrus stetisse cum aliis, quàm cum illis vndecim suis collegis. Act. 2. 7. & 14. & 37. vt manifestè liqueat hanc missionẽ Spiritus sancti tam solennem, ad nullos alios, quàm ad illos duodecim plantandis per orbem terrarum Ecclesiis, cum peculiari Spi. sancti abundantia destinatos, pertinuisse; quorum posteà ministerio, aliis ipsorum συνέργοις futuri Spi. sancti χαρίσματα communicarentur: quod significatum etiam voluit Petrus, Ioelis Prophetiam citans. Inter hos autem Prophetæ sunt peculiariter vocati, quibus arcana sua Dominus speciali reuelatione detegebat; meritò propterea tũ ab Apostolis, tum ab Euangelistis distincti, quamuis istorũ quoque nonnulli illo Prophetiæ dono essent instructi, vt ex scriptis Apostolicis liquet.

HAD. SARAVIA.

PRæsentibus duodecim Apostolis, quibus vt maior data potestas, etiam cumulatior gratia relucebat, temerarium fuisset aliorum quempiam ad loquendũ populo se ingerere. Præterea, vt iam sæpiùs dictum est, Quod aliquo in loco non additur, negatum non intelligitur. Sed vt tibi verum fatear, candide lector, huius me tædet pigetque cum D. Beza disputationis. Quis enim fructus? Septuaginta Christi discipuli mihi videntur fuisse Euangelistæ, & cum Apostolis Seruatorem vsque ad mortẽ secuti, post resurrectionem gaudij quoque fuisse participes cum Apostolis, sicut & mœroris ex Domini morte fuerant: sicut apertissimè demonstratur ex 15. cap. 7. v. pri. ad Cor. Munus autem illud prædicandi Euangelij eis fuisse abrogatum, & maioribus S. sancti donis, sicut in Apostolis, non fuisse auctum, falsum & absurdum iudico.

Quòd tanquàm fabulam, hanc meam sententiam D. Beza eleuat, quibus rationibus id faciat, iam audiuimus: cooperatores tamẽ habuisse Apostolos fatetur; & quos ipse dicit Prophetas, & Euangelistas, nõ negat Apostolis fuisse inferiores: atq; in eodẽ recidit disputatio. Nam vt diuersos gradus & ordines inter Euangelij Doctores demonstrarem, adduxi 70. discipulos, destinatos à Domino cum duodecim Apostolis prædicando Euangelio; illis tamen inferiores. Quòd Euangelistis subieci Prophetas, non quòd putem eos non esse Prophetas, factum est; sed quòd Prophetica gratia latiùs pateat, & communicetur eis, qui pastores in Ecclesia non sunt.

Had. Saravia.

Nomina Apostolorum, Euangelistarum, & Prophetarum, tributa fuisse etiam aliis Ecclesiarum Pastoribus & Doctoribus.

CAPVT VI.

TAmetsi ex his quæ dixi satis possit intelligi, quos vocẽ Apostolos, Euangelistas, & Prophetas: tamen quia etiam aliis pluribus hæc nomina non temerè tribuuntur, de illis quoque aliquid dicendum est. In Epistola ad Romanos 16 cap. Andronicus, & Iunia insignes inter Apostolos nominantur: & 8. cap. posterioris ad Corinthios, Titus, & qui cum eo erant fratres, Apostoli vocantur Ecclesiarum: & Epaphroditus in Epistola ad Philippenses dicitur eorum Apostolus. Nota deriuatio est Græca dictionis, & à mittendo dictos esse Apostolos, tanquã missos & legatos: secundùm quam significationem, quicunque aliqua de causa mittitur nuntius, Apostolus dici potest. Secundùm hanc etiam significationem Seruator noster, qui Apostolorũ Princeps & Dominus est, etiam in Epistola ad Hebræos, Apostolus appellatur. Sed in nouo testamento hoc nomen nemini (quod sciam) datur, nisi Euangelij ministris: inter quos, cùm magna esset differentia, primos illos 12 Apostolos Paulus vocat summos Apostolos, 11 cap. posterioris ad Corin. vers. 5. vbi ita scribit. Puto enim me nihilo inferiorem fuisse summis Apostolis. *Item 11 vers. 12. cap. Fuerunt igitur præter summos illos Apostolos, qui proximè à Christo legationis munus acceperunt, alij quamplures nuncupati Apostoli: quòd aut ab ipsis Apostolis, cooperatores in Apostolico munere essent assumpti, aut ab Ecclesia Hierosolymitana, quæ mater erat Ecclesiarum, missi. Inter quos se nonnunquàm ingerebant vltrò pseudoapostoli; quos Paulus vocat dolosos operarios, qui se transformabant in Apostolos Christi. Hi, quantum poterant, Pauli imminuebant authoritatem: vtpotè qui in carne Dominum non vidisset; & idcircò non parem esse eius authoritatem cum ea quæ erat aliorum Apostolorum, contendebant: vt hac ratione eum in infimum ac secundarium ordinem cogerent Apostolorum: quò sic æquali cum Paulo certarent authoritate, & corrupta eorum doctrina facilius admitteretur.*

Aduersùs horum improbitatem, magno studio Paulus authoritatem sui Apostolatus defendit; quòdque à Deo, non ab hominibus Apostolus esset designatus affirmat: quod frustra à Paulo factum esset, si Apostolorum nomen commune multis, qui ad collegium 12 Apostolorum non pertinebant, non fuisset; sed per homines & ab hominibus (vt Pauli verbis vtar) non proximè à Deo missi fuerant. Inter quos Titus, Andronicus, Timotheus, Marcus, & alij quamplures, quos posterior ætas Episcopos & Archiepiscopos appellauit, censendi sunt.

Idem de Euangelistæ nomine dicendũ est; fuisse datũ multis aliis præter illos 72 viros, qui ad illud idem munus exercendũ, tum sub illis, tum sub Apostolis, ab Ecclesia vocati fuerunt. Quorum tametsi non erat æqualis donorum Spiritus sancti mensura, tamen pro talenti accepti ratione, cum magno fructu Ecclesias ædificabant, super illa fundamenta quæ iaciebant Apostoli. Sunt igitur Apostoli

Euan-

Euangelistæ appellati, tum ratione significationis vocabulorum, tum Apostolici & Euangelici muneris, ad quod coadiutores & cooperarij erant assumpti.

Prophetæ verò in sacris literis vocantur non tantùm ij, quibus Deus res futuras revelat, sed quotquot diuinorum mysteriorum fidi sunt interpretes, & nôrunt veteres prophetias locis, temporibus, ac personis accommodare. Prophetia enim vocabulum ad omnem sacrarum literarum interpretationem extenditur, quòd ea sit eiusdem spiritus sancti donum, qui eas patribus revelavit: quo sensu omnes Euangelij doctores, & sacrarum literarum interpretes, dici possunt prophetæ.

D. Theod. Beza ad cap. 6.

VEriſſimũ quidem eſt quod ſcribis de horum nominum modò latiore, modò anguſtiore, & peculiari ſignificatione: ſed patere me paulò, niſi fallor, rectiùs iſtud explicare Ergò quod ad Apoſtoli appellationem attinet, ex eo loco, quem citas, Ro. 16.7. Andronicum & Iuniam neceſſariò concludere non potes fuiſſe Apoſtolos vocatos, cùm illos potiùs ſignificet Paulus inſignes fuiſſe apud ipſos etiam Apoſtolos, veteres illos & conſtantes Chriſti diſcipulos. Deinde 2.Cor.8.23. duobus illis collegis, Tito adiunctis, non ſimpliciter tribuitur Apoſtolorum nomen, ſed cum adiectione, id eſt, quòd eſſent ab Eccleſiis nonnullis ad eleemonynarum collectionem legati. Sed & Epaphroditus, non ſimpliciter Apoſtolus: (videlicet Chriſti) ſed Philippenſium Apoſtolus vocatur, id eſt, ab illis ad Paulum miſſus, vel potiùs remiſſus, ad ſubleuandam Pauli inopiam. Hoc autẽ temerè non obſeruo, ſed vt nouerimus hoc auguſtiſsimum nomen non ſimplici homonymia, (ſed addita ſemper alia vocabuli latiùs accepti explicatione) fuiſſe in Eccleſia vſurpatũ, vt non temerè dixerit Paulus: Num omnes Apoſtoli, &c. 1.Cor. 12. 29. & intolerabilem eſſe huius nominis profanationem, quâ nonnulli Apoſtolicam illam peculiarem authoritatem in Eccleſia vſurpant. Hoc enim illud eſt, quod à nonnullis iam tum factum fuiſſe dicit Apoſtolus 1.Cor.11 verſ.13. vt qui ſeſe pro Apoſtolis iactarent: nempè quaſi huius functionis obtentu tectis, & quaſi diuinitùs ipſis quoque miſsis ita credendum eſſet, vt illis duodecim; quorum miſsionem & auctoritatem nemo Chriſtianus dubitabat tantam eſſe, vt quiſquis iis non aſſentiretur, ipſi Deo reſiſteret. Sic enim etiam olim pſeudoprophetæ, propter hanc vtramque rationem appellati, ſuis mendaciis propheticum quoque ſpiritum accommodabant: et idem etiam hodiè ſibi Antichriſtus tribuit.

Had. Saravia.

NOn me latuit quid D. Beza in ſuis annotationibus in hunc locum ſcripſerit: ſed tutius mihi viſum eſt, Grecorum omnium theologorum, quos vidi, cõmentarios ſequi, quàm D. Bezæ annotationes. Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, Theophilactus, omnes hos quos citaui honoratos cenſent à Paulo Apoſtoli vocabulo. Speciem veriſimilẽ habet D. Bezæ interpretatio, ſed quæ apud me non præponderet authoritati Grecorum patrum, quos in Grecia natos Greci ſermonis certiores eſſe interpretes D. Bezâ, veriſimilius eſt: preſertim cùm optimi quiq; Latini interpretes eorũ ſenſum ſunt ſequuti. Ipſorum verba hîc non duxi inſerenda. Legantur eorũ in hos locos cõmentarij: et lector inueniet in illorum virorum commendationem, honoris causâ, quòd collegæ, & adiutores eſſent Apoſtolorũ, Apoſtoli nomine fuiſſe inſignitos: non quòd tantùm nuntij fuerint; quod nec honorem nec commendationẽ continet. Quòd autem Paulus ait, non omnes fuiſſe Apoſtolos, non arguit eos quos commemorauit, Apoſtolos ratione numeris ſui non potuiſſe dici. Quos ſuos collegas & ſocios vocat, in opere Domini Paulus, functioniſque Apoſtolicæ fecerat participes; abſurdum non eſt, eis & Apoſtolici communicâſſe nomen. Simplices nuncios cùm citra nominis Apoſtolici prophanationẽ Paulus Apoſtolos dixerit, multo magis quos in partem ſolicitudinis Apoſtolicæ vocauerat, non temerè vocâſſe Apoſtolos potuit. Vſurpatæ Apoſtolicæ authoritatis, ſimul & nominis ambitio non mihi probatur: ſed quòd olim pſeudo-apoſtoli, & hodiè Romanus Epiſcopus ſibi Apoſtolicã authoritatem, imò plus quàm Apoſtolicam vendicat, nihil veris, et ad Apoſtolicam functionẽ vocatis Epiſcopis, derogare debet. Tito, alijſue ad Eccleſias miſſis ab apoſtolis, nullum præiudiciũ apud pios attulit pſeudo-apoſtolorũ polypragmoſyne, ſicut nec falſi prophetæ in populo Dei veris Dei ſeruis. Ecquæ ratio ſuadet Titum & Timotheũ Apoſtolos, id eſt, nuncios Eccleſiarum interpretari, cùm ab Eccleſiis non fuerint miſſi, ſed ab ipſo Paulo? Eos certè ſuos Apoſtolos veriùs dixiſſet, quàm Eccleſiarum, ſi Apoſtoli nomine tantùm nuncios ſignificare voluiſſet. Titum & Timotheum ad Eccleſias miſſos fuiſſe legimus, ſed nuſquàm miſſos ab Eccleſiis.

D. Theod. Beza.

AD Euangelistas verò quod attinet, reperio quidem τὸ εὐαγγελίζεσθαι omnibus, quibus docendi munus mandatum fuit, attribui: sed Euangelistarum appellationem nullis profectò alijs inuenio attributam, quàm ijs, quos Apostoli sibi in obeunda, vel potiùs peragenda, Ecclesiarũ quas plantabant, fundatarum structura: isto vt generaliore Euangelistarum nomine idcircò distinctos quòd non vni plerumque Ecclesiæ, sed prouincijs, idque ad tempus duntaxat, plenè viz. constituendis, vel cõfirmandis Ecclesijs, illi fuerunt ab Apostolis hûc & illûc, prout res ferebat, destinati: vt ex Pauli præsertim Epistolis liquet.

Had. Saravia.

CErtè præter illos, quibus Apostolicam functionem cõmunicauerunt Apostoli, nemo aut Apostoli aut Euangelistæ nomine potuit vocari. Eis qui illam ætatem sequuti sunt, et idẽ obiêre munus quod Titus, & Timotheus, Lucas, & Marcus, hæc nomina, Ecclesia rarò dedit. Vellem scripturæ proferri locos, & exempla, vt discrimẽ discerni possit, & quantum Euangelista proximè à Deo nullus differat ab eo, quem assumebat Apostolus, appareret. Quemadmodùm Apostoli nomen cõmune fuit, tam iis qui ab hominibus mittebantur, quàm quos Dominus ipse miserat: idem accidisse puto Euangelistarum nomini. Suas cogitationes secutus D. Beza, multa de Euangelistis affirmat, quæ nullo Dei verbo docet. Apostolus nusquàm Timotheũ, aut alium quẽquam Euangelistæ nomine compellat. Illud nemini datum in nouo testamento legimus, præterquàm vni Philippo: ab vno tamen individuo, de tota specie fieri potest iudicium. Euangelistæ nomen non nego Timotheo, quẽ Paulus Euangelistæ opus facere iubet. Contra historiarum Ecclesiasticarum fidem, & verbi Dei veritatẽ, D. Beza Titi & Timothei, aliorumque huius generis Euangelistarum munus ab Apostolis impositum, ad tempus restringit. In verbo Dei nullæ temporariæ Ecclesiarũ functiones leguntur: (temporarias dico vnius aut duorum annorũ) exceptis illis functionibus, quæ ad certam aliquam actionem erant ordinatæ; & illis, à quibus ad præstantiorem quis poterat vocari. Quæ Titus gessit in Creta, & Timotheus in Asia, nemo vnquàm docuit, nec docebit ex Epistolis Pauli, fuisse functiones temporarias. Homonymiæ explicatio à me prætermissa non est: eam autem in hoc loco non posui, quia non habui Bezam præceptorem, qui me doceret quo potissimùm loco collocanda esset.

D. Theod. Beza.

PRophetarum autem vocabulum extra controuersiam est, interdùm omnibus verbi diuini interpretibus conuenire: vt Rom. 12.6. & 1.Cor. 14 29 interdùm verò, à doctoribus peculiariter sic vocatis, distingui: veluti cùm inter διδαχὴν & ἀποκάλυψιν discrimen cõstituitur: vt 1.Cor. 14. 26. denique item cùm διδασκαλίαν & παράκλησιν, id est, doctores à pastoribus distinguuntur: vt Ro. 12.7. 8. Cæterùm cur non hîc etiam, quæstio maiorem in Presbyterorum, Episcoporum, Pastorũ Diaconias, denique vocabũlis homonymiam explicâsti? Sed hac de re posteâ.

Had. Saravia.

ALiam esse significationem harum dictionum διδαχὴ & ἀποκάλυψις *agnosco*: sed ex illis qui deducit diuersos ordines Ministrorum, aut actiones diuersas diuersis Ministrorum ordinibus proprias, acutus nimis est; & acumen venatur, vbi nullum est. Ἀποκάλυψις quidem prophetis propria videri potest: sed quæ in eodem homine non excludat διδασκαλίαν & παράκλησιν. Neminem Prophetarũ legi, in quo præter ἀποκάλυψιν nõ simul διδασκαλίαν & παράκλησιν inuenerim. Quorsùm enim attinet διδασκαλίαν ita propriam doctori facere, vt excludatur à proprio pastoris officio, & aliena à doctoris officio intelligatur παράκλησις; ego non video. Quod inprimis in pastore requiratur vt sit διδάκτικος, nemo negare potest: & in Epistola ad Titum hæc simul in pastore coniunguntur, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, *vt possit exhortari in doctrina sana*. D. Beza quærit à me cur homonymias non explicauerim? Respondeo superfluas distinctiones similiter & homonymiæ explicationes, vbi nihil opus est, ad sophisticen pertinere. Nam homonymiæ non semper explicationem requirunt: sed tantùm vbi vocis ambiguitas obscuritatem adfert, & in errorem facilè lectorem inducit.

Had.

HAD. SARAVIA.

DE DIACONIS.

CAPVT VII.

SI dignitatis ordinem in recensendis Ministrorum Ecclesiæ gradibus tenere proposuissem, Prophetis subiicerem pastores & doctores: sed cùm temporũ seriem, quibus primùm instituti fuerunt, sequar, de Diaconis mihi disserendum est, antequam ad Episcopos & Presbyteros veniam. Priùs enim creati leguntur, cùm præter Apostolos, & eos quos modò diximus Euangelistas & Prophetas, Ecclesia nullos haberet Presbyteros. Cùm Euangelij ministerium ex Domini institutione pauperum curam coniunctam habeat, ad suum munus Apostoli eam pertinere arbitrati sunt; donec murmur Græcorum aduersùs Hebræos electioni diaconorum causam dedit. Fuêre enim initio distributores communis pecuniæ, quam fideles, diuenditis possessionibus suis, conferebant. Agente in terris adhûc Domino, Iudas illud munus obiuit: quod si commodè Apostoli vtrumque exercere potuissent, nunquàm ad eam rem alios deligi mandâssent. Tamen illud munus non ità fuit totum commissum diaconis ab Apostolis, vt nihil postea ad se pertinere iudicarent. Paulus & Barnabas rogati vt pauperum memores essent, sedulò ab ipsis id factum legimus. Itaque 7 viros plenos Spiritu sancto eligendos esset censuerunt, quibus ærarium Ecclesiæ & cura pauperum mandaretur.

Sed mirum est, quòd non tantùm colligendæ pecuniæ distribuendæque operã dederunt, docendi etiam partes assumpsisse videntur. Nam dum Stephanus ardentiùs Christum docet; & de eo cum præfractis Iudæis disputat, primus Christi testis morte sua factus est. Philippus verò Samaritanis quoque Euangelium nunciat, & baptizat credentes. Ex quibus exemplis quid alij fecerint, cogitandum relinquitur. Non enim, quia de ipsis nihil scriptum est, æstimandi sunt fuisse otiosi: nam & de Apostolorum Christi maxima parte merum est silentium; quos tamen certum est munere sibi imposito fideliter fuisse perfunctos.

Hoc exemplum sequuti sunt veteres; & ministeriis verbi & mysteriorum adhibuerunt diaconos. Metuebant enim ne functio eorum vilesceret, & tantùm videretur esse œconomica, nihilque habere commune cum sacro verbi Dei ministerio. Quò igitur magis venerandi & spectabiles essent, legendi populo Euangelij, & distribuendi calicis in celebratione cœnæ Domini, ipsis facta est potestas. Tandem eò creuit eorum authoritas, vt nusquàm Episcopus iret, aut quidquam ageret sine diacono; vt citiùs caruerit Episcopus Presbytero, quàm diacono. Quomodò autem diaconia tota interierit, nihil ad præsens institutum: mihi satis est ostendisse, quod fuerit olim diaconorum officium.

Quæ diuus Paulus in diaconis requirit, ferè paria sunt cum iis quæ in Presbyteris desiderat: & in prima diaconorum creatione, Apostoli iubent eligi viros Spiritu sancto plenos. Vndè non parui momenti hanc functionem æstimatam fuisse apparet: vt mirum nemini videri debeat, si cum pauperum cura, aliquid maius diaconis pro ratione donorum Spiritus sancti creditum fuit.

Hæc noto, vt nouerimus olim Ecclesias nihil absurdi fecisse, aut hodiè facere, si quæ sint quæ veterum morem imitantur, & diaconiam, ad futurum Presbyterij ministerium, gradum faciunt.

Hic quartus est Ministrorum Ecclesiæ Christo ordo, secundùm temporis seriem: & primus qui ab hominibus fuit institutus, nullis adhùc creatis Presbyteris, præter eos quos ipse Dominus dederat Ecclesiæ. An hic ordo seruatus sit vbique, vt priùs crearentur diaconi quàm Presbyteri, nihil habeo certi. In Epistola ad Titum, in qua Paulus iubet creari Presbyteros per singulas ciuitates, nullam de diaconis facit mentionem: & decimonono capite Actorum, vbi à Paulo & Barnaba in Ecclesiis ordinati Presbyteri narrantur, nihil de diaconis dicitur. Quandoquidem maiora in Presbytero requirantur, quàm in diacono, facilius diaconus inueniri potuit, quàm Presbyter: cuius defectum ad tempus Euangelistæ & Apostoli melius supplere potuerunt, quàm diaconorum; quòd remotior sit ab œconomia pecuniæ, functio Apostolica, quàm à ministerio Presbyteri. Et hoc accedit etiam, quòd pauperum necessitas longas non patiatur moras.

Quòd Paulus in quarto capite ad Ephesios, huius ministerij nullam facit mẽtionem, neminem mouere debet. Eius institutum non fuit, omnes narrare ministerij ordines, sed tantùm notare præcipuos, quibus Domini Seruatoris nostri regnantis in cælo potentia, & beneuolentia erga suam Ecclesiam manifestatur.

Seruator noster sacrosanctam miserorum curam esse docuit; quandò sibi datum aut negatum, quicquid pauperi datur aut negatur, affirmauit: sed in reformatione Ecclesiæ, quæ hodiè apud nonnullos facta est; non amplius Ecclesiastica, sed ciuilis est. Pauperum ptochodochiorum, & viduarum ac pupillorum curam, quæ olim fuit Episcoporum propria, magistratus in se recepit. Vndè hoc primùm sub Romano pontifice sit natum, dicam aliâs. Magistratus qui Ecclesiam pristino splendori restitutam cupiunt, Ecclesiasticis viris eam curam committent. Nam si quam fraudem deprehenderint, animaduertere, & quod peccatum erit emẽdare, in ipsorum semper est futurum potestate; non autem Episcoporum aut pastorum Ecclesiæ, si ipsos magistratus, aut eos, qui ab illis huic rei præfecti erunt, malè versari contingat. Ipsos cogitare oportet idem ipsis posse accidere, quod metuunt in Ecclesiarum ministris. Religiosum pauperum ministerium est, & quadam Dei cultus pars. Duo mihi hoc loco deploranda sunt: Primùm, quòd apud nõnullas reformatas Ecclesias, diaconatus totus œconomicus & annuus factus sit: deindè, quòd diaconissarum ordo curandis ægrotis (cuius vmbra adhùc quædam est in papatu) apud nos totus interierit. Plurimum (meo quidẽ iudicio) interest, quomodò, & à quibus hominibus in domo Dei subleuetur pauperum necessitas. Pristinum Ecclesiæ morem degenerâsse in superstitionem non ignoro: sed hic noster, qui nunc est, quorsum euadet? A superstitione prolabi in prophanationem homines magis proni sunt, quàm auream tenere mediocritatem.

Ecclesiæ maximum quondàm decus, & summa pastorum laus fuit, erga egenos liberalitas, & erga miseros commiseratio, pupillorum & viduarum cura, & defensio. Quid ego hîc commemorem nobiles fœminas, virgines & viduas, imperatrices, & reginas, imperatorũ regúmq; sorores, quæ in Deum pietate, & erga pauperes misericordiâ, sub Episcoporũ vigili cura, se huic ministerio dedicârunt?

Quandò in nostras Ecclesias intueor, non possum non laudare studium eorum, qui veram diaconiam in Ecclesia retinere desiderant; contra eos qui ad homines tota vita & moribus prophanos, tanquã ciuilis, & vilis quædam procuratio sit, eam transferunt, numerántque inter infimos ciuitatis suæ ministros pauperum procuratores. Sed hoc doleo, quòd solo nomine contenti, plenam veramque diaconiæ rationem, cuiusmodi olim in Ecclesia fuit, non videantur assecuti. De qua re multa dicenda restant: sed ad Presbyteros & Episcopos mea festinat oratio.

D. Theo.

D. Theod. Beza in cap. 7.

QVænam vel priores vel posteriores tempore, constitutæ sunt ab Apostolis sacri ministerij functiones, nihil interest nôsse, quod ad rem ipsam attinet. Itaque mallem vt in earum recensione ordinē ab Apostolo positum sequutus esses, id est, naturam ipsam rerum. Priùs certè docentium voce, colligi Ecclesiam, & collectum illum cœtum ordine disponi oportuit, quàm exercendæ in pauperes charitatis rectores. Meritò igitur Paulus ab Apostolis, vt ipsius doctrinæ ducibus, incepit, quibus Euangelistas, vt subsidiarios videlicet Apostolos, subiicit; indè ad Prophetas, id est, ad extraordinario reuelationis Spiritu præditos, descendens; (quas tres functiones, rectissimè à doctissimo Pauli interprete D. Caluino beatæ memoriæ temporarias dici, euincam in cap. 17.) hinc demùm ad ordinarios & perpetuos Euangelicæ doctrinæ per singulos agros Domini distributos, sitores, pastores, nimirū & doctores progreditur. Neque is verò sibi contrarius est idem Apostolus quinque istas functiones ad ternarium numerum reuocans, 1. Cor. 12. 28. Apostolorum videlicet nomine Euangelistas quoque cōprehendens, & mediis interiectis Prophetis illis, sub doctorum nomine pastores etiam intelligens. Quòd si quis roget cur diaconorum nullam neque hîc neque illîc mentionem faciat; respondeo, minimè id fieri quasi diaconorum propriè sic appellatorum sacra non sit functio, (quod nimium absurdum fuerit cogitare) sed quòd verbi ministerium (cuius demum varias functiones vtroque in loco sibi enumerandas proposuerat Apostolus) sit non quidem fine, id est, ædificatione Ecclesiæ, sed materiâ tantùm, in qua functiones istæ versantur, quiddam à particulari diaconatu diuersum: qua etiam ratione Presbyteros peculiares, id est, morū censores illis etiam locis ab Apostolo fuisse præteritos; alibi tamen expressos, fauente Deo, demonstrabo. Sed agè de istis diaconis videamus. Est autem diaconi appellatio (quam homonymiam, nescio cur hic præterierit) tam, vt non ignoras, generalis, vt ipse quoq; Christus, sicut dicitur seruus patris, Esai. 53. vocetur διάκονος circumcisionis; & suum Apostolatū Paulus διακονίαν appellet, Rom. 11. 13. Nos autē hîc de diaconis, sic propriæ functionis sacræ respectu vocatis, differimus.

Eos igitur tu quidē ais post illud exortum murmur, quod ipsis in Ecclesia constituendis causam præbuit, colligendis distribuendísque eleemosynis præfectos fuisse. Et ita sanè est; sed hoc tamen non satis ostendit, quod fuerit illorum munus. Quòd enim dicuntur mensarum ministerio vacâsse, declarat expressiùs quō spectârit illa colligendarum & distribuendarum συλλογῶν & προσφορῶν cura, ex quibus Agapæ instruebantur; ita vt totius etiam ordinis, in [illegible]lo sanctissimo consessu conseruandi sollicitudo istis fuerit imposita: sicut sub lege, sacerdotibus D[illegible]æ in tota sacrificiorum administratione subseruiebant, quibuscum meritò propterea isti diaconi à veteribus scriptoribus comparantur. Istæ autem Agapæ (sicut manifestè liquet Act. 20. 7.) partim in sumendo cōmuni cibo, 1. Cor. 11. 20. & quidē in primis, in Cœnæ Domini celebratione, partim in sacris deinceps sermonibus erant positæ. 1. Cor. 14. 26. quod copiosè inter cæteros Iustinus apologetico posteriore, & Tertullianus declarant. Ex his verò apparet, quantam adhiberi curam ab his diaconis oportuerit, vt ordine exactissimo cuncta in illis cœtibus gererentur, qua de re passim in synodis & canonibus sacris præcipitur. Exolescentibus autem illis conuiuiis, mansit eadem diaconorum cura in liturgiis, quod attinet ad Sacramentorum administrationem, verbi prædicationi, & publicis precibus adiunctam. Imò crescentibus externis ritibus operosior euasit diaconorum administratio, distributis posteà inter se hypodiaconorum, Lectorum, Cantorū, Ostiariorum, Acoluthorum muneribus, quorum alios penitùs exoleuisse, aliorum vmbras & inania simulachra in liturgiis Pontificiis, sublatis interea à rebus ipsis, mansisse cernimus. Rectè igitur hactenùs scripsisti adhibitos fuisse diaconos verbi quoque & mysteriorum ministerio. Nam sacra etiam mysteria absentibus ægrotantibus detulisse, testis est Iustinus: & alij lectores, cantores, ostiarij fuerunt. Calicis autem distributores mirū non est eos fuisse, qui mensis propriè seruirent.

Had. Saravia.

AD septimum caput D. Beza multa quæ breuitatis causâ sunt à me prætermissa; ex prisca antiquitate recensēt; quæ meam sententiam confirmant: sed duo quædam desiderat. Primum, vellet ordinem me fuisse sequutum dignitatis ministerij, qui à Paulo positus est. Ego rationem facti mei reddidi: consilio, non errore id à me factum est; bono an malo cuiusuis esto iudicium. Alterum est, quòd homonymiam vocabuli *diaconus* prætulerim. Sed non video quid ad rem illa conducere potuerit: necessaria enim tum demùm homonymiæ est explicatio, quandò ex ambiguitate vocabuli metuitur error: qui metus hîc nullus esse mihi videbatur.

Quòd priùs docentium voce colligi Ecclesiam, & collectum illum cœtum ordine disponi oportuit, quàm excercendæ in pauperes charitatis rectores, D. Beza disputat; non tollit quod adsero, priùs diaconos fuisse plerisque in locis creatos quàm Presbyteros. Apostoli & Euangelistæ, cum Prophetis & doctoribus in communi Ecclesiæ, quas plantabant, etiam regebant. Erant enim Ecclesiarum Presbyteri & pastores in prima illa earum infantia. Quæ vt inceperunt, simul exercendæ in pauperes charitatis, necessarios ministros habuerunt. Nec dici possunt Ecclesiæ idcircò non fuisse inchoatæ à doctrinæ ducibus, quia priùs diaconos quàm Presbyteros habuerint:

buerint: quandoquidem ipsi Apostoli & Euangelistæ doctrinæ duces erant, Ecclesiásque regebant.

Hoc tantùm perabsurdum ait esse, æstimare docendi munus diaconis attributum fuisse. Non intelligo quomodò consentiat cum huius partitionis postremis verbis. *Rectè igitur hactenus scripsisti, adhibitos fuisse Diaconos verbi quoque & mysteriorũ ministerio.* Quomodò enim quod perabsurdum est, D. Bezæ iudicio, rectè à me scriptum dici potest?

D. Theod. Beza.

Docendi quoque in Ecclesia Euangelij functionem (quod tu non primus arbitraris) diaconis attributam fuisse, perabsurdum est existimare. Quid enim ineptius fuisset illa Apostolorum petitione, deligendos esse nonnullos, qui mensis simul & prædicationi vacarent, quandò ipsimet Apostoli verbi administrationem curare, & mensis ministrare non possent?

Had. Saravia.

Noui dogmatis absit vt ego sim author; tamen cùm nullum exemplum patrocinetur errori, hoc non est satis: quòd si docendi functionem diaconis attributam esse perabsurdum est, vt D. Beza, cum plerisque aliis censet; nullo me tuebor exemplo. Ratio, quâ persuadentur, hæc est. *Quid enim* (inquit) *ineptius fuisset illa Apostolorum petitione? &c.* Fuisset iniquum oneribus leuari velle, quibus perfungi quis nequit; vt illis alius quispiam oneraretur eisdem distentus impedimentis. Sed nihil quod iniquum est petit, si aut otiosis, aut minùs occupatis, prouinciam dari, quam sustinere nequit, curat. In illis Ecclesiæ primordiis, Apostoli, qui Ierosolymis aderant, prælucentes cæteris omnibus, veluti lucidiora quædam in cœlo sydera, claritatem aliis adimebant: quos cùm Dominus plebi non tantùm præfecisset, sed etiam iis, quos spiritus sui donis ornauerat, vt subsidio ipsis essent, doctrinæ totos vacare oportebat; vt tam hos, quam reliquam multitudinem, plenius in verbo Dei instituerent. Inferioris ordinis Doctoribus, Prophetis, & Euangelistis, plus erat otij; quorum tunc temporis magis partes erant audiendi, quàm docendi: tametsi & docuisse suo modo ex Stephano & Philippo constet. Non enim diaconiæ officium ita cum docendi munere pugnat, vt nullo modo consistere simul queant: vtriusque curam aliquandiù Apostoli habuerunt, diutiùs in ea perseueraturi, si nulla dissensio inter Græcos & Hæbræos interuenisset. Quæ res cùm nouam, & solito maiorem exhibitura fuerit molestiam, eo labore leuari postulârunt, & transferri ad eos, qui cõmodiùs illi ministerio vacare poterant. Quod cùm ita accipiendum non sit, tanquàm pauperum & viduarum omnem curam abiecturi fuerint Apostoli; ita non eos censuêre eligendos, qui docendi prorsùs essent rudes; vt nihil ea in parte auxilij pastoribus præstare possent. Partiri operæ possunt, vt quantum pastores sollicitudinis, curæque pauperum, viduarum, & pupillorum retinent; tantum diaconi de ministerio pastoris ferant: sin minùs saltem alter alterum, quoad possit, iuuaret. Sic patres mihi videntur, contemperâsse diaconiæ munus: à quorum vnanimi sententia qui recedit, nimiùm, meo iudicio, sapit.

Quemadmodùm in veteri testamento Leuitæ sacerdotibus dati fuerant ministri; ita noui quidam Leuitæ, in nouo Testamento, pastoribus adiunguntur. Quandoquidem veteris populi cessant sacrificia & victimæ, fidelium oblationes & eleemosynæ hodiè sunt eorum hostiæ, per manus Presbyterorum & diaconorum dispensandæ, & veluti Deo in pauperibus offerendæ. Quamuis olim sacerdotis esset proprium interpretari legem, & benedicere populo; id & suo quodam modo Leuitis fuisse similiter concessum, absurdi nihil habuit. Veterum theologia hanc rem ita intellexit: in qua (meo iudicio) aberratum ab Apostolica institutione non fuit. Si tantùm ministerio mensæ Apostoli diaconos præesse voluissent; non fuisset opus eligi viros plenos spiritu sancto, qui paria ferè dona quæ requiruntur in Episcopis haberent: spectata fides in credita pecunia, & in ministerio sedulitas sufficere poterat. Ex 70 discipulorum numero Epiphanius credit illos septem viros fuisse electos.

D. Theod. Beza.

Immò Paulus Episcopos, id est, quibus doctrinæ ministerium commissum est, discernens ab istis diaconis, communia quidem vtrisque per multa requirit, quibus prædicatos esse oporteat omnes sacra tractantes, tum quod ad mores, tum quod ad fidei Christianæ veram notitiam attinet: sed ista, vt Episcopos

piscopos quidem, id est Pastores, velit esse didacticous: in diaconis autem, duntaxat requirat vt mysterium fidei teneant.

HAD. SARAVIA.

MAiora in Episcopo requiri quàm in diacono cõtrouersum non est; sed num ei, qui fidei mysterium tenet, partes docendi aliquas in Ecclesia posse concedi, sit absurdum, & huiusmodi, vt non possit, cum diaconia consistere. Doctor enim quis esse potest, & Propheta, qui Pastor & Episcopus non sit: talem eligi diaconum nihil prohibet. Tales enim fuerunt illi septem, siue electos dicamus cum Epiphanio ex 70 discipulis, siue ex aliis, qui primi fuerunt electi: & patres eligendos esse tales cẽsuerunt, vt non tantùm in œconomia & dispensatione externarũ rerum Episcopis essent auxilio, sed etiam spiritualium.

D. THEOD. BEZA.

ITaque Stephanus Actor. 6. cap. 6. vers. quamuis dignissimus quidem & ipse qui Euangelizaret: tamen quia diaconus tantùm erat in Ecclesia Hierosolymitana, non dicitur docuisse in Ecclesia, sed in synagogis Iudæorum, vbi cuiuis licuisse percontari & respondere (archisynagogis interea rem totam moderantibus) apparet Luc. 2. 46. & 4. 17. & Act. 3. 15. cuiusmodi postea fuisse conuentuum Christianorũ morem, abundantibus in Ecclesia Sp. sancti charismatibus, apparet ex 1. Cor. 14. Philippus autem, vnus & ipse ex septem illis diaconis, dicitur quidem postea Euangelizâsse in vrbe Samariæ, sed non amplius Hierosolymis diaconus: vt apparet, ex Act. 8. 4. & 5. & iam Euangelista factus, Cæsareæ habitans. A. 21. 8.

HAD. SARAVIA.

QVis mos docendi in synagogis olim fuerit, non satis mihi D. Beza expendisse videtur; sed eundem morem in Ecclesia primatiua in conuentibus Christianorum fuisse receptum libenter agnosco. Nam & hoc quoque notatum à D. Beza oportuit; alias fuisse partes eorum, qui percontabantur vt discerent; alias eorum, qui respondebant vt docerent. Sed quicquid de ea re sit, Stephanus synagogas non adiit vt disceret; sed vt prophetias de Messiah, in Domino Iesu impletas esse doceret. Doctorem, aut prophetam, aut Apostolum, aut Euangelistam, non semper fuit necesse in Ecclesia, hoc est, in fidelium cœtu, docere. Mirum est D. Bezam, qui adfirmat eos, qui pastoribus adiuncti sunt seniores, in iudiciis Ecclesiasticis docere; tantundẽ Stephano non audere tribuere. Aliam personam Dominus Iesus sustinuit puer, in templo doctores interrogans; aliam in Nazaret synagoga locum Esaiæ enarrans: nimirum illic instar discipuli, hic doctoris, se gessit. Quando Paulus in Antiochia Pisidiæ rogatus ab archysynagogo fuit, *vt si quod haberet verbũ exhortationis proferret*: quid? Paulus tunc non docuit? Præterea mihi verisimile non est, aut in synogogis Iudæorum, aut conuentibus Christianorum, quosuis admissos citra discrimen fuisse ad docendũ, qui doctores aut prophetæ non essent. Porrò illa exercitatio Stephani, non fuit vnius diei: clarus miraculis in populo fuit, & in doctrinæ confirmationẽ miracula edidit. Assiduum autem fuisse in hac docendi populum ratione, quæcunque fuerit; colligi potest ex verbis falsorum testium, qui aiebant eum non cessare *loqui blasphemos sermones contra locum sanctum & legem*: vndè profectò, aut Prophetam, aut Euangelistam, aut doctorem Stephanum fuisse simul & diaconum verè creditur. Nec quicquam à patribus factũ est temerè contra Apostolicam traditionem, quandò prophetas aut doctores elegêre diaconos; & in partem ministerij, quod in doctrina & sacramentorum administratione versatur, vocârunt. Primorum patrum vsus, optimus est apostolicarũ traditionũ interpres; vbi nihil est admixtum, cum verbo Dei ex diametro pugnans. Philippum quod attinet, longè probabilius est Euangelistam & Prophetã fuisse, antequàm diaconus fieret, quàm postea factum esse, vocatione afflatus numinis intrinseci: & Ierosolymis potuisse docere, si tulisset occasio, sicut fecit Stephanus.

D. THEOD. BEZA.

QVi verò tum ex veteribus, tum ex recentioribus scriptoribus existimârunt, Diaconis etiam impositum fuisse docendi munus, decepti sunt ambigua significatione verbi κηρύττειν; quod pastoribus attributum, idem declarat atque εὐαγγελίζεσθαι: in diaconis verò declarat illa diaconorum edicta, quibus dato orarij signo, actionum sacrarum ritus, & ordinem moderabantur, &c.

HAD.

HAD. SARAVIA.

NOn me fefellit nec alium quempiam huius verbi ambiguitas, quòd ex officio diaconi natum est. ὑπρέτειν de diaconis in vtraque significatione dicitur. Constat enim ipsos vtrumq; præstitisse. D. Bezã Græcos patres intelligere Græcè docere posse diffido. Patres Græci, viri doctissimi, decepti fuerint scilicet amphibolia huius dictionis ὑπρέτειν. Si ex verbo Dei hæc vox desumpta non fuisset; & non ab ipsis græcis tributa officio diaconi, aliquid videri dixisse D. Beza posset: Sed cùm nusquam non occurrat hæc vox in nouo Testamento, pro prædicandi officio accepta, ex illa nullus error nasci potuit. Quid sibi velit *dato orarij signo*, non intelligo. Fuit enim orariũ vestis genus, quo Episcopi & Presbyteri vtebantur in publicis precibus, & mysteriorum celebratione; & hodiè pontificij vocant stolam: cuius prisca forma sic mutata est, vt zonæ magis similitudinem referat, quam stolæ: quod indumentum corpus tegebat; & eo Presbyter vel Episcopus alio modo amiciebatur, alio diaconus; sicut ex Canone 59. Concilij Toletani 4. apparet, *Si oraria duo nec Episcopo induere quidẽ licet nec Presbytero, vtique multò minùs diacono, qui minister eorum est. Vnum ergo orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat. Dexteram verò partem oportet habere liberam, vt expeditus ad ministerium sacerdotale excurrat. Cauent ergo amodò Leuitæ gemino vti orario, sed vno tantum & puro, non vllis coloribus, aut auro ornato.* Hæc Concil. Forma orarij quod hodiè est in vsu, nullam partem inuoluit corporis: nec magis sinistra impediretur quam dextra, etiam si Diaconus quatuor vteretur orariis. Plura de hac re adderem si digredi liberet: sed ad rem redeo; & aio praxim & vsum veterum patrum, qui proximè successerunt ætati Apostolorum, vbi expressum deficit nos Dei verbum, optimum esse interpretem controuersiarum.

Ignatius secundus ab Apostolis, Antiochenæ Ecclesiæ pastor, qui & ipsos Apostolos vidisse & audiuisse potuit, ad Heronem diaconum suum scribit, ex itinere, quo trahebatur ad martyrium; eúmque sui commonefacit officij. In illa Epistola præter curam viduarum, & orphanorum, & paupẽrum, alteram partem officij ipsius non negligit: iubet eum lectioni attentum esse; vt non modò (inquit) *ipse leges scias, verũ etiam & aliis ipsas exponas, vt Dei athleta.* Et alio loco, *Eos qui sunt in Tarso ne negligas; sed eos assidnè visita, confirmans eos in Euangelio.* Tertia pars ministerij diaconi quoq; tangitur, vbi ait, *Nihil sine Episcopis agas: sacerdotes enim sunt: tu verò minister sacerdotum. Illi baptizant, sacra faciunt, ordinant, manus imponunt: tu verò eis ministras; vt Hierosolymis sanctus Stephanus Iacobo & Presbyteris. Sinaxes & congregationes ne negligas, nominatim omnes require.* Hæc Ignat. Totius Ecclesiæ cura ad Episcopum, & Presbyteros pertinet: qui soli cùm non sufficiant; auxiliarij diaconi ipsis, Dei dispensatione, dati sunt; non in vna tantum ministerij sui parte, quæ leuamen & misericordiam respicit pauperũ; sed etiam in reliquis, quæ circa verbi ministeriũ & sacramentorũ precumq; versantur. Id negat D. Beza, & quotquot cum eo sentiunt. At patres rem tamen aliter intellexerunt: quorum concordi & vnanimi sententiæ, ab Apostolorum temporibus per tot secula deductæ, ablit vt D. Bezæ, aut Caluini, aut alius cuiuspiam ex neotericis, præferam iudicium: & hos sapere, illos vero delipuisse, iudicem.

Cyprianus de diaconis ad Rogatianũ scribit, *Meminisse autẽ diaconi debent quoniam Apostolos, id est, præpositos, Dominus elegit; diaconos autem, post adscensum Domini in cœlos, apostoli sibi constituerũt, Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros.* Et Ambrosius in Epist. ad Ephes. comparat sui temporis diaconos cum Euangelistis; quos Apostolus scribit Dominum dedisse Ecclesiæ. *Euangelistæ diaconi sunt* (inquit) *sicut fuit Philippus, quamuis non sint sacerdotes, Euangelizare tamen possunt sine cathedra; quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus.* Ex his apparet, quod esse officium diaconi Patres iudicârint; & num falsi sint ambiguitate vocis ὑπρέτειν.

6. D. THEOD. BEZA.

INter sacrarum verò necessariarũ & perpetuarũ functionũ deprauationẽ, magnoperè deploranda est diaconatus Christiani subuersio, quæ cæteris corrũpendis aditũ aperuit; idq; modo quodã à sacri ministerij cæteris corruptelis diuerso. Manserunt enim pastorũ, doctorũ, & presbyterorũ nomina, rebus ipsis penitùs sublatis: diaconatum autem re ipsa in Ecclesiasticis facultatibus non tractandis, sed diripiendis, eúmque ἀνυπεύθυνον, omnes vsurpârunt: diaconorũ appellatione iis demũ histrionibus relicta, qui in Missatica fabula personam hanc sustinent.

Nihil

Nihil igitur miror magistratus plerosque ptochotrophiorum suorum curam prædonibus illis ereptam sibi suisque pauperibus asseruisse, rectiùs facturos si latronibus illis ex Domini domo semel, Christi exemplo, expulsis, verum diaconatum in integrum restituissent. Quòd si qui sese hac in re tales præbuerunt, vt mutati sint tantùm Ecclesiasticarum facultatum prædones, Achanis historia certè, quis illos exitus maneat, expressissimè demonstrat.

HAD. SARAVIA.

DEploranda quidē res est diaconatus Christiani subuersio. Sed quid eius prophanatio? quando ad collectionem & distributionem eleemosynarum annuam reducitur. Personatos diaconos prorsùs reiicio; sed annuos diaconos, vbi possunt haberi perpetui, non probo: & cùm olim tres partes fuerint diaconiæ, ad vnam, quæ pauperum curam habet, esse redactam. In tanta rerum omnium Ecclesiasticarū confusione, reformationem diaconatus, quæ fieri potuit, esse factam, etiam si valde mutila & imperfecta sit, excuso: sed defendi tanquàm perfectam, & Apostolicam, atque catholicam, non fero. Quantum veritatem propugnat, qui ex verbo Dei, & veterum patrum scriptis, contra diaconos pontificios disputat; tantum eidem derogat, qui nostros annuos diaconos secūdum Apostolicas regulas esse creatos, ădfirmat. Quis Apostolus, quis ex patribus, nostros aut presbyteros aut diaconos annuos agnosceret veros esse & legitimos? Veritas & integritas rerum semper retinenda est, etiam si eas propter temporum iniquitatem non habeamus. Non est sperāda diaconatus restitutio, sicut nec Presbyterorum reformatio apud eos qui nesciunt, nec scire volunt, quis sit, & quis fuerit olim diaconatus Christianus: & quod sit & fuerit olim verum Presbyterium. Qui in hac re plus vnius aut duorum scriptorum tribuunt opinioni, quàm toti sibique consentienti antiquitati; non rectè iudicant.

D. THEOD. BEZA.

CAeterùm vt plurimas illas & operosas diaconorum veterum functiones, nunc in publicis conuentibus sacris, excepta calicis in cœna Domini administratione, minimè necessarias prætermittam, distinctam esse sacram sacræ pecuniæ συλλογὴν & distributionem à merè ciuili publicorum bonorum administratione, res ipsa clamat: ac proindè grauiter ab iis peccari, qui hæc duo æraria, & duas istas, vt ita loquar, quæsturas, non sine sacrilegio, confundunt.

HAD. SARAVIA.

OPerosam multitudinem ceremoniarum non probo; sed ministerium Diaconorum, nisi in tribus illis partibus sit subsidiarium Episcopis, & Presbyteris, mutilum, mancum & imperfectum, aut potiùs nullum, cum tota antiquitate, eaque sibi consentiente, iudico. Quid causæ sit, cur calicis administrationem excipiat D. Beza, nisi quia Geneuæ fit, & D. Caluino, initio ita placuit, non video. Sed doleo voluntatē plusquàm veritatem valere; & plus diacono, si modò diaconus, quàm Presbytero, si modo Presbyter, in sacramentorum administratione tribui. Nam quidquid reuerâ, & mihi sint isti Presbyteri & diaconi; opinione vulgi, veri diaconi & veri Presbyteri sunt. Posse calicis distributionem ab Episcopo vel à pastore cōmitti diacono non nego, qui non nomine, sed reuerâ diaconus esset: sed tunc ego vero Presbytero conficiendi sacramenti potestatem faciam; qui populo vtramq; speciem tradet per se vel per diaconum: sed non vt illas ministret Presbyteris. Si D. Bezæ reddenda esset ratio, cur calicis administratio concessa sit diacono, potiùs quàm panis, & num non æquè panē Domini administrare possit, sicut calicē, quid plus minusue sit in hoc quā in illo; & cur eam prouinciā credant diacono, & non Presbytero; quid diceret, ego libenter audirē.

Nihil temerè fecisse patres in hac re iudico: sed illorum diaconi erant veri diaconi, & ad illud ministerium ordinati; non in annum, sed quamdiū digni sua vocatione viuerent: quod de Geneuensibus diaconis dici non potest. Imitatione quidpiam facere, vbi non est eadem ratio, κακοζηλία est. Sed hoc absurdum est, diaconos Presbyteris sacra mysteria porrigere: de qua re, quid apud patres vsitatum fuerit, & quid iudicârint, audiamus.

Iustinus martyr apolog. 2. scribit. *Deindè ei, qui præpositus est fratribus, panis offertur, & poculū aquæ & vini temperatū: quæ cùm accepit, laudē Deo tribuit, & gratias diū agit: quibus perfectis, populus omnis qui adest benedicit, dicens Amen. Postea ij qui apud nos*

diaconi

diaconi dicuntur, dant vnicuiq; eorum qui adsunt percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione, consecrata sunt: & ad eos qui absunt perferunt. Hîc vtramque speciem panis & vini, acceptam ab Episcopo, distribuisse populo leguntur diaconi. Sed an Presbyteris dederint mysteria, non hic dicitur. Concilii Niceni Can. 14. id diserte prohibuit his verbis. *Peruenit ad sanctum magnumq; concilium, quòd in quibusdã locis & ciuitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant: quod nec regula nec consuetudo tradidit, vt ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt Christi corpus accipiant. Nec non & illud innotuit, quod quidam diaconi ante Episcopos oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua diaconi mensura permaneant, scientes quòd Episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem Presbyteris habeantur. Per ordinem ergo post Presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut Episcopo aut Presbytero porrigente.* Hæc Nicenum concilium. Porro lectorem monitum volo, quando hîc aut alibi in conciliis, et in patrum scriptis legit diaconos, & Presbyteros, non cogitandum Geneuensis Ecclesiæ Presbyteros & Diaconos esse illis similes: differunt enim toto genere. Nunquàm enim distribuendi vllam sacramenti partem eis daturi fuerint patres potestatem: adeò à priscis moribus in hac re recessum est.

D. THEOD. BEZA.

SEd vicissim illos pessimè consulere Ecclesiæ existimo, qui verbi ministros, nisi necessitas & operariorum inopia cogat, siuè reluctantes siuè hoc affectantes, onerant diaconorum munere, quod ipsi à se reiecerunt Apostoli.

HAD. SARAVIA.

QVomodò & quatenùs à se reiecerint Apostoli diaconorum munus iam dixi, & satis (vt mihi videtur) copiosè & perspicuè in eo tractatu id exposui. Exemplum illud Apostolorum ad omnes verbi ministros non arbitror pertinere: sed ad eos duntaxat, qui in simili aliquo gradu sunt constituti, & sine magna propagationis aut confirmationis Euangelicæ doctrinæ iactura, illi muneri vacare non possunt. Argumenti vis deducti ab Apostolorũ exemplo, nulla est, nisi pares cum Apostolis omnes verbi dei ministri constituantur; aut saltem eorum ministerij par aut similis necessitas.

Malè factum dicerem, si præclaræ memoriæ D. Ioh. Caluinus, si D. Petrus Martyr, si Viretus, si Oecolampadius, si Martinus Luther, si Bucerus, & alij præclari Euangelij Doctores, se transtulissent ad pauperum curam, posthabito studio theologico & verbi Dei ministerio. Sed non omnium par est eruditionis mensura, nec ministerij necessitas: variæ sunt animi dotes, & varia hominum ingenia: multa homini pio & docto interuenire possunt, vti nusquàm meliùs operam & laborem suum collocet, quàm in miserorum ministerio, qui ex publico aluntur: & optimè Ecclesiæ & pauperibus cõsulere, qui ptochodochiis & gerontotrophiis præficiunt verbi Dei ministros, mihi videntur. Deindè, vt in paruo populo pastoris simul & diaconi partes idem homo obire potest; sic in ptochodochiis, idem diaconi simul & pastoris personã sustinere potest. Multitudo & diuersitatẽ & pluralitatẽ ministrorũ postulat: quæ vbi nulla est, ea superflua est. Ridiculum planè est, quòd præfecti paruæ parochiæ quinquaginta aut sexaginta capitum, seniorem & diaconum aut plures habere volunt: aliâs mutilam & imperfectam credunt suam Ecclesiã. Non sunt (inquiunt) cõfundendæ functiones Ecclesiasticæ. Sed hæc sapientia veteres Episcopos latuit, qui vnum vel plures cum diacono vel sine diacono Presbyteros, pro plebis numero & multitudine decernebant cœtibus fidelium. Plurimùm ergo à D. Bezæ absum sententia, vt nemini meliùs cõmendari posse putem gerontotrophia, ptochodochia, nosodochia, orphanotrophia, quàm piis Euangelij ministris. Habent enim & illi pastore opus, qui & animas eorum pascat & curet, sicut & corpora. Neque enim necesse est, vt omnia talium domuum ministeria ipsi expleant: præfecti quod sit officium notum est. Prudentis & pii viri directionem quæ tantùm postulant, relinquunt & precibus & sacris studiis locum.

9. D. THEOD. BEZA.

ITaque bonorum Ecclesiasticorum illam distributionem quantumuis vetustam, quâ trientem Episcopo, siue τῷ προεστῶτι attribuerunt, id est diaconatus dilacerationem, vt Apostolicæ prædicationi ex diametro repugnantem, non video quinam vt rectam, tueri quisquam possit. Quamuis enim postea

canon-

canonibus non paucis fuerit definitum in quem vsum, illæ facultates essent distribuendæ, comitante semper Episcopum ex diaconis aliquo, & inter bona Ecclesiæ & ipsius Episcopi propria, fuerit prescripta exacta descriptio; tamen & isti comites Apostolorum diaconi mox ablecti sunt: & tantum abfuit, vt suo triente, prout ipsis libuit, consumpto, contenti fuerint mali & ἀνυπεύθυνοι diaconi facti Episcopi, vt nihil Ecclesiæ reliquerint, nisi cui rapaces illos, & sanguine pauperum cruentos vngues iniicere non potuerunt.

HAD. SARAVIA.

QVamuis his per omnia adsentiri nequeam, & multa requiram, ne simul cum malis inuoluantur eodem crimine boni; à quibus & quandò cœpta sit fieri illa bonorum Ecclesiasticorum deprædatio, adiectum vellem. Sed quia nihil horum aduersatur iis quæ tractaui, nulla necessitate hîc disputantur, & iudico potuisse omitti.

10. D. THEOD. BEZA.

QVid ergo, dicet aliquis? pauperum curam Pastoribus impositam negas? Nequaquàm certè. Sed duplex hæc cura statuatur necesse est: vna, in colligendæ & distribuendæ sacræ beneficentiæ functione, posita, quâ sese Apostoli, creatis demùm diaconis, abdicârunt, vt toti sacri sermonis ministerio & precibus vacarent: altera, tantùm posita tum in Ecclesiis ad demonstrandam erga pauperes beneficentiam exhortandis: tum in ipsorum diaconorum inspectione. Quam curam & solicitudinem tantũ abest, quod rectè admones, vt à se abiecerint Apostoli, vt contrà, eo nomine legationes, ad varias Ecclesias, & ipsi, cùm opus fuit, obierint, & subindè delectis ad hoc ipsum fratribus commiserint, vt ex Actis Apost. liquet. Et hoc tu quidem attigisti, sed prætermissa, quam tamen expressam oportuit, harum curarum dictione.

HAD. SARAVIA.

ET hæc poterant omitti; cùm nihil contineant quod meæ sententiæ aduersetur, neque controuertuntur inter nos. Quorsùm enim hæc repetitio eorum quæ in meo tractatu notaui? & iis quæ D. Beza addidit plura ipse addere possem; nisi à præsenti argumento esse aliena putarem.

D. THEOD. BEZA.

IAm verò quòd ex solis Ecclesiasticis videris deligendos diaconos (Ecclesiasticos, vt opinor, opponens, idque mala consuetudine, laicis, quos vocârunt, & quos rectiùs Apostolus ἰδιώτας, id est, priuatos, & nulla in Ecclesia functione fungentes appellat) in eo planè tibi non assentior. Cur non enim potiùs honestissimus, & maximè ad hoc opus idoneus, quiuis ex vniuerso Ecclesiæ cœtu, legitimè deligatur? qui tunc certè ἰδιώτης non erit. Deindè, quos tu hîc nobis Ecclesiasticos ad diaconatũ deligendos proponis? Si Pastores aut Doctores: iam dixi cur isti hac functione non sint onerandi. Multò minùs verò de Archiepiscopis, & aliis vllis, in quibus adhûc supereſſe Apostolicam authoritatem putas, onus istud commiseris. Supersunt Presbyteri, quos pastores etiam esse vis. Superest ergo vt aliquem hîc nobis clerum inter laicos & Ecclesiasticos, publico iam aliquo munere fungentes, medium constituas; quem, & ex quibus personis compositum, vbi sis inuenturus, nescio.

HAD. SARAVIA.

VBi D. Beza inuenerit, aut vndè colligat, me diaconos censuisse ex viris Ecclesiasticis eligendos, nescio. Cap. 7. hæc verba habeo. *Seruator noster sacrosanctam miserorum curam esse docuit, quando sibi datum aut negatum iri, quicquid pauperi datur aut negatur, affirmauit: sed in reformatione Ecclesia, quæ hodiè apud nonnullos facta est, non amplius Ecclesiastica sed tota ciuilis est. Pauperum Ptochodochiorum, & viduarum, ac pupillorum curam, quæ olim fuit Episcoporum propria, Magistratus in se recepit. Vndè hoc primùm sub Romano Episcopo sit natum, dicam aliàs: Magistratus qui Ecclesiam pristino splendori restitutam cupiunt, Ecclesiasticis viris eam committent.* Quibus verbis ego non aio diaconos esse ex Ecclesiasticis viris eligendos; sed diaconis curam pauperum esse restituendam. Diaconi verò vndè sint eligendi, non tango: res est minimè controuersa, nempè ex piis, doctis & honestis viris, quales describit Apostolus, diaconos esse eligendos. D. Beza mea scripta trahit quò ipsi lubet, vt facilius videatur confutâsse aduersarium. Diaconiam restitutam cupio, qualis fuit instituta temporibus Apostolorum; & posteà in Ecclesia, sicut ab eis fuerat tradita, vsu fuit confirmata: quæ temporarios annuósue nusquam legitur habuisse diaconos, sicut nec Presbyteros. In clero censebantur quoque diaconi; & inter Ecclesiarum ministros D. Beza eos habet: & olim in Ecclesia magna eorum fuit authoritas.

Veterum morem si præferam el quẽ hodiè recepêre reformatæ Ecclesiæ, ignoscet mihi candidus lector: morem illum dico, non qui nunc est apud Pontificios, fuitque

propemodùm his sexcentis & ampliùs retrolapsis annis; sed qui vbíque apud priscos Patres, in omnibus Ecclesiis, plusquã quingentos & sexcentos à natiuitate Christi annos viguit, & notior est quàm tergiuersando negari possit. Excipio quorundã fastum contra quem Hieronymus & Augustinus scripserunt, qui non vbîque, sed tantùm Romæ irrepserat, vt diaconi se anteferre ausi fuerint Presbyteris. Quod Diaconos numero inter Ecclesiæ ministros, opponoq; eis, quos Græci dicunt ἰδιώτας, D. Bezæ non improbatur; sed Ecclesiasticos dici non vult, nec etiam clericos. Non tamen temerè sine ratione vtroque vocabulo Anglicana Ecclesia vtitur: nec ipse D. Beza vbîque eo abstinet. Quotquot enim Deus ad Ecclesiæ suæ ministerium vocat, segregatos à reliquis Christianis esse ad Dei & Ecclesiæ ministerium, certum est: proindè non ineptè vocari Ecclesiasticos arbitror, quos eadem ratione recte Galli dicunt *Gens d'eglise*, Angli **Churchmen**. Sed hanc rem, tanquàm parui momenti, prætereo. Vereor tamen ne dum minutula hæc, non tantùm apud Pontificios, sed etiam apud Patres recepta vocabula odiosiùs exagitantur, fidem & authoritatem minuant in grauioribus, quæ meritò reprehenduntur. Ad ea quæ D. Beza ex meis verbis malè intellectis argumentatur, nihil respondeo: sed vt mea meliùs relegat, antequam contra scribat, rogo.

D. THEOD. BEZA.

SEd hoc vehementer tibi displicet, quòd apud nonnullas Ecclesias reformatas, diaconatus totus œconomicus & annuus factus sit. Respondeo negari non posse, quin totus diaconatus sit œconomicus: sed non vt in priuatis familiis, neque vt in politia merè ciuili, sed vt in sacra Domini domo. Nam & sacræ sunt istæ facultates, & sacra earum tum collectio tum distributio, addita pauperum speciali visitatione, & consolatione.

HAD. SARAVIA.

IVre displicet quod nouo more, nullo maiorũ exemplo, fit. Fero tamen, & ferendos iudico, quales quales habemus diaconos (quando quidẽ alij obtineri non possunt) qui in reformatis Ecclesiis conspiciuntur: quòd tales habere præstet, quàm nullos. Eos pauperibus prodesse, vt nunc sunt res Ecclesiæ, arbitror: neque insectandi animo scripsi, quicquid scripsi, aut de diaconia scripturus sum: sed ne quis putet nos habere illos Diaconos, aut qui ab Apostolis constituti sunt, aut sub patribus, qui Apostolis successêre, ministrauerunt Ecclesiis. Hîc non tam res, quam error nocet, & melioribus viam præcludit. Negari non posse quin diaconatus totus œconomicus sit, D. Beza ait. Respondere hoc quidem est, sed non confutare quod à me negatur; & rationes meæ negationis erroris conuincere. Rectiùs ego dicere possum, constare in Stephano diaconatum non fuisse totum œconomicum; nec in vllo alio, qui ex patribus allegari poterit. Si mihi non creditur, vel vnus ex tota proferatur antiquitate diaconus, qui non in partem sacri ministerij fuerit adsumptus, & ego cedam. Probata exempla, & perpetuus vsus, legis obscuræ, aut alterius scripti non satis clari, sunt optimi interpretes.

D. THEOD. BEZA.

QVòd autem hoc onus perpetuum esse vis, nisi cùm diaconus in hoc opere probatus ad sermonis ministerium promouetur, quo tandem argumento nititur? An quòd sic olim consueuerint?

HAD. SARAVIA.

RAtiones, quibus suprà docuisse me arbitror, ministeria Ecclesiastica certo tempore non esse finienda, & semper ab antiquo, nisi interuenissent impedimenta, fuisse perpetua, non hoc loco repetam; nec eis quicquam addam. Quod porrò à me D. Beza quærit, non adeò parui momenti res est, vt tanquam vix refutatione digna, contemni debuerit. Quærit Beza quo tandem argumento mea sententia nitatur. An quòd sic olim consueuerint? Respondeo, tantum hoc habere apud me pondus, vt nisi cum verbo Dei pugnare doceatur, mutandũ non fuerit, quod tam longo vsu, atque ab ipsis Apostolorum temporibus, obtinuerat.

In reformatione, nouandi studium abesse oportet; nec mutandum quicquam, nisi quod sine sacrilegio & in Deum impietate retineri non potest. Morositati paucorum dum mos geritur, malè multorũ infirmitati consulitur. Quærit tamen à me D. Beza; Quòd diaconatum perpetuũ esse volo, quo tandẽ nitatur argumento? Verùm ab ipso

vniuersa

vniuersa Ecclesia meliori iure quærere potest; Quod temporarium ipse aut alius quiuis diaconatum fecerit, quod semper & vbique fuit perpetuum, quo nitatur argumento? An quòd sic olim consueuerit; nihilque placeat quod olim fuit? Quis Apostolus, quis Euangelista, quis vnquàm Episcopus ordinauit Presbyteros, vel diaconos in annum? Qua freti audacia mutare audemus Apostolorum Patrumque instituta; & nouo exemplo, quod ante nos semper fuit perpetuum, facere temporarium? A temeritate sacrilega huius mutationis, primos authores excusare non possum; nisi eos coëgerit dura necessitas, cui nulla lex est posita.

Antequàm schismaticorum quorundam libros, & Scotorũ reformationem, atque hanc D. Bezæ responsionem legerem, mecum de hac re sic cogitabam; Ecclesias propter iniquitatem temporum, præter verbi Dei Ministros non habere Presbyteros; qui dicuntur seniores, tantùm esse aduocatos, & assessores, ac Pastorum consiliarios; & pro diaconis, elemosynarum collectores substitutos. Et eos abuti exemplo Ecclesiarum reformatarum, qui tanquam necessarium, & à Deo constitutum ordinem, hoc seniorum & diaconorum genus, quos necessitas pepererat, vrgerent. Timui nè tempore hanc falsam opinionem consuetudo inueheret; & posteri crederent se Presbyteros & Diaconos habere, quos in Ecclesiis constituerunt Apostoli, & constituendos mandârunt. Sed præter meam expectationem accidit, vt adeò obstinatè hunc crassissimum errorem, aut D. Beza, aut alius quispiam in sacris literis, & Patrũ scriptis versatus, defenderet. Quapropter nec mihi, nec aliis, quibus hæc res meliùs cognita est, fuit vtteriùs dissimulandum.

D. THEOD. BEZA.

REstitue igitur nobis felicia illa Apostolicarum Ecclesiarum tempora, & eos passim homines excita, si potes, qui tantum hoc onus hac conditione subire non recũsent: ac non potiùs illo ad iustum aliquod tempus probè defuncti, missionem, iustis allatis rationibus, flagitent.

HAD. SARAVIA.

NOn est meum felicia Ecclesiarum restituere tempora. Quod meum est, nempè sacrosanctas Apostolorum constitutiones defendere, & mutatas ad pristinã formam reuocare, præsto: quod vt ad gloriam nominis Dei, & Ecclesiæ ædificationem fiat, Deum precor. Presbyterorum & diaconorum ordines, vt ab Apostolis fuêre traditi, & á patribus obseruati, restituendos prædico; & quod aut temeritate aut necessitate contra illam normam peccatum fuit, ad eam esse reuocandum. Cùm autem nulli vnquam annui fuerint creati ab Apostolis vel diaconi vel Presbyteri; non sunt, tanquàm Apostolici, aut retinendi, aut Ecclesiæ obtrudendi.

Veteris Ecclesiæ hic mos fuit; vt semel ordinatus Presbyter vel diaconus, quandiũ nullo scelere suam commaculâsset vocationem, vbique Presbyteri & diaconi retineret honorem. Sed alia (inquit Beza) sunt tempora. Quod tempori datur & moribus, atque rerum præsentium necessitati, indulgentia est; non lex, & norma quæ sequenda sit: & sic ego factum Ecclesiarum reformatarum accipio & excuso; non incesso, nec exprobro. Verum de rei veritate, non de necessitate à me instituta fuit disputatio.

Tamen quia tantoperè placent temporarij seniores & diaconi, dicite (amabõ) quidnì possint hodiè & in Belgio, & in Scotia, & Geneuæ esse perpetui? quæ hæc est peruersitas, violare Apostolicas traditiones à patribus in hac re tam studiosè semper & vbique obseruatas; vt quod hodie passim in Ecclesiis reformatis videmus, nũquàm antè fuerit auditum? Quid opus est ad hanc rem, feliciora Ecclesiarum requirere tempora, quæ inter tot ac tantas, tam sæuas persecutionum tempestates, semper suos Episcopos, Presbyteros, & Diaconos retinuit perpetuos? Qui tempora accusant, Deum accusant, quasi ordines Ministrorum Ecclesiæ suæ, ita Deus non attemperauerit, vt cuiuis tempori & regioni conuenire possint. Sicubì res ita se habent, diuturnum id esse non potest, vbi vera doctrina locum habet.

D. THEOD. BEZA.

SIc autem (ne quis hic malus nos calumnietur) annuum diaconatum statuunt reformatæ nostræ Ecclesiæ, vt tamen annuo curriculo peracto, probatis non facilè missionem concedamus: & si tales ad verbi ministerium idonei comperiantur, illos libenter, cùm de pastoribus eligendis agitur, aliis, de quibus non ita constet, anteponendos meritò cẽseamus. Imò tales multis egregiis donis præditos diaconos, ad illud Presbyterij genus, quoad eius fieri potest deligimus: non vt in verbi prædicandi ministerio versentur; sed quòd, cùm morum censura & iudicium non sit quotidiana functio, has duas simul functiones obire facilè possint.

HAD. SARAVIA.

SCio interdùm quod D. Beza ait, fieri, sed rarò, & contra Ecclesiasticas leges, quæ vetant ne cui Diaconatus & Presbyterium, vltra biennium prorogetur. Vt enim quis maximè velit in sua vocatione perseuerare, per illam legẽ non potest. Sed ex quo verbo Dei, aut quo patrum exemplo illud decretum defendemus, contra nostros aduersarios? Ipsi nouitatis nos insimulare non cessant; & arrepta ex huius generis mutationibus occasione, præteritis grauioribus doctrinæ fidei capitibus, ex Dei verbo & tota desumptis antiquitate argumentis, nouare, ac transformare Ecclesias, non reformare nos contendunt. Quod in ipsos regerere possumus de eorũ Presbyteris & Diaconis, causam hanc meliorem non reddit. Aliena refutare rectè quis potest, qui malè nihilominùs sua defendet. Quid enim est, quod tum verbo Dei, tum antiquitate defendere non possumus contra pontificios, si hæc & huius generis nonnulla excipias? Romani Episcopi, quam sibi iure diuino hodiè vendicant authoritatem, Missæ sacrificium, communionem sub altera tantùm specie, transubstantionem, imaginum cultum, cleri cœlibatum, iustificationem ex operibus, liberum arbitrium, opera supererogationis, merita congrui & condigni, tot monachorum & vestalium greges & societates, tota ignorauit antiquitas: adeò vt in eos & illud quod Tertullianus gentibus obiicere solebat, verè competat, *Iactatis antiquitatem, & nouè indies viuitis:* quod absit vt in nos retorqueri possit. Sed missa hæc faciamus, & res ipsas expendamus paulò exactiùs; atque ad diuini verbi normam exigamus.

Ministeria Ecclesiastica D. Paulus inter dona Spiritus sancti numerat, ad Rom. 12. cap. 5. 6. 7. 8. vers. *Nos multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra; habentes autem diuersa dona, pro gratia quæ nobis data est, siue prophetiam, prophetemus pro proportione fidei: siue ministerium, versemur in ministrando: tum is qui docet, in docendo: tum qui exhortaturin, exhortatione: qui distribuit, cum simplicitate: qui præest, cum diligentia: qui miseretur, cum hilaritate.* Hæc in Episcopis, Presbyteris, doctoribus, & Diaconis inesse dona cùm oporteat, quæ veluti talenta quædam sunt ipsis à Domino data, tanquàm frugi & fidis seruis; vsuræ toti Ecclesiæ exponenda sunt, non vno aut altero tantùm anno, sed quamdiù vita durat, & suppetit facultas. Hæc præcepta non dantur à Paulo in vnum tantùm annum; nec causæ quicquam video, cur quantum fert cuiusque conditio, & Ecclesiarum præsens status, ij, quos Deus donis illis ornauit, in sua vocatione persistere non debeant. Ministerium Leuiticum tam sacerdotum quàm Leuitarum, laboris erat ità plenum, vt in eodem diù iidem durare non potuerint: atque ideò in classes distributi, per vices ministrabant: manebant tamen in suo quisque ordine, ad muneris sui labores redituri.

Nunquam auditum fuit in Ecclesia Dei, vt qui hodiè Presbyter est, cras sit laicus; qui hodiè est diaconus, cras sit futurus idiota. Ecquis prohibet Presbyteros & Diaconos eligi, qui semel ordinati in sua vocatione perseuerent? qui si perpetuam Ecclesiæ nauare non possunt operam, per vices præstent, quod officium ordinis eorum postulat. Quæ D. Beza in Diaconissis restituendis cauenda censet, probo: & hoc caput hîc finio.

HAD.

HAD. SARAVIA.

Quòd Ecclesiæ nullos in suis primordiis habuerint Episcopos & Presbyteros, præter Apostolos & eorum cooperatores.

(*)

CAPVT VIII.

VNdecimo capite Actorum, prima Presbyterorum fit mentio in Ecclesia Hierosolymitana, quæ quamdiù Apostoli & Euangelistæ illic degebant, aliis Presbyteris non opus habuit. Sed postquam fuêre dispersi, Iacobo capite cæso, & Petro fugato, suos Presbyteros cœpis habere: quos ab eo loco Lucas semper cõiungit cum Apostolis, qui erant Hierosolymis. Hic ordo, licèt diaconis posterior in Ecclesia constitutus fuerit; prior tamen est dignitate.

Ecclesias autem ad tempus fuisse sine Presbyteris, ex Epistola ad Titum, & 14. cap. Actorum, notius est, quàm vt possit negari: quamdiù autem, definire nequeo. In hac re non tam temporis rationem Apostolos habuisse credo, quàm hominum, qui apti essent ad Ecclesiæ ministeriũ. Prudentia Apostolica non erat cuiquam temerè manus imponere, & quos Deus non insigniuisset illis donis, quæ requiruntur in Presbyteris, Ecclesiæ præficere. Itaque cùm nuper ad fidem conuersa Ecclesia constarent ex neophytis, tempus fuit expectandũ, quo mores probarentur, & facultas eorum, quibus committeretur regimen Ecclesiæ, nota fieret: interea temporis, Euangelistarum & Apostolorum curâ, eorùmque quos cooperatores assumpserant, omnia gubernabantur.

Apostolus Paulus in omnibus suis Epistolis sibi similis est: quocirca non casu factum est, quod in Epistola ad Philippenses salutem dicit Episcopis & Diaconis, & in cæteris non item. Vnde, quemadmodum intelligitur Philippensium Ecclesia habuisse Presbyteros & Diaconos; ita de alijs relinquitur incertum; nisi quantum aliàs, ex scribendi genere, quis fuerit status Ecclesiarũ colligitur. Attentum lectorem esse oportet, qui cognoscere velit, quæ Ecclesia habuerunt suos Presbyteros, quæ verò nullos. Verisimile non est, eum, qui tam amanter in omnibus suis Epistolis, omnes quos nouerat aliqua virtute præditos salutare, & benemeritis de Ecclesia vbique laudem tribuere, & si quid in quopiã desideraret, non dissimulare consueuit, Episcopos & Presbyteros præteriisse insalutatos.

In Epistola ad Romanos multos salutat, quos etsi suos cooperarios nominet, nusquam tamen significantur Romanæ præesse Ecclesiæ. Aquila meminit, & ipsius domesticæ Ecclesiæ, qui aliàs Corinthi, aliàs Ephesi, aliàs Philippis fuisse legitur: item Andronici & Vrbani, quorum alterum insignem fuisse inter Apostolos, alterum suum cooperatorem dicit: hos, & cæteras omnes, quos Roma agere nõrat, meritis ornat laudibus, quia simul cum Apostolis plantandis Ecclesiis laborarent. Quòd si aliquis eorum illius Ecclesiæ proprius fuisset Pastor, aliquâ notâ id significâsset: sicut factum ab eo legimus in Epistolis ad Philippenses de Epaphrodito, & ad Colossenses de Epaphra, & Archippo. Act. 19. cap. & 28.

Quando Romam venit, à fratribus quidem legitur receptus, non à Presbyteris;

ris; quod non magis ibi fuisset omissum, (si Roma tunc Presbyteros habuisset,) quàm Actorum 15. cap. 4. versu, & 21. cap. vbi à Presbyteris receptus Paulus narratur. Ex his videre est, quis status fuerit Romanæ Ecclesiæ, quando Apostolus ad eam scripsit.

Idem demonstrari potest ex vtraque Epistola ad Corinthios (vt de cæteris taceam,) nempè non habuisse proprios Presbyteros, quando illæ Epistolæ scriptæ fuerunt. Scribebat enim Apostolus nascentibus Ecclesiis, quæ adhùc formabantur, & in prima sua infantia erant, & præter Timotheum, Titum, Apollo, Lucam, Stephanum, & Fortunatum, & Achaicum, aliósue similes, quos Apostolus mittebat, nullos Presbyteros habebant, nec alium Episcopum præter Paulum. Quamuis Ecclesiæ sine ordine non essent; is tamen non erat, quem postea ordinatis Presbyteris, habuerunt. Interea temporis Apostoli & Euangelistæ, aliique pij doctores per vices, vt poterant, eas visitabant. Hinc Paulus & Apollo, se Corinthijs excusant, quòd tam crebrò eos inuisere non poterant, sicut desiderabant. Quod ab Epiphanio & Ambrosio recte obseruatum est. Epiphanius aduersùs hæreses, hæresi 72. ita habet: Cum recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata veluti habebat, scripsit: vbi enim erant Episcopi constituti, scripsit Episcopis & Diaconis. Non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere; Presbyteris enim opus erat & diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Vbi vero non inuentus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo; vbi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cum autem multitudo non esset, non inuenti sunt inter ipsos, qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto, &c. *& addit*: Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis; nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis, ea, quæ ad necessariorum perfectionē requiruntur, parabantur, &c. *Ambrosius in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios scribit*: Non per omnia conueniunt scripta Apostoli, ordinationi quæ nunc est in Ecclesia, quia hæc inter ipsa primordia scripta sunt: nam & Timotheum Presbyterum a se creatum, Episcopum vocat, quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente vno, sequens ei succederet. *Hæc Ambrosius. Intelligenda igitur sunt scripta Apostolica secundùm rationem illorum temporū, in quibus scripta fuerunt. Ponebant Apostoli fundamenta, alij superædificabant. Plantabat Paulus, Apollo rigabat. Simul cum tempore vt crescebat Ecclesia, & credentiū numerus augebatur, sufficere multitudini non potuerunt quos ipse Dominus miserat: hinc Apostoli cooperatores ad Ecclesiæ ministerium sibi assumserunt, primùm diaconos, deinde Presbyteros. De quibus nobis nunc dicendum est.*

I. D. Theod. Beza ad cap. 8.

QVorsùm istud docere institueris, fateor à me non intelligi. Nec enim quenquā extitisse arbitror, qui simul cœpisse, & suis omnibus partibus instructas fuisse Ecclesias, ne Hierosolymitanā quidē exceptā, crediderit, quod nostris quoque temporibus vsu venit. Immò perpetua hæc est Ecclesiarum in terris conditio, vt vix, ac nevix quidem, ita vt potuit constitui, neque semel constitutæ in eodem gradu diutiùs persteterint. Sed causa tamen nulla est, cur hoc suæ negligentiæ prætexant, qui in domus Domini instauratione, planè nostris temporibus tenorant eorum exemplū; quos à captiuitate reuersos, in suis quidem domibus ædificandis supra modum diligentes, in Domini verò domo, alios quidem tardos, alios verò timidos, alios denique verispelles, & cum aduersariis colludentes, Aggæus & Zacharias tam acriter reprehendunt. Iterū igitur dico, videre me non posse, quorsùm hic spectaris. Agè tamen, tua hīc nonnulla expendamus: Apostolos, quamdiū sunt Hierosolymis siue omnes, siue maiore ex parte commorati, dubium non est initio functiones omnes Ecclesiasticas, quæ posteà demùm distinctæ fuerint, quàm diligentissimè (quod ad Stephani vsque cædem factum esse verisimiliter colligi potest ex Lucæ historia, Actor. 8. 1.) obiisse: curâsse tamen eos, quàm primum fieri potuit, vt ordine conuocaretur Ecclesia, dubiū non est, donec longiùs Ecclesiæ fundari, & Apostoli ad illas constituendas partim ipsi proficisci,

ficisci, partim aliquos cum authoritate mittere cœperunt. Si autem illos toto illo tempore munera hæc omnia obiisse, vt qui in diaconis constituendis tam fuerant diligentes, non nisi serò admodùm adiunxerint, quorum saltem operâ vterentur, & in Ecclesiæ gubernatione adiuuarentur, quâ tandem coniecturâ persuaseris? Quod enim adfers, nempè quòd Lucas nullam faciat mentionem Presbyterorum Apostolis adiunctorum ante synodum illam Hierosolymis coactam, Actor. 15. 2. non efficit quod tu vis, sed iam antè ibi fuisse constitutos ostendit. Idem ego non video cur non sentiam de proximis, immò etiam de remotioribus Ecclesiis post illam, à Stephani, ac deinceps à Iacobi cæde, dispersionem, plantatas nisi Apostolos alios, siue ab Apostolis, siue peculiari Dei afflatu missos, & primarum illarum ordinandarum Ecclesiarum, inscijs etiam Apostolis, auctores fuisse minùs sit eximium & insolitos operarios dicatur, quàm Paulum & Barnabam in illa sua priore peregrinatione, Actor. 14. 23.

HAD. SARAVIA.

NEc ego sanè assequor quid oppugnandum D. Beza sibi proposuerit, si ita vt scribit sentit: cupio tantùm quæ scripsi, & ipsius responsionem inter se conferri. Confitetur quod toto illo capite demonstro; & neminem extitisse ait, qui contrarium senserit: quod si ita est, quorsùm meam sententiam oppugnet, non video. Sed quis meæ disputationis sit finis non intelligit: qui tamen ex ipso tractationis contextu, satis mihi videtur apparere. Scopus meæ orationis hic est, varios docere gradus ministrorum Euangelij; idque ab ipsa prima eorum institutione, & tempore, quandò primùm inceperunt. Et æqualitatem, quæ tunc fuit inter Presbyteros, & Episcopos, qui regebant Ecclesias, non arguere eundem ordinem perpetuo ita debuisse manere. Ipsi Apostoli, & Euangelistæ, eorumq; cooperatores, quadiu potuerunt, Ecclesiarũ Episcopi & inspectores fuêre. Crescente vero numero Ecclesiarum, & multitudine Christianorum, successerunt cum eadem authoritate Episcopi. Proinde malè à statu Ecclesiarum qui fuit sub Apostolis, & æqualitate Presbyterorum & Episcoporum quæ tunc fuit, argumentari eos, qui ordinem Episcoporum supra Presbyteros conuellunt.

Exempla quæ adfero, non videntur D. Bezæ vera; & status Ecclesiarum quas cito, diuersos fuisse, quàm ego puto, iudicat; & dum hæc disputat, meas rationes præterit, nec confutat: & non modò hîc ea, quæ nusquàm dixi, sed pluribus aliis in locis oppugnat. Postquàm quid de diaconis sentiam, exposuerâ, venio ad Presbyteros; quorum aio primam mentionem fieri Actor. 11. cap. sed quandò primùm fuerint instituti, fateor me ignorare: & non magnoperè habuisse opus Presbyteris Hierosolymitanam Ecclesiam aio; quandiû Apostoli, & illi 120. viri cum illis, Hierosolymis degebant. Vndè colligo statim à dispersione Apostolorum fuisse creatos Presbyteros. Aio præterea Ecclesias ad tempus fuisse sine Presbyteris, negari non posse: quamdiû autẽ, non definio; & in ea re, non tam temporis, quàm hominum Apostolos habuisse rationem. Quæ disserit D. Beza nihil hæc conuellunt: sed disputando eò progreditur, vt tollere videatur, quod initio dabat; nempè Ecclesias, vt inceperunt, non fuisse suis omnibus partibus instructas.

2. D. THEOD. BEZA.

IMmò in ipsis Ecclesiarum fundatione, à quibus potiùs auspicari ipsos Apostolos & Euangelistas oportuit, quàm tum à ministris, ac deinceps ab aliis quoque Ecclesiæ cuiusque, quoad eius fieri potuit rectoribus?

HAD. SARAVIA.

FLexiloquum D. Bezam non arbitror, qui ambiguè scribat, vt si vrgeatur argumentis, habeat vndè elabatur. Quorsùm tamen illud, *quoad eius fieri potuit*, insertum sit, non intelligo, cùm de eo quæstio sit, quid fieri possit; & constet fieri statim in initiis non potuisse, nisi perquàm rarò, aliundè dato Episcopo vel Presbytero, non ex illo cœtu electo. Nouis Ecclesiis duo genera doctorum necessaria sunt. Primum est eorum, qui plantant & congregant Ecclesias: quos ante ipsas fuisse Ecclesias oportet: secundum est eorum, qui iam plantatas rigant & fouent, quandocunque qui congregârunt primi, ibidem perseuerare non possunt. Plantantur igitur primùm Ecclesiæ à priori illo doctorum genere, qui fundationem auspicabantur ab ipsa prædicatione verbi Dei, non à Presbyteris & Episcopis ex illo populo desumptis, qui priùs & ipsi formandi erant, & formati explorandi, num futuri essent idonei Ecclesiæ ministerio. Cùm neophytos non iudicârit Paulus idoneos, qui ad ministerium euehantur; quod Timotheum cauere voluit, id ipse non commisit.

3. D. THE-

3. D. Theod. Beza.

NAm quid aliud sibi vult illa Spiritus sancti donorum per Apostolos collatio, Actor. 8. 14. 15. & 16. & 19. 2. & 6.

Had. Saravia.

ILla dona non omnes repentè reddebant ministerio Ecclesiæ idoneos, quibus impertiebantur: sic enim facilè se omni labore, molestia, cura, & sollicitudine liberâssent Apostoli. Quod vni Paulo accidit, vt statim post vocationem ad Christianismum, etiam fieret Apostolus, adeò rarum fuit; vt an cuiquam præterea similis gratia contigerit, adserere temerarium existimem.

4. D. Theod. Beza.

NEque sanè firmum est, quod nusquam vllos à Paulo in Creta fuisse constitutos Presbyteros censes, quoniam apud illos relictus fuerit Titus, vt Presbyteros oppidatim illis constitueret. Hoc enim potiùs non generaliter, sed de iis demùm Ecclesiis intelligendum est, in quibus inchoatum adhùc opus reliquerat Apostolus. Nec enim Titus simpliciter Presbyteros qui nusquàm adhùc essent in illa insula, sed oppidatim Presbyteros constituere iubetur.

Had. Saravia.

ERgo firmius est quod ait D. Beza, *scilicet hoc potiùs nõ generaliter, sed de iis demùm Ecclesiis intelligendum esse, in quibus inchoatũ adhùc opus reliquerat Apostolus.* Vndè id & qua coniectura colligitur? Apostoli verba hæc sunt, *Huius rei gratia, reliqui te in Creta: vt quæ reliqua sunt pergas corrigere, & constituas oppidatim Presbyteros sicut constitui tibi.* Ex his Apostoli verbis, constat nullos fuisse Presbyteros in oppidis, vbi constituendi erant. Quod D. Beza contendit in aliquibus oppidis, quosdam fuisse; quis ei dixit? vnde habet? Vt fuisse demus; temerarium tamen magis fuerit id adfirmare, quàm negare. Sed vbi, obsecro, dixi nusquam vllos in Creta à Paulo fuisse constitutos Presbyteros? Verba mea hæc sunt. *Ecclesias autem ad tempus fuisse sine Presbyteris ex Epist. ad Tit. & Act. cap. 14. notius est, quàm vt possit negari: quamdiù autẽ, definire nequeo. In hac non tam temporis rationem habuisse Apostolos credo, quàm hominum, qui apti essent ad Ecclesiæ ministerium.*

5. D. Theod. Beza.

QVòd si Presbyteros non alios quàm quos tu vis, id est, verbi ministros fuisse dixerimus, quæuam fuisset in Creta Ecclesiæ vllius species, nullis dum in ea insula, verbi prædicationi ordinatis ministris? ac cur non potiùs Titus ibi relictus dicatur, vt vbique extrueret quod alicubi tantùm inchoare potuerat præsens Apostolus?

Had. Saravia.

HAnc D. Bezæ rationem satis mirari nequeo; qui Ecclesiam, hoc est, cœtum & multitudinem fidelium nullam cogi, nec conuenire posse, credere videtur, nisi quæ statim peculiarem verbi Ministrum sibi addictum habeat. An subitò prædicatione Euangelij collecto cœtu fidelium, in aliqua ciuitate, inuentus est verbi Dei minister idoneus qui illam Ecclesiam regeret? Quæ fuit obsecro Ecclesiæ species Lystræ, Iconij, & Antiochiæ, antequam denuò Paulus & Barnabas, eò redirent, & ipsis Presbyteros crearent? Beza oblitus eius quod initio huius capitis mihi concesserat, perindè interrogat, acsi Cretensem Ecclesiam statim in suis initiis oportuerit esse perfectam: cui multa defuisse Paulus satis apertè significat, quandò scribit, *Reliqui te in Creta, vt quæ ibi reliqua sunt pergas corrigere*: & quid illud fuerit statim in sequenti clausula expressit: *& constituas oppidatim Presbyteros.* Sed verbi Dei concionatores Cretenses Ecclesias præter Titum habuisse ex ipsa Creta D. Beza vult: alioquin nullam futuram fuisse illarum Ecclesiarum speciem: Paulum adiunxisse comites Tito doctores ex ipsa Epistola liquet. Quod difficilius igitur erat, factum D. Beza æstimat; & ibi fuisse antea verbi Dei ministros: & ni fallor, vt quod leuius & facilius fuit, perficeretur, Titum in Creta fuisse à D. Paulo relictum; nempè vt mutos & temporarios Presbyteros oppidatim crearet: quia verbi Dei ministri qui illic erant, istis senioribus eligendis, apti non erant: vtpotè Presbyteri tantùm, qui Presbyteros creandi fortè nõ habebant potestatem: atque ita confirmat Episcoporum authoritatem, quam impugnat.

Antequam

Antequam in Creta à Tito crearentur Presbyteri, Cretenses Ecclesias habuisse verbi Dei ministros, aut seniores præter Paulum ipsum, & Barnabam, Titum, Apollo, Zenam, Artemam, aut Tychicum, aut alios, quos vltrò citróque eò mittebat Apostolus, adfirmare, est & à verbo Dei, & ratione alienum. Ratio mea hæc est: Quòd Neophytos, quamuis eximiis ornatos donis, creare Pastores & erectores Ecclesiarum, ab Apostolica consuetudine fuerit alienū; & expectare donec Deus viros probatos daret, cōsueuerint. Sed hanc inuictam rationē meam, quam D. Beza confutare debuit, præterit intactam. Quomodò ergò (inquies) & à quibus regebantur interea temporis illæ Ecclesiæ? Respondeo, ab ipso Paulo & Barnaba, & ab eorum cooperatoribus: & in horum absentia, à senioribus, quos ratio & natura in quauis societate dat, non ordinatio; quales sunt natu maiores, & quotquot aliqua virtute in populo excellunt: quibus deferre natura omnes gentes docuit: quibus addo eos quos tunc temporis passim dona Spiritus sancti varia excitabant, sed nulli loco alligabant.

6. D. Theod. Beza.

PRæterea qualis est hæc tua collectio? Nullos videri fuisse Episcopos & Diaconos in iis Ecclesiis, ad quas scribit Apostolus, exceptis Philippensibus: & quoniam videlicet in sola Epistola Philippensibus inscripta mentionem faciat Episcoporum & Diaconorum, in aliis non item.

Had. Saravia.

PAssim malè truncata mea verba. D. Beza refert; quo animo, ego ipsius conscientiæ, & Dei relinquo iudicio. Sic enim scripsi, *Quemadmodùm intelligitur Philippensium Ecclesia habuisse Presbyteros & Diaconos; ita de alijs relinquitur incertum; nisi quantum aliàs, ex scribendi genere, quis fuerit status Ecclesiarum intelligitur.* Quibus autem ego adductus rationibus arbitror nec Romanos, nec Corinthios habuisse tunc, quando ad eos scriptæ fuerunt Epistolæ, peculiares sibi ordinatos Episcopos, eas petant qui volunt, ex libro meo; & conferant cum istis, quas D. Beza adfert; & videbit quàm parùm firmis argumentis suam coniecturā confirmet: & quomodo meas tantùm aut eleuet, aut prætereat insolutas. Prima eius confutatio hæc est.

7. D. Theod. Beza.

NAm si vera est hæc tua coniectura, quam ego quidē inanissimam esse existimo, omnes itidem Ecclesiæ, quas suis scriptis dignatus est Apostolus, nec Pastores, nec Diaconos habuerint, id est, oues fuerunt temerè aggregatæ: quas tamen Ecclesias videmus ab eo magnificè laudari, vt præclarè constitutas.

Had. Saravia.

MEam coniecturam (si modò mea dicenda est, non Patrum) inanissimam D. Beza existimat: & ego vicissim ipsius confutationem multo inaniorem. Absurdū quod ex mea coniectura infertur, nullum est. Eius prima pars hæc est, Consequi omnes itidem alias Ecclesias, quas suis dignatus est Apostolus Epistolis, nec Pastores nec Diaconos habuisse. Cui respondeo, idem ex eodem inferre, esse ridiculum; ex paucis plura vel omnia, à vera ratione argumentandi alienum; contrarium verò, à sensu cōmuni. Coniectura mea de duabus aut tribus Apostoli literis, præter eam quæ est ad Philippenses, excipit quoque eas, in quibus mentio fit aut expresso nomine, aut aliqua alia notatione, peculiaris alicuius Ministri & Pastoris, vel plurimum: sicut fit in Epistola ad Colossenses; quæ mentionē facit Epaphræ & Archippi, & in prima ad Thess. 5. cap. 22. vers. apertè indicatur fuisse illìc Presbyteros & Pastores. Ad. Gal. quando Apostolus scripsit, non credo nullos habuisse Doctores; sed malos: & idcirco ipsos præteriri insalutatos. Denique ex ipsa scribendi ratione, colligi posse statum cuiusuis Ecclesiæ arbitror, ab eo, cui sit vel mediocre iudicium, nullo præiudicio præoccupatum.

Sed, obsecro, quæ est ista collectio? Quia dixi, *cùm nuper ad fidem conuersæ Ecclesiæ constarent ex neophytis, tempus fuisse expectandum, quo mores probarentur, & facultas eorum, quibus committeretur regimen Ecclesiæ, nota fieret. Interea temporis, Euangelistarum & Apostolorū curâ, eorúmque quos cooperatores adsumpserant, omnia gubernabantur.* Et posteà in eodem capite, alio loco idem repeto, & inculco. *Scribebat enim*

Apostolus

Apostolus nascentibus Ecclesiis, quæ adhuc formabantur, & in prima sua infantia erant: & præter Timotheum, Titum, Apollo, Lucam, Stephanum & Fortunatum, & Achaicum, aliósne similes, quos Apostolus mittebat, nullos Presbyteros habebant; nec alium Episcopũ præter Paulum. Sub tanto Apostolo Ecclesiæ, sine ordine esse non poterant: quamuis is non fuerit, quem posteà, ordinatis Presbyteris, habuerunt. Apostoli igitur & Euangelistæ, aliique pij doctores, per vices, vt poterant, eas visitabant. *Hinc Paulus & Apollo se Corinthiis excusant, quòd tam crebro eos inuisere non poterant, sicut desiderabant.* Quæ (inquam) ex his meis verbis, meáque coniecturâ est ista collectio; vt inde inferatur consequi, omnes Ecclesias, quas Apostolus suis literis est dignatus, nec Pastores nec diaconos habuisse? id est, omnes fuisse temerè aggregatas. Id si consequens est, ex mea coniectura, vanam & falsam eam esse oportet. Sed omnes, quas aio Paulum habuisse, Episcopum, & Pastores & Doctores sanctissimos ac piissimos, secundùm Apostolos & Euangelistas, viros; aggregatas temerè, & Pastore destitutas oues, nemo verè dixerit.

Magnifica Ecclesiarum laus, & præclara earum constitutio, non ab Episcoporum & Presbyterorum cõstitutione pendebat; sed à fidei obedientia, & Spiritus sancti donis. Erant in Ecclesia Corinthiaca Prophetæ, erant & qui linguis loquebantur, erant & qui interpretabantur: sed hos Deus Presbyteros dabat, non homo constituebat: & hi consilio, & admonitionibus fraternis fratres dirigebant, sed non ea authoritate, qua Paulus, & à Paulo adlecti cooperatores, Ecclesiam regebant, & regendã susceperunt posteà Episcopi.

D. THEOD. BEZA.

ET sanè cùm hæc tua legerem, sum admiratus hoc ausum esse te de Corinthiis præsertim affirmare. Nam cui persuaseris Paulum toto illo sesquianno quo Corinthi subsitit. Act. 18. 11. Ecclesiã illam sibi charissimam, solum præsentem ita rexisse, vt nullos ibi Pastores, nullos ordinis gubernatores, indè discedens reliquerit? vel soli cuipiam Euangelistæ, qualis ille hîc post Paulum fuit Apollos, eam regendam commisisse?

HAD. SARAVIA.

HVius audaciæ mihi patres fuêre authores; admonuerúntque vt attentiùs Paulinarum Epistolarum recessus excuterem; vt latentes & reconditas temporum illorum historias eruerem. Excitauit studium, fanaticorum hominum delirium; qui Ecclesias reuocandas censent ad eum statũ, qui fuit sub Apostolis: & spreto verbi Dei ordinario ministerio, cuiuis prophetandi & interpretandi potestatem, in Ecclesia fieri volunt: & populum esse debere iudicem, & rectorem, & moderatorem omnium Ecclesiasticarum actionum contendunt. Pastores verò doctoresue ita Ministros esse Ecclesiæ; vt à populi nutu debeant pendere. Contra quos, si hoc modo quis disputet; & docere conetur, Ecclesias illas, ad eum modum fuisse gubernatas, & institutas qui perpetuò in Ecclesia est retinendus; malè defendendo, bonam causam perdet.

Difficile (ne dicam impossibile) erit docere, Ecclesiam Corinthiacam, quandò ad eam scripsit Paulus, aut ab vno Episcopo, aut à pluribus Presbyteris, cum ea authoritate, quam Pastoribus Christus dedit, & à primis Apostolis incepit, & deriuata est ad alios omnes Ecclesiæ Episcopos, perseueratura vsque in finem seculi, fuisse gubernatam. Quod vt probem; hoc quod extra controuersiam est accipio; nempè pastores esse positos vt regant & pascant Ecclesiam Dei; & vt inuigilent tanquam rationẽ reddituri de animabus eorum, qui nomen dederunt Domino, & ad eorum pertinent curam; fideles verò, in iis quæ ad Deũ spectant, debere se submittere eis; non tanquàm Dominis, sed tanquàm Christi Domini legatis. Hoc constituto, videamus quot vitiis tantoperè laudata ab Apostolo Ecclesia, & tam benè constituta laborârit.

Primùm Ecclesiæ vnitas, fratrúmque concordia in sectas & factiones scindebatur, litibus apud infideles iudices sese opprimebant, ad scortationem incestuosam, ac si nullum aut leue peccatum esset, conniuebatur, diuitiores tenuiores contemnebant, & cœnâ Domini prophanabant, resurrectio corporũ in dubiũ vocabatur. De quibus, si qui Presbyteri aut Episcopus tunc Ecclesiam rexissent, potiùs reprehendendi, quàm tota Ecclesia, fuissent. Notum est, quæ sint partes rectorum Ecclesiæ, vbi huius generis

ris peccata regnant, aut obrepere conantur. Presbyteri, qui tulissent in suo cœtu cognitum incestuosum scortatorem, nunquàm Pauli reprehensionem euasissent. Spiritus Domini in Iohannis Apocalypsi septem Asiæ Ecclesias alloquitur: sed inprimis Pastores & Episcopos culpat, aut commendat de iis quæ benè vel malè in Ecclesijs, sub eorum regimine gerebantur. Quod à Paulo prætermissum hîc non fuisset, si Ecclesia illa proprios Presbyteros habuisset.

Præterea quæ in secunda, cap. 11. contra falsos Apostolos D. Paulus scribit, non videntur ad Ecclesiam, quæ suos proprios seniores, à quibus regebatur, habebat, scripta. Malos illos operarios proculdubiò arguissent. Ibi erant qui D. Pauli tum literas, tum minas, non flocci faciebant: quî esse aut ferri potuissent audaces illi tanti Apostoli contemptores, sub disciplina & censura Pastorum illius Ecclesiæ? Et Apostolus, quorsum malorum punitionem differt in suum aduentum; & non parciturum minatur? Si Episcopi & Presbyteri Corinthi erant, ad eorum authoritatem & officium id emendare pertinebat. Quid? Expectari opus fuit Pauli aduentum cogendis in ordinẽ improbis? Dum hæc stabunt nunquàm mihi persuaserit D. Beza tunc temporis Ecclesiam Corinthiacam proprios & peculiares habuisse illi vni loco addictos presbyteros. Communi ergo cura Apostolorum, Euangelistarum, Prophetarum, & eorum quos cooperatores habebant, ad tempus illius seculi Ecclesias fuisse gubernatas, qui attentiùs leget Epistolas Paulinas, inueniet.

9. D. Theod. Beza.

Sed & iubens incestuosum illum à congregatis satanæ tradi, num censebitur voluisse confusam multitudinem à nullis Pastoribus, nullis Presbyteris gubernatam conuenire? nempè si huius congregati cœtus nomine, vniuersam Ecclesiam cum plerisque interpretibus intelligas.

Had. Saravia.

Celebris vrbs fuit Corinthus: & quamuis sub imperio Romano ageret, libera erat, quatenùs suis regebatur legibus; vt pleræque aliæ Græciæ ciuitates: apud quas populũ conuocari frequens erat, in rebus quæ ad omnes pertinebant: & quamuis in illis conuentibus, multa seditiosè fierent; sic tamen mores illius seculi, & illarum regionum ferebant. Sed quotam eius partem fuisse christianam censendum est? Paucitas multitudinis confusionem non admittebat: & Ecclesia non ita erat destituta doctoribus, quin semper aliquos (quamuis nullos adhûc ibi fixos) haberet. Præterea qui literas Pauli adferebant, muti non erant nuntij, sed viri insignes, vt Stephanus, Fortunatus, Achaicus & Timotheus. Hi Ecclesiam conuocare potuerunt, & haud dubiè conuocârunt: qui & ore sensum & mentem Apostoli exposuêre. Si cui hæc illis temporibus, & scriptis Apostolicis consentanea non videbuntur; meliora & magis congrua proferat, & ego lubens cedam. Mihi haudquaquam probabile est, quod clarissimus vir Theodorus subiungit.

10. D. Theod. Beza.

Imò quinam fuerint potiùs isti, in quorum conspectu incestuosum damnari vult Apostolus, quàm πλείονες illi, id est, Pastorum & Presbyterorum consessus, à quibus postea tam grauiter increpatus, & ad resipiscentiam in se perductus, incestuosus ille dicitur, 2. Cor. 2. 6.

Had. Saravia.

Quis præter Bezam vnquam per πλείονας intellexit Pastorum & Presbyterorum consessum? Ostendat nobis vsquàm in veteri vel nouo testamẽto locum aliquẽ, vbi hæc dictio significet pastores & seniores Ecclesiæ: vel prophanum etiam scriptorem, qui eam pro magistratibus & rectoribus alicuius plebis vsurpauerit. Næ D. Beza sibi nimiùm fidit, qui hîc & passim pro suo arbitrio, quas vult significationes, dictionibus adfingit. Græci theologi Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus, πλείονας omnes, hoc est, potiorem partem Ecclesiæ Corinthiacæ intelligunt, qui Epistola priore Pauli commoti, incestuosum acriter increpauerant, tantùm eum, vt præceperat Apostolus, Ecclesiâ essent eiecturi, & tradituri satanæ; qua increpatione ad pœnitentiam & vitæ emendationem adductus cùm fuerit scortator, eam sufficere Paulus vult, nec vlteriùs progredi patitur. Hanc ipsam dictionem pro

me

me facere autumo, & Consistorii (qui tunc nullus erat) authoritatem non interfuisse, sed Ecclesiæ, ad quã Epistola fuit scripta. Egregios nobis narrat D. Beza Presbyteros, & Pastores vigilantes, qui ad omnia illa flagitia, quæ à Paulo notantur, conniuebant: maiori ipsi vituperio digni, quàm ipse erat incestuosus; siquidem qui consentiunt, & conniuent ad crimina, cum eis qui faciunt, in eodem sunt reatu.

11. D. THEOD. BEZA.

QVòd si ad eum vsque diem caruisset diaconis Corinthiorum Ecclesia, quinam de illis tunc saltem inter ipsos constituendis, aliquid Apostolus non præcepisset, de extraordinaria collecta subleuandæ externarum Ecclesiarum inopiæ destinata differens, 1. Corinth. 16. 1.

HAD. SARAVIA.

QVînam? vt me nescire fateor, ita graues scio ipsum habuisse causas, cur nullos crearet, si fortè nullos creauerat. Nam cùm colligendæ pecuniæ nemini prouinciam mandet; nullos ibi fuisse probabilius est, quàm sit contrarium. De hac re tamen multùm contendere nolim. Quæstio mea hoc in loco est de Presbyteris, non de diaconis. Iubet enim quemque apud se reponere, prout à Deo benedictionem acceperat; non Diaconis seruandam tradere. Colligi pecunia à quouis qui diaconus non esset, cuius officium & cura in distributione pecuniæ magis sita est, quàm in collectione.

12. D. THEOD. BEZA.

Denique tanta illa schismata, vndè, nisi à Pastoribus & Presbyteris ambitiosis, exorta?

HAD. SARAVIA.

PAulus causam schismatis ambitionem Pastorum non facit, sed Ieuitatem populi, & animalem sensum, ac superbam iactantiam; quandò his verbis eos alloquitur, 1. Cor. 3. cap. 3. 4. *Quandoquidem sunt inter vos æmulationes & diuisiones, annon carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? Cùm alius dicat Ego quidẽ sum Pauli, & alius, ego Apollo, nonnè carnales estis?* Humanum ingeniũ sic est comparatum, vt de doctore libenter glorietur; tanquàm pars laudis magistri ad discipulum pertineat. Hinc emulationes acerbissimæ inter Philosophorum discipulos, (mitto dicere theologorum.) Ipsi Iohannis Baptistæ discipuli, Iohan. 3. cap. 26. ambitione quadam stimulati fuisse legũtur, & æmulatione quadam motos, inuidisse Domino, quòd plures discipulos haberet Iohanne. Tametsi & illa ætate quosdam fuisse non diffitear, sibi potiùs quàm Christo Domino colligendi discipulos studiosos; & qui non secùs de discipulorum multitudine superbirent, quàm vani discipuli de vano magistro; non semper talium æmulationum culpandi sunt doctores. Peruersitas humani ingenij est huiusmodi, vt etiam si nemo eorum qui docuerant Corinthi, factionibus illis fauisset; nihilo minùs, qui carnales erant, de magistro superbiuissent. Quare absit vt omnes illos Presbyteros & Pastores, quorum nomina scindebant Ecclesiæ vnitatem, in culpa fuisse censeam: nemo enim eorum tunc Corinthi erat, propter quos Corinthii sese efferebant.

13. D. THEOD. BEZA.

QVòd si quis ibi tunc Euangelista, vel ille, quem tantoperè vt necessarium commendas, Episcopalis gradus extitisset, cur non illius tollendi schismatis onus illi imposuisset?

HAD. SARAVIA.

RECtè D. Beza, illud ipsum est quod ipse argumentor; Ecclesiam Corinthiorum nullos tunc habuisse Presbyteros vel Episcopos, quandò ad eos scripta fuit Epistola. Siquidẽ ibi Euangelista quispiã fuisset, qualis fuit aut Barnabas aut Philippus, nihil illâ Pauli Epist. fuisset opus. Quandò igitur hoc modo D. Beza disputat, meã sententiã confirmat; quæ huic rationi nititur. Si quis Episcopus vnus, vel plures, (quos tãtoperè commendat D. Beza) illìc Presbyteri illius loci fuissent, eos D. Paulus adlocutus esset, & tollendi schismata, aliáque teterrima vitia, onus imposuisset, & neglecti officij argueret. Aut enim Presbyteri qui illic erant, laudem ex æmulatione discipulorum captabant, atque ita schismatis erant authores (quod grauem reprehensionem merebatur,

merebatur, & censuram Pauli non euasissent) aut erant alij, quibus illa schismata & quicquid præterea Corinthi peccabatur displicebat. Sed ne quidem culpâ vacâsset dissimulatiõ, & ad tanta flagitia conniuentia. Cùm horũ nihil reprehenderit Paulus, sicut factum oportuit: rectè mihi argumentari videor, nullos Corinthi tunc temporis fuisse Presbyteros vel Episcopos illi vni loco addictos.

14. D. THEOD. BEZA.

SCribebat (inquis) Apostolus nascentibus Ecclesiis, quæ adhûc formabantur, erántque in prima sua infantia. Imò vt omnes illius Epistolas sigillatim consideres, nullas cõperies extitisse, quæ non iam essent ab ipso fundatæ, & pulchrè constitutæ: vtpotè quas tanquàm fide & pietate insignes cõmendet, ne Colossensibus quidem exceptis, quamuis eò ipsemet non peruenisset. Neq; his obstat, quod Titũ, Timotheum, & alios nihilominùs subindè ad eas miserit: à quibus videlicet, non certè tunc primùm constituerentur Ecclesiæ, sed partim vt longiùs promouerentur, opus, quod alicubi tantùm inchoatum ipse non semper perficere potuerat, partim vt magis ac magis confirmarentur. Ephesi quidem certè toto biennio, nullis constitutis Pastoribus, Presbyteris, & Diaconis, non substiterit Paulus.

HAD. SARAVIA.

NIhil ego hæc sibi aduersari iudico, vt simul consistere nequeant, ab Apostolis fundatas & pulchrè constitutas fuisse; simul & nasci, ac formari, & in prima esse infantia, Ecclesias. Infantiam ad prima Ecclesiæ refero tempora, non ad imbecillitatem fidei & cognitionis mysteriorum Dei. Itaq; probè fundatas agnosco, quibus fundamentum Christum Dominum Apostolus, tanquàm peritus architectus, iecerat: *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctũ in Domino.* Perfectio illa malè intelligitur sita in constitutis Presbyteris & Diaconis, cùm longè perfectior Hierosolymitana fuerit Ecclesia, quandò nullos, neq; Diacõnos, neq; Presbyteros habebat, præter Apostolos; & credentium erat cor vnum & anima vna; neq; quisquam eorum quæ possidebat, quicquam suum esse aiebat; neq; quisquam erat egenus inter eos: quã postea vbi ex dissensione & murmure Græcorum aduersùs Hebræos, creati fuêre diaconi. Quàm autẽ multa deessent Corinthiacæ Ecclesiæ, manifestius est, quàm vt negari possit: de ea tamen *Quòd in omnibus diuites facti essent in Christo, in omni sermone & scientia, ita vt nullũ ipsis donũ deesset,* Apostolus in c. 1. epistolæ suæ ad eos scribit, & Deo gratias agit. Crescebant igitur illæ Ecclesiæ sub Apostolorum & Apostolicorũ virorũm regimine, quo nullum perfectius esse potuit: quibus succesisse Episcopi & Presbyteri, in hoc ab illis diuersi, quòd nullis certis locis essent alligati Apostoli; his verò fuerint populi, & loca, & prouinciæ definitæ.

15. D. THEOD. BEZA.

ATenim rursùm (inquis) tam amanter in omnibus suis Epistolis plurimos salutans num Episcopos & Presbyteros, si qui tum ibi fuissent, præteriisset? & quandò Romam venit, à fratribus quidem receptus legitur, at non à Pastoribus & Presbyteris, quod non magis ibi fuisset omissum, quàm Actorum 15.4. Quid igitur? Fuerit tunc scilicet Romana Ecclesia ἀκέφαλος, si tibi creditur, quæ nunc sese omnium Ecclesiarum caput esse prædicat? Imò non potuit tunc Ecclesiæ Romanæ fama tam celebris esse, nisi benè iam constituta & florens, siuè à Barnaba, vt veteres nonnulli volunt, siue à Petro in vnius corporis formam redacta.

HAD. SARAVIA.

NOn adsequor quid D. Beza velit ironicâ interrogatione, *fuerit tunc Romana Ecclesia* ἀκέφαλος &c? cùm ipse aliiq; plures Episcopos Ecclesiarum ægrè admodùm capita Ecclesiarũ vocari patiantur, vellentq; veteres ab hac loquendi forma abstinuisse. Sed eo sensu, quo sensêre Patres Episcopos esse capita Ecclesiarũ, ego eos tales habeo: ita tamẽ vt si Episcopo destituatur Ecclesia, cẽseri non debeat idcircò ἀκέφαλος; quamdiu suo capiti Christo adhæret. Quod ait D. Beza Romanã Ecclesiã se vocare omniũ Ecclesiarũ caput, responsione dignũ non arbitror: & non magis facit, si tunc Episcopos vel Presbyteros Romana ecclesia nõ habuerit, eã fuisse ἀκέφαλον, quã est vniuersalis Ecclesia, si papam nullũ habeat. A capite Christo pendent ecclesiæ, non ab ipsis Apostolis, minùs ab Episcopo. Potest cœtus fideliũ in vnius corporis formam redigi, & bene cõstitui, etiãsi propriũ Episcopũ, aut Presbyteros nullos peculiariter sibi

datos habeat præter Apostolos. Qui Romanam Ecclesiam illam primâ collegerunt, eius etiam curam habuerunt; quicunq; illi fuerunt. Nihil quicquam in hac parte Romanæ Ecclesiæ deesse poterat, quæ tantos habebat Presbyteros & Episcopos.

De celebri famâ fidei Romanorum quod adfertur; id non arguit eos habuisse tunc alios Presbyteros & Episcopos ab Apostolis & Apostolorum cooperatoribus. Celebris quidem fama fidei Romanorum vbiq; gentium fuit; sed apud fideles non Romæ: ibi certè obscura erat, & paucis cognita. Synagoga Iudæorum, quæ Romæ erat, tanquàm noua, & per rumorem tantùm audita, excipit ea quæ de Domino Iesu Christo, & spe Israelis à Paulo docebantur. Si tam florens & celebris Ecclesia Romana fuisset, sicut à D. Bezæ creditur; synagogam non latuisset.

16. D. THEOD. BEZA.

QVòd autem nominatim nullum inter Romanos Pastorem aut Presbyterum Paulus salutat, nescio an causa vlla sit verisimilior, quàm quòd ipsi Ecclesiæ tota Epistola inscripta, satis illius Pastores & Presbyteros compellâsse sibi videtur.

HAD. SARAVIA.

SI vel generatim Episcopos & Presbyteros salutâsset, vel nominatim eo nomine quempiam, cederem. Causa quæ adfertur, quòd toti Ecclesiæ Epistola sit inscripta, nulla videtur; cùm ea, quæ est ad Philippenses, non minùs toti sit inscripta Ecclesiæ, quàm omnes cæteræ. Ecquid causæ fuisse dicemus, cur Apostolos illic nominet Episcopos & Diaconos, in cæteris nusquam? nisi quòd ea proprios Episcopos & Diaconos habuerit; nimirùm iam multos post annos elapsos prædicati Euangelij.

17. D. THEOD. BEZA.

QVòd autem tot alios priuatim saluere iubet, non tam sanè amicitiæ & familiaritatis causâ fecit, quàm vt, sicut doctissimus interpres diligenter obseruat, Romanis demonstraret illius Ecclesiæ lumina, & quos summo in pretio apud Romanos haberi, tunc deceret.

HAD. SARAVIA.

DOctissimi interpretis admitto interpretationẽ: sed quid indè efficitur aliud, quàm illos, quos Paulus salutat, Romanam suis donis ædificâsse Ecclesiam; & idcircò commendari salutatione Apostolica, vt maior fides & authoritas ipsis conciliaretur? Vlteriùs quod infertur, & intelligi D. Beza vult, nego vlla necessitate consequi. Peregrinos Romæ fuisse, & ad tempus inquilinos, quæ cuiusq; nomini sunt adiecta docẽt.

18. D. THEOD. BEZA.

FRatres autem communi tunc loquendi in Ecclesia more Lucam vocare contentum, nullum prætereà neque ex nomine, neque ex aliqua Euangelistica functione appellâsse, quis meritò miretur?

HAD. SARAVIA.

SI vbique idà Luca factũ esset, qui exactissimus Euangelicæ historiæ scriptor fuit, mihi addubitandi causa nulla esset. Sed cùm videam generali fratrũ nomine, non vbique fuisse contentum, sed adiicere seniores, (sicut apparet ex Actis Apostolicis,) verisimile est Presbyteros generali fratrum nomine non significari. Actorum 15. cap. legitur: *Orta igitur seditione ac disceptatione non exigua Paulo ac Barnabæ aduersùs illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis, ad Apostolos ac Presbyteros Hierosolymã, percontaturi de hac quæstione. Quùm autẽ aduenissent in Hierusalẽ, excepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, ac Presbyteris; & annuntiârunt quæcunq; Deus per ipsos effecerat. Congregati sunt igitur Apostoli & Presbyteri, vt dispicerẽt de hoc negotio.* Et postea v. 23. *Et ista per manus eorũ mittenda scribere: Apostoli, & Presbyteri, & fratres, iis qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia, fratribus qui sunt ex gẽtibus, salutẽ.* Itẽ 21. ca. *Quùm igitur peruenissemus Hierosolymã, libẽter exceperunt nos fratres. Sequenti autẽ die introiit Paulus nobiscum ad Iacobum, & omnes Presbyteri adfuerunt.* At vbi Romam venit, fratrũ tantũ fit mentio, non autẽ Presbyterorũ, Act. 28. cap. 15. v. *Cùm autem veniissemus Romam, Centurio tradidit vinctos præfecto exercituũ: sed permissum est Paulo, vt habitaret seorsim cum milite, qui ipsum custodiret.* Nullã ibi prorsùs factã esse Presbyterorũ mentionẽ, factũ esse casu non puto. Quòd si nihilominùs quis contendat, fratrũ

vbique

vbique vocabulo, contineri Presbyteros; ego non magni facio; modò, quod necesse est, fateatur, ambiguum hoc esse quod non exprimitur; & fieri posse, vt nulli Presbyteri fuerint, vbi nulla fit eorum mentio; non autem vbi fit eorum mentio. In rebus huius generis, quod verisimilius est mihi sequendum esse iudico: si cui contrarium probabilius videatur, sequatur ille suum iudicium, & mihi relinquat meum.

19. D. THEOD. BEZA.

QVod autem scribis, hinc diiudicari posse quis Ecclesiæ Romanæ fuerit status, quasi tunc proprio Pastore & Presbyteris carentis, cùm ad eos Apostolus scriberet, non tantùm id refellitur, tam magnifico testimonio, quod illis reddit Paulus citra vllam adulationis suspicionem Rom. 1. c. 8. v. sed multò etiam manifestiùs refutatur illâ plenissimâ Ecclesiasticarum omnium functionum tum enumeratione, tum distinctione; quas ita describit Rom. 12. 7. & 8. vt non ad illas cõstituendas eos excitet, sed vt iam in illa Ecclesia fungentes, illos ad officium magis ac magis faciendum hortetur.

HAD. SARAVIA.

D. Beza propiùs ad rem controuersam mihi accedere videtur; & magis verisimili argumento à diuersis Spiritus sancti donis sumpto, meam sententiam euertere conari. Frustrà enim Romanos ad officium exhortaretur, si in Romana Ecclesia, dona illa Spiritus sancti, quæ recensetur, nulla fuissent. Sed duobus modis erratur. Primò, quandò hæc dona Spiritus sancti restringuntur ad Ecclesiæ Romanæ ministeria, quæ intelligenda sunt de vniuersali Ecclesia, & ministeriis quæ Deus in ea constituit. Secundò, D. Paulus non de paucis quibusdam Presbyteris Romanæ Ecclesiæ, hoc loco loquitur, sed in vniuersum de omnibus qui in Ecclesia tam Romæ, quàm alibi, aliquo Dei dono excellebant. Seipsum enim & reliquos omnes Christi seruos per vniuersam Ecclesiam dispersos intellexit; quandò ait: *Vt nos habemus multa membra in vno corpore, & omnia non habent idem munus; ita multi sumus vnum corpus in Christo, & vnusquisque est alter alterius membrũ. Cùm itaque dona habeamus diuersa, &c.* quibus verbis seipsum, ac alios qui Romæ non erant, & quos Deus variis donis ornauerat, significauit membra esse illius corporis. Et quandò de Prophetia loquitur, non eam tantùm indicat, quæ Romæ erat, aut esse poterat: sed in vniuersum in omnibus Ecclesiis. Non tamen prophetas, & prophetiæ donum (quocunque modo accipiatur) in illa Ecclesia fuisse nego; sed illi loco addictos, non intelligo Prophetas & Doctores, quorum illic tangitur officium. Quod illic de distributione in simplicitate, & de eo qui miseretur cum hilaritate, dicitur; propria diaconi officia exprimi fateor, & lubens agnosco: & idcircò me ignorare confessus sum, an priùs ab Apostolis, & eorum cooperatoribus fuerint creati diaconi, quàm Presbyteri: & cur mihi verisimilius sit visum, priùs diaconos creatos quàm Presbyteros, non suppressi: quid me mouerit, hîc repetere esset superfluum. Itaq; Romanã Ecclesiam priùs habuisse diaconos, quàm Presbyteros, mihi verisimile est: nec id me negâsse vsquàm memini.

Sed (inquiet aliquis) si ex hoc loco tibi probabile fit, diaconos fuisse in Romana Ecclesia, quandò Paulus hanc scripsit Epistolam; cur non item propriòs rectores? Paulus ibi aperte dicit, Qui præest, præsit cum diligentia. Respondeo, quia id intelligi potest de Prophetis, & Euangelistis, aliisque Apostolorum cooperatoribus, qui Ecclesiis præerant; eásque per vices regebant. Sed quorsùm tota hæc disputatio inter me & D. Bezam? Superflua profectò cuiquam meritò videri potest; nec vsque adeò magni momenti, ad quæstionem præcipuam de qua inter nos controuertitur. Neminem extitisse D. Beza arbitratur, qui putet simul cœpisse, & suis omnibus partibus instructas fuisse Ecclesias, ne Hierosolymâ quidem exceptâ: & illud est quod docere volui, in suis primordiis Ecclesias non habuisse vllos diaconos, vel Presbyteros. In tempore igitur tantùm dissentimus, & parùm idonea exempla citauerim. Interim quæstio nostra hûc recidit. Quamuis initio nec Hierosolymitana, nec Corinthiaca, nec Romana, diaconos & Presbyteros habuerint, num eos tunc habuerint, quando Apostolus suas scripsit Epistolas. Sed D. Beza non secũ consentire videtur; quando contendit Apostolos statim à creatione Presbyterorum & diaconorũ incœpisse fundare Ecclesias.

Nisi esset quoddam hominum genus fanaticum, & ad turbandas Ecclesias à Satana excitatum, qui Ecclesias omnes ad prima illa exordia reuocandas censent, ego hæc

non mouissem. Sed cùm isti non cogitent fuisse tempus, in quo Ecclesiæ, nullos, præter Apostolos eorumque cooperatores, habebant Episcopos, nec habere poterant: malè democraticum, nescio quod, in Ecclesia Christi, regimen somniant, freti exemplis primùm nascentis Ecclesiæ. Contra quos exacta cognitio illorum temporũ perquàm necessaria est; ne temerè quicquam ipsis negetur, aut admittatur, vndè præualeant, & suum errorem obstinatius defendant. Quod fit, quando ipsis negantur concedenda, aut conceduntur neganda.

Quare paucis hîc contraham, quæ de statu Ecclesiarum in illis primis exordiis ex verbo Dei colligo. Primùm, vt Ecclesia congreganda Apostolis & eorum cooperatoribus vniuersaliter commissa est; ita fuit communi studio ab omnibus procuranda: & separatam si quando prouinciam peculiarem suscipiebant, aliarum non ita curam abiiciebant, ac si ad eos nihil pertineret. Atque ita factum est, vt eædem Ecclesiæ à pluribus fundarentur, & visitarentur, tum Apostolis, tum Prophetis, atque Euangelistis, eorumq; cooperatoribus. Quæ res magni momenti fuit, cõfirmandis in Domini fide fidelibus, qui à diuersis eandẽ veritatis Euangelicæ doctrinã audiebant. Quotquot Dei spiritus eximiis donis illustrabat, non vno in loco delitescere sinebat. Vsura talentorũ Domini, pluribus, si non omnibus, cõmunicanda erat Ecclesiis: quæ tunc non tam multitudine frequentes, quàm paucitate propter virtutẽ celebres erant. Ex hac occasione accidit, vt etiam falsi Apostoli & doctores sese insinuârint Ecclesiis, quas erroribus & falsâ doctrinâ corruperunt, & in sectas vnitatẽ Ecclesiæ diuiserunt. Successu temporis vbi diaconis fuit opus vel Presbyteris, & qui Presbyteri & diaconi crearentur, viri idonei inuenti sunt, Apostoli & Euangelistæ Presbyteros & Diaconos constituerunt, qui tantũ vni loco inuigilarẽt. Ipsi generalẽ Ecclesiarum retinebant inspectionẽ, quam & alijs, eximiis virtute viris, dispertiti sunt: sicut à Paulo factum constat ex Epistolis ad Titum, & ad Timotheum. Quos tam viuis, quàm vita defunctis Apostolis, successisse, in Apostolico regimine, atque ita deinceps istis alios successione continua, vsque ad multas ætates, non nisi tergiuersando negari potest.

20. D. THEOD. BEZA.

EPiphanio denique, cuius testimonium profers, facilè assentior, ne Romæ quidem, tunc aliquẽ fuisse Episcopum, qualem ipse imaginatur; id est, non tantùm ordinis, sed etiam gradus: non tamen qua putat ratione; sed quia nulli tunc in Ecclesia Christiana gradus fuerunt; verùm (vt ait Ambrosius, quem etiam testem laudas, in locum Ephes. 4. 11.) quia primi Presbyteri, Episcopi appellabantur, vt recedente vno, sequens ei succederet: quæ aurea producti à te testis verba, nisi vehementer fallor, nostræ præcipuè confirmandæ sententiæ, tuæ vero infirmandæ sufficiunt, si diligenter expendantur.

HAD. SARAVIA.

AB vnius Epiphanij priuata sententia recedere leue puto; sed á tota antiquitate dissentire, grauius esse arbitror, quàm vt cum Beza, aut alio quopiã, contra eam sentire queam. Ipsi veteres patres vsq; ad sua tempora successionem Episcoporũ euoluunt: idque faciunt non tantùm in Romana, sed in Antiochena & Alexandrina cæterisque ab Apostolis fundatis Ecclesiis. In qua successione, tametsi nec puritatẽ fidei, nec sanctitatem maiorum quidquã minoribus adferre priuilegij credam, quo minùs aut ab altero, aut ab vtroq; defecisse queant, absit vt idcirco successionẽ negem. Quis proximè Petrũ sit sequutus controuertitur: & an aliquis sit eum sequutus, cõtrouersum relinquo: sed trium aliquẽ de quibus controuertitur primum fuisse Episcopum certò teneo, à quocunq; fuerit institutus, siue à Petro, siue à Paulo, siue à Barnaba, cui successêre alij. Quod D. Beza se dicit adsentiri Epiphanio, Episcopũ aliquẽ non fuisse Romæ qualem cogitat, nempe qui gradu supra compresbyteros excelleret, ridere Patres hoc est. Agamus seriò. Vndè, obsecro, & à quo didicit D. Beza, Episcopos non fuisse gradu superiores Presbyteris? Hieronymus, quo viro tanquam patrono nititur, id non tradit, qui disertis verbis gradum fatetur. In Epistolâ ad Euagrium ita scribit, *Nam & Alexandriæ à Marco Euangelistâ, vsq; ad Heraclã & Dionysiũ Episcopos, Presbyteri vnũ semper ex se electũ, in celsiore gradu collocatũ Episcopũ nominabant: quomodo si exercitus imperatorẽ faciat.* Hîc audimus gradu superiores esse Presbyteris Episcos. Quæ ratio, quod Dei verbũ mouet D. Bezam, vt non tantùm ab Epiphanio, & cæteris omnibus Patribus,

patribus, sed etiam à Hieronymo dissentiat? Aurea quæ vocat D. Beza Ambrosii verba, & pro se facere autumat; nihil ei patrocinantur. *Nisi vehementer fallor*, ab eo rectè fuit additum: nam eum falli, luce clarius, vbi ad locum venerimus demonstrabimus. Nos igitur huius capitis finem hîc facimus.

HAD. SARAVIA.

De Presbyteris & Episcopis.

CAPVT IX.

PAstores & Doctores Euangelistis Paulus subiungit: an verò duos ordines significare voluerit, an vnũ tantùm, est ambiguum. Quia quisquis Pastor est, idem etiam Doctor sit oportet, sed non cõtrà: fieri enim potest vt quis Doctor sit, qui non est Ecclesiæ alicuius Pastor. Paulus tribus superioribus nominibus Apostolorum, Prophetarum, & Euangelistarum, eos videtur indicâsse qui extraordinariâ, & proximè à Deo habuerunt vocationem, non ab hominibus. Duobus verò istis postremis, Doctoris & Pastoris, (siue eosdem intelligamus, siue diuersos) eos qui ab hominibus fuerunt præpositi Ecclesiis. Episcopi & Presbyteri sunt illi, quos Paulus vocat Pastores, sicut apparet ex 20 ca. Acto. Vbi Paulus Presbyteros quos accersiuerat Ephesо, dicit Episcopos à Deo constitutos ad pascendam Ecclesiam Dei. Quocirca nullum intelligimus Presbyterũ aut Episcopum in Ecclesia Christi, qui non sit Pastor. Presbyteri enim officium est, salubri doctrina pascere gregem Domini. Presbyter Græca vox est, quæ Hebraicè זקן *Zaken respondet, & non solùm ætate seniorem (qui propter ætatẽ venerandus est) significat, sed etiam eum qui in Repub. dignitate & authoritate præstat; estque honoris vocabulum, quo honoratiores, & Magistratus in veteri Testamento nuncupantur: & indè translatum est, vt rectores Ecclesiarũ Christi, in nouo Testamento significet. Episcopi autem dicuntur ab inspectione, & vigili cura, est que nomen operis & laboris: pastor verò munus & officium denotat, & à pascendo grege Domini (vt diximus) doctrinæ cælestis pabulo, ita est appellatus. Sunt præterea plura nomina quibus Ecclesiarum Ministri cõmuniter significãtur, vt* οἰκόνομοι, προϊσταμένοι, προεστῶτες, ἡγούμενοι, κυβερνήσεις, λειτουργοὶ ὑπηρέται διάκονοι. *id est, dispensatores, præsides, antistites, Doctores, gubernationes, ministri. Quorũ exponere vim, & significationis proprietatem, supersedeo: potest id ab alijs peti. Ducam tantùm indè argumenta, prout res, quam tracto, postulabit.*

Horum officium, quamuis ab hominibus ordinentur, diuersum genere ab Apostolico munere non est. Primæ enim partes Pastoris Euangelij sunt docere, exhortari, reprehendere, & veritatis aduersarios conuincere. Deindè, sacramẽtorum administratio ad ipsos non minùs pertinet, quàm ad Apostolos. Postremò, Pastoralis vigilantia non est sine ea censuræ potestate, quam Ecclesiæ ædificatio exigit: succedere etenim (vt verbis Hieronymi vtar) Apostolico gradui. Et alio in loco, Non est facile stare loco Pauli, tenere gradũ Petri, iam cum Christo regnantium.

D. THEOD. BEZA. ad caput 9.

PAulus (inquis) Ephes. 4. 11. Apostolos, Prophetis, & Euangelistas (quibus nominibus videtur eos indicâsse qui proximè à Deo habuerunt vocationem, non ab hominibus) subiicit doctores & Pastores, siue eosdem intelligamus, siue diuersos, eos nimirùm, qui ab hominibus fuerunt Ecclesiis præpositi. Episcopi & Presbyteri sunt illi, quos Paulus vocat Pastores, eodem ipso teste, Act. 20. 28. vbi qui priùs dicti fuerunt Presbyteri, Epheso accersiti, vocantur Episcopi, à Deo constituti, ad pascendã Ecclesiam Dei. Itaque (inquis) nullum intelligimus Episcopum vel Presbyterũ in Ecclesia Christi, qui non sit Pastor, translato ab Hebraeis hoc nomine ad rectores Ecclesiarũ Christi, quo honoratiores, & magistratus in veteri testamento nuncupantur. Et sunt praeterea plura nomina, quibus communiter Ecclesiarũ ministri significantur, vt οἰκόνομοι, προϊστάμενοι, ποιμαίνοντες, ἡγούμενοι, κυβερνήσεις, λειτουργοὶ ὑπηρέται, διάκονοι. Ego verò mallem hæc à te explicatiùs declarata, cùm ex istarum vocum homonymia rectè exposita, pendeat magna ex parte nostræ præcipuæ controuersiæ explicatio.

HAD. SARAVIA.

LEctorem remisi ad græcæ linguæ commentarios, & alios scriptores, qui mihi exactè horum vocabulorum vim, & veras significationes esse interpretati videntur, vt à me nihil addi queat; nisi quòd κυβερνήσεις D. Beza tribuit, quibus minimè dictio illa competit. Alienis autèm meum infarcire librum, & tumidiorem reddere nolui: tantùm tacitè quosdam non infimæ eruditionis viros, ibi admonitos cupiebam; vt ex consideratione horum nominum, eorúmque augusta significatione, discerent quàm futiliter quidam disputauerint, contra dignitatem Episcoporum, & honoris vocabula, quibus compellantur: quia inter proceres regni censeantur, communíque eis honoris nomine apud Anglos *Lord*, vocentur. Quo honore cùm regia maiestas, & regni ordines, Episcopos dignentur; nulli bono displicere debet. Ignorare enim non possunt, summis in republica viris & ducibus, apud græcos, ea nomina tribui. Sed communia ferè cùm sint omnibus Ecclesiæ Pastoribus, cuiuscunque sint ordinis & gradus; nihil ad eorum pleniorem explicationem posse adferre lucis huic argumento credidi. Sed postquam id D. Beza desiderat, ei morem gessissem, nisi ipse me hoc labore leuâsset. Lectorem tamen admoneo, me homonymiam, quæ nos remoretur, in istis vocabulis nullam videre: quòd eadem prorsùs significandi ratione, de Ecclesiarum dicantur pastoribus, cuiuscunque sint gradus vel ordinis. Excellentia maior minorvè homonymiam propriè non facit. Si quam tropus ambiguitatem adfert; facilè tum ex dicendi ratione, tum ex rebus ipsis discutitur.

2. D. THEOD. BEZA.

DIco igitur Presbyterorum & Episcoporum appellatione latiore multò, quàm hîc scribis, plures cõprehendi, nempe ipsos quoque Apostolos, vocante sese ipso Petro συμπρεσβύτερον, 1. Pet. 5. 1. vt hoc nomen dedignaturi non fuerint etiã Euangelistæ. Prophetas autem notum est iam olim TSOPHIM fuisse vocatos. Et Apostolatus ipse dicitur ἐπισκοπὴ, Act. 1. 20. Pastorum autem appellationem, inter quos Christus ἀρχιποίμην dicitur, generalissimam esse liquet. Itaque istos Ephesinos nisi fatearis arctiore significatione dictos fuisse tum Presbyteros, tum Episcopos, concluseris etiam fuisse quoque Apostolos, & Euangelistas, & Prophetas. Neque hanc homonymiã vitaris, eò quòd hinc colligis, nullos Presbyteros agnoscendos, nisi qui docendi munere fungantur: cùm docere vel maximè ipsi quoque Apostoli, Euangelistæ, & prophetæ dicantur.

HAD. SARAVIA.

QVam latè pateat significatio huius vocabuli Presbyter, 23. cap. tractationis meæ apertè docet: & similiter quòd Apostolatus sit quædam Episcope, scio; & inde ipse argumentor. Quorsùm autẽ hæc D. Beza adferat, aut quid inde contra me probare velit, non adsequor. Cogit me D. Beza de ὁμωνυμία aliquid dicere, quod planè à nostro instituto est alienum. Sed quia harum vocum ὁμωνυμίαν pluries inculcat, quæ nulla est; cogor ὁμώνυμα (quod scholæ vocant æquiuocum) definitionẽ hûc adferre. Aristoteles ὁμώνυμα hoc modo definit, *Quorum solum nomen est commune, definitio autem, natura nomini congruens, alia atque alia.* Hæ voces Euangelista, Episcopus, Presbyter, Pastor, & Doctor, aliæque græcæ, quas superiùs citaui, non dicuntur ὁμώνυμως in sacris literis de Ministris diuersorum graduum. Gratia exempli, Petrus & Paulus eadem prorsus significatione dicuntur Euangelistæ, Pastores, Presbyteri, & Doctores, atque Episcopi, quâ illi, qui Euangelistæ sunt, nec tamen Apostoli. Similiter Episcopi, Pastores,

Pastores, & Presbyteri & Doctores, non alia ratione dicuntur, quàm qui sunt inferioris ordinis & gradus, sic nominari solent. Quemadmodùm Romanæ vrbis consul, senator & ciuis erat; ita qui Apostolus est, Euangelista, Propheta, Episcopus, Presbyter, & Doctor nominatur, & est; illa eadem ratione qua alij Euangelistæ dicebantur, & erant Euangelistæ & Prophetæ; & item de reliquis. Ex ciuibus Romanis fiebant senatores, ex senatoribus consules. Quandò Dominus Apostolos creauit, eos quoque Euangelistas, Prophetas, Episcopos, Presbyteros & Doctores creauit. Hoc tantùm discriminis hic notandum est, hæc non meare retrò: non enim qui Doctor est, is etiam Presbyter & Pastor est, aut Propheta aut Euangelista aut Apostolus. Superiores gradus continent in se minores. Sicuti ὁμωνυμία non animaduersa, facilè fallit; sic credita, vbi nulla est, in errorem inducit.

3. D. THEOD. BEZA.

SEd voluisti nimirum Presbyteros illos vt à nobis excogitatos excludere, quos propriè & peculiariter sic appellatos à Pastoribus & Doctoribus ipsis discernimus. Nam (inquis) Presbyteros istos, & eosdem Episcopos Ephesinos dicit Apostolus ad Ecclesiam Domini salubri doctrina pascendam fuisse à Deo constitutos.

HAD. SARAVIA.

SIc est, volui: nec eius me pudet aut pœnitet. Sed quis eos primus excogitauerit, nescio; nec scire curo. Tantùm hæc duo contendo. Primum, temporarios nullos vnquàm ab Apostolis, aut ab eorum probatis successoribus, ab hinc 1520. annis creatos fuisse Presbyteros, multis verbis non est opus vt doceatur. Demonstretur vel ex tota antiquitate vnum exemplum, & ego cedam. Alterum est, administrationem sacramentorum, & Ecclesiasticum regimen censurámque morũ ita coniungi cum verbi ministerio, vt ab eo nequeant separari: non enim vt quisquis doctor est, pastor ẽ eum etiam esse necesse est, & Ecclesiã regere. Nemo idoneus est qui sacramenta ministret, & censuram morũ exerceat, vt soluat & liget, nisi qui verbi Dei Minister est. Hanc nouitatem nobis posse obiici ab aduersariis doleo: quos meritò, quamuis antiquitatem iactent, nouitatis arguimus.

4. D. THEOD. BEZA.

QVasi verò Ecclesiam non pascant etiam doctrinâ Presbyteri, de quibus agimus, Pastoribus & Doctoribus in iudiciis Ecclesiasticis exercendis adiuncti. Imò quid differt illa publica verbi diuini prædicatio Pastorum propria, ab ea quæ in consistoriis exercetur, prout argui, instrui, increpari, vel consolatione iuũare hos & illos oportet, quàm eo, quòd illa est communis cœtui, ista priuatis ad ministerium vocatis propria? quod etiam propriâ quâdam curâ ad Pastores spectat, Ezech. 33. & Act. 20.

HAD. SARAVIA.

NOn me latuit quandò meam tractationem scribebam, quid pascendi verbum, & nomen Pastoris, tam apud prophanos quàm sacros scriptores significaret: & pascere accipi pro regere, Regésque dici Pastores. Sed regere significare docere, aut seniores in censura, aut iudicijs, siue ciuiles, siue Ecclesiasticos docere, & idem facere, quod doctor in diuini verbi prædicatione, nunquàm anteà audiui. Et quandò Paulus requirit in Presbytero, vt aptus sit ad docendũ, illud intellexisse docẽdi nouũ genus in Consistorio, mihi nunquam D. Beza persuadebit: sicut nec illud, quòd pascendi verbũ Paulus tribuerit vnius anni, vel duorũ Presbyteris. Ego certè non ausim constitutionẽ Dei, vnius & alterius anni spatio terminare. Qui donis illis Spiritus sancti est præditus, quæ requiruntur in Presbytero, & legitimè vocatus semel misit manũ ad aratrũ, ei respicere retrò non est integrum. Quo autem verbo Dei, aut quo exemplo possit quis ad vnius anni aut duorum vocari ministeriũ, viderint illi qui hæc defendunt. Mihi tamen nõ tam ipsa res displicet, quã opinionis huius error. Eligi ab Ecclesia viros graues, qui Ecclesiarum Pastores & Presbyteros consilio iuuent, eísque adsint in Ecclesiarum regimine, ad quoduis tempus, nec absurdum, nec alienum à ratione iudico: sed non vt Presbyteri & Pastores Ecclesiarum habeantur, quales per ciuitates constitui Paulus præcipit. Iudicare de Pastoris officio, & de quouis crimine & scandalo, similiter de vera & falsa doctrina, sicut & de iure, potest qui eruditus est: & eo nomine qui tales sunt,

sunt, possunt respondere, & consilium dare; non tamen Ecclesiasticam iurisdictionem suo nomine exercere. Aliæ sunt iudicis partes, aliæ adsessoris, & consiliarij. Si quis me roget, num tales, veri non possint creari Presbyteri, fatebor posse: sed non in vnum tantùm annum. Si Presbyteri, de quibus agimus annui illi, pascunt doctrinâ; nihilque differat, aut parùm, illa publica verbi prædicatio, Pastorum propria, ab ea quæ in Consistoriis exercetur; inter verbi Dei Ministros numerandos dicam. Quod anteà nec ipse Beza, nec alius quispiam fecit, quod sciam. Atque hoc pacto dicam nos verbis consentire: hoc enim est quod disputo, omnes Presbyteros esse verbi Dei ministros. Deindè, quod consequens est, & eos Baptizare, & cœnam Domini celebrare, sicut & disciplinam Ecclesiasticam exercere, posse, inferam: atque ita inter nos tantùm de tempore, & non de re restabit controuersia. De tempore, quòd in annũ non sunt ordinandi. De re, quòd aliud doctrinæ genus, docendíque aliam rationem Apostolus non requirat in Presbytero, quàm statuit D. Beza. Sed nemo mihi vnquàm persuadebit, vt credam.

5. D. THEOD. BEZA.

IMò ponamus non illo generaliore pascendi vocabulo, sed docendi, vsum fuisse Apostolum: ne sic quidem nostri, id est, illi de quibus agimus, Presbyteri fuerint excluſi: nisi fortasse putas morum censuram, & Ecclesiastica illa iudicia non esse doctrinæ sacræ speciem.

HAD. SARAVIA.

QVod D. Beza vltrò mihi concedere videtur, ex ipso historiæ contextu, & cæteris Pauli verbis fit manifestum: nempè pascendi verbum, illìc pro docendi verbo accipi: vt nulla ei hoc nomine à me debeatur gratia. Nam contra graues lupos, qui falsa doctrina gregem Domini discerpturi erant, Ephesinos Episcopos exhortatus est vt pascerent, hoc est, veritate doctrinæ, gregem contra illos lupos armarent. Sed quòd ab hoc docendi genere excluſos annuos Presbyteros non patitur, mirum est, tam leui ratione, tantum virum posse persuaderi: *Nisi fortè putas* (inquit) *morum censuram, & Ecclesiastica illa iudicia non esse doctrinæ sacræ speciem.* Quid igitur? quicquid habet doctrinæ sacræ speciem, ad doctrinam referam; & dicam esse quoddam doctrinæ genus; & inter doctores, & verbi Dei ministros numerabo, quotquot id exhibent? Quid? num illos omnes iurisconsultos dicam, quorum vita iuris ciuilis & legum speciem exhibet? Regum, principum, & magistratuum, ac omnium iudicum officia, imò & honesti & probi ciuis mores, disciplina quædam sunt: & cuiusuis pij viri vita, Christianæ doctrinæ quædam est species. Sed & in sacramentis similitèr, longè efficacior inest doctrina: sed cùm sit altera pars ministerij sacramentorũ administratio, ineptè cum ea confunderetur; ineptiùs cum iurisdictione Ecclesiastica.

Ministerij Presbyterorum tres sunt partes; verbum, sacramenta, & censura morũ: quarum natura hæc est, vt confundi & miscèri non debeant. Itaque quamuis species quædam doctrinæ reluceat in censura morũ, sicut & in sacramentis; doctrina tamen non est, qua præditum esse oportet Ecclesiasticum censorem: Hæc non est illa doctrina, quàm in Presbyteris & Episcopis. Apostolus requirit, 1. ad Timot. 3. cap. 2. & ad Tit. 1. c. 9. quandò vult eos esse *Aptos ad docendum; vt queant exhortari sacra doctrina, & conuincere contradicentes.* Quisquis volet, nullo præiudicio præoccupatus, Epistolas ad Timoth. & Titum legere, & functionem seniorum de quibus disputamus exigere ad illam normam, quæ ab Apostolo præscribitur, inueniet cum ea istos seniores non conuenire. Ante Bezam nemo hoc modo est interpretatus hos locos Pauli ad Tim. & ad Tit. *Vt aptũ esse ad docendum, & vt queat exhortari sana doctrina, & conuincere contradicentes*; sit aptum esse qui in iudiciis Ecclesiasticis Pastoribus sit adiunctus.

6. D. THEOD. BEZA.

Tam fallax est ergo tua hæc demonstratio, quàm tu firmam illam esse existimas.

HAD. SARAVIA.

VT quàm mea demonstratio sit minimè fallax, sed ipsa luce clarior appareat; eam hic repetam. Primæ partes Episcoporum, & Presbyterorum, quos Paulus ad Timoth.

Timoth. & Tit. creari iubet, sunt docere Euangelium, reprehendere vitia, exhortari ad virtutem, & consolari afflictos, tum publicè tum priuatim verbo & doctrina. Et hîc nulla est fallacia; Presbyteri, de quibus loquimur, id non præstant; nec in eum finem creantur: non igitur sunt Presbyteri. Si quis obstinatè cum D. Beza contendat hæc ab istis Presbyteris præstari, vim facit verbis Apostoli. Ex ipsis Epistolis, vera est interpretatio verborum Apostoli petenda. Quod si cui non satis clara apparet, petatur à Patribus, & omnium Ecclesiarum perpetuo vsu: qui si cum hac D. Bezæ interpretatione consentire inueniẽtur, ego lubens veritati cedam, & meam adsertionem tollam, aut mutabo. Si hoc modo interpretari hos Pauli locos liceat, destruetur quidquid tum ab ipso Beza, tum ab aliis piis doctoribus scriptum est, contra mutos Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, & Episcopos; qui ad suum officium non iudicant pertinere, vt publicè populum doceant. Longè aliter Chrysostomus, & Theodoretus διδακτικὸν interpretantur: & idem ipsis significauit quod doctoris vox. Chrysostomi verba hæc sunt in 1. Tim. 5. cap. 17. v. *Postquàm dixerat oportere Episcopum esse hospitalem, mansuetum, irreprehensibilem: istud quoque connumerat, additq; doctorem. Vt quid enim doctor appellatur; nisi vt doceat? sed fortè dices vt philosophiam vitæ doceat exemplo. Friuola hæc sunt: est enim necessarium verborum quoque magisterium: ideò & Paulus ait, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Hæc certè D. Bezæ interpretatio friuola Chrysostomo visa esset; qui Paulum in Presbytero docet in primis requirere vt sit doctor. Quod ab eodẽ confirmatur in Epistola ad Titũ. *Cæterùm* (inquit) *hoc est quod maximè doctorem exprimit, posse scilicet verbis instruere, & cõfutare aduersarios: cuius rei nullam nunc curam habere videmus; atque ingemiscimus.* Possem hûc adferre Oecumenium, & Theophylactum; quos quia collegisse sua ab aliis authoribus constat, & in primis à Chrysostomo, prætereo. Sed Latini græcè non indocti, vt Hieronymus ad Oceanum, quandò hunc Pauli locum citat 1. Tim. 5. διδακτικὸν reddit doctorem, & Ambrosius similiter.

Prætereà, potestas in terris ligandi atque soluendi, peccata remittendi atque retinẽdi, cum ministerio verbi Dei coniuncta est: at illud non committitur annuis nostris Presbyteris; ergo nec ligandi soluendique potestas. Eorundem enim est Ministrorũ, & eiusdem potestatis, diuina mysteria populo fideli distribuere, & ab illis arcere: at Presbyteri isti temporarij non habent potestatem ministrandi sacramenta; Ergo nec ab eis quemquam arcendi. In his meis demonstrationibus, si qua inest fallacia, ignoscat mihi Deus: ego nullam perspicere queo. Ego vereor ne qui volet hæc impugnare, seipsum turpiter fallat; & multis erroribus, vt vnum errorem defendat, implicet.

7. D. THEOD. BEZA.

DOcuerunt enim in Ecclesia Ephesina omnes isti, & Episcopi fuerunt, id est, inspectores illius Ecclesiæ: sed Pastores quidem propriè sic appellati, docendi munus in Ecclesia exercuerunt, vt Pastores, 2. Timoth. 3. 16. Doctores autem vt Doctores, id est, simpliciter verbum Domini explicando: & isti docuerunt in cõmuni totius Ecclesiæ cœtu, & alia pastoribus propria munera publicè & priuatim obierunt. Presbyteri verò isti propriè sic appellati, pauerunt quoque, & docuerunt in Ecclesia, sed vt Pastoribus illis adiuncti, in peculiari morum censura, & eiusmodi Ecclesiastica iurisdictione.

HAD. SARAVIA.

INanis & sophistica est omnis distinctio, & fallaciæ plena, quam quis scriptis siue sacris, siue prophanis inducit, non ab illis desumit. Regula iuris est, Non esse distinguendum, vbi lex non distinguit. Quicquid D. Beza dicat de Ephesinis Episcopis & Presbyteris, extra controuersiã est, eos omnes fuisse eiusdem ordinis: alij non fuêre temporarij, alij perpetui, alij verò Pastores propriè sic appellati, alij Pastores non sic propriè appellati; nec probabile est dissimili modo & ratione pauisse gregem Domini: & non fuisse sibi similes, & quales describit Paulus in Epistolis ad Timoth. & ad Titum. Commenta hæc sunt noua, inaudita, absurda, & indigna D. Bezâ, quæ neque ex Actor. cap. 20. nec ex Epistolis ad Timoth. & Tit. nec ex vllo probato interprete vnquàm docere poterit. Si enim duplex Pastorum, siue Episcoporum, & Presbyterorum genus indè doceri posset, aut consistere cum his locis, euersum est quicquid Hieronymus (quem D. Beza vnicè admiratur propter singularem opinionem, quam habet

bet de Episcopis & Presbyteris) disputat, quondàm eosdem fuisse Episcopos & Presbyteros. Prætereo quæ de discrimine inter Pastorem & Doctorem, D. Beza hoc loco commemorat, tanquàm à præsenti controuersia alienum: nisi fortè mutos Presbyteros inter Doctores numerare velit. Potuisse mihi videtur, pro defensione suæ sententiæ, D. Beza magis verisimilia adferre; nempè Hebraicam dictionem רעה & Græcam ποιμαίνειν, significare regere, atque ita vertisse veterem interpretem: regésque ipsos (sicuti suprà notaui tam in Prophanis quàm sacris literis) pastores dici. 2. Samu. 5. cap. 2. ver. decem tribus Dauidem ita alloquuntur: *Dixit Iehoua tibi, Tu Pasces populũ meum Israelem*, id est, reges. Nihil tamen hæc interpretatio D. Bezæ sententiam iuuaret; quippè quòd ex contextu pareat, Paulum Apostolum de pascendi loqui genere, quandò illud falsis prophetis opponit, quod in doctrina situm est; quod D. Bezam videre non fuit difficile.

8. D. THEOD. BEZA.

PAstores enim illo Pauli loco Ephes. 4. 11. diuersos esse ab iis quos doctores appellat, nec vnam & prorsùs eandem functionem istis nominibus intelligi, quamuis Augustinus aliter alicubi censeat, ego quidé non dubito. Cur enim duplex vnis & isdẽ nomen Apostolus tribueret? & in synagogis Iudæorum distinctam fuisse lectionem legis & prophetarum, quæ per νομικὸς, & νομοῦ διδασκάλους fiebat, ab exhortatoris concionibus, facilè animaduerti potest ex Lucæ 2. 26. Act. 13. 15. & 15. 21. qua ratione manifestè Paulus alibi, nempè Ro. 12. 7. & 8. de conuentibus Christianis non dissimiliter cõstitutis loquens, docentes ab exhortatoribus, & διδασκαλίαν à παρακλήσει manifestè distinguit. Et hûc spectat quæ de prophetantibus copiosissimè dicuntur 1. Cor. 14.

HAD. SARAVIA.

PAstores diuersos esse ab iis, quos Paulus doctores appellat, cum D. Beza sentio; nam doctor quis esse potest, qui Pastor non sit. Pastorem tamen nullum admittunt tùm veteres, tùm huius nostri seculi eruditi & orthodoxi theologi, qui non sit doctor; inter quos, quem nouis istis Presbyteris locũ dare D. Beza queat, ego certè non video. Atqui extra controuersiam est, Presbyteros Epheso accersitos Act. 20. fuisse pastores, ergò etiam doctores. Cætera quæ D. Beza ait, nec iuuant nec labefactant meam de re controuersa sententiam: quamuis manifestè falsum sit discrimen, quod ipse constituit inter docentes & exhortatores, vt ex illis ipsis locis, quos citauit, appareat. Miror quorsùm non vno in loco hanc distinctionem inculcet; nisi fortè quia ipsius est inuentum: & quod vulgò dici solet, φιλότεκνον φύσις, in D. Beza verũ est. Primum quamuis sit aliud docere, aliud exhortari, vtrunque tam Doctor quàm Pastor præstare debet. Proferat exemplum D. Beza ex nouo vel ex veteri Testamento, doctoris, qui tantum docuerit, & non etiam sit exhortatus: aut Pastoris, qui sit exhortatus, & non simul docuerit; sed nullum inueniet. Vnde distinctio hæc vana conuincitur, quæ aliâ methodo doctorem, aliâ pastorem vti vult in Ecclesia. De scholis nihil dico. Seruator noster, Iohannes Baptista, & quotquot eos præcesserunt prophetæ, qui ordinarii sacerdotes non erant, doctorum in Ecclesia obtinebant locum, vsque ad translationem sacerdotij, quandò Pastoralis cura tota ad Apostolos translata est. At illi omnes non tantùm docuerunt legem, sed etiam vitia sunt acerrimè insectati, & ad virtutem & pœnitentiam sunt adhortati populum, quem etiam contra huius vitæ miserias & calamitates sunt cõsolati. *Omnis scriptura diuinitùs inspirata vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia.* 2. *Tim.* 3. *c.* 16. Quæ ratio suadet professorem huius diuinæ scientiæ tantùm vnam partem adsumere, quæ in doctrina versatur? In Actis Apostolorũ Paulus in synagoga Antiochiæ vrbis Pisidiæ, post lectionem legis rogatus fuit ab Archisynagogo, vt si quis esset in ipso sermo exhortationis, diceret: atqui in illo populo Paulus non Pastoris sed doctoris referebat personam. Non enim id tanquàm à Christi Apostolo, sed tanquàm à Iudæo in lege & prophetis benè docto postulatur. Fateor tamẽ maiore cum authoritate pastorem suæ plebis peccata redarguere debere, quàm deceat doctorem.

9. D. THEOD. BEZA.

AD alias autem illas appellationes quod attinet, quibus tu vis Ecclesiarum Ministros fuisse communiter appellatos (etsi maluisti earum significationem ab aliis peti, contentus indè ducere argumẽta prout tuum institutum postulat) vide tamen nè quis callidè id abs te factum existimet, quòd ex illis

illis ipsis vocibus manifestè videatur confirmari nostra sententia de ordine sic in Ecclesia constituendo, vt inter eâdem functione sacrâ fungẽtes, omnis illa gradus ὑπεροχὴ tollatur.

HAD. SARAVIA.

VT igitur hac me suspicione liberem, singularum harũ dictionum interpretationes, tecum suo loco percurram; vt quid in eis insit, quod contrariam sententiam confirmet, & non potiùs euertat, meámque stabiliat, omnes videant.

10. D. THEOD. BEZA.

ΥΠεροχῆς in Ecclesiam inuectione liberè affirmamus primùm oligarchiam, ac mox tyrannidem, duo illa maxima mala, omnem Ecclesiasticam εὐταξίαν, ac tandem ipsam Ecclesiam labefactâsse.

HAD. SARAVIA.

QVod D. Beza liberè adfirmat, nec probat, ego eadem libertate nego. Quamuis negatiuam probare sit arduum, & inter disputandũ adsertionis sit reddenda adfirmanti quidpiam ratio, non item neganti: tamen ne cui temerè id facere videar, aut proteruè; quæ me rationes impellant, vt à tanto viro dissentiã, quæso candidi lectores animum aduertite. Duobus modis fallit hæc D. Bezæ ratio. Primò quia argumẽtatur à non causa tanquam à causa, quando ait ὑπεροχῆς *in Ecclesiam inuectione, liberè affirmamus primùm oligarchiam, ac mox tyrannidem, duo illa maxima mala, omnem Ecclesiasticam* εὐταξίαν, *ac tandẽ ipsam Ecclesiam labefactâsse*: quod perinde est, ac si quis diceret, vini vsum qui primus induxit, is simul ebrietatem, ac innumera illa mala, quæ ab ebrietate proficiscuntur, intulit: aut etiam idem, ac si quis alius argumentaretur, nuptias esse causas adulteriorum, vndè maxima bella, & regnorum euersiones consequutæ sunt. Deinde falsum est quod ab hominibus ait ὑπεροχὴν in Ecclesiam inuectã, & non à Domino, & ipsâ naturâ institutam. ὑπεροχὴν intelligo non immensam illam, quam hominum ambitio & superbia inuexerunt; sed verbo Dei & legibus terminatam; de qua inter nos cõtrouertitur. Qua si homines abutantur, eamq; malis artibus, prauóque affectu ambiant; non res, sed hominis improbitas damnanda est.

Deus in nouo testamento naturæ ordinem, quem ad conseruandam hominum societatem omnes gentes docuit, non sustulit: At certum est nullam societatem subsistere posse, nisi sit qui imperet, & sit qui pareat; non est igitur ordo ille sublatus è Presbyterorum & Episcoporum societate. Non est hodiè magis absurdum Presbyterũ Presbytero, & Episcopum Episcopo, in iis rebus quæ ad societatem illam pertinent, & Ecclesiarum ædificationem, parere & imperare, quàm olim fuit Sacerdotem sacerdoti, & Leuitam Leuitæ. Nam politicũ ordinem Ecclesiasticæ gubernationis ab ipso in veteri lege constitutum, nec improbauit nec reuocauit in nouo testamento. Ille autem plures habebat Sacerdotum principes ex sacerdotibus, & Leuitarum ex Leuitis; qui erant veluti directores officiorum, in templi ministerio, quæ singulis mandata erant, quibus cæteri parebant. Et alius fuit summus Sacerdos, alij erant Sacerdotum Principes: ille vnus erat; hi erant 24. Parem numerum habebant Leuitæ: sicut apparet ex 1. Chron. 23. & 24. cap. Et quandò Principes Sacerdotũ in nouo testamento legimus, non sunt semper intelligendi summi Sacerdotes; sed illi qui 24. sacerdotum societates, quæ per vices templo ministrabant, dirigebant. Idem si fiat, & obseruetur inter Presbyteros & Episcopos, diuina institutio, non humana inuentio censeri debet.

Dominus in Ecclesia sua ὑπεροχὴν constituit, *Quandò ipse dedit alios quidem Apostolos, alios verò prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, &c.* Apostolos superiores fuisse Euangelistis, & reliquis omnibus Ecclesiarum Pastoribus negare, desperatæ cuiusdam esset impudentiæ. Idem de medijs gradibus inter summos Apostolos, & infimi gradus Presbyteros est dicendum. Præterea, esse ὑπεροχὴν in Christi corpore inter membra, Apostolus docuit in Epistolis ad Rom. & ad Corinth. quandò ostendit diuersitatem donorum spiritus sancti, quibus Ecclesiæ membra inter se distinguuntur; & omnibus membris non eandem actionem, non idem ministerium tribuit, aliudque alio nobilius & excellentius esse ostendit. Vnde apparet non tam hominibus iniuriam fieri, quàm ipsi Deo aut imprudentiam exprobrari, aut causam oligarchiæ, & tyrannidis, atque omnis Ecclesiasticæ ataxiæ, tribui.

11. D. BE-

II. D. THEOD. BEZA.

ET vt hoc altiùs exordiamur, nempè ab ipsis Apostolorum, Euangelistarum & Prophetarum appellationibus, negari certè nisi pertinaciter non potest, nullum fuisse Apostolum qui supra coapostolos: nullum Euangelistam qui supra coeuangelistas: nullum Prophetam, qui supra alios symprophetas, vllum potestatis, ac multò minùs dominationis aut imperij ius affectârit, nedum vt habuerit.

HAD. SARAVIA.

NEgari certè nisi pertinaciter non potest, ab eo qui fatetur Apostolos & Euangelistas præcipiendi potestatem habuisse cæteris Ecclesiarum Presbyteris & Episcopis; Ministros Euangelij supra alios Euangelij Ministros fuisse constitutos, & ὑπεροχὴν in Ecclesia ab ipsis Apostolis incepisse. Quod Apostolos attinet, electi non erant vt simul eodem loco, hoc est in eodem regno, vel in eadem prouincia, post adscensionem Domini viuerent; sed vt in omnes totius vniuersi orbis oras irent, prædicaturi Euangelium: vt vicarius nullus Christi, qui tam remotos ab inuicem regeret, præter Spiritum sanctum, dari potuerit. Quamdiu in terris Dominus conuersabatur, ipse collegio præfuit: post ipsius adscensionem, & post missum Spiritum sanctum; quamdiù simul vixerunt Hierosolymis, collegium illud 12. virorum credere non habuisse præsidem, ab omni ratione est alienum, & contra historiam sacram, & veterum sententiam, qui Petrum tum coryphæum, tum os, tum primum, tum antistitem, tum principem Apostolorum vocant. Non quòd censuerint imperium exercuisse in collegas: sed quòd in conuentu Apostolorum, quid faciendum esset, proponeret, & actiones dirigeret: sicut factum legimus Actor. ca. 2. Euangelistas fuisse inferiores Apostolis constat: & cum nec ipsi ordinati fuerint vt simul viuerent, & collegium constituerent, non mirum si collegis suis nemo præfectus fuerit. Nullum autē Prophetam fuisse, qui supra alios symprophetas præfectus fuerit, in veteri testamento, falsum est, quùm Samuel legatur 1. Reg. 19. cap. 20. præfectus Prophetis qui in Naioth, in Rama simul viuebant. Idem de Helia, & Helisæo, in tertio & quarto lib. Regum legitur. Prophetæ tamen tam veteris quàm noui testamenti, sub nullius præfectura, quod prophetandi munus attinet, nisi Spiritus sancti fuêre. Præfectura illa societatis prophetarum, humanarum actionum in illo conuentu directrix & moderatrix erat: quæ non minùs necessaria in nouo testamento est, quàm fuit olim in veteri, si aut Apostolos, aut Euangelistas, aut Prophetas noui testamenti simul viuere contigisset.

Sed D. Beza nostram quæstionem, quæ est, Num Euangelij Minister supra alium Euangelij ministrum, ordinatione diuina non fuerit constitutus, transfert ad Apostolos, & Euangelistas, aliósque cooperatores eorum: quos constat supra Ecclesias & Ecclesiarum Ministros fuisse constitutos; & eorum exemplum non respondere quæstioni ait: vúltque demonstrari Apostolum imperâsse Apostolis, aut Euangelistam Euangelistæ: aliâs nihil esse demonstratum putat: quasi Paulus & Barnabas, Timotheus & Titus, Ministri Euangelij non fuerint; qui dum probantur præfuisse Ecclesiis, & Ecclesiarum Pastoribus, probatur Pastor præfuisse Pastori, & Doctor Doctori. Quēadmodum sub summo Sacerdote, viginti quatuor principes Sacerdotum, & totidem Leuitarū, regebant collegas suæ tribus; ita sub Apostolis Presbyteri & Episcopi, quales fuerunt Titus & Timotheus, præfuerunt suis fratribus & compresbyteris in ministerio Ecclesiæ. Quòd si neganti Sacerdotem habuisse imperium in Sacerdotem, & Leuitam in Leuitam, authoritas illorum viginti quatuor principum Sacerdotum in collegas suæ sortis opponeretur; is profecto se ridiculum exhiberet, & obstinatū propositi sui defensorem, qui, tam aperta demonstratione reiecta, nihil probatū diceret; nisi quis demonstraret quempiam ex 24. illis principibus sacerdotum, cæteris eiusdem ordinis imperâsse: Sic quandò, vt docerem inter Euangelij Ministros esse inæqualitatem, & esse quosdam Domini ordinatione constitutos, qui imperarent reliquis, allegaui Apostolos & eorum cooperatores Euangelistas; quos cōstat, constitutos à Domino vt præessent Ecclesijs, & Ecclesiarū Pastoribus, eodem modo tergiuersatur qui nihil probatum dicit, nisi demonstretur in Apostolum Apostolo, & in Euangelistam Euangelistæ authoritatem esse datam.

12. D. Theod. Beza.

NAm ab Apostolis quidem fuisse missos Euangelistas, (illorum enim septuaginta discipulorum fabulosum à Domini ascensione Missionem ἄμεσον, nihil mordr: & quòd postea sint Euangelistæ dicti quatuor illi Euangelicæ historiæ scriptores) & illis muneris sui fines præscriptos esse, & quos miserant, quoties expediebat, reuocâsse, ac proinde potestatem in illos habuisse legimus.

Had. Saravia.

VBi legerit D. Beza missos fuisse ab Apostolis Euangelistas, quales fuerunt, Philippus & Barnabas, & 70 illi, quos, velit nolit D. Beza, immediatè ad prædicandum Euangelium Dominus misit, & ab illis muneris sui fines præscriptos; & quos miserant quoties expediebat reuocâsse, vellem adnotasset: nam contraria exempla proferre licet. Quamuis enim eo modò, quo ab Apostolis Apostoli, vel etiam ab Ecclesia 70. illi Euangelistæ mitti potuerint; ab illis muneris eorũ fines non potuêre præscribi. Petrus & Iohannes missi leguntur ad Samaritanos; & Paulus & Barnabas ab aliis Prophetis & Doctoribus qui erant Antiochiæ; sed licuit hos reuocãdi aut præscribẽdi muneris fines mittentibus nulla fuit potestas; ita nec Euangelistæ, quales fuerunt Philippus & Barnabas, reliquique 70 discipuli, potuêre reuocari, ab ijs qui mandante spiritu Dei, eos fortè aliquò miserant. Philippus Euangelista mitti ab Apostolis ad Samaritanos potuit; sed nihil opus fuit: sicut nec ad Eunuchũ: ad quẽ à Deo per angelum adductus legitur, & in Azotũ postea fuit translatus. Barnabas sicut & Paulus, quò Dominus eum misit, & ipsius direxit spiritus, eò prædicatum Euangelium est profectus: non semper quò ab Apostolis fuit missus. Titi verò & Timothei non eadẽ fuit authoritas: missi quidẽ & reuocati isti, & quotquot fuêre eiusdẽ ordinis, Apostolorũ cooperatores leguntur. Vnde apertè liquere potest, eis quorũ mentes nullũ præoccupat præiudicium, quàm fabulosa sit ἄμεσος 70 discipul. vocatio: qui quũ non fuerint Apostoli, commodiori nec aptiori vllo vocabulo significaueris, quàm Euangelistarum. Qui tametsi missi ab Apostolis legerentur, vt nonnulli eiusdẽ ordinis fuêre Antiochiã Ierosolymis; non magis arguit non habuisse ἄμεσον ab ipso Domino vocationem, quàm Petrum & Iohannem, qui à collegio Apostolorum missi fuisse leguntur Samariam.

13. D. Theod. Beza.

AD Prophetas autem illos κατ' ἀποκάλυψιν loquentes quod attinet, quum per illos extra ordinem loqueretur Dominus, nec omnia singulis prophetico spiritu præditis patefaceret, ipsos etiam Apostolos, quamuis & ipsos prophetico spiritu abundantissimè præditos; tamen prophetis ea, quæ ipsi ignorabant, annuntiantibus paruisse & parere debuisse liquet: nedum vt Apostolatus in sese & per se fuerit prophetiæ dono & functione superior. Sic Aaronicos sacerdotes reprehendere, arguere, imò Dei decreta aduersùs illos pronuntiare, iussi sunt prophetæ Domini: nec impunè tulerunt qui illos contempserunt. Sic à prophetis admoniti Antiochenì Pastores & Doctores Barnabam & Paulum dimiserunt; & quidem addita manuum impositione, Actor. 13. cap. 2. & 3. vers. ad legationem inter gentes ipsis commissam obeundam.

Had. Saravia.

IN veteri populo simul cum veris Prophetis, surrexêre sæpè falsi, de quibus summi sacerdotes iudicabant: qui quandò peruersi fuerunt, falsos Prophetas prætulerunt, & veros persecuti sunt. Pij verò cũ spiritu Prophetico destituti non essent, bonis prophetis paruêre, & eos admirati sunt, reiectis malis. In nouo testamento, cùm, similiter vt olim, Satan falsos Doctores & Prophetas suscitauerit, Apostolicus spiritus, discretionem habuit infallibilem spirituum, qui fuit veluti quidam Iydius lapis examinandis probandisq; Prophetiis, & Prophetis: & eatenùs profectò Apostolatus superior fuit Prophetis (inquam) suæ ætatis; cui vt interdum parùit, etiam non parere liberũ fuit. Hinc & in hoc maior fuit Apostolatus sacerdotio Aaronico. Agabo aliisque Prophetis, qui Paulũ deterrebant ab itinere Ierosolymitano, non obtẽperauit, quòd authore spiritu sancto illud susceperisset: sicut ipse D. Beza fateretur, quandò subiungit.

19. D. Theod. Beza.

SIc Ecclesiæ omnes particulares, per quas Apostolus, in illa vltima sua ad Hierosolymitanos profectione, transibat, illum ne vlteriùs progrederetur deborantæ sunt, in quibus etiã erat Agabus Propheta: & tamen ille testi coelesti spiritus sancti monitu hoc iter susceperisse, ipsius voluntati sunt obsequuti, qui alioqui absolui à pernanis non posset. Act. 20. 22. Act. 21. 4. 12. & 14.

HAD. SARAVIA.

ALium quemuis, qui Apostolus non fuisset & Propheta, diuertere à proposito debuissent tot Ecclesiarum dehortationes.

15. D. THEOD. BEZA.

NOn negamus igitur (quod antè à quoque monui) imparitatē inter ipsas sacras functiones fuisse, & esse: quamuis illæ, de quibus modò dixi, desierint, sicut suo loco demonstrabo: sed hoc tantū dicimus, & ex verbo Dei contendimus, non in Apostolico consessu, non inter Euangelistas, non inter prophetas vllum fuisse superiorem alicuius vel Apostoli, vel Euangelistæ, vel Prophetæ, supra suos collegas gradum.

HAD. SARAVIA.

INanis est contentio rei minimè controuersæ: Nusquam adserui Apostolum superiorem Apostolo, aut Euangelistam Euangelistæ, quia non vt simul viuerent, & vt simul conuenirent deliberaturi de communi Ecclesiarum salute, instituti fuerant. Tamen quamdiu simul vixerunt Hierosolymis, aut conuenire potuerunt, præsidem aliquem in illo consessu fuisse, negare, est ordinem rerum & consessuum perturbare, & insanire. Idem de Prophetis dico, quicunque simul vixerunt, præsidem & præfectum totius collegij habuisse; quem tanquàm patrem cæteri obseruabant. Cæterùm quòd se demonstraturū D. Beza promittit, desiisse functiones Apostolicas, nunquàm præstabit: quippè qui ea, quæ tantùm sunt functionum parerga, pro ipsis functionibus accipit. Sed id suo loco videbimus.

16. D. THEOD. BEZA.

HOc autem verum esse multò etiam apertiùs confirmant cæteræ illæ Ministris Ecclesiæ communes appellationes. Nec enim Pastores aliorum Pastorum, sed ouium: neque Doctores aliorum doctorum sed discipulorum: nec Presbyteri siue seniores suorum sympresbyterorum, id est conseniorū, sed eorum quos regebant respectu sunt appellati, vt eiusmodi Relatorum natura testatur. Et ridiculū est commentum eorum qui agnorum appellatione, quorum pascendorum onus Dominus Petro imponit; Apostolos intellexerunt ab ouibus distinctos.

HAD. SARAVIA.

SI communes Ministris appellationes, gradus & ordinis diuersitatem tollunt; probauerit ea ratione, Presbyteris & Pastoribus Apostolos non fuisse superiores. Apostoli & Euangelistæ, quales fuêre, quod docendi munus attinet, Petrus, Iohannes, Paulus, Barnabas, Philippus & Silas, tantùm fuerunt Pastores & Doctores: sed Titus & Timotheus alijque plures, fuêre simul discipuli & Magistri. Vnde fit consequens, Apostolos, Euangelistas, & Prophetas fuisse Pastores Pastorū, & Doctores Doctorum. Istæ voces Doctor, Pastor, & Episcopus, relationem habent ad opus vnumquodque suū, Doctoris ad doctrinam, Episcopi ad vigilantiam, & Pastoris ad eum quem pascit gregem, cui & præest. Presbyteri vel senioris nomen, non ad opus, non ad gregem, sed ad ætatem, aut ad dignitatem refertur: estque honoris vocabulū. Sed parui momenti hæc sunt; nec ex ijs quicquam demonstratur, quod ad controuersiam pertinet. Nihil illud commentum papisticum ad nos pertinet: tametsi in eo erret Beza.

17. D. THEOD. BEZA.

ET vt accedamus ad illa abs te proposita nomina; Oeconomi, non coœconomorum, sed familiæ respectu appellantur.

HAD. SARAVIA.

IN expositione harum vocum, quam me præteriisse culpauit D. Beza; quasi in illis aliquid arcani lateret, sententiæ meæ contrarium; eximiæ alicuius & rarę interpretationis expectatione meum animum suspenderat, quæ nostram controuersiam dirimeret, aut saltem valdè meam sententiam labefactaret: sed præter verborū strepitum lector nihil inueniet. Oeconomi non coœconomorum (inquit) sed familiæ respectu appellantur: concludat ergo, nec Presbyter Presbytero, nec Episcopus Episcopo superior est. Sed eadem ratione inferre licet, Apostolos Presbyteris & Episcopis non fuisse maiores; quia & ipsi fuerūt œconomi. Oeconomus ad duo refertur: primò ad rē familiarem, ipsi-

ipsiúsque vtilem administrationem: deindè ad homines; nempè ad domesticos & familiares, qui subsunt imperio œconomi. Inde traducta translatio est ad eos, quos Deus domui suæ præfecit: quod nomen generale est, & tam ad Apostolos pertinet, quàm ad alios Ecclesiæ ministros. Prioris relationis respectu, Presbyterorum nouo generi, qua ratione possit accommodari, non video: vtpotè qui mysteriorum Dei dispensatores non sint, & ea ratione œconomos non esse œconomorum, D. Bezæ facilè adsentior. Sed hoc aduersùs me nihil concludit. Cæterùm quandò nomẽ œconomi familiares & domesticos omnis ætatis, generis & functionis respicit, quibus sub patre familias imperat; quo modo œconomus non possit œconomorum dici, non intelligo. Fuit D. Paulus œconomus, fuit & Timotheus, fuit & Titus, quorum respectu tam fuit œconomus Paulus, quam plebis, quæ Christo nomen dederat. Præterea, malè administrabitur magna familia, quæ plures habebit œconomos eiusdem potestatis & authoritatis, nisi ab vno dirigantur, & vni subsint.

18. D. THEOD. BEZA.

Προϊσταμένους autem & προεστῶτας, id est, antistites, siue, vt loqui solet Tertullianus, præpositos.

HAD. SARAVIA.

QVamuis hæ voces non tantùm ad personas, sed etiam ad res relationẽ habeant; de iis tamen D. Beza dicere non potest, vt dixit de œconomis, præpositum vel præfectum nullum dici esse præposito: quia quandò hac voce Paulus vsus est, ad homines respexit, 1. Thes. 5. cap. 12. ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς ἀδελφοὶ, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ: *Rogamus autem vos fratres, vt agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino*: Quandoquidem notum est illis præpositis præpositos fuisse Apostolos & Euangelistas. Nihil igitur D. Beza contra me concludit, sicut nec ex significatione dictionis ἡγούμενος, quandò subiungit.

19. D. THEOD. BEZA.

ITidémque ἡγουμένους (qua voce ter vtitur Apostolus Heb. 13. id est, ductores, quod vocabulum expresè Christus interpretatur Iohan. 10. 4.) nusquàm, nisi me fallit memoria, in scriptis Apostolicis inuenies, Ecclesiæ Ministros vocari, alio, quàm gregis ipsis commissi, respectu.

HAD. SARAVIA.

HΓούμενος vox castrensis & politica est; quæ idem significat quod ἡγέμονα εἶναι: & de publica persona dicitur; quæ aut in ciuitate, aut in castris præest: & respondet Hebraicæ voci נשיא id est, princeps, dux, præsul, antistes: quo nomine princeps populi, vt ait Pagninus, significatur; quòd *populus in principem, in omnibus negotiis intendat*: vel vt Mercerius, Cheuallerius & Barthramus addiderunt: *quòd populo antecellat, vel eum præcedat, idq; tam in Ecclesiasticis, quàm in ciuilibus rebus.* Quæ certè vox, præterquam quod honoris & potestatis est, vnius est, non plurium, in quouis cœtu, turmavè: si plures sint, ὑποθυμήλους esse oportet. Expositio ex 10. c. Iohan. petita, nihil de dignitate significationis huius vocabuli minuit, nec meæ sententiæ aduersatur. Annotatio D. Bezæ in 17. versum 13. cap. ad Hæbræos mihi non probatur, in qua *nomẽ ab Apostolo quæsitum esse* scribit, *ab omni prorsùs ambitione remotum, & tamen authoritatis maximæ, si quis suo munere sanctissimè defungatur: sic enim eos appellat qui alibi Episcopi vocantur, augustiore significatione, à quibus citra tyrannicũ illum gradũ Episcopalem, Ecclesiæ Apostolicæ, ignotum, Ecclesia ex verbo Domini gubernabatur.* Cur hanc cõmentationem non probem, ratio mea hæc est. Primò, quòd in nominibus nihil insit ambitionis, si sit modestus cui tribuantur, eique competant. Deindè, quòd authoritatis vocabula, etiam sint honoris. Præterea, quòd ait Episcopi voce augustioris significationis esse ἡγέμενος vocabulum authoritatis maximæ, non conuenit cum eo, quod ait à Paulo quæsitum vocabulum ab omni prorsùs ambitione remotum: cùm apud ambitiosos huius generis vocabula sint quoque ambitiosa. Episcopi vox significationis est laboris & vigiliæ, non præcipui honoris; nisi vsu & consuetudine. De tyrannico Episcoporum gradu dicemus suo loco.

Sed nec hoc prætermittere possum quod D. Beza in hunc versum annotauit, in vltima editione super hac eadem dictione. *Videtur autem*, inquit, *ex eo quoque quòd Paulus vtitur plurali numero, intelligi meritò posse, nondum illo tempore gradum illum Episcopalem fuisse in Ecclesia inuectum: à quo certè Satan illam suam oligarchiam auspicatus est, quæ in tyrannidem illam antichristianã euasit; & nunc quoque Ecclesiæ instaurationem impedit.* Annotatio certè tantæ eruditionis viro indigna: non enim ex plurali numero huius dictionis, magis infertur Ecclesias singulas plures Episcopos ἡγουμένους habuisse, quàm ex cap. 5. ad Eph. 22. vxores habuisse plures maritos; quia Paulus ibi adhortatur mulieres, vt sint subiectæ viris suis: & similiter maritos, plures habuisse vxores; quia iubet maritos diligere suas vxores, multitudinis numero; aut etiam seruos habuisse plures Dominos. *Vxores* (inquit) *propriis viris subiectæ estote, vt domino: viri diligite vxores vestras*, & 6. ca. 5. v. *Serui auscultate iis qui vestri Domini sunt, secundùm carnem, &c.* Eadem pluribus in locis loquendi forma inuenitur: est familiaris illa numeri enallage omnibus scriptoribus; præsertim quandò ad multitudinem sermo dirigitur, & ad singulos de singulis pluralitatis dicta numero accipiuntur. Quãuis vni genti hæc scripta sit ad Hæbræos Epistola; non tamẽ vni Ecclesiæ, sed diuersis quæ in diuersis locis peculiares habuêre ἡγουμένους, videlicet quæque suum. Prætereâ cùm Presbyteri plures simul cum vno Episcopo præessent; Ecclesiæ ἡγούμενοι ratione officij sui etiã omnes dici potuerunt. Hinc quàm nihil cõtra Episcopos Beza concludat, lector videre potest. Et hæc de dictione ἡγουμένῳ dicta sufficiant: ex qua verè nihil conficitur, quod vel in minimo sententiæ meæ de nouis & temporariis Presbyteris, & Episcopalis dignitatis eminentiore gradu, rationes & fundamenta conuellat.

Quod D. Beza prætereà addit, nusquàm, nisi gregis respectu, Ecclesiæ Ministros ductores, vel ἡγουμένους dici, non intelligo. Quid hoc ad rem? Apostolos vocari posse vtriúsque respectu, tam gregis, quàm eorum qui gregibus præerant, ἡγουμένους, nemo mihi, credo, negaturus est. Dux totius exercitus omnium aliorum ductorum quoque dux est.

20. D. THEOD. BEZA.

SEd & Episcoporum appellationis eandem esse rationem manifestè declarant illa ipsa Apostoli verba, Actor. 20. 28. quæ aduersùm nos citâsti: ac proindè periculosâ, quod mox experta est Ecclesia, consuetudine factum, vt πρεσβύτων, & ἐπισκόπων appellatio ad eos sit traducta, qui non vt gradu eminentiores, sed duntaxat vt ordine primi, consessui suorum collegarum præerant.

HAD. SARAVIA.

GRegis respectu dici Episcopos non inficior; tamen cùm Apostolatus sit Episcope, ita restringi ad gregem non debet exclusis Pastoribus, qui gregi præsunt, vt vero sensu Apostolus Episcopus Episcoporum non possit dici: vtpotè qui in parte censeantur gregis ipsi commissi. Quæ locutio quia nusquàm in verbo Dei extat, & falsum potest habere sensum, quamuis apud patres interdum inueniatur, vitanda est. Cyprianus, & Gregorius magnus eam improbant. Ratio, meo iudicio, hæc est: quia Apostoli non præfuerunt Episcopis & Pastoribus, ea ratione qua ipsi præsunt suis gregibus. Episcopi & Presbyter cõstituti sunt, vt statis diebus & locis doceant populũ, eiq; sacramenta ministrent: & tam circa singulos, quàm circa vniuersos, boni Pastoris fũgantur officio: & tanquàm milites in statione collocati, indè non discedant. Apostolus verò nulli loco aut genti fuit alligatus, & vt præter hæc, quæ diximus de Presbyteris, videat & curet ab Episcopis & Presbyteris fieri, quæ ipse præstaret, si præsens adesse posset, non vt illa eadem præstet erga eos, quæ ipsi populo: & quamuis ipsi doceantur, alia ratione docentur quàm populus docetur. Docuere Apostoli Episcopos quomodò Episcopus se erga Deũ & suũ gregẽ habere debeat; & populũ quomodò populus se gerere debeat erga Deum et erga suũ Episcopũ. Quocirca quemadmodum Episcopus est gregis Episcopus & Pastor, ita Apostolus est & gregis & Episcopi Pastor & Episcopus. Et Presbyteri quotquot in vna aliqua diœcesi sub Episcopo viuunt, in parte gregis censendos esse, non magis est absurdum, quàm Geneuæ aut alibi temporarios seniores, aut aliarum Ecclesiarum exules verbi Dei Ministros.

Quod D. Beza ait pernitioso exemplo Ecclesiã esse expertam, vt πρεσβύτων & ἐπισκόπων appellatio traducta sit ad eos, qui non vt gradu eminẽtiores, sed duntaxat ordine con-

consessui suorum collegarum præerant, dicit quidem suo more D. Beza, & sæpiùs inculcat, sed nusquàm id probat. Accipimus autem quod nobis dat, ordine aliquem fuisse primum, qui consessui præerat; qui mos si saltem retentus fuisset, verisimilè magis colorem sententia D. Bezæ haberet. Sed cùm ille primatus quoque sublatus sit, & vt ille qui authoritatis est eludatur, tantummodò admittitur, nihil relinquitur, quo innouatio priscis incognita patribus, excusetur. Sed vellem lectores, imò ipsum D. Bezam, oculos & mentem sedato animo paululùm conuertere in consessum seniorũ nostri temporis, & intueri Pastorem virum doctum, verbi Dei ministrum, & mysteriorum Dei verum œconomum, cui vocationem suam deserere nunquàm licet, præsidentem inter vnius anni Presbyteros, homines lucris sitis & priuatis rebus magis intentos, quàm Ecclesiæ: & mihi coram Deo in conscientia respondere, num ille præses sit primus tantùm ordine in illo cœtu, & non etiam gradu emineat supra illos seniores: vtpotè Doctor, & Pastor illorum qui superior eatenùs illis negari non potest. Vnde conficitur, velit nolit Beza, duos eos habere Presbyterorum, vel Episcoporum, atque Pastorum gradus. At in gubernatione sunt pares. De ea videbimus: modò hoc stet, duos gradus Presbyterorum & Pastorum reformatas habere Ecclesias; Vnde Pastores & Episcopos esse Pastorum & Episcoporum cõsequitur. Quibus hic ordo placet tanquam diuinus, cùm tamen sit nouus & humanus, priscæ antiquitati incognitus, qua fronte insultare audent omnibus Ecclesiis, quæ ab Apostolorum temporibus, vsque ad nostra tempora fuerunt, quòd inter Presbyteros perpetuo ministerio Ecclesiæ deuotos duos gradus retineant? Hoc loco plura non addam. De gradu eminentiore Episcoporum, quis sit statim videbimus.

21. D. THEOD. BEZA.

Ὑπήρεται verò dicti sunt omnes in agro Domini publici operarij, interdum quidem generalitèr, vt 1. Cor. 4. 1. Itidémque diaconi appellati sunt, partim, & præcipuè communis ipsius Domini nostri Iesu Christi, à quo missi sunt, respectu. Math. 9. vers. 38. partim quoad ipsas oues, quibus sic præsunt, vt omnem operam procurandæ illarum saluti impendant, & siquidem fidi serui sint, ipsius Domini exemplum imitentur Ioh. 13. 15. verborum ipsius memores Mar. 9. 35. Sed qui peculiariter diaconi vocati sunt, hanc appellationem à mensarum Ministerio sumpserunt, nec fuerunt vnquàm Presbyteri, vel Pastores, vel Doctores vocati.

HAD. SARAVIA.

Hic D. Beza nihil adfert quod mihi aduersetur, nisi quod ait diaconos peculiariter sic vocatos, non fuisse Presbyteros, nec Pastores vocatos: quod nec à me, nec ab aliquo dictum puto: hoc enim non controuertitur, sed num nullæ docendi populum partes commissæ fuerint diaconis, & docere populum non possint, suo loco diximus, & ea repeti hîc, nihil opus est.

22. D. THEOD. BEZA.

Κυβερνήσεων denique, id est κυβερνητῶν nomen, nusquàm inuenies sacris ministris communiter, vt tu scribis, attributum; sed iis demùm proprium, qui distinctè ab aliis sacris functionibus, tum temporariis, tum perpetuis discernuntur, vt 1. Cor. 12. 28. & peculiari quoque ratione ab aliis illis itidem distincti, προϊσταμένοι appellantur, Rom. 12. 8. & Presbyteri, id est, seniores (nomine Hæbreis idem atque Græcis κυβερνῆται, Latinis gubernatores sonante) dicti sunt 1. Timot. 5. 12. & hi sunt quorum functionem tu quidem vt nouam & inauditam oppugnas, nos vt Apostolicam in Ecclesia restituendam contendimus.

HAD. SARAVIA.

Κυβερνήτης & κυβέρνησις nautica sunt vocabula, quæ propriè idẽ significant, quod ναύκληρος & ναυκληρία: priori respondet Hebraica dictio חבר qua voce Ezechiel cap. vicesimo septimo vtitur, quando euersionẽ prædicit Tyri, & quæ calamitas maneret illius regni reges, & principes, quos eleganti metaphora vocat remiges & gubernatores. κυβέρνησις, semel tantùm inuenitur in toto nouo testamento 1. Cor. ca. 12. κυβερνήτης verò nusquàm, nisi in propria significatione; idque bis Act. c. 27. ver. 10. & Apoc. c. 18. v. 17. sicubi in biblijs Græcis occurrat; nusquàm Presbyterum, aut Ecclesiæ præpositum significat. Quando hanc vocem inter cæteras recensui, quibus promiscuè Ministri Ecclesiarum, eorúmque ministeria significantur; non ex crebri vsus dictionis aliqua obseruatione factum à me id est; sed propter eius significationẽ, quæ

augustior mihi visa est, latiúsque patere, quàm vt restringi debeat ad significandum infimum ordinem Presbyterorum; eorúmque, qui non fuerunt ætate Apostolorum, nec vllis, quæ sequuta sunt seculis, vsque ad nostra tempora, officium.

Itaque κυβερνήσεις vocabulo iudicaui significari quosuis Ecclesiarum rectores; regendique donum. Quod si strictior significatio huius vocis videatur, non admodùm repugnabo; modò concedatur per antonomasiam Paulum significâsse eos in primis, quos Dominus præfecerat vniuersalis Ecclesiæ suæ regimini; in quibus illud donum excelluisse oportet; qui constituti totius orbis fuêre iudices & censores: & secundùm illos, in aliis omnibus qui Ecclesiis regendis præficiuntur aliquo modò inesse debet. Quod Spiritus sancti donum cùm sit rarum, & longè excellentissimum, ego cuiuis è vulgo vulgare facere non possum. De hoc dono Nazianzenus in Apologetico scribit, quòd ipsi videatur, τέχνη τὶς τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν ἄνθρωπον ἄγειν, τὸ πολυτροπώτατον τῶν ζώων καὶ ποικιλώτατον. id est, Ars artium, & scientia scientiarum est, hominem regere omnium animantium versutissimum, ac moribus maximè varium: & in alio loco eiusdem orationis, Ἀνθρώπῳ δὲ χαλεπὸς ὄντος τοῦ ἐλεύσεσθαι ἄρχεσθαι, κινδυνεύει πολλῷ χαλεπώτερον εἶναι τὸ ἐλεύσεσθαι ἄρχειν ἀνθρώπων, καὶ μάλιστα δὴ ἀρχὴν τοιαύτην τὴν ἡμετέραν, τὴν ἐννόμῳ θείᾳ καὶ πρὸς θεὸν ἄγουσαν. At verò homini cùm difficile sit parêre, tum longe difficilius esse videtur, nôsse hominibus imperare: & præsertim hoc nostro imperio, quod in lege diuina versatur, & ad Deum euehit. Multa dicit D. Beza, sed nullam adfert rationem, nullam neque ex verbo Dei, neque ex patribus authoritatem, quâ suæ adsertionis fidem faciat. Recta docendi methodus hæc est; vt perspicuis & claris testimoniis obscuriora doceantur: & per ea quæ minimè controuersa sunt, ea de quibus controuertitur, demonstrentur.

Nostra controuersia est, num is qui non est aptus ad docendum, vt possit exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes conuincere, censeri debeat habere donum gubernandæ Ecclesiæ, & idoneus esse, qui Ecclesiæ ἡγούμενος, προϊστάμενος vel κυβερνήτης, & πρεσβύτερος constituatur: & si hæc dona habeat; an sit in vnum annũ vel duos eligendus senior. Altera controuersia est; num hodiè superior gradus inter Ecclesiarum Pastores & Presbyteros, sit, fuerítque ab Apostolorũ temporibus, illis mortuis, sublatus. Quæ controuersiæ quo modo possint decidi, vel ex hoc Pauli loco ad Rom. cap. 12. vers. 8. *Qui præest cum diligentia*; vel ex 1. Cor. 12. v. 28. *deindè constituit potestates, deindè dona sanationum, opitulationes, gubernationes, &c.* vel etiam ex vllo eorũ nominum, aut omnibus simul, quibus significari dixi promiscuè cuiusuis ordinis & gradus Euangelij Ministros, ingenuè fateor (quæ ingenij mei est tenuitas) me non videre, nec acumen clarissimi viri D. Bezæ in horum locorum interpretatione capere. Quibus addo & illud ex 1. Tim. cap. 5. ver. 17. *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentor, maximè qui laborant in sermone & doctrina*: vnde Geneuensis schola nouum Presbyterorum genus, & temporarium, esse Apostolicum institutum, luce clariùs demonstrari putat: cùm tamen indè nihil aliud concludi queat, quã inter Presbyteros, eos qui præter cæteros laborant in sermone & doctrina, præter cæteros etiam magis esse honorandos. Inter eiusdem vocationis homines circa eandem rem; valdè impares sunt sæpè labores.

Quod à me non eò disputatur; vt Ecclesiæ Belgicæ, aut aliæ quæuis, quæ cum ædificatione horum seniorum ministerio vtuntur, temerè quidquam mutent; priusquàm quod melius est substituatur: sed ne Ecclesiæ credant istos esse seniores, quos Apostololi Ecclesiis præfecerunt, aut præfici mandârunt: & ne qui errore decepti sunt, horum seniorum causâ, Ecclesias, in quibus viuunt, fungunturue ministerio, turbare pergant. Consulendum est posteritati; ne error publicus pro necessaria lege habeatur. Error consuetudine confirmatus violentus est tyrannus.

Quàm autem illud, quod ex hac voce gubernationis ducitur argumentum, sit infirmum, vt appareat; diuersas diuersorum authorũ sententias, hîc inferere me non tædebit. Comment. qui sub Hieronymi titulo in Epist. Pauli leguntur, *Opitulationes, interpretantur adiutoria, & gubernationes, eos qui sciunt singulos prout apti sunt gubernare.* Et certè quandò huius rei præcepta Paulus ad Timoth. scripsit, toto ferè prioris Epistolæ quinto capite, excellentius illud Spiritus sancti donum gubernandi esse in Timotheo

motheo credidit, quàm in illis Presbyteris, quos per manus impositionem creabat: & in ipso Paulo tanto excellentius erat, quanto præstantior est magister suo discipulo. Ambrosius opitulationes & gubernationes interpretatur, *Vt in rebus diuinis vigilet intellectu; ita tamen vt in aliquibus, quæ implere non coëditur, ab alio sumat quod non habet: quia totum vni concedi non potest; sunt & gubernatores qui spiritualibus retinaculis hominibus documento sunt.* Glossa interlinearis, & Lyranus, *Opitulationes sunt qui maioribus ferunt opem, vt Titus Apostolo, vel archidiaconi Episcopis: gubernationes verò minorum personarum prælationes, vt Presbyteri.* Hoc Geneuenses statim arripuerunt, & nouorum Presbyterorum crediderunt inuictum propugnaculum. Theodoretus, Opitulationes, gubernationes, Ecclesiarum administrationes per hæc significauit: quas verò, non definiuit. Chrysostomus, *Subsidia gubernationes, subsidia, quæ sunt? imbecillos amplecti. Hoccine igitur donum Dei est? maximum istuc quidem diuinæ beneficentiæ signum, in rebus spiritus œconomum & hortatorem esse quenquam: quæ etiam nostra opera sunt, dona vocare multa solet, haud pigros nos esse volens, sed diuino vbique præsidio nos niti, & gratos, & ad ea obeunda alacriores esse debere docens, earum rerum studium in nobis amplius excitare cupit.* Theophylactus, *Opitulationes, gubernatio, hoc est, amplecti siue fouere infirmos, & gubernare, adeoq; dispensare ea, quæ fratrum sunt. Hæc enim, etiamsi nostræ quoq; diligentiæ sint; Dei tamen iuxtà dona esse adfirmat: persuadens nobis vt grati simus, ac vt in illud defigamus oculos, nec simus superbi.* Oecumenius, *Opitulationes, infirmis opitulari, eosq; moderari, quod & ipsum quidem donum vocat, (tametsi nostris laboribus egeat) Gubernationes, idem omnino, hoc est, æquale, munus dixerim, nempe opitulationem & gubernationem.* Ex his testimoniis videre possumus, quàm variè Doctores locum illum Pauli interpretati sint; vt mirum sit quenquam indè aliquid certi docere velle, aliud quàm quod extra controuersiam est, gubernandæ Ecclesiæ facultatem & scientiam, donum esse spiritus sancti, in quocunque illud sit. Parùm cum eruditione D. Bezæ consentit, quod ex hoc singulari dono Spiritus sancti, singulare munus, & ministerium certis personis proprium audet constituere. Nam si hoc detur, tot fuerint distincta ministeria, & distinctos tot Ministros Ecclesia habitura est, quot illic recensentur Spiritus sancti dona: quod quum sit absurdum, nulla ratione D. Bezæ interpretatio nititur.

Præterea aliud κυβέρνησις gubernatio, aliud κυβερνήτης gubernator. Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus rectores & gubernatores varios & plures habuit, in quibus necessariò illud donum constituendum fuit. Nec vlla est ratio cur potiùs id referri debeat ad infimi gradus Presbyteros, quàm ad primos, quales fuerunt Apostoli. Tamen, ne quid dissimulem quod scio, dicam in Ecclesia olim obtinuisse, vt Presbyteri quibus proximè sub Episcopo alicuius parœciæ cura demandata est, vocentur rectores: & eò tum glossa interlinearis, tum Lyranus respexisse videntur. Sed quid hoc ad vnius anni Presbyteratum probandum?

(·.·)

HAD. SA-

HAD. SARAVIA.

De duplici Pastorum ordine.

CAPVT X.

SEd cùm non eadem & æqualis prouincia omnibus Presbyteris concredita sit; & alij pluribus, alij paucioribus sint præfecti; non paruũ quoque discrimen est, inter eos quos scriptura eisdem nominibus Presbyterorum & Episcoporum vocat. Quod cùm ipsis rebus potiùs quàm nominibus diiudicandum sit, in eas potissimùm animum nos intendere oportet: vt ea quæ propriis notis potiùs quàm nominibus distincta sunt, ab inuicem separemus. Primi Presbyteri, quos ordinârunt Apostoli & Euangelistæ, fuerunt ipsorum cooperatores in opere Domini, vt Iohannes Marcus, Titus, Lucas, Timotheus, Demas, Siluanus, & alij complures, quorum sacræ literæ meminerunt. Hi per manuum impositionem Presbyterij, Euangelij Ministri creati fuerunt, non secùs ac alij, qui oppidatim postea singulis Ecclesiis fuerunt præfecti. Quod in Timotheo factum legimus, de cæteris omnibus est intelligendum. Procuratio, quæ his viris commissa fuit, generalis erat, non vnius tantùm Ecclesiæ; fuerunt enim veluti auxiliares, & subsidiarij Apostolorum.

Sed cùm indies magis ac magis fidelium multitudo, & Ecclesiarum numerus augeretur, simul vt copia facta fuit virorum, qui ad Presbyterij obeundum munus essent idonei, ipsi Apostoli & Euangelistæ, aut ij, quos in eodem munere adscinerant, adiutores, singulis Ecclesiis Presbyteros ordinauerunt: qui veluti in illa statione collocati, indè non discederent: sed sub Apostolis (tanquã fidi Pastores) excubias super illius loci gregem agerent. Non enim constituebantur vt illis traditâ totâ gubernationis authoritate, soli Ecclesiam regerent, & illius cura deinceps nihil amplius ad Apostolos, & eos, qui idem munus susceperant, pertineret: sed cùm vbique semper præsentes adesse non possent, illis absentibus, vt nihil Ecclesiis deesset, quod ad earum salutem conseruandam erat necessarium. Si 12. viri Ecclesiis sufficere potuissent, 70. alij non fuissent ipsis adiuncti: qui cùm omnes simul pauci esse cæperunt, pro multitudine credentium, his & illis cooperatores habere opus fuit, qui eorum vices obirent.

Tametsi vnum tantùm sit ministerium Euangelij sub Christo, sicut vnũ fuit sacerdotium sub Mose: tamen quemadmodùm in vno sacerdotio gubernationis diuersi erant gradus; ita in vno Euangelij ministerio, & Pastorum & Doctorũ hîc varios audiuimus ordines. Primùm ab ipso Domino duos gradus Euangelij Ministrorum institutos videmus; quorum alter altero fuit superior: & postea ab ipsis Apostolis similiter duos, quandò quibusdam Ecclesiarum vnius ciuitatis aut prouinciæ procuratio commissa est, & alij vni tantùm Ecclesiæ fuerunt præfecti. Titum ac Timotheum, multarum Ecclesiarum, ac etiam eorum qui tum præficiendi, tum præfecti illis erant, habuisse curam, inde manifestum est, quòd admonetur Timotheus, vt caueat ne cui citò manus imponat, ne particeps fiat alieni peccati: & prohibetur accusationem admittere aduersùs Presbyterum, nisi sub duorum aut trium testimonio. Quæ res veluti manu nos hûc deducit, vt sub Apostolis, & ab ipsis Apostolis duos diuersæ authoritatis Presbyterorum ordines

ordines constitutos, qui cum ipsis Ecclesiis regerent, fateri cogamur: quibus etsi scriptura distincta non dederit propriáq; vocabula, posteritas dedit. Quamuis Pastorũ & Episcopi nomina de omnibus Euangelij Ministris olim dicta sint; Episcopi nomen post Apostolorum tempora proprium primo Presbyterorum ordini mansit: qui dum viuebant Apostoli & Euangelista, illis iisdem nuncupabantur nominibus (ornabant enim suos cooperatores eodẽ secum nomine) quod posteà reuerentia quadam erga summos illos viros, & Ecclesiæ columina, non nisi rarò & parcè factum legimus.

I. D. THEOD. BEZA. ad caput 10.

HVius captitis hæc summa est, ab ipso Domino duos gradus Euangelij Ministrorum fuisse institutos; Apostolos videlicet, & alios illos septuaginta discipulos Apostolis adiunctos; quibus ipsi deinceps Apostoli & illi septuaginta, similiter duos ipsorum cooperatores per manuum Presbyterij impositionem ordinârunt: vnos videlicet, quibus multarum Ecclesiarum, ac etiam eorum qui tum præficiendi, tum præfecti illis erant, cura fuerit commissa, quales fuerunt Titus, Timotheus & alij, quorum fit in Actis & Epistolis Apostolicis mentio: alios verò oppidatim vni tantùm Ecclesiæ præfectos. At enim quid opus erat fabulam istam de 70. illis discipulis toties reponere?

HAD. SARAVIA.

HOc argumento quia se expedire non potest D. Beza, illud, tanquàm fabulam, eleuat, ac præterit: sed quid in re sit fabulosum non demonstrat: ego tamen nihil sacræ Euangelicæ historiæ affingo, quod tanquàm fabulam D. Beza reijcere debeat: Tantùm aio, præter duodecim Apostolos, alios 70. fuisse ab ipso Domino missos, veluti secundarios Apostolos, qui proprio vocabulo fuerunt Euangelistæ, qualis fuit Philippus, & Barnabas, & Barsabas, Cleophas, & Silas, & plures alij, qui Dominum in carne viderant, & cum eo fuerant conuersati. Quibus post resurrectionem suam apparuit, & quem adscendentem in cœlum viderunt, & Spiritus sancti donum Ierosolymis exspectare iussi, in die Pentecostes cum Apostolis receperunt. In quorum catalogo, ordine, & gradu, Timotheum, Titum, Marcum, aut alium quempiam qui Dominum non vidit, nec ab eo prædicandi Euangelij mandatum accepit, non constituo: sed discrimine noto separo, atque ab illis distinguo. Quis enim non videt à Deo ipso ad Euangelizandum, Philippum mitti: similitèr & Barnabam; Titum verò & Timotheum à Paulo? an inter hos verbi Dei Ministros nihil interesse dicemus?

Ex peculiaribus notis, quæ tum in Philippi, tum in Barnabæ ministerio apparent, Euangelistam definiri posse sentio: nempè doctorem esse Euangelij secundũ post Apostolos, & testẽ eorum quæ viderat, & audierat de Domino Iesu Christo, immediatè ab ipso missum; Apostolis inferiorem, quòd non tanta Spiritus sancti gratia in ipso resideret sicut in Apostolis, nec per manus impositionem S. sanctum alijs daret. Hæc D. Beza si in Timotheo & Tito demonstrare poterit, eos in hunc Euangelistarum ordinem referat: quod cùm nequeat, fateatur necesse est, Barnabæ, & Philippo, alijsque eiusdem ordinis Euangelij Doctoribus inferiores. Id tamen à me non ita dictum velim accipi, ac si Timotheus non possit Euangelista dici, sicut 70. Christi discipuli vocantur etiam Apostoli, cùm tamen primarij Apostoli non fuerint: sed quòd nec Titus nec Timotheus, nec alius quiuis qui Dominum in carne non viderat, nec ab eo prædicandi Euangelium officium obtinuerat, vero nomine Euangelista dicit possit.

¶ *Nota: Responsionem Saranie ad hanc secundam sectionem siue distinctionem D. Bezæ, quæ inter festinandum, hîc omissa est, inuenies post vltimam distinctionem & responsionem Capitis vndecimi.*

HAD. SA-

HAD. SARAVIA.

Presbyteros annuos qui ad docendum sunt inepti, & præsunt tantum in Ecclesia, Apostolicæ literæ nullos agnoscunt.

CAPVT XI.

EX malè intellecto loco Pauli in quinto capite prioris ad Timotheum, multi hodiè inter Presbyteros nouam differentiam collegerunt, alienam prorsus à mente Apostoli, qui nihil minùs cogitauit, quàm temporarios Presbyteros, qui vnum atque alterum annum regerent Ecclesiam, discernere à perpetuis Pastoribus, qui verbo Dei gregẽ pascunt. Nam Apostolicæ literæ nullum Presbyterum in Ecclesia Christi agnoscunt, cui superiùs posita descriptiones non conueniunt. Presbyteri Apostolici omnes sunt Pastores, & verbi Dei Ministri, sicut ex vigesimo capite Actorum suprà monstrauimus. Hoc enim Apostolus inprimis requirit in Presbyteris & Episcopis, vt apti sint ad docendum, & tenaces illius, qui secundùm doctrinam est fidelis, sermonis, vt exhortari possint in doctrina sana, ac contradicentes arguere. Sub hoc genere partes quæ cõueniant, inueniendæ sunt: vnius aut duorum annorum Presbyteri, qui ad docendum sunt inepti, & tantùm præsident in Ecclesia, sub hoc genere non continentur.

Quas Apostolus gubernationes inter spiritus sancti dona numerat, de eximio & singulari dono intelligi debet. Bene regendi scientia, summa & rara quædam res est: quam etsi hodiè nemo non sibi vendicet; in paucis tamen inuenitur. Quamobrem in summo Presbyterorum ordine eam esse collocandam censeo: vtpotè in Apostolis & Euangelistis, aliísque illius temporis Ecclesiæ primoribus Ministris, quales fuêre Titus & Timotheus, aliique plures qui præerant cum Apostolica authoritate multis Ecclesiis. Toto cælo mihi errare videntur, qui tantam Spiritus sancti gratiam in infimo quodam Presbyterorum ordine ponunt; eôque nouo, & ad docendum inepto, qui in Ecclesia veluti annuum quendam magistratum sortiuntur, et temporario funguntur Presbyterio, quod posteà deponunt. Apostolicæ Ecclesiæ, & quæ pòst per multa secula secutæ sunt, huius generis Presbyteros inter Ecclesiæ Ministros non numerârunt.

Sola gubernationis authoritate Apostoli & Euangelistæ, eorúmque adiutores, fuerunt maiores singularum Ecclesiarum Presbyteris. Seniores quidem inuenio in consessu Sacerdotum veteris synagogæ, qui sacerdotes non erant: in Ecclesia verò cum Pastoribus Ecclesiarum nullos lego, qui Pastores non fuerint. Nimirũ temporibus Apostolorum, & pluribus seculis quæ secuta sunt, Christiani Magistratus nulli fuerunt, qui cum Ecclesiarum Presbyteris de rebus Ecclesiasticis simul deliberare possent. Nam illi seniores, quos adiunctos sacerdotibus legimus, erant Iudaici populi Magistratus, qui in iis quæ ad externum Ecclesiæ regimen spectabant, excludi à sacerdotũ concilio iure non poterant; sicut nec hodiè Christianus Magistratus à Synodis, & Conciliis Episcoporum Ecclesiæ. Nam etsi duo sunt gubernationis genera, alterum ciuitatis, alterum Ecclesiæ: tamen vtrumque ab eodem profectum est authore. Quod quamuis diuersa fiat ratione, &

illud

illud à Deo sit, quatenus creator & moderator rerum humanarũ, hoc quatenus redemptor est humani generis; & vnumquodque suum habeat finem: tamen quandò eadem societas Ecclesia est & Ciuitas, sicut ab eodem vtriusque regiminis authoritas manat; ita ad eundem postremum finem respicit, & eòdem se recolligit. Vndè fit vt multa habeant communia, quæ nunquam rectè, nisi communi consilio & assensu, possunt perfici. Euangelij Minister à Domino seruatore regiminis in Ecclesia habet authoritatem: Magistratus à Domino omnium creatore in cives: qui quoties simul amicè conspirant, & eôdem sua consilia referunt, optimè cum ciuitate, optimè agitur cum Ecclesia. Alios Presbyteros ab his quos dico, præfectos regimini Ecclesiæ (si qui sint) demonstrari velim: ego in verbo Dei nullos adhùc inuenire potui.

Ministeria Ecclesiæ, dona sunt spiritus sancti, & veluti quædam talenta fœnori danda, de quibus Domino reddenda erit aliquandò ratio. In arbitrio serui Christi non est, à semel suscepto ministerio seipsum temerè abdicare. Qui manũ semel mittit ad aratrum, & post retro aspicit, regno Dei non est aptus. *Temporarium nullum ministerium quod fuerit ordinarium, lego vnquàm fuisse in Ecclesia. Ex diaconis pastores posse eligi scio; sed defectio nulla ministerij dici potest, quandò dignius suscipitur. Hunc morem quondam Tertullianus reprehendit in tractatu,* De præscriptionibus aduersus hæreticos, *cuius hæc sunt verba:* Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes, nunc neophytos collocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt: nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie Presbyter, qui cras laicus: nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt.

1. D. THEOD. BEZA. in caput 11.

POsito distinctionis illius tuæ duplicis pastorum ordinis fundamento, quod quàm infirmũ sit ostendi, hæc demum superstruis, toto cœlo tibi errare videri, qui κυβερνήσεως eximiũ & singulare donum Sp. sancti, in infimo quodam Presbyterorum ordine ponunt, eóque nouo, & ad docendum inepto, qui in Ecclesia veluti annuum quendam magistratum sortiuntur, & temporario funguntur Presbyterio, quod postea deponunt. Agè igitur, pedem hic figamus. Gratiã illam ad vsum Ecclesiasticæ gubernationis necessarium, ijs etiam Presbyteris, quos vocamus, tribũi, cur tantoperè miseris, quæso quod tandem vel leuissimum argumentum profers? vt enim sint isti à pastoribus secundi in hoc gubernationis genere, num hoc prohibet quò minùs Deus istis quoque legitimè vocatis necessarium ad eorum functionem donum qua mensura opus est, largiatur, sicut olim Presbyteris illis Mosi adiunctis? Deindè negamus hîc quoque, id est, in sacro isto senatu, quod Presbyterium vocatur, vllum superioris aut inferioris potestatis gradum intelligendum, sed positam esse duntaxat ordinis distinctionem. Sic enim in Presbyterio, partim ex Pastoribus, partim ex his Presbyteris composito, præsunt Pastores, vt tamen neque hi absque illis, neque illi absque istis quicquam in morum censura, & reliquo Ecclesiastico communi vtriusque regimine decernant, sed communi, paríque dicendi sententiam iure, tota hæc res administretur: hoc propterea toto consessu Presbyterij, nomen sortito quòd in hac communi functione Pastores Presbyteris, & Presbyteri Pastoribus (alioqui in ijs quæ Pastorum, ac etiam Doctorũ muneris propria sunt, non primis tantùm, sed etiam gradu superioribus) exæquentur.

HAD. SARAVIA.

QVàm firmum aut infirmum sit meum fundamentum, lectores (quorum nullum præiudicium præoccupauit animos) iudicent: & mea conferant cum responsione D. Bezæ. An nullum argumentum, ne leue quidem, protulerim, cur mihi videantur errare, qui in hoc infimo, & nouo annuorũ Presbyterorum genere, & ad docendum inepto, tam eximium & singulare spiritus sancti donum ponunt, quemuis facio iudicem. Nam singulæ dictiones pondus habere argumenti mihi videntur. Notum enim est inter homines gubernandi scientiam esse rarum, & eximium, & singulare Dei donum, quod paucis admodùm datur; nec passim inueniri, ne in ipsis quidem Pastoribus, & Doctoribus; tantùm abest vt Ecclesiæ habeant tantam eorum copiam, vt quo-

quotannis mutare queant, & nouos inuenire, quos regimini Ecclesiæ præficiant. Hoc leue esse argumentum, aut nullum, facilius dicitur quam refellitur. Hos Presbyteros à Pastoribus secundos D. Beza quidem dicit, sed nullo scripturæ loco, nec veterũ probat exemplo. Et quando quærit, *Num hoc prohibeat quia secundum tenent locum in consistoriis, quò minùs Deus istis quoq; legitimè vocatis, necessarium ad eorum functionem donum, quod mensura opus est, largiatur, sicut olim Presbyteris illis Mosi adiunctis?* Nihil inde efficit. Si dona sequerentur vocationem legitimam, benè esset: sed huius nullam habemus promissionem, sicut habebat Moses. Si præceptum Ecclesiæ esset eligere seniores, quibus dominus illam gubernandi gratiam daret, sicut Mosi præceptũ erat, aliquid dixisse D. Beza videri posset. Sed D. Paulus ad Titum & Timotheum scribens, non eos spectare voluit, quid Deus dare posset, sed quid iam dedisset. Prius Dominus Apostolos docuit, quàm ad prædicandum misit. Quæ sequuntur vsque ad sequentem sectionem prætereo.

2. D. Theod. Beza.

Si excipis, nouum, & Apostolicæ Ecclesiæ, & iis quæ postea per multa secula secutæ sunt, prorsus incognitum fuisse istiusmodi Presbyterium: siue ad istos Presbyteros non spectare, quæ in Episcopis (Episcopos autem vis eosdem prorsùs esse, atque Presbyteros) Apostolus requirit. Tit. 1. 9.

Had. Saravia.

Tria sunt quæ faciunt, ne hoc Presbyterorum genus Apostolicum putem. Primum est, quòd indè ab Apostolorũ temporibus nullos vsquam, vsque ad nostra tempora extitisse legam. Et quod periculo non vacet, aliquid noui sine exemplo in Ecclesiam inuehere. Tertium est, quòd Presbyterorum descriptio, in his quæ in primis sunt necessaria in Presbytero, istis non conueniant, aut saltem ea non desiderentur, nec eorum habetur ratio: nempè vt sint ad docendum apti: quia non eliguntur vt doceant. Quando D. Beza per parenthesin interserit, me velle eosdem esse Episcopos & Presbyteros, libenter ex eo discerem, num alios ipse Presbyteros, alios Episcopos putet. Paulum illic vocâsse eosdem Presbyteros & Episcopos, negari non posse reor: adeò vt demirer quid hac clausula D. Beza velit. Sed missum hoc facio: discrimen graduum, quod tunc non erat in nominibus, erat in ipsa re.

3. D. Beza.

Ego verò primùm omnium dico, Apostolum ibi non describere dona, quibus præditos esse omnes quibuscunq; muneribus fungentes decuit, nec etiam vitia, à quibus illos alienos esse oporteat; sed de præcipuis duabus functionibus, in Ecclesia perpetuis, & necessariis, Pastorum videlicet, & doctorum, agere: sicut 1. Tim. 3. pleniorem hac de re tractationẽ instituens functiones illas perpetuas, & necessarias, ad duas numero reuocauit: ad Episcopatum nempè, & Diaconatum, illo nomine tum Pastores tum Doctores intelligens.

Had. Saravia.

Optimè inter nos conuenit, si nostros Seniores ibi non contineri concedatur: & Paulum esse interpretandum de senioribus qui Pastores & Doctores sunt. Ego non fastidio pios & honestos viros, eruditos iurisconsultos, aut ætate graues, & rerum peritos, vt sunt vrbis senatores, quique magistratu funguntur, aut functi sunt, cum Pastoribus sedere, & in consilium adhiberi rerũ Ecclesiasticarum: modò illi sciant se non esse Presbyteros Ecclesiæ, quibus dispensatio mysteriorum diuinorum, aut morũ censura commissa est. Tales habuisse veterem Iudaicam Ecclesiam seniores, certum est: & Ambrosius credidit in primitiua Ecclesia ab Episcopis fuisse non ordinatos, sed aduocatos.

Vbi Magistratus est Christianus, tantam animorum coniunctionem inter eum & Ecclesiæ Pastores requiro, vt nihil in Ecclesia fiat grauioris momenti, sine illorum consilio & assensu: neque similiter in republica non auditis suis Pastoribus. Nam Ecclesiæ & republicæ mutis de causis ita fieri plurimùm interesse arbitror. Sed nolim ideirco misceri ordines: & ciuiles magistratus conseri Ecclesiasticos, aut ordines Ecclesiasticos, ciuiles magistratus. Mutuus vtriusque ordinis consensus, in rebus grauioribus, ordines non perturbat, sed confirmat. Huius generis seniores, temporarios esse, nihil

nihil impedit: sed quod Ecclesiæ & reipublicæ maximè vtile est, vtriusque arbitrium esto. Nulla de hac re habemus Domini præcepta: libera res est, nec ciuilibus negotiis Ecclesiarum Ministros interesse, nec Ecclesiasticis ciuiles Magistratus coguntur, nisi velint: & ita fieri, Ecclesiæ & reipublicæ interest.

4. D. Theod. Beza.

Deindè cur non hæc quoquæ ad Presbyteros κατεστῶτας suo modo referantur, vtpotè quos à Tito iubet oppidatim constitui? Nam in his quoque Presbyteris gubernatoribus, quis neget requiri vt & ipsi sint tenaces fidelis illius sermonis, qui ad doctrinam facit, vt possint exhortari doctrina sana, & contradicentes conuincere: quantum quidem istud ad Ecclesiasticas censuras, rectè vnà cum Pastoribus exercendas attinet? Nam in hoc etiam munere, non nescit nemo, tantùm in moribus peccantes, sed etiam vel maximè in doctrina errantes increpari, redargui, & ad resipiscentiam adduci oportere.

Had. Saravia.

Mens scriptoris vbique semper potiùs inspicienda est, à vero fidóque interprete, quàm quò verba referri possint, & accommodari. Ostendat D. Beza ex sacris literis, & maximè ex hoc loco, vel veteri Ecclesiæ vsu, vnquàm annuos fuisse creatos seniores, vel qui tantùm censuræ morum præfuerint: & mihi satisfactum erit. Nam etiamsi millies ipse affirmet, Paulum iussisse oppidatim Presbyteros tales constitui, non aptos ad docendum, hoc est, publicè concionandum, nisi aliunde quàm ex hoc loco id demonstret, nemo sanus credet. Nam si Doctores & Pastores D. Paulus constitui in Ecclesia voluit, quorum perpetuum in Ecclesia est munus: sub eorum nomine temporarios etiam intellexisse Presbyteros indoctos, ad docendũ ineptos, quis probabiliter affirmare audeat? Sacrosancta res est diuinus sermo: quem nos sequi oportet, non trahere quò lubet, contra cognitam Spiritus sancti mentem. Hoc modo hos locos ad Timothcũ & Titum interpretari, ludere est, in re sacrosancta: quod certè D. Bezæ grauitatem minimè decere arbitror. Quid enim illud est suo modo? Hoccine est Paulum interpretari? suo modo in omnibus fidelibus id requiritur, qui ætatis sunt adultæ. An quisquis id suo quodam modo habet, idoneus censendus est, qui constituatur senior? Nulla est scriptura tam aperta, quam hac ratione, quibus erit aliquid ingenij, eludere non possint. Nemo adhûc, quod sciam, inter verbi ministros, hos nostros seniores numerauit, & communis sententia omnium est, Paulum Doctores, & verbi Ministros constitui oppidatim iubere; quocirca vi hanc trahi scripturam, & aptari senioribus, qui verbi Dei non sunt Ministri, manifestum est.

5. D. Theod. Beza.

Quòd si meritò conquereris homines ad hoc munus ineptos deligi, vel in Belgio tuo vel alibi, consueuisse; an propterea semel abolenda res ista, ac non potiùs id, in quo peccatur, corrigendum? Itaque pro eo, quod tam confidenter totum istorum Presbyterorum genus indefinitè, vt ad docendum ineptum condemnas, vide ne ex istis ineptis non desint qui te potiùs, si non vt calumniantem, saltem vt parum logicè colligentem redarguant. Nec enim quisquis ad concionatoris vel doctoris functionem aptus non est, propterea fuerit ad censuram morum, & alias Ecclesiastici regiminis partes cum alijs obeundas ineptus.

Had. Saravia.

Non tam mihi controuersia est, quàm apti aut inepti ad hanc rem eligantur, quàm de ipsa re. Inepti ad illam functionem quando eliguntur, hominum peccato fit. Tamen hoc non est nihil, & expertus sum: res ipsa noua est, & patribus, atque adeò ipsis Apostolis incognita. Nam vt in primis apti ad eam rem eligantur, quique κατεστῶτος habeant donum, & ipsis Pastoribus sint magis ad docendum apti, in annum, vel duos ad summum eliguntur, & constituuntur Presbyteri, sciúntque se non eligi vt doceant. Quòd si vt doceant admittantur, qui apti sunt, id ἐν παρέργῳ fiet, habebiturque: quibus verè dici poterit, quod ἔργον ὡς παρέργον ἐκπονοῦσιν. Quàm hoc ex Apostoli sententia, & Apostolico more fiat, iudicet ipse Beza. Finito Ministerio suo, illis succedent postea non rarò, aut prorsùs inepti, aut certè non admodùm apti: quis enim aptus ad eam rem haberi potest, qui verbi minister non est? Hoc addam in peregrinorum Ecclesiis, ad quas cõfugere fideles solent electi patriâ, præferri in electionibus seniorũ homines, literarum & theologiæ rudes, & rebus externis immersos, suis pastoribus, qui

qui eodem loci peregrinantur. Quòd si contingat verbi Ministrum in seniorem Ecclesiæ, in qua peregrinatur eligi, (quod rarò fit) omnia eadem obseruantur, quæ in electione eorum solent, qui nunquàm fuerant functi illo senioris officio: quoties enim eliguntur, toties denuò ordinantur. Ecclesiæ autem Ministrum plusquàm semel ordinari, fuit theologis veteribus inauditum. Sed & hunc docere populum, erit πάρεργον. Quandò indefinitè hoc Presbyterorum genus damno, tanquàm ad docendum ineptum, istud facio, ex eo, quod plerumque ferè solet accidere, & propter opinionis errorem, qui vulgò de ipsis habetur; nempè quòd non constituantur, vt doceant; neque an sint idonei ad eam rem, nec ne, inquiratur, modò honestæ & probatæ sint vitæ. Nam quod doctrinam siue eruditionem attinet, nihilo maior communiter eis inest, quàm in reliquis fratribus.

Sed parùm logicè colligere videor, tanquàm hinc quòd sunt ad docendum inepti, colligam, ad reliquas Ecclesiastici regiminis partes obeundas etiam ineptos; quoniam etsi ad concionatoris functionem non sint apti, consequens non sit, ad morũ censuram, & alias regiminis Ecclesiastici partes cum alijs obeundas, esse ineptos. Et profectò ita esset, si cum verbi ministerio, Dominus sacramentorum administrationem, & morum censuram non coniunxisset. Omnibus orthodoxis theologis hæc ita esse coniuncta didici, vt quamuis docendi partes committantur interdum etiam iis, quibus nec sacramenta administrandi, nec censuram morum exercendi potestas datur, nemini tamen hanc potestatem contingere, nisi qui Doctor sit simul & Pastor. Eiusdem enim est ligare & soluere, in Ecclesiam recipere, & eâ eiicere, ad sacramentorum cõmunionem admittere, & ab ea arcere. Tametsi cum simplici doctrina quædã sit etiam coniuncta ligandi soluendique potestas; quatenus Dei iram & gratiam denuntiat: multum tamen ab ea, quæ Pastoribus propria est, distat. Et mihi valdè mirum est, ab illis theologis, qui in nulla necessitate ministrari Baptismũ, aut cœnam Domini posse celebrari docent, ab eo qui non sit verbi Dei Minister: regimen tamen Ecclesiæ morúmque censuram Presbyteris cõmitti, qui verbi Dei concionatores non sunt, & quos nunquàm nec ad baptizandum, nec cœnam Domini celebrandam, admitterent, illis ligandi atque soluendi, parem cum Pastoribus potestatem facere.

6. D. BEZA.

COgor autem hic ego nonnihil adiicere, abs te quidem vt modestiore præteritum, ab altero autem illo aduersario conuiciatore tam sæpe inculcatum. Huius enim Presbyterij hostes conqueri video, Quòd adhibeantur plebei viles, lixis denique & calonibus non dissimiles. Hæ sunt enim quorundam hyperbolæ, à quibus haud satis scio an rei veritas istud extorserit, ac non potiùs vel seruilis adulatio, vel magnifica de seipsis opinio.

HAD. SARAVIA.

REuerendus vir Matthæus Sutliuius in sua disputatione, non sibi Ecclesiam Geneuensem, ordinémque Ecclesiastici regiminis, qui illic authoritate publica est cõstitutus impugnandum suscepit: sed κακοζηλίαν quorundam, qui hic in Anglia clam, priuata sua authoritate, Ecclesiæ nouam reformationẽ instituere conati sunt. Et quia libri plures à diuersis de disciplina Ecclesiastica hîc & alibi æditi sunt, qui errorem illum defendere videntur; & indè nata turbandi Anglicanam Ecclesiam creditur audacia: sui officij D. decanus Exceestrienſis Ecclesiæ esse duxit, contra illorum librorum errores, disputationem instituere. In qua, si quid inclementiùs dictum videtur, accipiendum non est, tanquàm in Ecclesiam Geneuensem, & Presbyteros illius sit dictum. Peregrinorum Ecclesiæ Londini, & pluribus alijs locis huius regni, habent suos seniores & diaconos, nihil differentes à Geneuensibus: sed molestè fert, & cum ipso plures alij schismati huius Ecclesiæ materiam ministrari. Sed D. Sutliuius ea est eruditione, qui suorum dictorum reddere rationem queat.

Quod me attinet, quemadmodum propositi defensor esse contra veritatem nolo; ita cedere vlli nisi apertæ veritati, aut in obscuris & dubiis, magis verisimili rationi, nescio. Multa non ignoro solere humanitùs accidere, etiam in ijs quæ à Deo optimo maximo sunt optimè constituta; ob quæ imperiti & impij homines reijciunt & calumni-

calumniantur, quæ naturâ sua bona sunt. Ego 46. annos in Ecclesiis reformatis vixi, tam in Anglia, quâ in Belgio: collegas habui bonos & malos; & seniores quibus carere præstaret, quàm pro adiutoribus, si non apertos hostes, temoras tum sanæ doctrinæ, tum morum censuræ habere: sed hoc me nihil moueret, si res ipsâ verbo Dei, aut patrum vllo exemplo doceri posset.

7. D. Theod. Beza.

VTcunque verò res ista sese habeat, habendam quidem ego quoque sacri ministerij rationē eo vsque arbitror, vt quoad eius fieri potest, vitentur quæcunque illius despiciendi occasionem præbitura videantur, quod præstare difficile non est, in iis Ecclesiis qui Christiano fruuntur Magistratu. Sic per Dei gratiam, in hac ciuitate Genenensi, Seniores illi ex ipso XXV, LX, ex CC. virorum ordine; consicio & assentiente populo, quotannis vel noui deleguntur, vel veteres confirmantur. Sic passim in aliis Christianis liberis Ecclesiis, pro loci ratione, non dissimilis delectus obseruatur.

Had. Saravia.

DE æquitate D. Bezæ, & ipsorum omnium in hac parte non dubito; & vt dignos & omnibus illis virtutibus ornatos, quas requirit Apostolus, Ecclesiæ habeant seniores, nec non etiam, vt contemptus causæ illius ministerij tollantur, in votis habere, mihi facilè persuadeo: sed factu quàm hoc sit facile, in omnibus Ecclesiis, quæ Christianos habent magistratus, ei non est ex vna Genena faciendum iudicium, qui falli non volet. Felix Geneua quæ tantam habet copiam spectabilium virorum, qui ministerio Ecclesiæ idonei sunt: sed in hoc infelix, quod eos quotannis mutat, quos Spiritus sanctus donis suis oblignat. Nam hoc est quod aio, & notum esse contendo: cuius nec in veteri nec in nouo testamento vllum extat exemplum. Si quod est, non opus est per varias verborū ambages, circumducere lectorē; proferatur, & ego cedam.

8. D. Theod. Beza.

SEd quid his Ecclesiis facias, in quibus plerique onerosum istud huius functionis onus, & contumacium odijs (quales ferè sunt locupletiores) obnoxium, vel planè detrectant, vel timidè administrant? Et in istorum, quibus vsque adeò viles seniores ex plebe delecti, vtinam nulli sint numero, qui neque reprehensores, neque reprehensiones ferunt: iis profectò non prorsùs dissimiles, qui de ipso Christo dicitabant, Nonne est iste faber fabri filius? Mar. 6. 3. Item num quispiam ex principibus aut Pharisæis credit in eum? Atqui non quibus vestibus, sed quibus Spiritus sancti donis splendeant, qui ad sacras functiones adhibentur, quærere nos iubet Apostolus. Nec veterem illam veram Ecclesiam puduit à piscatoribus & tabernaculorum confectoribus doceri, ac etiam cùm opus fuit increpari. Istorū autem morosorum hominum delicias, fratres, non est quòd moremur. Natus enim est, & agnitus à vilibus pastoribus Dominus, apud Bethlehemæ præsepe: contrà verò in Caiphæ palatio à magnificis Sacerdotibus damnatus. Istæ verò voces, cuiusmodi tandem sunt, quibus nonnullos vti non pudet? Seniorū istorum arbitrio cuncta geri in Ecclesia? quod absit vt verè dicatur, Esset enim hæc non potestas sancta & legitima, sed intolerabilis tyrannis. Etsi igitur vbi Magistratus authoritate vti non potest Ecclesia, non pauca in consistoriis decernuntur, & geruntur, quæ alioqui vel non attingerent vel non definirent Pastores & Seniores; nullo tamen id fit vel minimo ciuilis iurisdictionis præiudicio; Apostolo sic etiam Corinthiis suadente, vt suas ciuiles controuersias, alioqui in foro agitandas, deciderent: tamen ne in iis quidē quæ merè sunt Ecclesiastica, excedere verè Ecclesiasticæ ordinis fines & limites potest ministrorum & seniorum consessus.

Had. Saravia.

PRobos & pios viros huius functionis onus, propter odium & inuidiam quibus est obnoxium detrectare, & susceptum timidè administrare, non probarem, si ex verbo Dei vocationis certa ratio constaret: non quòd cuiquam scrupū religionis in hac re inijcere cupiam, hæc dico, sed quod monendos sentiam Presbyteros futuros, (quod sæpe feci) ipsos non eligi in seniores, de quibus Apostolus ad Timotheū & Titum loquitur, sed in locum seniorum succedere, qui in veteri testamento adiungebantur Sacerdotibus & Leuitis. Qui certè cum politici viri, & ipse ciuilis Magistratus essent, non fiebant Sacerdotes aut Leuitæ, sicut, nec isti Pastores nec Ecclesiæ Ministri; sed adiunguntur Pastoribus Ecclesiæ, tanquàm adsessores & consiliarij, vt videant ne fortè potestate Ecclesiastica Pastores abutantur. Vtinā piæ memoriæ Dominus Nicolaus Gallarsius viueret, vt ei in mentem reuocarē sermones quos cum eo de hac re habui, quando recens à papatu huc veni, & hunc meum scrupum de Episcopis & Presbyteris exposui. Nisi vehementer fallor, nostros hos seniores in numero eorum non

habebat, quos Paulus à Timotheo & Tito præfici iussit Ecclesiis: quòd ad docendum non eligantur, & quòd temporarij sunt non defendebat; sed excusabat, iniquitati horum temporum id dari. Et sic tunc mihi satis factum est: & eò magis, quòd etiam peregrinæ Ecclesiæ quæ hîc sunt, ex prima earum institutione, habuerint Episcopum D. Alasco: & nunc habent diœcesanum loci vbi habitant.

Quod Dominus Beza subnectit de contemtoribus admonitionũ, & alia id genus, de Domini seruatoris contemptu, quòd fabri esset filius, quòd Apostoli fuerint piscatores, & tabernaculorum confectores, nihil dictum arbitror; nisi homines proferantur eisdem ornati virtutibus, & miraculorum edendorum potestate, quæ coniuncta erat cum summa modestia animi. Nimis fastuosa & intolerabilis est quorundam arrogantia; qui quia legerunt sacras literas, & multa indè citare nôrunt, de dogmatibus grandi supercilio audent exercere censuram, & Paulo & Petro se æquiparare, quasi eodem sint donati spiritu: quos vt scio D. Bezam non probare, ita sciat me quos taxat non laudare. Qui seniorum istorum arbitrio cuncta geri in Ecclesia aiunt; cur id dixerunt, ipsi nôrunt.

In Consistorijs autem, & etiam Synodis, nihil vnquàm fieri, aut fuisse actum præiudicio ciuilis Magistratus, non auderem dicere: D. Beza Consistorijs & Synodis omnibus non interfuit. Quid Geneuæ fiat nôsse potest; quid verò alibi, non item: sed vt bonum virũ decet, ipse minimè est suspicax; & ex seipso alios metitur; putátque sibi omnes esse similes; & omnium aliarum Ecclesiarum Consistoria, nihil differre à Geneuensi.

9. D. BEZA.

AD nouitatem venio, quam accusationem tantoperè à vero abesse dicimus, vt contrà affirmemus hunc ordinem fuisse diuinitùs, & veteri populo præscriptum, & in Ecclesia tum veteri tum Christiana Apostolica pura obseruatum. Nam ad Synagogam quidem quod attinet, tu ipse agnoscis, & quidem rectè, fuisse in consessu Sacerdotũ adhibitos, qui Sacerdotes non erant: sed Iudaici populi magistratus. Sed eiusmodi (inquis) nulli fuerunt Apostolorũ temporibus; vtpotè quibus nonnulli fuerunt capitales hostes. Accipio quod meritò concedis; & de quo constat tum ex Mose, tum Iosaphati historia, & Act. 4. 1. & 5. Sed hinc nego consequi quod tu ais, nempè nullos vel in Ecclesia Hierosolymitana, vel in alijs Ecclesijs, constitutos fuisse Presbyteros, qui concionatores vel doctores non essent. Locus enim ille Act. 20. nihil tale probat, sicut paulò ante ostendi, & nominatim Ierem. 19. 1. Seniores ex populo, quibus nostros successisse dicimus, à Senioribus ex Sacerdotibus distinguuntur.

HAD. SARAVIA.

NOuitatis accusationem odiosam esse D. Beza non ignorat; & rerum nouandarũ studium vbique apud omnes damnari. Sed miror antiquitatem nostrorum seniorum, non alijs argumentis, & solidioribus ab eo doceri. Nam quæ allegat de senioribus Iudaicis, in meo tractatu anticipaui; & dissimiles fuisse docui. Istiusmodi tamen seniores sub Christiano magistratu, adiungi Ecclesiæ Pastoribus & Presbyteris, nihil impedio: modò quemadmodum apud Iudæos Seniores illi inter Leuitas & Sacerdotes non censebantur; ita nec isti inter Ecclesiæ Ministros habeantur. Sed sub infideli Magistratu non potuêre tales constitui: mihi tamen non alienũ à vero videtur quod Ambrosius tetigit, Seniores ætate, rerum experientia, & grauitate spectatos, ab Ecclesiarum Presbyteris in consilium quondam adhibitos: non vt essent Ministri Ecclesiæ, aut quicquam exercerent, quod cum Ministerio verbi Dei coniunctũ est; sed vt consessum Presbyterorum præsentia sua & grauitate cohonestarent, & consilio iuuarent. Ordinatione verò nulla opus erat, vt fierent ordinatione, quod non erant conditione. Nam huius generis Seniores non ordinatio, sed natura aut conditio facit.

Sed disputandi rationem D. Bezæ non adsequor, discerpentis in partes hinc indè, quæ coniuncta sunt, & ex quibus ego ratiocinor: nempè, Seniores Ecclesijs ab Apostolis nullos fuisse constitutos, qui Doctores non essent. Id non dico indè consequi, quòd Iudaici populi Seniores fuerunt illius populi Magistratus; sed ex Pauli Epistolis ad Timotheum & Titum, in quibus vult aptos esse Presbyteros ad docendum. Nam quales populus Iudaicus habuit, non potuerunt constitui ab Apostolis, quia illi Magistratus ciuiles erant. Tamẽ quia dictio Senior, in verbo Dei pro dignioribus in quouis populo accipi scio; qui tales conditione sunt, ordinatione opus non habent: & eos à Pastoribus in consilium adhiberi posse non nego; modò non magis censeantur in clero,

clero, quàm inter Leuitas & Sacerdotes ſeniores illi, qui eis adlecti leguntur.

Quod D. Beza ex Ieremiæ 19. cá. 1. ver. notat, nihil contra me facit, ſed meam ſententiam confirmat. Legitur ibi Dominum iuſſiſſe, *Vt Propheta emeret vaſculum teſtaceum à figulo de ſenioribus populi, & de ſenioribus ſacerdotum:* ex quo loco & inter ipſos Sacerdotes fuiſſe ſeniores demonſtratur, æquè atque in populo; quod inter verbi Dei Miniſtros non eſſe debere, D. Beza diſputat: & ab eo tanquàm humanum inuentum reijcitur. Dicit Beza ſeniores noſtros ſucceſſiſſe illis ciuilibus & politicis ſenioribus; quod à me qua ratione negetur, iam ſatis dictum eſt. Sed longè meliùs, meo iudicio, poſſunt noſtri Epiſcopi & Archiepiſcopi ſucceſſiſſe dici ſenioribus Sacerdotum, qui aliâs principes Sacerdotum dicuntur, quàm ſeniores Eccleſiaſtici, ſenioribus ciuilibus. Nam vox Senior vt diximus, Hebræis principes viros ſignificat: & ſeniores ſacerdotum fuêre illi ipſi qui dicebantur principes Sacerdotum.

10. D. THEOD. BEZA.

ET propterea manifeſtè Paulus 1. Cor. 12. 28. κυβερνήσεις ab alijs ſacris functionibus diſcernit. Hũc autem locum quem ſic eludis, vt Apoſtolum dicas non de gubernatoribus aliquibus qui Paſtores & Doctores non eſſent, ſed de ipſo dono gubernandi diſſerere, nihil agis. Dona enim illa anteà enumerauerat, verſ. 8. & 9. ac deinceps. Hoc autem verſ. 28. de ipſis Chriſti in Eccleſia membris, & eorum functionibus manifeſtè loquitur. Alios enim, inquit, Deus conſtituit in Eccleſia; primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, deindè poteſtates, deindè dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum. Hæc autem poſteriùs poſita abſtracta (vt Grammatici loquuntur) nomina, niſi concretè accipias, pro perſonis ipſis, ea dona in Eccleſia exercentibus: id eſt, poteſtates pro iis quibus inſignis illa ſpecialium miraculorum edendorum poteſtas erat ad Eccleſiæ ædificationem data: donum ſanationum, pro iis qui per impoſitionem manuum ægrotos ſanabant: gubernationes, pro gubernatoribus Presbyteris, quos Paulus Ro. 12. 8. à cæteris functionibus diſertè diſtinctos vocat προϊσταμένους; opitulationes pro diaconis; dona linguarum, pro iis qui variis linguis in Eccleſia loquebantur: Paulus eadem temerè inculcârit, & ἐνεργήματα cum ipſis donis permiſcuerit.

HAD. SARAVIA.

CONferantur quæ toto vndecimo capite diſputo cum his D. Bezæ rationibus, & quàm manifeſtè κυβερνήσεις ab aliis ſacris functionibus diſcernatur apparebit: & pro miniſtrorum genere, qui tantùm regimini præſunt, & non docent, non poſſe niſi abſurdè accipi. Nam quamuis diſtincta illìc numerentur dona, nihil neceſſe eſt vbíque intelligere diſtinctas perſonas: vt iidem vel Apoſtoli, vel Euangeliſtæ, vel Doctores, κυβερνῆται eſſe non potuerint. Paulus tres diſtinctos ordine gradus paſtorum ponit: poſteà, communia dona Spiritus ſancti recenſet, quæ Apoſtolis, Prophetis, & Doctoribus communia erant: vt temerarium ſit tot ordines diſtinctos in Eccleſia velle conſtituere Miniſtrorum, quot illic recenſentur dona, niſi de diſtinctione aliundè certiùs conſtet. Nam velit nolit D. Beza, cenſura morum Eccleſiaſtica, æque à miniſterio verbi dependet, ac ſacramentorum adminiſtratio: & diſtincta donorum ſpiritus ſancti nomina, quocunque modo enuntientur, concreta vel abſtracta, non eſt neceſſe diſtinctas ſignificare perſonas. Poteſtas edendi miracula, & ſanationum donum, & linguarum, & prophetiæ, in eodem homine eſſe poterant, & erant. Qui his facultatibus erant præditi, ij plerunque erant etiam Apoſtoli, aut Prophetæ, aut Euangeliſtæ, aut Paſtores, ac Doctores. Quidni & κυβερνῆται eſſent? Abſurdum eſſe duo miniſteria Eccleſiaſtica conſtituere ex genere linguarum, & dono ſanationum: ſimiliter ex dono gubernationis, quod Apoſtolis, Euangeliſtis, Paſtoribus omnibus commune fuiſſe fatendum eſt.

Tamen quicquid horum coniunctum non fuit cum miniſterio verbi Dei, alios à verbi miniſtris potuiſſe habere non diffiteor. Hoc tantùm inferre audeo, quòd ſicut nulla illa dona tribui poſſunt cuiquam, qui fidelis non fuerit, quòd cum fide ſint coniuncta, & ab ea dependeant; ita quæ cum miniſterio verbi coniuncta ſunt, ad eos tantùm referri oportet, qui Miniſtri ſunt. Hanc autem vocem προϊστάμενος, eum qui hoc tantum munus in Chriſti Eccleſia obtinet, vt præſit eius regimini, citra verbi miniſterium, ſignificare non demonſtrauit, nec vnquàm demonſtraturus eſt D. Beza, nec alius quiſpiam.

11. D. THEOD. BEZA.

SEd ne istud quidem quicquam ad rem facit, quod posteà hoc loco subiicis de Christiano magistratu, qui à synodis & conciliis Episcoporum Ecclesiæ excludi iure non magis possint, quàm olim Iudaici populi magistratus à sacerdotum concilio. In hoc enim argumento, multiplici distinctione opus est, ne vel Cæsari, quæ Dei sunt, & ipsius Ecclesiæ propria, tribuantur; vel ab Ecclesiæ Ministris, quæ Cæsaris esse Deus voluit, vlurpentur: qua de re alius erit dicendi locus. Hoc autem, de quo hìc agimus, ordinarium quiddam est, & pænè quotidianum in singulis Ecclesiis: synodorum autem & conuentuum indictitiorum alia est ratio.

HAD. SARAVIA.

QVam in hoc argumento multiplicem distinctionem requirat D. Beza, non intelligo. Vellem quod desiderat additum, vt eius pleniorem haberemus de hac re sententiam; cui aut subscribere, aut eam confutare, ad quorundam pleniorem institutionem pollemus. Simplex mea est adsertio, & adeò manifesta vt nihil distinctione opus esse iudicem. In concilio Nicæno Constantinus interfuit: & Laicis ibidem factam esse loquendi & disputandi potestatem D. Beza non diffitetur. Synodo autem Ephesinæ Imperatores suam interposuêre authoritatem, sicut ex literis Imperatoris, & synodalibus apparet: similiter ius improbandi & probandi habuisse, ea quæ ab Episcopis in synodis fiebant. Calcedonensi verò concilio Imperatores, & Valentinianus & Martianus, non tam cum magna nobilitatis parte interfuerunt, quàm præfuerunt. Reges Gottorum conciliis & synodis Hispaniarum olim interesse, & non tantùm de rebus Ecclesiasticis, sed etiam ciuilibus cum clero suo leges condere, & liberare de rebus omnibus ad communem salutem pertinentibus, sicut acta illorum conciliorum testantur, solebant. Hi sunt veri & legitimi seniores populi Christiani, sine quibus nihil quod sit alicuius momenti in Ecclesia agi oportere censeo: sicut olim in populo Iudaico factum fuisse constat.

Nemo, nisi valdè fallor, est orthodoxus theologus, qui Christiano magistratui eam in rebus Ecclesiasticis neget potestatem, quam olim Israelitici reges, & iudices in populo Dei obtinebant.

Nam etsi rex Sacerdotio fungi non poterat, tamen de Sacerdote & quibusuis Sacerdotum functionibus iudicandi plenam potestatem habebat. Quæ sunt Ministrorũ Euangelij partes notum est; nempè verbi Dei prædicatio, sacramentorũ administratio, & censura morum. De quibus certè, ex Dei verbo desumptas leges tàm Pastoribus, quàm populo, rex, & alij supremi in Christiano populo magistratus, dandi potestatem habent. Quod non ita dictum à me velim accipi, quasi ciuiles magistratus constituam rerum diuinarum interpretes, & sacrorum antistites: sed moderatores eorum quæ humanitùs accidere possunt Ecclesiarum Episcopis, vt sistant in eis ambitionis & contentionis impetus. Nam quamdiũ non nisi pia & sancta Dei mandata adferunt Episcopi, ea non minore reuerentia suscipienda sunt à summis magistratibus, quàm à plebe. Cum quæque ciuitas suos magistratus, hoc est, populi seniores habeat, quod de conciliis & synodis Episcoporum dixi, de singulis consistoriis dico, quæ in pleriſque reformatis Ecclesiis recepta sunt.

12. D. THEOD. BEZA.

SEd duo sunt quæ concoquere nonnulli non possunt. Vnum, quòd ex laicis, quos vocant, isti Presbyteri deligantur: alterum, quòd annuum sit eorum munus. Ad prius illud quod attinet, primùm hìc quæro, vndè igitur istos, deligendos putent, si non ex iis quos laicos appellant. Ex clero inquiunt, quem posteà definiunt Ecclesiasticorum cœtum. Quasi scilicet reliquus populus Ecclesiæ nomine non comprehendatur. Mirum autem non est istos Diotrephes Ecclesiæ nomen ausos sibi fuisse venditare, qui ipsam Ecclesiæ communem authoritatem, per sacrilegam audaciam ad se transferre non erubuerunt. Vtinam verò quod optabat olim Moses Num. 11. 29. omnes ex infima etiam plebe possent prophetare, & is esset in Ecclesiis Doctorum diuinitùs hominum numerus qui olim fuit Corinth. 1. Cap. 14.

HAD. SARAVIA.

COntra me non disputat hoc loco D. Beza. Ex laicis non posse Presbyteros eligi, nusquàm docui, nec quenquam in Anglicana noui Ecclesia qui neget, sed hæc concors omnium veterum & Neotericorum rectè sentientium fuit semper, & est sententia, electo & ordinato semel in Presbyterum, in illa sua vocatione esse perseuerandum.

dum. Qui autem sint isti Diotrephes, quos commemorat, nescio: si Anglicanæ Ecclesiæ intelligit Episcopos, errat: eos ab eo crimine quàm longissimè abesse docebimus, quidquid maleuoli contrà criminentur. Et quod D. Beza cum Mose optat, etiam infimæ plebi Christianæ, nemo inuidet.

13. D. THEOD. BEZA.

SEd vt nunc res sunt, hominum negligentiâ, sicut olim in populo Dei, 1. Sam. 3. 1 quem istum in Ecclesiis reformatis clerum nunc esse definiemus? num aliquam eorum turbam, qui ex papistici illius cleri, ac præsertim ex sacrificulorum, quos falso nomine Presbyteros appellant, sententiâ emerserint?

HAD. SARAVIA.

COntra quem pugnet D. Beza, mihi difficile est coniicere: nihil hîc est, quod ad vndecim. cap. mei tractatus referri queat. Si Ecclesiam Anglicanam negligentiæ damnat, résque eo nunc hîc esse statu credit, qui olim fuit in Populo Dei. 1. Sam. 3. cap. quando sermo Domini pretiosus erat, nec erat visio aperta: nimis credulus fuit falsis fratrum, patrúmque suorum accusatoribus, & Ecclesiæ Anglicanæ iniuriam facit. In celebrata synodo anno Domini 1588. inuentus est numerus concionatorum & cathechistarum in hoc Angliæ regno septies mille quadringenti sexaginta tres. Inter quos numerabantur Doctoris theologiæ titulo ab academiis honorati, centum quadraginta quinque, & vtriusque iuris triginta vnus. Baccalaurij theologiæ 348. artium magistri 1820. iuris Baccalaurij 21. & liberalium disciplinarum 946. Catechistæ bis mille septingenti quadraginta sex. Non puto vllo vnquàm æuo Britanniam tot habuisse viros omni scientiarum genere ita insigniter instructos, quot habet hodiè: adeò vt neque trium linguarum exacta cognitione neque scientijs, quæ illis continentur, vlli genti cedat. Quandò hæc recensio facta est, Academiæ baccalaurios theologiæ & artium magistros, qui nullum adhuc Ecclesiæ ministerium susceperant, habebant plusquàm ducentos. Interim non ignoro hîc & vbiq; vt in rebus humanis, multa deesse. Sed hæc noto, propter homines nimiùm querulos, qui quodam fastidio rerũ præsentium, aut prisca, aut aliena, aut ea quæ nusquam sunt, tanquam meliora suspirant. Et vt nôrint exteri accusatoribus gentis suæ, non temerè esse credendum.

Nunc ad D. Bezam redeo. Cleri vocabulũ Anglicana Ecclesia retinuit: quod dum odiosiùs D. Beza exagitat, plus Ecclesiæ nocet, quàm prodest: piissimos simul & doctissimos viros, qui suum sanguinẽ pro adserenda Euangelij veritate fuderunt, in clero censeri non puduit. Quàm sit Christiana hæc interrogatio, *videlicet, quem istum in Ecclesiis reformatis clerum nunc esse definiemus? num aliquam eorum turbam qui ex papistici illius cleri, ac præsertim ex sacrificulorũ, quos falso nomine Presbyteros appellant, sententiâ emerserint?* Scire Bezam oportet, turbam qui ex papistici illius cleri, ac præsertim sacrificulorum (quos falso nomine Presbyteros appellabant) sententiâ emerserant, Christi Ecclesiam hîc reformâsse, & sanguine suo irrigâsse: quorum certè spiritibus cum Christo in cœlo triumphantibus, vt imprudenter (imprudenti enim D. Bezæ id excidisse interpretari lubet) ita nimis certè procaciter insultat. Quod eos attinet qui adhùc restant in Anglia superstites, qui pauci sunt, eis cõuitium facit: & quod laudem meretur, vitio vertit. Quamuis sub tyrannide Episcopi Romani, qui sunt Ecclesiæ ministerio mancipati, clerici significentur nomine; cùm hoc sit antiquius Romano pontifice, sub Christo Ecclesiæ ministrorum ordo à cæteris Christianis, eodem vocabulo hîc in Anglia discernitur. Dum minutula hæc theologorũ morositas insectatur, plus odij & inuidiæ Christi Ecclesiis conflatur, quàm fauoris & gratiæ conciliatur.

14. D. BEZA.

NAm tu quoque paulò antè, noua ordinatione papistici Episcopi ad Christum transeuntibus opus non esse dixisti: qua in re, quatenus & quare tibi assentiri non possim, anteà respondi: & nunc hoc loco responsum velim.

HAD. SARAVIA.

DOm. Beza hîc ad me redit, & quid responderit, ad meam de Presbyteris & Episcopis Romanæ Ecclesiæ, ad Domini nostri Iesu Christi veritatem conuersis, sententiam commemorat: vter autem nostrũm duorum melius sentiat, magísque ex vti-

litate

litate & pace Ecclesiæ, cãdidi lectores iudicent: sententiæ meæ non me pudet, pigétue, nec de ea quicquam muto.

15. D. THEOD. BEZA.

CAeterùm istius, non papistici, sed Christiani, & reformati cleri nomine (si quidem hoc nomine abuti placet) ego quidem non video, quinam alij censeri possint, quàm Pastores, Doctores, & Diaconi, nisi quis illis adiungat studiosos (vt loquuntur) clericos, qui Ecclesiæ sumptibus ad sacrum ministerium aluntur: quos tamen nullus, vt arbitror, censuerit Ecclesiasticæ iurisdictioni & censuræ adhibendos. Atqui Pastores & Doctores sunt ipsa potissima consistorij, siue Presbyterij Ecclesiastici pars. Diaconos autem si talis esset facultatum Ecclesiasticarum administratio, qualis vtinàm restitui posset, ipsa illius muneris difficultas, à duplici, nempè Diaconatus & Presbyteratus munere, nisi summa vrgeret necessitas, excusaret.

HAD. SARAVIA.

AMbigere D. Bezam miror quinam in clero censendi sint, cùm res ipsis pueris nota sit. Neminem in clero censeri, qui non sit ad aliquod Ecclesiæ ministerij ordinatus antiquitas tradidit. Quod Romanus Episcopus innumeros monachorũ, hæremitarum, & cœnobitarum greges, clero adiunxit: cum ijs quibus Episcopus tres quatuórue crines detonderat, nouum est. Sed quorsùm verbosiùs hæc commemorantur?

16. D. THEOD. BEZA.

SVpersunt ergo reliqui ex populo, quos dum à Presbyteratu excludis, omnem certè Presbyteratum tollis; qualem tu ipse in vetere populo diuinitùs constitutum fuisse agnoscis, & nos in Ecclesia Christiana restituti cupimus. Est enim hæc diuina ordinatio, quã abrogare fuit nefas: & sic quoque prudentissimé tum olim sub sacerdotio leuitico seniores populi sacerdotibus, tum posteà in Ecclesia Christiana, ætate & prudentia graues homines Pastoribus in Ecclesiastica iurisdictione adiuncti sunt ex reliquo Ecclesiæ cœtu, ne sicut quod totius erat Ecclesiæ, ambitiosi illi Sacerdotes olim arripuerunt, sic posteà nihilo meliore conscientia præditi in Ecclesia Christiana Pastores ad se pertraherent. Et hoc malum tamen, fateor, ne si quidem, neque sub leuitico sacerdotio, Asmonæis diadema regium pontificiæ thiaræ adiungentibus: neque in Ecclesia Christiana, inuecto illo graduum hierarchicorum imperio, quod tandẽ ipsos suis pedibus reges subiecit, caueri potuisse.

HAD. SARAVIA.

QVid D. Beza? num ipse reliquum populum in Presbyteratu non includit? ergo nullum discrimen est inter Ecclesiæ ministros & reliquos Christianos. Num qui populum à Presbyteratu excludit, Presbyteratum tollit? sana profectò hæc mihi non videtur oratio; nam & ipse Beza Populum Presbyteratu excludit. Sed quorsum hæc? & contra quem? legat lector 11. caput mei tractatus, & ibi quærat contra quam eius partem disputet D. Beza. Ego certè quò hæc, & superiora, quæ 15. 14. & 13. sectionibus, & partem 12. disputantur, debeam referre, non inuenio. Quod ego in vetere populo institutum fuisse dixi, vt seniores populi, hoc est, principes viri simul cum sacerdotibus & leuitis præessent iudicijs Ecclesiasticis, liberũ in Ecclesia Christi relinquo: id enim ad Politeiam illius populi pertinebat. Quod vt in Ecclesia & republ. Christiana constitui vtile & bonum iudico, ita nullam Ecclesiam, nullam rempub. illa lege diuina teneri adfirmo: nisi fortè cogat necessitas, aut inuitet magna vtilitas, & ædificatio Ecclesiæ requirat: ita tamen vt non cõmisceantur cum Pastoribus, nec adsumpti credantur seniores, in eundem cum Pastoribus ordinem.

Seniores enim Israelitici, nec Leuitæ, nec Sacerdotes fiebant; & quamuis paria eorũ essent suffragia, & authoritas in omnibus iudicijs, cum suffragijs sacerdotum; non miscebantur cum eis, vt vnum constituerent ordinem. Disciplina Mosaica ciuilis fuit & politica, quæ gladij coercitionem habebat: in ea re diuersa ab ea, quam Dominus & Apostoli in Ecclesia constituerunt. Et turpiter errant qui duo consistoria fuisse in Dei populo disputant: nisi aliquod merè Ecclesiasticum fuisse intelligant, quod circa cæremonias & expiationes, ritus & sacrificia, & quicquid ad tabernaculum aut templum pertinebat, versabatur. Sed in hoc consistorio nulla censura morũ exercebatur; proindè eidem interesse populi seniores reipub. non intererat.

Consentaneum est cum Dei verbo, quod Rabbi Moses de Cozi tradit, nempe fuisse duo Sanhedrim, magnum & paruum: magnum vnum quod erat Hierosolymis, ex 70 viris

viris constitutum: paruum in singulis ciuitatibus complectens 23. sapientes, qui in portis ciuitatum sedebant. In pagis & minoribus locis, qui centum & 20 ciues non habebant, Sanhedrim nullum erat: sed tres tantùm iudices ibi præficiebantur. Sanhedrim autem paruum & magnum constituebatur ex Sacerdotibus & Leuitis, & nobilioribus Iudæis: & à paruis erat prouocatio ad magnum Sanhedrim. Ex origine huius vocis non est æstimanda ipsa res, quod tum inceperit quando eâ Iudæi cœperunt vti. In Deut. 16. cap. Deus populo suo mandauerat, vt iudices & præfectos sibi constitueret, secundum tribus suas, in omnibus ciuitatibus, quas eis ipse daturus erat; & capite sequenti legem appellationis tulit; qua iubebat vt in omni re difficili Sacerdotes Leuitici generis, & Iudices consulerentur.

Nimis leue & infirmum est quod adferri solet; vt duo cõsistoria demonstrentur, ex verbis Iosaphati ad iudices, quos tum in omnibus locis constituerat, cũ imprimis Hierosolymis, quandò dixit: *Ecce Amaria sacerdos apud vos est, in omni negotio Domini: Et Zebadiahu filius Ismael princeps domus Iuda, est super negotia Regis &c.* Quibus verbis ciuilia negotia, causæque forenses, ab Ecclesiasticis, non rectè intelliguntur distincta, vt illis præfectus fuerit Zebadiahu, his verò Amaria: cùm ibi militiæ, pacisq; negotia, & iudiciorum iurisque, atque armorum bellique diuersæ prouinciæ notantur. Nam præter iudiciorum curam, ratio regi habenda est fisci, militiæ, munitionũ, prælidiorum, aliorumque omniũ quibus opus est, vt ab hostili inuasione regni fines defendantur, & ciues in otio & pace vitam degant. Similis locutio extat 1. Paral. 26. c. vbi præfecturas regni inter Leuitas Dauid distribuit: *Et Hebronitas vltra Iordanem præfecit in omni negotio diuino & ministerio regis: & vltimo versu, Dauid super Rubenitas & Gaditas, & super dimidiam tribum Manasse, constituisse dicitur quosdã in omni negotio Dei, atque negotio regis; eodem prorsùs sensu quo superiùs.* Negotium verò Dei quod fuerit, non ab incertis coniecturis petendum est, sed ex ipsis scripturæ claris, & adeò perspicuis verbis, vt mirũ sit quemquã aliò potuisse ea trahere. Primùm iudices dicuntur constitui per omnes ciuitates, & dixisse regem ad iudices, *Videte quid agatis, non enim pro homine, sed pro Deo iudicia decernitis, quippe qui iuxta vos est in causa iudicij.* Deinde vt omnes intelligant omne causarum genus ad hos iudices delatum, subiungitur, *Omnis causa quæ venerit ad vos de fratribus vestris habitantibus in ciuitatibus suis, inter sanguinem & sanguinem, inter legem & præceptũ, inter statuta & iudicia, monebitis eos:* Quibus verbis allusisse Iosaphat videtur ad illud Deut. 17. cap. vbi Moses consulere iussit Sacerdotes Leuitici generis, & Iudicem his verbis, *Si aliqua difficilis causa apud te in iudicio nata fuerit, inter sanguinem & sanguinẽ, inter causam & causam, inter plagam & plagam, causæ inquam contentiosæ in portis tuis, surges & ascendes ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.* His verbis contineri omne causarũ genus tam ciuilium quàm capitalium, nemò meo iudicio, nisi tergiuersando, negare potest. Hæc autem collegia iudicum composita fuisse ex Sacerdotibus & Leuitis, ac senioribus populi, de omnibus iudicâsse causis notum est. Quæ res, idcirco Domini dicitur, quia legum ciuilium illius populi Deus erat author, & ius ciuile Iudaicum pars theologiæ fuit: vndè factum est, vt in populo Dei, iidẽ fuerint theologi & iurisconsulti. Hunc morem etiam apud alias agentes quondàm fuisse, prophanæ docent historiæ.

Hodiè verò apud Christianos alia est ratio: non enim sunt iurisprudentia & theologia coniunctæ, vt olim: sunt nunc diuersæ & diuersorum hominum professiones: & pauci admodùm sunt, qui hæc duo studia simul coniungant. Et liquidò possunt separatim vtrique sua habere iudicia, idque fuerit conducibilius tum reipub. tum Ecclesiæ: modò alter alterius fines non inuadat, & in rebus, quæ pariter vtrique competunt, consilia communicent. Habet quæque respublica & Ecclesia plenam libertatem statuendi in hac re, quod præsens rerum status, conditióque postulat. Quæ cùm olim præcepto diuino coniuncta fuerint in populo Israelitico, luce clarius apparet, seniores Israeliticos cum Leuitis & Sacerdotibus fuisse Iudices & Magistratus ciuiles, nec quicquam habere commune cum Presbyteris Christianæ Ecclesiæ. Illi de capite ac fortunis Israelitarum iudicare, & fustigationibus coercere, poterant. Hinc Apostoli virgis cæsi in eorum concilio leguntur: & Paulus se quinquies à Iudæis quadragenas plagas vnâ minùs accepisse gloriatur. Qui proculdubiò vitæ Apostoli non pepercis-

sent;

sent, si capitis iudicium à Romanis ademptum ipsis non fuisset. Huius generis Presbyteros, Apostoli nullos constituerunt, nec constituendos præceperunt.

Censuram Ecclesiæ suæ, Dominus diuersam constituit ab ea quæ fuit tempore legis sub Mose: nihil enim eam habere voluit, quod esset ciuilis imperij; ne (vt pluries dixi) eius prætextu, leges, iuraque gentium, ciuilesque administrationes, Apostoli, aliique Ecclesiarum Pastores perturbarent, aut sibi adsumerent. Quocirca quamuis Ecclesiæ censuram, censeam esse iuris diuini, ad eam tamen adhiberi alios quàm verbi Dei Ministros, etiamsi sacrarum literarum sint periti, absoluta nulla necessitate, arbitror. Non tamen excludo à rebus & iudiciis Ecclesiasticis, viros pietate & eruditione graues, qui de iure, aut scripturarum sensu rectè iudicare possunt, siue illi Magistratu fungantur, siue in repub. viuant priuati: vt temerariis consiliis Presbyterorum intercedant, si fortè authoritate sua vellent abuti. Et his ego nullum tempus, quo vacent, operámque dent Ecclesiæ, & rebus Ecclesiasticis, simul cum Pastoribus Ecclesiarum, & verbi Dei ministris, præscribo.

Quod Dom. Beza subiungit de Asmonæis, qui Pontificiæ thiaræ regium diadema adiunxerunt, ab ambitione eorum profectũ hoc est, non ab illa diuina ordinatione, qua vnus summus Sacerdos eminebat cæteris omnibus Sacerdotibus: nec indè quòd sub eo diuersi gradus seniorum, hoc est, principum, Sacerdotum, & Leuitarum erant. Et quemadmodum ineptè quis ratiocinaretur, damnandam fuisse Pontificiam illam excellentiam supra cæteros omnes Sacerdotes, quia tandem post tot secula, quod antea nunquàm, inuenti sunt Sacerdotes, qui regium fastigium vsurpârunt: ita malè ratiocinatur D. Beza, quandò Hierarchicorum graduum in Ecclesia ordinationem tollit, quòd eò prouectum superbiæ vnum Romanum Episcopum videmus, vt reges suis pedibus subiecerit. Quod antè dixi, iterum repeto: quisquis hoc modo disputat, argumentatur à non causa tanquàm à causa. Hierarchicos gradus æque in nouo testamento, atque in veteri, D. Beza pluribus in locis iam suprà confessus est, sed temporarios: de qua re statim plura videbimus.

17. D. Theod. Beza.

Sed & illud constat laicis quoque, id est, priuatis, factum in synodo Nicena loquendi & disputandi facultatem: &, sicut olim in Iudæorum synagogis Christus, non tantùm legentes & docentes audiuit, verùm etiam interrogauit, Luc. 2. 46. & 4. 16. (extra ordinem quidem quod ad ætatem attinet, at non præter morẽ: Actor. 13. ve. 15.) sic fuisse in Christianæ quoque Ecclesiæ sacris ad docendũ conuentibus factitatum; apertè liquere potest ex 1. Cor. 14. modò id ordine fieret. Sed & multò etiam magis id constat, ex iis quæ tu ipse posteà citas, cap. 26. & quondàm Demetrio Alexandrino Episcopo hunc morem reprehendenti, totidem illis verbis, Eusebio teste, libro Ecclesiasticæ historiæ sexto, Theoctistus Cæsarienſis, & Alexander Hierosolymitanus, Episcopi, spectatè & præstantes præ cæteris respondêrunt, vt pluribus refert Nicephorus, lib. 5. cap. 14. vbi reperiuntur idonei homines, qui doctrinâ suâ prodesse fratribus possint, si sanctorum Episcoporum iussu & permissione per cohortationes ad populũ verba faciant, id offendiculo non est: sicuti apud Larandos Euelpis à Neone, Iconii Paulinus à Cello, Synnadæ Theodorus ab Attico, à beatis illis fratribus inuitati fecerunt. Verisimile autẽ est in aliis quoque locis idem factitatum. Illud tamen verùm est, aliud esse inuitatum, interdum in sacro cœtu loqui, quàm ad ordinariam sacram functionem iurisdictionis pastoribus adiungi. Sed vicissim plus est docere, & exhortari populum publicè, quàm in censura morum, in Pastorum cœtu sententiæ dicendæ ius ad tempus habere.

Had. Saravia.

Dom. Beza hoc loco nihil dicit quod meæ sententiæ aduersatur: sed miror eum nulla hîc distinctione vsum, qui à me multiplicem requirit, quandò dico à conciliis & synodis Episcoporum, Christianos Magistratus non debere excludi. Est aliud quòd quis miretur D. Bezam laici vti voce, quod in aliis displicet & reprehendit. Item quid tandem ex his historiis, quas allegauit, conclusum putat? Comparat verbi Dei prædicationem cum censura morum; quæ quamuis inter se differant, & maius quiddam sit publicè docere, & exhortari populum, quàm in Pastorum cœtu, sententiæ dicendæ ius de censura morum habere, laico id æquè cõcedi quod minus est, posse, argumentatur, sicut verbi prædicatio conceditur. Sed fallitur D. Beza: quia permissio, vel iussus, vel potestas ab Episcopo concessa laico concionandi, quamuis Doctoris ei nomen & officium concedat, eum Presbyterum non creat. Quòd si Beza Presbyteros

teros ex diuina institutione, & Apostolica traditione suos laicos consistoriales non contenderet esse, bona pars nostræ controuersiæ decisa esset: tantùm inter nos controuersum maneret, num censura Ecclesiastica cuiquam cõmitti possit qui verbi Dei Minister non est, nec mysteria dispensandi habet potestatem, idque ad tempus.

18. D. BEZA.

SEd (inquis) in arbitrio serui Christi non est, à semel suscepto ministerio sese temerè abdicare: Esto. Neque vero temerè nostri Presbyteri, vel ipsi sese deponunt, vel deponuntur. Imò summo studio retinentur, qui fidem suam & diligentiam in suo Presbyteratu probârunt. Quòd autem certum illis spatium, vel annuum, vel longius, consistorialibus legibus præscribitur; partim idcirco fit, quòd plerique alioqui munus istud vltrò, vt nunc sunt tempora, sint recusaturi: deindè quòd, quamuis legitimè & ita vt oportuit delectos, experientia posteà interdum testetur expedire mutari. Hoc autem alioqui absque ipsorum existimationis detrimento aliter fieri non posset.

HAD. SARAVIA.

RAtiocinationes contra diuinas ordinationes admittendæ non sunt. Dixi in arbitrio serui Christi non esse, à semel suscepto ministerio sese abdicare, cui veræ & ex verbo Dei deductæ sententiæ authoritatem Domini subiunxi, nempe hanc. *Qui mittit manum ad aratrum, & aspicit retrò, non est aptus regno Dei.* Huic sententiæ (quod quiuis facilè colligere potuit) non addidi, neq; etiam fas esse Ecclesiæ eos qui duplici honore digni sunt, quòd bene præsint, exautorare, & ministerio tẽpus definire, quod Deus non definiuit: & id nunquam in probatis Ecclesiis esse factitatum. Quas omnes rationes inuictas, quomodo D. Beza soluat, quæso animaduertite. *Neq; verò* (inquit) *temerè nostri Presbyteri, vel ipsi sese deponunt, vel deponuntur. Imò summo studio retinentur, qui fidem suam & diligentiam in suo Presbyteratu probârunt.* Tamen statim causas subnectit, cur consistoriales leges vltra definitum tempus, non patiantur cuiquã Presbyterium prorogari. Cui sana potest hæc videri ratio? quid aliud hîc dicit D. Beza; quã retineri summo studio seniores, & etiam non retineri? nisi fortè quidam retinentur, & quidam non retinentur. Sed obsecro qui sunt illi qui retinentur, cùm id consistoriales leges non sinant? Quòd si contra leges fit, bis peccatur: tum quòd contra leges, tum quòd sine aliorum, qui dimittuntur, opprobrio non fit. Sed frustrà allegantur leges de quibus controuersia est, num ferri potuerint, num iustæ & æquæ sint: frustrà allegantur hominum leges, contrariæ diuinis institutis.

Rationes quibus permoti consistorialium legum authores, vt ministerio tempus constituerent, nihil ponderis habent, contra diuinam legem. Dicit enim, quod & ipse iam olim non ignoraui, tempus ministerio esse idcircò definitum, quòd plerique alioqui munus istud, vt nunc sunt tempora, sint recusaturi. Sed D. Bezæ respondeo, quod ipse mihi in alia quauis re esset responsurus; diuina instituta non inflectenda ad rationem temporum, sed tempora reformanda ad normam diuinorum institutorum.

Præterea quod de experientia ait, eam interdum testari, legitimè & ita vt oportuit delectos, expedire, mutari, quod absque ipsorum existimationis detrimento aliter fieri non posset, nihil est; nisi maior sit habenda ratio existimationis alicuius homunculi, quàm instituti diuini & Ecclesiæ Dei. Quòd si rationes istæ valere debent, cur non etiam in re grauioris momenti eas valere sinit? Longè grauius profectò est Pastoris & Doctoris perpetui officium, qui expectationem hominum non secùs fallere possunt, quàm isti Presbyteri: tamen in illo nihil horum habet locum.

Quid causæ est cur ex vna Geneuensi vrbe & populo, iudicium fecerint primi horũ seniorum inuentores, de cæteris omnibus nationibus? Quòd Geneuæ perpetui seniores haberi non potuerunt, idcircò nullibi? Æquumnè fuit ex statu vnius paruæ reipublicæ, & populi vnius ingenio, vniuersum populum Christianum æstimari? Adeóne vbique terrarum felices in hac re quondàm fuêre omnes Ecclesiæ, & earum felicia tempora, vt seniores perpetuos habere potuerint, hodiè nusquàm habere possint?

Sed quùm prohibere donum linguarum, & prophetiam, atque earum interpretationem supprimere, Ecclesiæ Christi non liceat, nec vnquàm licuerit; discerem lubenter an *ἀυθεντήσεως* Ecclesiæ tam necessarium donũ supprimere possit in eo qui legitimè vocatus est, aut ei tempus præscribere. Idem quæro an cuiquam Ecclesia definire tẽpus, quamdiù loqui linguis, easque interpretari, aut quamdiù prophetare debuerit.

Quod

Quod de loco, de hora, de ordine, vbi, quandò, quamdiû, quo ordine, hæc in Ecclesia fient, constituit Ecclesia; hoc ad ordinem & eutaxiam pertinet. Et vndè hæc authoritas vt definiat, quamdiû quis gubernare debeat Ecclesiam, qui & donum habet, & legitimè vocatus est? Dona Spiritus sancti, sunt talenta, vt dixi, vsuræ committenda ad vtilitatem Domini; quæ humi defodi, absque sacrilegio non possunt. Quare videant quomodò sibi constent, qui hoc genus Presbyterorum annuum in Ecclesiam inuexerunt. Quando aiunt, diuinum illud esse institutum, & tamen sua authoritate tempus definiunt, quod Deus nunquam fecit, excusari a peccato non possunt. Sed vt finiam; non tantùm in tempore, sed in ipsa re peccatur. Quamuis hoc Presbyterorum genus perpetuum esset, non minùs esset illegitimum: quòd non ad totam functionem vocentur Presbyterorum; sed tantùm ad eam partem, quæ dependet ab aliis duabus; nempe à verbi Dei prædicatione, & à sacramentorũ administratione. Quarum potestatem qui non habet, nec ius ei exercendæ censuræ Ecclesiasticæ competere potest.

19. D. THEOD. BEZA.

AD hæc & illud accedit, quod Ecclesiæ ad Ecclesiasticam tyrannidem vitandam maximè interest, vt aliqui etiam ex populo nôrint, quid in Consistoriis, & Ecclesiastica iurisdictione geratur, & quàm rectè leges de iis rebus positæ obseruentur: sicut olim Romæ cohibendæ senatoriæ potestati cautum erat, vt tribuni quoque plebis senatui interessent, & senatusconsultis intercedendi ius haberent.

HAD. SARAVIA.

IDem iudico, nec quicquam repugno; modò qui adsunt siue ex Magistratu, siue ex aliis ciuibus, non commisceantur veris, & non nomine tenùs Ecclesiarũ Ministris, & omnis vocationum tollatur confusio. Non me ab hac sententia deterrerit, quæ indè nascitura metuuntur à nonnullis incommoda. Si quandò de stupro, de furto, aut alio quouis crimine, quod legibus vindicatur, quempiam compellari continget in consistorio; ea prudentia Magistratuum & Pastorum facilè vitabit.

20. D. THEOD. BEZA.

QVod igitur nobis ex Tertulliano, quasi in nos scriptum, obijcis, calumniâ non caret. Nec enim sacerdotalia munera, id est, Pastorum propria, Presbyteris committimus, nec temerariæ sunt Presbyterorum apud nos ordinationes, neque quoad eius fieri potest, leues, inconstantes, aut neophyti, aut huic seculo sic obstricti, vt Ecclesiæ suam operam cõmodè præstare nequeant; multò minùs Apostatæ: sed, quoad eius fieri potest, ex Apostolica norma idonei iudicati deliguntur, nisi ficubi contra leges peccatur.

HAD. SARAVIA.

TAntùm abest, vt calumniâ, aut criminationibus delecter in cuiusquam opprobrium, vt cupiam esse falsum & calumniã quod scripsi, cum existimationis meæ iactura. Sed D. Beza parùm est candidus mentis meæ interpres; qui Tertullianũ non citaui, vt omnia, quæ illìc contra hæreticos scribit, Ecclesiis nostris exprobrarẽ. Controuersia de qua inter nos disceptatur nota est; nempe de temporarijs Presbyteris: & nihil in illo Tertullianĩ loco est, quod quæstioni nostræ aptari possit, nisi illud, *Alius hodiè Episcopus, cras alius; hodiè diaconus, qui cras lector; hodiè Presbyter, qui cras laicus*: quæ à D. Beza dissimulantur, nihilque ad ea respondet, & purgat Ecclesias de crimninibus, quæ nusquàm eis objicio.

Nota: *Hæc sectio D. Bezæ vnà cum responsione Saraniana pertinet ad finem Capitis decimi, supra folio* 107.

21. D. THEOD. BEZA.

VEros autem Euangelistas illos Timotheum & Titum, & alios similiter delegatos ab Apostolis, agnosco certè; non tamen vt alteram Pastorum propriè sic appellatorum speciem, sed vt per Apostolum Ephe. 4. 11. tum nomine, tum functione à Pastoribus distinctos; non eotantùm quòd ipsi quidem pluribus Ecclesiis, Pastores autem suis vnis præerant: verùm etiam quòd illi quidem Euangelistæ vocati, quasi subsidiarij quidam Apostoli, varios in locos partìm operi ab Apostolis inchoato perficiendo; partim confirmandis iam constitutis Ecclesiis, & quidem ad tempus, mittebantur. Pastores autem suis quisque priuatis Ecclesiis erant addicti. Malè igitur ex duabus nomine & re diuersis functionibus, vnam bimembrem duarum specierum conflâsti; & Ecclesiasticam functionem temporariam cum ordinaria con-

ria confudisti; vt Metropolitanorum & Archiepiscoporum gradus non humanitùs, sed diuinitùs constitutos; id est, non simpliciter positiui, vt loquuntur, sed verè diuini iuris esse nobis persuadeas.

HAD. SARAVIA.

CLarissimus vir D. Beza adsertioni meæ, negantem opponit sententiam: veros ait Euangelistas Titum & Timotheum: sed nec sua probat, nec mea confutat. Titum, & Timotheum, atque alios præterea, delegatos fuisse ab Apostolis ait: sed non vt alteram Pastorum speciem constituerent. Sed hoc non æquat eos cum Philippo & Barnaba, cæteris que, quos Dominus dederat legatos Apostolis, vocanturque etiam Apostoli 1. Cor. 15. c. 7. ver. quod secundarij reuerâ essent Apostoli: qui & potestatem habebant etiam adsumendi secum adiutores; quibus eandem committebant prouinciam, quam Paulus Tito & Timotheo: sicut apparet factum in Marco Act. 15. cap. 39. ad Colo. 4. cap. 10 Hos autem nisi pares & æquales illis fecerit, nunquam veros fuisse Euangelistas docuerit; nisi dixisse, docuisse sit.

Quod D. Beza præterea dicit, tantum ad tempus Titum & Timotheum ab Apostolo missos, ad certum aliquod negotium obeundum: id quidem verum esse fateor, si pleraque species loca, nempè Corinthum, aut particularem aliam Ecclesiam, quò tantum cum literis, & mandatis Apostolicis mittebantur, non illic mansuri, sed perfecto negotio ad Paulum reuersuri. Inde absolutè non concluditur, semper & vbique temporariam fuisse Titi vel Timothei vocationem; finitamque, obita particulari quapiam legatione. Isti Apostolorũ si tantùm erant delegati; & Euangelistam esse, nihil fuerit aliud, quam esse delegatum ab Apostolo; cessauerit illud officiũ, Apostolo mortuo, qui delegârat. Gratiâ exempli, si Paulus Tychicum miserat Ephesum, & Titum in Dalmatiam, cum mandatis ad Ecclesias, quò ipse non poterat ire, tantùm ad certũ opus, interea temporis mortuus sit Paulus; legatio illa Titi & Tychici quoque cessauerit. Quod certè de ministerio Barnabæ, & aliorum, quos DOMINVS Euangelistas constituerat, dici non potest. Sed quodcunque creditur fuisse Timothei officium, permansurum erat, post Pauli mortem: aliàs vana fuisset exhortatio illa, quæ in posteriorem Epistolæ ad ipsum cap. vltimo legitur facta, paulò ante Apostoli mortem. Et in priore officium Episcopi, imò & Archiepiscopi describitur. Nam si Euangelista fuit, ergo & ab hominibus institutus fuerunt Euangelistæ: quod falsum esse, ex iis, quæ (vt admonuimus) in Philippo & Barnaba notanda sunt, manifestum est. Et secundarios Apostolos fuisse, & veros Euangelistas, quos Dominus ipse simul cum Apostolis docuerat, & post adscensionem in cœlos Spiritum sanctum miserat, euicimus: à quo honoris gradu cùm absit Timotheus, numerari non potest inter Euangelij Ministros, qui fuêre temporarij.

Illud enim officium, quod in illa Epistola describitur ordinandi Presbyteros, & Episcopos, per impositionem manuum; & de Presbyteris iudicandi auditis accusationibus potestas, est in Ecclesia perpetuum, & indè ab Apostolorũ temporibus fuit penès Episcopos. Timotheum ergo & Titum, & Marcum fuisse Episcopos, vera cõmunis illa patrum est sententia. Chrysostomus ait Timotheo Ecclesiam, & totam Asiaticam gentem fuisse creditam. Qui Apostolos non habuisse successores, & simul cum ipsis Apostolis interiisse Apostolicam authoritatem arbitrantur, etiam dicant consequens est, quicquid Paulus, & alij Apostoli mandâssent, cum Apostolica coniunctum potestate, ante suam mortem, desiisse ipsorum morte. Atque ita si inter Pastores Timotheus & Titus non numerantur, Euangelistæ sublato munere, desierunt morte Apostolorum esse Euangelij Ministri: vtpotè qui nullius certæ fuissent Episcopi Ecclesiæ ordinati. Atqui hoc falsum & absurdum est. Non fuit igitur aut Euangelistæ officium legatio tantùm vicaria, aut subsidiaria; sed absoluta & permanens, durante vita Euangelistæ: aut Episcopos fuisse, necessariò consequitur. Verum igitur est, quod

dixi. Primùm ab ipso Domino duos gradus Euangelij Ministrorum institutos; quorum alter altero fuit superior: & postea ab ipsis Apostolis similiter duos.

(·.·)

Had. Saravia.

Interpretatio loci Ambrosiani.

CAPVT XII.

Quod ex Ambrosio adferri solet, ad Presbyterorum ordinem, quem hodiè reformatæ nonnullæ Ecclesiæ recipiunt confirmandum, prorsùs alienum est ab hac quæstione. Loquitur enim Ambrosius de senioribus ætate, non officio, quos olim Episcopi & Presbyteri in consilium adhibebant, quemadmodùm vetus synagoga facere consueuerat. Ipse non æquiparat eos cum Presbyteris vocatione, quos habebat, & qui cum eo Ecclesiam Mediolanensem regebant: sed queritur, viros ætate graues, quos duriùs redargui Apostolus non vult, in eo pretio non remansisse apud Ecclesiæ Doctores, quo olim fuerant. Exponens enim verba illa Pauli ad Timotheum: Seniorem ne increpaueris, sed exhortare vt patrem, *ita scribit:* Propter honorificentiam ætatis maiorem natu mansuetudine ad bonum opus prouocandum, vt facilius suscipiat admonitionē: potest enim vereri cōmonitus, ne postea corripiatur, quod turpe est seniori. Nam apud omnes vtique gentes honorabilis est senectus, vnde & synagoga, & postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia: quod qua negligentia obsoleuerit, nescio; nisi forte doctorum desidia aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri. *Hæc Ambrosius, qui nihil minùs cogitauit, quàm indicare Ministrorum aliquem ordinē institutum ab Apostolis interiisse: habebat enim suos Presbyteros qui cum eo Ecclesiam regebant: ipsa quoque verba apertè indicant ipsum loqui de senioribus ætate, non officio.*

Ego non auersor, si quis seniores rerum peritos in consilium admittat rerum Ecclesiasticarum: sed hoc contendo, tales inter Ecclesiæ Ministros, & Presbyteros, quos Apostoli ordinârunt, non censeri: & eos errare, qui Presbyteros aut seniores quarundam Ecclesiarum reformatarū nostri temporis esse putant eiusdem generis cum ijs, quos Apostoli ordinâsse narrantur, Act. 14. & à Paulo accersiti Epheso, 20. cap. quorum amplam descriptionem, & muneris ipsorum, Epistolæ ad Timotheum & Tit. continent.

Ecclesiæ Anglicanæ reformatio ædituos habet in singulis parœchiis, qui speciem habent quandam istorum seniorum; & vulgo dicuntur Oeconomi siue Guardiani bonorum Ecclesiæ: nullam quidem habent authoritatem arcendi à sacris: sed si quis excommunicatus sese in cœtū velit ingerere, operam suam adhibent, monitu Ministri, vt pellatur. Eorum munus lege constitutum hoc est, vt bona ac reditus Ecclesiæ colligant, custodiant, erogent: nauem templi, cæteráque sarta tecta conseruent, indicem baptismorum, matrimoniorum, sepulturarum cum ministro custodiant, delinquentes, ac inordinatè viuentes moneant, incorrigibiles, infamatos, scandalosos, ad Episcopum, eiusue surrogatos, puniendos ac coercendos deferant, idque iuramento interposito: dispiciant etiam, qui diebus Dominicis, vel festis, à diuinis precibus absunt, ab eisque mulctam lege impositam exigant, nec non silentio ac decoro, dum diuina geruntur, prospiciant. Simile aliquod seniorum genus si habuit vetus Ecclesia, inter Presbyteros & Episcopos à veteribus non numerātur, apud quos laici ab Ecclesiæ ministris fuerūt distincti.

In

in Apologetico Tertulliani, seniores, qui in cœtibus Christianorum leguntur præsedisse, Episcopi & Presbyteri fuerunt, non laici: nisi secum pugnantem eum facere velimus, qui hæreticis exprobrat, quòd Sacerdotalia munera laicis iniungerent.

Hæc à me dicta non velim accipi, tanquam reformatas illas Ecclesias accusem, quæ simili quodam genere seniorum uti videntur, quos desiderasse videtur Ambrosius. Ego ipse illis sum usus, quando Pastoris munere in Ecclesia quibusdam reformatis functus sum. Sublatâ enim Papisticorum Episcoporum tyrannide, cùm illi iidē qui verè Presbyteri sunt, etiam fungantur officio Episcopi, totū Ecclesiæ regimen absque tyrannidis suspicione in se recipere non potuerunt. Itaque necessarium fuit ex corpore totius Ecclesiæ pios homines eis adiungere. Nam sine illo fratrum præsidio improbitati resistere, malósque in ordinē cogere, non esset possibile.

1. D. Theod. Beza. in caput 12.

Ambrosius scribit in hunc Pauli locum 1. Timo. 5. 1. *Seniorem ne increpaueris, sed exhortare vt patrem*: propter honorificentiam ætatis (inquit) maiorem natu dicit Apostolus, cum mansuetudine ad bonum opus prouocandum, vt facilius suscipiat admonitionem. Potest enim vereri, ne commonitus, postea corripiatur, quod turpe est seniori. Nam apud omnes vtique gentes honorabilis est senectus: vnde & Synagoga, & posteà Ecclesia seniores habuit, sine quorum consilio nihil agebatur in Ecclesia: quod quà negligentiâ obsolenerit, nescio: nisi fortè doctorum desidiâ, aut magis superbiâ, dum soli volunt aliquid videri. Ad hoc verò testimonium, quo affirmamus liquere nostrum illud Presbyterium à Pastoribus, quatenus Pastores sunt, diuersum, tum diuinitùs fuisse in Ecclesia constitutum, sicut in synagoga: tum Pastorum, vel negligentiâ, vel superbiâ desisse, quid tu respondes? Hoc (inquis) prorsùs alienum est ab hac quæstione. Loquitur enim Ambrosius de senioribus ætate non officio. Responsum profectò valdè confidens: sed quàm firmum?

Had. Saravia.

Locum Ambrosij clarum arbitror: nec vereor cuiusquam candidi lectoris iudicium, cui iam in animo fixum non residet, illos annuos Presbyteros (quos nouo more sine exemplo introductos in Ecclesiam aio) institutione diuina esse necessarios. Quibus enim hoc persuasum est, omnia etiam quæ maximè aduersantur, id inculcare videntur. Quis non in hunc errorem abripiatur, ducibus Caluino & Beza? Qui verum cognoscere vult, præiudicia relinquat: & quæ scripsi in tractatu meo, & quæ nunc addam, conferat cum hac responsione Bezæ. Testimonium ex Ambrosio citatum extat, quod non de Presbyteris ordinatione, sed de Presbyteris ætate, cui morum grauitas & rerum experientia plerumque coniuncta sunt, accipiendum esse; ipsa tum verba, tum contextus, luce clarius indicare mihi videntur. D. Bezæ, & beatæ memoriæ Iohanni Caluino aliud videtur: sed ab eorum iudicio ad totius Ecclesiæ iudicium appello, vt iudicent quàm parùm firmum sit, quod dixi, ex hoc Ambrosii loco non probari ordinem Presbyterorum, qui hodiè in quibusdam Ecclesiis, tanquàm ex institutione diuina, in vnum annum, vel duos annos eligantur.

Quamuis ex iis, quæ superiùs à me disputata sunt, quod sit controuersiæ nostræ caput, facilè queat intelligi: illud tamē hic rursùs paucis explicabo. Seniores synagoga habuit, alios institutione diuina, nimirum delectos Magistratus & Iudices populi, alios ætate, natiuitate, scientia, & rerum experientia, aut alijs donis, quibus supra cæteros excellunt, in quouis populo alij alios. Ecclesia similiter seniores habuit, alios institutione diuina, vt Pastores Ecclesiarū, & verbi Dei Ministros: alios conditione ætatis, vel officij, vel census, vel eruditionis, & experientiæ. Exo. 3. & 4. & 5. ex. Israel suos seniores in seruitute illa Egyptiaca habuit, qui aut propter natiuitatem aut ætatem, non ob officium, nec ciuilem dignitatem, seniores dicebantur, quos non habebant: sed qui capita erant suarū familiarū. Hos Moses missus ad filios Israel congregauit, & eis mandata Dei exposuit. Non dubium quin Ecclesiæ congregatæ ex omni hominum genere, cuiuslibet ætatis, sexus, & conditionis, etiam seniores huius generis habuerit, qui lege quadam, naturæ, apud omnes gentes spectabiles sunt & venerandi; quibus

tum verbo Dei, tum lege naturæ adsurgere, & eorum monita atque consilia magni facere inbemur. Leuit. 19. cap. *à facie canitiei consurges, & honorabis vultũ senis.* Eliphaz Themanites ab authoritate senum, qui erant seniores patre Iobi, contra Iobum disputat. Senioribus natura ipsa conciliat authoritatem.

Controuersiæ nostræ hoc caput est, num de hoc senîorum genere non sint Ambrosii verba intelligenda, an de senioribus qui ordinabantur propter spectatam in ipsis virtutem, etiam si iuuenes essent, aut mediæ ætatis, in perpetuũ Ecclesiæ Ministeriũ. Ex verbis Ambrosii ajo nihil aliud posse colligi, quàm superbiâ aut negligentiâ Presbyterorum & Episcoporum, ætatem contemptam fuisse, & ea quæ solet adferre ætas, apud Presbyteros ordinatione, & in nullo habita pretio, quia soli sapere se credebant, nec posse doceri à senioribus ætate, in iis quæ vel statum vel regimen spectabant Ecclesiæ. Nam ordinatione Presbyteros Ambrosius habebat: nec causam habuit conquerendi illos contemni aut præteriri, nisi ipse de seipso conqueri voluisset. Tunc autem cœpisse contemni ab Episcopis, etiam Presbyterorum verorum iudicium, ex historiis Ecclesiasticis potest probari. Sed luce clarius est Ambrosium non esse locutum de Presbyteris suis, quos in consilium adhibere potuit, & nihil sine eorum agere sententia, si voluit.

Ex iis, qui conditione & ætate Presbyteri erant, ordinatos fuisse Dei mandato iudices & præfectos, similiter & seniores 70. extra controuersiam iudicaui; & Dominum in electione septuaginta dixi respexisse ad illum 70. numerum familiarẽ populo Dei. Sed id ibi tunc displicuit Domino Bezæ, & negauit septuaginta viros diuina institutione fuisse creatos, & docere conatus est consilio soceri Mosis, ciuili populi electione, id esse factum. Nunc verò, vt suos seniores diuina institutione ordinari faciliùs persuadeat, ait Iudaicos seniores diuina institutione creari solitos, & confirmari hoc testimonio Ambrosii, quo liquere affirmat, istud Presbyterorum genus à Pastoribus, quatenus Pastores sunt, diuersum, diuinitùs fuisse in Ecclesia constitutum, sicut in synagoga. Sed quàm parùm firmum sit meum responsum, ad obiectionem hanc de senioribus synagogæ, longè me apertiùs demonstrâsse arbitror, eos nihil habuisse commune cum senioribus nostrarum Ecclesiarum, quàm D. Beza demonstrauit 70 iudices adiunctos Mosi nihil habere commune cum 70 discipulis, adiunctis 12 Apostolis; omnes illæ eædem rationes quibus D. Beza ibi contra me vsus est, hîc pro me militant. Tunc 70 seniores non erant diuinitùs instituti ad sacram vllam functionem, sed à populo electi ad ciuiles controuersias decidendas. Nunc verò, sunt diuinitùs instituti, & ad sacram functionem, & ab illis, noui testamenti Presbyteri traxêre suam originem.

2. D. Theod. Beza.

QVis enim non videt Ambrosium, priore quidem huius expositionis parte, Pauli contextum explicare, qui certè hîc agit de ætate non de dignitate, vt rectè quoq; obseruat Chrysostomus: sed posteà progressum de Presbyterorum officio differere, oblata sibi ex nominis Presbyteri occasione, & quòd non facilè iuniores ad hoc munus deligerentur? non est igitur profectò testimonium istud alienum ab hac quæstione, quæ inter nos agitatur, sed tua potiùs exceptio, mera est tergiuersatio.

Had. Saravia.

NEmo, certè nemo, nisi cui hos temporarios seniores diuinitùs institutos fuisse antè placuit. Desultor Ambrosius non fuit, quando commentarios suos scripsit, vt ab ætate tam subitò ad officium desiliret: Si tamen D. Bezæ certum est, hoc modò Ambrosii verba interpretari, & intelligere, non magis mihi cum eo contendendum arbitror, quàm si quis demonstrato pariete albo, atrum esse contenderet. Quapropter videat ne quod de mea exceptione dicit, verius de hoc glossemate dici possit, quòd mera sit tergiuersatio.

3. D. Theod. Beza.

ITaque hoc ipsum à te posteà veritas extorsit. Ego non auersor (inquis) si quis seniores rerum peritos in consilium rerum Ecclesiasticarum admittat, quemadmodùm vetus synagoga facere consueuerat. Sed Ambrosius eos non æquiparat cum Presbyteris vocatione, quos habebat, & quibuscum Ecclesiam

Medio-

Mediolanensem regebat, & nihil minùs cogitauit quàm indicare Ministrorum aliquem ordinem ab Apostolis institutum interiisse. Sed quid si contraria omnia ex verbo Dei, & his ipsis Ambrosij verbis euincantur? Admittebat (inquis) synagogæ istiusmodi seniores. Quasi videlicet non necessitate, sed vltrò id faceret, & quoties ipsi liberet. At contrà constat ex Mose diuinitùs constitutum fuisse hunc cœtum, à Iosaphato restitutum, 2. Paralip. 19. Neque hoc reticuit Ambrosius, disertè significans hunc ordinè à synagoga fluxisse: eiusdem profectò spiritus diuini præcepto & mandato.

HAD. SARAVIA.

NIhil veritas ab inuito extorsit: eam vltrò sequor; meáque nihil refert qui seniores Pastoribus adiungantur: res mihi non videtur tanti, si error absit, & ad tempus cogat necessitas. Quod me attinet, cum isto Presbyterorum genere Ecclesiis præfui, & bonos habui seniores, probósque, qui mihi & collegis fuêre adiumento, & sicut & malos (si quis alius vnquàm) pertuli: nihil tamen dicerem, si non obtruderetur hic nouus mos, tanquàm diuinum institutum, & necessarium, cum magna perturbatione Ecclesiarum, & politiæ Ecclesiasticæ huius regni, & aliarum regionum. Sed ferendũ non est, vt orbi vniuerso mos vnius vrbis, & paucorum quorundam, qui laboribus suis authoritatem & nomen aliquod in Ecclesia obtinuerunt, error legem præscribat; vt eum scripturæ sensum recipiamus, quem ipsi maximè probant: & ea sit sola vera gubernandæ Ecclesiæ vera ratio, quam recepit Geneua. Plerique qui eam secuti sunt, imitatione id fecerunt magis, quàm iudicio.

Sed quomodo ex Dei verbo, & ex his Ambrosij verbis euincatur meæ adsertioni contrarium, audiamus. *Admittebat* (inquis) ait D. Beza, *Synagoga istiusmodi seniores.* Sed ego nescio vbi D. Beza in meo tractatu legerit admittendi vocem; qui non admissos, aio, sed necessario, Deo ita iubente, receptos seniores illos 70. & alios omnes, qui Magistratu fungebantur: quibus nostri seniores successisse videri non possunt; vtpotè qui Magistratus non sunt. Quemadmodùm propriè successisse 12. Apostoli dici non possunt, 12. aut Patriarchis, aut Principibus populi Israelitici; nec 70 discipuli senioribus Mosaicis; ita nec Senioribus & Iudicibus, Presbyteros Ecclesiarum, quos constituerunt Apostoli. Comparatio quædam inter hos & illos esse potest, vt nulla sit successio.

Quod D. Beza hîc rursùm ait ex Mose constare hunc cœtum fuisse diuinitùs institutum, & à Iosaphato restitutum; parùm certè memor eorum quæ pag. 9. scripserat, id facit; vbi hæc verba habet, *Denique quod ad 70 illos seniores Mosi adiunctos attinet, quos tu vis fuisse illorum 70 typum, duodecim Apostolis additorum, inuenio istud duabus vicibus factum: primùm videlicet ex Ietronis monitu, Exod. 18. 21. & quidem non ab ipso Domino diuinitùs, sed ab ipsis Israelitis selectos, teste Mose illam historiã repetente, Deut. 1. 13. secundò verò non quidem rursùs electos, vt apparet ex Domini verbis, Num. 11. 16. sed nouo prophetiæ dono donatos, idque ad tempus, &c.* Quis non videt hæc suo arbitrio & libidine potiùs disputari à D. Beza, quàm iudicio. Vbi verebatur ne 70 discipuli cum 70. Mosaicis senioribus comparati, aliquid ipsius opinioni adferret detrimenti, comparationem non admisit: & scripsit, *Vide autem quæso, quàm caducum fundamentum isti sententiæ tuæ substruas; quùm tantum sit inter istos typicos vt tu quidem arbitraris, & istos imaginarios tuos 70 discipulos discrimen. Nam illi neque ad sacram functionem, Aaroni videlicet & Leuitis attributam, sed ad ciuiles audiendas controuersias decidendas, & politicum populi regimen fuerunt instituti; neque extra ordinem, sed populari electione missi, &c.* Hîc verò cœtus ille est diuinitùs institutus, è quibus pari institutione nostri seniores fluxêre; quamuis illi ad nullam sacram vocarentur functionem; sed ad ciuiles audiendas controuersias, & politicum regimen: hi verò nostri seniores, ad spirituales causas & spirituale regimen. Qui tã acutũ ibì tunc videbat, cur hîc nũc cæcutit D. Beza; nec prespicit quantũ inter hos & illos seniores sit discrimen? Non tamen nego Spi. sancti mandato seniores veteris populi fuisse cõstitutos, & eodẽ authore qui hodiè in populo Dei illis succesêre, creari ciuiles Magistratus. Alias probationes nobis adferat D. Beza oportet ex verbo Dei, quo diuinam esse probet institutionem Presbyterorum, qui Pastores & verbi Dei Ministri non sunt. Quod Ambrosii verba attinet, illa clariora sunt, quàm vt expositionem admittant, quam Beza nobis attulit.

4. D. BEZA.

DEindè, ne quis seniores istos tantùm, quoties Pastoribus libuisset, & in grauibus duntaxat causis, aliquibus accersitos & admissos fuisse existimet. NIHIL, (inquit) sine horum consilio agebatur. vbi? In Ecclesia (inquit) id est, in Ecclesiastico consessu. Ne quis denique istud consuetudine quadam; non diuinitùs factum crederet, facilè posteà, & nullo magno cum Ecclesiæ detrimento sensim cõcidisse: non dubitat eos, quorum id culpâ accidisset, duorum grauissimorum in Ecclesia criminũ accusare, desidiæ videlicet, vel potiùs superbiæ.

HAD. SARAVIA.

IGnoscat mihi D. Beza quòd risum continere non potuerim, quandò NIHIL maiusculis literis vtrobique scriptum vidi. Cùm innumera ab Ecclesiarum Pastoribus fieri olim, vbique necesse fuerit, & in ipsa Geneua fiant, tum ab ipso Beza, tum ab aliis ipsius collegis, inconsultis Presbyteris: quæ si memorem, dicet illâ esse leuiuscula, sed regeram, grauia. Igitur illud magnum NIHIL non leuia excludit. Nam si res ita habet, iam reprehendere vitia quædam publica, nec hunc vel illum scripturæ locum interpretari, inconsultis Presbyteris licebit. Et si quispiam petat Ecclesiæ precibus cõmendari, si magistratus velit aliquid populo significari, si quis excommunicandus à Consistorio iudicatus sit, & ille die postero veniat ad Ministrum, dicátque se imperata facturum, nec possit conuocare seniores ante concionem, progredieturnè ad excõmunicationem, quia tempus consulendi seniores non habet?

Audiui quendam fuisse excommunicatum, qui tamen Consistorij mandata se facturum promittebat, quia pridiè seniores id ita constituerant: quos cùm conuocare non posset Minister, & eorum audire sententiam, pergendum sibi iudicauit, & in pœnitentem excommunicationis protulit sententiam. Quòd si resciscat paulò ante cõmunionem, aliquem incidisse publicè cum scandalo multorum, in aliquod crimen: an non poterit etiam sua authoritate à cœna prohibere, nisi priùs seniores conuocet, & vt de eorum consilio & adsensu id faciat? Addam quod grauius est. Quando Ambrosius Theodosium à communione corporis Christi repulit; magna sanè res fuit: quem Presbyterum in consiliũ adhibuit? quamuis enim Presbyteros illos obsoletos non haberet, habuisse tamen alios negari non potest: & qui illos præteriit, alios consuluisset scilicet. Quare illud magnum Nihil, restringi debet ad ea quæ erant alicuius momenti, & consilium postulabant. Nisi fortè in consessu Ecclesiastico, nihil actum fuerit sine istorum seniorum consilio, extra verò consessum quiduis licuerit.

Quod Geneuam attinet, non puto D. Bezam hunc librum euulgâsse, de consilio & adsensu collegarum suorum. Seniores latinum sermonem non intelligunt, aut si qui intelligunt, illi pauci sunt: nec idonei, cùm Doctores non sint, qui de doctrinæ controuersiis iudicent: quare nihil opus fuit eorum consensu & consilio.

5. D. BEZA.

ET hi certè sunt fontes, ex quibus tota hæc ἀταξία emanauit. Aedituos autem quos commemoras, Ministrorum genus mihi quidem penitùs incompertum, libens omitto. Tantùm dico, arbitrari me, quùm Anglicanarum Ecclesiarum reformatio, à magnis illis, & æternâ memoriâ dignis hominibus institueretur, minimè illis propositum fuisse positos ab Apostolis Ecclesiasticæ disciplinæ terminos, nouis substitutis functionibus & ordinibus, amouere: quos potiùs restitutos voluerunt: sed quid tunc fieri posset, pro sua prudentia spectâsse. Vt autem ad rem redeam, benè est, quòd petulans quorundam ingenium minimè sequutus, Ecclesias illas reformatas non accusas, simili quodam genere seniorum vtentes, quos Ambrosius, inquis, videtur desiderâsse: sed in eo falleris, quòd prudentiâ tantùm quâdam illos introductos fuisse arbitraris; nempè quòd mali in ordinem aliter cogi non posse viderentur, nisi ex totius Ecclesiæ corpore pij nonnulli homines Pastorum consessui, in exercenda Ecclesiastica iurisdictione, adiungerentur. Nam contrâ non introductos illos à nobis in Ecclesiam, sed post longum exilium iniquissimum in Ecclesiam reductos fuisse arbitramur. Et cur hoc, obsecro, non censuerimus in eorum numero fuisse, qui Actor. 14. 23. dicuntur à Paulo & Barnaba nominatim in Asia constituti, & à Tito in Creta? & qui alibi in Ecclesia Hierosolymitana Apostolis, & reliquæ multitudini accensentur? Quos denique Apostolus Rom. 12. ver. 8. à Pastoribus & Doctoribus sic propriè vocatis distinctos, προϊσταμένους, & 1. Corin. 12. 28. κυβερνήσεις appellat?

HAD. SARAVIA.

AEdituos siue guardianos inter Ecclesiæ Ministros non numero, quamuis Leuitarum hoc in templo Dei fuerit officium. Quòd si seniores nostros D. Beza in suo ordine

ordine relinqueret, nec cum Presbyteris veris numeret, facilè inter nos conueniret: essent enim quod sunt in Anglia Ecclesiarum guardiani, & aliquid etiam ampliùs. Sed quicquid ad D. Bezam delatum sit à fratrum suorum, & reuerendissimorum Episcoporum calumniatoribus, æditui Anglicanarũ Ecclesiarum si rectè fungantur suo officio, illud ipsum quod reformatæ Ecclesiæ desiderant, nempè reformatos, & Christianos in populo mores, minori negotio; sine odio, & inuidia, aut cuiusquam querela, longè meliùs præstare possunt, quàm nostri seniores, propter quos tantæ cientur turbæ.

Scio quid contrà soleant obijcere aduersarij, sed nihil quod sit alicuius momenti contra Anglicanæ Ecclesiæ constitutiones si rectè obseruentur; & quod non possit retorqueri in nostros seniores: qui, homines cùm sint, immunes cogitari non debent à vitijs quæ hominibus eueniunt. Quod magnos illos & æterna memoria dignos viros attinet, qui authores fuerunt Anglicanæ Ecclesiæ reformationis, fateor illis nunquàm fuisse propositum amouere terminos Ecclesiasticæ disciplinæ, nec amouisse, nec ordines substituisse nouos. Et qui hîc in Anglicana Ecclesia, quibusdam videntur noui ordines & Antichristiani, aut instituti aut retenti, vbi res examinata fuerit, non rerum apparebit fuisse motam disputationem, sed nominum. Quicquid præterea sequitur, D. Beza quidem dicit, & iterata iam non semel dicta adfirmat, sed nihil probat. Quid dictio προϊστάμενος significet, & quibus propriè competat, diximus.

(·.·)

HAD. SARAVIA.

Expositio loci *Paulini* prioris Epistolæ ad *Timotheum, capite quinto, versu decimo septimo. Quid sit* laborare in verbo & doctrina.

(·.·)

CAPVT XIII.

NEminem mouere debet, quod Apostolus dicit, illos Presbyteros præcipuè duplici honore dignos, qui in verbo & doctrina laborant, ac si indè consequens esset, Presbyteros in Ecclesia fuisse, qui nihil docerent. Non enim hæc idem significant laborare in verbo, & docere; cùm nemo Presbyter ab Apostolis fuerit ordinatus, qui ad docendum non esset aptus. Sed cùm mensura non sit æqualis donorũ spiritus sancti (sunt enim qui quinque talenta acceperunt, à quibus vsura quinque talentorum reddenda Domino est, alij tantùm duo) ab eo cui plus donatum est, maiora expectantur.

Si Pauli conferantur ærumnæ, quas pertulit Euangelij prædicandi gratiâ, cũ aliorum laboribus; videbimus quanto maiore fuerit honore dignus illis, qui minùs laborauerunt. Idem de Presbyteris & Episcopis dicendum, quorum labores sunt admodùm impares in eodem opere Domini. Sunt qui in otio & pace funguntur suo munere, & domi creditam sibi plebem docent, aduersique nihil patiuntur, quorum doctrina inter Ecclesiæ suæ terminos manet: Alij verò non vnum tantùm gregem docent, sed doctis suis lucubrationibus vniuersam Ecclesiam, non vno tantùm tempore dum viuunt, sed per multa secula. Quod vt præstent,

stent, nullis parcunt laboribus, nullis vigiliis, non valetudini corporis, non denique suæ vitæ. Sunt prætereà, qui leuem Euangelij causâ, amicorum, honorum, & substantiæ iacturam existimant, innumera pericula subeunt, & perferunt quæuis opprobria, vt Christi Euangelium propugnent, & doceant. Et hos mihi videtur intellexisse Apostolus; non quosuis alios Doctores, qui in Ecclesia præsunt, & docent populum Dei.

Græcum verbum κοπιᾷν *non vno tantùm loco ab ipso vsurpatum, propriè significat magnum &ærumnosum laborem. Errant qui simplicem tantùm prædicationem verbi Dei Paulum hoc verbo indicâsse arbitrantur, & discrimen putant inter Presbyteros hoc esse, quòd alij docuerint populum; alij tantùm regerent ad tempus, & verbi Ministris in ea re operam darent. Conuenientiùs illis temporibus, & significationi verbi* κοπιᾷν *Presbyteri intelliguntur, quales fuerunt Timotheus, Titus, Tychicus, Marcus, Lucas, aliique Apostoli Pauli comites, & laborum socij, qui nullum detrectabant periculum, nullum fugiebant laborem, vt Euangelij doctrinam propagarent. De Timotheo Paulus in priore ad Corinthios vltimo capite ita scribit*: Si venerit ad vos Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos; opus enim Domini operatur, sicut & ego: *vnde intelligimus non sine timore, nec sine periculo fuisse Timotheum.*

Paulò infrà de Stephano, & Achaico, & Fortunato loquens, qui seipsos dedicârant sanctorum ministerio, ait etiam, Vt vos subijciamini talibus, & omni cooperanti, & laboranti. *Ad eundem modum interpretor locum prioris ad Thessalonicenses, quinto capite, versu duodecimo:* Rogamus vos fratres vt noueritis eos qui laborant in vobis, & præsunt vobis in Domino, & vos admonent. *Quibus locis verbo* κοπιᾷν *Paulus vsus est: quo non vulgarem, sed molestum & difficilem laborem intellexit. Pauli igitur sensus est, vt quo Presbyteri plures & grauiores molestias in suo munere perferunt, maiori honore dignos censeri. Quocirca Paulus ad grauiores curas, quæ pluribus obnoxiæ sunt difficultatibus respexit; non ad simplicem, & solam verbi Dei prædicationem.*

Episcopatum, scribens ad Timotheum, definit esse opus: vnde consequens fit vt maior Episcopatus coniunctus sit cum pluribus & maioribus molestiis. Si is qui vni tantùm præest Ecclesiæ, sine negotio non est, quid dicemus de ijs, quibus plurium Ecclesiarum cura demandata fuit? vt Timotheo & Tito, aliisque huius ordinis Episcopis? Distinctionis meæ summa hûc redit. Inter Episcopos siue Presbyteros, quos nobis sacræ literæ tradunt, & sub Apostolis rexerunt Ecclesias, diuersos fuisse gradus, quocunque illi censeantur nomine: & alios præfuisse tãtùm vni Ecclesiæ sub alterius directione, alios pluribus; quod ex Tito, Timotheo, & aliis notum est. Scio multos qui hæc legent, tacito conceptæ opinionis præiudicio dicturos, Titum, & Timotheum, & alios quos nominaui, fuisse Euangelistas, & extraordinaria vsos fuisse potestate. Quibus ego respondeo, id me sæpiùs audiuisse, & legisse, sed sine argumentis aut demonstratione, quæ mihi fidem faciant. Nam quod Paulus scribit Timotheo, eíque mandat vt faciat opus Euangelistæ, non magis euincit eum Euangelistam fuisse proprio nomine sic dictum, quàm alter ille locus Paulinus ad Corinthios, Operatur opus Domini sicut & ego; *eum fuisse Apostolum.*

1. D. Theod. Beza. in caput 13.

Apostolus 1. Timoth. 5. 17. Qui benè præsunt Presbyteri, inquit, duplici honore digni habentor; maximè qui laborant in sermone (nimirum concionantes Pastores) & in doctrina, nempè Doctores. Ex his autem Pauli verbis, vestigijs Israeliticæ politiæ insistentis, à qua Ecclesiasticum

nostrum

nostrum συνέδριον, authore Christo, defluxit, Math. 18. 17. manifestè colligi dicimus, alios tum fuisse in Ecclesia Presbyteros, à Pastoribus & Doctoribus, ac multò magis ab Apostolis, Euangelistis & Prophetis, propriè sic appellatis distinctos: sicut videlicet seniores ex populo, à senioribus ex sacerdotibus, in eodem Presbyterio distinctè considebant, Ierem. 19. 1. At vos contrà accipitis Paulũ vsum esse verbo κοπιᾷν, quo non vulgaris sed molestus & difficilis labor significatur, vt hic sit Pauli sensus: Quo Presbyteri plures, & grauiores molestias in suo munere perferunt, eo maiore honore dignos censeri. Nec ego verò inficior hanc verbi κοπιᾷν notationem: de qua probanda, minimè fuit tibi laborandum.

HAD. SARAVIA.

ANte piæ memoriæ Iohannem Caluinum, & D. Bezam, aliósque qui eos sequuti sunt; nemo ex hoc Pauli loco ad Timotheũ intellexit Ecclesias temporibus Apostolorum habuisse vocatione seniores quosdam, qui non docerent, sed tantùm cẽsuræ morum præessent. Quotquot autem hunc locum anteà sunt interpretati, id non perspexerunt: sed noua res nouas quoque tum huius loci, tum aliorum interpretationes commenta est. Noua (inquam) vt defenditur & traditur. Nam ego non disputo an in Ecclesiis olim Ecclesiarum Pastores, hoc est veri Presbyteri & Episcopi, ætate & conditione seniores, in consilium adhibuerint, eisque sint vsi tam ad censuram morũ, quàm alias Ecclesiasticas res. Mea quæstio est de Presbyteris & Episcopis, quos Apostoli constituerunt, & constitui mandarunt, qui præessent Ecclesiis, quorum descriptio extat in Epistolis ad Titum & Timotheum. In quibus cùm multas & varias dotes requirat Apostolus, hoc eis proprium & peculiare fuit, vt populum docerent, Ecclesiamque regerent, non vno anno aut duobus; sed quamdiũ vita superstes, & facultas obeundi sui muneris esset.

Dominus Caluinus (ni fallor) fuit primus qui ex hoc loco seniores deduxit, qui non docerent, sed tantùm censuræ morum præessent. D. Beza tertiam speciem addit, scilicet Doctorem, quem à Pastore distinguit, quod hic præsit Ecclesiæ, ille minimè: eum tamen speciem constituere vult τῶν προεστώτων. Sed has argutias simplicitas verbi Dei non patitur: de qua posteà videbimus. Paulum instituisse politiæ Israeliticæ, & ab ea Synedrion Ecclesiasticum defluxisse, mutatis mutandis, confiteor: hoc est, ciuili coërcitione sublata, & constitutâ eâ, quæ est solius verbi Dei & Spi. sancti, cuius tãtùm legitimi sunt ministri, quibus verbi Dei ministerium & sacramentorum est concreditum. Quod ex Matthæo allegatur meam sententiam confirmat: iis enim demum ligandi atque soluendi competit potestas, quibus Dominus claues regni cœlorum, & Spiritum sanctum, vt peccata remittant & retineant, dedit.

Sed mirum mihi valdè est iam iteratò citari Ieremiæ locũ, 19. cap. 1. vers. & ex politeia Iudaica seniores qui nihil doceant, temporarios deduci, & non similiter Episcopos. Nam quisquis hunc Ieremiæ locum, & alios expendere volet, totamque Ecclesiasticæ politeiæ formam, longè faciliùs & veriùs indè Episcoporum authoritatem & dignitatem supra suos fratres eiusdem ordinis, & Sacerdotij inueniet, quàm seniorum vnius anni, qui docere nesciunt. Hoc enim certum & immotum est, politeiam tam Ecclesiasticam quàm ciuilem meliorem, neque perfectiorem inueniri posse, eâ quæ fuit à Deo populo suo tradita: quo constituto, facilius Episcopos ab ea defluxisse probabimus, quàm D. Beza suos seniores.

Presbyteri vel seniores sacerdotum (vt iam diximus) erant illi iidem qui principes dicuntur sacerdotum, & præerant cum authoritate aliis sacerdotibus, sicut & Leuitarum princeps, Leuitis fratribus suis. Senioribus autem illis succesêre Seniores vel Pastorum vel Presbyterorum, quos Episcopos hodiè appellamus. Quod Seniores populi attinet, Principes & Magistratus fuisse populi negari non potest, quibus certè Cõsistoriales Seniores succesisse, cùm tales Christus & Apostoli nunquàm cõstituerint, dici non possunt, vbi nullus est Christianus Magistratus.

2. D. BEZA.

SEd hoc miror à vobis non animaduerti, si vera esset vestra expositio, id est, si Presbyteri omnes, de quibus loquitur Apostolus, versati fuissent in sermone & doctrina, non oportuisse addi ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, post κοπιῶντες, sed vel omitti potuisse, vel subiici verbo καλῶς προεστῶς. Hoc videlicet ordine. Qui benè præsunt Presbyteri in sermone & doctrina, duplici honore digni habentor, maximè qui grauiores curas sustinent.

HAD. SA-

HAD. SARAVIA.

IGnoscet nobis D. Beza si animaduertere non potuimus, quod tota Græcia non animaduertit. Locus autem Pauli nihil habet difficultatis, si eum interpretemur, sicut olim à patribus fuit interpretatus, præsertim Græcis; quos optimè vulgaris sui sermonis sensum tenuisse dubium non est. Tamen nihil huiusmodi notare potuerunt, quod hodiè tam fidenter & importunè obtruditur. Pauli hæc sunt verba, *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habentor, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Quorum verborum simplex hic est sensus; quo quis diligentiùs muneri suo incumbit, maiori dignum esse honore. Impares semper fuêre in eadem functione labores: & qui gnauiter quidpiam agunt, maiorem laudem merentur, eis qui in eadem re molliùs segniúsue se gerunt. Neq; enim illud, *maximè qui laborant in verbo & doctrina*, aliud quicquam significat, quàm quod superiùs dixit, qui *benè præsunt*. Est enim hæc particula exegetica superioris, vt benè præesse, sit laborare in verbo & doctrina. Et opponit sedulos & gnauos otiosis & ignauis, qui nullo honore digni sunt: aut comparat laborantes inter se, quorum alij magis alij minùs laborant. Hûc me non pigebit Oecumenij verba inserere: πῶς δὲ νῦν εἰσιν οἱ λέγοντες, μὴ δεῖσθαι λόγων μὴ δὲ διδασκαλίας τὸν προεστῶτα, ἀλλὰ βίου. ἀκουέτωσαν νῦν παῦλος πῶς τον λόγον τιμᾷ, μάλιστα λέγων· δεῖ γὰρ καὶ τότε ἐπέρ τινος ἄλλου. ὅταν γὰρ περὶ δογμάτων ἡ ὁ λόγος, ποίου; βίος ἐνταῦθα ἰσχύει, ὅρα δὲ τὸ ἀντιδιαστελλόμενον τῷ εὖ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα. τον γὰρ μὴ ἀλοῶντα φιμωτέον &c. ἐργάτην δὲ λέγει, τὸν κάμνοντα. ὡς ὅγε μὴ κάμνων, ἀνάξιος τροφῆς. *At vbi nunc sunt qui dicunt neque sermonibus, neque doctrinâ, opus eum habere qui præest, sed vitâ solummodò! Audiant in præsenti Paulum, quantum honoris sermoni tribuat; maximè inquiens, est enim hoc non minùs, quàm illâ opus. Cùm enim de dogmatibus sermo sit qualis hic esse vita potest? Expende autem quidnam exponatur hoc verbo. Non infrænabis bouem triturantem: qui verò non triturat infrænandus est, &c. Operarium autem laborantem dicit, quasi qui quidem non laborat, indignus est alimento. Hæc autem ad eos dicit Magistros, qui in doctrina laborabant.* Quia Chrysostomus paulò clariùs loquitur, eum similiter audiamus: *Vides* (inquit) *quando laborare vult doctorem? non est labor alius illi conferendus, &c. & paulo post: Itaq; si quis delicatus aut remissus fuerit, dignus profectò nõ est: nisi quis fuerit bos triturans, & contra gelu, & spinas iugum sustinens traxerit, neque antè discesserit dignus non est.*

Nunquàm Chrysostomus, nec alij ità loquuti fuissent, si ex hoc Pauli loco intellexissent Presbyterorũ alios laborâsse in verbo, hoc est, fuisse Doctores, & docuisse verbum Dei, alios verò non docuisse: vtrosque tamen, quatenus bene præerant, dignos esse duplici honore, sed κοπιῶντας præferendos. Erant autẽ tunc qui Presbyteros benè præesse posse disputarent, qui nihil docerent, vt hodiè in Romana Ecclesia, in quos cùm inuehatur, apparet non probâsse hoc Presbyterorũ genus, vbi (inquit) *modò sunt qui dicunt sermone & doctrinâ non opus esse?* Tam Chrysostomus, quàm alij, in totum damnant, & ab omni honore excludunt Presbyteros, qui in verbo & doctrina non laborant, hoc est, qui non docebant.

Et profectò rationes, & quæ ex alijs scripturæ locis adferuntur, vt probetur honor ille debitus Presbyteris, tantùm aptantur Euangelij præconibus. Apud Lucam 10. c. 7. vers. Dominus discipulis, quos ad Euangelizandum misit, dixit, operarium dignũ mercede sua, hoc est, suo victu: & idcircò solicitos esse nolebat de commeatu circumferendo. In priore ad Cor. 9. cap. 9. Paulus de iure eorum qui docent Euangelium disserens, ex lege Mosis adfert hanc eandem sententiam, *Non alligabis os boni triturãti*: & Doctori quemque suo eundem debere honorem, 6. cap. Epist. ad Galat. 6. vers. docet. Hîc verò eundem honorem tribui mutis Senioribus, & ad docendum ineptis, mirum esset. Nam si D. Bezæ vera est interpretatio, duplici quoque honore digni censendi sunt Presbyteri, qui tantùm censuræ morum præsunt. Nam illud, *Maximè qui laborant in verbo* alios non excludit, qui in verbo & doctrina non laborarent: quos tamen tam veteres patres, quam ipsæ nostræ Ecclesiæ, hoc honore dignos nunquàm censuerunt. Quid autem honorandi vocabulo Paulus hoc toto capite intelligat, notum arbitror: vult enim Paulus viduas, quæ verè viduæ sunt, honorari; id est, res vitæ necessarias

necessarias eis ministrari. Nullis Ecclesiarum exemplis doceri potest, seniores huius generis, Ecclesiæ sportulis vnquàm fuisse honoratos: proindè nunquàm in Ecclesiarum Ministros & Presbyteros vocatione, fuisse numeratos, manifestum arbitror.

II. D. THEOD. BEZA.

CONtrà verò quis non videt Apostolum verbo προϊσταθαι, generaliore præposito, duas istius προστασίας diuersas species, à tertia quapiam, ad Presbyteratũ quoque pertinente, distinctas, subiecisse, illi tertiæ anteponendas? Nam rursùs nisi λόγον à διδασκαλίᾳ distinguas, superflua duplicata voce vsus fuerit Apostolus: à quo vitio iudiciosissimus hic scriptor procul abest: alibi quoque διδασκαλίαν à παραινέσει vt Rom. 12.7. & 8. & λόγον σοφίας à λόγῳ γνώσεως, 1. Corin. 12.8. itidemque λόγον & γνῶσιν, 1. Cor. 1.5. id est, Pastores à Doctoribus discernens: quæ huius loci interpretatio tam mihi quidem videtur simplex ac genuina, vt illi resistere (quod sine cuiusquam contumelia dictum sit) αὐθαδείας, esse, potius quàm sani iudicij existimem.

HAD. SARAVIA.

ARguta nimis est Dom. Bezæ huius loci explicatio. Quærit enim quis non videat dictionem προϊσταθαι duas sub se continere diuersas species, à tertia quapiam distinctas, pertinente quoque ad Presbyteratum. Cui ego respondeo, ante eum id animaduertisse neminem, (quod sciam) & quod me, & mecum alios quamplures attinet, tam acutũ non cernere. Disputauimus superiùs, & cõuenire inter nos arbitrabar, Doctores inter Pastores προϊσταμένους vel προϊσταμένους, qui & κυβερνήσεις vel κυβερνήται vocantur, non numerari; & in hoc tantùm ab inuicem nos dissentire, quòd Presbyteris & Episcopis illa nomina cùm sint propria, D. Paulum noluisse peculiariter illos significare Presbyteros, qui tantùm censuræ præessent.

At hoc in loco Præsulum tres D. Beza constituit species: prima est Pastorum, altera Doctorum, & tertia Presbyterorum, qui Doctores non sunt: nunc Doctores inter eos numerat, qui benè præsunt, Presbyteros: atque hoc modo nullum discrimen relinquit inter Pastorẽ & Doctorem. Quàm autem leui id faciat argumento, expendere lectores cupio. *Nisi* (inquit) λόγον *a* διδασκαλίᾳ *distinguas, duplicata voce fuerit visus Apostolus: à quo vitio iudiciosissimus hic scriptor procul abest.* Quasi verò vitium sit futurum in Apostoli sermone, nisi Apostoli sensus conueniat cum D. Bezæ cogitatione. Huius generis locutiones passim apud Apostolum, aliósque scriptores occurrunt; in quibus copula, & epexegesis nota est, quâ præcedens vox, sequente exponitur: vt hæc sit huius loci simplex interpretatio; qui laborant in sermone & doctrina, id est, in sermonæ doctrinæ, aut in sermone, id est, in doctrina.

Latè patet significatio huius dictionis λόγος, sermo; quam restrinxit, quandò addidit, *& doctrina*, sermonem pro doctrina accipiens. Hoc modo similes locos D. Beza interpretari solet: gratiâ exempli, 5. ver. prim. cap. Epist. ad Roman. clausulam, *per quem accepimus gratiam & Apostolatum*, hoc modo interpretatur; *particula* (inquit) καὶ *est posita in epexegesi, quasi dixerit Paulus gratiam Apostolatus, vel gratiam, id est, Apostolatum.* Et cap. quarto huius ad Tim. 6. versu in clausula *enutritus in sermonibus fidei, bonæque doctrinæ agnoscit epexegesin: fides* (inquit) *pro sana doctrina accipitur.* Cur non similiter dicamus hoc loco, laborantes in sermone & doctrina, idẽ esse ac si Paulus dixisset, in sermone doctrinæ, vel in sermone, id est, in doctrina? Quarto capite Paulus dixisse poterat, προσεχόμενοι τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας. τῷ λόγῳ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, vel etiam τῇ πίστει, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, & prorsùs idem significâsset. Quòd autem vno in loco pluribus verbis, in alio paucioribus suum sensum eloquitur Apostolus; esse virtutem elocutionis in Apostolo accipio, non vitium. Si iudicari vitium debet, quoties idem pluribus verbis significatur, quod paucioribus dici poterat; quot huius generis vitia, non modo in Paulo, sed in quouis etiam dicendi peritissimo scriptore, colligere licebit? Paulus requirit in quouis Presbytero, vt tenax sit τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν τοῦ πιστοῦ λόγου, fidelis illius sermonis qui ad doctrinã facit: ibi vtrumque Paulus simul coniungit λόγον & διδαχὴν, sermonem & doctrinam; ídque eo modo quo exponendam censemus clausulam *laborantes in sermone & doctrina.* Neque enim aliud est ὁ πιστὸς τοῦ κατα τὴν διδαχὴν λόγος, quàm ὁ τῆς διδασκαλίας λόγος: nisi quòd illîc meliùs natura sermonis exprimitur, quæ requiritur in Presbytero,

bytero, quàm hîc. Quæ quùm coniuncta Paulus velit esse in quouis Presbytero, malè separantur: vt duæ, tresue constituantur Presbyterorum species.

Quod D. Beza ait Apostolum distinguere διδασκαλίαν à παρακλήσει, Rom. 12. ca. 7. & 8. & λόγον σοφίας, à λόγῳ γνώσεως: Itidémque λόγον & γνῶσιν, leuiusculum est, vt probetur hoc loco λόγον distingui à διδασκαλίᾳ: vel illa omnia, quamuis interdum in diuersis insint, in eodem non concurrere. Quod D. Bezæ sua sibi placeat interpretatio, & ei videatur simplex ac genuina, ferre possumus: sed nobis hoc molestum est, quòd nobis liberam nostram sententiam non relinquit, citra αὐθαδείας, & parùm sani iudicij suspicionem; si cui non perindè probetur, & magis simplicem expositionem præferendam ac sequendam credat. Nam qui harum trium, vel duarum specierum Presbyterorum opinionem, ad huius loci lectionem non attulerit, eam certè hinc nunquàm hauriet.

(***)

HAD. SARAVIA.

Ordinem illum esse diuinum, qui superiores Presbyteris constituit Episcopos; & humanum, vbi omnes Pastores & Presbyteri sunt æquales.

CAPVT XIIII.

SVprà diximus quæ sit extraordinaria vocatio, & quæ eius virtus, eamque in Tito & Timotheo non inueniri. Veteres omnes scriptores Titum & Timotheum pro Episcopis habent; quibus paruerunt inferioris ordinis Presbyteri: quorum vestigiis insistentes patres, qui proximè Apostolorum tempora in omnibus Ecclesiis vixerũt, hanc regiminis formam, quam ab Apostolis didicerant, vsu retinuerunt. Hodiè duo tantùm gradus Ministrorũ Euangelij ab Apostolis relicti creduntur; Pastorum videlicet, & Doctorum: & sublato, quod dixi, Pastorum discrimine, & reiecta gubernationis veteri ratione, aliud regiminis, & Presbyterij nouum genus introductum est; quod magna fiducia diuinum esse disputant: & illud, quod fuit indè ab Apostolorum temporibus, humanum. Quapropter disquisitione res digna est. Nam ad omnia, quæ de Apostolis, & Euangelistis, ac Pastoribus diximus, respondent; temporariam Apostolicam gubernationem fuisse, & cum Apostolis ac Euangelistis accepisse finem: vt nemo hodiè Pastor Pastori præesse debeat.

Sed vt huius quæstionis veritas clariùs appareat, omnia Dei dona quæ fuerunt in Apostolis & Euangelistis, propiùs erunt inspicienda: vt sciamus, quid Apostolis, eorúmque temporibus fuerit peculiare, quid commune futurum sit cæteris omnibus Ecclesiæ Ministris, vsque ad consummationem seculi. Primum quod in Apostolis nobis est considerandum, est vocatio illa extraordinaria, quæ proximè à Deo est facta: deindè, legatio nullis circumscripta finibus: Tertium, quod in ijs omnibus quæ ad ipsorum spectabant officium, infallibilem habuerunt directorem Spiritum sanctum, qui suggesserit ipsis quæcunque priùs à Domino audierant,

diuerant, & omnia quæ ad hominum salutem & Ecclesiæ ædificationem erunt necessaria: adeò vt in ipsorum potestate non fuerit à veritate deflectere. Postremum est ipsius Apostolatus potestas.

Priora illa tria fuerunt necessaria ponendis fundamentis Ecclesiarũ super quæ alij superstruerent: quæ nisi certam coniunctam Spiritus sancti haberent firmitatem, labascerent quidquid ab alijs posteà superstructum fuit. Edendi miracula gratiam præterea, quòd illa data sit non Apostolis tantùm, aliisque Ecclesiæ Pastoribus, sed quibusuis, vt Deo visum fuit, fidelibus; vt de fide in filiũ Dei certam & indubitatam fidem facerent. Ex omnibus his donis nihil successoribus communicare potuerunt, præter Euangelij ministerium: quod cùm Apostolicæ potestati coniunctum sit, eam simul ad posteros transmiserunt: vtpotè quæ non tantùm propagandis, verumetiã conseruandis Ecclesiis sit necessaria. Sine verbi Dei prædicatione, & sacramentorum vsu, ac Ecclesiastico regimine, nulla Ecclesia rectè potest subsistere.

Quemadmodùm prædicatio verbi Dei, baptismus & cœna Domini non sunt data Ecclesiæ, vt tantùm seruirent temporibus Apostolorum, sed etiam futuris seculis vsque ad Domini aduentum: sic etiam regiminis forma, quæ ab ipso Domino fuit instituta, & ab Apostolis tradita, ac vsu patrum confirmata, permanere debet. Illa autem habuit inferiores & superiores Pastores: ergo id in Ecclesia Christi retinendum est.

Æqualitas Ministerij inæqualitatem in gubernatione non impedit. In veteri testamento vnum fuit sacerdotium, idẽ & æquale omnibus sacerdotibus; tamẽ in regimine diuersi fuêre sacerdotũ gradus: & in pari dignitate sacerdotij, impares fuerunt regiminis honores. Nec obest quòd sacerdotium Leuiticum fuit Typicum, & Christum adumbrârit: quoniã politiæ & gubernationis ratio, quæ inter sacerdotes & Leuitas fuit, non tam ad Typos, quàm ad εὐταξίαν pertinuit, vt omnia ritè & ordine fierent. Quocirca cùm ipse Deus illius gubernationis & politiæ fuerit author, in qua Leuita Leuitæ, & Sacerdos sacerdoti paruit; humana constitutio dici non debet, quandò Minister Euangelij paret Ministro, & Pastor Pastori: id enim non magis hodiè iniquum est, quàm fuit olim.

1. D. THEOD. BEZA. in caput 14.

HIc duo nobis impingis; vnum, quòd duos tantùm Ministrorum gradus ab Apostolis relictos Ecclesiæ dicamus, Pastorum videlicet, & Doctorum: alterum, quòd sublato discrimine, & reiecta gubernationis vetere ratione, aliud regiminis & Presbyterij nouum genus introduxerimus. quod magna fiducia diuinum esse asseramus. Istis autem duobus ἀντιφάτικα duo tueris: nempè, relictam Ecclesiæ ab Apostolis vsque ad consummationem seculorum Apostolicam auctoritatem: alterum, Episcopalẽ gradum, qualis fuit Titi & Timothei supra Pastores, esse Apostolicæ, ac proinde diuinæ institutionis. De illa verò Apostolica auctoritate ἀμέσως à Christo instituta, ordinem tuæ disputationis sequuti, secundo demùm loco agamus, & à Posteriore tecum incipiemus. Sic ergo colligis: Permanere debet regiminis forma, quæ ab ipso Domino fuit instituta, & ab Apostolis tradita. Illa verò habuit inferiores & superiores Pastores: ergo id in Ecclesia Christi retinendum est. Nos verò vt totũ hoc argumentum concedamus, & hac ipsa collectione Hierarchicos gradus, tum eos qui sunt humanitùs excogitati, vt fœnum & paleam, quam nunc dies Domini retegit, meritò à nobis repudiatos esse dicimus; tum illos vere Satanicos, in quos illi humani degenerârunt, detestamur. Superest ergo assumptioni tuæ probandæ, quæ est tui totius argumenti κρινόμενον, primùm vt Apostolorum supra Euangelistas, quos tu mauis Episcopos vocare: & horum Euangelistarum supra Pastores suæ peculiari Ecclesiæ addictos: & supra Doctores eminentiorem gradum, quem minimè negamus ad constituendam Ecclesiã fuisse à Christo ordinatum, in Ecclesia Christiana iam constituta, perdurâsse doceas: deindè vt hunc etiam gradum inter ipsos Pastores & Doctores fuisse constitutum, siue Pastori & Doctori cuipiam supra suos non iam simpliciter collegas, sed inferiore gradu, Apostolica traditione collocatos, ostendas. Quod si feceris, manus dabimus. Sin minùs, rogamus, vt veritati cedere non graueris.

HAD. SARAVIA.

ARgumentum meum totum D. Beza admittit, sed gradus excogitatos ab hominibus, & eos qui in diabolicos degenerârunt, negat à Domino institutos: & benè quidem. Neque enim nos confirmare intendimus, ordines aut gradus, quos Deus non constituit. Ipse interim quod dicit, nusquàm probat; nempè Episcoporum, & Archiepiscoporum ordinem fuisse humanum inuentum, aut diabolicum. Apostolus supra Euangelistas, quos ipsi constituerant, & illos Pastoribus & Presbyteris peculiari Ecclesiæ addictis fuisse æminentiores, minimè negari potest: sed ad tempus hoc restringit, quo fundandæ fuerunt Ecclesiæ; & à me postulat, vt perdurâsse doceam in Ecclesia Christiana iam constituta. Id à me factum esse contendo, & D. Bezam postulare quod iniquum est, vt actum agam. Quis status Ecclesiæ fuerit, & quam tradiderint rationem gubernandæ Ecclesiæ, nemo docere potest; nisi ex sacris literis, & Apostolorum temporibus. Atqui is est quem meo argumento paucis sum complexus, qui habuit inferiores & superiores Doctores, & Ecclesiarum Pastores: & à Paulo duos gradus Presbyterorum vel Pastorum fuisse creatos, in Tito, & Timotheo, aliisque, clarius est, quàm vt possit negari. Quocirca hoc loco D. Bezæ erat, docere, aliam & diuersam gubernandæ Ecclesiæ formam ab hac, qua ipsimet Apostoli vti sunt suis temporibus, tradidisse, post eorum discessum obseruandam; in qua omnes futuri essent ita pares, vt nemo Episcopus præcipiendi Episcopo, vel Presbyter Presbytero authoritatem habiturus esset.

Quod me attinet, eundem regiminis ordinem nunc esse oportere, qui fuit olim, me demonstrâsse arbitror: cùm verisimile non sit, aliam Apostolos regiminis Ecclesiastici tenuisse formam, aliam docuisse, cuius ne μὺ qudem in verbo Dei extet. Apostoli scilicet cæteris in rebus omnibus nobis pro exemplari erunt, præterquam in gubernationis Ecclesiasticæ norma quam obseruârunt. Sed cum iam in possessione fuerit Episcoporum ordo huius dignitatis & potestatis, supra cæteros Presbyteros, & nulla ex tota antiquitate demonstrari possit Ecclesia, quæ suum vnum Episcopum non habuerit; partes D. Bezæ erant, ostendere quandò, & quomodò, & vbi, & à quibus, primùm fuerit ille ordo inuectus: sicut iure eos facere æquum est, qui pontificum Romanorum & cardinalium tyrannidem oppugnant. Nam non fuisse, demonstrari aliquandò illum ordinem potest; & quandò & quomodò cœperit, & quibus gradibus ad summum tyrannidis & superbiæ fastigium peruenerit. Quod cùm nusquàm faciat in hac nostra disputatione D. Beza, nec mea confutet; quid restat, quò minùs victus manus det, & quod à me postulat, veritati cedere non grauetur?

2. D. THEOD. BEZA.

SEd alterum etiam istud poste à torques in nos argumentum: æqualitas Ministerij non impediuit inæqualitatem in gubernatione sub vetere testamento. Ergo non magis hoc hodiè iniquum est, quàm fuit olim: antecedens autem sic explicas. In vetere testamento vnum fuit sacerdotium & æquale omnibus sacerdotibus: tamen in regimine diuersi fuêre sacerdotum gradus, & in sacerdotij pari dignitate, impares fuerunt regiminis honores. Sed & Leuita Leuitæ paruit. Quid obstat igitur quominùs Minister Euangelij Ministro, & Pastor Pastori pareat? Respondeo non fuisse æquale, neque sacerdotum, neque Leuitarum inter se Ministerium. Fuerunt enim aliæ & eminentiores summi sacerdotis, quàm aliorum infra ipsum, partes; vt cui soli sacrarium ingredi liceret, vt Iesu Christi Ecclesiæ suæ capitis vnici typo.

HAD. SARAVIA.

APolitia Ecclesiastica veteris populi Dei, quam fuisse optimam constat, deduco Episcoporum eminentiorem gradum supra suos compresbyteros, longè directius, quàm D. Beza suos seniores. Propositio mea hæc fuit, æqualitatem ministerij non impediuisse inæqualitatem potestatis gubernationis in veteri testamento. Vnum & idem & æquale sacerdotium fuit omnium sacerdotum veteris testamenti: tamen in regimine diuersi fuêre sacerdotum gradus, & in sacerdotij pari dignitate, impares fuêre regiminis honores. Respondet vt videtis D. Beza non fuisse æquale, neque sacerdotum, neque Leuitarum ministerium, sophisticè abutens hac dictione *æquale*, quam coniunxi aliis duabus, quando dixi vnum, idem, & æquale fuisse sacerdotium veteris testamenti sacerdotibus.

D. Beza

D. Beza vnitate & identitate (vt ita loquar) sacerdotij Aaronici relicta, diuertit aliò, quærítque (cùm duplex sacerdotium fuisse sub lege non audeat dicere) inæqualitatis vocabulo & discrimine ministerij sacerdotum & Leuitarum, effugium. Nam Ministerium sacerdotum & Leuitarum non intellexi in quauis re æquale. Illa enim inæqualitas Ministerij in vno & eodem sacerdotio meam confirmat sententiam, qui in eodem Presbyterij ordine, inæquales honores (quod Ecclesiæ gubernationem attinet) constituo: & argumentor ab illa inæqualitate, quæ tunc fuit inter sacerdotes ordinatione diuina, eandem hodiè esse oportere, inter Ecclesiarum Pastores. Nam omnium sacerdotum fuit vnum & idem sacerdotium, non diuersum à sacerdotio summi sacerdotis: gerebántq; omnes typũ Domini nostri Iesu Christi, æquè ac summus sacerdos. Quod semel in anno ingrediebatur sanctum sanctorum, naturam non mutabat sacerdotij, vt alio genere sacerdotij esset sacerdos, quàm reliqui sacerdotes.

Melchisedechus autem sacerdos Dei fuit, alio sacerdotij genere, qui & ipse typus erat Christi, sicut alij sacerdotes Dei, qui præcesserunt Mosis tempora. Quod peculiare fuit Aaroni, & augustiore vestitu fuit ornatus, duplicem habuit causam: prima, vt magis viuam exprimeret Christi imaginem, quàm cæteri sacerdotes: altera, vt Maiestatis æternæ splendor apud rudem populum sacerdotio conciliaret reuerentiam. Sed tertia addi potest, præcipuam illo ornatu supra suos fratres potestatem fuisse declaratam. Id enim ipse erat inter suos fratres, quod Aaron inter suos filios, & patris locũ tenebat: vt non tantùm significationis, sed & bonæ gubernationis causâ, fuerit summus sacerdos institutus.

Si quis obstinatè contendat, omnia quæ de summo sacerdote leguntur ad typos veteris testamenti referenda, & nihil ad mores & politicam Ecclesiæ gubernationem: quid respondebit ad 24. principes sacerdotum, quorum sub suo regimine singuli millia sacerdotum habebant, qui sub suo principe per vices templo ministrabant? Vidêre prophetæ tantam sacerdotum multitudinem regi non posse, nisi classibus singulis cõstituerentur præfecti. Hoc meum argumentum D. Beza præterit, & intactum relinquit, & ad Leuitas transit: Quos etiam constat in 24 classes distributos; & sub directione suorum principum, in templo ministrâsse. Et nisi quis cæcus esse velit, viderit oportet, & sacerdotes imperâsse sacerdotibus, & Leuitas Leuitis.

3. D. BEZA.

SEd Leuitarum alij primùm quidẽ in tabernaculo, ac demùm in templo cultui diuino seruiebant sub sacerdotibus, iique in suos diuersos ordines distributi: alij verò, per varias regiones dispersi, partim sacra in synagogis, partim ciuilia in portis cũ senioribus populi tractabãt. Sic in Ecclesia illa prima & verè Apostolica, Apostolos sub vno æterno pontifice Christo, supra reliquum sacrũ ministerium constitutos fuisse, plenissima cum authoritate, & abundantia Sancti spiritus agnoscimus; & quidem singulos, & vnici illius summi Sacerdotis vicarios, plantandis & fundandis Ecclesiis in vniuerso terrarum orbe destinatos.

HAD. SARAVIA.

DOm. Beza hîc nihil adfert quod meam sententiã alicuius erroris aut falsitatis arguat. Illa eadem & ego dico: hoc vno excepto, quod ait Leuitas, & sacerdotes dispersos sacra cum senioribus tractâsse in synagogis, & in portis ciuilia. Quod vndè didicerit, nescio; tamẽ præfectos fuisse iudices cum senioribus populi scio: sed quòd in synagogis sacra, in portis ciuilia tractauerunt, nusquàm legi. Tamen ex illo ordine, qui fuit inter sacerdotes & Leuitas, argumentor in nouo testamento sub Apostolis & eorum cooperatoribus, Episcopos institutione diuina & traditione Apostolica, exemplo tum Apostolorum, tum virorum Apostolicorum, & eorum omnium qui rexerunt Ecclesiam ab Apostolorum temporibus, superiores semper fuisse, & esse dignitate, & authoritate suis compresbyteris.

4. D. BEZA.

ISti autem adiunctos, non illos septuaginta falsò creditos ad secundariũ quendã Apostolatũ ἀμέσως à Christo vocatos, sed ab Apostolis ad regendas Ecclesias à se plantatas missos, & propterea Euangelistas vocatos, fatemur veluti secundarios quosdam Apostolos, Pastorũ oppidatim constituendorum,

ordinis denique sacrorum in Ecclesiis ad quas missi fuerunt instituendi ius atque potestatem habuisse: idque tantisper dum ab Apostolis reuocarentur, sicut passim ex Apostolicis actis, & epistolis liquet.

HAD. SARAVIA.

DIcit quidem, & contradicit D. Beza, miscétque falsa veris, sed nihil probat quo saltem verisimile (si verum non sit) quod affirmare audet, appareat. Negat quod ex Euangelica historia luce clarius est, septuaginta illos secundarios fuisse Apostolos, immediatè à Domino vocatos, & Apostolis adiũctos, nec alios credit Euangelistas ad regendas Ecclesias missos, quàm quos ipsi Apostoli sibi adsciuerant cooperatores. Certè Dominus Caluinus contrarium sentit, à quo dissentire miror Dominum Bezam, nulla ratione allata, quæ eum mouerit. In priore ad Corinthios, 15. capite, exponens septimum versum, *Deindè visus est Iacobo, pòst Apostolis omnibus*, scribit. *Per Apostolos omnes, intelligo non solos duodecim, sed discipulos etiam quibus Euangelij prædicandi munus iniunxerat.* Patres omnes illum Pauli locum, eodem modo interpretantur. Ex Græcis Theodoretus, Chrysostomus, Oecumenius, & Theophylactus, (qui duo recentiores quamuis sint, quicquid habent à patribus mutuatum est) hi omnes intelligũt, præter duodecim Apostolos alios ex discipulis, & nominatim illos 70 dictos fuisse Apostolos; vt fuit Barnabas, & alij plures.

Tertullianus aduersùs Marc. allegat & alios septuaginta Apostolos super duodecim. Sed in Epist. ad Galat. 2. capite Commentarijs, qui inter Hieronymi opera habentur; *Quod autem exceptis duodecim quidam vocentur Apostoli, illud in causa est, omnes qui Dominum viderant, & eum post ea prædicabant, fuisse Apostolos appellatos*; vt ad Corinth. scribitur, *Deindè visus est Iacobo, deindè omnibus Apostolis.* Idem Hier. ad Fabiolam de 42 Mansionibus. *Non dubium quum de 12 Apostolis sermo sit, de quorum fontibus derivatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante 12 fuisse Apostolos, & 70 discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus præmittebat. De quibus & Paulus refert, quòd apparuerit Dominus primùm vndecim, deinde Apostolis omnibus; alios volens intelligi primos, & alios secundos Christi discipulos.* Hæc adfero vt lectores sciant, me non esse secutum fabulas ex Clementis aut Anacleti lacunis desumptas, quandò secundum locum ab Apostolis dedi septuaginta discipulis: & alio loco fuisse in Ecclesia dixi, quàm fuit Titus, aut Timotheus, aut alius quispiam, creatus per manuum impositionem ab Apostolis Euangelij Minister: & non tantùm rigabant sed etiam plantabant Ecclesias. Si Timotheus & Titus secundarij fuêre Apostoli, quid fuit Barnabas? quid Barsabas? quid Silas? prophetæ (inquies) fuerũt. Benè quidem, modò meliori iure hos prophetas, secundarios Apostolos fatearis, quàm Marcum, Titum, aut Timotheum, & vt suprà docui, propriè Euangelistas. Sed quamuis plus tribuat nomine eis, quos miserunt primi Apostoli, quandò secundarios Apostolos facit; re ipsa detrahit, quicquid dederat, quando ait potestatem ipsis delegatã, tantùm durâsse tantisper dum ab Apostolis reuocarentur.

Quod vt in aliquibus legationibus verum est; ita in vniuersum est falsum: nec vllo argumento vllouè exemplo aut authoritate sacræ scripturæ vnquàm docebit. Ait quidem id liquere ex actis, & Epistolis Apostolicis: sed locum nullum citat, vndè id discere lector queat. Ex vtraque Epistola ad Timotheum, & ea quæ est ad Titum, contrarium euincitur: præcepta enim illa quæ tradit Apostolus, non sunt ad legatum vnius, aut duorum annorum: & præsertim præcepta quæ posteriore Epistola scribit, paulò ante mortem, quibus eum instituit, quomodò se gerere debeat. Marcum adduci iubet virum ad ministerium necessarium: quod certè si diutiùs duraturum non erat Pauli vita, quâ breui excessurũ se præuidebat, parui momenti res fuisset: sicut & quòd quosdam ad certas Ecclesias ablegauerat, si ius & potestas quam habebant, à vita D. Pauli pendebat. Sed agè, tot & tam præstantes viri, quorum operâ Paulus vtebatur, eo mortuo, quid? Delieruntnè esse quod fuerant antea? cessâsse igitur oportuit, ab Euangelij Ministerio, vtpotè qui nullius vnius particularis Ecclesiæ Pastores essent. Quis vnquam id sensit? Quid absurdius dici potest? Sed hæc & alio loco tangemus: & quæ legationes fuerint tantùm in Tito & Timotheo temporariæ, quæ permansuræ, docebimus.

5. D. BEZA.

5. D. THEOD. BEZA.

PAstores denique suis peculiaribus Ecclesiis præfectos, gradu tum supra diaconos, tum supra suum gregem eminere quis, nisi pertinacissimus, inficietur? Adiunctos autē illis fuisse ex ipso populi cœtu Presbyteros, sic propriè vocatos, speramus à nobis fuisse firmissimis argumentis demonstratum.

HAD. SARAVIA.

DEmonstrauit quidem Beza quod extra controuersiam est, nempè Pastores eminere tum supra diaconos, tum etiam supra suum gregem; sed quod temporarios Presbyteros attinet, adiunctos Pastoribus, quàm firmis & solidis argumentis id demonstrauerit, cuiusuis lectoris esto iudicium: mihi quidem nihil prorsùs docuisse videtur.

6. D. BEZA.

FVerint igitur illi omnes, nempè Apostoli, Euangelistæ, & Pastores noui testamenti, spirituales Sacerdotes constituti. Apostoli quidem plantandis, Euangelistæ verò rigandis Ecclesiis destinati, ideoque temporaria functione defuncti. Pastores denique & Doctores, quasi sartis tectis conseruandis Ecclesiis ad consummationem vsque seculorum præpositi: nec enim perpetua plantatione aut rigatione (quod opus feliciter illi obierunt) sed eorum quæ rectè plantata & rigata fuerunt, perpetua conseruatione opus fuit, est, & erit, minimè omissa ruinarum vbi & quoties opus est instauratione.

HAD. SARAVIA.

Λόγοι & prætereà nihil: Rationibus & argumentis quod controuertitur est docendum. Perpetua plantatione, perpetua rigatione Ecclesia opus habet: prælectio & voluntas hîc potiùs locum habent, quàm ratio aut veritas. Apostoli & Euangelistæ (inquit Beza) fuêre plantandis & rigandis Ecclesiis à Deo destinati: hoc verū est. Sed quando infertur, ideòque temporaria functione defuncti, hoc est ambiguum. Si temporarium referatur ad generalem illam missionem nullis terminatam finibus, & miraculosum prophetiæ donum, cæteráque Spiritus sancti charismata linguarum, & edendorum miraculorū, quæ adiuncta fuêre Apostolatui, verum id esse admittimus. Sin referatur ad Ecclesiasticam gubernationem, falsum; nisi Beza ex verbo Dei docuerit verum.

De essentia ministerij Euangelici noster est sermo, quæ constat verbi Dei prædicatione, sacramentorum administratione, & Ecclesiastica gubernatione. Quùm nihil in prædicatione verbi Dei, nec in sacramentorum administratione mutatum, à prima institutione, aut mutandum, fuerit traditum; quomodò mutanda creditur fuisse gubernatio? Quæ adfertur ratio, quod tantùm plantandis & rigandis Ecclesiis, ea regendi ratio fuerit necessaria, non autem conseruandis, & propagandis, ac collapsis reparandis? Quo tandem Dei verbo, aut Ecclesiarum vsu, patrúmue exemplis id docetur? Quod Beza aut alius quispiam nostri temporis scriptor hoc dicit, oraculum non est. Sed nouum cùm sit, aut Dei verbo docendum est, aut tanquàm commentum est reijciendum. Quid enim si quis pari ratione dicat, sacramenta illis initijs fuisse tantū ab Apostolis & Euangelistis ministranda; nec quicquam ad nostra pertinere tempora? Non desunt qui hunc defendunt errorem.

Vbi D. Beza docuerit abrogatam illam regendæ Ecclesiæ formam, qua sunt vsi Apostoli & Apostolici viri, ego ei credam, & mutabo sententiam. Interea maneat donec abrogata melius doceatur, quàm hactenùs aut à Beza, aut à quoquam alio factum est. Non enim ignorauerunt Apostoli, homines plus moueri exemplis, quàm præceptis; & citiùs imitaturos quos post se relinquebant Ecclesiarū rectores, quod viderant, quàm quod tradidissent, & ab eis audîssent: vt si quid fuit necessarium, clarè & perspicuè disertis verbis posteritati testatum relinqui, hoc inprimis fuerit necessarium.

7. D. BEZA.

HActenùs igitur Leuitici sacerdotij, & Euangelici Ministerij collatio procedit, & inter has functiones, ac proindè personas illis fungentes est gradus eminentia: sed ostende nobis, si potes, sub vetere quidem testamento inter ipsos sacerdotes pari Sacerdotio fungentes; inter Leuitas sacrificiis subseruientes; inter ianitores, inter cantores, & alios eorū ordines: in Ecclesia verò Apostolica inter ipsos Apostolos, inter Euangelistas, inter Prophetas, inter Doctores; inter certæ siue regionis, siue ciuitatis Pastores, ali-

aliquem extitisse cæteris suis collegis gradu & imperio superiorem. Hunc, inquam, inter pares & vno ac eodem munere fungentes gradum, ostende nobis, si potes. Ordinem enim in illis cœtibus diligentissimè fuisse seruatum, ac vt vnus quispiã qui maximè idoneus visus esset, aliis præesset, cœtum ageret, sententias rogaret, actionem denique totam moderaretur, sed sine imperio, & vllâ, aliter quàm ex communi consensu quicquã gerendi, potestate, absit vt negamus. Sed quis tum ordo ille fuerat postea videnimus.

HAD. SARAVIA.

QVàm pulchrè D. Beza Sacerdotij Leuitici & Euangelici Ministerij functiones, & politiam inter se contulerit, iudicent alij: vult ei demonstrẽ in veteri testamento inter ipsos sacerdotes pari sacerdotio fungentes, &c. aliquẽ extitisse cæteris suis collegis gradu & imperio superiorem. Rem luce clariorem, vel mediocriter in lectione sacrarum literarum versatis, adnotâsse sufficere debere credidi. Quis enim qui legerit 23. 24. 25. & 26. capita primi libri Paralip. & secundi 36. Esdræ 1. 8. ca. & Nehe. c. 12. & in Euangelica historia, qui propter summum sacerdotem, non legerit principes sacerdotum & ministrantes in templo per vices suas, cum Sacerdotibus suarum classiũ, quib. præerant? Ipse D. Beza quandò suas in nouum testamentum adnotationes scripsit, non ignorauit præter summum pontificem, principes Sacerdotum fuisse. Sic enim in 4. versùm 2. cap. Matthæi scribit, *Principibus sacerdotũ ἀρχιερεῦς, sic vocabantur qui ex posteris Aaronis (nam ij soli ἱερεῖς, id est sacerdotes dicebantur) erant familiarũ suarum capita, sicut post captiuitatem, fuerat earum distributio instaurata, vt refertur Nehe. 11. & 12. cap. si modò vices istæ omnes ad hæc vsque tempora perstiterant. Quamobrẽ etiam vocantur principes sanctuarij, 1. Chron. 2. 45. & hoc ipso nomine principes sacerdotum, 2. Chron. 36. 14. Itaque fallitur Theophylactus, &c.* Sed quid causæ habuerit D. Beza reuocandi in dubiũ, num illæ vices ad tempora Herodis perseuerârint, diuinare quiuis non potest. Zacharias, Iohannis Baptistæ pater, apud Lucam legitur fuisse ex vice Abiæ. Iosephus contra Apionem scribit, quatuor fuisse tribus Saderdotum, & earum singulas habere plusquàm quinque millia hominum.

Non dubium quin defectio decim tribuum, & Babylonica captiuitas perturbauerit illum ordinem 24 tribuum, qui à Dauide & Salomone fuerat institutus: sed non vt omnes sustulerit. Iidem Sacerdotes diù in illo quotidiano ministerio durare non poterant. Sed hoc quod D. Beza scripsit de illis principibus Sacerdotum à lectoribus notari cupio. Nam vt de summo Sacerdote quod allegaui, pulchrè euasisse sibi videatur; hîc tenetur: nec vsquam patet effugium: non enim hîc aliud, aut inæquale Sacerdotium allegari potest: sola regiminis authoritate fratribus suis maiores & excellentiores erant, qui dicuntur sacerdotum principes. Inter Leuitas prorsùs eadem gubernationis erat ratio, Leuitæ cantores Leuitam habebant præfectum; ianitores similiter; ac ita de reliquis. Si fortè exigat, vt demonstrem ex 24. principibus, vnum aliquem reliquis imperâsse principibus, aliàs nihil esse demonstratum, contendat; tergiuersari hoc erit: erant enim illi 24 ἰσότιμοι, qui neminem superiorem habebant præter summum pontificem, eiúsque vicarium. Apostoli similiter fuêre dignitate & authoritate pares sub summo pontifice CHRISTO, qui suo spiritu, tanquàm vicario suo, pariter omnes regebat.

Quod Prophetas attinet, iam suprà docui, collegia Prophetarũ habuisse suos rectores. Samuelẽ deposito Magistratu, quandò priuatus vixit, filij Prophetarum habuêre præsidem, vel Magistrum doctoremque; proinde superiorem & moderatorem. Idem de Helia & Helisæo dicendum. Quod autem præsidem admittit ordinis causâ D. Beza sine imperio, vereor ne sophistam agat, nobisque in nomine Imperij negotium exhibeat: varia sunt enim Imperij genera. Nam quæ esse præsidentia, aut præfectura sine Imperio potest? Consessuum & conciliorum memorat præsidentiam, in quibus etiã aliæ, magnæ potestatis præsidis, qualis erat summus Sacerdos, tantùm colligendorum suffragiorum, partes erant, quandocùnque aliquid tractabatur, quod in hominum arbitrio & dispositione liberum Deus reliquit. Imò id audeo dicere, nec Apostoli alias fuisse, in conuentu Episcoporum & Presbyterorum partes, in deliberationibus rerum indifferentium, quàm colligendorum suffragiorum. Sed num turmæ ianitorum, classes cantorum, vel etiam classes Sacerdotum, tantùm eo conueniebant, vt quid agendum foret deliberarent? nec vllas fuisse alias partes dicemus principũ Sacerdotum,

cerdotum, & ianitorum, & cantorum, quam colligendi suffragia, & ex communi cõsensu quidpiam gerendi? Iam antè conuenerat inter eos, & firmum atque immotum id erat, cuius de causa conueniebant: etenim ad agendum, non ad deliberandum, turmæ & classes distributæ erant in præfecturas.

Quando igitur D. Beza iubet, vt si possim, hunc gradum superiorem inter pares, & vno & eodem munere fungentes, ostendam; Respondeo, aut sophisticam, aut ridiculam esse interrogationem: cùm inter pares & eodem munere fungentes, in nullo hominum genere id possit demonstrari. Omnis enim præfectura, omnis denique imperandi potestas, cuiuscunque generis ea sit, inæqualitatem adfert. Quemadmodum in re militari, militẽ imperare militi vt quis demonstret, satis est demonstrâsse centum militibus centurionem esse præfectum, & mille, chiliarcham; ita inter Sacerdotes, eiusdem Sacerdotij & cæterùs pares, ostendisse vnum cæteris præfectũ cum imperio, est gradu & imperio, meo iudicio, demonstrâsse inter eiusdem muneris collegas superiorem: nisi præfecturam neget D. Beza, esse gradum superiorem eis, quibus quis est præfectus; qui si non esset, rediret æqualitas. Et vt huic capiti finem faciam, qui negare audet illos 24 principes Sacerdotum, & alteros illos totidem Leuitarum fuisse dignitate & potestate superiores suis fratribus, nauiget Anticyram.

HAD. SARAVIA.

Eminentiorem authoritatem, inter Ecclesiarum Pastores, nulla lege Seruator antiquauit.

CAPVT XV.

SEruator noster nulla lege superioritatem inter Pastores antiquauit: sed eam potiùs stabiliuit, quandò in prima Ministerij Euangelici ordinatione, superiores & inferiores Euangelij Ministros ordinauit. Cui institutioni nõ aduersantur verba illa Domini, Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur; vos autem non ita: sed qui maximus est inter vos, sit sicut qui minimus est; & qui princeps est, sicut qui ministrat, &c. *Horum verborum verus & simplex hic est sensus. Vestra gubernatio diuersa erit ab ea qua est Regum propria: siue eos intelligamus qui sauam in subiectum populum exercent tyrannidem; siue eos qui moderatè, & secundùm leges vtuntur suo imperio. Qui sensus non tollit discrimen personarum, quod natura lex, & bona regiminis ratio postulant. Si quis locus citari potest ex Euangelicis scriptis ad probandam superioritatem inter Euangelij Ministros, hic vnus est. Nisi enim Dominus intellexisset in Ecclesia gubernatione aliquos maiores cæteris esse futuros, nunquàm dixisset,* qui maximus est inter vos, fiat sicut minimus: *compendio dixisse potuit, Nemo primus inter vos est, nemo maximus, aut princeps erit.* Sed qui inter vos maximus est (*inquit*) sit sicut qui est minimus; & qui princeps, sicut qui ministrat.

Quod præceptum nullum esset, vbi nemo esset, qui supra cæteros excellat. Vbi omnes

omnes sunt futuri pares, præcepto nihil opus, quo moderatio mandatur in præcipua dignitate cõstituto. Sensus igitur huius præcepti est: Quanto quis inter vos maior erit, tanto submissius inter suos fratres se gerat. Tametsi omnes Apostoli eiusdem ordinis & potestatis fuerint, ætatis discrimen, & donorum spiritus sancti magnum inter eos fuit. Vnde fieri non potuit, quin illi qui à Domino maiora dona acceperant alijs, fuerint etiam maioris authoritatis. Quod Paulus ad Galatas primo capite satis apertè indicat, vbi ait se contulisse Euangelium cum ijs qui videbantur aliquid esse: quod idem rursum repetens, significat quosdam inter Apostolos fuisse præcipuæ authoritatis, à quibus tamen negat se quicquam accepisse. Tantæ inæqualitatem cuius ipsemet Dominus author erat, æqualem facere noluit. Non enim qui quinque talenta accepit, credere debet se tantùm habere duo: multo minus cui tantum duo data sunt, æquare se illi qui habet quinque. Ecquæ afferetur ratio cur potestatis in regimine potius esse debeat æqualitas, quàm aliorum donorum? Num sola potestate ad tyrannidem abutuntur homines? Nihil profectò interest, quibus donis quis se paßum constituat supra suos fratres, ingenio, rara & varia eruditione, ac eloquentia, morum sanctitate, ieiuniis, eleemosynis, aliisque virtutibus externis, an diuitiis, & præcipua aliqua authoritate. Sed Seruatoris nostri responsio latè patet, nec ad Apostolos tantùm referenda est, tanquàm solummodò ibi vetuerit Apostolum in cæteros Apostolos vsurpare imperium: extenditur enim ad omnes quibus erant præficiendi, supra quos prohibetur tyrannis, aut ciuile imperium. Nam etsi magna futura erat potestas, quam à Domino accepturi erant, ad Ecclesiæ ædificationem, ea à priuatis hominibus inter priuatos exercenda erat. Prohibet igitur Dominus more regum & principum κατακυριεύειν, *id est, vi dominari.*

Hinc Paulus ad Corinthios scribit, Non quod dominemur fidei vestræ: sed quod administri sumus gaudij vestri. *Et in* 1. *Pet.* Neque tanquam vi dominantes in cleros. *Id enim, quia in priuatos non decuit, Dominus prohibuit, & lenitate potiùs ac precibus animos feroces emollire docuit: sicut ab Apostolo Paulo pluribus in locis, tum inprimis* 2. *ad Corinth. factum legimus, vbi scribit*, Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo precante per nos, oramus Christi nomine reconciliamini Deo. *Idem tamen aliis in locis acerbiùs loquitur*: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an cum charitate & spiritu lenitatis? *& in posteriore, cap.* 10. *quandò acceptæ à Domino potestatis mentionẽ facit; quàm non esset priuatus in Ecclesia, in iis quæ ad regnũ Dei pertinent, apertè ostendit. Vnde apparet, prohibitione violentæ dominationis, qua reges in subiectos vti possunt, non sublatam fuisse potestatem gubernationis in Ecclesia; quâ Euangelij Minister supra alium Euangelij Ministrum eminet, non magis quam eam, quam Pastor supra commissum sibi gregem habet.*

Diuersos illos duos ordines Ministrorum Dominus non cõfudit, vt nihil differrent 12. *Apostoli à* 70 *discipulis. Vehementer miror homines doctos hoc loco persuaderi eminentiorem potestatem Episcoporum supra Presbyteros fuisse prohibitam. Id enim sine probro & accusatione sanctorum patrum non fit: quos longè facilius est tyrannidis arguere quàm conuincere; & regimen Ecclesiarũ, quod sub illis fuit, accusare, quàm emendare. Dominus enim tantummodò errorẽ in quo versabantur Apostoli, animis ipsorum voluit eximere, non præcipuam potestatem quam ipsis dederat, & daturus erat supra Ecclesiam, & Ecclesiarum Pastores, inhibere.*

I. D. BEZA.

1. D. THEOD. BEZA. in caput 15.

SEruator noster (inquis) superioritatem illam inter veteres sacerdotes constitutam, nulla postea lege, inter Pastores antiquauit; sed eam potius stabiliuit, quando in prima ministerij Euangelici ordinatione superiores (nempe Apostolos) & inferiores (nempe septuaginta discipulos) ordinauit. Atqui falsissimum est, & prorsus commentitiu quod toties inculcas de ista septuaginta discipulorū post Christi in cœlos ascensum Apostolis subordinatorum missione: quam, si quæ extitisset, Euangelistæ non magis quàm Apostolicam vocationem prætermisissent, sicut sæpè iam antea ostendi.

HAD. SARAVIA.

PRæteritis Sacerdotum & Leuitarum principibus, inter quos sacerdotio autalio munere pares, fuit gubernationis inæqualitas, ad 70 discipulos D. Beza se transfert. *Atqui falsissimum est, & prorsus commentitium* (inquit Beza) *quod toties inculcas, de ista septuaginta discipulorum post Christi in cœlos ascensum missione.* Quàm autem sit falsum iudicet lector: sed D. Beza nescio quo modo ferè semper meis verbis aliquid addit aut detrahit. Dico à Domino in prima Euangelici ministerij ordinatione, superiores & inferiores Euangelij Ministros fuisse ordinatos: addit D. Beza *post Christi in cœlos adscensum.* Si falsissimum est quòd posui, verissimum sit oportet contrarium, nempe istos septuaginta discipulos, non fuisse Apostolis inferiores. Aliud quoq; aio, fuisse Euangelij Ministros constitutos: si hoc falsissimum est, verissimum est contrarium, non fuisse constitutos Euangelij Ministros. Verum autem horum quid falsissimum aut verissimum sit, qui scire volet, legat 10. cap. Lucæ, & conferat cum missione 12 Apostolorum.

Quod missionem attinet post Christi in cœlos ascensum, præter Paulum non lego quemquam à Domino missum. Ante ascensum, eum mandâsse Apostolis, iisque omnibus qui cum Apostolis erant, vt irent in mundū vniuersum prædicatū Euangelium omni creaturæ; & septuaginta illos discipulos, pro secundariis Apostolis semper fuisse habitos à doctissimis quibusque theologis, (quorum authoritatem vnius D. Bezæ si præfero, nullam ei facio iniuriam) suprà demonstraui. Legationis mandatum post resurrectionem ad eos extendi docere, erit opere prætium. Primum ex 10. c. Lucæ apparet idem 70 discipulis prædicandi officium fuisse commissum, & edendi miracula potestate donatos, & eodem iure cum cæteris Apostolis, vt ex Euangelio viuerent, vsos. Ad illos quoque dixit Dominus: *Qui vos audit, me audit; qui, vos reiicit, me reiicit.* & ex gaudio quo exultabant, apparet edidisse miracula, & dæmonia eiecisse. Quā quandò potestatem confirmauit Dominus, simul & prædicandi munus confirmauit. Apud Lucam vltimo cap. quandò Dominus apparuit Apostolis, adfuisse simul cum eis alios discipulos constat: de quibus omnibus dicitur, quòd Dominus eis aperuerit sensum, vt intelligerent scripturas. Præterea apparitio illa omnibus Apostolis facta, quæ narratur à Paulo, & à me superiùs notata fuit, de 70 discipulis intelligitur: de quibus Gualterus ita habet: *Non est dubium, quin eosdem postea sibi adiunxerint duodecim illi, & prædicandi prouincias inter illos distribuerint, prout rei necessitas postulabat. Quapropter* (inquit) *necesse fuit, vt Christus ipsis quoque familiaris innotesceret, & vt testes αὐτόπται, siue oculati possent esse resurrectionis suæ, de qua potissimum controuertebatur, &c.* huic sententiæ adstipulatur Caluinus. Quoties autem & quibus argumentis contrarium docuerit D. Beza, videat candidus lector; ego quidem non video.

2. D. THEOD. BEZA.

DEindè facis hîc profectò quod sophistæ solent, mutato quæstionis genere. Nec enim quod sæpe cogor iterare, de functionum inter se comparatarum gradu inter nos controuertitur, vt qui Apostolos Euangelistis, & Euangelistas Pastoribus, & Pastores diaconis, gradu superiores constitutos diuinitùs fuisse minimè negemus. Sed hoc quærimus: An diuinitùs aliquis inter Apostolos, id est, vt posteà loqui cœptum est, in Ecclesia Archiapostolus: & inter Euangelist. ab Apostolis ordinatos, Archieuangelista: inter Pastores denique, propriè sic appellatos, & oppidatim constitutos, ἀρχιποίμην fuerit, qualis est, quem tueris, dominationis Episcopalis gradus. Nam hi sunt demùm dominationis gradus, quos & humanitùs inuentos, & sensim in tyrannidem, primùm quidem Episcopalem, deindè Archiepiscopalem, tertiò Patriarchalem, ac tandem vniuersalem pseudapostolicam & Antichristianam euasisse diximus.

HAD.

HAD. SARAVIA.

DOm. Beza me insimulat sophisticæ; cuius ipse cùm manifestò teneatur, in primis est condemnandus: qui indè ab initio quæstionis genus mutauit, non ego. Quæstio mea, quã pertracto, & disputo in toto meo tractatu, hæc est, Num Euangelij Ministrum Euangelij Ministro esse authoritate, & dignitate superiorem, sit contra Domini præceptum. Cui quæstioni negatiuè respondeo; & id non esse contra Domini præceptum, ab ipsa prima Euangelici Ministerij institutione, in meo tractatu demonstro; quandò Dominus inter duodecim Apostolos, & septuaginta discipulos, quos ad prædicandum Euangelium misit, discrimen esse voluit: atque ita ab eo tempore diuersos gradus fuisse disputo, & ab ipsis Apostolis creatos; vt apparet in Timotheo & Tito, & pluribus alijs, quos Ecclesiis, & Presbyteris, & Episcopis præfecerunt. Hanc quæstionem hoc ordine pertractatam inuertere D. Bezæ placuit, & quod minimè controuertitur, proponere: nihil actum à me affirmans, nisi demonstrem Apostolũ vnum superiorem, præfuisse cæteris Apostolis, & Euangelistam Euangelistæ, &c.

Hoc certè est sophistam agere, quæstionem aduersarij præterire, & quæstionis nouum genus formare. *Sed hoc quærimus*, (inquit) *An diuinitus aliquis inter Apostolos superior aliis suis coapostolis, ideſt, vt postea in Ecclesia loqui cœptum est, Archiapostolus, & inter Euangelistas aliquis Archieuangelista, inter Pastores aliquis Archipoemen, &c.* Hanc quæstionem disputet D. Beza cum quo volet; mea non est, nec quicquã ad me pertinet: eam vbi pertractauerit, nihil contra me concludet: non enim efficiet, vt verbi Dei Minister verbi Dei Ministro non possit imperare. Quod ipse quidem non ignorat: & idcirco vt contra argumentorũ meorum vim, receptum haberet, testatus sæpius est, functionum inter se comparatarum gradus, & prostasiam inter eiusdem muneris collegas se non tollere: & hæc omnia vt fucum lectori faciat, & statum quæstionis constituat, quem ipse vult, & posse oppugnare, confidit. Itaque lectori omnibus modis persuasum esse vult, me dominationem Episcopalem, vel potiùs tyrannidem defendere: id quantũ potest inculcat, & repetit; quum eius nihil in toto meo tractatu inueniatur. Ego quæstionis meæ filum in libro meo prosequor, & ex manifestis, & quæ negari non possunt, rei controuersæ, & dubitationis inuolutæ tenebris, lucem, quam possum, adfero.

Mihi in mentem venire non potuit, quid excepturus esset D. Beza, nec quò traducturus quæstionem: sciui enim de primitiuæ Ecclesiæ functionum inter se comparatarum gradibus, nullam esse controuersiam, & negari non posse Apostolos & Euangelistas superiores fuisse omnibus Pastoribus, quos Ecclesiis præfecerant, vni vel pluribus: & idcirco id loco inuictæ probationis adsumpsi.

Quod autem D. Beza iam toties quærit, an inter Apostolos diuinitus aliquis superior suis coapostolis fuerit: Respondeo, vt iam antè fuit à me responsum. Non idcirco Apostolorum ordinem, & Euangelistarum, gradu superiorem neminem admisisse illius ordinis, quia omnes isotimi erant, & æquales. Senatorius ordo apud Romanos, ex isotimis constabat; qui tamen suum habebant consulem gradu & potestate celsiorem. Nullus enim est ordo nec vnquam fuit, cui superiorem gradu ex illo ordine Deus dare, aut ipse sibi eligere non potuit; sed vt iam sæpius dixi, Apostoli non erant simul victuri. Et cum testes futuri essent Domini nostri, liberrimos eos esse oportuit, nemini vni obnoxios, præterquam Domino Iesu Christo: ne si ab vno mortali regerentur, non plures, sed vnus testis viderentur.

Diuina res fuit, duodecim illos viros, & præterea 70 viros, alios que plures qui Dominum in carne secuti fuerant, sine homine duce idem sentire, & idem loqui. Nihil enim opus habuêre rectore, qui eos authoritate & imperio in officio contineret, quos Deus ipse spiritu suo regebat, & vnum cor mentémque ipsis vnam inspirabat. Ipli tamen quamdiu simul vixerunt, & quoties conuenerunt, vnum præsidem habuerunt, qui in actionibus præiret, & nomine aliorum tanquam eorum os responderet. Hunc spiritum si Domino dare placuisset, Presbyteris & Episcopis isotimis, non alio fatererer opus habituros præsule, quàm habuerunt Apostoli: sed cùm Deo aliud visum fuerit, malè argumentatur D. Beza ab isotimia Apostolorum, & Euangelistarum ad isotimi-

am

am Presbyterorum & Episcoporum. In rebus ciuilibus ridiculum quiddam D. Beza pati videretur; si de ordinibus regni aut alicuius reipublicæ, hoc modo argumentaretur. Et ex conditione & prærogatiua nobilium, qui vnum ordinē constituunt, in quo nemo authoritatis gradu collegas excellit, inferre vellet, idem in inferioribus ordinibus esse oportere: & quia dux ducibus non est superior, nec comes comitibus, nec baro baronibus, neminem prouinciarum & vrbium Magistratibus & rectoribus constituendum à rege aut à republica superiorem magistratum vel rectorem: aut quia vnius prouinciæ rector, cæteris aliarum prouinciarum rectoribus, & vnius vrbis Magistratus, magistratibus aliarum vrbium non est superior & præfectus, inde inferat neminem Magistratum supra alium Magistratum esse constitutum aut constituendum, nec supra rectores vnius prouinciæ rectorem constitutum aut constituendum. Nam in eadem prouincia diuersi & subalterni rectores, sub præcipuo rectore esse possunt: & in eadem vrbe subesse inferior Magistratus, superiori solet: id enim ordo bonæ gubernationis naturâ postulat. Sic qui Episcopum supra Presbyteros & Episcopos non posse constitui negat, quia nullus Apostolus, nullus Euangelista, supra Euangelistas constitutos fuisse legit; seipsum fallit, nec rectè res inter se comparat.

Præterea quando diuersarum functionū ordines sunt gradus ὑπάλληλοι, nihil necesse est in singulis illis ordinibus inueniri graduum ὑπαλληλίαν. Presbyteri & Episcopi singularum Ecclesiarum, primis temporibus Apostolorum, habebant Episcopos ipsos Apostolos & Euangelistas, aliosque quos Apostoli Ecclesijs pluribus præfecerant: vt tunc alijs Episcopis non fuerit opus. Sed indè non fit cōsequens, crescente numero tum fidelium, tum Ecclesiarum, neminem postea Episcopum fuisse constitutum superiorem alijs Episcopis & Presbyteris.

Ipse Apostolatus tam 12 virorum quam 70 & aliorum nihil aliud fuit, quam quædam Episcope: & Apostoli Episcopi (si qua fides habenda est patribus) fuere primi Ecclesiarum: à quibus qui indè ab eorum temporibus, vsque ad nostra tempora rexêre Ecclesiam, fluxerunt: Quorum primi, qui leguntur ab ipsis Apostolis ordinati, fuere Titus & Timotheus: Quos licet D. Beza effugiendi gratia, quod soluere nequit argumentum, Euangelistas faciat; nunquam in illum introducet ordinem, cuius Philippus & Barnabas aliique secundarij Apostoli erant, qui vero nomine appellabantur Euangelistæ.

Verba ista Archiapostolus, Archieuangelista, ἀρχιποίμην, dominationis, Episcopalis gradus humanitùs inuenti, Tyrannis Episcopalis, Archiepiscopalis, Patriarchalis, ac tandem vniuersalis pseudoapostolica & Antichristiana tyrannis, fumi sunt odiosi; quibus veritas nostræ controuersiæ potius obscuratur, quam declaratur. Istis vocabulis nihil hîc erat locus, si author sibi constare voluisset. Ego in meo tractatu nec Episcopi Romani Tyrannidem, nec vllam Episcoporum aut Archiepiscoporum defendo spiritualem dominationem: quas si impugnare D. Beza instituat, alium Antagonistam quærat: nihil hoc ad me pertinet. Eam autem authoritatem quæ data fuit Tito & Timotheo remansisse in Christi Ecclesia disputo: & indè ab illis temporibus ad hunc vsque diem Ecclesiarum Pastoribus & Presbyteris, quocunque vocabulo posteris tēporibus fuerint vocati continuâsse defendo. Nobis instituta non est quæstio de nominibus Episcoporum, & Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Primatum, aut Patriarcharum; sed de potestate & authoritate Ecclesiastica, qua supra suos fratres in Ecclesiæ gubernatione alij aliis eminent. Cùm eam authoritatem dominationem non vocem, (vt non est) causam non video, cur D. Beza sub dominationis nomine eam oppugnet, antequam dominationem esse conuicerit.

3. D. THEOD. BEZA.

QVoniam verò omnem istam dominationem etiam spiritualem (sic enim ingenuè istos gradus appellare potiùs oportuit, quàm ambiguis auctoritatis, potestatis & dignitatis vocibus occultare) vnius Christi regis æterni ἀκοινωνήτως propriam esse, ac proinde diuinitùs non tantùm non ordinatam, sed etiam diserte prohibitam esse Ecclesiasticis Ministris omnibus, contendimus, ex Christi verbis, Matth. 20. 25. Marc. 10. 42. Luc. 22. 25.

HAD.

HAD. SARAVIA.

QVomodo me oportuerit loqui, à D. Beza discere non potui; ipse Geneuæ erat, ego in Anglia verbis idoneis me credo fuisse vsum, quibus rem, quam defendo propriè significaui; non quàm defendere me velle videtur Beza. Apostolicæ gubernationis forma, dominatio non fuit: eam in Ecclesia remansisse defendo, vocet quo lubet ipsi nomine eam. D. Beza: & me loqui non doceat. Cæterùm nihil contra me disputat, qui Dominationem spiritualem Christo Domino peculiarem nemini adsero; prohibitam omnibus Ministris similiter cum eo contendo. Docere hoc loco deberet D. Beza authoritatem Episcopalem, quam ego defendo, esse dominationem spiritualem Christo propriam, & vt ipse loquitur ἀκοινώνητον.

4. D. BEZA.

AGedũ videamus quas hîc exceptiones proferas. Christi verba hæc sunt, Lucæ 22. 25. Reges gentium dominantur eis, & qui habent in eas potestatem benefici vocantur. Vos autem non ita estote, sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimùs est: & qui antecedit, sicut qui ministrat. His igitur verbis negas sublatam potestatem gubernationis in Ecclesia qua Euangelij Minister supra alium Euangelij Ministrum eminet, non magis quàm ea sublata est, quam Pastor supra commissum sibi gregem habet. Itaque Seruatoris nostri responsionem ad Apostolos restringendam non esse, tanquam solummodo ibi CHRISTVS vetuerit Apostolum in cæteros Apostolos vsurpare imperium; sed illam vis ad quosuis extendi quibus erant præficiendi & supra quos omnis prohibetur tyrannis. Prohibet igitur dominus (inquis) non dominari sed more regum & principum κατακυριεύειν, id est, vi dominari, quod ne priuatis quidem in priuatos licet. Et hæc tu quidem valdè confidenter affirmas, sed qua tandem ratione?

HAD. SARAVIA.

TV verò mi Beza negas? ego te candide lector rogo, vt quintum decimum caput, quod hîc impugnare videri vult D. Beza, perlegas: & quomodo mea verba mutilet, & truncet, vt in diuersum sensum trahat, videbis: grauius nihil in hominem senem dicam, quem nunquam vidi; qui mihi etsi nulla familiaritate coniunctus est, ipsius tamen nomen mihi venerandum semper duxi: quem si offendo, inuitus certè id facio. Disputo illo capite omnem regium dominatum interdici; non tolli Apostolicam authoritatem, hoc primum. Deinde ne ea ipsa abuterentur, aut alij quicunque tandem illi futuri essent Ecclesiarum Pastores ad tyrannidem, caueri. Nemo enim est qui non possit accepta potestate abuti, quæcunque illa est. Et hæc quidem confidenter adfirmo & disputo.

Dissimulare non possum, passim mea verba falsari; & quæ nec dixi, nec cogitaui, mihi affingi. *Prohibet igitur dominus* (inquis) *non dominari sed more regum & principũ κατακυριεύειν*, id est, *Vi dominari, quod ne priuatis quidem in priuatos licet.* Hæc mea verba non sunt sed D. Bezæ, qui impudenter illa verba mihi affingit, vt persuadeat suo lectori, me dominationem nescio quàm Episcopalem propugnare; cùm pluribus in locis affirmem & disputem authoritatem Episcopalem non esse dominationẽ. Scripturæ loci, quos illîc allegaui, me ab hac vendicant calumnia. Citaui enim ex 1. Cor. 2. 4. *Non quod dominemur fidei vestræ, sed quod administri sumus gaudij vestri.* Itẽ quandò cito locum 2. Cor. 5. *Itaq; nomine Christi legatione fungimur, velut Deo precante per nos oramus. Christi nomine, reconciliamini Deo.* Ex his locis quis dicere potest, me dominationem aliquam Episcopalem defendere velle? Addidi illis locis *quamuis tollatur dominatio, non tamen omnem tolli præcipiendi potestatem, quo minùs Apostolo licuerit pro sua authoritate, seuerius, data occasione scribere, vt 2. Cor. 4. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an cum charitate, & spiritu lenitatis?* Itaque constituto, quod mihi affingit D. Beza pergit atque his verbis argumentatur.

5. D. BEZA. in cap. 14.

PRimum propria notatione verborum καταξυριεύειν & κατεξουσιάζειν, quibus non quoduis imperium sed immoderatum & tyrannicum notatur.

HAD. SARAVIA.

IMmó & ciuilem omnem dominationem, ac quoduis regium imperium, quod ex occasione Apostolicæ potestatis vsurpari posset: similiter quicquid ei est affine notari &

tari & prohiberi aio. Non enim potuit nec potest non esse tyrannicum, & immoderatum, quodcunque ciuile imperium ab Apostolis aut ab Episcopis vsurpatum foret.

D. Theod. Beza.

DEindè quoniam (inquis) nisi Dominus intellexisset in Ecclesiæ gubernatione aliquos maiores cæteris futuros, nunquam dixisset, Qui maximus est inter vos, fiat sicut minimus. Vbi enim omnes sunt futuri pares, præcepto nihil opus est, quo moderatio mandetur in præcipua dignitate constituto; sed compendio Christus dixisset, Nemo inter vos primus, nemo maximus aut princeps erit. Hic ego verò primùm ex te quæro, quamobrem, quùm ista sint à tribus Euangelistis scripta, tu vnicum Lucam tibi interpretandum delegeris? Nempè quòd ille vnus tibi visus est, hanc tuam interpretationem suggerere ex his verbis petitam, Qui maximus inter vos est. Atqui si Euangelistarum verba inter se comparasses (sicuti faciendum fuit) falsitatem huius tuæ interpretationis facilè deprehendisses. Nã pro eo quod dixit Lucas, Qui maximus est inter vos, & qui antecedit, siuè qui præcedit, Matthæus & Marcus scribunt, Quicunq; voluerit inter vos magnus esse, & qui voluerit inter vos primus esse. Vnde cõstat primùm omnem dominationem inter Apostolos à Christo improbari; addita ratione, quoniam suum illud imperium spirituale nolit ita vt terrena regna in terris gubernari.

Had. Saravia.

SI mihi D. Bezæ facti mei est reddenda ratio, quæ tamen satis nulla perturbatione animi commoto lectori, clara esse potest, sciat me potius illam interpretationem esse secutum, quæ & Apostolis conueniret, & regibus Christianis, ac Magistratibus minimè iniuria esset, si quis verba illa, non tantùm ad Apostolos, sed ad omnes Christianos extendere vellet.

Falsitas autem in mea interpretatione nulla est: sed in illa quam D. Beza mihi affingit. Ego nullam dominationem defendo, & omnem scio à Domino inter Apostolos improbari. Nec quidquam referre arbitror, vtrùm quis dicat qui maximus inter vos sit sicut qui minimus est, & qui princeps est sicut qui ministrat: an, quicunque voluerit inter vos magnus esse erit minister vester; & qui voluerit esse primus, erit omnium seruus. Vtrobique quando Dominus omnem non tantùm dominationem, sed ambitionem prohibuit, non sustulit nec inhibuit quenquam magnum fieri aut primũ esse: sed quam modestiam in suis ministris qui excellunt & excellere cupiunt requirat, docuit.

D. Theod. Beza.

DEindè ostendi vnde Apostolos hæc cogitatio subiisset. Nempè ab ambitione, & præiudicata illa falsissima opinione, de terreno Messiæ regno: à quo sanè tandem prodiit tota ista Episcopalis dominatio.

Had. Saravia.

EGo nullam Episcopalem dominationem defendo. Episcopalis authoritas dominatio non est.

D. Theod. Beza.

IStud vtinam iis bonis & sanctis alioqui nonnullis Patribus in mentem venisset, qui de illis certis potiùs finibus circumscribendis laborârunt, quàm de tollendis eius fundamentis. Quæ iam tum inter Episcopos iacta fuisse Ecclesiastica vetustissima historia testatur. Sic ergo & à Matthæo & à Marco tua prior ratio refellitur.

Had. Saravia.

QVæ mea ratio hic refellitur? Eam citare meis verbis D. Beza debuit. Ego nullã Episcopalem dominationem, quatenus quis Episcopus est, propugno.

D. Theod. Beza.

CONtrà verò altera tua interpretatio non magis vera, verborum κατακυριεύειν, & κατεξουσιάζειν, ex ipso Luca refutatur, vt qui simplicibus verbis κυριεύειν & ἐξουσιάζειν sit vsus. Ruit igitur vtrumque tuæ interpretationis fundamentum. Nec enim Lucam simplicibus illis verbis vtentem, ex Matthæo vel Marco composito vtroque illo verbo vtentibus, sed contrà Matthæum & Marcum ex Luca interpretari non oportere liquet etiam ex Paulo 2. Cor. 12. 4. vbi hac ipsa de re, nempè de spirituali dominatione loquens, simplex itidem κυριεύειν vsurpat, nequaquàm emphasim præpositionis κατὰ omissurus, si qua talis ipsius vis esset in verbo κατακυριεύειν quo vtitur etiam Petrus, 1. Pet. 5. 3.

HAD. SARAVIA.

SErio magnoque conatu D. Beza nugatur. Quicquid enim ex mutilatis et immutatis meis verbis D. Beza disputat σκιαμαχία est, contra quam sibi finxit vmbram pugnat: vtpotè qui ex dictionibus illis græcis nullum argumentum duxerim ad probandam Episcopalem dominationem. Ad hanc nostram quæstionem, simplicibus an compositis dictionibus illis græcis fuerint vsi Euangelistæ, nihil aut perparùm referre arbitror. Frequens in græco sermone vsus compositæ dictionis est pro simplici, & simplicis, pro composita. Sed compositæ dictionis interpretatione vti malui quàm simplicis, duplici de causa. Primò quia in malam partem accipitur pro tyrannica dominatione, qualis futura erat in Apostolis, si quam vsurpassent: & est in Episcopis qui sibi illam arrogant. Altera causa fuit nè legitimum imperium intelligatur omnibus Christianis prohibitum, si quis illos scripturæ locos ad omnes pertinere contendat. Vides (candide lector) quomodo corruat vtrumque non meæ sed D. Bezæ fictæ interpretationis fundamentum.

16. D. BEZA.

QVod autem vis Christi responsionem non esse ad Apostolos tantùm referendam hactenus admitto, vt tamen ibi propriè & peculiariter ad eos referatur à quibus fuerat Christus interrogatus. Quid alioqui Christi responso foret ineptius? Damnatur autem (vt dixi) non dominationis alicuius abusus, sed dominatio illi similis quam reges & principes in suos subditos obtinent in regnũ Christi inuectas siue temporalis ab ijs qui vtrumque gladium quasi sibi diuinitùs commissum comminiscuntur, siue spiritualis ab iis qui sibi suo modo domum Dei ornandi siue gubernandi atque adeò nouas aliquas conscientijs ferendi vsurpant. Id enim certè hoc in loco et istis Christi verbis apertè non tantùm inter Apostolos, sed etiã inter Euangelistas, inter Prophetas, inter Pastores, inter Doctores, inter Presbyteros denique illis adiunctos inhibitum fuisse demonstratur; vt quod de Prophetis, id est in Ecclesia docentibus ordinarijs, Pastoribus & Doctoribus statuit Paulus 1. Cor. 14. 32. Nempe spiritus Prophetarum Prophetis subiicj, de Apostolis quoq; & Euangelistis & peculiariter appellatis Prophetis (quæ tũc functiones in Ecclesia vigebant) dictum intelligatur.

HAD. SARAVIA.

QVid horum contra me dicatur non video. Prohibitum à Domino & Dominationem, & dominationis abusum non semel affirmaui; authoritatem Apostolicam remanere in Ecclesia contendo, & illam esse in Episcopis. In meo tractatu ne voculam quidem inuenies, vt vel leuiter id contrà quod D. Beza disputat deduci possit. Præ magna sua eruditione Beza meritò cuiquam delirare videri potest. Quæ sequuntur ex eadem intemperie profluunt.

D. BEZA.

SEd (inquis) tametsi omnes Apostoli eiusdem ordinis & potestatis fuerint, tamen fieri non potuit, quùm illi qui inter eos maiora dona acceperant quàm alij, maioris etiam quàm alij fuerint authoritatis, quod indicauit Apostolus ad Galatas vbi ait se contulisse Euangelium cum ijs qui videbantur aliquid esse: quod identidem repetens significare voluit quosdam fuisse inter Apostolos præcipuæ authoritatis; à quibus se tamen quicquam accepisse negat. Enimverò si authoritatis nomine dominationẽ vllam siuè imperandi potestatem, cui parere alios Apostolos oportuerit, aliud quicquam denique intelligis quàm ordinem quo fit vt actio tota ab aliquo sic regatur, vt obtineat illa mutua sancta consensio, omni φιλαυτία, αὐθαδεία, φιλοπρωτεία & προσωπολεψία opposita à te sanè dissensio.

HAD. SARAVIA.

TVrpiùs D. Bezam calumniari quæ perspicuè scripta sunt à me, quàm ei me calumniæ notam impingere. Nihil in meo tractatu est vnde colligere D. Beza potuerit me authoritatis nomine intelligere dominationem vel imperandi authoritatẽ Apostoli inter Apostolos. Candidè & apertè scripsi quicquid scripsi. Ambiguis particulis *si* & *sin* lectorem meum non deluси, nec suspensum tenui. Causa nulla à me Bezæ aut cuiuis alij lectori dubitandi de vero sermonis mei sensu data est vt D. Beza subiicere potuerit.

D. BEZA.

SIn autem authoritatis nomine non imperium, non dominium, sed illud intelligis mensuræ Dei donorum discrimen, quo fit vt alicuius habeatur peculiaris in eo audiendo & expendendis quæ ab eo dicuntur ratio (qualem præsertim Petro plerumque in Apostolorum cœtu, & Iacobo fratri Domini Hyerosolymis habitam fuisse ex historia sacra liquet) in eo tibi prorsùs assentior.

HAD.

HAD. SARAVIA.

CEdo tuam conscientiam iudicem (mi Beza) & cuiusuis candidi lectoris. Ex solà tractatus mei lectione quid intellexerim facile videre est.

D. THEOD. BEZA.

Sed quorsùm hæc ad illum dominationis gradum, quem tu propugnas, ego autem oppugno.

HAD. SARAVIA.

PRorsus nihil: sed quem dominationis gradum propugno? vbi? Quòd dominationis gradum D. Beza se oppugnare ait, id ei per me licet; ego nullum defendo: nisi fortè Apostolicam gubernandæ Ecclesiæ formam dominationem iudicet; quam ego quidem defendo, & Episcopis asserto, ipse verò oppugnat. Sed diutiùs me continere non valeo, nec debeo, quin D. Bezam calumniæ reprehendam, mihique ab eo iniuriam fieri querar, quoties inculcat & repetit me Episcopalis dominationis gradum propugnare. In altero quidem tractatu, defendo eundem hominem (si interest regni vel reipub.) duplicem posse sustinere personam. Et id à me factum esse, fierique meliori conscientia, & magis ad Ecclesiæ ædificationem, quàm ab aliis impugnetur, mihi testem aliquando Deum futurum confido. Sed hoc nihil ad præsentem disputationem pertinet.

6. D. THEOD. BEZA.

DEnique quòd tu ex Galat. 2. 6. & 9. profers, vbi Iacobo & Cæphæ & Iohanni tribui videtur columnarum appellatio, miror potuisse te arbitrari istud accipiendum, quasi Paulus, alibi testatus se nihilo summis Apostolis esse inferiorem, illis aliquam in ipso Apostolatu ὑστεροχλὼ tribuerit; aut quasi ratione Apostolici muneris aliter illis Ecclesia quàm cæteris Apostolis niteretur. Nec enim illos Paulus dicit supra cæteros aliquid fuisse, sed visos fuisse, existimatos fuisse aliquid: nec ipse appellat eos columnas; sed fuisse existimatos quòd essent columnæ: loquens videlicet ex suorum aduersariorum sensu, qui vt Apostolatum Pauli deprimerent, & eam ipsam, de qua hic agimus, imparitatem inter Apostolos statuerent, illos quidem dictitabant esse aliquid, vt qui cum ipso Iesu Christo essent versati, & illa solenni Spiritus sancti missione die Pentecostes ordinati: & rursum Iacobum, Cæphan, & Iohannem inter illos duodecim, quasi ipsi etiam coapostolis maiores venditare apud simplices illos Galatas consueuerant.

HAD. SARAVIA.

QVomodo illa scripturæ loca accipiã, lector iudicare potest. Suam verò sibi seruet D. Beza interpretationem; donorum inæqualitas, laborum tolerantia, omnis denique rara & propria virtus, ordinem non perturbant, quamuis peculiarem laudem suam mereantur, & authoritatem concilient. Paulus laudem nullam collegis & præcipuis Apostolis datam inuidit, nec minuit, authoritatem tantùm sui Apostolatus defendit. Qua ratione Beza id conetur facere, ipse viderit, iniquior Apostolis quã ei sunt ipsius collegæ & compresbyteri; apud quos certum est, quòd cæteris propter singularis doctrinæ & eruditionis opinionẽ, quæ de ipso habetur, eius maior est gratia & authoritas.

7. D. THEOD. BEZA.

HOc igitur loco Christus suorum discipulorum ambitiosam stultitiam arguit, vt qui terrenum fore ipsius regnum somniantes sperarent sese principatus & satrapias adepturos. Vt autem illis semel hanc cogitationem eximat, declarat primùm rationem sui regni diuersam prorsùs esse ab huius mundi regnis. Positam enim hanc esse in opum & arbitrarij in subditos homines imperij splendore. Suam autem regnandi rationem contrà, in eo positam esse, vt qui alijs præsunt omni abiecta terrenæ potentiæ quærendæ cura, aliorum saluti seruiant: qua in re quo magis quisque se demiserit, eo sit inter cæteros suos conseruos præstantior habendus. Etsi igitur valere debet in omnibus tum aliqua potestate publica in hoc mundo prædtis, tum etiam in priuatis hominibus, quod hîc aduersus ambitionem dicitur: tamen aliò spectauit Dominus. Primùm enim non tantùm discrimen, verùm etiam (vt canonistæ loquuntur,) incompatibilitatem inter temporalem siue secularem dominationem, & spiritualem siue Ecclesiasticam functionem declarat; idque proposito suiipsius, licèt spiritualis regis exemplo. Deinde ministris huius regni spiritualis omnem subditorum huius regni cõscientiis imperandi potestatem adimit, vt qui in regno spirituali non sunt reges, sed vnius illius Regis mandatarij Ministri, non ad leges vllas cõscientiis ferendas, sed ad eas quæ iam positæ sunt promulgandas, interpretandas, applicandas ouium ipsis commissarũ vsui: ad sacramenta denique administranda, & iurisdictionem, addita quoque rebellium coërtione, exercendã; sed vnici huius legislatoris ac Regis nomine, & ex præscriptis ab eo legibus: à quibus ne tantillum quidem, vel ad dextram vel ad sinistram deflectant, sitque tota hæc administratio spiritualis.

Hæc inquam est horum Christi verborum vera explicatio, qua tamen neque ipsæ huius sacri ministerij sub eodem domino functiones inter se exæquantur, (quid enim prohibet mediastinum vel œconomum seruum sub eodem hero eminere) neque ordo quo vnus alterum antecedit, & qui collegij actionem moderatur, inter pari ministerio fungentes tollitur: (aliud enim est primum inter suos collegas, idque certis legibus esse quàm iis superiorem esse, & quidem cum illis imperandi iure) & multò minùs gradus ministerio fungentium, eius à quo missi sunt nomine, supra eos qui regi per suos ministros loquenti obedire tenentur, non modò non prohibentur verùm etiam stabiliuntur.

HAD. SARAVIA.

MVlta quidem in hac tota narratione D. Beza adfert, quæ ad rem de qua inter nos controuersia est, nihil præter speciem habent solidi. Nam vt hæc demus, manet Ecclesiam gubernandi authoritas quam Episcopis adferimus. Quæ D. Beza adfert, obscuris verbis authoris sui sensum tegunt: & vt solent qui nec veritatem fateri, nec eam apertè negare audent, perplexè loquitur. Dicit (sed hoc satis apertè) Dominum illo loco docuisse non tantum discrimen, sed etiam incompatibilitatem, inter temporalem siue secularem dominationem, & spiritualem siue Ecclesiasticam functionem, cuius contrariũ defendo: quòd in Christiana republica Episcopus possit temporalem exercere iurisdictionem, modò prouincia ei committatur à summo imperio, de qua re hîc inter nos non disputatur: habet illa controuersia proprium locum.

Quod sequitur ministris Ecclesiæ imperandi conscientiis potestatem ademptam, quòd non sint reges, sed vnius illius Regis qui Christus est mandatarij, non ad leges conscientiis ferendas, sed interpretandas & promulgandas Dei leges, nihil contra nos facit: sicut nec quod addit de iurisdictione ex præscriptis à Christo legibus. Quibus (vt D. Beza fatetur) cùm sacræ functiones inter se non exæquentur, quo minus Mediastinus vel œconomus seruus sub eodem hero emineat, neque ordo quo vnus alterum antecedit, qui collegij actionem moderetur, & primus inter suos collegas constituatur, nihil contra nos continet, sed pro nobis disputare videtur: nisi accederet, quod cum iam datis consistere non potest: nempe illum superiorẽ non esse, qui tamen primus sit inter suos collegas, quos & antecedit, & inter quos sub hero suo veluti Mediastinus vel œconomus eminet. Profectò quisquis quamuis certis legibus primus est, & eminet, vt solent sub Dominis suis œconomi & Mediastini serui, is quoq; superior est, aut ego vehementer fallor. Sed fieri potest, vt hæc D. Beza interpretetur de Apostolis & Euangelistis; quod eum nihil iuuat, vt probet ex verbis seruatoris nostri authoritatem quam Episcopis tribuimus fuisse prohibitam.

8. D. BEZA.

TV vero tuo more ordinem cum gradu confundis, neque inter functiones inter se comparatas & eiusdem functionis collegas discrimen constituis; ac proinde nobis iniuriam facis, cum patres à nobis tyrannidis accusari comminiscaris: quasi functiones sacras inter se exæquemus, quod neque illis, neque nobis vnquam in mentem venit.

HAD. SARAVIA.

DOm. Beza hîc omnia mihi optimo ordine digessit, ordinem à gradu distinxit, inter sacras functiones inter se comparatas, & eiusdem functionis collegas discrimen constituit, cùm tamen nihil horum factum sit: nisi fortè ita sum hebes, vt acuta & recondita hæc non queam perspicere. Tu verò (inquit D. Beza) tuo more ordinem cum gradu confundis. Quid si contra excipiam & regeram, tu vero tuo more, ordinem simul & gradum tollis, qui nullus est vbi ἄνω καὶ κάτω τὰ ὑπάλληλα tolluntur, & inter Ecclesiarum Ministros nullus est, quando sine gradu cogitatur: nisi fortè eum intelligas qui est inter pecudes quando numerantur, vel alias res quaslibet quæ certo ordine collocantur. Sed obsecro te, quo in loco gradum cum ordine confundo? si locum citares, aptius tibi respondere possem. Dixi statim ab initio prædicationis Euangelicæ Dominum duos Ministrorum Euangelij ordines creâsse imparis dignitatis: quid? velles me dixisse gradus? nihil interest, ordo ibi mihi gradum significat. In republica Romana fuêre tres ordines, senatorius, equestris, & plebeius. In hoc Angliæ regno tres sunt ordines, sicut & in Gallia: vbi ordo est, ibi gradus esse nemo sanus diffitebitur. In Ecclesia sua si dicam Deum diuersos constituisse ordines, vel diuersos

Ministrorum

Ministrorum gradus, idem significauero. Nec enim diuersi ordines dici possunt, nisi respectu graduum diuersorum: & gradus dicitur respectu inferioris aut superioris.

Vellē D. Bezam ostendisse vbi his dictionibus abusus sim, vnde lectori causam erroris dederim: aut ambiguitate vocis quemquam fallere potuerim. Hominum dignitas & honoris locus, gradus & ordo vocatur. Apud Romanæ eloquentiæ principes, lego senatorum gradum & senatorum ordinem, idem significare. Sed Hieronymus de hac eadem re differens, de quibus inter nos controuertitur, ordinem & gradum pro eodem accipit, aduersus Iouinianum. *Nec dicitur, si quis Episcopatum desiderat, bonum desiderat gradum, sed bonum opus desiderat, quòd in maiori ordine constitutus possit, si velit, occasionem exercendarum habere virtutum.* D. Bezæ importunitas ad grammaticen & vocularum interpretationem theologicam quæstionem reuocat; ne nihil respondisse videatur ad ea quæ non probat, nec tamen erroris conuincere potest.

Queritur D. Beza me iniuriam ipsis facere, quando comminiscor patres ab eis accusari tyrannidis: id si pro se dictum D. Beza accipit; quem notare certè nunquam in vlla scripti mei parte cogitaui; errat. Tamen fides sit penès eorum scripta: quæ si non ferant contrarium testimonium, habear caluminator; hîc ea ex eorum libris inserere longum esset. Quasi (inquit) functiones sacras inter se exæquemus, vellem D. Bezam apertius fuisse locutum: nam quas functiones sacras narret nescio.

Inter functiones inter se comparatas & eiusdem functionis collegas, D. Beza ait me nullum discrimen constituere. Sed quid sibi velit, ingenuè fateor me non satis intelligere. Proferam exempla. Habuêre Apostoli suam functionem, habuerunt similiter Euangelistæ, & Prophetæ suam; item & sub illis constituti Episcopi & Presbyteri cū Doctoribus; sicut primis illis Ecclesiæ conueniebat temporibus. Hæc, quod sciam, ego nusquam cōfundo, qui vbique ab inuicem discreta ea semper propono.

Quod ordinem attinet inter eiusdem functionis collegas, in quo alius primus, alius secundus, alius tertius atque ita deinceps dicitur; absit vt eum tollam. Inter eos qui sunt in paris potestatis gradu & ordine constituti, ego illum quoque ordinem agnosco. Duodecim fuerunt Apostoli; inter quos primus vbique recensetur Petrus: non propter authoritatem aliquam præcipuam supra collegas, sed propter ætatem, & fidei ardentiorem zelum, quo antecellebat cæteris. Primus igitur fuit non potestate, sed ordine, & honore. Quem certè primatum vt non tollo; ita in eo etiam gradum quendam excellentiæ considero in re, propter quam aliquis primus censetur: siue sit ætas, siue ardentior fides, siue aliud quidpiam, cuius gratia primus inter eos, qui alioqui authoritate pares sunt, aliquis habetur. Primum enim varijs modis quempiam dici, & esse notum est.

De authoritatis primatu, nostra est disputatio. Qui quamuis inter 12 Apostolos respectu collegarum nullus fuerit, nec esse potuerit: fuit tamen respectu aliorum inferioris ordinis, Euangelij Ministrorum. In Apostolorum successoribus Episcopis, politiæ & gubernationis Ecclesiasticæ causâ, eosdem ordines gradúsque qui fuerunt sub Apostolis, retentos fuisse contendo. In Patriarchis & Episcopis agnosco Apostolicā gubernationis remanere potestatem: & in Presbyteris & Pastoribus particularem singularum Ecclesiarum curam. Patriarchas & Episcopos inter se ita pares facio, vt nemo Patriarcha Patriarchæ, sicut nec Episcopus Episcopo, Presbyter Presbytero, præcipere quicquam cum authoritate possit: inter quos tamen pares authoritate, primatum ordinis & honoris vario respectu relinquo. Primum ordine & honore inter Patriarchas esse Episcopum Rom. & secundum Constantinopolitanum, patribus non magis contra verbum Dei visum est, quàm Petrum dici primum, & Iacobum secundum, & Iohannem tertium inter Apostolos. Hæc cùm vbique hoc modo distincta doceam, tum ex verbo Dei, tum ex perpetuo Ecclesiæ Catholicæ vsu, iudicet æquus lector, vter nostrum ordinem cum gradu confundat, nec inter functiones inter se cōparatas, & eiusdem functionis collegas discrimen nullum constituat.

9. D. Theod. Beza.

Sed hoc quidem affirmare non vereor, quod heu nimiùm tristis experientia iampridem docuit, sensim inter eodem & pari munere sacro fungentes, ordinem diuinum, in gradum humanum, & hunc gradum, ruptis verorum purorum canonum vinculis, in tyrannidem manifestam, &, si restitutam Ecclesiam malumus, abolendam euasisse.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza sæpiùs idē generatim inculcat de diuino ordine, qui degeneravit in humanū gradum, inde in tyrannidē: sed nihil per partes demonstrat, atq; ita falsa veris permiscet; vt quid, cui potissimum respondendum sit ignores. Idem facere videtur quod Pythagoras, qui sua inculcabat suis auditoribus præcepta, nullis argumentis adhibitis; qui cùm contradicendi potestatem non haberent, ante finitum indicti silentij tempus, obtinebat tempore & iterata sæpiùs inculcatione, quod ratione efficiendum erat: eadem crebrò audita, vt guttis solent cauari lapides, sic animo imprudenti quoque persuaderi. Siquidem dicere, & identidem eadem repetere, docere & fidem facere est; Beza eleganter & copiosè docet.

HAD. SARAVIA.

Apostolici regiminis forma morte Apostolorum & Euangelistarum non accepit finem.

CAPVT XVI.

QVod Apostolicum regimen morte Apostolorum creditur esse finitum nulla scripturæ authoritate, nulla ratione, nullo denique patrum exemplo demonstratur. Nihilo plus valet quod dicuntur Apostoli extraordinariam habuisse potestatem: nam pari ratione negari posset quenquam hodie habere baptizandi & prædicandi Euangelij potestatem. Si quæ erant extraordinaria in Apostolis, ea relinquere posteris non potuerunt: eadem ratio efficiet, nec prædicandi Euangelij, nec baptizandi post Apostolos relictam esse authoritatem. Causam ego aliquam afferri velim, cur potiùs regendi Ecclesiam forma quæ fuit sub Apostolis hodie cessare debeat, quam Euangelij prædicatio, & baptismi ac cœnæ Dominicæ administratio. Nam horum omnium potestas erat æquè extraordinaria, ac Ecclesiæ gubernatio.

Perindè est, ac si olim in populo Dei post Mosis & Aaronis tēpora aliquis dixisset Sacerdotes & Leuitas non eandē habere potestatem quam Moses & Aaron habuerant, quia eorum extraordinaria fuerat vocatio. Quemadmodum igitur post suam ipsorum mortem eandem gubernandi rationem qua fuerant vsi Moses & Aaron reliquêre posteris; ita etiam Apostoli & Euangelistæ fuerunt exemplum & lex nobis posteris, perfecti regiminis Ecclesiastici. Et quod Seruator noster dixit de sacerdotibus Iudæorum, eos sedere super cathedram Mosis & Aaronis, idem dici potest de Episcopis, quòd in cathedra Petri & Pauli sedeant, hoc est, quòd successerunt in eodem regiminis munere.

Duo sunt vocabula, quæ non rectè accepta fallunt, scilicet, temporarium & extraordinarium: quæ de toto munere Apostolico, & ommbus eius partibus non pari ratione dicuntur. Tamen quidam credere videntur, quidquid in illis fuit extraordinarium, idem fuisse quoque temporarium, cùm quidquid fuit extraordi-

traordinarium, certum sit non fuisse temporarium : nam omnia fuere in Apostolis extraordinaria, quorum multa lapsu temporis facta sunt ordinaria. Quæ finem simul acceperunt cum Apostolis, tantùm fuere temporaria : quæ autem illa sint, iam dixi. Vt ab Euangelij prædicatione incipiam, malè illa restringeretur ad Apostolos aut eorum tempora : quamuis tam ampla legatio qualis fuit Apostolorum, mandari nemini possit, aliqua similis potest, cum simili authoritate.

1. D. THEOD. BEZA. in cap. 16.

APostolicum, inquis, regimen, id est, Ecclesiasticæ gubernationis formam ab Apostolis & Euangelistis obseruatam, & institutam, neque scripturæ authoritate, neque ratione, nullo denique patrum exemplo demonstrari potest, morte Apostolorum fuisse finitam, quod tamen à nonnullis traditur. Respondeo, aliud esse potestatem ædificandi domum, quàm ipsius extructæ & partibus omnibus aptatæ domus speciem & effigiem. Est autem Ecclesia catholica domus Dei, cuius solum est vniuersus terrarum orbis, & (Spiritu sancto vbique præeunte, & vires necessarias suppeditante) architecti quidam in fundamento iaciendo fuerunt Apostoli, adhibita modò in his, modo in illis illius domus partibus, prout expediebat, Euangelistarum opera, in superficie vsque ad culmen ædificij extruenda : prophetis denique velut ἐργοδιώκταις adiunctis : quod etiam de reliquis intelligitur, in quibus extraordinaria illa Spiritus sancti χαρίσματα viguerunt : sicut ergo extructa domo quapiam, neque architectis, neque ipsorum operariis, neque fundamentorum iactione, neque superficiei extructione opus est, quoniam hoc esset actum agere : sed superest vt extructæ domus in illa sua forma conseruandæ, & vbi labefacta fuerit instaurandæ, cura, fidis & idoneis administratoribus committitur : sic Apostolorum fundatorum, Euangelistarum superstructorum, prophetarum denique & aliorum ἐργοδιώκτων functio & opera cum ipsis desit, vt qui quanta maxima fide & diligentia fieri potest, ædificium sibi demandatum ad culmen vsq; perduxerint. Huius autem sarti tecti conseruandi curam nemini quidē vniuersaliter illi architecti demandârunt : (hoc enim est vnius diuinæ potentiæ opus) sed Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris & Diaconis commiserunt : sua cuique huius ædificij parte commissa, quam in recto suo statu inuentam tueantur : aliorum autem negligentia, vel perfidia labefactatam, superuacaneis priorive rectæ structuræ contrariis adstructionibus deformatam, euersis euertendis, restitutis restituendis, instauret.

HAD. SARAVIA.

INter bonos bene agier oportet, quemadmodum ipse D. Beza initio admonuit, & id sibi placere ostendit; quare cauillari & deprauare mea scripta, & aliorsum trahere, quàm res patitur non decet D. Bezam : id enim ab ingenuitate & integritate est alienum. Tamen quid D. Beza respondeat ad 10. caput mei libri, & quomodo meam thesim confutet, expendamus. Id primum fieri debuit authoritate verbi Dei, & rationibus, deinde Patrum sententiis & exemplis. Sed præterita scripturæ sacræ authoritate, videtur ad rationem confugere, & à similitudine architecturæ ducere argumentum; quod quam infirmum sit, etiam si nullus admoneat, inde apparet, quod D. Paulus tanquam bonus architectus ita fundamenta se testatur iecisse, vt superædificandi quæ restabant, partes reliquerit etiam aliis, qui post eum venturi erant, illa quæcunq; erunt dies declarabit. Quicquid præterea sequitur, nihil probat, quod ad rem facit. Quamuis enim illa omnia concedam, non indè sequitur, regiminis formam, quæ fuit temporibus Apostolorum, desiisse. Tantùm hoc deducere licet, extraordinaria illa dona, quæ tum in Apostolis tum Euangelistis & Prophetis viguerunt, fuisse in illis initiis necessaria fundandis Ecclesiis, non autem similiter iam constitutis.

Sed D. Beza nusquam adfert rationem propter quam soli Apostoli dicuntur fundâsse Ecclesias. Potest in eo latere error, si fundationem Ecclesiarum propriam Apostolis alio modo accipiat, quàm res est. Primò enim ad ipsorum labores, quibus Gentiles ad fidem Domini nostri adduxerunt, & collecta ex gentibus fuit Ecclesia, fundatio referri potest. Quod cùm multi præter Apostolos præstiterint, & ea fundandi Ecclesias ratio perpetua futura sit, dici non potest Apostolorum propria. Tamen ipsi cum prophetis sunt soli & veri Ecclesiæ fundatores. Proinde vera ratio cur fundatores Ecclesiæ dicuntur, est doctrinæ cœlestis soliditas, & immota æternæ veritatis firmitas, quam tradiderunt : vtpote cui nititur Ecclesia, habétque eam pro fundamento. Ad cuius doctrinæ fidem faciendam, opus fuit virtutibus, quæ facultatem humanam

nam ſuperarent: cuiuſmodi fuerunt miraculorum edendi poteſtas, genera linguarum & prophetiæ donum: ſine quibus fidei doctrina plantari non potuit. Ad eam rem gubernationis forma nihil momenti habere potuit: quippe quæ veluti effectus cauſam habeat hanc Eccleſiæ fundationem. Altera verò illa quæ perpetua eſt, & in colligendis nouis Eccleſiis verſatur, non minus opus habet hodiè Apoſtolicæ gubernationis authoritate, atque olim habuit. Nam bona regiminis forma non tantùm ſeruit conſtituendis & fundandis ſiue Eccleſiis ſiue rebus publicis; ſed etiam conſeruandis. Sicut iiſdem virtutibus ſtat imperium, quibus partum eſt: & illis legibus quibus reſpublica creſcit, etiam retinetur: ſimiliter Eccleſia, illa gubernationis formâ optimè conſeruatur, qua fundata fuit.

Et quod aliam ſimilitudinem attinet, *Quodiam extructa domo quapiam, neq; architectis opus eſt, neque operariis, &c. quoniam hoc eſſet actum agere*, non apta ſimilitudine ſeipſum fallit D. Beza, ſi collectionem Eccleſiarum pro fundatione & extructione accipit. Quia alia eſt ratio rerum quæ fluunt, & in perpetuo ſunt motu, alia rerum quæ ad tempus ſtant & permanent. Etenim quia in ædificiis conſtruendis non ſemper homines occupantur, in iaciendis fundamentis, & parietibus extruendis, idcirco D. Beza architectis eiuſdem facultatis, non putat eſſe opus conſeruando extructo ædificio. Quod falſum eſt: præſertim quando quotidiè, quod conſtructum eſt, inſultus patitur hoſtium, qui demoliri omnibus quibus poſſunt machinis illud nituntur: & non tantùm parietes arietibus pulſant, verum etiam cuniculis actis fundamenta labefactant. Quibus certè retinendis & conſeruandis, Apoſtolico labore, & vigilantia, non minùs opus eſt, quàm initio fuerat. Et quia D. Bezæ hoc argumentum placet, cogitet velim, multa interire & interiiſſe ædificia antiqua, inopia architectorum, qui priſcorum artem admirari quidem ſed imitari non potuerunt. Eiuſdem planè artis & facultatis eſt, reparare & conſeruare ædificium, quæ fuit ædificandi.

Item quando & hoc addit, *Huius autem ſarti tecti conſeruandi curam, nemini vniuerſaliter illos architectos demandâſſe*, quorſum id dicat neſcio: id enim ego nuſquam aio. Ipſa conſtructio poſitione fundamentorum prima, nemini vni vniuerſaliter mandata fuit: Chriſti hoc opus eſt. Ipſe eſt, qui Eccleſiam ſuam ſupra petram ædificat. *Sed Paſtoribus* (inquit) *Doctoribus & Presbyteris & diaconis*, quis hoc negat? Sed indè ne conſequitur, inter Paſtores & Doctores Presbyteróſque eum gubernationis ordinem eſſe non oportere, qui fuit temporibus Apoſtolorum, vt Paſtor Paſtori imperet, & Presbyter Presbytero; & temporibus veteris populi Sacerdos Sacerdoti, & Leuita Leuitæ? Quod nec iniquum nec tyrannicum tunc fuit, vt Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, & alij Apoſtolorum cooperatores, qui Paſtores & Presbyteri erant, aliis Paſtoribus & Presbyteris præfuerint, & præceperint in Eccleſiaſtico regimine; cuiquámne ex his D. Bezæ ſimilitudinibus, id iniquũ & tyrannicum eſſe perſuaderi poterit? Nimis infirmæ iſtæ rationes ſunt: validioribus opus eſt, vt mihi perſuadeatur illa gubernationis forma, quæ optima (vtpotè à Deo inſtituta) ſub Apoſtolis, Prophetis & Euangeliſtis fuit, nunc ſit mala, inutilis & tyrannica. Hæc ſimilitudo D. Bezæ, præter verba, nihil habet ponderis.

Vt autem latiùs fuſæ argumentationis clariùs pateat fallacia, eam in pauca contraham. Ipſius propoſitio hæc eſt. Perinde ac in fundatione & conſtructione alicuius ædificii, multa ſunt neceſſaria, quorum ipſo conſeruando nihil poſtea erit opus: ita in Eccleſiarum prima fundatione & ædificatione, multa fuere neceſſaria, quæ eius conſeruatio & reparatio non poſtulat. Hanc partem ego admitto: ſed nihil actum eſt, niſi adſumat & dicat, Eccleſiæ gubernationis forma, quæ viguit ſub Apoſtolis tunc temporis quando fundabatur & congregabatur Eccleſia, tantùm fuit neceſſaria. Hoc eſt quod controuertitur, & ego pernego: quomodo docetur? Propoſitio adſumptionis fidem non facit, niſi eam in ſe complectatur: hæc autem indefinita eſt: quare niſi propoſitio ſit huius formæ, viz. Nihil eorũ quod ad ædificationẽ alicuius ædificij eſt neceſſarium, poſteà eius conſeruatio opus habet, non efficitur quod D. Beza intendit. Id autem eſſe falſum, eſt manifeſtum. Vides candide lector quàm inualidum ſit hoc D. Bezæ argumentũ. Sed ei nimis immorati ſumus: tranſeamus ad ea quæ ſequuntur.

2. D. Beza.

2. D. THEOD. BEZA.

NEque hîc verò prætermittendæ sunt magistratus partes, quæ in istiusmodi instauratione, vel præcipuæ sunt: ab illorum tamen huius restitutionis operariorum distinctis functionibus discernendæ. Nam operariis ipsa substructio spiritualis est propria, magistratuum verò munus est operarios vbi desunt, inueniendos legitimè curare, & inuentos tum cessantes vrgere, tum suum munus fideliter obeuntes authoritate sua tueri: perfidos autem vel mulctare, vel saltem abigere: totum denique opus Domini totis viribus promouere. Si Dauid & Salomon, quamuis ille quidem Prophetico & ipse spiritu præditus, iste verò extraordinaria omnis sapientiæ mensura donatus; sacro tamen ipso ministerio abstinuerunt, sed diuinum illum cultum, & omnes eius functiones; prout demum consulti Prophetæ faciendum responderunt instaurandum: immo velut ab altero repetito principium extruendum, ac deinceps per Sacerdotes & Leuitas exercendum curârunt. Sic quoque Iosaphat, Ezechias, & Iosias pesserunt. Sic quoque Zorobabel pro suo munere, & Nehemias diuinitùs excitatus: adiuncto doctissimo illo & religiosissimo Scriba Esdra, domum Domini internam potissimùm instaurarunt. Sic nostra memoria Dominus tam miserè transformatam, profanatam, & penè à fundamentis subuersam domũ suam, sicut olim Hierosolymæ suæ rudera, respiciens, primum quidem princeps; ac deinceps ciuitatum nonnullarum Magistratus, reges denique, quos ipsi libuit, excitauit, & inter cæteros, illum beatissimæ memoriæ Regem Edouardum sextum, ac deinceps, post interruptum in Anglia opus Domini, Serenissimam illam & Ecclesiarum non tantùm Anglicanarum fortissimam instauratricem, verùm etiam peregrinarum religiosissimam nutriciam Elizabetham instaurandæ suæ domui quasi sua ipsius manu cœlitùs demisit: qui omnes sicuti facere fœliciter cœperunt, ita porrò in hoc opere tam sancto dies ac noctes vtinam pergant, donec conspicuum illud, in sua quisque regione diuini in terris palatij decus restitutum cernant. Hoc autem quisquis ritè & ita vt opus est absolutum volet. Sedulò & in primis in hoc oportet incumbat, in sua quisque instaurandæ huius ædificij spiritualis parte sibi commissa: vt quemadmodum olim Moses quidem ab exemplari, quod in monte viderat, nusquam discedere iussus est: sacerdotes autem ignem peregrinum altari Domini inferre prohibiti sunt: sic operarij qui ad hanc rem curandam adhibebuntur, cuncta & singula ad illam amussim Apostolicam perpetuam exigant: neque ad læuam, neque ad dextram deflectentes, siue in ipsa doctrina, siue in Ecclesiasticæ administrationis ipsa, vt ita loquar, essentia, duabus præcipuè in rebus posita: nempe in ipsis perpetuis muneribus sacris & in eorundem accurata & distincta descriptione, ad quam earum vsus est referendus.

HAD. SARAVIA.

PRæclara hæc sunt, sed prætermitti poterant, vtpote quæ nihil ad præsentem quæstionem conferant, quantum ego videre possum.

3. D. THEOD. BEZA.

APostolorum verò, Euangelistarum, & Prophetarum functiones, qui temporarias fuisse nolunt, necesse est vt vel ab illis opus extruendæ, & suis omnibus partibus absoluendæ domus Domini imperfectum fuisse relictum statuant; quod sine ipsorum contumelia dici non potest, & certè falsissimum est: vel eò vsque postea subuersum fuisse illud ædificium totum dicant, vt ad eius restitutionem nõ tantùm Pastoribus, Doctoribus, & Presbyteris bonis & fidis, sed etiã architectis ad rursus iacienda fundamenta, Euangelistis ad superstructionem, prophetia denique & aliis Spiritus sancti donis ad illorum operis confirmationem sit opus.

HAD. SARAVIA.

AB absurdo aliam texit argumentationem D. Beza; in qua, vt passim, mea verba malè refert. Errore, vt opinor, non aliqua malitia, non quæ dico, sed quæ ex meis verbis colligit (quod cuiuis facile euenire potest) ponit. Nam ipse nusquam inueniet in meo tractatu, me dixisse Apostolorum & Euangelistarum functionem in circumstantiis non fuisse temporariam: sed gubernationis Ecclesiasticæ formam, quæ sub eis fuit, dixi & dico non fuisse temporariam. Quod autem de forma regiminis dixi, ad omnes ad singulas Apostolicæ functionis partes non debet referri.

Sed audiamus quid absurdi indè inferatur. *Necesse est* (inquit) *vt vel ab illis opus extruendæ, & suis omnibus partibus absoluendæ domus Dei imperfectum fuisse relictum statuant (quod sine ipsorum contumelia dici non potest) & certè falsissimum est. &c.* vtrumque nego. Primum si vniuersam spectes Ecclesiam, tradiderunt quidquid fuit eius fundandæ & conseruandæ necessarium: nempe cœlestem doctrinam, si verò partes spectes & homines, intercluſi tempore, & morte præuenti, quæ inceperant, non potuerunt per se perficere. Paulus Actor. 20. capite 18. versic. Presbyteros Ephesinos sic adlocutus est, *Vos scitis à primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni modestia, & multis lachrimis ac tentationibus, quæ mihi euenerunt, in Iudæorum insidiis, vt nihil subterfugerim eorum quæ vobis conducerent, quo minus ea vobis annunciarem, & docerem vos publicè & per singulas domos; testificans*

ſtificans Iudais ſimul & Gracis, conuerſionem ad Deum, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum. Et in priore ad Cor. 1. c. 4. ver. ſcribit. *Gratias ago Deo meo ſemper de vobis ob gratiam Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu. Quod in omnibus ditati eſtis, in ipſo, omni loquendi facultate, omnique cognitione prout teſtimonium Chriſti confirmatum fuit in vobis: Adeò vt nullo dono deficiamini expectantes dum reueletur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c.* Eccleſia tamen illa magnos & multos habebat næuos. vt 3. ca. 1. verſ. dicere ipſis coactus fuerit. *Ego porrò fratres, non potui loqui vobis vt ſpiritualibus, ſed locutus ſum vt carnalibus, id eſt, vt infantibus in Chriſto: lactis potu ego vos alui, & non eſca, nondum enim poteratis, imò ne nunc quidem id poteſtis, &c.* Perfectum quidem quod Paulus illic plantauerat fuit, quantum ad ipſius officium ſpectauit, & efficax in quamplurimis; ſed imperfectum in multis, magis aut minùs pro ratione eorum qui ſuſceperant Euangelium. Et idē Apoſtolus in Epiſtola ad Titum, quo ſtatu reliquiſſet Cretenſem Eccleſiam ſatis apertè indicat, quando ſcribit *Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt quæ reliqua ſunt pergas corrigere, & conſtituas oppidatim Presbyteros, ſicut ego tibi mandaui.* En hîc habemus quomodo perfectum fuerit Apoſtolorum opus, & quatenus imperfectum.

Paulus breui relicturus hunc mundum, ablegatis diſcipulis, quos apud ſe habuerat in varias partes; ad ſe vocat Timotheum & alios quoſdam, quorum opera opus habebat. Quorſum ſi completa & perfecta erant omnia, eos ad ſe vocat? & quod quodam loco notaui, adeò ne ex hac vita attemperatè vocatus eſt, vt nullibi Eccleſiæ eſſent eo ſtatu quo Corinthiaca & Cretenſis; quando ad illam Timotheū miſit, & in Creta Titum reliquit? ad quod miniſterium erat Paulo propediem morituro Marcus neceſſarius, quem a Timotheo ad ſe iubet adduci? Paulo in cœlis recepto, Marci, Titi, & Timothei miniſterium non fuit neceſſarium ſcilicet, cùm Eccleſiæ, multò magis quam Paulo adhuc in terris agente illo habuerint opus. Alterum illud abſurdū, nihilo magis eſt conſequens iſto, quod iam confutaui; vt opus eſſe dicamus ad ſubuerſum Eccleſiæ totum ædificium reſtituendum, nouis Euangeliſtis & Prophetis, prioribus illis ſimilibus, quum ad eam rem ne extraordinariam quidem vocationem admittamus. Sufficiunt ad eam rem & ſemper ſufficient Doctores & Paſtores, ſimiliter & Presbyteri qui ordinariam habent in Eccleſia vocationem. Sed quid? hinc ne ſequitur inter Paſtores & Presbyteros eandem eſſe non poſſe gubernationis formam, quæ fuit ſub Apoſtolis & Euangeliſtis? Ignoſcat mihi D. Beza, ſi acutam hanc collectionem comprehendere nequeam.

4. D. THEOD. BEZA.

ILlud autem admittere non poſſumus, quin & de ſtructuræ Apoſtolicæ imperfectione, & quod ad doctrinam attinet, cum Antichriſto ſtatuamus mancam eſſe doctrinam Apoſtolicam, ſcripto verbo cōprehenſam, cui non tantùm ἄγραφοι traditiones veteres meritò fuerint adiunctæ, verùm etiam nouæ quoque ſint indies adijciendæ. Neque certior erit Eccleſiaſticæ adminiſtrationis forma, cuius leges eſſentiales figere & refigere licuerit, & liceat. Iſtis autem quid à veritate remotius dici poteſt?

HAD. SARAVIA.

IN quos hæc dicit D. Beza? ignoſcat mihi, quod antea dixi hîc repeto, ipſum & hîc σκιαμαχεῖν.

5. D. THEOD. BEZA.

REſtat ergo vt, cùm extructa iam domus, non extructoribus, ſed ædificij iam conſtructi & ſuis omnibus partibus abſoluti, cuſtodibus & conſeruatoribus indigeat: tres illas nempe Apoſtolorum, Euangeliſtarum, & Prophetarum illorum propriè ſic appellatorū functiones, cum illis, peracto iam ſuo ab ipſis opere, deſiiſſe: nec aliud ab ipſorum ex hac vita diſceſſu reliquum fuiſſe, quàm vt Paſtores, Doctores, Presbyteri, Diaconi, prout eſt quiſque illorum in aliqua domus illius regione collocatus, ſartam tectam illam tueretur. At enim dicet aliquis, tantùm abeſt, vt hoc ſit à pleriſque præſtitum, vt contrà illi ipſi partim ſtructuram ſibi commiſſam ſubrueriut, partim vaſtari, & in deſertum redigi ſint paſſi. Eſto. Nec enim iſtud negari poteſt in quamcunque partem orbis terrarum oculos conuertamus. Nego tamen vllis Apoſtolica, vel qualis illa fuit Euangeliſtarum, poteſtate vel functione ad huius ruinæ inſtaurationem opus fuiſſe vel eſſe.

HAD. SARAVIA.

AEdificata Eccleſia ſub Apoſtolis ita fuit, vt quotidie illis in cœlum receptis, fuerit ædificanda: & non tantum conſeruandum fuerit, quod ab Apoſtolis fuerat ædificatum,

ædificatum, sed etiam latius propagandum, eritque vsque in finem seculi. Ad quam rem tametsi Apostolis subinde nouis non sit opus, quod dixi iterum repeto, opus esse & fore Apostolicis viris: hoc est, eo zelo propagandæ veritatis Euangelicæ inter infideles, præditis, qui fuit in Apostolis; & qui eam sequantur rationem, in gubernatione Ecclesiæ, qua vsi sunt Apostoli. Ratio vtriusque hæc est, cùm iam extet Apostolica & Prophetica doctrina, tota perfecta, & integra eaque immota, nouis Apostolis & Prophetis, qui eam tradant non est opus; ea nunc ab iis omnibus, qui aut restaurandas collapsas, aut propagandas nouas Ecclesias vbi nullæ sunt, aggrediuntur, est sequenda. Habent enim in ea tum reparandæ, tum fundandæ Ecclesiæ verum exemplũ. Sed eius efficiendi ratio nulla melior excogitari potest, eâ quam Dominus Apostolis tradidit, & ipsi secuti sunt. Illa autem habuit superiores alios aliis Apostolos & Pastores, nempe illos 12. & alios 70. item Titum & Timotheum reliquósque eiusdem ordinis & gradus Presbyteros vel Episcopos, cùm ijs quos ipsi oppidatim creabant Episcopos vel Presbyteros, superiores. Hoc igitur discrimen & graduum differentia retinenda est.

6. D. Theod. Beza.

HOc autem ipsa quoque experientia nostra memoria demonstrauit, &, vt spero demonstrabit: siue in instauratione, siue in noua aliquarũ huius ædificij regionũ extructione: idque duobus modis. Nec enim particularibus suis gregibus, Pastores & Doctores (hi sunt enim præcipui & primarij in hac instauratione operarij) ita sunt addicti, quin mutuo se consilio tum præsentes, tum absentes, tum voce, tum scriptis adiuuare, & mutuas operas conferre, laborantibus succurrere, regnum Dei vel ipsi, vel legitimè missis fratribus totis viribus promouere possint, ac etiam teneantur: quod sedulò veteres bonos patres factitâsse legimus, & adhuc quotidie ipsorum scriptis edocti experimur.

Had. Saravia.

DE experientia & exemplis temporum nostrorum, quæ nostra & patrum memoria acciderunt, vellem D. Bezam historias proferre. Nam 46. annos noui Ecclesias reformatas, & ignarus non sum eorum, quæ diuersis in locis facta sunt, fiúntque. Experientiam æquè ac D. Beza pro mea sententia citare possum. Germania habet superintendentes, & nonnullis in locis Episcopos. Anglia habet Episcopos; vicina Scotia suos expulit: quomodo, cuius consilio, & cum qua vtilitate Ecclesiæ viderint ipsi. Futurum est, vt tam ipsi quam alij, qui Episcopos ferre nolunt, serò pœniteant, quando reuocare eos non poterunt. Si calamitatum & scandalorũ exempla quæ contemptus Episcoporum, & consistoria dedêre, dabúntque, & possem æquè tutò cum ædificatione Ecclesiæ referre, ac D. Beza se posse putat quiduis adlegare vt gradum Episcopalem in odium & inuidiam vocet, vacuũ hunc illis non reliquissem locum. Quas mutuas nobis narret operas, Pastores & Doctores sibi inuicem cõsilio, voce, scriptis, tũ præsentes tum absentes dare posse, res maiore habet opus explicatione; de dogmatibus absentes consuli possunt, in Ecclesiæ reformatione præsentes adesse Doctores & Pastores oportet, ac suas relinquere stationes. Si ad tempus absunt, alios substitui hîc & illic opus erit, qui vicarias operas præstabunt absentibus, quàm hoc conueniat cum institutis horum temporum, alij iudicent. Vbi obseruatur ordo regiminis quem tenuerunt Apostoli, & patres qui eos sunt secuti, siue in restituendis, siue in propagandis nouis Ecclesiis, longè commodiùs omnia administrabuntur, quàm hodie fieri videmus, vbi nulli sunt Episcopi.

Quod veteres patres sedulò factitasse D. Beza affirmare audet, & eorum scriptis edoctos quotidie experiri, vellem & scripta citaret, & patres illos nominaret: contrarium eius quod defendit appareret. Conuertendis infidelibus, & conuersis patres constituerunt, & miserunt Episcopos, adiunctis ipsis Presbyteris: & illi in locis vbi Euangelium prædicarunt, & nouas Ecclesias fundarunt, crearunt alios, forma gubernationis retenta vetere, in qua Episcopus Episcopis, & Presbyteris inferioribus præest.

7. D. Beza.

DEinde, quoties ita fuit opus, non destitit Dominus certos quosdam homines, etiam ex ipsis bestiæ lustris euocatos, alios quidem inuitatos, alios verò (quod ex ipsorum fructibus apparet) intrinseco afflatu impulsos, & speciali quadam ac mirifica Spiritus sancti virtute donatos excitare, qui spiritu

ritu erroris fascinatos expergefaciant, & dispersas oues colligant, ordinaria postea restituta administratione regendas, absque eo vt vlla Apostolica, vel Euangelistarum, vel Prophetarum illorũ potestas & auctoritas sit accersenda. Ecquis enim excellentium illorum Dei seruorum, per quos Dominus tot Ecclesias in orbe terrarum, & superioribus aliquot seculis, & nostra memoria, hisce videlicet annis octoginta, ex bestiæ faucibus & vngubus eripuit, Apostolicam vllam, aut Euangelistarum, aut Propheticam auctoritatem siue potestatem sibi vindicauit.

HAD. SARAVIA.

QVod D. Beza memorat Dominum ex ipsius bestiæ lustris alios euocatos, alios quidem inuitatos, alios verò intrinseco afflatu impulsos, & speciali Spiritus sancti virtute donatos excitâsse, fateor: sed neminẽ eorum, vt veterem Ecclesiasticæ gubernationis formam, & Episcopalem gradum & ordinem aboleret, aut afflatus intrinseci Spiritus sancti fretus fiducia Ecclesiæ Ministerium, sine alia vocatione ordinaria inuaderet. Qui Aërij errorum Papatus odio, verius quàm iudicio renouârunt, pauci sunt, & contrarij optimis quibusque & doctissimis scriptoribus, quorum operâ Deus vsus est in restitutione doctrinæ Christianæ, & Ecclesiarum reformatione, quorũ testimonia hûc inferre me cogit errantium importunitas: si priùs hoc notauero, ita in sanctis & piis Doctoribus & Pastoribus numinis afflatum, & Spiritus sancti virtutem, me admirari, & suspicere; quatenus cum scriptis Apostolicis, & patrum per vniuersum terrarum orbem vsu, indè ab illorum temporibus vsque ad hæc nostra, eorũ scripta factáue consentiunt. Quorum pium cum nota antiquitate consensum nullam causam video, cur D. Beza cum collegis suis contemnere debeat. Hæc eius morositas, vt libere loquar, vereor ne longè plus detrimenti Ecclesiæ attulerit, & allatura sit, quàm ipsi persuaderi possit. Quamuis sciam eum nihil tribuere iis qui contra eum sentiunt; tamen in gratiam lectorum, hîc eorum subiiciam sententias: ne cui videar aut nouus author, aut temerè ab eis dissentire, qui Episcopos ferre non possunt, & eorum dignitatem tanquàm humanum inuentum fastidiunt.

A Philippo Melanchthone mansuetissimi ingenij viro incipiam. Is ad Martinum Lutherum quodam in loco ita scripsit. *Non credis quanto in odio sim Noricis, & nescio quibus aliis propter restitutam Episcopis iurisdictionem. Ita de suo regno non de Euangelio dimicant socij nostri. Amicus quidam scripsit, me si quanta voluissem maxima pecunia à Romano pontifice conductus essem, non potuisse meliorem rationem suscipere restituendæ dominationis pontificiæ, quam hanc esse, iudicent homines, quam instituimus.*

Idem alio in loco. *Quidam legati mirifice mihi succensent, quòd videor restituere Episcoporum regnum. Sacranus nouiquam amanter de ea re expostulauit mecum, noua quadam & insuita vsus verborum acerbitate: sic est vt scribit Thucidides, τὰ ἐν μέσῳ ἀμφοτέροθεν κτείνονται. Vtinam id mihi accidisset iam olim, ne nunc videre hæc vitia partium cogerer, &c.*

Idem Phil. hist. Confes. Aug. pag. 305.

Idem, *Hoc autem malè habet, scilicet quosdam immoderatiores, reddi iurisdictionem, restitui πολιτείαν Ecclesiasticam: hoc interpretantur, restitutionem dominationis pontificiæ. Neque ignoro cur tantum abhorreant ab hoc consilio. Ægrè patiuntur ciuitates, reduci in vrbes illam Episcoporum dominationem. Et sapiunt: sed quo ore eripiemus eis, si nobis permiserint doctrinam? Quid? quòd omnia, quæ largiti sumus, habent eiusmodi exceptiones, vt hoc metuam ne Episcopi existiment offerri ῥήματα ἀνσὶ ἀλφίτων. Sed quid potuimus aliud? Quanquam, vt ego, quod sentio, dicam; Vtinam, vtinam possim, non quidem dominationem confirmare, sed administrationem constituere Episcoporum. Video enim, qualem simus habituri Ecclesiam, dissoluta πολιτεῖα Ecclesiastica. Video posteà multò intolerabiliorem futuram tyrannidem quàm anteà vnquàm fuit. Adhæc nihil adhuc concessimus aduersarijs, præter ea quæ Lutherus censuit esse reddenda, re bene & diligenter deliberata, ante conuentum. Neque ego non additurus eram aliquid quasi auctarium, publicæ pacis causa. Cuius fortasse aliqui nunc rationem non habent, qui si quis exoriretur motus, vtinam non abijcerent non modo has nostrorum disputationes, sed vniuersam religionẽ. Herè dictæ sunt sententiæ à nostris, de restituenda potestate Ecclesiastica. Et conuenit inter Saxonem, Marchionem, & Luneburgensem.*

Quo iure enim licebit nobis dissoluere πολιτείαν Ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa quæ æquum est eos concedere? Et vt liceat, certè non expedit; semper ita sensit ipse Lutherus,

Lutherus, quem nulla de causa quidam vt video amant, nisi quia beneficio eius sentiunt se Episcopos excussisse, & adeptos libertatem minimè vtilem ad posteritatem. Qualis ergo futurus est status ad posteros in ecclesiis, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certi sint præsides?

Idem. *Cum maximè sit optandum, vt Episcoporum authoritas magna sit, non alia ratione id effici posse videtur, quàm si dent operam, vt genius doctrinæ extet certum, quod sanet ambigentes animos.* Philip. ad Bellaium episco. Parisiens.

Camerarius Philippum laudat propter hanc ipsius moderationem & sapientiam. *Vnum erat quod pene omnibus reclamantibus ille non intermittebat suadere, non modò astipulatore, sed etiam authore ipso Luthero: Num rum Episcopi si concederent libertatem, & vsum puræ doctrinæ cœlestis veritatis, secundùm confessionis editæ expositionem, ne recusaretur atq; denegaretur restitutio ordinariæ potestatis, seu administrationis suæ quibusque diœcesis.* Camerarius in vita Philip. Melan.

Protestantes de vnit. Ecclesiæ. *Vt autem omnia ordine fierent in Ecclesia, iuxta Pauli regulam, & vt Pastores inter se magis deuincti essent, & onus gubernationis plures inter se partirentur, ac alij aliorum curam susciperent, & dissidia & schismata vitarentur; accessit vtilis ordinatio, vt ex multis Presbyteris eligeretur Episcopus, qui regeret Ecclesiam, docendo Euangelium, & retinendo disciplinam, & præesset ipsis Presbyteris. Plures deinde gradus facti sunt, videlicet Archiepiscopi, & supra hos Patriarchæ, Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus. Ha ordinationes, si ij qui præsunt faciunt officium suum, vtiles sunt, ad retinendam vnitatem ecclesiæ, hoc est, ad synodos conuocandas, ad constituenda legitima doctrinæ iudicia, ad emendationem vitiorum latè grassantium, & vsurarum, ac aliorum scandalorum; ad emendationem legum, ad puniendos authores scandalorum. Sed si Præsides seruiant vocationi suæ, doceant, inspiciant doctrinam, & mores ecclesiarum quibus præsunt, corrigant errores, & vitia, exerceant iudicia Ecclesiastica. Nam Pontificibus & Episcopis qui aduersantur piæ doctrinæ, tribuere authoritatem non possumus, vt ad Galatas scriptum est.* Artic. Protest. de vnit. Eccles.

Iidem Protestantes in sua responsione de articulis colloquij nunquam Episcopos abolendos censuerunt. *De ordinatione maximè probamus* (inquiunt) *veterem Ecclesiæ consuetudinem, vt ordinandi primi explorentur, erudiantur, & publico testimonio aliquorum piorum & doctorum, qui præsunt Ecclesiis, admittantur ad ministerium, vt nunc fit in nostris ecclesiis. Hanc difficillimam curam, & necessariã Ecclesiæ, suscipere Episcopos, facta reformatione, optandum est. Et nostros audimus disertè ita tribuisse Episcopis illis ordinationem, si procedat reformatio.* Respon. Protest. Artic. Colloq. 17. pag. 89.

Et hæc est non vnius Bezæ, & paucorum Geneuensium sententia, sed præstantissimorum totius Germaniæ theologorum, & Ecclesiæ luminum. Georgij principis Anhalt. de hac re sententiam prætetire nolui. Eius hæc sunt verba: *Ac vtinam, sicut gerunt nomina & titulos, ita re ipsa præstarent Episcopos ecclesiæ: Vtinam, sicut in ipsorum ordinatione, Euangeliorum liber traditus, & humeris impositus est: ita huic docerent consona, ipsoq; fideliter ecclesias regerent: quàm libenter quantaq; cordis lætitiâ, pro Episcopis ipsos habere, reuereri, morem gerere, debitam iurisdictionem, & ordinationem eis fauere, eáque sine vllâ recusatione frui vellemus. Id quod nos semper, & D. Lutherus etiam piæ memoriæ sæpissimè, tam ore quàm scriptis, imò & in concione publica, in Cathedrali templo Marsburgensi contestati promissimus.* In præfat. de ordinatione.

Martinus Bucer, vir eximiæ tum pietatis tum eruditionis, & magnæ experientiæ, cuius iudicium, si non præponderat Caluini, erit æquilibrium; longè diuersum à D. Beza sentit: & de Episcoporum ordine, & gradu, non vno in loco ipsius habemus sententiam. Itaque de ordinibus hæc inter cætera habet: *Itaque hi ordines Ministrorum in Ecclesiis perpetui, & à Spiritu sancto statim initio constituti sunt, Episcoporum, & Presbyterorum, Diaconorum, quibus subindè adiunxit excellentes docendi munere, qui vocabantur Doctores, vel Euangelizandi, qui dicebantur Euangelistæ. Vbi verò multiplicatæ ecclesiæ essent, nec singulæ possent habere Episcopos, omni scientia sacrorum, atque piæ gubernationis prudentia plenius instructos, zeloque ritè procurandi Ecclesias summè ardentes, Ecclesiæ ordinârunt singulis prouinciis suos Metropolitanos, quorum quisque curam aliquam gereret singularem Episcoporum sua prouinciæ, &c.* Docet id factum iuxta distributionem gubernationis Romani Imperij, quæ distributa erat in prouincias: & Bucer. de vi & vsu ministerij.

rationem addit. *Nam vt erat* (inquit) *in Ecclesiis μητροπολέων, & populus & clerus frequentior, quàm in cæteris Ecclesiis, ita dabat ferè Dominus vt haberent etiam Ecclesiæ illæ ampliores Episcopos, qui præditi essent & facultate Ecclesias ædificandi ampliore, & ardentiore voluntate. Atq; hoc consentiebat legi Christi, fiebátque ex iure corporis Christi.*

Bucer. de Reg. Christi.

Idem Martinus Bucerus; *Iam ex perpetua ecclesiarum obseruatione, ab ipsis iam Apostolis videmus, visum & hoc esse Spiritui sancto, vt inter Presbyteros, quibus ecclesiarũ procuratio potissimum est commissa: vnus ecclesiarum & totius sacri ministerij curam gerat singularem, eáque cura & sollicitudine cunctis præerat alijs. Qua de causa Episcopis huiusmodi, summis Ecclesiarum curatoribus, est peculiariter attributum: tametsi hi sine reliquorum Presbyterorum consilio nihil statuere debeant.*

De animar. cura, & officio pastor.

Idem Author alio loco. *Iterum autem & hoc scribit Hieronymus: in ecclesiæ principio Presbyteros illos ecclesiam curâsse, rexisseq; communi consilio: ac tùm demùm vnũ de Presbyteris præpositum esse reliquis, & peculiariter Episcopum dictum, quùm sectæ & hæreses in ecclesia existere inciperent, & vnusquisq; suã sibi sectam studeret adiungere. Hoc autem credibile non est, diũ, neque etiam in cunctis ecclesiis ita obseruatũ esse. Nam vt apud Patres Hieronymo vetustiores, clara habemus testimonia, in præcipuis ecclesiis omnibus, à temporibus Apostolorum ita obseruatũ est, vt Presbyteris omnibus quidẽ officiũ Episcopale fuerit impositũ: interim tamen, semper etiam Apostolorũ temporibus, vnus è Presbyteris electus, atq; ordinatus est in officij huius ducem, & quasi Antistitem: qui cæteris omnibus præiuit, & curã animarũ, ministeriumq; Episcopale, præcipuè & summo in gradu gessit, atque administrauit. Ad eundẽ modũ nobis ordinatio quoque Primitiuæ ecclesiæ Hierosolymitanæ ostẽditur. Etenim Lucas Iacobũ describit vt antistitem totius ecclesiæ, omniumq; Presbyterorũ, Actor. 15. Talis ordinatio in alijs quoq; ecclesijs perpetuò obseruata est, quam tum ex omnibus historijs ecclesiasticis cognoscere possumus, etiam apud Patres antiquissimos, vt Tertullianum, Cyprianũ, Irenæum, Eusebium, & alios.* Hæc Bucerus.

Caluin. de necessitate reform. Eccles.

Sed D. Caluinum præterire non debeo, quid de Episcopis sentiat lib. de necessitate reformandæ Ecclesiæ. *Talem* (inquit) *nobis hierarchiam si exhibeant, in qua sic emineant Episcopi, vt Christo subesse non recusent, vt ab illo, tanquã vnico capite pendeant, & ad ipsum referantur, in qua sic fraternam societatẽ colant, vt non alio modo, quam eius veritate sint colligati, tum verò nullo non anathemate dignos fateor, si qui erunt, qui non eam reuerenter, summáq; obedientia obseruent.* Ipsius ad amic. epist. sup. citat. non hîc repetam. Tametsi sufficere possint quæ nunc cstaui testimonia, non tamen pigebit addere etiam aliorum quorundam clarorum theologorum sententias.

Heming. in Synag.

Hemingius, non contemnendus scriptor, etiam de hac re in hunc modum scribit. *Vt enim Christus adscendens in altum dedit dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, & Pastores: ita Ecclesiæ suæ potestatem dedit in ædificationem. Hac potestate, ecclesia ordinat Ministros, pro commodo suo, vt omnia ordinatè fiant ad instaurationem corporis Christi. Hinc ecclesia purior, secuta tempora Apostolorũ, alios Patriarchas, alios Episcopos, alios Chorepiscopos, quos Iustinus Martyr προεδρώτους vocat, nos Præpositos; alios Pastores & Catechetas instituit. Reformatæ ecclesiæ post tenebras excussas, quas Papa innexit in ecclesiam, contentæ sunt paucioribus gradibus; ne res paulatim in tyrannidẽ abeat. Habent Episcopos, Doctores, Pastores, & Pastoribus inferiores Ministros, quos inepto vocabulo Sacellanos nominant.* Hæc Hemingius.

Loc. com. in Epist. ad Tim. & Tit.

Philippus Hailbronerus in locis communibus hanc proponit quæstionem. *Suntnè, & esse debent gradus, & ordines inter ecclesiæ Ministros? Maximè. Nam Apostolus 1. Episcoporum mentionem facit, 2. Diaconorũ, 3. Presbyterorum. Quid de singulis his ordinibus habes, & primo de Episcopis? Episcopis, præter docendi officium, & reliqua, quæ cum cæteris ecclesiæ Ministris cõmunia habebant, cõmendata fuit publica inspectio, & gubernatio: ita vt ministros idoneos vicinis ecclesiis præfecerint: delationes itẽ & querelas aduersus ecclesiarũ Pastores audiuerint, & decíderint. Sic enim Paulus scribit Timotheo Ephesiorũ Episcopo.* Manus citò nè cui, *&c.* & Aduersùs Presbyterũ accusationẽ, *&c.* Doct. Iacob.

In Compend. Theologia.

Heerbran. professor theologiæ in academia Tubingensi, eisdẽ penè verbis habet. *Sũtnè & esse debẽt gradus inter Ministros ecclesiæ? Omnino; hos enim Deus ipse fecit, & cõstituit, differẽtibus donis, Eph. 4. Alios dedit Apostolos, quosdã autẽ Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ Pastores & Doctores, ad consummationẽ sanctorũ, in opus ministerij, in ædificati-*

ædificationē corporis Christi. Itē Paulus nominat Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Deindè, ordinis causà, propter εὐταξίαν, *& ad conseruandū consensum, concordiā, vnanimitatē alij aliis sunt superiores, ne sit* ἀναρχία *in Ecclesia.* Hieremias Hombergerus in locis theologicis eandē quæstionē pertractat, & quærit. *Suntnè gradus Ministrorum mediatè vocatorū? Sunt: sed non tales, qui dominationē quandā secularē, aut secularis similē efficiant, aut superbiæ deseruiant: sed qui ad hoc tantū instituti sunt, vt cōcordia inter Ministros cōseruetur, & Ministerij opera facilius & decentius confiant. Et discrimen constituit inter Presbyterū & Episcopū.* Hierem. Hombergerus in locis doct. Christ.

Ægidius Hunnius theologiæ professor in academia Marpurgensi, de Tito ita scribit. *Hunc etiā dignū censuit, quē præ cæteris amplissimæ nobilissimæque insulæ Cretæ præficeret Episcopū, &c.* Et postea: *Dignū etiā obseruatu est, quòd Paulus Titum generalē superintendentē Creticarū Ecclesiarum ordinat, qui videat vt rectè ac decenter in Ecclesiis passim omnia fiant: ordinet Episcopos alios, in quorū doctrinā & vitam diligenter inquirat. Hinc enim liquet non probari Deo in Ecclesiastico ministerio anarchiam, quæ omnis* ἀταξίας *ac perturbationis mater existeret: sed requirere vt inter ipsos Ministros sit ordo quidam; sint gradus, vt pro donorū diuersitate alij præsint, alij subsint. Qui ordo non recens introductus, sed indè ab Apostolorū tēporibus in Ecclesia receptus fuit. Quin Deus ipse differentibus suis donis discrimē inter Ministros; & gradus constituit. Iuxta illud,* Cùm ascendisset in altū, dona dedit hominibus, & dedit alios quidē Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, ad instaurationē sanctorū, in opus administrationis, in ædificationē corporis Christi, *Ephes.* 4. 4. In Epist. ad Tit.

D. Chytræus in historia August. Confess. *Facilè autem possent Episcopi legitimā obedientiā retinere, si non vrgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari non possunt. Nunc imperant cœlibatū, nullos recipiunt nisi iurant, se puram Euangelij doctrinā nolle docere, &c. Nunc nō agitur vt dominatio eripiatur Episcopis: sed hoc vnum petitur, vt patiantur Euangelium purè doceri, & relaxent paucas quasdam obseruationes, quæ sine peccato seruari non possunt, &c.* Idem ibid. *Cæterùm iam sæpe testati sumus, nos, non solùm potestatē Ecclesiasticam, quæ in Euangelio instituta est, summa pietate venerari, tanquàm maximū Dei donum, per quod Deum agnoscimus, &c: sed etiam Ecclesiasticam politeiā, & gradus in Ecclesia magnoperè probare, & quantum in nobis est conseruare, cupere. Non detrectamus authoritatē Episcoporum, modò non cogant facere contra mandata Dei.*

Etsi autem in primatiua Ecclesia, cùm ea adhuc miraculis clareret, plures fuerunt gradus, seu ordines inter illius Ministros: quosdā enim *(inquit Palus)* Dominus dedit Apostolos, quosdā autē Prophetas: alios vero Euangelistas, alios autē Pastores & Doctores, &c. *Tamē vt hodiè est ecclesiæ status, in tres ordines seu gradus Ministri redigi possunt, videlicet in Diaconos, Pastores, & Superintendentes. Diaconos autē appellamus nouitios Ministros, quos Pastoribus præcipuis adiungimus, vt ad tēpus explorentur, qua fide & dexteritate ecclesiæ Dei præsint; & vsu accedente, quotidiè magis magisq; discant, quæ ad officiū fidelis Pastoris requiruntur. Pastores appellamus, quibus ecclesia aliqua vel solis tutò cōmittitur, nec dubitatur, quin eā sine collega consilio regere possint. Superintēdentes vocamus eos Pastores, qui cæteris Pastorib. & Diaconis ita præficiuntur, vt statis tēporibus statum Ecclesiarū inspiciāt, & si quid minùs rectè vel à Pastore, vel ab auditoribus sit factū, corrigant; vel si ipsi corrigere nequeant, ad Senatū ecclesiasticū seu consistoriū, vt vocant, referant. In eo consistorio sunt viri politici, & theologi, qui de rebus illis cōmuni consilio deliberant, & relata deliberatione ad supremū Magistratū, eiusq; approbatione accedente, defectus illos emendant, & ea pro re nata decernūt, & procurant, quæ ad ecclesiæ ædificationem facere iudicantur.* Plura huius generis ex libris theologorū nostri temporis & patrum nostrorum, qui meo iudicio, non magis contemnendi sunt quàm D. Beza, possem adferre. Hæc quæstio intacta in principio reformationis Ecclesiarū non mansit, sicut supra notâsse potuimus: fuit enim exagitata quantū alia quæuis, in congressibus cum Romanensibus. Quæ autē solenniter in imperij conuentibus à fratribus nostris confessa, cōcessa, & transacta sunt, non sine magno ecclesiæ scandalo violantur. Quamuis Germani scriptores nōnihil à nobis dissentiant, & plerique eorum quiddā humanius passi, iniquiores se nostris Ecclesiis præbeant, non sunt idcirco Dei dona quæ in eis relucent contemnenda: serui enim Christi etiam ipsi sunt. Nunc ad D. Bezam redeo. *Ecquis* (inquit) *excellentium seruorum Dei Apostolicam vllam, aut Euangelistarū,*

aut propheticam authoritatem siue potestatem vendicauit? Ecquis eorum negauit Episcopalem authoritatem esse Apostolicam? quã certè vt nemo sibi vendicare potuit qui Episcopus non fuit, ita etiam nemo contempsit.

8. D. THEOD. BEZA.

SEd scire vis, Sarauia quomodò potestatem illam & auctoritatem perpetuam manere in vera Ecclesia voluerit, & velit Dominus? Quatenùs, videlicet, ex illorum scriptis vera tum doctrina, tum Ecclesiasticæ administrationis forma petenda est, & tum in instaurandis domus Domini ruinis, tum in promouendis eius pomœriis ad amussim obseruanda: vt ne nunc quidem illi mortui videri possint, sed adhûc in illis scriptis suis admirabili planè bonitatis ac potentiæ Dei beneficio, ad hanc vsque diem conseruatis, loquentes, quicquid ad hanc instaurationem requiritur, operarijs illis, quasi sonora voce, præcipere nunc quoque videantur.

HAD. SARAVIA.

NIhil mihi optatius feceris, mi Beza: id enim vt facias dudum frustrà expecto: vt si quid in hac re errâsse me docueris, tollam. Sed tu nihil hactenùs, quod me, aut alium quemuis lectorem mouere debeat, attulisti.

9. D. BEZA.

EI verò quod dixi, nempè perfectam ab Apostolis, Euangelistis, ac Prophetis illis fuisse domus, id est, Ecclesiæ Christianæ formam, non est cur quisquam opponat, quod nimium verum est; nempè, ne vnum quidem Christianum in hac vita posse perfectè in Domino ædificari. Hinc enim effici videtur, multò minùs dici posse Ecclesiam totam perfectè in terris vnquàm extructam, quùm illa non aliundè quàm ex singulis Christianis, vt viuis lapidibus, constet. Hæc, inquam, obiectio non est cur quenquam moueat. Aliud enim est, fidem in sese, & in sua ipsius natura cõsiderare, quàm illam relatè, & quatenùs in his vel illis fidelibus inest, considerare, siue, vt visitatiùs loquar, in abstracto quàm in concreto spectare. Sic etiam quùm domum Dei, siue Ecclesiam, in qua colligi, & in qua permanere seruandos omnes necesse est, in sese, & prout est, tum quod ad doctrinam, tũ quod ad administrationis externæ formam attinet, consideramus, tam perfectè & omnibus suis partibus absolutè descripta, & reipsa constituta est per Apostolos fundatores, & Euangelistas superstructores, vt nihil in ea possit desiderari. Sin verò homines spectemus, quatenùs in illa domo docere sese, & regi patiuntur, ædificatio illorũ est in continuo, vt in scholis loquuntur, actu, nec alibi quàm in futuro seculo consummabitur. Sic Ecclesia ipsa, etsi quatenùs suum illum formam habet imperfectam, & ad consummationem vsque seculorum immotam, eadẽ semper est; tamen quod attinet ad vtam & effectũ illius formæ in hominibus, rectè à veteribus Patribus cum luna confertur, cuius orbis in sese semper vnus & integer est; habito verò splendoris respectu, modò crescit, modò decrescit, atque adeò in interlunio interisse, terrarum incolis videri potest.

HAD. SARAVIA.

NOn ignoramus ab Apostolis perfectam Ecclesiæ formam traditam, quamuis ipsæ Ecclesiæ, & ipsi homines maneant in hac vita imperfecti: & quæ sit de hac re nostra sententia iam diximus. Vndè nos intulimus, & consequens esse dicimus, vt illa omnia maneant in Ecclesia, per quæ ædificatur, sicut à Domino fuêre tradita, & ab Apostolis & Patribus vsurpata; nempe verbi Dei prædicatio, sacramentorum administratio, cum ea regiminis forma, quæ fuit ab initio sub Apostolis; nec ostenditur vel mutata vel inhibita posteris. Eximia illa Spiritus sancti dona hodiè quærẽda non esse, quæ tantùm nunc fuerunt ad perfectæ Ecclesiæ formam tradendam, Apostolis, Prophetis & Euangelistis data, confitemur; vt fuit illa infallibilis Spiritus sancti directio in doctrina, & morum tradendis præceptis; confirmata linguarum & Prophetiæ miraculoso dono, & virtute edendi miracula, quæ omnem naturæ ordinem superabant: temporalia (inquam) fuerunt, quorum hodiè, recepta Apostolica doctrina, nihil opus est. Cæterùm (mi Beza) his nunquàm docueris gubernationis Ecclesiasticæ formam esse adnumerandam: & quod posteà complecteris, est quidem à te pluries dictum, sed nulla scripturæ authoritate, nulla ratione, nulloque denique patrum exemplo, testimonioue demonstratum.

10. D. BEZA.

SVmma autem omnium præcedentium hæc est. Apostolorum, Euangelistarum, & Prophetarum illorum, siue edendorum miraculorum functiones, quod ad potestatem & auctoritatem fundandarũ, & ad externæ administrationis formã perducendarum Ecclesiarum attinet; sicut plantandis & constituendis in illa forma Ecclesiis fuerunt diuinitùs ordinatæ: ita absoluta illius ædificij fundatione, & superstructionis cura illius ædificij sarti tecti conseruandi perpetuis Pastorum, Doctorum, Presbyterorum κυβερνατῶν, & diaconis functionibus commissa in terris desisse.

HAD.

HAD. SARAVIA.

NIhil habeo quod addam huic loco: sufficerent quæ iam dicta sunt, nisi D. Bezæ discipuli oraculum esse crederent quidquid scribit. Nihil tamen docet, nihil denique concludit, multa coacervat, eademque repetit, quæ dissoluta fluunt, & à scopo, ad quem referenda sunt, quàm longissimè aberrant. *Functiones*, inquit, *Euangelistarum & Apostolorum edendorum miraculorum desierunt* (nam omnes desiisse dicere non potest) quid indè efficitur? ergo forma gubernationis cessauit? potest eâdem ratione inferre; prædicationem verbi Dei, & sacramentorum administrationem desiisse. Et quod, (nescio quomodo) inuoluit ordinatam tantùm fuisse illam gubernationis formam condendis, & fundandis Ecclesiis, illud ipsum est, quod probandum est, & in quo laboratur.

II. D. THEOD. BEZA.

NVnc audiamus quid in contrariam partem obijcias. *Causam* (inquis) *aliquam afferri velim, cur potius Ecclesiam regendi forma, quæ fuit sub Apostolis, cessare debeat, quam Euangelij prædicatio, & Baptismi, & cœnæ Domini administratio? Nam horum omnium potestas, erat æque extraordinaria, ac Ecclesiæ gubernatio.* Imò verò primùm in eo falleris, quòd à nobis existimes Apostolorum, Euangelistarum, & Prophetarum functiones idcircò statui temporarias, quoniam illi sunt extra ordinem, id est, ἀμέσως, ad eas vocati & introducti. Nam nè hoc quidem in Euangelistis per Apostolos missis verum est. Neque nos (Deo sit laus) ita insanimus, quemadmodum tu putas, vt temporariam esse functionem in Ecclesia Christiana necessariò somniemus, ad quam sit quispiam extra ordinem vocatus. Temporaria enim sit nec ne aliqua functio, an verò in perpetuum, siue ad consummationem seculi in Ecclesia constituta, non ex alicuius vocatione ad illam functionem, sed ex ipsius natura & fine dignoscendum est: fuerunt igitur Apostoli, ad Apostolicum, Prophetæ ad propheticum munus, extra ordinem vocati; Euangelistarum verò (eorum dico, quos Apostoli miserunt, non autem aliorum ἀμέσως quoque vocatorum, qualis fuit Philippus, Actor. 8. 4. & 5. & 14. & alij, Actor. 11. 19. & 20.) ordinaria fuit vocatio, aut non saltem ἀμέσος. Illorum autem Apostolorum, tum Euangelistarum functio, sicut diuersis duobus modis spectari potest ac debet, sic partim ordinaria & perpetua, partim extraordinaria, & ad tempus constituta fuisse dici potest ac debet: quod tu attigisti quidem cap. 14. sed non satis expressisti. Quatenus enim, Apostoli suo Apostolatu, & Euangelistæ suo Euangelizandi munere functi sunt docendo, baptismum ac cœnam Domini administrando, & Ecclesiam cum Pastoribus & Presbyteris regendo, exercuerunt quod perpetuò in Ecclesia vigere debet. Quatenus autem quadam peculiari cum potestate, & ex speciali mandato Ecclesias fundârunt hæc ipsa exercendo, idque non vulgariter, sed cum Apostolica auctoritate αὐτοπίσῳ, & nullis finibus terrarum circumscripta, & Spiritus sancti χαρίσματα cum impositione manuum conferendo, functionum denique sacrarum perpetuarum vsum in Ecclesia constituendo: Euangelistæ, verò, vbi cum peculiari quoque auctoritate & potestate per Apostolos data Ecclesias rigârunt, & & iactis ab Apostolis fundamentis, superficiem (vt iurisconsulti loquuntur) imposuerunt; hactenùs vtrorumque illorum munus fuit prorsùs temporarium.

HAD. SARAVIA.

SI directè mecum ageret D. Beza, hîc causas attulisset, cur cessare debuerit, receptis in cœlũ Apostolis, illa gubernationis Ecclesiasticæ norma, quam ipsi tenuerũt: & hoc expectabam. Sed quod sibi de me persuasit, arripere maluit, & illud oppugnare. *Imò* (inquit) *falleris in eo quòd à nobis existimes, Apostolorum, Euangelistarũ, & Prophetarum functiones idcirco statui temporarias, quoniam illi sint extra ordinem, id est, ἀμέσως, ad eas vocati.* Quid hoc ad rem præsentem, errem in eâ re nec ne? Deindè vndè deducit D. Beza me existimare temporarias idcircò ab ipso, aut ab aliis statui functiones Apostolorum, quòd sint extra ordinem ἀμέσως vocati? Dixi quidem duo vocabula hæc, *temporarium* & *extraordinarium*, non rectè accepta, fallere, quod non tam de vocatione, quam extra ordinem habuerunt, intellexi, quàm de cæteris omnibus, quæ ipsis extra ordinem à Deo collata fuerunt. Quia quandocunque argumentamur ab Apostolorum & Euangelistarum exemplis, vulgaris hæc est ipsius etiam D. Bezæ responsio, illud fuisse extraordinarium, & fuisse temporarium. Quod D. Beza ait *temporaria sit aliqua functio nécne, an verò in perpetuum duratura, ex ipsius natura & fine dignoscendum esse, non ab immediata vel extraordinaria vocatione, fidem facit* meæ sententiæ. Nam à fine & natura regiminis Apostolici doceo illud regimen esse perpetuum, & vsque ad consummationem seculi in Ecclesia retinendum. Finis enim Apostolici regiminis fuit tùm ædificatio tum conseruatio Ecclesiarum: atqui in finem vsque seculi Ecclesiæ ædificandæ & cõseruandæ sunt: maneat igitur necesse est immotum in Ecclesiis Apostolicum regimen.

A regiminis natura ἄνω καὶ κάτω inter ipsos rectores requirit, vt videre est in gubernatione Ecclesiæ quæ sub Apostolis fuit. Superiores enim Presbyteris quos creabant fuerunt Titus & Timotheus: & his atque illis maior erat Paulus. Hanc gubernationis formam nemo negare potest fuisse diuinam: eius autem speciem quandam & imaginem conspici in veteris Ecclesiæ Episcopis & Archiepiscopis Caluinus D. Bezæ præceptor agnoscit. Ipsius hæc sunt verba: *Hactenus de ordine gubernandæ Ecclesiæ, vt nobis ex puro Dei verbo traditus est: & de Ministeriis, vt sunt à Christo instituta, disseruimus. Nunc quò ista omnia clariùs & familiariùs patefiant ac meliùs etiã in animis nostris infigantur, vtile erit in ijs rebus veteris Ecclesiæ formam recognoscere, quæ nobis diuinæ institutionis imaginem quandam oculis repræsentabit. Tametsi enim multos canones ediderunt illorum temporum Episcopi, quibus plus viderentur exprimere quàm sacris literis expressum esset: ea tamen cautione totam suam œconomiam composuerunt, ad vnicam illam verbi Dei normam vt facilè videas nihil ferè hac in parte habuisse à verbo Dei alienum.* Hæc Caluinus. Cùm à verbo Dei gubernatio veteris Ecclesiæ nihil habeat alienum (teste Caluino) quo vultu à D. Beza conuellatur mirari satis nequeo. Nihil aliud in hoc meo tractatu quàm quod Caluinus libro quarto suarum Institutionum dixerit, defendo.

Quòd autem latiùs & fusiùs illa extendo, contra importunitatem illorum hominum, qui ad turbandam Ecclesiam Anglicanam nati videntur, hoc facio. Discrimen quod D. Beza inter regimen Ecclesiarum quæ sub Apostolis fuerunt, & illud quod ait perpetuum post Apostolos mansisse, nec cum patrum veteris Ecclesiæ vsu, nec cum Caluini sententia conuenit. Manifestus & absurdus est error, Euangelistas, quales fuisse putat Titum & Timotheum, mortuis Apostolis illam potestatem quam acceperant ab illis, amisisse. Quod Apostolis tribuit potestatem ex speciali Dei mandato, & authoritatem αὐτόπιστον prouinciam nullis finibus circumscriptam, conferendi cum impositione manuum Spiritus sancti charismata, non arguit gubernandi potestatem illam, quæ Tito & Timotheo data fuit, cum Apostolis interiisse, aut tantùm tunc in primis illis initijs plantandis & rigandis Ecclesiis fuisse necessariam. Quum D. Beza videret absurdum esse asserere aliam gubernandi rationem Apostolos quamdiù vixerunt tenuisse; & aliam, vbi ex hoc mundo migrâssent obseruandam, posteris tradidisse, distinctionem sophisticam vnius rei simplicis, quæ nullam admittit, inuenit. Sed illa eum nihil inuabit.

Illorum (inquit) *Apostolorum, tum Euangelistarum functio, sicut diuersis modis spectari potest ac debet. &c. Quatenùs Apostoli suo Apostolatu, & Euangelistæ suo Euangelizãdi munere functi sunt, docendo, Baptismum & cœnam Domini administrando, & Ecclesiam cum Pastoribus regendo exercuerunt, quod perpetuum in Ecclesia vigere debet. Quatenùs autem quadam peculiari potestate, & ex speciali mandato Ecclesias fundârunt &c.* Magnifica hæc sunt verba, quæ lectoris animum à quæstione auertunt, cõtrouersiam non dirimunt. Specialis enim potestas fundandi Ecclesias supra Christum cum authoritate vt loquitur αὐτόπιστος ad immotam doctrinæ soliditatem refertur. Alias colligere Ecclesias & alij præter Apostolos possunt, et potuerunt. Qui Apostoli non fuêre, nec illa specialia dona habuere, quibus suos Apostolos Dominus ornauerat tam adhûc viuis quàm mortuis Apostolis fundâsse Ecclesias notum est. Epaphras Colossensem primus Ecclesiam collegit. Quod Apostoli nullam definitam habuere prouinciam, alienum similiter est, sicut est & illud, quod per manuum impositionem Spi. sancti χαρίσματα contulerunt.

Nihil enim ad formam Apostolicæ gubernationis illa pertinent. Propiùs ad quæstionem nostram accedit quod prætermittitur de Apostolis & Euangelistis, qui suo munere functi sunt, docendo, Baptismum & Cœnam Domini administrando, & Ecclesiam cum Pastoribus & Presbyteris regendo: quod fatetur in Ecclesia debere perpetuò vigere. Cuiusmodi autem regimen illud fuerit inter nos quæritur. D. Caluinus ait, *Imaginem quandam illius Apostolici regiminis conspici posse in veteris Ecclesiæ gubernatione, sub Patriarchis & Metropolitanis, ac Episcopis: & inde disci posse quale fuerit.* Ibi Caluinus constituit Presbyteros sub Episcopis, & Episcopos sub Metropolitanis, & vtrosque sub Patriarchis: non secùs quàm Euangelistæ, quales fuerunt Titus & Timo-

Timotheus ſuberant Apoſtolis,& Presbyteri atque Epiſcopi inferiores erant Tito & Timotheo. Gubernationem verò illam inter Epiſcopos *Hierarchiam* fuiſſe vocatam etſi probare Caluinus non videatur,alibi tamẽ ei non diſplicet. De Euangeliſtis quod D. Beza ſubiungit,deque peculiari authoritate & poteſtate per Apoſtolos data,accipimus. Sed quòd Eccleſias tantùm viuis Apoſtolis rigârunt,illud eſt quod negamus,& demonſtrandum reſtat: quod vbi D. Beza præſtiterit, non victi manus dabimus.

12. D. Beza.

QVorſum enim,peractâ ab ipſis Eccleſiæ ſtructurâ,Apoſtolos Apoſtolis, Euangeliſtas Euangeliſtis ſuccedere oportuit qui actum agerent? Prophetiæ verò,& reliquorũ illorũ χαρισμάτων, munus fuit prorsùs extraordinarium & temporarium, ſicut prorsùs fuit vocatio extraordinaria. Sartæ autem tectæ conſeruandæ Dei domui ijdem antequam ex vita excederent, conſtitutis & ſtabilitis Paſtorum,Doctorum, Presbyterorum & Diaconorũ functionibus,proſpexerunt, quibus nulla alia poteſtate nec auctoritate opus eſt. Quod enim, vt antè dixi, ſua cuique illorum ſtatio eſt attributa, ita eſt accipiendũ, vt omnis ἀταξία & ambitio vitetur: hac autem ratione ceſſante,vt ſeſe regni Dei promouendi,nedum laborantium aliarum Eccleſiarum adiuuandarum, occaſione offerente, miniſterio ſuo, prout res feret, defungi poſſint ac etiam teneantur: abſque eo vt noua electione vel ordinatione ſit opus.

Had. Saravia.

HÆc non cohærent, neque ſe mutuò conſequuntur, niſi dicat quod antè negauit: quia illa gubernandi Eccleſiam ratio, quam tenuerunt Apoſtoli, erat extraordinaria, idcirco quoque eam eſſe temporariam. Quis enim dicit Apoſtolos Apoſtolis, Euangeliſtas Euangeliſtis ſuccedere oportere? de Apoſtolica gubernandi Eccleſiam ratione noſtra eſt quæſtio; quæ non magis ceſſare debet, quàm verbi Dei prædicatio, & ſacramentorum adminiſtratio; quibus verius, & magis peracta eſt ſtructura Eccleſiæ, eiuſque iacta fundamenta, quàm illa authoritate, de qua inter nos non controuertitur. Quærat hîc, & vbicunque mea verba inuenerit, D. Beza ſuum Antagoniſtam, qui dixerit Apoſtolos Apoſtolis,Euangeliſtas Euãgeliſtis ſuccedere oportuiſſe. Dixi, cuius me non pudet nec piget, Epiſcopos ſucceſſiſſe Apoſtolis,& quatenus Epiſcopatus Apoſtolatus quidam eſt,& Apoſtolatus eſt quidam Epiſcopatus: ſecundùm eam rationem Apoſtoli, hoc eſt, Epiſcopi dici poſſunt ſucceſſiſſe Apoſtolis. Succeſſerunt igitur Apoſtolis, paris & eiuſdem cum eis poteſtatis Epiſcopi in his tribus, viz. in verbi Dei prædicandi, ſacramenta adminiſtrandi,& Eccleſiam gubernandi authoritate: niſi quod latiùs Apoſtoli ſe extenderit authoritas quàm Epiſcopi, & ea non eſt in Epiſcopis chariſmatum Spiritus ſancti abundantia, quæ fuit in Apoſtolis. Et idcirco potiùs maiore authoritate eſſet opus quàm minore, bene regendis Eccleſiis. D. Beza hîc repetit gubernationis Apoſtolicæ formam tantùm fundandis Eccleſiis neceſſariam fuiſſe. Hoc à me negatur: & contrariæ adſertionis rationes multas reddidi, quas confutare nondum potuit.

Præterea ipſe nulla argumenta,causásue nullas adfert,nec anteà attulit, cur illa poteſtas cum Apoſtolis ceſſare debuerit. Niſi D. Bezæ probatio videatur, quod nunc ait Apoſtolos optimè proſpexiſſe,Eccleſiis iam extructis& conſtitutis,quando Paſtorum, Doctorum, Presbyterorum, & Diaconorum functiones ſtabiliuerunt, quibus nulla alia, inquit, eſt opus poteſtate. Sed hoc cùm ſit conſequens ex ſuperiore adſertione, eius nullam facit fidem, & falſum eſſe ſtatim demonſtrabo.

Poſtremò Paſtores quibus certa ſtatio eſt attributa, regni Dei promouendi,& laborantium Eccleſiarum iuuandarum occaſione oblatâ, prout res feret,ſuo Miniſterio vti poſſe, dici quidem abſque ratione, mihi videtur. Præterquã quòd in meo tractatu, pluribus docui argumentis Apoſtolicæ gubernationis authoritatẽ, non tantùm fundandis Eccleſiis fuiſſe neceſſariam, ſed etiam propagandis & reſtituendis; alia illud ipſum oſtendo ratione, quam ſpero negaturus eſt nemo, qui naturam gubernationis, quæcunque illa eſſe poteſt, nouerit: nempe gubernationis formam, quâ fuerunt vſi Apoſtoli,& ſtabant Eccleſiæ, cuique iam erant aſſuetæ, mutari non potuiſſe, ſine earum pernicie. Quia omnis ſubita regiminis ſiue ciuilis, ſiue Eccleſiaſtici mutatio, rerum quoque perturbationem & mutationem adferat. Et eâ fuerunt prudentiâ Apoſtoli, vt ſciuerint ſe cum ædificatione Eccleſiæ, vnam gubernandi tenere formam

non

non posse, & aliam, vbi decessissent, seruandam tradere.

Malè consultum fuisset Ecclesiis, & Ecclesiarum Pastoribus, si vbi anteà tam ipsæ, quàm Pastores, ab Apostolis & eorum adiutoribus gubernatæ fuerant, subitò, mortuis Apostolis, sibi, suisque Pastoribus fuissent relictæ. Plerique Pastores vtiles esse possunt Ministerio Ecclesiæ, fulti ope & authoritate alicuius maioris, qui illo destituti auxilio, facilè concidunt, & franguntur, vel degenerant. Alij, quibus maiora sunt Dei dona collata, egent etiam minorum operâ, vt sine ea nihil queant perficere. Rectè Sophocles;

καὶ τοὶ σμικροὶ μεγάλων χαρὶς,
σφαλερὸν πύργος ῥῦμα τέλονται,
μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄρις' ἄν
καὶ μέγας ὀρθῶ ὑπὸ μικροτέρων.

Etenim parui sine magnis infirma arcis custodia sunt, cum magnis verò paruùs optima, & magnus sustentatur à paruis. Sed & hoc, quod idem Poeta subnectit, nimis etiam verum esse experimur;

ἀλλ' ὃ δυνατὸν τὸς ἀνοήτος
τόσων γνώμας προδιδάσκειν.

Sed fieri non potest vt stulti huiusmodi sententias prædoceantur. Magnificiant hanc æqualitatem in hac vita qui volunt, mihi contraria legi naturæ videtur, quam Deus omnibus gentibus indidit. Non pro Apostolica sua prudentia Apostoli prospexissent Ecclesiis, nisi cum ea potestate inspectores reliquissent, quales fuit Timotheus. Nam si eo viuo tali inspectore habuerunt opus Ecclesiæ, multo magis eo mortuo. Conseruatio Ecclesiarũ, & reparatio, habet perpetuâ opus inspectione, & curâ, tam supra Pastores, quàm populũ: vtpotè qui citiùs quã ipsa plebs cui præsunt, cladẽ adferre possint Ecclesiæ. Ecquis non videt præcepta Paulina tradita Timotheo, non fuisse temporarij ministerij? Delirio mihi simile videtur quemquam credere eam prouinciam, quam ei Paulus imposuerat, duraturam non fuisse post Apostoli mortem.

Pastor, qui in certa aliqua vna statione est collocatus, ab ea discedere non debet, vt aut nouam aliquam Ecclesiam fundet, aut labantẽ fulciat: nè, dum abest, pereat quod custodiendum acceperat. Si fidum aliquem surroget, vt aliis vacet Ecclesiis, operamque det; iam Episcopum, quem fugit, habet, hoc est, plurium Ecclesiarum inspectorem, & vigilem; in hoc diuersum ab eo de quo disputamus, quòd temporarius videatur. At gradu non excellit supra cæteros, nec potestate. Gradum igitur nonnihil quiescere sinam.

Quod authoritatem attinet: quid ille vocatur præ cæteris, si præcipuæ authoritatis in eo nihil est? At nihil nisi de consilio & adsensu collegarum agit: similiter nec Episcopus, nec Archiepiscopus quicquam sine legum iurisque præscripto possunt. At ille redibit posteà ad suam particularem Ecclesiam: præstaret in vigilia mansisse quã semel susceperat. Hanc curam & Episcopalem solicitudinem quia contemnimus, subitò natæ Ecclesiæ, subitò defluunt.

13. D. THEOD. BEZA.

QVòd si non adsint ex iam electis, & munere suo alibi fungentibus, qui hoc onus præterea subire possit, quid prohibet Ecclesiam nouo alicubi vel instaurando, vel fulciendo, vel etiam inchoando operi, non Apostolum, non Euangelistam, non Prophetam, sed Pastorem vel Doctorem ordinari? Non est ergo quod mireris docendi, sacramenta administrandi, & Ecclesiam gubernandi auctoritatẽ & formam perpetuã mansisse, vtpotè Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris, ab Apostolis per se & Euangelistas præscriptam: & tamen horum potestatem αὐτόπιστον, & per orbem terrarum diffusam Ecclesias fundandi & extruendi cum ipsorum vita cessâsse.

HAD. SARAVIA.

DBezam calumniari dicere nolo, sed nugari, quoties contra me disputat, tanquàm contra eum, qui sentiat ad restaurationem Ecclesiarum, & earum propagationẽ, opus esse nouis Apostolis, vel nouis Euangelistis, præditis illis omnibus donis & prærogatiuis, quibus Deus insigniuerat primos Ecclesiæ fundatores: quod nunquàm cogitaui,

gitaui, nec in meis scriptis vsquàm poterit inueniri, nec ex eis deduci.

Quandò Beza quærit ex me, Quid prohibeat Ecclesiam nouo alicui vel instaurando, vel fulciendo, vel etiam inchoando operi, non Apostolum, non Euangelistam, sed Pastorem vel Doctorem ordinari; eum vicissim interrogabo, quid Episcopum, exemplo Patrum, vetat ordinari? quem quamuis Pastorem & Doctorem officio sciam, eum tamen desidero, cum illa authoritate, quam Titus & Timotheus habuêre, & Ecclesia conferre potest, æquè ac Apostolus. *Non est* (inquit Beza) *quod mirêris docendi, sacramenta administrandi, & Ecclesiam gubernandi authoritatem & formam perpetuam mansisse; vtpotè Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris, ab Apostolis per se & Euangelistas præscriptam.*

Errat D. Beza: nihil hoc miror; sed istud est quod demiror, ab ipso impugnari quod fatetur, & ego defendo, docendi, sacramenta ministrandi, & Ecclesiam gubernandi authoritatem & formam perpetuam mansisse, & mutatam esse dolere me, & quærere in Ecclesiis reformatis regiminis Apostolici formam. Nam qui Episcopen Apostolicam sustulerunt, hoc est, inspectionem supra Presbyteros singularum Ecclesiarum, & Pastorem supra alium constitui non patiuntur, regiminis formam Apostolorum non retinent: vt annuum Presbyterium nunc præteream. Cõtra seipsum D. Beza mecum hîc adfirmat, illa tria perpetuò in Ecclesia esse retinenda: nisi fortè credat Apostolos aliam formam gubernationis obseruâsse, & aliam discipulis posteà obseruandam tradidisse. Sed nemini, præterquam Bezæ, & eius discipulis, verisimile futurum est: posset enim idem & de doctrina & de sacramentis dici.

Verùm quid D. Beza significare iam bis voluerit, quando authoritatem & potestatem Apostolorum dixit αὐτόπιςον, non intelligo. Veritas diuina atque cœlestis naturâ suâ est huiusmodi; sicut & ea quæ circa rerum naturam & ordinem versantur: sed ea sunt plerunque nobis maximè obscura, nisi aliundè fides fiat, & demonstrentur, per ea quæ nobis sunt notiora. Marcus de Apostolica prædicatione scriptum reliquit, Apostolos prædicâsse, *Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequentia:* αὐτόπιςα illa sunt nobis, quæ nulla probatione aut confirmatione indigent. Sed quomodò potestas fundandi Ecclesias cum Apostolorum vita cessârit, videbimus capite sequenti.

14. D. Theod. Beza.

Atenim, inquis, *Moses & Aaron post suam ipsorum mortem, eandem gubernandi rationem, qua ipsi fuerant vsi, posteris reliquere: ita etiam Apostoli & Euangelistæ fuerunt exemplum, & lex nobis posteris, perfecti regiminis Ecclesiastici.* Istud verò contra nos non facit. Tantum enim absumus ab eo, vt Ecclesiastici ministerij formam, quam Apostoli & Euangelistæ, Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris, Diaconis denique tradiderunt, ad finem vsque seculorum obseruandam negemus, vt contrà de illius, non minùs quàm de doctrinæ Apostolicæ, in integrum restitutione, laboremus. Sed vt manserit gubernationis forma à Mose in diuino cultu Sacerdotibus & Leuitis tradita, legislatoris tamen, & constituendæ tũ Ecclesiæ tum reipub. Israeliticæ munus, cum Mosis vita cessauit, tam graui cum interminatione vetante Domino aliquid ad præcepta sua per Mosem tradita adici, aut illis vel tantillum detrahi, Deut. 4. 2. & 12. 32. quæ propterea non innouari, sed quàm diligentissimè custodiri à magistratibus, & tum à Sacerdotibus, tum à Leuitis exerceri mandauit. Haud aliter verò Apostolorum & Euangelistarum illorum munus cum Apostolis & Euangelistis desisse dicimus: formam autem & regulam eius gubernationis Pastoribus, Doctoribus, & Diaconis commissam permanere debuisse: minimè proculdubiò inultam passuro domino, & vnico nostro æterno legislatore Iesu Christo, Iac. 4. 12. per os Prophetarum & Euangelistarum loquuto, inexcusabilem illorum audaciam qui vel in doctrina, vel in essentia Euangelici Ministerii, vel tantillum immutârunt, nedum & iis pareat, qui pro suo libitu, imò etiam impudentissimo religionis obtentu, ordinis à Deo positi leges abrogârunt. Quòd autem in ista ministerij Euangelici cum Leuitico collatione, Aaronem Mosi adiungis, perperàm facis. Nec enim gubernationis formam tradidit Aaron, sed à Deo per Mosen, vt Domini interpretem accepit. Et ideo tam verum est Aaroni alios in ipso Sacerdotij munere successisse, quàm falsum fuerit dicere Mosi in officio legislatoris & Ecclesiæ, ac reipub. Israeliticæ constituendæ authoritate quenquam successisse.

Had. Saravia.

MEam sententiam confirmat, quisquis ita scribit & loquitur: & facilè idem sentiremus, si eandem gubernationis formam, quâ Apostoli vsi sunt, retentam fuisse Geneuæ, & in alijs Ecclesiis Galliæ, & inferioris Germaniæ, obseruari, doceri posset: sed Episcopalis abrogatus gradus, & nouum introductum Presbyterorum genus, contrarium

trarium tam manifestè testantur, vt apud antiquitatis gnaros non excusari hæc innouatio, nisi necessitate, possit. Vnde apparet quantũ mea argumentatio contra Bezam faciat. Cæterùm quòd ait me perperàm Aaronem iungere Mosi, nodum in scirpo quærit, cùm id scriptura passim faciat, præsertim quandò gubernationis fit mentio. Psal. 77. *Deduxisti velut oues populum tuum in manu Mosis & Aaron, & 99. Moses & Aaron in sacerdotibus eius.* Deindè, ego non aio gubernationis formam traditam ab Aarone. Sed quemadmodùm post suam ipsorum mortem, eandem gubernandi rationẽ, quâ fuerant vsi, Moses & Aaron reliquêre posteris; Apostoli & Euangelistæ fuerunt etiam exemplũ & lex nobis posteris perfecti regiminis Ecclesiastici: & successores Apostolorũ Episcopi, eandẽ regiminis formam, quâ sunt vsi Apostoli, retinuêre.

Quod D. Beza addit, falsum, quenquam successisse in officio legislatoris & Ecclesiæ & reipub. constituendæ authoritate, nihil hoc est; constituta republica, non est rursùs constituenda: leges vbi semel latæ sunt, non sunt rursùs ferendæ. Si ipse Moses ad sexcentesimum post legis dationem vixisset annum, non semper leges tulisset. Rexit populum quadraginta annos; quod totum tempus in describendis legibus non consumpsit: semel acceptam legem populo tradidit, quod quandò fecit, non maior eius potestas fuit, quàm antè fuerat & pòst continuauit. Par est ratio Apostolorum, qui Ecclesias fundârunt, & doctrinam Euangelicam semel tradiderunt; alia noua tradi non potest, nec noua sacramenta institui, nec similiter alia gubernationis forma tradi. Nam horum nihil, Apostoli fuêre authores, sed Deus: & in hoc Apostoli excellunt suos successores Episcopos, quòd primi hæc proximè à Deo acceperunt diuina mysteria, vt ea posteris traderent. Quod denuò fieri, nihil opus esse fatemur: sed quẽadmodùm Mosi legis dationem propriam, scimus imperium quod habebat in populum non reddidisse maius, quam anteà fuerat, aut posteà cessante legũ traditione fuit; ita proprium hoc esse Apostolis non ignoramus, quòd cum Domino conuersati sunt in terris, ipsum viderint, ab eo fuerint edocti, & à Spiritu sancto, quæ docerent gentes. Hæc renouari singulis seculis non oportuêre: si annos vixissent Mathusalæos, non minor fuisset eorum authoritas posterioribus annis, quàm prioribus fuerat. Nihil horum inter nos controuertitur; sed ipsa gubernationis forma, quæ gradus habuit superiores & inferiores Ministrorum Euangelij, quos D. Beza abolet, & abolendos censet.

15. D. THEOD. BEZA.

AT tu rursùm. *Quod*, inquis, *seruator noster dixit de Sacerdotibus Iudæorum, eos sedere supra cathedram Mosis, & Aaronis; idem dici potest de Episcopis, quod in cathedra Pauli & Petri sedeant, hoc est, quod in eodem regiminis munere successerunt.* In quibus verbis videris tu quidem mihi multipliciter peccare. Primùm enim in contextu Euangelico nulla fit Aaronis mentio. Nam ne sibi quidẽ cathedram Aaron posuit, sed Moses potiùs Aaronem ipsum, vt Dei minister, collocauit, in qua post à posteri ipsius sederent. Neque id verò contra nos facit, minimè negantes, quin Pastores Pastoribus, Doctores Doctoribus, Presbyteri Presbyteris, Diaconi Diaconis successerint, quos ex suis Cathedris Antichristiana tyrannide depulsos, nunc in possessionem restituendos clamamus.

HAD. SARAVIA.

QVàm multipliciter peccem, attende, candide lector; *primùm in Euangelio nulla fit Aaronis mentio* (inquit Beza:) grande nefas; quasi contendam in Euangelio fieri Aaronis mentionem: & ego non potiùs ad locum illum alluserim, quàm citauerim, rem ipsam spectans, vt est in Psal. 99. vbi in Sacerdotij potestate, & dignitate, Moses & Aaron simul coniunguntur. At (inquit Beza) *ne sibi quidẽ Aaron cathedram posuit, sed Moses potiùs Aaronem ipsum, vt Dei minister, collocauit; in qua postea posteri ipsius sederent.* Magna res, scilicet, sed indigna allegari à D. Beza. Sed quid? cathedra illa dicitur Mosis: ipse ne illam sibi collocauit? Quid refert dicere per quem constituta fuerit, cùm constet ipsum & Aaronem primos in ea sedisse, & alios eis successisse? Quod non negat D. Beza Pastoribus Pastores, & Doctores doctoribus successisse, nihil dicit: de successione non nostra est controuersia; sed de potestate & authoritate gubernationis Ecclesiasticæ, quam euertit aut potiùs tollit, ratus Episcopi Romani se hac ratione tyrannidem funditùs tollere.

16. D. BE-

16. D. Theod. Beza.

Sed hæc nobis ostende, sicut Aaron (quo nomine totam hîc tribum Leui in suas partes & functiones distributam intelligo) in Sacerdotij sui cathedra, sic Mosen in legislatoris solio successorem habuisse, & aliquod tunc demùm fuerit huius argumenti tui pondus, quo alioquì non tua sententia, sed nostra manifestè confirmatur. Deindè, vt tua sibi constet analogia, sicut pares Aaroni fuerunt ipsius in Sacerdotij cathedra successores: sic istos Episcopos oportet Apostolis, quibus illos vis successisse, pares faciat: vt sicut Aaronis & successorum ipsius; sic Apostolorum, & eorum, quos illis successisse vis, vna, par, & eadē sit cathedra, quæ certè sessorum numero non mutatur, nec multiplicatur: quod quum te dicere conscientia prohiberet, istam paritatem, vel potiùs τοιαυτότητα, in aliquam similitudinem tandem transformas.

Had. Saravia.

Vv antè dixi, nihil est quòd hîc mouet D. Beza, quandò vult vt demonstrem Mosen in legumlatoris solio habuisse successorem, sicut Aaron habuit in sacerdotio; nimirùm officium legumlatoris accipiens, vt ipsum accipere apparet, qui eandē legem eo modo acceptam à Deo tradat populo: hoc, vt dixi, factum semel manebat, sicut doctrina, & quæ cum doctrina coniuncta sunt, quam semel tradiderunt Apostoli. Quam eodem modo rursùs tradi, vt quis postulet; alienum prorsùs est ab omni ratione. De tali successione non est nostra controuersia, nec ab ea dependet id quod inter nos controuertitur. De forma regiminis Ecclesiastici, quæ fuit sub Apostolis, quam in Ecclesia debere esse perpetuam, cōtra Bezam & omnes qui cum eo sentiunt, disputo, nostra est quæstio.

Quod hîc nunc D. Beza postulat aio esse à proposita quæstione alienum. Iosua successit Mosi, sicut Eleazar successit Aaroni: ille vt populum regeret eadem & pari potestate, & eâdem gubernationis formâ, cum ea quam Moses tenuerat: hic in eodē Sacerdotio, nulla in re mutato. Qui, quia secundi, non primi erant, non idcirco minoris authoritatis ille dux fuit, aut hic summus sacerdos: successio posteris nihil ademit, quod primi habuerant. Sed quid si demonstrauero in legumlatione Iosuam Mosi successisse? num Bezæ satis factum erit? ait enim tunc mei argumenti futurum pondus. Dico igitur, quod & demonstro, in legumlatoris officio Iosuam successisse Mosi, & cum ipsius officiò legumlationem fuisse coniunctam. Summi namque imperij est, & semper fuit legumlatio: cuius potestatis defectus non arguitur, si quis princeps nullas leges ferat, quæ secundùm quod tempus & occasio requirit, feruntur: leges iam latæ erant: quæ si nullæ fuissent, ad ipsius officium pertinuisset, necessarias, aut à Deo aut à iure gentium desumptas dare leges. Reges qui succedunt suis maioribus, qui regnum multis bonis legibus stabiliuerunt, non sunt eis minoris authoritatis, quia cōtenti illis legibus sunt, nec quicquam in eis mutant.

Tulisse tamen Iosuam quoque leges, si demonstrem quid dicet D. Beza? fatebiturnè Iosuā in legumlatione successisse Mosi? Mandata tam ad sacerdotes, quàm ad principes, & duces populi dedisse certum est, quæ vim legis habebant. Præterea & legem tulit de non reædificanda Hiericunte, cum imprecatione. Posteà fœdus renouauit & proposuit populo præceptum, & iudicium in Sechem: Scripsitque Iosua verba ista in libro legis Dei. En, candide lector, hîc habet D. Beza, quomodò & in legumlatione Iosua Mosi successerit, sicut & reges qui sequuti sunt. Qui quod potestatem regiminis attinet, nunquàm habiti sunt Mose potestate legumlationis inferiores; quia per eos lex data non fuerit. Dauidem autem & Salomonem, aliósque reges tulisse leges, negari non potest. Iacob olim præclaram illam prophetiam ediderat: *Non recedet sceptrū de Iuda & legislator è pedibus eius, donec veniat Silo, &c.* Hinc apparet reges & alios populi Dei duces in legumlatione successisse Mosi. Quid opus est leges Dauidis, & aliorum commemorem? Res nota est. Quod Episcopos attinet, qui successêre Apostolis, quid absurdi, si vnumquemque in sua prouincia & diœcesi, pares faciam Apostolis, in ea potestate, quæ clauium propria est; & non tantùm Apostolis, sed omnibus eorum successoribus data intelligitur. Sicut enim eandem veritatem docent, & eadem sacramenta ministrant, quid ni eandem similiter potestatem Ecclesiasticam exerceant?

17. D. Be-

17. D. THEOD. BEZA.

HAec enim tua verba sunt; *Quamuis tam ampla legatio, qualis fuit Apostolorum, mandari nemini possit, aliqua similis potest cum simili auctoritate.* Fuerunt igitur iiti etiam quasi successores, & de hac similitudine noua rursùs exoriretur controuersia: sed in ipso vocationis modo permagnum erit discrimen, totam hanc similitudinem fortassis euersurum. Apostolos enim nullos vnquàm delegit Ecclesia: sed ipsi potiùs suo ministerio spirituales fuerunt Ecclesiarum Patres, vt loquitur Apostolus, 1. Corin. 4. Et si qua esset eiusmodi electionis facta ecclesiæ potestas, ea profectò potiùs alicui synodo, quàm vlli particulari ecclesiæ competeret. Et quid illis donis fiet, quæ cum Apostolorum & Euangelistarum auctoritate & functione necessario vinculo cohæserunt? Nempe quòd αὐτόπιστοι fuerunt, vt qui illorum doctrinæ resisteret, non homini, sed Deo resisteret, & quidem seueriſſimis iudicijs, etiam quum fuit opus extraordinariis, rebellionem illam vlciscenti, vt in Anania, & in Elima mago apparuit? Et an temerè Paulus non de suo certè vnius Apostolatu loquens, & rebelles omnes in Corinthiorum persona ad Dei tribunal sistens, hæc totidem verbis scripserit? *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinitus valida*, & paratũ habemus quo vindicemus omnem contumaciam? Sed quid si præterea Episcopalis iste gradus, quem Apostolatui aliquatenùs saltem similem auctoritate facis, nusquàm in scripturis extat? imò vt paulò antè ex Luc. 22. 25. ostendisse me spero, in ipsis etiam Apostolis prohibetur, & sensim demùm in ecclesiam irrepens, primùm in Oligarchiam, ac tandem in tyrannidem euasisse comperiatur? Tum certè nullus hic erit successioni iustæ & legitimæ locus, vel hoc ius omne solâ humanâ prudentiâ nitetur.

HAD. SARAVIA.

MIrus vbique D. Beza est verborum meorum constructor. Dixi malè Euangelij prædicationem restringi ad Apostolorum tempora, intelligens illam, quæ fit populis & gentibus incredulis: & quamuis tam ampla legatio, qualis fuit Apostolorũ, mandari nemini possit; aliqua similis potest cum simili authoritate. Hæc, vt pleraque alia, eleuanda sibi, non confutanda D. Beza mihi videtur adsumpsisse. Rem omnibus theologis notam, de qua cõtrouersia nulla vnquàm fuit (nec futura est spero) quin adhûc hodiè Christus prædicari possit populis, qui nihil de Domino audiuerunt, in dubium vocat. Nam si illius, qui ad eos mittendus est, in dubiũ reuocatur vocatio; propagatio Ecclesiarum iam ab Apostolorum morte interierit simul cum Apostolis oportet: quod falsissimum (vt D. Bezæ vtar vocabulo) cùm sit, & contrarium piorum omnium Patrum & Doctorum sententiæ & exemplis, qui à temporibus Apostolorũ vixerunt, & varijs in locis Euangelium infidelibus populis prædicârunt, Ecclesiásque fundârunt nouas, & propagârunt; miror à D. Beza cauillationes nobis pro solidis rationibus, & eo dignis obtrudi. Quæ tametsi responsionem non mereantur, ad singulas tamen respondebo.

Fuerunt igitur isti (inquit) *quasi successores.* Quæ est collectio? Ecclesia potest aliquos vocare ad Apostolicam functionem, hoc est, ad illud munus quod Paulus mandauit Timotheo: habet enim Apostolica Ecclesia Apostolicam authoritatem & potestatem: & illam, quam Paulus aut alius quiuis Apostolus dare potuit, potest etiam Ecclesia dare. Indene sequitur illos futuros, quibus illa functio mandatur, *quasi successores?* quid opus est addere, *quasi? Et de hac similitudine* (inquit) *noua rursùs exoriretur controuersia.* Quæ obsecro? Ego diuinare non possum. Ergo ignoscat si ad eam non respondeo. Quam similitudinem nobis narrat D. Beza? Ego nullam successionis similitudinem pono. Dixi quidem similem legationem Apostolicæ, cum simili authoritate, Ecclesiam committere posse; idque ita sum elocutus, cauilli vitandi gratiâ: nè si eandem dixissem, ad amplitudinem & extensionem referretur. *Sed & in ipso vocationis modo permagnũ erit discrimen*, inquit, *totam hanc similitudinem fortassis euersurum.* Si nullæ res inter se comparari, tanquàm similes, possunt, nisi inter quas nullum discrimen inuenietur, similes nullæ res dici vnquàm poterunt. Nulla enim in rebus tanta similitudo vnquàm inueniri potuit, quin longè maior fuerit dissimilitudo.

Sed audiamus. *Apostolos* (inquit) *nullos vnquàm delegit Ecclesia.* Distinguo: si Apostolos intelligat, qui immediatam habent à Deo vocationem, fateor: tales enim ab hominibus mitti non possunt. Sed qui Euangelium prædicent mitti ab Ecclesia non posse, aut non missos fuisse, si D. Beza contendit, reuincitur Pauli testimonio, qui ad discrimen inter suum Apostolatum, & eorum, qui ab hominibus & per homines mittebantur distinguat: in Epistola ad Galatas, ait se nec ab hominibus, neque per homines missum. Vndè, nisi cui tergiuersari libeat, apparet, propter similitudinem officij,

quosdam

quosdam etiam Apostolorum temporibus fuisse ab hominibus missos, qui vocabantur Apostoli. Et quàmuis Apostoli fuerunt Ecclesiarum Patres, & meritò Paulus se patrem Corinthiorum vocet, neminem præter Apostolos posse spiritualem patrem dici, si quos Christo parturiuisset, nulla ratione dicitur. Et quod hanc mittendi potestatem attinet: cui competeret, synodo, an particulari Ecclesiæ? disputabimus postea.

Quod attinet dona illa, quæ cum Apostolorum & Euangelistarum authoritate & functione necessario vinculo cohæserunt; quid creditne D. Beza, omnes eos, qui censebantur temporibus Apostolorum, Apostoli aut Euangelistæ nomine, propter adfinitatem officij, habuisse dona, veris Apostolis, & veris Euangelistis promissa, & fuisse αὐτοπίστους? id tantùm locum habet in 12 Apostolis, & Paulo, aliisque secundarijs Apostolis, quales fuerunt 70. illi Christi discipuli, vt Philippus & Barnabas. Quid de Timotheo, & Tito, & Marco censet? Authoritas & functio Apostolica necessariò habuit quædã insolubili vinculo coniuncta: & ea ad Pastores & successores transmissa fuêre, vt sunt legatio ad incredulas gentes, prædicatio Euangelij, sacramentorum administratio, Ecclesiastica censura, & inspectio curáque plurium Ecclesiarum, & eorum, qui singulis Ecclesiis præfecti sunt. Cætera omnia Spiritus sancti dona, temporibus, locis, & personis seruiebant; cuiusmodi fuit miraculorum edendi virtus, Prophetiæ & linguarum donum, & quæ sunt huius generis. Quæ etiam si quis non habeat, nihil minuitur idcircò in cæteris, quæ cum Euangelij prædicatione & cura Pastorali necessariò Deus coniuncta esse voluit. Quòd Episcopalem gradum in Scripturis nusquàm extare ait, & se putat demonstrâsse, præstiterit id nécne, iudicium esto eorum, qui hæc candido sunt animo lecturi.

HAD. SARAVIA.

Mandatum omnibus gentibus prædicandi Euangelium, Apostolis in cœlum receptis, etiam Ecclesiam obligat: ad quam rem Apostolica authoritate opus est.

CAPVT. XVII.

Euangelij prædicandi mandatum, & ad omnes gentes legatio, ita præcepta intelligitur Apostolis, vt etiam obligare Ecclesiam intelligatur. Incredulis gentibus prædicandi Euangelij mandatum non solùm respexit Apostolorum seculum, sed omnia quæ futura sunt vsque ad finem mundi. Matthæi vltimo capite, quandò Dominus dixit, datam sibi omnem potestatem in cœlo & in terra, & mandauit, vt euntes docerent omnes gentes, &c. addidit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: *quod ad solos non potest referri Apostolos; sed ad omnes, quos bono animo esse iubet, & quibus pollicetur se affuturum.*

Hæc promissio à superiori præcepto non potest separari: vndè apparet Ecclesiæ mandatum à Christo, vt, receptis in cœlum Apostolis, Euangelium prædicari curet incredulis gentibus, pro temporum, locorum, & personarum, quas habitura esset idoneas ad eam rem, ratione.

Si Apostolica authoritas temporaria fuisset, ea personale donũ fuisset, ac particulare; nec sibi socios, & cooperatores in Apostolico munere, ad Domini opus, ad quod destinati fuerant, adsumpsissent. Sed cùm scirent suũ Ministeriũ, & quidquid habebant authoritatis, potiùs datum Ecclesiæ, quàm personis, alios fecêre consortes Apostolicæ suæ potestatis, quos sciebant futuros etiam successores.

Tantum opus à tam paucis hominibus non poterat perfici. Eatenùs Domini mãdatum obligabat Apostolos, quatenùs mortalitatis vires se porrigebant: nempè ad breue illud tempus, quod post acceptum Spiritum sanctum erant victuri: quo tempore, neque promissionem auxilij, neque ad incredulas nationes legationem Euangelij Dominus terminauit.

Habuêre igitur Apostoli opus multis adiutoribus, & cooperariis ad Domini opus: quòd cùm ipsi perficere non potuerint, inchoatum reliquêre posteris absoluendum.

Si simul cum Apostolis ad cœlos commigrâsset Apostolica legatio, & præter particularium Ecclesiarum curam, propagationem vlteriorem Euangelij ad se nihil pertinere iudicâssent Episcopi, quos successores reliquerunt Apostoli, nunquàm ad tantam magnitudinem regnum Christi peruenisset.

Quid exemplis Patrum primitiuæ Ecclesiæ opus est? Quanto studio, quanto labore, quanto denique martyrum sanguine plantatæ & irrigatæ creuerint Ecclesiæ, res notior est, quàm vt admonuisse non sit satis.

Nimis proteruè (meo quidem iudicio) hanc sententiam quidam hodiè tanquàm Anabaptisticum somnium explodunt, quandò Ecclesia adhûc hodiè si non Apostolos, Apostolicos viros habere dicitur. Sed ipsi viderint. Nondũ hodiè post 1500. annos ad omnes gentes Euangeliũ peruenit? tempore hoc intermedio, quã multæ gentes (quas non adierant Apostoli) prædicatione piorum hominum (qui in hoc labore successêre Apostolis) Christum Dominum receperunt, mitto narrare. Tantùm concludo illius legationis & mandati de prædicando Euangelio manere vim & obligationem in Ecclesia, quamdiû nationes erunt quæ ignorant Dominum.

Quòd hodiè nemo mittitur ab Ecclesiis Christi, ad gentes quæ ignorãt Christum, non arguit potestatis mittendi, sed mittendorum, qui idonei sunt, inopiam, aut certè ad propagandum regnum Christi defectum zeli.

Tentare Dominum nemo debet: ipse Apostolos suos Hierosolymis efferre pedẽ vetuit, & munere fungi, ad quod erant delecti, antequàm Spiritum sanctum recepissent. Instructum priùs hominẽ esse oportet donis Spiritus sancti ad rem tantam necessariis, antequàm eam aggrediatur. Sed quia iudicium vnius hominis potest esse temerarium, fallíque, Ecclesiæ oportet vt intercedat authoritas. Nam Apostolica potestate hîc opus est: quam si Ecclesia non habet, quantumuis idoneos nanciscatur viros, nec etiam mittendi potestatem habet. Nemo alteri conferre potest quod non habet. Ei qui mittitur (siue Apostolum, siue Euangelistam, siue Episcopum eum voces) non minore potestate opus est, quàm habuit Timotheus aut Titus, quandò similem susceperè prouinciam.

Habet igitur Ecclesia hanc authoritatem designatam per claues, quas Dominus non tam Petro Petríque collegis dedit, quàm Ecclesiæ: vt hodiè possit, quod olim potuit; nempè opportunitate data legationem prædicandi Euangelij cum Apostolica authoritate committere viris ad eam rem idoneis.

1. D. Theod. Beza. ad caput 17.

SI auctoritatis nomine reuerentiam illam intelligeres, ad quam obligatur Ecclesia scriptis Apostolicis habendam: ad quæ videlicet tum Christiana doctrina, tum Ecclesiastica gubernatio sit exigenda, minimè dissentirem. Sed quùm hoc vocabulo intelligas legationem ad omnes gentes destinatam, quæ obiri sine Apostolica potestate non possit, in hoc vtroque planè abs te dissentio. Audiamus tamen, quibus argumentis nitaris. Hæc promissio, inquis, qua dixit Dominus: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: non potest ad solos Apostolos referri, nec etiam à præcepto separari, quo mandatur, vt eunies doceant omnes gentes.

Pertinent

Pertinent ergo & promissio ista & præceptio ad Ecclesiam, quæ sic iubetur, vt, *receptis in cœlum Apostolis Euangelium prædicare curet incredulis gentibus, pro temporum, locorum, & personarũ, quas habitura esset ad eam rem idoneas, ratione.* Respondeo non esse quidem discerpendam hanc promissionem ab hac præceptione: sed, quod ad Apostolos attinet, aliquid esse in hac præceptione, quod sit illis vnis proprium, nempè quòd ad omnes gentes docendas mittantur: ac proindè promissionem, quam tu ipse fateris solos Apostolos non respicere, latiùs quàm præceptionẽ illam protendi, nempè ad eos omnes, qui post Apostolos erant ad sacrum verbi ministerium, ad fines vsque seculorũ, vocandi. Sicut ergo non quicunq; iussi sunt docere Euangelium, intelliguntur ad illud omnibus gentibus prædicandum missi; sic datũ Apostolis præceptum de docendis omnibus gentibus, non est quibusuis ad docendum Euangelium missis accommodandum. Quòd si, prout existimanda est præceptio, ita quoque metiri spiritualis Christi præsentiæ, doni, & efficaciæ promissionem oportet: quanto maius fuit onus Euangelij apud omnes gentes prædicandi, quàm hanc vel illam Ecclesiam siue vnam, siue plures docendi; tanto maiorem potestatem, & ampliora dona hic sunt Apostolis, quàm aliis eos sequuturis promissa.

HAD. SARAVIA.

QVod vbique à candido lectore fieri peto, id vt hîc faciat, maiorem in modum iterum atque iterum rogo, nempè vt hoc 17. caput mei tractatus conferat cum hac D. Bezæ responsione. Hîc primùm quæro à Domino Beza, vbi legerit me authoritatis Apostolicæ nomine legationem ad omnes gentes destinatam intelligere. Quæ est hæc verborum meorum interpretatio? dixi mandatum prædicandi Euangelij quod seruator his verbis expressit, Ite prædicate Euangelium, &c. receptis in cœlum Apostolis non cessâsse; sed eo Ecclesiam obligari, & ad illud exequendum opus esse Apostolica potestate. Hîc duo pono, mandatum, & authoritatem. Mandatum missionem & legationem continet.

Quis adeò incogitans id legere potest, qui intelligat me significare voluisse ad legationem obeundam, opus esse legatione? obeundæ legationi authoritate opus est. Hæc enim duo coniuncta sunt, vt causa & effectus. Qui legat; authoritatem dat. Et ex legatione authoritatem demonstrare volui. Præterea, quid cogit Apostolicæ authoritatis vocabulo intelligere illa omnia dona, quæ fuêre in prima illa 12 Apostolorum, & 70 discipulorum, aliorúmque, quos Dominus ἀμέσως in messem Euangelicã misit, vocatione & legatione? Multæ sunt & variæ Apostolicæ authoritatis partes: nec necesse est, quando de vna aliqua sermo habetur, omnes alias intelligi. Deindè, si, vt ipse fatetur, promissio à superiori præcepto non potest separari, sed cuique pro ratione ministerij sui, & temporis, & loci est accommodanda: Quid? indéne consequitur neminem hodiè ad populum infidelem posse mitti, instructum illis donis, quæ tempora ferunt, & Dei prouidentia subministrat? Quæ suprà dixi, lectorem ad mentem reuocare velim. Hoc mandatum non datum fuisse singulis, sed vniuersis, qui cœtum illum constituebant, & vsque ad finem seculi permansurus est, Ecclesiámque repræsentabit. Nemo vnus Apostolus vniuersum orbem peragrare potuit. Nec ea fuit mens seruatoris nostri. Proindè cura illa ad Ecclesias pertinet: quæ hanc habent potestatem, quandocunque facultas & oportunitas adest; vt mittere possint, imò debeant, qui doceant infideles fidem Domini nostri Iesu Christi. Ad quam rem authoritatem habet Apostolicam, quam eis conferat, quos mittet. Quicquid potestatis Ecclesiasticæ Dominus Apostolis dedisse legitur, non personis sed Ecclesiæ datum ab Orthodoxis intelligitur. Quod certè paucis istis à me notatis rationibus apertè demonstratur.

*2. D. THEOD. BEZA.

ET ne hîc mihi obijcias, specie non differre, quæ duntaxat secundùm plus & minus, vt in scholis loquuntur, differunt: fateor quidem omnes docendi Euangelij functiones in genere conuenire; in eo videlicet, quòd omnes vnum & idem Euangelium iubentur docere: itidémque commune hoc illis esse, quòd eodem spiritu Christus sese illorum ministerio affuturum promittat: sed nihilominus dico, Apostolicam potestatem ab illa ordinaria & perpetuò duratura, itidemque dona Apostolis hîc promissa, & postea exhibita, diuersa fuisse non tantùm secundùm modum & mensuram, sed etiam reipsa ab ijs quæ ordinario & perpetuo ministerio sunt promissa: id quod manifestè ex ipsorum & rebus gestis & scriptis appareat, si cum vel excellentissimis eos sequutis hominibus conferantur.

HAD. SARAVIA.

EGo carpendi occasiunculas captare non didici: ex ijs quæ disputaui quiuis facilè potest intelligere, quòd ab essentia Ministerij Euangelici separo personalia omnia

dona, & temporaria, & eandem per se nudam considero, constantem ex his tribus; potestate Euangelij prædicandi, sacramentorum administratione, & Ecclesiastico regimine: in quibus D. Beza non vult esse sitam potestatem Apostolicam, sed in circumstantiis temporariis, & personalibus; quas etsi non cuiuis tempori accomodo, quæ diuersæ fuêre diuersis temporibus, non reijcio, nec de eis inter nos vlla est cõtrouersia; nisi quam D. Beza sibi fingit. Nihil enim opus est per ambages hûc illûc lectorem deducere. De regimine Ecclesiastico tantùm nobis est controuersia: quod idem manere contendo in Ecclesia, quale fuit Apostolorum temporibus sub ipsis Apostolis, & cõtinetur in potestate clauium, quæ non tam Petro, & cæteris Apostolis data est, quàm toti Ecclesiæ. Tantùm enim donis Spi. sancti, & latitudine prouinciæ, in hac re fuêre Episcopis Apostoli maiores. Quòd ab ipso Domino immediatè vocati fuêre, & spiritus sancti donorum amplitudinem acceperunt, quæ ipsos admirandos vniuerso reddidit orbi, nemo est ipsis nec erit conferendus.

3. D. THEOD. BEZA.

His adde Apostolici gradus ὑπερεχλὼ, & gradum illum auctoritatis secundùm Deum plenissimæ, quâ freti spiritum sanctum suo ministerio per impositionem manuum contulerunt, & Ecclesias ipsas per vniuersum terrarum orbem ordinárunt, Act. 8. 19. & 19. 5. Itaque hæc Christi verba, *Dispono vobis regnum, sicut illud mihi disposuit Pater*, Luc. 22. 29. ad solum Apostolatum sunt restringenda: vt & illud eiusdem Christi iam iam discessuri; *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos*, Ioh. 20. 21. Falleris ergo vehementer, quùm existimas Apostolicæ potestatis cuiquam attribuendæ ius, fuisse Ecclesiæ concessum, nedum vt illi fuerit demandatum; vtpotè quod ne angelis quidem competierit. Neque tamen nego fidis Ecclesiis onus regni Dei quocunque loco possunt promouendi, & ad eam rem idoneos homines deligendi, &, prout sese fert occasio, mittendi: quod hæc Geneuensis Ecclesia, Deo sit laus & gratiarum actio, prosperè & feliciter, si qua alia sub cœlo Ecclesia, factitauit. Sed quorsum hoc ad Apostolicam potestatem & auctoritatem? Illam enim ad hoc opus minimè requiri, ipsa quoque experientia testatur.

HAD. SARAVIA.

APostolici gradus ὑπερεχλὼ, & cætera omnia quæ ponit D. Beza, agnosco: sed quid indè sequatur, non concludit. Quod quia non facit, ego ipse faciam: nempè ergo regiminis forma, quæ fuit sub Apostolis, non remansit in Ecclesia: ergo Episcopi non sunt Presbyteris superiores dignitate & potestate. Nisi enim hæc cõsequi doceat, nihil agit. Deindè quod Christi verba Luc. 22. 29. *Dispono vobis regnũ, sicut illud mihi disposuit pater*, ad solos Apostolos ita referenda sint, vt de cæteris omnibus Ecclesiarum Christi rectoribus, atque adeò de omnibus Christi fidelibus, non debeant intelligi, D. Bezæ si negem, nullam ei faciam iniuriam. Ipsum enim in ipsius adnotationibus, in hunc ipsum locum, & alios grauissimos sequar authores. Nullius tamen me tuebor authoritate, si ipsa sacra scriptura ex pluribus similibus locis secum collata, id non apertè conuincat. Videamus igitur. *Ego* (inquit Dominus) *paciscor vobis, prout pactus est mihi pater meus, regnũ*. Hæc verba non esse intelligenda de Apostolica legatione, sequens versiculus apertè declarat, quando addit, *vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes 12. tribus Israel*. Hæc certè promissio eisdem verbis apud Matheũ extat, cap. 19. vers. 28. Quam ad cæteros, quoque omnes Christi fideles pertinere, sequens 29. versiculus docet; qui habet, quòd *omnis qui reliquerit domos, fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, causâ nominis mei, centuplicia accipiet, & vitam æternã hæreditatis iure possidebit*. Quibus verbis omnis verus Christianus significatur, quem ita comparatum animo esse oportet, vt parentes, cognatos, affines, & quicquid deniq; in hac vita charum habere solent homines, Dom. Iesu Christo posthabere paratus sit. Paulus 1. Cor. 6. cap. 2. vers. Iudicandi mundum dignitatem tribuit omnibus sanctis. *Annon nôstis quòd sancti mundum iudicabunt? quòd si per vos iudicabitur mundus, indigni estis minimis iudiciis?* Et in Iohannis Apocalipsi multò clariùs, omnibus qui vicerunt mundum, cadẽ hæc facta est promissio. c. 3. v. 21. *Si quis vicerit, dabo ei sedere mecũ in Throno meo, vt & ego vici, & sedeo cum patre meo in Throno eius*. Vides (candide lector) quàm locus à D. Beza ex 22. ca. Lucæ citatus minimè de Apostolis & eorum authoritate sit intelligendus.

Sed si quid in illis verbis inest peculiare, quod tantùm ad Apostolos referendum est, nec ad clauium potestatẽ spectat, nihil contra me concludit. Sed illud, *sicut misit*

me

me pater, & ego mitto vos, ad vocationem & missionem Apostolorum immediatam à Christo si referatur; inde non sequitur regiminis Ecclesiastici formã non remansisse eandem in Ecclesia post discessum Apostolorum, quæ fuerat illis viuentibus: non magis quàm præter Apostolos neminem esse legitimè missum ad prædicandũ Euangelium.

Falleris tamen (inquit Beza) quùm ipse turpissimè fallatur in eo, in quo me falli autumat. Non enim puto ius concessum Ecclesiæ cuiquam tribuendi potestatem illam Apostolicam, quam ipse Beza sibi fingit; & Dominus in sua solius potestate retinuit: vt Paulus proximè à Domino missus, dignitatem illam sui Apostolatus iure tueri potuerit, q̃ neq; ab homine, neq; per hominẽ missus esset: vt discrimen inter ipsius Apostolatũ esset, & eorũ, quos mittebat Ecclesia. Ego tantùm clauũ potestatẽ Petro promissam, quam ni fallor non negaturus est Beza, traditam Ecclesiæ, & illis quicquid est potestatis regiminis Ecclesiastici contineri, vrgeo. Sed mox demonstrabo Ecclesiam, quod gubernationẽ Ecclesiasticam attinet, posse quicquid Apostoli potuerunt: hoc est (vt exemplo rem faciam magis claram) quod Paulus potuit mandare Tito & Timotheo, Ecclesia potest cuiuis verbi Dei Ministro, quem maximè iudicauerit idoneum, committere: vt plurium Ecclesiarum curam, & inspectionem habeat.

Comparatio Angelicæ potestatis hîc nullum habet locum, qui nè baptizandi quidem habent potestatem: quòd si Ecclesia nihil amplius posset quàm Angelus, totum ministerium Ecclesiæ interierit. Si non negat D. Beza fidis Ecclesiis impositum onus regni Dei, quocunque loco possunt, promouendi, & ad eam rem idoneos homines deligendi, &, prout sese fert occasio, mittendi; quid est, quod contra me disputat? At Apostolica potestate nihil ad eam rem opus est (inquit.) Sed, obsecro, quibus id docet argumentis? Hactenùs rem aliò deflexit, & potestatem illam peculiarem, quam 12. viris & Paulo Dominus dederat, vrget, ac si ego contenderem necessariam; cùm Apostolicam tantùm regiminis Ecclesiastici formam requiram.

Quod de Geneuensi Ecclesia additur, gratias habemus Deo de cõmodis, quæ ab ea cæteræ acceperunt Ecclesiæ. Sed vereor nè vndè Ecclesiæ, plurimum accepêre boni, etiam aliquandò multum accipiant mali: hic est astus satanæ. Parui momenti non est res, totum Ecclesiæ veteris ordinẽ perturbare. Vnius vrbis scholæ sine verbo Dei expresso, apud me non est maior authoritas, quàm totius orbis.

4. D. Theod. Beza.

IMò velim hîc te meminisse tua hæc verba, capite huius tractionis 2. *De vocatione eorum quibus Deo visum placuit ad Ecclesias reformandas (cur non etiam ad plantandas?) multi quæstionem mouent, ex qua qui nequeunt se explicare, ad extraordinariam confugiunt vocationem. Sed, nisi ego vehementer fallor, nulla id necessitate faciunt. Nam corruptam, & falsam de filio Dei, & præcipuis fidei nostræ capitibus doctrinam impugnare, & veram asserere, quiuis Christianus in sacris literis versatus potest, & debet* Hæc, inquam, tua sunt, quæ ad ipsum ministerium relata, etsi, nisi (sicut suo loco dixi) certis adhibitis regulis intelligantur, Anabaptisticum spiritum sapiunt, quem nihilominùs minimè velim tibi impingere: tamen manifestè euincunt, teipso authore, hanc Apostolicam auctoritatem, quam ab Ecclesia dari vis, non esse simpliciter, sicut tu hîc disputas, ad propagandas per orbem terrarum Ecclesias necessariam. Sed & istud, cuiusmodi est, quod ibidem totidem istis verbis adiecisti? *Vbi impietas vniuersaliter Ecclesiam occupauit, non est extraordinaria vocatione opus ad illam profligandam. Ab alijs, qui ordinariam authoritatem habent in repub. Ecclesiæ reformari possunt.* Hæc tu, inquam, eo loco; quæ tamen non sine magna, & accurata distinctione admittenda sunt; nec video quàm bene tecum hîc consentias.

Had. Saravia.

HÆc denuò repetit D. Beza, quod cogitet me reformandis & propagandis Christi Ecclesiis, necessariam extraordinariam illam Apostolicam potestatem credere. Nam perindè hactenùs disputauit, ac si Apostolos perpetuos in Ecclesia adseruissem: quorum quia extraordinaria fuit vocatio, nunc, vt me meo iugulet gladio, adfert quod dixerim, *hoc tempore ne extraordinaria quidem vocatione opus esse reformandis Ecclesiis.* Sed age, quandoquidem hæc denuò sibi repetenda. D. Beza dixit, denuò ei respondeamus. Primùm, tam hæc aio esse aliena ab Anabaptisticis somniis, quàm extraordinaria D. Bezæ intrinseci numinis afflatus vocatio illis est affinis. Nullam tamen ei notam Anabaptismi impingo, nec comparationem facioodiosam, & parùm,

meo iudicio, fraternam. Quid enim hoc aliud est quàm suspicionem anabaptismi injcere? Ipse Dom. Beza suprà in 11. cap. contra me adlegat, In synodo Nicæna laicis, id est, priuatis loquendi & disputandi factam esse potestatem; sicut & in Iudæorũ synagogis, Christus non tantùm legentes & docentes audiuit, verùm etiam interrogauit. Sic fuisse in Christianæ quoque Ecclesiæ sacris ad docendum conuentibus factitatum, apertè liquere potest ex 1. Corin. 14. modò id ordine fieret. *Sed*, inquit, *multò magis id constat ex ijs quæ tu ipse posteà citas*, cap. 26. historiis &c. quæ ibi lector inueniet. Profectò illa quæ ego in capite 26. de Doctoribus scripsi, me ab omni hac calumnia liberant: simpliciter enim & verè & apertè me locutũ arbitror, vt nulla distinctione opus sit, nisi obscurandæ veritatis causâ. Nam ex meis verbis non sequitur permittẽdum, vt quiuis qui se doctum credit, suggestum conscendat, & doceat; atque ita ordinem Ecclesiæ perturbet. Sed qui doctrinam sacrarum literarum est nactus, specimẽ scripto edere suæ doctrinæ potest, & probandum Episcopis, aliisque ordinariis Ecclesiæ Ministris ostendere. Qui si corrupti sint, & à scribendo eum deterreant; ipse tamen scriptis, suo periculo fidem suam mundo testatam facere potest. Ab adserenda veritate nemo prohiberi potest. Quod improbi hæretici, & homines fanatici, eandem vsurpant potestatem, id non magis præiudicium adferre potest piis, & reuerâ doctis hominibus, quàm falsi Prophetæ in populo Dei fidis Dei seruis, quominùs errores sui seculi reprehenderent, & veritatem propugnarent.

Displicet similiter D. Bezæ quod dixerim, *Vbi impietas vniuersaliter Ecclesiã occupauit, non esse extraordinaria vocatione opus ad illam profligandam: ab ijs qui ordinariam auctoritatẽ habent in republica, Ecclesias reformari posse.* Quæ mea sententia, quum simplex, vera, & Christiana sit, quas multas, & acuratas distinctiones requirat D. Beza, non intelligo; vellem eas hic posuisset. Nam contradictoria si ex aduerso collocetur, longe maioribus & accuratioribus opus habebit medicamẽtis, nisi improbissimis quibusque cœlum terræ miscendi potestatem facere velimus. Aduersaria enim hæc est: vbi impietas vniuersaliter Ecclesiam occupauit, est opus extraordinaria vocatione ad illam profligandam; ab iis qui ordinariam authoritatẽ habent in republica, Ecclesiæ reformari non possunt. Istæ sunt meæ adsertionis antitheses, de quarum veritate quiuis facilè iudicare potest.

Extraordinariam suam vocationem ponere D. Beza non est ausus, nisi tribus adhibitis cautionibus, quæ mala, quæ indè certò sunt euentura, prohibeant. Sed quàm id, quod sibi proponit D. Beza, minimè adsequatur, suprà in mea refutatione Responsionis D. Bezæ ad secundum caput docuimus. Sed vt ad rem redeam, huius argumenti ex meis ipsius verbis finis hæc est, D. Bezam non videre, quàm benè mihi consentiam: ego tamen me mecum consentire arbitror. Quamuis enim Apostolica potestate opus habere Ecclesiam tam vt se conseruet, quàm propaget, filiósque suos ex omnibus orbis partibus colligat, iudicem; extraordinariam nullam vocationem constituo: quia ordinaria in Ecclesiis perseuerat; & ea, quæ quondam in Apostolis à Deo immediata & extraordinaria fuit, est hodiè in Ecclesia mediata & ordinaria per homines. Si D. Beza id non videt, culpam præstare non debeo. Videant, & iudicent candidi lectores.

5. D. THEOD. BEZA.

ISta verò quæ tu subiicis, profectò nè refutationem quidẽ merentur. Quid enim istud rei est? *Si* (inquis) *potestas Apostolica temporaria fuisset, & personale donum fuisset, ac particulare, nec sibi socios & cooperatores in Apostolico munere adiunxissent.* Quasi scilicet Apostolicam suam potestatem ad Euangelistas transtulerint Apostoli, id est, quasi plantare, & rigare; fundare, & superstruere; ad omnes gentes, prout Sp. sanctus monebat, legari; & modò hûc, modò illûc cum certis mandatis, & quidem ad tempus mitti; vna sit et eadem potestas. Vel, quasi Apostolos, quomodò intelligendum esset mandatum à Domino acceptum, partim ipse Sp. sanctus illos non docuerit, partim ipsa necessitas illis non ostenderit.

HAD. SARAVIA.

FAcilè hoc modo insolubile quoduis argumentum eleuari potest & præteriri: sed non item lectoribus satisfieri. Ait igitur D. Beza non cohærere quæ coniungo. Ratio ipsius hæc est: *Quasi scilicet Apostolicam suam potestatem ad Euangelistas transtulerint Apostoli.* Respondeo, Apostolicæ potestatis plures fuisse partes: ad eos autem, quos

quos Euangelistas D. Beza vocat, Apostolos transtulisse omnes sui Apostolatus partes, non aio: nec necesse fuit.

Satis est si partes Apostolicæ functionis demandatas fuisse cooperatoribus Apostolorum demonstrem; qui fundare & regere Ecclesias possent inter gentiles. Partium Apostolicæ potestatis quædam fuerunt temporariæ & personales, quædam essentiales & perpetuæ. Temporarias quasdam Apostoli habuêre communes cum pluribus alijs Domini discipulis, cuiusmodi fuerunt Prophetiæ, linguarum, edendi miraculorum, dona. Quasdam præterea habuerunt personales & peculiares gratias, sibi tantũ proprias: vt à Deo immediata legatio ad omnes gentes, vt prima fidei christianæ fũdamenta inter gentes iacerent: quòd testes essent eorum quæ audiuerant, & oculis spectauerant, manibúsque eorum contrectauerant de verbo vitæ: quòd per manus impositionem Spiritũ sanctũ signo visibili darent: quòd infallibili & certa Sp. sancti inspiratione dirigerentur: quòd eorũ doctrina canon erat, & regula fidei. Hæc omnia cõcernebant quidẽ ipsam essentiam Apostolatus, eíq; cõfirmando seruiebant, sed non erant ipsa essentia: quæ sita in prædicatione Euangelij, sacramentorum administratione, & Ecclesiarum, & inferiorum ipsis Euangelij Ministrorũ regimine, vsq; ad finem seculi est permansura. D. Beza singularibus donis Apostolatum definit, quæ in alios transferri non potuerunt, nec ego transtulisse contendo. At essentiales illæ Apostolatus sui partes, necessariò aliis communicârunt, & ad posteros transmiserunt. Hinc Hieronymus ad Heliodorum. *Sed de hoc gradu pulsus, prouocabis ad clericos. An de his aliquid audeam dicere qui certè in suis vrbibus commorantur? absit vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus. Qui claues regni cœlorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant:* & idem ad eundem de Episcopis loquens, *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri iam cum Christo regnantium.* Hæc D. Beza non ignorat, vt Titum & Timotheum ab Apostolo in societatem adsumptos operis Domini, mirum sit negare Apostolorum potestatem habuisse. Eos autem fuisse Episcopos & Archiepiscopos, communis omnium scriptorum sententia est qui de eis aliquid scripserunt, quorum catalogum posteà subiiciam.

Gradus ac authoritatis eminentia supra cæteros Ecclesiarum Pastores in parte Apostolicæ functionis fuit: quæ cùm delegata Timotheo legatur, non malè à me dictum est, *Apostolos socios & adiutores in Apostolico munere sibi adiunxisse, & eius fecisse participes.* Illæ autem Apostolicæ functionis partes, nemini vnquàm delegatæ essent, si temporales & personales fuissent. Non enim Dominus Apostolis onus imposuit, quod perfici ab ipsis non posset. Quare cùm in propria persona omnia loca totius vniuersi orbis peragere nequirent, sui Apostolatus partes necessariò aliis communicauerunt. Colossis, & Laodiceæ, fuisse plantatas Ecclesias ab Epaphra, & aliis Christi seruis, qui inter duodecim non numerabantur, notum est. Id muneris esse Apostolici nemo hactenùs negauit, nec quod communicari aliis poterat & mandari. Sed D. Beza, cùm nôrit propriam Apostolatui esse gradus & potestatis eminentiam supra Ecclesias, & Ecclesiarum Pastores, Euangelistas Titum & Timotheum facit: per me poterit etiam Apostolos vocare communi nomine, tam 12. viris, qui proximè à Domino fuerant missi, quàm eis qui ab Apostolis mittebantur. Sed neutrum nomen officiúmve ita fuit eis proprium, vt Episcopi non fuerint, aut non ipsis officium proprium fuisse negari possit, nisi ab eo qui communem Patrum omnium & Neotericorum cõtemnit sententiam, qui Titum & Timotheum habent pro Episcopis.

Quòd plantare & fundare Ecclesias tribuitur Apostolis, id respectu catholicæ & vniuersalis Ecclesiæ fit, non singularum & particularium Ecclesiarum: idque propter doctrinam Apostolicam, quæ totius Ecclesiæ est fundamentum, & ab eis fuit gentibus tradita. Et quemadmodùm Apostolatus gratiam in hunc finem acceperant: ita vlteriùs eam propagandi & superstruendi potestatem nemo habet, aut vnquàm habuit, nisi qui huius Apostolicæ gratiæ factus est particeps: quam ad certum tempus, ante Bezam restrinxit nemo. Habuit quidem Paulus secum semper aliquot comites, quorum operâ vtebatur, qui nullis Ecclesiis erant addicti. Sed & hoc non fuit perpetuum: & indè non efficitur neminem posteà, quandò necessitas Ecclesiarum ita tulit, fuisse

fuisse præfectum totius alicuius prouinciæ Ecclesiis. Oecumenius hanc quæstionem ex Theodoreto, si verus est titulus, habet post argumentum prioris Epist. ad Timotheum. *Quandoquidem alios discipulos Paulus habebat, vt Silam, & Lucam, & alios, cur nominatim scribit ad Timotheum & Titum? Respondemus quòd iam eis Ecclesias gubernandas tradiderat: alios secum retinebat. Scribit Timotheo ea quæ deinceps præceptorum decerant.* Cùm igitur pars functionis Apostolicæ Tito & Timotheo aliisque pluribus credita fuerit; negari non potest, quamuis totum suum Apostolatum in alios transferre non potuerint, tamen certas delegâsse suis cooperatoribus partes.

6. D. Beza.

At enim, inquis tandem, *Si simul cum Apostolis in cælos cõmigrasset Apostolica legatio, & præter particularium Ecclesiarum curam, propagationem vltriorem Euangelij ad se nihil pertinere iudicassent Episcopi, quos successores reliquerunt Apostoli, nunquam ad tantam magnitudinem regnum Christi peruenisset.* Istud verò, Sarauia, non est argumentari, sed calumniari. Quis enim nostrûm vnquàm dixit, imò cogitauit, particularium Ecclesiarum curam prohibere, propagandi quoduis regni Christi studium, & Christianæ in quoduis charitatis officia? Quod enim rectè veteribus canonibus præscriptum est; vt quisque sua Sparta contentus, aliena non inuadat, in πολυπράγμονας, & ambitiosos turbatores dictum est; nec quidquam ad rem facit: & in eo quoque grauiter falleris, quòd inter Apostolicam auctoritatem, & particularis Ecclesiæ curam, nihil medium statuas.

Had. Saravia.

Si quod disputo calumnia non argumentatio D. Bezæ videtur, vidcat ipse quoque ne hæc sit tergiuersatio, verius quam ingenua responsio. Qui ex sibi negata veritate absurdum infert, non quid dicatur spectat, sed quid consequatur. Obtinet sæpe natura veri, re contrarium eius, quod verbis opinionis errore defenditur. Constitutis siue in oriente siue occidente Ecclesiis, circumcursare, & alienas parochias & prouincias inuadere, carúmque negotiis se immiscere πολυπράγμονος fuit, & ambitiosi hominis. Nemo qui se alicui particulari Ecclesiæ deuinxit, stationem propriã deserere potest, vt aliò pro sua libidine se transferat: tamen quia propagandi Euangelij cura ad Ecclesiam pertinet, deligat oportet viros ad eam rem, quandocùnque alicubi opportunitas erit prædicandi Euangelij oblata. Hos D. Beza Doctores & Pastores tantùm esse vult; ego cum tota antiquitate Episcopos qualis fuit Titus & Timotheus. Nam Pastores particulares Ecclesiæ non creantur, nisi iam constitutis & fundatis Ecclesiis. Qui fundaturus est Ecclesias, superiorẽ esse oportet ijs Presbyteris & Episcopis quos constituet: sic fecêre Apostoli, & sic faciendum patres exemplo docuerunt.

Quod me falli ait D. Beza, quòd inter Apostolicam authoritatem, & particularis Ecclesiæ curam nihil medium statuam; scire vellem, quod illud sit medium. In specie conuenire hæc iudico; si Euangelium prædicet Apostolus, si Euangelista, si Episcopus, si Presbyter vel Pastor particularis Ecclesiæ, nihil magis, nihil minus, à quouis eorum fieri quàm ab alio: similiter in specie hæc conuenire iudico si baptizet Apostolus, si Episcopus, si Pastor; nec hîc magis aut minùs admittitur. Iam si dicam, eminet supra reliquos Ecclesiarum Pastores gradu Apostolus, eminet Euangelista, eminet Episcopus, in specie similiter aio conuenire regiminis, sed non in numero & quantitate. Si varias species cuiquam, vt varios gradus authoritatis hîc facere lubeat; diuersas species referam ad idem genus: atque ita facilè inueniet D. Beza medium inter ὑπάλληλα, aliud ego cogitare nequeo. Et hæc quidem ita poterant considerari quando simul viuebant Apostoli, Euangelistæ & Episcopi: sed mortuis Euangelistis & Apostolis, tota gubernationis Ecclesiasticæ authoritas deuoluta est ad Episcopos, inter quos ijdem gradus permansêre, qui fuerant priùs sub Apostolis & Euangelistis, traditione Apostolica, & omnium Ecclesiarum approbatione.

Had.

HAD. SARAVIA.

Non minus conseruandis & confirmandis Ecclesiis opus est authoritate Apostolica, quam nouis plantandis.

CAPVT XVIII.

SEd cùm non minùs conseruandis & confirmandis Ecclesiis opus sit authoritate Apostolica, quàm nouis plantandis, id nobis quoque videndum est. Nam propter Episcopos, & Archiepiscopos, Primates, & Metropolitanos, qui Apostolis & Euangelistis succesſère, de eo nunc controuertitur.

Sæpè mecum miratus sum, quid doctos & pios viros induxerit, vt crederent Apostolorum & Euangelistarũ in Ecclesia cessare officium: & nullos hodiè esse Pastores, & Episcopos Apostolica authoritate præditos, quibus Presbyterorum fraternitas, in ijs quæ ad bonum Ecclesiæ regimen pertinent subiiciatur: & ita Apostolorum faciunt extraordinariam potestatem, vt deriuata non fuerit ad posteros.

Nam quòd Ecclesia illa nomina non retinuit, non sufficiens est argumentum, vt doceatur cum illis nominibus authoritatem quoque interiisse. Si attendere quis velit postremos dies Apostolorum, & inprimis Pauli, facilè inueniet Apostolicum Ecclesiæ regimen simul cum Apostolis non potuisse interire.

Ex ijs quæ de Paulo sacræ literæ testantur, iudicare de cæteris Apostolis possumus: quos non dubium est Paulo fuisse similes, & vsque ad extremum vitæ spiritum de Ecclesia Christi fuisse solicitos, vbicunque Deo placuit eos ad cœleste regnum ex hac vita euocare. Epistola secunda ad Timotheum ab Apostolo Paulo sub vitæ finem scripta testatur, quam tunc etiam Ecclesiarum habuerit curam: cooperatorum suorum illic mentionem facit, quorũ alios ad varias miserat Ecclesias, alios accersit ad se, quos ad idem ministerium iudicabat necessarios: vt migraturus ex hac vita, de omnibus rebus, quæ ad Ecclesiarum salutem, & ad inchoatam multarũ ædificationem prosequendam pertinebant, eis vltima mandata daret.

Hoc ipsius testamentum, & vltimam voluntatem ipsis committere voluit: quæ vana fuisset, si cum eo Apostolica authoritas interitura erat, aut intra fines cuiusque parochiæ redigenda. Nam omnes, quos illìc Paulus cõmemorat, vt sunt Titus, Marcus, Lucas, Crescens, Tychicus, & ipse Timotheus, & alij quamplures, adiutores Paulo in Apostolatu fuerant, quorum fidei Apostolus pluriũ Ecclesiarum curam commiserat: quam abijcere (cum Dema illo) viuo adhũc Paulo non fuit ipsis integrum, multò minùs ipso mortuo. Hæredes igitur (sicut antè fuerant socij) Apostolici laboris & authoritatis facti sunt.

Alios Apostolos habuisse etiam suos comites, & collegas in Apostolico munere, quibus discedentes ex hac vita, curã Ecclesiarum cum pari authoritate demandârunt, minimè est dubitandum.

Illa porrò authoritas, qua prosequuti sunt opus Domini, non magis cum illis extingui potuit, quàm cum Apostolis, quamdiũ aliqua superstes mansit Ecclesia.

Quemad-

Quemadmodum ipsi succesſerant Apoſtolis, ſuos ſimiliter habuêre ſucceſſores; quibus ſi poteſtatem acceptam ab Apoſtolis ipſi non cõtulerunt, Eccleſia, quæ hæres eſt Apoſtolicæ poteſtatis, contulit.

Sed agè, fingamus non ita eſſe (vt dixi:) reliquerint Apoſtoli Presbyteros & Doctores æqualis poteſtatis, qui tantùm ſingularum Eccleſiarum habuerint curam: & circumſcripta fuerit eorum prouincia limitibus ſuarum Eccleſiarum: quid factum eſt de alijs Eccleſiis, quibus Apoſtoli intercluſi morte, aut ij, qui cum illis Eccleſias gubernârant, ordinare Paſtores non potuerunt? Itáne aptè eorum mors cecidit, vt omnes Eccleſiæ habuerint Paſtores & Doctores, & nullæ reſtarent informes, nimirùm tantùm inchoatæ, ſine Diaconis, ſine Presbyteris, ſine Doctoribus, vt fuerant aliquando Cretenſes Eccleſiæ ſub Apoſtolo Paulo? quis opus inchoatũ proſequutus eſt? an non aliquo Timotheo aut Tito opus fuit qui perficerent quæ reſtabant? Viuis adhûc Apoſtolis ampliſsimam legationem tradi Tito & Timotheo, aliiſque pluribus opus fuit? quid poſt eorum deceſſum? Aut enim deſerendum inchoatum opus ab Apoſtolis, aut proſequendum fuit ab illis ipſis, quos poſt ſe reliquerunt.

D. Theod. Beza. in cap. 18.

AVt nihil video, aut video te paulatìm, ſicut extremo capite tuæ tractationis 16. cùm merè Apoſtolicam authoritatem perpetuam in Eccleſia tueri non poſſes, ad aliquam Apoſtolicæ ſimilem deſcendiſti; ita nunc ab illa Apoſtolica, ad Euangeliſtarum, id eſt, eorum, quos Apoſtoli ei quod ſuſceperant operi perficiendo hûc & illûc miſerunt, vt fuerunt Titus, Marcus, Tychicus, Timotheus, & alij, functionem delabi: quorum ſucceſſores, mutatis quidem nominibus, ſed re ipſa manente, facis Archiepiſcopos, Primates, & Metropolitanos. *Nam*, inquis, *ſi Apoſtoli non alios reliquerunt quam Paſtores & Doctores æqualis poteſtatis, qui tantum ſingularum Eccleſiarum curam habuerint, & circumſcripta fuit eorũ prouincia limitibus ſuarum Eccleſiarum: quid factum eſt alijs Eccleſiis, quibus Apoſtoli, aut ij qui cum illis Eccleſias gubernarant, morte intercluſi ordinare Paſtores non potuerunt? Num enim dixerimus eorum mortem ſic apte euenisſe, vt omnes Eccleſiæ tunc Paſtores & Doctores habuerint? Aut igitur deſerendum fuit opus ab Apoſtolis inchoatum, aut ab illis ipſis quos poſt ſe reliquerunt*, ac deinceps poſt illos etiam mortuos, ipſorum ſucceſſionibus ſerie ſic perpetua, *proſequendum.*

Had. Saravia.

QVod D. Beza erat oblitus, hîc commemorandũ iudicauit: quòd quùm 16. capite merè Apoſtolicam authoritatem perpetuam adſumſiſſem probandam, & id perficere nequirem, ad ſimilem deſcendiſſem: quod an verum ſit, requirat ibi lector, & fallaciam ſimul notet in vocula, *merè*; quâ proprietates & ſingularitates Apoſtolatus 12. virorum ſignificat, quas vbique non obſcuris, ſed claris & perſpicuis verbis excepi, & me tantùm eſſentiam Apoſtolatus intelligere teſtatus ſum, ſitam in forma gubernationis, & authoritate, cum verbi Dei prædicatione, & ſacramentorum adminiſtratione: quæ tria manſiſſe in Eccleſia, cum tota antiquitate defendo. Nunc autem me ait ab Apoſtolica hac poteſtate deſcendere ad functionem Euangeliſtarum, id eſt, eorum (vt interpretatur D. Beza) quos Apoſtoli ei quod ſuſceperant operi perficiendo hûc illûc miſerunt. Quod, quid ſibi velit, non intelligo. Nam delegati & delegantis eadem eſt poteſtas. Poteſtate autem vſos fuiſſe Titum & Timotheum, ſi delegati fuerunt Pauli, illâ eâdẽ, quâ Paulus vſus fuiſſet, ſi illîc præſens adfuiſſet, oportet: delegatus enim non propriã, ſed delegantis iuriſdictionẽ exercet, eiúſq; vicẽ ſupplet. Si ad Euangeliſtarũ D. Bezæ functionẽ deſcendo, ab Apoſtolorũ poteſtate; cùm illa, qua vtebantur Euangeliſtæ, fuerit eadẽ, ab Apoſtolica authoritate ad Apoſtolicã authoritatem me transfero, nec quicquam cauſam D. Bezæ in hac re lædo. Verùm, vt delegare Titum, aut Timotheum, aut alium quemuis Apoſtolum potuiſſe fateor; ita hoc loco non tam de delegatione ago; quàm de tranſmiſſione poteſtatis Apoſtolicæ, & ſucceſſione. Et quæ Titus & Timotheus, alter in Creta, alter in Aſia fecerunt, non nomine Pauli ſed Chriſti, tanquàm ipſius ſerui adminiſtrârunt, tanquàm ei, non Paulo rationem actionum ſuarum reddituri. Huius rei fidem faciunt Epiſtolæ, ex quibus non

bus non legata, sed data potestas intelligitur. Hinc vt in consortium adsumptos fuisse Timotheum,& alios,Apostolici muneris,Paulus Ecclesiis testatum faceret,eorum nomina cum suo coniungit in Epistolarum principijs,& salutationibus. Sed D. Beza totum non videt. Quid obstet nescio: si fortè obscurius sum locutus, ignoscat mihi; nunc eloquar quod restat apertiùs. Apostolicæ potestatis partem; quæ in gubernatione Ecclesiæ sita erat, mortuis Apostolis, totam deuolutam esse ad eos, quos D. Bevocat Euangelistas, ego Episcopos, adserui: & illis quoque mortuis ad alios Episcopos: vt nulla fuerit relicta Ecclesia, quæcunque illa fuit, siuè tantùm inchoata, siuè iam absoluta, quæ suum Superintendentem & Episcopum non habuerit, cum ea potestate, quam habebant Apostoli. Quod enim Titus, Marcus, Tychicus, Timotheus, & alij in Ecclesiis virtute legationis suæ, vel officij potiùs perfecerunt, illud ipsum fuit, quod Apostoli, si aut præsentes adfuissent aut supervixissent, nihilo plùs, minúsve, & eâdem illâ potestate, non aliâ aut diuersâ præstitissent; quâ per successiones decurrisse in hanc vsque diem credo: quamuis eâ multi abusi fuerint.

Ad huius meæ sententiæ probationem, adfero hæc axiomata theologica, nota & extra omnem controuersiam, apud omnes orthodoxos Theologos posita. Primum est, Claues regni cœlorum, hoc est, potestatem ligandi, & soluendi, non tantùm vni datam Petro, sed omnibus Apostolis: & in vnius Petri persona, vel etiam omnium reliquorum Apostolorum, claues illas datas esse Ecclesiæ, quam repræsentabant Apostoli: proindè donum illud non fuisse personale nec temporarium, sed perpetuum, & transmittendum ab Apostolis ad eorum successores. Deindè, Per potestatem hanc clauium, Apostolatus totam intelligo essentiam, quæ tria continet; nempe verbi Dei doctrinam, sacramentorum administrationem, & Ecclesiasticum regimen; hoc est, potestatem constituendi ea, quæ ad Ecclesiæ eutaxiam, & ædificationem sunt necessaria. Præterea, Hanc potestatem quùm habeat Ecclesia potiùs ampliorem, quàm restrictiorem eâ, quam singuli habuêre Apostoli; quas partes Paulus potuit mandare Tito & Timotheo, multò magis Ecclesia olim potuit, & hodiè potest, & semper poterit committere Primatibus, & Archiepiscopis, & Metropolitanis: sicut factitatum à sanctissimis Patribus, & generalibus illis primis Conciliis, in hunc vsque diem videmus.

Claues autem si quis dubitet in Petro datas Ecclesiæ, audiat Augustinum de baptismo contra Donatistas differentem 17. cap. libr. 3. *In typo vnitatis Petro Dominus dedit potestatem, vt id in cœlis solueretur, in terris quod ille soluisset.* & 18. cap. *Accipite spiritũ sanctum: si cuius remiseritis peccata, illi remittuntur, si cuius retinueritis, tenebuntur illi. Ergo si personam gerebant Ecclesiæ, & sic hoc eis dictum est, tanquam ipsi Ecclesiæ diceretur. Pax Ecclesiæ dimittit peccata; & ab Ecclesiæ pace alienatio, tenet peccata.* Idem pater tractatu 50. in Iohannem. *Si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, & non ei diceret Dominus, tibi dabo claues regni cœlorum,* &c. posteà, *Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit.*

Cyprianus Martyr in Epistola ad Cornelium idem ait, *Petrus autẽ, super quẽ ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnius pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens, ait, Domine ad quem ibimus? &c.* alio loco, *Ego dico, quia tu es Petrus, & super istã Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solueris supra terram, erunt soluta & in cœlis. Indè per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdẽ præpositos gubernetur. Cùm hoc itaq; diuina lege fundatũ sit, miror quosdam, &c.* Idem ad Iubaianũ, *Ecclesia quæ vna est, & super vnum, qui & claues eius accepit, Domini voce fundata est. Hæc est vna qua tenet & possidet omnẽ sponsi sui & Domini potestatem, in hac præsidemus, pro honore eius, atque vnitate pugnamus: huius & gratiam pariter & gloriam, fidei virtute defendimus.*

Hîc audimus quid Patres docuerint de clauibus traditis Apostolis, & in Apostolis Ecclesiæ. Indè per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinationes decurrere, & hoc diuina lege fundatum. Et Ecclesiam possidere omnem sponsi sui & Domini potestatem. Vndè manifestò constat, Apostolicam gubernandæ Ecclesiæ non interiisse

interiisse cum Apostolis potestatẽ: vtpotè quæ ipsis solis data cũ non possit intelligi, sic nec alia forma regendi ipsis propria Apostolis, alia eorum successoribus eodẽ verborum schemate mandata non debet fingi. Dico igitur Apostolos, migraturos ex hac vita, suas vices mandâsse Episcopis: (nam mihi Titus & Timotheus Episcopi sunt, sicut fuêre Patribus:) sed, postquàm ita placet D. Bezæ, Euangelistis, vt quæ reliqua erant, perficerent: vt de nomine nulla ei mouebitur lis: cùm Episcopos dici Apostolos ex Pauli Epistolis notum sit.

2. D. THEOD. BEZA.

SEd quid hic agis? Nam si res ita se habet, id est, si tantùm absoluendi operis ab Apostolis & Euangelistis inchoati causâ, functio Euangelistarum, mortuis Apostolis, fuit continuanda, saltem illas accipies, quæ fuerunt viuis istis Apostolis, quod ad structuram ipsam attinet, perfectè exædificatæ. Ipsosnè verò Euangelistas dicemus nullius Ecclesiæ ab Apostolis inchoatæ, & sibi commissæ structuram absoluere ante mortem potuisse? Hoc sanè nimis absurdum est. Ergo, & istæ Ecclesiæ, si firma tua est ratio, non fuerint ex earum numero, quæ ista Euangelistarum peculiare potestate, & auctoritate indiguerint. Quid si verò etiam isti, quos tu ais Euangelistis illis successisse, aliquas Ecclesias adhûc informes, id est, vt tu ipse interpretaris, sine Pastoribus, sine doctoribus, sine Diaconis reliquerint, quibus ad nostra vsque tempora exædificandis necessarij sunt isti Archiepiscopi, Primates, & Metropolitani? Sanè si ita est, ad illum demùm Ecclesias, si nominare illas potes, istos relegari oportuerit, & ad istas exædificandas, aut nouas plantandas illos mitti, non autem in iis, quæ perfectæ censentur, retinendi.

HAD. SARAVIA.

DVabus præsertim de causis cùm Apostoli in regimine Ecclesiæ vices suas mandârunt Episcopis & Euangelistis; alteram D. Beza impugnat, quùm ait admirans, *Sed quid agis?* Ei ego respondeo: non tantùm operis imperfecti perficiendi causâ, potestatem suam delegâsse, aut demandâsse, vel cõmunicâsse alijs Apostolos, sed etiam cõseruandi: quocirca nullas excipio, nec excepi Ecclesias. Quod quærit præterea, an Euangelistæ nullius Ecclesiæ inchoatæ ab Apostolis, & ipsis commissæ, structuram absoluere potuerint? Quis negat? absoluerint. Quid indè? tunc cessâsse Euangelistæ officium? Negabo. Et quemadmodum si ad millesimum, & vltrà vixissent Apostoli annum, semper Ecclesia eorum habuisset opus curâ & vigilantiâ regi: idem de solicitudine eorum, qui Apostolis in eorum successêre labores, dicendum. Quid hîc agit. D. Beza? serióne argumentari dicam, an tergiuersari? Legito tu, candide lector, caput 18. libri mei; & confer cum hac D. Bezæ disputatione, ac sic de nobis, vt inueneris, iudica. Deploranda profectò res est, in re tam aperta, tantum virum hallucinari, cum eorum omnium periculo, qui ei propter singularem ipsius eruditionem ita sunt addicti, vt tutò se posse putent sequi, quicquid probauerit; & reiicere, quicquid ei displicuerit.

3. D. THEOD. BEZA.

IMò vero, inquies, in iis, quæ posteà desolatæ sunt, instaurandis, & postquàm instauratæ sunt, confirmandis, hac ipsa Euangelistarum auctoritate opus est. Hoc verò nunquàm probabis, cùm ipsa experientia nostrorum temporum contrarium euincat, vt paulò antè pluribus ostendi. Imò inter tot Ecclesias nostris temporibus, Dei beneficio, instauratas, quam tandem mihi ostenderis à suis illis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Metropolitanis, ab Antichristi tyrannide assertam? Duos ego quidem in Germania Archiepiscopos Colonienses hoc tentâsse comperio; sed vsque adeò irrito conatu, vt suo etiam Archiepiscopatu ideò exciderint. Quòd si nunc Anglicanæ Ecclesiæ instauratæ suorum Episcoporum & Archiepiscoporum auctoritate suffultæ perstant (quemadmodùm hoc illi nostrâ memoriâ cõtigit, vt eius ordinis homines non tantùm insignes Dei martyres, sed etiam præstantissimos Pastores ac Doctores habuerit) fruatur sanè ista singulari Dei beneficentia, quæ vtinam sit illi perpetua: qua de re pluribus in caput 25. agemus.

HAD. SARAVIA.

EXperientia nostrorum temporum si D. Bezam moueret, mihi hoc loco non obstreperet. Gallia habuit Episcopos ab Euangelij doctrina non alienos, & plures fortè haberet, & habuisset, si Theologorum morositas impedimento non esset: qui dum non tantùm superfluas, sed etiam pernicosas controuersias mouent, pessimè cõsulunt Ecclesiæ. Quod duorum Archiepiscoporum conatus non successit, nihil contra me arguit: benè successisse potuit, si Deo placuisset. Si de re quapiam ex successu iudicandum est, damnabitur quicquid in Gallia & Belgio, parùm feliciter ab ipsis Euangelij Ministris, qui non minùs D. Bezâ nomen & officium Episcoporum detestabantur,

bantur, factum est. Repurgata in hoc Angliæ regno, bis Ecclesia fuit ab idololatria & tyrannide pontificia (idque sine vlla intrinseci afflatus extraordinaria vocatione) per illos ipsos, qui priùs in clero pontificio cuiusuis gradus & ordinis censebantur: quibus certè, quamuis eos hoc loco D. Beza commendare videatur; hac tota disputatione, & in plerisque alijs suis scriptis, non vulgarem iniuriam facit. Quod si me calumniari queratur, sint lectores iudices.

HAD. SARAVIA.

Eusebij historiæ Ecclesiasticæ testimonio, præcedens caput confirmatur.

CAPVT XIX.

EVsebius hac de re, Ecclesiasticæ historiæ lib. 3. cap. 4. sic scribit. Quod vero Paulus gentibus verbum Dei prædicarit, quodque Ecclesiarum fundamenta ab Hierusalem & eius finibus vndique ad Illyricum vsque fecerit, non solum ex suis ipsius vocibus, sed etiam ex libro Lucæ, qui Acta Apostolorum inscribitur, satis perspicuum est. Porro quibus in prouincijs Petrus *Christi* Euangelium, his qui erant ex circumcisione adnunciarit, nouumque testamenti sermonem tradiderit, ex sui ipsius verbis, petitis ex Epistola illa, quam illius vere esse, omniumque approbatione consummatam fuisse diximus, quam deniq; Hebræorum stirpe oriundis, qui dispersè & vage Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, & Bythiniam incoluerunt, scripsit, satis euidenter & aperte cōstat, &c.

Ibidem. Quot vero, & quinam veri & ingenui horum Apostolorum imitatores facti, satis habiles & idonei ad Ecclesias, quas isti fundauerant, pascendas, regendasque, æstimati fuerint, dictu certe non est procliue, solis illis exceptis, quos aliquis fortasse ex Pauli scriptis obiter possit colligere. Eodem accedit Lucas, qui discipulos Pauli, dum in Actis eos enumerare contendit, nominatim percenset. Ex quorum numero fuit Timotheus, qui Ecclesiæ, quæ est Ephesi, primus Episcopatum obtinuisse traditur. Titus itidem, qui Ecclesiis quæ sunt in Creta præfuit, &c.

Ibidem. Ex cæteris Pauli comitibus & discipulis, vnum fuisse Crescentem, quem in Galatiam profectum Paulus ipse testatur; alterum Linum, quem in secunda ad Timotheum Epistola, simul cum illo Romæ versatum memorat; quemq; primum post Petrum in Romanæ Ecclesiæ Episcopatum sorte delectum, supra demonstrauimus: alterum Clementē, qui Romanæ Ecclesiæ tertius constituebatur Episcopus, quem Paulus cooperatorem suum, & concertatorem in Domino fuisse testimonio confirmat.

Adde his Areopagitam illum, Dionysium nomine, quem in Actis Apostolorum post Pauli concionē in Areopago, apud Athenienses habitā, ad fidem conuersum fuisse, Lucas in Actis Apostolorū scribit, quemq; primū Ecclesiæ

Athenienſis Epiſcopum deſignatum, alius quidam Dionyſius Eccleſiæ Corinthiorum Paſtor, ſcriptor ſane perantiquus, narrat.

Idem Euſebius lib. eodem. ca. 31. Et præter iſtos alij complures erant, eadē ætate percelebres: qui quidē & Apoſtolis proxime ſucceſſerunt, & tanquam diſcipuli tantorum, & tam inſignium virorum, eximia & diuina virtute decorati, Eccleſiarum fundamentis ab Apoſtolis vbique locorum præclare iactis, ſtructuram concinnam illam quidem adiunxerunt: qui & plenius cumulatiuſque amplificarunt prædicationem verbi diuini, & ſalutaria regni cœlorum ſemina fuſe lateque per vniuerſum orbem diſſeminarunt. Etenim plerique omnes diſcipuli, qui eo tempore vixerunt, ardentiori ſapientiæ cœleſtis ſtudio, amoreque incenſi, & præ quodam diuini verbi deſiderio animis perculſi, præceptum Seruatoris antea traditum exquiſite executi ſunt: & his qui indigebant, facultates ſuas libenter impertierunt. Deinde a domiciliis ſuis peregre profecti, munus obierunt Euangeliſtarum, atque iis, qui ne adhuc quidē omnino verbum fidei audiuiſſent, Chriſtum prædicare, & ſcripturas ſanctorum Euangeliorum tradere omni cura, & cogitatione ſtuduerunt. Qui cum in locis quibuſdam peregrinis fidei duntaxat iecciſſent fundamenta, Paſtoreſque alios conſtituiſſent, illiſque curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Chriſti ſedulo excolendorum commiſiſſent, ipſi ad alias regiones genteſque, cum gratia & virtute diuina ſe contulerunt. Quippe virtutes permultæ admirabiles, & miracula, ſacroſancti ſpiritus ope, per eos ad id vſque temporis gerebantur: Ita vt frequens hominum multitudo, ipſa prima prædicationis auditione perſuaſa, propenſo ſtudio pietatem, & cultum, qui DEO omnium rerum opifici ſoli debetur, animis exciperet, amplecteretur-que.

Hæc Euſebius. Exempla particularia ex eodem authore, & alijs Eccleſiaſticis hiſtoriis hûc adferre poſſem Epiſcoporum, quos Eccleſiæ diuerſis temporibus ad gentes conuertendas miſerunt: quibus neceſſariò par eſſe debuit authoritas ei, quam Titus & Timotheus acceperant ab Apoſtolo.

Quod ad aſylum extraordinariæ vocationis quidam confugiunt, quandò iſtis vrgentur rationibus, rationem nullam habent. Ordinario in Eccleſia conſtituto miniſterio, peſsimo exemplo allegatur extraordinarium, niſi certa fides de eo poſsit fieri.

Statum igitur Eccleſiarum totius orbis, quis fuerit quandò hinc migrârunt Apoſtoli, ſi paulò attentiùs conſideremus, inueniemus relictas pleriſque in locis Eccleſias benè formatas, quibus nihil deerat, hoc eſt, quæ vnum ſuum habebant Epiſcopum, vt erant ſeptem Aſiaticæ Eccleſiæ, quas ſpiritus Domini in Apocalypſi alloquitur: & alias informes adhûc, & in prima ſua infantia, quibus deerant multa, aliis plus, aliis verò minus, pro ratione temporis & loci, ac hominum multitudine aut paucitate, qui Chriſto nomen dederant.

Et præterea innumera fuiſſe loca, quæ adiri ab Apoſtolis non potuerunt, vbi nullæ erant Eccleſiæ, certum eſt. Quæcunque autem erant, quales quales erant, ab Apoſtolico regimine omnes dependebant: cui ſi nemo ſucceſsit cum eadem authoritate, veluti viduas & pupillos relictos fuiſſe conſequens eſt: quod abſurdum eſt dicere. Sin mutatam fuiſſe regiminis rationem dicimus, cui ſub Apoſtolis aſſueuerant; id ſine pernicie Eccleſiarum fieri non potuit.

Hinc ego infero relictam ab Apoſtolis authoritatem Apoſtolicam ſuis ſucceſſoribus, quos præfecerant pluribus Eccleſiis: idq; tum illis cõfirmandis quæ plenè formatæ

formatæ erant, tum perficiendis illis, quæ restabant informes, atque etiam propagandis nouis, vbi nulla erant. Et hæc est causa, cur breui Paulus è vita migraturus, misit Crescentem in Galatiam, Titum in Dalmatiam, & Timotheũ accersit cum Marco, quem vtilem & necessarium in Ecclesiæ ministerium iudicauit.

Quemadmodùm vitam relicturus Dominus, discipulis suis prospexit; sic Apostoli in posterum consuluerunt Ecclesiis, quas fundârant & collegerant, & colligendas ex gentibus restare nouerant: aliâs, tanta incrementa nunquàm post Apostolos Ecclesia accepisset. Deplorandum est, hunc zelum Apostolicum hodiè ita refrixisse, vt nemo cogitet de propagãdo Euangelio inter nationes à fide Christi alienas.

Quamplurima igitur Ecclesiæ inchoatæ, cùm relictæ fuerint ab Apostolis, & plures adhûc inchoandæ, quæ fuit ipsis à Domino data potestas, opus illud ab ipsis inceptum cõuersionis gentium prosequendum fuit. Vndè necessariò consequitur, illam Apostolicam potestatem à Domino datam Apostolis ad Ecclesiæ ædificationem, remanere in Ecclesia: & illas partes Apostolicæ gubernationis, quemadmodùm olim datæ sunt certis quibusdam Episcopis, dandas esse hodiè, vbi datæ non sunt, & relinquendas vbi iam eam Episcopi obtinent. Si quis in illo ordine reformationem desiderat, ei ego non aduersor. Dispositionem huius potestatis Ecclesia Pastorum habet, sicut semper habuit; ita tamen, vt cui Deus magistratum Christianum dedit, is non excludatur. Ipsi enim sunt illi seniores, quorum in Bibliis tam crebra fit mentio, quos antiquitùs adiunctos fuisse Sacerdotibus, & Leuitis, in rebus grauioribus legimus: instar enim sunt totius populi.

1. D. THEOD. BEZA. in cap. 19.

QVorsùm verò nobis ista ex Eusebio, quasi contra nos faciant? Nihil enim narrat aliud Eusebius, quàm Euangelistarum ab Apostolis missorum summam fidem ac diligentiam, de qua nunquàm dubitauimus. Sed & fuisse quoque posteà excitatos strenuos illorum imitatores, cur negauerimus, quòd superstitibus adhûc Apostolis, & ijsdem neque consultis neque conscijs, factum legimus, Actor. 8. 14. & 11. 20. & 22.

HAD. SARAVIA.

QVorsùm verò vobis ista? Iudicet candidus lector; & an nihil contra vos faciant, esto quorumuis iudicium. Nihil enim me de successoribus Apostolorum qui illos proximè secuti sunt scripsisse arbitror, quod non sit penè ad verbum indè desumptum. Si nihil hæc contra Bezam faciunt, nec ea quæ scripsi: tamen illa præterit, & mea oppugnat. Quid ibi narrat Eusebius, lector quiuis intelligere per se potest: non eget me, nec D. Bezâ monitore. Sed hoc præterire nolo, quod ex Act. 8. cap. 14. & 11. cap. 20. 22. D. Beza contendit (quàm verè, & quàm prudenter ipse viderit) quosdam prædicâsse Euangelium, neque consultis, neque conscijs Apostolis. Vt extraordinariam suam vocationem D. Beza confirmet, ordinariam euertit & labefactat: qui ex illis locis nihil aliud doceatur, quàm propagationem Euangelij in locis ibi notatis, ad aures peruenisse Ecclesiæ & Apostolorum, qui erant Hierosolymis. Mirum, quia mentio nulla fit missionis aut ordinationis eorum, qui prædicauerunt Euangelium, audere quenquam inferre non fuisse missos; si non ab hominibus, saltem à Deo, qui præter Apostolos, eo modo quo Apostolos, plures misit in messem suam operarios, Prophetas, & Euangelistas, quales fuerunt Philippus, & Barnabas. *Quomodo prædicabunt* (inquit Paulus) *nisi mittantur?* Parùm suorum præceptorum memor D. Beza videri potest, qui tum demùm locum esse censet extraordinariæ illi spiritus interni afflatus vocationi, quando nullus est ordinariæ vocationi locus: quod de illo tempore dici non potest.

2. D. THEOD. BEZA.

AT nulla hîc mentio neque vocationis per Ecclesiam, neque ordinationis: & istos narrat Eusebius ardentiore sapientiæ cœlestis studio, & quodam diuini verbi desiderio animis quasi extra se abreptos, & sic demùm è domiciliis suis egressos, munus Euangelistarum obiisse.

HAD. SARAVIA.

NEscio quò illud; *At nulla hîc mentio neque vocationis per Ecclesiam, neque ordinationis*; an ad eos, quos notauit ex Actis Apostolorum, an ad eos, quorum Eusebius meminit, an ad vtrosque: quocirca præter illud q̃ iam respondi, addo, an Eusebius ordinationis ac missionis faciat mentionem nécne, eorum, quos officio Euangelistarum functos fuisse narrat, cõsulant lectores authorem; & quid indè colligi possit, ipsi iudicent. Quomodò Presbyteros, & Pastores in Ecclesiis ordinare potuerunt, & manus imponere, qui ipsi ordinati non erant, nec manuum impositionem ab aliis acceperant? Paulus non id docuit, nec Timotheus. Si D. Bezæ id verisimile est, quia desertis verbis non est scriptum; idẽ de Tito dicat, & alijs, quos ad opus Domini sibi adiutores adsumpserunt, nec eis impositisse manus leguntur Apostoli, & Pastores tamen fuisse constitutos constat. Fallax est argumentatio à non scriptis, negando. Ab effectis intelliguntur causæ, etiam si non sunt adscriptæ. Prædicârunt verbum Dei, ergo erant missi: ordinârunt Presbyteros, ergo erant Episcopi. Sic ego argumentari didici.

3. D. THEOD. BEZA.

IMò nostrâ quoque memoriâ non paucos vidit Gallia eodem plane Dei spiritu (sicut & illorũ doctrina & mores, ipse denique beatissimus exitus declarauit) non dissimiliter opus Dei aggressos, quod ne nunc quidem vlla persequutionum seuerissimarum tempestas deiicere potuit. Sed ex istis mirificè & extra ordinem factis, quanam tandem ratione Apostolicæ illius, vel Euangelistarum potestatis & authoritatis ordinariam perpetuam successionem elicueris.

HAD. SARAVIA.

EXempla eorum qui in Gallia Dei opus aggressi sunt, & hîc à D. Beza cõmendantur, nominatim cognoscere vellem. Nam vt antè testatus sum, nullius eorum extraordinariam vocationem aut missionem ad illud opus agnosco legitimam; tantum abest vt ex ea Apostolicæ potestatis & authoritatis ordinariam & perpetuam successionem eliciam. Martyrum nostrorum historias legi, & aut perquam raros, aut nullos tales notaui. Successionem Apostolicæ potestatis perpetuam, in ordinaria Episcoporum & Presbyterorum, vel Ministrorum Euangelij & Pastorum constituo vocatione. Quia in Ecclesia vnum tantum Apostolatum, & vnum tantum Episcopatum, aut (vt verbis modernorum scriptorum vtar) vnum tantùm Euangelij Ministerium, in vna seruatoris nostri Ecclesia didici. Quod etsi in circumstantiis aliquam varietatem accipiat; in re nullam admittit.

4. D. BEZA.

NEque verò nobis hîc curiosè inquirendum puto, num ad omnes gentes peruenerint Apostoli, nec etiam nunc magnoperè nobis de legatione ad remotissimas aliquas gentes laborandum, quùm nobis domi & in propinquo sit satis, superque quod nos & posteros nostros exerceat. Has igitur potiùs tam longinquas peregrinationes, locustis illis, ex abysi puteo nuper egressis, sacrosanctum Iesu nomen ementientibus relinquamus, de quibus in Pharisæorũ persona loquens Dominus, Matth. 23.15. *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quoniam circuitis mare & aridam vt faciatis vnum Proselytum: & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo magis, quam vos estis.*

HAD. SARAVIA.

RESponsionem huiusmodi à D. Beza non expectabam, nec à quoquam Theologo, cui Euangelij propagatio cordi sit, vt esse debet. Scribarum, & Pharisæorũ, atque eorum qui in hypocrisi eos successerunt, præposterus zelus, ignauiam eis qui Euangelium Christi profitentur, exprobrat: & licubi etiam in remotissimis terræ partibus Euangelij nuntiandi est opportunitas, illum ardorem gloriæ Dei & salutis hominum promouendæ refrixisse, qui olim fuit in Patribus. Nusquàm Dominus culpauit, Scribas & Pharisæos Deum & veri Dei cultũ docuisse ethnicos, sed q̃ conuersos

duplo

duplo nequiores redderent, quàm ipsimet erant. *Neq; vero nobis hic curiosè inquirendum* (inquit Beza) *puto, num ad omnes gentes pernenerunt Apostoli.* Curiositatem hanc non probo, nec quidquam magnoperè ad nos referre arbitror: præstiterunt Apostoli quod in ipsis fuit. Sed vbi verisimile est, nunquàm prædicatum fuisse Euangelium, aut si prædicatū fuit nulla est memoria, delegatione ad illas licet remotissimas gentes Ecclesiis Christi magnoperè non esse laborandum, si opportunitas adsit, & spes conuersionis, adserere iudico impium, & ab omni Christiana charitate alienum: modò qui id promouent, eam rationem conuertendi ignaros nostræ fidei non sequantur, quam Hispani tenuerunt, sed quam Dominus noster docuit.

HAD. SARAVIA.

Consensu totius orbis Ecclesiarum, probatur Archiepiscoporum supra Episcopos authoritas.

CAPVT XX.

Vodinde ab Apostolorum temporibus, à patribus per vniuersum terrarum orbem factum in omnibus Ecclesiis legimus vsque ad nostra tempora, canonem Apostolorū immutabilem esse iudico. Non parua res est abrogare, quod tanto, tam vniuersali consensu receptum fuit: à quo recessisse, præterquàm quod temerarium est, cladē maiorem Ecclesiæ adfert, quàm multi suspisentur, cui subueniri posteà non poterit. Inter vetustos canones qui propter antiquitatem dicuntur Apostolorum, legimus eum qui hîc sequitur: Τὰς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν τι περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης, ἐκεῖνα δὲ μόνα πράττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει, καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις. Ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος, ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι, οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσαι, καὶ δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι. Episcopos singularum gentium scire oportet, quis inter eos primus sit, qui habeatur veluti caput, præter cuius sententiam, nihil quod maioris momenti sit, agant; sed illa tantum quis agat, quæ ad ipsius parœciam, & ad villas quæ ei subsunt, pertinent. Sed nec illæ præter omnium conscientiam quicquam faciat: sic enim vnanimitas erit, & Deus glorificabitur per Dominum in spiritu sancto.

Hic canon, paulùm mutatis verbis, in Antiocheno Concilio renouatus est, his verbis, Τὸς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπὶ ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς πράγματα ἔχοντας, ἄθεν ἔδοξε, καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδὲν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ τοῦ ἀρχαίου κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κάνονα, ἃ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ, καὶ ταῖς ἐπ' αὐτὴν χώραις. ἕκαστον γὰρ ἐπισκόπου ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας, διοικεῖν τε κατὰ τὴν ἑκάστῃ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν καὶ προνοίαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας τῆς ὑπὸ τὴν ἑαυτοῦ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καὶ κατὰ κρίσιν ἑκάστα διαλαμβάνειν. πραιτέρω μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου: μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης. Episcopi qui sunt in singulis prouinciis

ciis scire debent, eum qui Episcopus in Metropoli præest, curam etiam totius prouinciæ gerere, propterea quod in metropolin vndique concurrunt qui habent negotia. Quare visum est, vt ipse honore reliquis antecellat, & alij Episcopi nihil, quod maioris sit momenti, sine ipso gerant, secundum veterem decretum Patrum nostrorum, sed ea sola quæ ad cuiusque parœciam, ipsique subiectas regiones pertinent. Vnusquisque enim Episcopus habeto potestatem suæ parœciæ, eamque pro sua quisque pietate administrato, & curã habeat totius regionis, quæ suæ vrbi subiecta est, vt Presbyteros creet, & Diaconos, & cum iudicio omnia disponat. Præterea nihil agere tentet sine Metropolis Episcopo, neque ille ipse sine reliquorum sententia.

In hoc canone renouato, duo obserue: primum est, canonis vetustas; alterum Metropolis Episcopo non semper hanc fuisse cõmissam prouinciam, quando causa additur, cur ad Episcopũ metropoleos potiùs, quã ad aliũ quemuis deferendæ sint controuersiæ Ecclesiasticæ, cuius cùm non meminerit canon Apostolicus, Metropolis ratione non videntur semper habuisse primi veteres. Vetustatẽ huius consuetudinis declarat 7. c. Niceni cõcilij. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει. ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῇ ἐν Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθες ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον: *id est*, Antiqua cõsuetudo valeat, quæ in Egypto, Libia & Pentapoli fuit, vt Alexandrinus Episcopus super hæc omnia excellentiã, summamque dignitatẽ habeat: quoniã & Romano Episcopo hæc ipsa cõsuetudo est. Similiter autẽ & apud Antiochiã, & in cæteris prouinciis, Primatus, dignitas, amplitudo, authoritas ecclesiis cõseruetur. Illud autẽ omnino cõstat, quod si quis sine cõsensu Metropolitani fiat Episcopus, hunc magnum cõciliũ definit Episcopũ esse non oportere. *Hactenùs Canon: quem pluribus aliorũ conciliorum canonibus, & historiis Ecclesiasticis cõfirmare haud est difficile: ex quibus, quæ fuerit omnium veterum Patrum de hac re sententia, liquet.*

Quòd aliqui putant Patriarchas & Archiepiscopos primùm creatos à Niceno, aut, vt alij volunt, à Constantinopolitano primo, est error. Nam Nicenum concilium, quod coactum fuit circa 20. annum imperij Constantini magni, nihil noui se constituere testatur, quandò iubet veterem consuetudinẽ retineri. Nouum non erat vnum aliquem Episcopum authoritatem habere supra cæteros suos fratres, certis legibus terminatam.

Quòd nonnulli disputant, multis præesse Ecclesiis diuersarum ciuitatum, & prouinciarum, & curam earum habere, Apostolici & Euangelici esse muneris, & eundem simul esse Apostolum & Euangelistam & Episcopum non posse, quòd distincta sint munera: eis responderi potest, Neminẽ ante nostra tempora ita sensisse aut scripsisse. Patres quod acceperant à suis maioribus, testatũ in suis scriptis reliquerunt, Iacobum Apostolum à cæteris fuisse constitutum Episcopum Hierosolymitanum. Quæ res causam iustam & necessariam habuisse videtur, nimirùm Ecclesiarum necessitatẽ. Nam cùm ea mater esset omnium Ecclesiarum, & ex vniuerso orbe Iudæi eò confluerent, non debuit non habere Apostolum, quamdiu licuit, præsidem, qui ad consulta fratrum in controuersiis, quæ quotidiè incidere poterant, responderet. Aliâs circumuagari per varias gentes, & Euangelium prædicare, certum est Apostolici esse muneris: vt consistere vno in loco non potuerint, nisi quatenùs cogebat necessitas.

Quem-

Quemadmodùm igitur Apostoli officio functi sunt Episcopi, quandò vnius Ecclesiæ curam peculiarem susceperunt, id vniuersalis Ecclesia postulante necessitate, nec quidquam æstimârunt alienum fecisse à sua vocatione Apostolica, aut eam confudisse cum Episcopali: ita similiter quod propriè ad Apostolos pertinebat, Episcopis fuisse mandatũ, non debet censeri à ratione alienum, cùm id exigat bona Ecclesiæ gubernandæ ratio, sicut in Tito & Timotheo scimus fuisse factum.

Sed cùm canon iubeat antiquam consuetudinem obtinere locum, non institutionẽ diuinam: illa Patriarcharum potestas consuetudine quadam irrepsisse in Ecclesiam videtur, potiùs quàm diuina ordinatione, aut Apostolica traditione. Respondeo, Canonem non negare ab Apostolis, Ecclesiæ relictam esse potestatem gubernandi Ecclesias Apostolicam: sed vt præter cæteros hi aut illi eam habeant, nempè Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolimitanus, & Romanus, consuetudinis & dispositionis fuisse Ecclesia. Nõ enim illi Episcopi proximè à Deo Apostolicam accepêre authoritatem, quemadmodùm Apostoli, sed ab Ecclesia, & per Ecclesiam: quæ sicut alligata non est certis locis aut Episcopis; ita nec authoritas Apostolica, vt ob iustas causas non possit transferri.

Concilium Nicenum, aut aliud simile, potuit Patriarchatum Romani Episcopi transferre aliò, & Rauenati aut Aquilienſi, iusta de causa, si qua fuisset, eum committere Episcopo. Item dico de Antiocheno & Alexandrino. Hanc potestatem se habere Episcoporum concilia satis demonstrârunt, quandò in omnibus Romano Episcopo parem fecerunt Cõstantinopolitanũ. Vnde satis apparet prærogatiuam Apostolicæ potestatis, non successionibus, sed vrbium cõmoditati fuisse datam. Quod igitur canon consuetudini tribuit, non tollit institutionẽ diuinam.

Sed vt redeam ad proximos successores Apostolorum, & Euangelistarum, Titum, Timotheum, & cæteros, quos sacræ literæ cõmemorant adiutores assumptos ab Apostolis: fuisse Episcopos & plurib. præfectos Ecclesiis, vetus traditio habet. Nihil enim hæc inter se pugnant, Episcopum agere, & Apostoli ac Euangelistæ opus exequi. Idem munus Episcopi, & Apostoli esse, nisi quòd huius quàm illius sit amplius, latiúsq; pateat, cõmunis patrum sententia est. Cypri. Epist. 10. ita scribit, Meminisse autẽ diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & præpositos Dominus elegit: diaconos autem, post ascensum Domini incœlos, Apostoli sibi constituerunt. *Hæc Cyprianus: ex cuius verbis intelligimus Episcopatum esse Apostolatum, sicut Apostolatus Episcopatus quidam est. Apostolus Petrus in Actis, Apostolatum Iudæ vocat Episcopatum. Similiter Augustinus:* Nam nemo ignorat Episcopos saluatorẽ Ecclesiis instituisse. Ipse enim priusquam in cœlos ascenderet, imponens manũ Apostolis ordinauit eos Episcopos. *Et Ambrosius in locum 4. ca. Epist. ad Ephesios, vbi Apostolus ait dans Ecclesiæ quosdam Apostolos, ita scribit;* Apostoli Episcopi sunt, Prophetæ vero sunt explanatores scripturarum; qui ordo nunc potest esse Presbyterij, nam in Episcopo omnes ordines sunt: quia primus sacerdos est, hoc est, princeps est sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, cætera ad implenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.

Theodoretus in prima ad Timotheum, ca. 3. Eosdẽ olim vocabant Presbyteros, & Episcopos. Eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Procedente autem tempore Apostolatus nomen reliquerunt eis, qui vere erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem imposuerunt eis, qui olim appellabantur Apostoli. Ita Philippensium erat Apostolus Epaphroditus, & cita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus. *Hæc Theodoretus.*

Patres

Patres verò, qui ætatem Apostolorum sequuti sunt, regiminis formam acceptam ab Apostolis mutandam non iudicârunt: quod certè fecissent, si temporariam Titi & Timothei regiminis formam, & extraordinariam, credidissent. Neque enim verisimile est, Timotheum, & Titum, aliósque quibus per vniuersum orbem similis prouincia ab Apostolis tradita fuerat, id ignorâsse. Augustinus exponens illud Psalmi 44. Pro patribus nati sunt tibi filij, *docet Episcopos successisse Apostolis. Nisi veteres habuisse Episcopos, & Primates, indè ab illis primis Apostolorum temporibus negare, esset impudentiæ, & rem manifestam probare, superflua cuiusdam diligentiæ, pluribus citandis Patribus immorarer.*

Sed hoc non controuertitur. Quæritur enim, vtrùm diuinus an humanus sit Episcoporum ordo, qui consuetudine magis, quàm dominica institutione irrepserit in Ecclesiam. Ex confessis igitur controuersa diiudicemus.

D. THEOD. BEZA. ad caput 20.

PRimùm hic nouerit lector, vitandam trium vocum, quibus hîc vteris, homonymiam, vt qua de re inter nos controuertatur, perpetuò meminerimus. Nam tu quidem Episcopũ appellas, eum, qui præest alicui pastorum cœtui. Presbyterorum vero nomen tribuis Pastoribus: & auctoritatis voce superiorem gradum cum imperandi iure coniunctum. Nos verò omnes Pastores vocamus Episcopos: Presbyteros autem τοὺς ἡγουμένους, Pastoribus in senatu Ecclesiastico adiunctos: auctoritatis denique vocabulo si vtimur, in hoc quidem argumento nihil aliud intelligimus, quàm primi in sacro cõcessu loci dignitatem, cum regendæ communis actionis iure, sine vllo in cæteros considentes imperio. Nam alioqui Pastoribus supra greges auctoritatem in nomine Domini imperandi tribuimus, nec functiones sacras inter se, vt sæpe iam dictum est, exæquamus.

HAD. SARAVIA.

HOmonymiam trium vocum vitandam notat D. Beza, si hoc cauere vult, ne ipsum malè lector interpretetur, & alio modo capiat, quàm ipse cogitauit: Benè quidem, pro iure id suo facit, qui Episcopi & Presbyteri vocabula, à recepta significatione ad alias nouas transtulit. Quod me attinet, quiuis lector, qui modo latinè intelligat, facilè est intellecturus quos vocem Episcopos, quos Presbyteros, quos Pastores: ænigmata nulla proposui, nec vocabulorum ambguitate lusi, aut cuiquam imposui; apertè & perspicuè loquor. Sed ferre non debeo, vt vocabulum Episcopi D. Beza alio modo interpretetur, quàm ego accipio, & passim ab omnibus scriptoribus omnium ætatum accipitur; nempè pro eo, qui præest alicui Pastorum cœtui. Quæ interpretatio noua est, & à D. Beza ficta: sicut quod dicit Episcopum dici, non tam gregis respectu, quàm compresbyterorum, quibus præest. Potuit ex Hieronymo, cuius sententiam vnicè admiratur, & ex vsu communi didicisse, Episcopum dici eum, cuius vnius curæ totius diœceseos Ecclesia commissa est.

Hieronymi verba hæc sunt; *Factum esse in toto orbe decretum, vt vnus è Presbyteris superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret.* Vsu nôrunt omnes Episcopalem iurisdictionem extendi supra omnes & singulos, qui ad illam diœcesim pertinent, & Episcopum debere suæ diœcesi omne boni Pastoris erga suum gregem officium. Vocum autem significationes, & statum controuersiæ, cùm D. Beza eò ipsi lubet transferat, lectorem fallere facilè potest: quocirca eum vehementer rogo, ac obsecro, vt ipsius responsiones semper cum meis scriptis conferat: ita videre poterit, quàm aliena D. Beza adferat.

Quandò verò declarat, quid Authoritatis vocabulo significatum velit, nihil agit: non enim est ipsius, vocabulorum significationes mutare, quæ ex trito vsu accipiendæ sunt. Ipse præmonere suum lectorem potest, quomodo ipse aliquod vocabulum accipiat. Sed hoc quid ad nos? qui quo sensu dictionibus Patres sunt vsi spectare debemus. Quapropter scire lectorem volo, communem actionem Conciliorum & Synodorum, aliorumque conuentuum Ecclesiasticorum, regi non posse sine vllo prorsùs imperio in cæteros considentes. Et in Conciliis & Synodis, sicut non quodlis imperium,

rium, vel Primati, vel Patriarchæ, vel Metropolitano, vel præsidenti Episcopo, in cæteros considentes tribuitur, ita non omne negatur. Amphiboliam, quam D. Beza in voce Authoritatis vitare studet, committit, ni fallor, in Imperij vocabulo: aut prorsùs nihil dicit. Præterea nullam authoritatem Episcopis tribuo maiorem eâ, quam omnia Concilia & omnes Synodi tribuunt præsidibus: qui quemadmodùm sententias collegarum habent pro regula quam sequantur; ita Episcopi, & Archiepiscopi similiter, & Patriarchæ habent leges, contra & præter quas nihil possunt: id enim eos tantùm posse intelligo, quod iure possunt. Sed, obsecro, quod illud esse ius communis actionis regendæ potest sine vlla authoritate & imperio? Quod præses in Synodo agit tantùm synodi tempore, hoc Episcopus & Archiepiscopus secundùm canones omni faciunt tempore. Item & illud, quod ait D. Beza Pastoribus supra suos greges authoritatē imperandi in nomine Domini se tribuere, multa distinctione opus habet.

Sed nullam adfert causam cur idem Episcopo committi in Presbyteros non possit, quod Pastori in gregem. Nam quemadmodùm non quiduis imperandi suo gregi Pastor potestatem habet; ita nec Episcopus suis Presbyteris. De eius autē potestate statim plura videbimus.

2. D. Theod. Beza.

Hic igitur inter nos est huius controuersiæ status, an qui cœtui Pastorum alicuius Ecclesiæ præest, aliquod in illos suos collegas tanquàm inferiores, iure diuino obtineat imperium, quocunque nomine præses iste appellatur. Ego hoc nego: tu, Sarauia, affirmas, producto Apostolico canone 35. Atqui non ignoras Gelasium ipsum papam huius libelli inscriptionem, vt apocryphum, iugulare, quod & ipsa inscriptio satis demonstrat. Quandò enim & vbi cōuenisse Apostolos ad istos edendos canones possumus ex historia sacra vel probabiliter colligere? nisi quis fortasse fabulis illis fidem habeat, in quibus Clemens nescio quis illos confabulantes, & hoc & illud constituentes, non minùs impudenter comminiscitur, quàm solent Philosophi & Oratores in suis dialogis colloquentes introducere: & tamē Clemens iste inter illas, quas vocat διατυπώσεις nihil tale commemorat, quale canon iste continet. Sed & huius libri falsitas, quod ad inscriptionem attinet, ex non paucis canonibus deprehendi potest, quorum argumentum in Apostolorum tempora non cadit: velut quùm deponi iubetur Episcopus per mundanos, vt loquitur, principes Episcopatum adeptus. can. 31. Quis enim tunc magistratus sese Ecclesiæ negotijs immiscebat? Imò quorsum tunc quisquam Episcopatum in Ecclesia, his præsertim artibus ambiuisset? vt multa alia, quæ non sunt huius loci, prætermittam.

Had. Saravia.

Hic D. Beza quæstionis nostræ statum aliò deflectit; pudet, ni fallor, eum, cuius quemuis, cui aliquid est frontis, pudere debet, totam damnare antiquitatē; cuius authoritate & reuerentia cùm vrgeatur, ipse ab Episcopis ad authoritatem eorum se transfert: & si modò eum rectè capio, quæstionem de authoritate & imperio Episcopi in compresbyteros, & Archiepiscopi in coepiscopos, vel fortè etiam decani aut præpositi alicuius Ecclesiæ cathedralis vel collegialis in collegas, mouet, quæ sit iure diuino. Quarto decimo capite docui ordinem illum esse diuinum & Apostolicū, qui superiores Episcopos Presbyteris constituit, & Episcopos Episcopis: humanum verò & nuper inuentum, qui Pastores & Presbyteros omnes æquales esse vult. Nunc hoc vicesimo capite, illud ipsum consensu totius orbis Ecclesiarum, quotquot ab ætate Apostolorum vsque ad nostra tempora fuerunt, demonstrandum adsumpsi. Ingenium D. Bezæ quæso animaduertite. Ad authoritatem iure diuino constitutam nos reuocat: vt quæ dicturus sum, probare tantùm humanam constitutionem, & Ecclesiarum morem, non ordinationem diuinam, nec traditionem Apostolicam videantur. Quare lectorem præmonitum volo me hunc Patrum & omnium Ecclesiarum consensum allegare, non tantùm vt doceam rem esse communi consensu receptam; sed etiam modum & causam receptionis: quia crediderunt ita fuisse à Domino constitutum & traditum ab Apostolis.

Nostra igitur disputatio hactenùs fuit, Episcopos cum ea authoritate, qua Apostoli & Euangelistæ vsi sunt, eis succesisse in Ecclesiæ regimine: sed quæstionē non nihil mutare maiult D. Beza, & victoriæ magis commodam sibi reddere, quàm oppugnare quod ipse posui. Respondebo tamen vt lectori satisfaciam.

Primùm dico, me vereri nè D. Beza ludat in ambiguitate vocis Imperium, ac intelligat ciuilem dominationem, quam nullam in Ecclesiastico regimine defendimus.

Nam

Nam quod præsidentiam attinet, ea nulla est sine aliquo imperio; nisi fortè sessionis & accubitus, quæ nulla est: & tamen ea sine ambitione non est. Qui præsidi omne imperium adimit, ille simul & authoritatem, & præsidentiam adimit. Nisi fortè præsidem quis cogitet, qualem Iupiter ranis aliquandò dedisse regem legitur: eis certè qui habere talem malunt, quàm ciconiam, nemo succensere debet; nec ego succenseo, quibus Episcopos temporum iniquitas non dedit, si lupos metuant. Deindè quod D. Bezæ quæstionis statum attinet, eum hoc loco reijcere possem: non enim ei probandæ productus à me est Apostolicus canon. Priùs enim inter nos de significatione vocis Imperij conueniat oportet; & quod sit officium inter collegas præsidis; siue is Timotheus, siue Petrus, aut Paulus fuerit: quorum alter collegas & commilitones compellat eos, quos adiutores in opere Domini adsumpserat: alter se compresbyterum, alloquens Presbyteros vocat. Parem authoritatem, & imperium simile tribuo Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis, ei, quod habuerunt Apostoli & Euangelistæ, quandò inter Ecclesiarum Pastores & Presbyteros præsidere contigit, & de rebus communicare consilia, de quibus à Domino nullum habebant præceptum, sed in eorum erant positæ dispositione. Quæ autem illa fuerit authoritas, & quæ hodie sit, & quàm absit à tyrannide, quam impugnat D. Beza, sciri potest ex Synodis, quas olim celebrârunt Patres, & hodiè celebrantur ab Episcopis, qui à tyrannide liberi sunt Episcopi Romani. Sed priùs Canonis, quem me citâsse vult, vt probarem statum quæstionis, quem ipse constituit, authoritas est examinanda.

Atqui non ignoras (inquit D. Beza) *Gelasium ipsum Papam huius libelli inscriptionem, vt apocryphum ingulare*; ac si pro Apostolico, hoc est, ab Apostolis profecto, illum canonem citauerim. Verba mea hæc sunt. *Inter vetustos canones, qui propter antiquitatẽ dicuntur Apostolorum, legimus eum qui sequitur.* Hinc D. Beza nactus spatiosum campum nonnihil excurrit & spatiatur, vt probet quod nemo vnquàm sanus negauit, canones illos authoribus Apostolis non fuisse æditos. Sed quia plerique omnes vetustatem redolent, & doctrinæ sacræ, ac traditioni Apostolicæ sunt consentanei; quod ante me fecêre plurimi insignis & raræ eruditionis viri, mihi licere iudicaui, & eos citaui, vt citari solent. Quòd Gelasius titulum damnauit, nec habere titulum Apostolorũ canones voluit, non idcirco singulos reiecit, cùm ipse inter suos canones plures inseruerit. Ego non sum primus qui ex illis Canonibus citaui eos, qui cum ratione, æquitate, & antiquitate consentiunt. Cur, quæso, id in me magis Bezæ displicet, quàm in Petro Martyre, in Caluino, & alijs, quos authores huius mei facti habeo? Sed aliquid cõtra canonem dicere D. Beza maluit, quàm simpliciter æquitatem, & antiquitatem canonis admittere.

3. D. THEOD. BEZA.

SEd age, hunc tamen canonem expendamus his verbis conceptum, *Episcopos singularum gentium eum nosse oportet qui est inter ipsos primus, & eum existimare tanquam caput: & nihil alicuius grauis momenti sine ipsius sententia gerere: sed illa tantum vnusquisque agat, quæ ad ipsius παροικίαν, ipsiusque subiectas regiones pertinent. Sed nec ille absque omnium sententia quidquam faciat. Sic enim erit consensio, & glorificabitur Deus in Domino per Spiritum sanctum.* In eo certè non agitur de constitutorum oppidatim Episcoporum supra eiusdem vrbis Presbyteros vlla auctoritate, sicut fert huius tui capitis 20. inscriptio. Loquitur enim de cuiusque vrbis Episcopis, quos agnoscere oporteat primum quempiam qui sit ipsorũ veluti caput. Nulla igitur hic de Presbyteris oppidatim constitutis mentio, sed de eo qui sit inter alios coepiscopos primus, qui posteà dictus fuit Archiepiscopus.

HAD. SARAVIA.

AVt ludit certè, aut tergiuersatur D. Beza. Illis tribus canonibus demonstrare volui, Episcoporum supra alios suos compresbyteros vel coepiscopos authoritatem. D. Beza nihil demonstratum putat, quia de Episcopi vnius vrbis authoritate in Presbyteros eiusdem vrbis canonem nullum attuli, quasi id aut fuerit impossibile, aut difficile, tres, quatuorue canones ex Antiocheno concilio citare, vbi de obedientia, & contumacia Presbyterorum erga suum Episcopũ fit mentio, & ipse D. Beza, non ignorat. Quid dicam? Liceat mihi hoc loco D. Beza stilum imitari: Hoccine, mi Beza, argumentari est, an calumniari? Episcopi cuiusque gentis primum, qui erat veluti eorum caput, iubentur agnoscere. Quid Presbyteri? An exemptos dices ab ipsius obedientia,

entia, cui parebant Episcopi? Quid? Ipsi Episcopi an non sunt Presbyteri? & qui primatum & authoritatem docet Episcopi supra Episcopos, dici nè potest eam non probâsse supra Presbyteros? At ibi nulla fit mentio de Presbyteris oppidatim constitutis. Quid hoc ad rem? D. Beza hoc addidit; titulus 26. capitis hoc non habet. Addere & detrahere verbis alterius, vt non quod intendit scriptor, sed quod aduersario placet, significetur, aperta calumnia est; quæ haud bonos decet. Tamen quia D. Beza canonem requirit, en canon tertius Antiocheni Concilij ita habet. *Si quis Presbyter, aut Diaconus, & omninò quilibet ex clero, parochiam propriam deserens, ad aliam properauerit, vel omninò demigrans in alia parochia, per multa tempora, nititur commorari, vlteriùs ibidem non ministret, maximè si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam parochiam commonenti, obedire contempserit. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, à ministerio modis omnibus remoueatur, &c.*

En hîc habet D. Beza authoritatem vnius Episcopi in suum Presbyterum. Sed nihil opus esse iudicabam in re nota, huius aut similis canonis citatione, quùm eadem & par sit ferè ratio Archiepiscopi ad suos coepiscopos, & Episcopi ad Presbyteros. Inscriptio vicesimi capitis est generalis, & tam Episcopos singularum vrbium, quàm Archiepiscopos singularum prouinciarum complectitur.

4. D. THEOD. BEZA.

DEindè, non dicitur iste esse illorum caput, sed tanquàm caput: & hoc quid sit, posteà explicatur: in eo videlicet positum, quod aliis suam vnoquoque παροικίαν, & pagos ad illam attinentes curantibus, in rebus ad communem prouinciam pertinentibus, nihil absque primi illius sententia quisque illorum posset gerere: & ille vicissim nihil absque omnium sententia statueret. Itaque nullus hîc gradus, nulla archiepiscopi in suos coepiscopos potestas vel auctoritas attribuitur: sed ordo tantùm constituitur, tam illum primum Episcopum suis coepiscopis, quàm coepiscopos illi, vt totius cœtus moderatori, obligans.

HAD. SARAVIA.

QVod contendit ex hoc loco, Episcopum non dici vel esse aliorum Episcoporum vel Presbyterorum caput (tametsi tam insolens illa metaphora non sit, vt non crebrò in sacris literis & sanctis Patribus occurrat) quorsùm id faciat, nescio. *Rosh* Hebraicè, *caput* Latinè dicitur, & metaphoricè *principem* significat, & apud Latinos similiter Caput, qui author & princeps est in aliqua re dicitur. In Ephesinæ synodi Epistola synodali Cyrillus Alexandrinus caput congregatorũ Episcoporum appellatur. Sensum (inquit D. Beza) huius dictionis posteà canon explicat: & præeminentiam in eo sitam esse, vt Episcopi nihil agant sine primi illius sententia & adsensu; nec ipse vicissim quicquam absque omnium sententia statuat. Itaque nullus hic gradus (inquit D. Beza) nulla huius Archiepiscopi authoritas in suos coepiscopos attribuitur. Itane? Cur igitur hactenùs hunc canonem oppugnâsti tam æquum, quo nulla, non dicam tyrannica, sed nulla prorsùs authoritas vel potestas Archiepiscopo tribuitur?

Vide quid addam; Apostolos & Euangelistas, rebus & Ecclesiis iam constitutis, & in parochias Episcopis distributis, nihil, quod ad communem Ecclesiæ statum pertinuisset, fuisse facturos, inconsultis & inuitis locorum Pastoribus & Episcopis, me firmiter credere: nisi fortè Pastores fuissent improbi, & virtutis & veritatis facti inimici. Apostolorum tamen authoritatem & potestatem supra Episcopos, hactenùs D. Beza non negauit. *At* (inquit) *nulla hîc datur Archiepiscopo authoritas.* Id malè infertur. Nam primo hîc iubentur superiorem & primum agnoscere Episcopum, à cuius adsensu & voluntate pendeant. Eius non potest dici nulla authoritas, qui in deliberationibus vocem habet (vt aiunt) negatiuam: hoc est, qui non cogitur aliorum obsequi votis, sed sistere potest aliorum consilia. Aliâs apud Romanos nulla fuisset tribunorum plebis potestas. An hoc non sit gradu superiorem esse, iudicent alij. Ordinem quidem hîc constitui non negat D. Beza; sed tantùm ordinem, & eum, qui gradum non admittat.

Quod Consul in senatu fuit, Archiepiscopi sunt in cœtu & synodo Episcoporum. Consul in senatu eiusdem ordinis erat cum cæteris senatoribus; gradu tamen, & authoritate eminebat. Cur non similiter primus Episcopus? Æqualitatis & libertatis publicæ

publicæ adeò fuit ſtudioſus Senatus Romanus, & tantùm non modò tyrannidis, ſed imperij vnius etiam iuſtiſſimi erat odium, vt maius eſſe non potuerit, non diſplicebat tamẽ conſulare imperium. Et ordo ſenatorius omnis dominationis impatientiſſimus, inæqualitatem dignitatis, & poteſtatis conſularis gradum, non iudicauit libertati officere, & dominationem aut tyrannidem eſſe. Vndè nunc iſta moroſitas, vt hodiè Paſtores Eccleſiarum ſuperiorem ferre nequeant?

In hoc præterea canone quis non videt primi illius Epiſcopi partes fuiſſe, frænare Epiſcoporum temeritatem, & irritum facere quicquid tentâſſet priuati Epiſcopi, incõſulto, Archiepiſcopo, nouandi ſtudium? & hoc, niſi fallor, eſt poteſtatis.

Notat tamen D. Beza inter primum Epiſcopũ, tanquàm moderatorem totius cœtus, & ipſum Epiſcoporum cœtum, obligationem mutuam. Quæ autem ſit primi Epiſcopi obligatio, notatur, quandò prohibetur quicquam facere abſque omnium ſententia: quod de rebus nouis intelligendum cùm ſit, hoc non auferebat Archiepiſcopi authoritatem. Et hodiè nota eſt Archiepiſcoporum poteſtas in ſuos collegas, & multo minùs quàm olim, poſſe ſine legib. aut reliquorum adſenſu quicquam agere. Quod ſi nec dominatio, nec tyrannis dici poteſt, quæ hoc canone primis Epiſcopis datur authoritas; nec ea quæ hodiè eſt, eo nomine infamanda eſt. Archiepiſcopis enim eorum quæ ad ἐυταξίαν tam inter Eccleſiarũ Paſtores, Presbyteros, & Epiſcopos, quàm inter plebem & ſuos Paſtores cura cõmiſſa erat. An autem Archiepiſcopus gradu nõ ſit ſuperior coepiſcopis, & Epiſcopus ſuis compresbyteris, ex his, & ijs, quæ poſteà de eorum officio diſſeremus, iudicabit lector.

5. D. THEOD. BEZA.

QVorsùm igitur hîc tu nobis Epiſcopalem ſupra ſuos collegas, Paſtores aut Presbyteros, gradum, quem etiam non vereris prærogatiuã Apoſtolicæ poteſtatis appellare: pro Apoſtolica, id eſt, merè diuini iuris regulâ, ex hoc canone venditas? cuius tamen rei ne tenuiſſima quidem hîc mentio, & quæ ne Archiepiſcopo quidem in ſuos coepiſcopos hoc canone tribuitur. Imò quid aliud hîc ſtatuitur quàm ordo ille, quem in omnibus Eccleſiis reſtitutum cupimus?

HAD. SARAVIA.

PLus hîc D. Bezæ placet me videri intuliſſe ex hoc canone, quàm feci. Vt probarẽ conſenſu totius orbis Eccleſiarum, authoritatem Epiſcoporum ſupra ſuos compresbyteros, & Archiepiſcoporum ſupra ſuos coepiſcopos receptam, vſum & conſuetudinem omnium Eccleſiarum, quæ fuerunt à temporibus Apoſtolorum vſque ad noſtra, vbique approbatam omnibus conciliis, adlegaui. Quod ſi directè mecum D. Beza agere voluiſſet, falſi, aut erroris me conuincere debuit: & contrarium vel vnum exemplum vnius gentis vel populi Chriſtiani adferre. Sed D. Beza hîc oblitus fuit *inter bonos benè agier oportere*: & in quem finem quæſtionis 20. capitis ſtatum mutauerit, apparet. Quod canonem attinet, eum citaui, non vt probarem diuinum ius, ſed antiquum morem. Antiquum autem eſſe canonem docui ſimili canone Antiocheni Concilij: qui teſtatur vetus illud Patrum decretum fuiſſe, & renouari authoritate illius Concilij. Quæ & quanta tribuatur illo canone Archiepiſcopis authoritas, non diſputamus: ſatis eſt authoritatem tribui, quam neceſſariò illa προεδρία habuit: & D. Beza proteſtatus eſt ſe non tollere.

Antiquitas ſimul & veritas canonis probatur vſu Eccleſiarum, quæ fuerunt ſub grauiſſimis perſecutionibus. Circa annum 250. Cyprianus Carthaginis fuit Epiſcopus, cuius prouincia, quàm latè extenderetur, & quanta eſſet ſub eo Epiſcoporum multitudo, ex ipſius apparet Epiſtolis. Lib. 4. Epiſt. 8. ſcribit præter Affricam, Numidiam, & Mauritaniam cohærentes fuiſſe ſuæ prouinciæ. Et hoc non incepit ſub Cypriano: ante ipſius tempora vnitatem illam fuiſſe oportet. In altera illius orbis parte Ægypto, ad Alexandrinum Epiſcopum, plurium regionum ſe referebant Epiſcopi. Ad quem authorem referemus hunc tam vniuerſalem morem? Quis primus plures Epiſcopos ſub vno in vnum recollegit? Improbi certè iudicij eſt, qui huius conſuetudinis alios authores credit, quàm ipſos Apoſtolos. Credidiſſe autem Patres hunc ordinem eſſe inſtitutionis diuinæ, videbimus ſequenti capite.

Audiamus quid hîc præterea D. Beza dicat: *Immò* (inquit Beza) *quid aliud hîc ſtatuitur, quàm ordo ille, quem in omnibus Eccleſiis reſtitutum cupimus?* D. Beza præuaricatur, &

catur, & ad nostras partes transit: sed facta dictis sunt contraria: interim suam & suorum causam labefactat. Sed quid vetat hunc ordinem Geneuæ restitui? Quis inter eos qui Geneuæ Pastoris funguntur officio, legitimus est πρῶτος, vel πρόεδρος? Quis cõtra legem sit primus, nolo dicere; notum est. In Scotia expulsi sunt Episcopi, tanquàm ordo ille esset antichristianus: sed nulli sunt ad hanc normam restituti: successêre superintendentes, sed nec illos diû potuêre pati. Vtinàm restituendis veris Episcopis D. Beza tantum insumpsisset operæ, quantũ in tollendo toto in vniuersum ordine, nullum non mouit lapidem. Si modestiùs se erga Episcopos gessisset Scotia, pacatior forsan esset Gallia, & minus schismaticorum haberet Anglia.

6. D. Theod. Beza.

NEc sunt leuiter prætereunda extrema huius canonis verba, quibus ex hoc ordine nasci discitur ipsorum inter se cuiusque cœtus collegarum consensio, & vnanimitas. Nam è contrario istius ordinis in superioritatis & imperij gradum mutatio, sicut ex tristissima Ecclesiæ Christianæ dissipatione iampridem cernitur, pulcherrimum hunc ordinem in oligarchiam, ac demùm in horrendam tyrannidem transformauit.

Had. Saravia.

NOtari extrema illius canonis verba dignum censeo; sed vbi Episcopi & Archiepiscopi præsunt Ecclesiis, non vbi nulli sunt: curet D. Beza hunc Episcoporum ordinem, quem pulcherrimum iudicat, restitui, vbi eum abrogârunt homines importuni, authoritate ipsius freti: haud dubiè facilè posteà de eorum authoritate inter nos conueniet. Quod mutationem attinet istius ordinis in superioritatis & imperij gradum, nisi addat tyrannici, non admittã quod ex eo infert. Qui προσασίαν admittit, velit nolit, superioritatem & imperium admittat necesse est. Dicit D. Beza, quod sæpiùs ab eo repetitur sed nusquàm docetur, ordinem Episcoporum & Archiepiscoporum, primùm in oligarchiam, ac demùm in horrendam tyrannidem transformatum esse. De vnius tyrannide doceri non cupio; res omnibus nota est: & quibus artibus satan eò Romanum Episcopatũ euexerit: de oligarchia scire vellem, quomodò, quandò, quibúsque gradibus, & qui eam constituerint. Tyrannis, oligarchia est, sed paucorum. Quando autem pauci Episcopi, omnia aliorum Episcoporum iura, & omnem Ecclesiarum authoritatem rapuerint, sicut ab Episcopo Romano factum est, nusquàm legi: nec quomodò fieri potuerit, video, vt olim â paucis quibusdam gubernari potuerit Ecclesia. Patriarchas & Archiepiscopos in suis prouinciis, quosque exercere tyrannidem potuisse, hoc est, contra Ecclesiasticas regulas pro sua libidine Ecclesiam regere, non nego: sed ea non paucorum quorundam, sed singulorum tyrannis fuit. Quandò Romanum imperium plures habuit Imperatores, qui crudelem & iniquam exercuêre tyrannidem, oligarchiam nemo dixit: sed triumvirorum potestas, simul communi consilio rempublicam vexantium, oligarchia fuit. In Synodis & Conciliis paucorum factio propter æqualitatem facilè oligarchiam constituere potest: sed ea non est longi temporis. Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum regimen non esse potest, nec dici oligarchicum. Sed in noua gubernationis forma, & æqualitate, facillimè oligarchia oriri potest, &, quod omnium est, à paucis vsurpari. In ordinis æqualitate, personarum inæqualitas non potest non perturbare æqualitatem.

7. D. Beza.

CAnon autem Antiochenæ synodi nonus nihil te iuuat. Est enim hæc Synodus particularis. Nicenã illam primam aliquot annis subsequuta, & priorem quidem illum canonem citat; nullâ tamen Apostolorum, sed tantùm Patrum mentione factâ. Deindè Metropolitanis quidem primum hunc locum tribuit: sed nulla vllius potestatis vel auctoritatis mentione facta, sed duntaxat, vt honore cæteris præeat: hoc rursùm expressè repetito, vt neque ipse absque reliquorũ sententia, neque ipsi absque Metropolis Episcopo quicquam agant. Rursùm igitur hoc canone nullus vllius gradus siue Episcopalis, siue Archiepiscopalis, sed tantùm ordo statuitur: quem tu nunquàm Apostolici, siue merè diuini iuris esse probaueris, nisi ex illa generali & verissima Apostolica regula, quæ statuit vt cuncta ordine in domo Domini administrentur, 1. Cor. 14. 40. Est igitur ordo in se se, & per se diuinitùs præscriptus: ipsius autem ordinis ratio & modus, quatenus à circumstantiis temporum, locorum, & personarum pendet, positiui, vt loquuntur, iuris est. Sed profectò tam iustus, & naturali æquitati conueniens est hic ordinis modus, quo fit vt vnusquisque in cœtus conuocandi, sententias rogandi, actionem totam moderandi, res propositas ex collegarum sententia definiendi ius habeat, vt studiosè quoque obseruandus meritò videatur.

HAD. SARAVIA.

QVantum me iuuet Antiochenæ ſynodi canon, eſto eorum iudicium, quorum animos nullum præoccupauit præiudicium. Particularis quidem fuit ſynodus, ſed celebris, & ad quam multarum prouinciarum conuenêre Epiſcopi: vt Palæſtinæ, Phœniciæ, Syriæ cœles, Arabiæ Petreæ, Meſopotamiæ, Ciliciæ, Iſauriæ, & quã ſexta œcumenica ſynodus Conſtantinopolitana approbauit. Quod priorẽ canonẽ citat, tanquàm antiquum, illud eſt quod dico; ſed quod addis, *nulla Apoſtolorum facta mentione*, quo ſenſu dixerim eſſe Apoſtolorum, poteſt quiuis legere. Propter antiquitatem dictos eſſe Apoſtolicos ſcripſi, & quod plerique ſint Apoſtolicæ traditionis. Nam quamuis nullam regulam illis verbis conceptam, Eccleſiis dediſſe legantur Apoſtoli; res tamen ipſa, ab eis tradita fuit; quandò Tito, & Timotheo, aliiſque pluribus (quos D. Beza vocat Euangeliſtas, antiqui dixêre Epiſcopos) multarum Eccleſiarum cura cõmiſſa fuit. Quæ poteſtas, ea eſt, quam hodiè habent Archiepiſcopi: in hoc diuerſi, q illi ab Apoſtolis, hi ab Eccleſia ſunt ordinati: vtrique tamen a Deo, quamuis per homines, inſtituti.

Quanta poteſtas canone illo tribuatur Archiepiſcopis, ex ipſo canone liquet. Sed hoc primum notetur, fuiſſe inſtitutos à priſcis primis Eccleſiæ temporibus, & poſteà ſæpiùs confirmatos, nuſquàm adhûc exauthoratos publica aliqua Eccleſiæ authoritate. Quod alicubi factum eſt in magna rerum perturbatione, particulare eſt; de quo viderint ipſi authores. Abolere ſtatum aliquem in Eccleſia, vel ordinem tantæ vetuſtatis, non eſt, meo iudicio, reformare, ſed deformare Eccleſiam. Excuſo tamen quod in Belgio factum eſt: quia vt maximè omnes Euangelij Miniſtri voluiſſent, aliter fieri non potuit. Si par fuit aliis in locis neceſſitas, rogandus eſt Deus, vt quod partìm ignorantiâ, partìm temporũ iniquitate deliquimus, nobis ignoſcere velit; & ſua benignitate ſupplere, q ad bonam & perfectam Eccleſiæ gubernationem deeſſe nouit.

An autem gradus hoc canone confirmetur, an tantùm ordo ſine gradu, examinandum eſt. Metropolitanis (inquit Beza) primum quidem locum tribuit; ſed nulla vllius poteſtatis vel authoritatis mentione facta. Id dici contra canonis fidẽ de quo diſputatur, facilè lector videre poteſt; qui expreſſis verbis habet, *Epiſcopus qui Metropoli præeſt, curam etiam totius prouinciæ gerere debet:* quam, ni fallor, nemo ſine authoritate gerere poteſt. Et cæteros Epiſcopos ſine Metropolitano, nihil maioris momenti poſſe, arguit poteſtatem: & quod etiam additur, *propter illam curam, viſum etiam eſſe æquum, vt reliquis honore antecelleret*, aliquid, meo iudicio, ordine maius ſignificauit. Sed ſi præcipuam alicuius totius prouinciæ habere curam, & alios Epiſcopos in rebus maioris momenti pendere à Metropolitano, & honore antecellere, poteſtatem, & ſuperiorem gradum non arguunt, quid faciat & conſtituat gradum, ignoro.

Tamen hunc Epiſcopalis dignitatis gradũ, quomodo diuini & Apoſtolici iuris eſſe, probare debeam, & ex quibus ſcripturæ locis, D. Beza me docere non dedignatur. Et certè non eſt nihili locus, quem D. Beza notat, vtpotè qui & Dei & naturæ in omnibus rebus certiſſimam regulam doceat: & exempla, quæ tam ex veteri, quàm nouo teſtamento adduxi, ſeruiunt vt rem omnibus claram faciam. Quid autem hîc ſit diuini iuris, quid humani, & quomodò hæc concurrant in poteſtatis gradu, quem Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis tribuo, in libro meo tractaui. Sed cuiuſcunque ſit iuris, ſiue diuini, ſiue humani, cùm tam iuſtus, tam naturali æquitati cõueniens ſit, hic, quẽ ſibi cogitatione D. Beza format, ordinis modus; cur eum ſuſtulit? & ſublatum; cur non reſtituit? ſic enim veri Epiſcopi & Archiepiſcopi formam Eccleſiis exhiberet: q quamdiù non fit, effugia eſſe quidquid D. Beza nobis dare & concedere videtur, candide lector, noueris: de hac re plura inferiùs.

8. D. BEZA.

DE iſto verò gradu, quem diuinitùs inter pares alioquì collegas, iam indè ab Apoſtolorum temporibus, vniuerſali conſenſu receptum fuiſſe vis, abſit vt tibi aſſentiar; quẽ potiùs magna cum Eccleſiæ pernicie in Eccleſiam inuectũ fuiſſe credam: donec certis ex verbo Dei teſtimoniis refellar.

HAD.

HAD. SARAVIA.

REstituat nobis, aut restituendum curet D. Beza, illum quem admittit ordinem; pòst de gradu faciliùs poterit inter nos conuenire: frustrà de gradu nobis litem mouent, qui ipsum ordinem sustulerunt.

9. D. THEOD. BEZA.

DE isto verò primo loco Metropolitanis attributo in 25. cap. disseram. Tu quidem certè illum rectè censes fuisse à consuetudine & dispositione Ecclesiæ, non successionibus, sed vrbium commoditati datum, ac proinde mutabilẽ, & qui ob iustas causas possit à Metropolibus aliò transferri. Quid si igitur ex hoc tuo principio illius nunc mutandæ dispositionis, citra vllam tamen ordinis abolitionem, plures iustissimas, atque adeò necessarias esse ostendero, quàm vnquàm fuerint illius constituendæ, aut nunc sunt eius retinendæ? Sed de hoc alibi nobis dicendum.

HAD. SARAVIA.

QVicquid in hac sectione est disputandum, D. Beza in alium locum transfert: æquum est vt ego idem faciam.

10. D. THEOD. BEZA.

PRofers denique Niceni concilij sextum canonem, in quo trium Metropolitanorum, nempè Alexandrini, Antiocheni, & Romani fines describũtur κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἔθη, id est, ex antiqua consuetudine: quam frustrà conaris non ad ipsum Metropolitanorum ius (quod tu quidem vis, sed minimè ostendis, diuinæ & Apostolicæ dispositionis fuisse) sed ad tres istos Metropolitanos restringere, qui hac videlicet antiqua consuetudine fuerunt hos fines sortiti, posteà in hac Nicena synodo confirmatos.

HAD. SARAVIA.

HOc mihi in D. Beza displicet, quod aliò ferè solet transferre præsentis quæstionis statum. Hoc enim capite consensu totius orbis Ecclesiarũ, Episcopos, & Archiepiscopos, & Patriarchas fuisse receptos, vt doceam, testimonia, quæ iudicaui ad eam rem probandam apta, tum ex conciliis, tum ex patribus attuli. Quòd autẽ conciliũ non dicit Patriarchatus aut Archiepiscopatus fuisse diuinæ institutionis, sed cõsuetudinis; illi responsum est obiectioni, quandò dixi, potestatẽ illorũ Episcoporũ qui supra alios eminẽt, esse quidẽ diuinæ institutionis; sed vt id præter cæteros Antiochenus, aut Alexandrinus, aut Hierosolymitanus, aut Roman. haberet, esse consuetudinis & humanæ institutionis. Id enim ab Apostolis, nec locis, nec successioni fuit relictum, sed Ecclesiæ: tamen 7. canon in re simili de Æliæ vrbis Episcopo, consuetudini iunxit antiquam traditionem. Atque ita veteris consuetudinis & Ecclesiasticæ dispositionis iure factũ est, vt Alexandrinus, Antiochenus, & Romanus illam haberent in Ecclesiastico regimine potestatẽ, quam habuêre Apostoli, & quam mandâsse Paulum Timotheo, extra controuersiam est: atque ita certè concidit quod additur.

11. D. BEZA.

CVr enim Niceni patres fundamentum istius ordinis, id est, Apostolicam dispositionem reticuissent? Deindè si hic ordo fuisset diuinæ & Apostolicæ dispositionis, an non fuisset aliquibus iam tum Ecclesiis, ac præsertim illis tam celeberrimis attributa? Res igitur ipsa clamat, non ab Apostolica quapiam dispositione scripta, sed ita ferente Ecclesiarum statu, vt Ecclesias præsertim post Apostolorum, & maximorum illorũ συνεργῶν obitum, inter se mutuò capere consilia de variis negotiis oporteret, pleraque ad celebriores vicinas, non ex aliqua præscripta lege, sed quòd ita facto esset opus, conferre consueuisse, quæ consuetudo posteà sensim legis vim obtinuit.

HAD. SARAVIA.

OBijcit D. Beza, si Patres Niceni Apostolicam dispositionem credidissent illum ordinem Patriarcharum ac Archiepiscoporũ; cur non potiùs eam fundamentum sui decreti fecissent, quàm veterem consuetudinem: respondisse me iam huic obiectioni præmonui: & rem ipsam, hoc est, formam gubernationis (tyrannidem, & quidquid est huius generis, semper excipio) fuisse diuinæ ordinationis, quod tunc Patribus minimè cõtrouersum erat, demõstraui: sed vt præesset Romanus Episcopus potiùs quàm Eugubinus, cõsuetudinis & humanæ fuit cõstitutionis. Deindè q infert per interrogationẽ D. Beza, si res fuisset diuinæ & Apostolicæ dispositionis, quòd *fuisset*

iam tum Ecclesiis aliquibus, ac præsertim illis tam celeberrimis attributa; nego id consequi: quia sine pernicie Ecclesiæ, locis & personis, propter inconstantiam & mobilitatem rerum humanarum, id alligari non potuit. Sufficere debet demonstrari illam potestatem Apostolos contulisse Presbyteris, quos ipsi per manuum impositionem creauerant. Quibus mortuis hæres Ecclesia illius potestatis fuit; vt de ea disponeret. Nã si Ecclesiarum status requirit vt Pastores coniuncti maneant, vt inter se mutuò consilia communicent, & simul conueniant, & societatem colant: esse oportet qui locum designent, & qui præsit in conuentibus illis, eaque executioni mandet, quæ sanctè decreta erunt. Societas nulla constare potest, nisi imperandi (quodcunque tandem illud cogitetur imperiũ) & parendi vices, hinc indè tradantur. Cùm itaque id necessarium esset, & huic negotiò ab ipsis Apostolorum temporibus aliqui præfecti fuissent, inter eos vnus Romanus Episcopus inuentus est, qui id deberi successioni cõtenderet, quod communi consensu Patrum propter commoditatem præcipuorum locorum Episcopis datum fuerat. Atque ita fateor verum esse quod D. Beza subnectit.

12. D. THEOD. BEZA.

SIc Antiochena Ecclesia, quam vt esse maximæ auctoritatis, Hierosolymitanam propter Apostolos adiit, Act. 15. 2. nimirùm etiam quòd ab illa Ecclesia aduenerant illi Antiochenorum turbatores, & proculdubiò Apostolorum nominibus, & auctoritate abuterentur; non autem quòd Antiochena Ecclesia sic fieret Hierosolymitanæ perpetuo quodam ordine obnoxia. Sic Paulus ipse, non quòd de sua doctrina dubitaret; non vt ab aliis Apostolis noui quicquam disceret: sed vt de suo cum cæteris Apostolis consensu cunctis liqueret, Hierosolymam est profectus, κατ' ἀποκάλυψιν, id est, à Spi. Sancto præmonitus, Galat. 2. 2. sic posterioribus seculis, quòd magna semper fuisset Ecclesiæ Romanæ celebritas, sed iam tum Satanæ tyrannidis tandem sequutæ mysterium exordientis, à Iohanne in Apocalypsi, & à Paulo 2. Thess. 2. 4. & 7. apertissimè prædictum, magnus ille Athanasius, à nullis magis quàm ab Episcopis aposcopis exagitatus, refugit. Huius autem exemplum posteà sequuti, Romanæ tyrannidis primordia iecerunt. Ordo igitur initio voluntarius, tandem legis vim habere cœpit, & mox Metropolitanorum ambitione in gradum oligarchicum euasit.

HAD. SARAVIA.

EGo nec tyrannidem nec ambitionem Patriarcharum & Metropolitanorũ vsquàm defendo. Mihi iniuriam facit, & à proposita quæstione deflectit sermonem D. Beza, quoties suas argumentationes hoc modo claudit.

13. D. THEOD. BEZA.

SIc tumultuantibus inter se de suæ gubernationis finibus Episcopis, cùm Nicena synodus illa cogeretur, nullum finem habituræ concertationes illæ fuerunt, nisi sicut harum rerum historiæ testantur, accusatorios sibi propositos ab Episcopis libellos, congestos in ignem Constantinus Imperator abiecisset. Huic autem malo, quod, sic ferente quodam Ecclesiarum fato (tit autem nulla cum sanctorum alioquì Patrum illorum iniuria istud dictum) non modò occursum non fuit, verùm etiam, sicut experientia mox ostendit, & adhùc hoc nostro seculo experimur, adhibitum est remedium ipso malo peius. Nec enim an vetus, sed an iusta, & verbo Dei consentanea hæc esset consuetudo, inquirendum fuit: quod si factum esset, non iam tum fuissent (licet Patribus illis nihil minùs cogitantibus) quintumuiratus illius iacta fundamenta. Sed de his alibi plura. Tantùm hoc dictum volui, vt à quibus initiis ista sunt profecta omnes intelligant, & saltem exemplis erudiamur.

HAD. SARAVIA.

VNdè, obsecro, factum est, vt contentiones illæ aut ad Imperatorem, aut ad generale Concilium deferrentur? Finiendæ certè fuerant, & finitæ fuissent in suis prouinciis, si vetus consuetudo, & gubernationis forma, tradita ab Apostolis viguisset. Sed contemptus Metropolitanorum, quorum stare iudicio illi debebant, fecit, vt innumeras & inexplicabiles fuerint allaturi querelas, si aut ipse Imperator, aut Concilium, audiendis litibus & querimoniis vacare voluisset. Ab hoc malo, si credimus nostras Ecclesias & earum Pastores esse aut fore immunes, erramus; homines sumus sicut & illi. Synodus & Concilia audiendis causis non rectè cõuocantur; exceptis illis quæ ad omnes pertinent, & à quibus communis Ecclesiæ salus dependet: vt sunt doctrinæ Christianæ integritas, & prauorum morum reformatio, qui longi consuetudine temporis inualuerunt, & confirmati sunt, & appellationes litis iam pluries agitatæ, & à diuersis iudicibus iudicatæ.

Interfui classicis & Synodicis omnis generis conuentibus; quos equidem non improbo,

probo, sed nonnulla requiro, quæ tempus & incommoditates docere præstat, quàm à me hoc loco narrari. Ecclesiarum hic vetus fuit mos, vt bis in anno synodi celebrarentur. Sed lites & causas Ecclesiasticas ad ordinaria iudicia Ecclesiastica relegari, & secundùm publici iuris formam institui, & formari mallem, quàm deferri ad synodos. Nominis & famæ non leuis est iactura; quam integram & illibatam seruari, cuiusque interest.

Temporibus Constantini aut iudicia ordinaria Ecclesiastica deerant, aut certè cõtemnebantur: hinc Episcopi vicini mutuis odiis & inimicitiis certabant; cui malo nullum commodius remedium adhiberi potuit illo quod tunc à Patribus Niceni Concilij constitutum fuit.

Quod indè Romanus Episcopus ad confirmationem suæ tyrannidis, argumentum cepit, nimis leue est, vt culpetur Concilij decretum. Rei natura inspicienda est; non quomodò hominum tandem malitia vsa aut abusa re fuerit. Ab ipso Petro, Petriq; Apostolatu Papa suam dominationem deriuat, & missæ idolum à dominici corporis sacramento: & summi sacerdotes potestatem Pontificiã apud Iudæos in regium dominatum verterunt: & improbi reges regiam gubernationem mutant in tyrannidem. Ex quibus nemo rectè concludet aut Petri Apostolatum, tyrannidi Romani Episcopi, aut sacramentum cœnæ Domini, Papisticæ missæ aut potestatem Pontificiam, aut regiã gubernationem dedisse causam tyrannicæ dominationi: ista peccata non sunt rerum, sed hominum qui rebus abutuntur. Quocirca absit vt illa Patrum constitutione putem vel minimam datam occasionem impiis Episcopis, conuertendi moderatam legibus authoritatem supra Ecclesias & Ecclesiarũ Pastores, audiendi & decidendi causas, & controuersias Ecclesiasticas, in tyrannidem.

Sed quod aliud remedium malo vellet D. Beza fuisse adhibitum? Si quàm facilè dicitur adhibitum fuisse remedium ipso malo peius, tam facilè melius posset inueniri, aliquid diceret. Fateor inquirendum tunc fuisse, vndè illa manâsset consuetudo, si origo, quam tunc notam fuisse arbitror, ignorata fuisset. Sed Patribus illa Ecclesiasticæ gubernationis forma, quam Deus in veteri populo inter Sacerdotes & Leuitas instituerat, & ab Apostolis, & Euangelistis, aliisque Domini discipulis fuerat vsurpata, indè vbique visitata, nulla melior occurrebat: tot annorum experientia nihil vtilius docebat: nimirùm nostri temporis ipsos deficiebat sapientia. Qui sapientiùs se confidit gubernationem Ecclesiæ instituere posse, quàm ab illis Patribus factum fuit; aut id videre, quod eos latuit; nimius sui, meo iudicio, admirator est, contemptórque temerarius maiorum.

Adhibitum (inquis) *fuit remedium ipso malo peius.* Tu, mi Beza, si illa ætate vixisses, melius adhibuisses. Fingamus te celeberrimo & sanctissimo illo Concilio interfuisse; & cum Paphnutio Patribus persuadere potuisse, vt reiectis Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & Episcoporum supra suos collegas, & compresbyteros gradibus, eam gubernationem, quam vnicè tanquàm diuinam admiraris, cum æqualitate nuper nata reciperent: nihilnè, aut minus contentionum, dissidiorum, hæresium, & sectarum, aliorúmque malorum, quibus Satan vexauit, & vastauit Ecclesiam, euenturum fuisse credis? Quàm malè tibi sunt hominum ingenia, naturáque malorum expensa! tecum paululùm perpende prisci temporis hæreses, & hæreticos, cõtra quos patribus pugnandũ fuit: & intelliges te idem facere, ac si quis milites in prælium educendos censeret, sine Centurionibus, Chiliarchis, Tribunis, Ducibus, & Imperatoribus. Nam hoc audeo dicere, stetisse Ecclesiam, tam contra persecutiones aduersariorum Christianæ fidei, quàm errores hæreticorum, secundùm diuinam protectionem, Episcoporum virtute; & solam adunatam sub vnis Episcopis & Archiepiscopis fraternitatẽ hæresibus & hæreticis restitisse: vt verè & sapienter à Hieronymo dictũ sit, *Ecclesiæ salutẽ in summi Sacerdotis dignitate pendere, cui si non exors quadam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot Sacerdotes.*

Quod experientiam attinet, quam indè secutam, & hodiè apparere D. Beza putat; respondi, ordinibus & gradibus imputari non deberi mala, quæ afflixerunt Ecclesiam: ab hominũ prauitate illa prouenisse, non ab ipsis cõmissa legitima authoritate: quæ si nulla fuisset, grauiora mala Ecclesiã oppressissent. Falsa persuasio hæc est, Satanã tunc

insidiatum fuisse Ecclesiæ, & specie boni Patres fefellisse, atque Antichristianæ ac Apostaticæ sedis fundamenta iecisse, potiùs ex sanctis Patrum sanctionibus, quàm ex ipsis Apostolorum traditionibus, authoritate, & nominibus. Quod autem vtrisq; est abusus, fraus & malitia diaboli est, non rerum culpa. Quid, obsecro? An satanã hodie dormire credimus? & in gubernationis Ecclesiæ forma, quæ tantoperè plerisque placet, nullas latere insidias? Erramus, si id credimus. Illorum exemplis nunc edocti, facilius tyrannidem cauere possumus, si formam illam gubernationis retineamus, quàm si aliam commenti fuerimus ignotam Patribus, cuius exitum non videmus, nec quid mali indè euenturum est præuidemus.

14. D. THEOD. BEZA.

SEd tamen aliquid hîc mihi de nomine τῆς ἐξουσίας dicendum est, quæ tribus illis Metropolitis hoc canone in suas prouincias attribuitur. Hac enim voce potestatem nullam superiorem hic intelligi, primùm id declarat, quod expressè & ante & post hunc canonem fuit declaratum, nihil Metropolitanum absque coepiscoporum sententia agere magis potuisse, quàm ipsos absque suo Metropolitano coepiscopos. Deindè quod ἐξουσίαν vocârat, mox explicans πρεσβεῖα appellat. Est autem πρεσβεῖον, teste Plutarcho, propriè τὸ ἐν τῷ χρόνῳ πρωτεῖον, id est, honor ille prioritatis, vt ita loquar, qui propter ætatem senibus exhiberi solet, quod postea latiùs acconsueuit pro honore qui cuipiam propter dignitatem aliquam habetur. Denique ἐξουσίαν ἔχειν in hoc canone Niceno, nihil aliud est, quàm quod legitur in canone Antiocheno anteà citato, nempè τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι, id est, hoc honore affici quempiam vt cæteris præeat: & quàm ἀξίωμα Hierosolymitano Episcopo, canone eiusdem Niceni concilij septimo tributum, & quæ Ephesina synodus vniuersalis, habita anno Christi 435. appellant τὰ ἐκάστῃ ἐπαρχίᾳ πρόσοντα δίκαια, quæ cuiusmodi fuerint suo loco conabimur explicare, quantumuis iam tum mirabiliter pseudoarchiepiscopalis ille gradus processisset. Quod autem quoniam Petrus non semel à veteribus Princeps Apostolorum & Episcopus, periculosa καταχρήσει dictus appellatur, interdùm in veterum scriptis, sacerdotum princeps, hìnc suos illos ἀρχιερατικοὺς gradus inter eiusdem functionis collegas extruunt, (cùm tamen eo nomine primi tantùm in suorum collegarum cœtu dignitas notetur) non tantùm diuini Ecclesiastici iuris, verum etiam crassa Latinæ linguæ ignorantia falluntur, cùm, vt tu ipse rectè obseruas, cap. 25. princeps is sit latinè, qui primus est ordine, etiamsi non gradu superior.

HAD. SARAVIA.

VT D. Beza nullam faciat Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatuũ & Metropolitanorum authoritatem, duo hæc vocabula ἐξουσία & πρεσβεῖον interpretatur contrà quàm ipse sentit, qui tum mirabiliter processisse Archiepiscopales gradus fatetur, & ex canone doceri potest; qui non vult censeri Episcopum, eum quem non probâlset Metropolitanus.

Si vocabula hæc ἐξουσία & πρεσβεῖον authoritatem nullam important, cur improbat consuetudinem? & hoc decreto comprobatam dolet? cur fatum deplorat Ecclesiæ si modò fatum digna theologo vox est. Ipse ἐξουσίαν interpretatur per vocẽ πρεσβεῖον, & ego contra πρεσβεῖον per ἐξουσίαν, & discrimen quod inter vtramque vocẽ agnosco, præter proprias significationes, est causæ & effectus, & propter ἐξουσίαν decretum fuisse πρεσβεῖον, & quibus seruari Concilium voluit τὰ πρεσβεῖα, etiam τὴν ἐξουσίαν seruari similiter voluit. Linguæ græcæ peritos non fallet D. Bezæ interpretatio. Sed quoquo modo hæc libeat interpretari vocabula, vera significatio ea est, & verus sensus, quem vsus illius temporis dat; non quem quis ingeniosè eruere poterit. Sed mirum est D. Bezæ Patriarchæ & Archiepiscopi voces significare dominationẽ & ἐξουσίαν, non significare potestatem.

15. D. THEOD. BEZA.

QVod verò postea disputas, an inter se pugnent Episcopum agere, & Apostoli & Euangelistæ opus exequi, ambiguè propter horum vocabulorum homonymiam, abs te propositum, ego quidẽ sic accipio, ac si quæras: Num quis vnus esse ex Pastoribus oppidanis, & simul cum Pastoribus suis præesse, id est, ordine in illorum cœtu primus & communis actionis moderator esse possit: itidemque: Num quis suæ prouinciæ simul & aliarum prouinciarum coepiscoporum cœtui, eo quem diximus ordine, præesse possit? Respondeo ista duo neque inter se pugnare, neque esse in vno & eodem legitimè delecto, vt vulgò loquuntur, incompatibilia; si modò intra ordinis limites in hac administratione sese contineat.

HAD.

HAD. SARAVIA.

SÆpè questus sum, iniquum verborum meorum, mentísque meæ intepretem D. Bezam esse, qui in hac sectione se præberet æquissimum, si non statim proxima sectione resiliret ab ea, quam admittere videtur, sententiâ, oppugnandi gratiâ, quam sibi ipsi constituit aduersariam. Hoc enim est quod dicimus; hæc non pugnare inter se, & fieri posse vt ex oppidanis Pastoribus, vnus Pastor, & similiter ex prouinciarum Episcopis, vnus sit primus, qui præsit omnibus conuentibus & synodis Ecclesiasticis, tanquàm Moderator eorum, quæ ad ædificationem Ecclesiæ in deliberationem venient. Sed nescio ad quos ordinis limites hoc restrictum velit, cùm necessario quidam authoritatis gradus, cum hac præsidentia coniunctus sit.

Quomodò enim conuocare synodum (si quandò res postulet) poterit? Quomodò præsidere, & moderari, nisi modum imponendi iis, qui se immoderatiùs gerunt, & eos qui nimia loquacitate, aut alio quouis modo, alios turbant, aut interturbant, compescendi habeat potestatem? Certè nisi exors quædam ei detur potestas, cui parêre cæteri tenentur, vana & inanis erit præsidentia.

Nouum præsidentiæ genus nobis excogitat D. Beza, nunquàm anteà in societate auditum. Magnarum vrbium opifices, & mercatores, diuiduntur in societates & collegia: ciues in regiones & decurias, aut centurias, quæ omnes suos habent aut annuos aut perpetuos decanos & præsides: hos natura docuit: ab eis discere possumus, quæ sit conditio præsidis, & authoritas inter suos collegas. Minus tribuere Episcopo inter compresbyteros, & Archiepiscopo inter Episcopos, quàm illi tribuunt suo præsidi, est naturæ inuertere ordinem. Quàm tamen accedat Episcoporum & Archiepiscoporum authoritas ad ea, quæ ipse D. Beza posuit, expendere libet. Episcopi in sua diœcesi parœciam habent aut habere possunt pari iure, quo quisque alius Pastor aut rector suam parœciam obtinet: & præterea inspectionem totius diœceseos, non vt singulas parœcias regat: quî enim id fieri posset? sed vt videat singulas à singulis rectoribus bene regi.

Qua in re legibus & canonibus ita prospectum est, vt Pastori qui se gerit secundùm Ecclesiasticas regulas Episcopus nullam iniuriam facere possit. Et quemadmodùm idoneum Pastorem ipsi præsentatum recusare non potest, ita nec pellere suâ Ecclesiâ, quem ipse admiserit: aut qui ab eius antecessore admissus fuerit. Si quid quis peccet, legibus in publica audientia res tractabitur, vt mirer quenquam esse adeò perfrictæ frontis hic in Anglia, qui de Episcopis queri audeat, & exclamare, tanquàm nescio quam exerceant tyrannidē, & omnia pro sua libidine moderarentur; cùm nihil prorsùs possint sine legibus, nec contra leges, quibus ipsi æquè subiiciuntur, atque infimus quisque verbi Dei minister. Inquietos homines, schismaticos, & hæreticos, & eos, qui flagitiosâ vitâ scandalo sunt Ecclesiæ, si non patiantur, quid mirum? Nec ipse Beza cum ipsius collegis ferrent eos, qui Ecclesiæ apud eos constitutum ordinem turbarent.

Sed vlteriùs progredi, aut ab ordine ministerij depellendo, aut aliâ pœnâ Ecclesiasticâ, quàm leges constituunt, puniendo, nullus Episcopus potest. Ei qui duriùs aut iniquiùs actũ secum ab Episcopo iudicat, appellatio datur ad Archiepiscopũ: cuius & hoc officium est, videre vt Episcopi suum præstent officiũ. In quos non aliud habet imperium, nisi quod leges ei concedunt, vt visitet prouincias Episcoporum, & vt cognoscat de appellationibus, & iudicia, si fortè contra leges habita sunt, & sententias corrigat. Ab ipso etiam Archiepiscopo ad Regiam Maiestatem, quæ delegatos iudices rerum Ecclesiasticarum habet, appellatio est concessa. Qui sub Romano Pontifice degunt, mirabuntur D. Bezam tyrannidis ita damnare in vniuersum omnes Episcopos & Archiepiscopos, ac si Episcopum aut Archiepiscopum esse, sit esse tyrannũ. Non ignoro in eorum curiis multa peccari, quæ si reformentur, non video quæ sit futura reliqua tyrannis. Nam eorum authoritatem ita vndique circumcidit Romanus Episcopus, vt nec in coepiscopos, reliquumuè clerum exercere vllam queant tyrannidem, nisi eam, quæ Româ proficiscitur, & cum ea coniuncta est, & sese in omnes alias regiones porrigit, eíque subseruit. Alienum est à tyranno alios secum pati tyrannos.

Ipse

Ipse Romanus Episcopus omnes alios Episcopos & Archiepiscopos cogit in ordinē, & ea ipsis ademit, quæ Concilia generalia quondàm ipsis concesserant: transtulit ad se omnia iura allarum Ecclesiarum, nec quicquam reliquit, quod ad se rapere potuit: exiguum est quòd reliquit Episcopis & Archiepiscopis. In sede superbiæ ipse alios omnes Episcopos humilitatem docet, & modestiam. Episcoporum & Archiepiscoporum olim in suis prouinciis authoritas longè maior & liberior erat, quàm est hodiè. Sed iusto Dei iudicio id patiuntur, quotquot Christo subiici nolunt. Cuius Euāgelium vt regibus & Magistratibus ciuilis imperij iura non adimit, ita etiam Episcopis & Pastoribus Ecclesiarum authoritatem restituit.

16. D. THEOD. BEZA.

GRadum verò superiorem, quo quispiam teneatur de suorum collegarum parœciis, & simul de sua curam eundem gerere, ne Pastori quidem oppidano supra suos collegas concesserim. Quùm enim vix ac ne vix quidem Pastor quispiam suæ regendæ parœciæ satis idoneus vnquàm sit inuentus: quemnam tandem existimauerimus & parœciæ suæ regendæ, & tot Pastoribus, imò etiam suæ vni toti Ecclesiæ, & prætereà pluribus alibi præsidentibus coepiscopis, non ex collegarum sententia, quos vel nullos habeat, vel audire, nisi quatenùs ipsi libuerit, teneatur, sua ipsius auctoritate in officio continendis, parem esse posse?

HAD. SARAVIA.

NEminem arbitror fuisse, ne in ipso Papatu, qui id dixerit. Aliæ sunt Pastorum singularum Ecclesiarum & parœciarum partes, aliæ Episcopi, aliæ Archiepiscopi. Si spectetur Pastoris officium, quod est, docere plebem, celebrare sacramenta, visitare & consolari infirmos, & afflictos, & qui tam de singulis quàm de vniuersis curam habeat: sunt multæ parœciæ tam in vrbibus quàm rure, quas nemo vnus regere vnquàm poterit.

Hinc multi opus habent adiutoribus, vel compresbyteris, vno, vel pluribus, pro latitudine loci, vel multitudine populi. Et certè si has partes vni Episcopo in sua diœcesi, vel Archiepiscopo in sua prouincia quis mandaret, iniquus, vel potiùs insanus esset. Si D. Beza credit Apostolos & Euangelistas hoc subiisse onus, errat; nisi fortè eos velit Deos facere. In primis initiis alicuius Ecclesiæ, quandò pauci fuerunt fideles, id quando factum est, diuturnum non fuit. Apostoli & Euangelistæ adsumpserunt adiutores, & oppidatim creârunt Presbyteros, qui præstarent quod ipsi non poterant. Si Episcopis & Ecclesiarum rectoribus adiutores negarentur, vera esset D. Bezæ ratio. Mirum D. Bezam, quod sibi suisque permittit, negare Episcopis. Quandò D. Beza in Gallia erat, & in synodis Præsidis officio fungebatur; quùm tamen illarum Ecclesiarum nec Pastor, nec Episcopus esset; quis tunc Ecclesiæ ipsius gessit curam? Et quandò domi est, tantúmne otij, ab Ecclesiæ ipsius cura, ei, cui ne vix quidē vnus Pastor est regendæ satis idoneus, superest; vt totius ferè Europæ Ecclesiarum reformatarum negotijs se immiscear; parúmq; rectè videantur reformatæ, quæ ipsum non consuluerunt? (quod tamen ipsi probro non vertimus, modo ne ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶ) & nostri Episcopi circumiacentes, & vicinas parœcias visitando impares erunt? Ad eam rem vicarios, & officiales, & Archidiaconos, alij plures, alij pauciores habent, prout diœcesis latitudo, & vrbium amplitudo postulat. Quid autem sit, quòd *ne vix quidem Pastor regendæ vni parœciæ satis idoneus sit inuentus*, ait, non intelligo.

Quò enim hanc idoneitatem refert? ad rem ipsam, an ad humani ingenij imbecillitatem, an ad vtrumque? Humana ea est imbecillitas, vt ne cogitare quidem aliquid boni, ex nobis, tanquàm ex nobis, idonei sumus, adeò vt nè ipsi quidem Apostoli ad tantum munus, ad quos Deus eos vocauerat, idonei vnquàm fuerint. Rex certè nullus, nedum regni sui non admodùm ampli, sed ne suæ quidem Regiæ idoneus erit administrator: imò nullus magistratus suo muneri. Hæc ratio si valere debeat, euertet omne regimen; maximè si ad vtrumque referatur idoneitas: nisi fortè ad quoduis ciuile regimen idonei homines inueniri poterunt, non autem ad Ecclesiasticum. Sed Deus, qui idoneos facit magistratus pro conditione huius nostræ mortalitatis; dat etiam

tiam Ecclesiæ suæ Ministros, illis donis instructos, quibus si non perfectè, pro modulo tamen suo, Ecclesiam regere & ædificare possunt. Ab idoneitate absoluta nullum duci potest argumentum, vt quis tanquàm non sufficiat alicui muneri obeundo, reiiciatur. Sed quorsùm nobis proponit D. Beza regimen, quod nunquàm fuit, nec esse potest? Ipse, nisi vehementer fallor, non ignorat, quod sit Episcopi aut Archiepiscopi officium: & an Archiepiscopi etiam in papatu, quando præsident prouincialibus suis synodis, coepiscopos, & alios, qui de iure vel consuetudine interesse solent, pro nullis habeant, vel illos audire contenant, & omnia pro sua authoritate agant? Quorsùm (inquã) nobis Episcopos & Archiepiscopos cum ea cura & potestate inducit, quæ nunquàm fuit? Ego, nè ipsis quidem Apostolis, eam potestatem tribuo. De æquitate vel iniquitate causæ, quam tuetur, vel oppugnat, diffidere videtur, qui eâ relictâ, sibi aliam fingit.

17. D. Theod. Beza.

NAm Apostolis quidem tantâ spiritus abundantiâ donatis, itidémque summis illis viris Apostolorum comitibus & cooperatoribus datum fuisse fateor, vt tantisper dum constituere possent Ecclesias, modò omnes, modò plerásque sacri ministerij partes obire, & quidem cum spirituali quoque coercitionis potestate possent. Sed vbi tandem promisit Deus istorum donorum successionem? vbi, & quandò, & cui tandem Ecclesiæ deligendorum illorum potestatem dedit? Imò ipsi tot donis, & constituendarum Ecclesiarum potestate instructi Apostoli, tantum ab eo abfuerunt, vt tot vltrò functionum onera in se receperint, vt contrà simulatque fratres aliquot collegerant, nihil fuerit illis antiquius, quàm vt vel per se, vt Actor. 8. 14. 14. 23. vel per alios ad hoc ipsum missos, Actor. 11. 22. Tit. 1. 5. Presbyteros, id est, Pastores, Doctores, Presbyteros καθεστῆτας, prout fieri posset, constituerent: quibus regendas illas Ecclesias committerent, & quidem non suo arbitrio, sed (vt etiam in Matthiæ, & Diaconorum delectu factitârunt) ex fratrum suffragiis delectos. Vtitur enim Lucas verbo χειροτονῆν, nec aliter intelligendum est illud ἵνα καθίσησης, Tit. 1. 4. quùm alioquì plenam haberent Apostoli à Domino Ecclesias constituendi potestatem, & quidem adiuncto aduersùs rebelles spirituali coercitionis, 2. Corin. 10. 6. tum ordinariè, vt 1. Timoth. 1. 20. tum extraordinariè, vt Actor. 5. 5. & 9. & 13. 12. Tantum videlicet aberant illi à suarum virium, quas tamen maximas habebant, confidentia: clamante Apostolo, *Et quis ad hæc erit idoneus?* 1. Cor. 2. 16. nedum vt tot functionum onera, vel vltrò subirent, vel alios onerarent, qui potius illas distinxerunt, vt tuæ quisque eò facilùs satisfaceret.

Had. Saravia.

COntra quem D. Beza tota hac sectione disputet nescio. Ego nusquàm aut Apostolos, eorúmque cooperatores, singulorum Pastorum Ecclesiarum constitutarum aio subiisse onera, aut cuiquam obeunda imposuisse: tantùm abest vt Episcopos aut Archiepiscopos onerem functionibus omnium Pastorum singularum parœciarum, quæ ad eorum pertinent curam & inspectionem. Vndè ex meis scriptis id colligat D. Beza videre nequeo. Nemo ignorat alias esse Rectoris partes in sua parœcia, alias Episcopi, alias Archiepiscopi. Quærat igitur D. Beza suum hîc Antagonistam. Plura onera non imponimus Episcopis aut Archiepiscopis quam subiuerunt Apostoli aut eorũ cooperatores. Idem faciunt Episcopi & Archiepiscopi pro multitudine parœciarum, & populi, quod factitarunt Apostoli & Euangelistæ si Presbyteros καθεστῶτας excipias, quos hæc nostra exeudit ætas. Sed prætereundũ mihi non est, primùm quod ait *Tantâ Spiritus sancti abundantiâ donatos fuisse Apostolos, & eorum cooperatores, vt tantisper dum constituerent Ecclesias, modò omnes, modò plerasque, sacri ministerij partes obire potuerint*; tanquam vbi is donorum Spiritus sancti cumulus deest, nemo queat præstare in Ecclesiæ gubernatione, quod aut Apostoli aut eorum cooperatores præstiterunt. De Apostolis nihil dico; de eorum cooperatoribus, quales fuerunt Titus, Timotheus, Marcus, Demas, Tychicus, & plures alij, qubius supra ordinarias eorum qui ad ministerium Ecclesiæ vocantur vires, nihil fuisse impositũ legitur, non adsentior. D. Paulus manuum labore victum sibi parauit: tamen nihilo segnius Euangelium prædicauit. Multa præterea, & alios fecisse Apostolos probabile est, quæ omnem facultatem hominis superant. Vndè quamuis consequatur neminem hodiè parem illis laboribus, quibus illi non fuêre impares; non tamen efficitur neminẽ qui tantis donis præditus non est, in eadem regiminis Ecclesiastici forma, ex parte succe-

dere

dere non potuisse. Quamuis valdè inferiores essent Apostolis eorum cooperatores, ipsis tamen partem muneris Apostolici mandârunt. Qui se adfuturum Ecclesiæ promisit vsque ad finem seculi, non defutura necessaria dona promisit. Ex hac argumentandi ratione, nempè, quia nemo Apostolis in donis successit, neminem similiter in regendi ratione succedere; inferre licebit idem de reliquis Euangelici Ministerij partibus.

Quandò D. Beza quærit, *Vbi, & quandò, & cui tandem Ecclesiæ deligendorum illorum potestatem dedit?* Respondeo, non vni, sed omnibus Ecclesiis, quæ illis opus habent, vt sese conseruent, & pacem, vnitatémque tueantur. Opus autem habuisse & habere Episcoporum, & Archiepiscoporum gradibus, singularum gentium populorúmque Ecclesias, vsus omnium temporum ab Apostolorum temporibus, manifestauit. Asiaticæ, Armeniacæ, Scythicæ, Persicæ, Africæ, Æthiopicæ, Europeæ, Germanicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Britanicæ, Italicæ, habuêre ab initio, quo cœpêre esse, suos Primates & Episcopos, vt id negare sit extremæ impudentiæ. Quandò autem, & vbi potestatem hanc dederit Dominus, dico tunc, & ibi, quandò Apostolis potestatẽ ligandi atque soluendi dedit, quandò claues regni cœlorum tradidit, quandò promisit, ꝙ si duo ex vobis consenserint in terra, quodcunque petierint fiet eis à patre meo: vbi enim duo vel tres conuenerint in nomine meo, in medio sum eorum. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Matth. 16. 19. & 18. c. 18. 19. 20. & 28. cap. 20. Quicquid Deus illis in locis Apostolis promisit, & dedit: data & promissa fuisse Ecclesiis antè demonstraui.

18. D. THEOD. BEZA.

QVæ denique ex Cypriano, Ambrosio, Augustino, Theodoreto citas, tantùm ostendunt appellationum Apostolatus & Episcopatus catachresin: quam minimè negamus, sed quæ nostram controuersiam non dirimat, imò verò perplexiorem reddat. Sed hoc quidem certum est, te ipso, vt spero, non dissensuro, Ambrosium, Prophetarum nomen, quos Paulus secundos ab Apostolis statuit, in illa exacta ministrorum sacrorum recensione 1. Cor. 12. 28. & Ephes. 4. 11. malè pro scripturarum explanatoribus accipere, vt alibi dixi; & in Apostoli quoque appellatione Theodoretum fuisse deceptum: quam nego quidem ego vspiam ad alios referri, quàm ad illos specialiter sic appellatos duodecim, quibus allectus est posteà Paulus: sicut diaconis nec Pastorum, nec Doctorũ nomen vsquàm est attributum.

HAD. SARAVIA.

CAtachresticòs Patres illis vocabulis non fuisse vsos, totus sermonis cõtextus demonstrat: docere enim intendunt, Episcopatum esse quendam Apostolatum, & vicissim Apostolatum esse quendam Episcopatum, propter affinitatem quæ est inter vtrumque officium; quam si admittat D. Beza, controuersia nostra desinet, nec erit quod vltrà disceptemus. Apostolus Petrus Apostolatum vocauit ἐπισκοπὴν: & Paulus Episcopos ornat Apostoli vocabulo, vt nos iam superiùs docuimus. Quod Ambrosium attinet, mens eius non fuit negare Prophetas veros temporibus Apostolorũ fuisse, eósque significatos Prophetæ vocabulo, sicut apparet quandò Agabum nominat: sed in Ecclesia perpetuum officium Apostolorum, Prophetarum, & eorum omnium quî ibi commemorantur significare voluit: ne quis credat minus hodiè curæ Ecclesiam Domino Iesu Christo esse, ac fuit olim; eosdem Ministrorum gradus, in Ecclesia ab Apostolorum temporibus docet esse continuatos.

Theodoretum fuisse deceptum in Apostoli appellatione à D. Beza æstimari nihil mirarer, si non addidisset se negare vspiàm ad alios referri, quàm ad illos specialiter sic appellatos duodecim, quibus adlectus est posteà Paulus; quùm ipse in suis adnotationibus, non vno in loco, etiam aliis pluribus ab illis duodecim adfirmet tribui. In versum 34. ca. 23. Matth. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, &c.* quem confert cum 49. ver. 11. cap. Lucæ, qui habet, *Mittam ad eos Prophetas & Apostolos*, adnotauit his verbis, *Vtitur nominibus Iudæorum genti vsitatis, eos designans, qui sunt posteà aliis nominibus appellati, si Prophetarum appellationem excipias. Lucas sicut pro* ἐγὼ *obscuriùs, in tertia persona dicit* ἡ τοῦ θεοῦ σοφία, *Dei sapientia, ita apertiùs Apostolos pro sapientibus & scribis dixit.* Et in 24. vers. 15. ca. in Matt. in hæc verba διὰ ἀποστόλων, non

sum

sum missus, adnotauit. *Hinc factum vt Christo etiã ipsi tribuatur Apostoli appellatio Heb. 3. cap. 1. ve. vt qui ipse sit ἀπόστολος missus à patre, eorum alioqui propria, quibus illud specialiter conuenit,* & in 33. vers. 15. cap. Actor. τοῦς τῶν ἀποστόλων per *Apostolos intelligit generaliter Ecclesiam Hierosolymitanam, non illos peculiariter sic vocatos, qui tunc fortasse pauci erant Hierosolymis, & fortasse præter Iacobum nulli.* Et in vers. 7. cap. 16. Epistolæ ad Rom. super his verbis *inter Apostolos,* sic habet, *id est, Quorum nomen apud ipsos etiam Apostolos viget; vel qui, & ipsi sunt insignes Apostoli. Sic enim interdum accipitur hoc nomen in genere, pro iis qui Christi nomine funguntur legatione.* Hæc D. Beza. Nos ipsi iam diuersis locis ostendimus, de pluribus quàm de 12. viris dici. Quid multis moror? Omnium iudicio notum est Apostoli nomen, ad plures referri quam ad duodecim illos: quos propriè & κατ' ἐξοχὴν sic vocari, quamuis concedamus, hoc non facit, quo minùs & alij vocentur eo nomine, quatenus eiusdem Ministerij Euangelici, quamuis non in eodem gradu erant participes: proindè Theodoretus nihil absurdi dicit. Idem apud alios plures veteres scriptores reperire est: ad quorum obseruationem lectorem remitto.

HAD. SARAVIA.

Episcopi sunt diuina institutione, & Apostolica traditione, ordinati.

CAPVT XXI.

Apostolos nihil constituisse in Ecclesia, quod à Domino non acceperant, certum est. Crearunt autem Episcopos, qualis fuit Titus, & Timotheus, vbicunque opus fuit. Nisi enim per orbem vniuersum dispersi Apostoli, Episcopos constituissent, tantus & tam vniuersalis consensus eos non approbâsset. Nam cùm locorum immensis spatiis ab inuicem distarent Ecclesiæ, mirum esset nullam Ecclesiam retinuisse diuinum illud, quod creditur esse, regimen, cuiusmodi hodiè in Ecclesiis quibusdam reformatis conspicitur. Non potuerunt Ecclesiæ in rebus adiaphoris, de quibus nihil certi traditum fuit ab Apostolis, non plurimùm inter se variare: miraculum certè maximum esset, in hac vna re potuisse cõsentire, & simul tanto consensu & tam vniuersali, traditionem Apostolici regiminis mutare.

Omnes orthodoxi crediderunt se in hac re sequi traditionem Apostolicam, & diuinam institutionem. Irenæus lib. 3. c. 3. aduersùs hæreses scribit. Traditionẽ Apostolorum in toto mundo manifestam in Ecclesia adesse perspicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum, vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. *Ex quibus verbis apparet, traditionem esse Apostolicam, & institutionẽ diuinam, quod in omnibus Ecclesiis ab Apostolis institutis fuit receptum. Atqui Episcoporum ordo vbique ab omnibus Ecclesiis fuit receptus: traditio igitur est Apostolica, & institutio diuina. Cyprianus lib. 4. Epist. 9.* Vnde (*inquit*) schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, nisi dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? &c. *Idem Epistola 27. ordine Episto-*

Epistolarum, citans illud Matthæi: Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. *infert, quòd indè per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, Episcopus constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cùm hoc itaque diuina lege fundatum sit, miror quosdam, &c.*

1. D. THEOD. BEZA. ad caput 21.

HIc verò tute tibi monstra fabricas, *Apostolos*, inquis, *nihil constituisse in Ecclesia quod à Domino non accepissent, certum est.* Assentior. *Creârunt autem Episcopos, qualis fuit Titus, & Timotheus, vbicunque opus fuit.* Ludis in Episcopi appellatione, quam modò refers ad Euangelistas, modò ad oppidatim constitutos Pastores, modò ad senatus Ecclesiastici ex oppidanis Pastoribus, Doctoribus, & Presbyteris συζευγήταις constituti προεσώτας: quæ omnes functiones specie differentes fuerunt. Quocunque autem nomine hanc appellationem accipias (quamuis periculosa καταχρήσει, quùm omnes isti dicerentur Episcopi gregis inferioris respectu, hæc appellatio ad solos προεσώτας traducta est, quasi suis compastoribus & compresbyteris gradu superiores) tales Episcopos diuinitùs, & quasi ipsius Christi voce, constitutos, absit vnquam simus inficiati. Non igitur de his ordinibus intra nos controuertitur, quem etiam existimamus in nostris Ecclesiis esse ad amussim verbi diuini & Apostolicorum temporum, quoad eius fieri potuit, restitutum: sed de ordine isto in gradum humanitùs inuentum, & qui mox in pseudopatriarchalem, pseudarchiepiscopalem, pseudepiscopalem detestandam tyrannidem euasit, inter nos agitur.

HAD. SARAVIA.

OPus erit alio quopiam Hercule, qui hæc monstra conficiat: nam ea intacta D. Beza præterit. Si monstra dicenda sunt, quæ capite 21. tradidi, ego certè nec ea fabricaui, nec peperi. Patrum verba sunt quæ adlegaui, & in quorum confirmationem propositionem constitui generalem, veram, & ita manifestam, vt negari non possit: adsumptio & complexio (vt nunc docebo) Patrum sunt. Si mea propositio est monstrum; cur eam admittit D. Beza? Quæ verò monstra inde fabricem, iudicet æquus lector: iamdudùm à D. Bezæ appellaui sententia. Adsumptionem meam hanc, Apostoli autem creârunt Episcopos, quales fuêre Timotheus & Titus, vbicunque opus fuit, &c. D. Beza his verbis excipit. *Ludis* (inquit) *in Episcopi appellatione, quam modò refers ad Euangelistas, modò ad oppidatim constitutos Pastores.* Non ludo: seriò ago; & noui de quibus nomen Euangelistæ dicatur, & similiter Episcopi: & neminem futurũ puto alicuius iudicij, qui mea legens non facilè intelliget quos significem Episcopos, & quos Euangelistas: in quorum nomine non modò ludere aio D. Bezam, sed turpiter errare & labi; qui credat Titum & Timotheum, & quotquot fuerunt illius ordinis Euangelij Ministri, fuisse propriè Euangelistas, qualis Philippus & Barnabas fuerunt.

Ex vno indiuiduo de tota specie fieri potest iudicium. Euangelistæ, sicut & Apostoli à Deo immediatè fuerunt vocati, & ab ipsius dirigebantur spiritu, vt doceri ab Apostolis nihil haberent opus: qui certè vt gradu inferiores erant Apostolis, ita gradu erant maiores suis & Apostolorum adiutoribus, quos ipsimet formauerant; in quorum ordine erat Iohannes Marcus consobrinus Barnabæ, cum Tito & Siluano. Timotheum & Titum fuisse Presbyteros cum impositione manuum ab Apostolo creatos, negari non potest, & pluribus Ecclesiis præpositos. Hos Patres propriè vocant Episcopos. Eusebius in historia Ecclesiastica ait: *Traditione acceptum, Timotheum Ecclesiæ, quæ est Ephesi, Episcopatum obtinuisse.*

Dorotheus Tyri Episcopus, qui vixit sub Constantino magno, in synopsi scriptorum Ecclesiasticorum, ait; *Timotheum Ephesiorum Episcopum à Paulo fuisse constitutum.* Hieronymus, aut si non Hieronymus, ex veteribus quispiam in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum de Timotheo narrat, *Timotheus autem Ephesiorum Episcopus ordinatus à Paulo ex gentibus erat.* Et Chrysostomus in argumento prioris ad Timoth. *Præfectum tunc fuisse Ecclesiæ Ephesinæ. Et 5. cap. Asiam ei fuisse creditam,* & in posteriore 4. cap. Theodoretus idem dicit. Chrysostom. 2. Timoth. adfirmat *Titum fuisse Episcopum totius*

pum totius Insulæ Cretæ. Si recentiores authoritate valent in hac re, Illyricus vocat *Timotheum & Titum multarum Ecclesiarum Episcopos.* Pellicanus vocat *Titum Archiepiscopum Cretæ.* Erasmus scribit à Paulo Titum *fuisse ordinatum Archiepiscopum Cretæ.* Si hi non sufficiunt, plures posse citari, D. Beza non ignorat: quos omnes mecũ monstra fabricâsse oportet; & in Episcopi lusisse vocabulo. Qui certè quid Episcopi vox significaret, non ignorârunt: nec quomodò eam acceperint, difficile est intelligere. Legere lectorem velim totum 21. caput, & conferre cum hac D. Bezæ responsione. Nam quæ hîc rursùs adfert, me Episcopi appellationem, modò referre ad Euangelistas, modò ad oppidatim constitutos Presbyteros, modò ad senatus Ecclesiastici ex oppidanis, Pastoribus, Doctoribus & Presbyteris constituti, πρεσβυτέρους; quæ omnes functiones distinctæ fuerunt, &c. nescio, quorsùm id faciat. Nec ambiguè, nec perplexè scripsi; lucidè meam sententiam exposui, & probationem ex Patribus adlegaui, & vsum concordem omnium Ecclesiarum: quæ omnia D. Beza præterit, & sermonem implicat & inuoluit: vt quid velit & intendat contra me, nequeam dispicere.

2. D. THEOD. BEZA.

NEque tamen propterea huius tyrannidis omnes Archiepiscopos, seu Episcopos hodiè vocatos accusamus. Quæ fuerit enim hæc arrogantia? Imò cunctos sic hodie appellatos, modò sanctorum illorum Episcoporum exemplum imitentur, & tam miserè deformatam domum Dei ad amussim ex verbi diuini regula pro viribus instaurent, vt Ecclesiæ Christianæ fidos Pastores, cur non agnoscamus? obseruemus? & omni reuerentia prosequamur? nedum, vt, quod falsissimè & impudentissimè nonnulli nobis obiiciunt, cuiquam vsquam Ecclesiæ sequendum nostrum peculiare exemplum præscribamus, imperitissimorum illorum similes, qui nihil, nisi quod ipsi agunt, rectum putant.

HAD. SARAVIA.

INanis est omnis protestatio contraria factis. Ego partes eorum non defendo, qui authoritate sua abusi sunt, aut abutuntur: absit vt ego patrociner ambitioni, auaritiæ, aut tyrannidi Episcoporum, & impiorum Euangelicæ doctrinæ aduersariorum. De Episcopis loquor & scribo, quales fuerunt Irenæus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Basilius magnus, Athanasius, & quales etiam hodiè in Anglia habemus: quorum non ego solus contendo authoritatem in Ecclesiæ gubernatione esse diuinæ institutionis, & Apostolicæ traditionis, sed tota antiquitas, quæ in eadem fuit sententia: idque mihi videor claris & perspicuis demonstrare rationibus, & Patrum testimoniis; quæ præteriri intacta, damnarique, nec tamen vllius erroris conuinci ex verbo Dei, doleo.

HAD. SARAVIA.

Inter Episcopum & Presbyterum nihil discriminis esse, fuit opinio Aerij: quæ hæresis est habita a Patribus.

CAPVT. XXII.

Hic audiuimus dignationem Dei & diuinam legem, quibus Episcoporum authoritatem niti crediderunt. Præterea, nisi verbo Dei Episcoporum ordinem fuisse constitutum orthodoxi Patres credidissent, nunquam inter hæreses, Aërij opinionem numerâssent: qui post 300. annos ab Apostolorum temporibus primus asserere ausus est, nihil inter Episcopum & Presbyterum interesse. De quo Epiphanius scribit, quòd sermo ei erat furiosus, magis quàm humanæ cõditionis: quem & refert idem Pater dicere solitũ, Quid est Episcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo: vnus enim ordo est, & vnus (inquit) honor, & vna dignitas. Imponit manus Episcopus, sedet Episcopus in throno; sedet etiam Presbyter. *Hæc Aërius. Epiphanius contrà, primò ostendit Episcopũ creare Presbyteros, & non à Presbyteris creari Episcopum.* Episcoporum (*inquit*) ordo patrum generator est: patres enim generat Ecclesiæ: Presbyterorum vero non potest generare patres: per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen patres, aut doctores. Quomodo enim posset Presbyterum creare, qui potestatem imponendi manus non habet in Electione? *Et ad rationes Aërij respondet*, quod eum deceperit nugacitas ipsius & æmulatio, & ignarus fuerit historiarum veterum, quod cum recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata, velut habebat, scripsit. Vbi enim erant iam Episcopi constituti, scripsit Episcopis & Diaconis: non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere; Presbyteris enim opus erat & Diaconis: per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Vbi vero non inuentus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo: vbi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi. Cum autem multitudo non esset, non inuenti sunt inter ipsos qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Verum sine Diacono impossibile est esse Episcopum: & curam adhibuit sanctus Apostolus, vt Diaconi essent Episcopo. Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis, prout ratio temporis locique exigebat. Nam singulæ res non ab initio habuerunt omnia: sed progressu temporis, ea quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur, &c.

Confirmat hæc exemplo populi Israelitici, cui præfuit Moses; qui non vno die, sed tempore illam formauit Remp. Et quemadmodùm errâsset olim, qui reformandæ Ecclesiæ Israeliticæ exemplum sumere voluisset ab ipsius imperfecto, & nondum plenè formato statu: ita hodiè errant, qui ad imperfecta initia Ecclesiæ, eius statum reuocant. Itaque infert Epiphanius hoc modo. Sic etiam (*inquit*) quæ apud Apostolum scripta sunt, donec ampliata est Ecclesia, donec

donec ad propriam mensuram deuenit, donec ornatu intelligentiæ iustissime ex patre & filio & spiritu sancto gubernata est. *Multæ intelligit Epiphanius defuisse, & postea eundem non esse Presbyterum & Episcopum, ex eo quod Paulus ad Tim. qui Episcopus erat, scribit,* Aduersus Presbyterum ne cito admiseris accusationem, nisi coram duobus aut tribus testibus; *& non dixit ad aliquem Presbyterum, ne admiseris accusationem contra Episcopum &c. Epiphanij sententiam confirmat Augustinus, qui hunc Aërij errorem inter hæreses numerat.*

1. D. THEOD. BEZA. ad caput 22.

NIsi, inquis, *verbo Dei Episcoporum ordinem fuisse constitutum orthodoxi Patres credidissent, nunquã inter hæreses, Aerij opinionem numerâssent, qui post trecentos annos ab Apostolorum temporibus, ausus est primus asserere inter Episcopum & Presbyterum nihil interesse.* Absit verò à nobis, vt vllorum de Ecclesia Dei bene meritorum memoriam debitâ reuerentiâ non prosequamur. Absit tamen vicissim à nobis, vt eorum scripta, quod & ipsi fieri vetuerunt, tanquam αὐτόπιστα, recipiamus. Superest ergo vt illa ad verbi diuini trutinam expendamus. Certum enim est in illorum scriptis, vt qui homines fuerint, non tantùm gemmas, aurum & argentum, sed etiam fœnum & paleam inuenri, quas dies Domini igne verbi sui paulatim absumit; imò etiam reperiri, quæ ne paleæ quidem & fœni nomen mereantur: tanta fuit omnibus seculis spiritus erroris efficacitas. Et tamen ista sic reprehendenda puto, vt Chami detestandam turpitudinem in Noachi patris sui detegendis pudendis nequaquàm imitemur.

HAD. SARAVIA.

PAtribus nihil tribuo, si quid doceant contra expressum Dei verbum. Scio eorum scripta non esse canonem fidei Christianæ, nisi quatenùs cum eo consentiunt; alias vniuersalem consensum Patrum, in re quapiam, contemnere non audeo. Hanc D. Augustini regulam lib. 4. capite 24. de baptismo contra Donatistas, mihi sequendam arbitror. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs constitutum, sed semper retentũ est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Si tamen D. Beza docere potest ex verbo Dei errâsse in hac re Patres, & Aërium veram defendisse sententiam, nihil impedio quin ipse prævaleat. Sed si omnibus seculis tanta fuit erroris efficacitas, vt Patres illi pro puro argento, auro & gemmis, ligna, fœnum & stipulam admiserint: quid nos? Quid nostra secula? D. Bezæ iudicio Germanorum errant Ecclesiæ, errant Anglorum; similiter statim mortuis Apostolis, Patres qui illam ætatem secuti sunt, errârunt. Geneuensis verò Ecclesia, quid? quid Gallicanæ? Hominum sorte exemptas credimus? & merum aurum, aut argentum, aut gemmas esse quicquid superstruimus? Nullæ D. Bezæ rectè videntur reformatæ Ecclesiæ, præter suam Geneuensem, & quæ eam sunt imitatæ. Sed quâ mensurâ metitur aliis, & alij remetiuntur ei. Frustrà hic se excusat quòd Patres reprehendat, cùm illos de nullo errore pernicioso conuictos condemnat.

2. D. BEZA.

LIceat igitur hic nobis in Epiphanium inquirere, qui primus istum contemporaneum suum (vixit autem Epiphanius cum Chrysostomo) inter hæreticos retulit, & fortasse solus. Nam historia Eustathij Sebastiensis Episcopi, cuius hic dicitur fuisse Presbyter, nulla prorsùs fit aduersus historiæ Ecclesiasticæ veteribus scriptoribus eius rei mentio: & quæ de hac hæresi posteà scripserunt Augustinus & Philaster, ex Epiphanio desumpserunt. Quænam autẽ ista sunt? Quòd orare vel offerre pro mortuis non oporteat. Quòd sancti mortui non sint inuocandi. Quòd statuendi non fuerint certi ieiuniorum dies. Quòd Episcopus & Presbyter sint æquales. Quòd etiam illi Arianismus quoque obiicitur, si verum est, hæreticus sanè esto, & habetor, quòd ad hoc attinet. Sed quid si Arianismum, & alteram item hæresin, Eucratitarum videlicet, parùm probabiliter Aërio obiectam dicamus? Quũ enim Eustachius iste, vt Arianus, & propter alia quoque pseudomonasticæ ἀσκήσεως dogmata in Gangrensi synodo fuerit damnatus, quis Aërium, quem ipsi infensissimũ fuisse idem Epiphanius scribit, illi ἀμφὶ ταῦτα fuisse credat?

HAD. SARAVIA.

HÆc omnia nihil probant, fieri potest vt vterque hæreticus fuerit, tam Eustathius Sebastiensis, quàm Aërius; & fuerint tamen inimicissimi. Videmus, inter eiusdem vnius & plurium hæresium socios, maxima dissidia: quod in Anabaptistis est

perspicuum. Non omnes qui cum Ario sentiebant, inter se in omnibus cæteris consentiebant. Quòd hæreticus fuit Eustathius, ab hæresi non liberat Aërium. Quicquid sit, Augustinum adeò leuis indicij non arbitror, qui ex incerto rumore inter hæreticos quenquam referre voluerit. Id D. Beza dicere posset, si Augustinus re non examinata, Aërij tantùm nomen, & Aërianos, inter hæreticos numerâsset; sed cum errores notauerit, & inter eos, quòd nullum discrimen constitueret inter Presbyterum & Episcopum; nihil præcipiti iudicio ab Augustino factum credo, vt doctrinam cum verbo Dei cõsentientem, inter hæreses numeraret. Arij errorem non defendit D. Beza: de reliquis Ecclesiam illius temporis culpat; quàm iusta de causa, videbimus sequenti sectione.

3. D. THEOD. BEZA.

QVantò verò probabilius est illum existimare, non inuidiâ siue æmulatione, propter Episcopatus repulsam ab Episcopo illo suo dissensisse, sed quòd illum & alios nimirùm multos cerneret iam pridem Episcopali ordine non contentos, Ecclesiis dominari, & pseudoepiscopali imperio fretos, quæcunque illis libuisset in Ecclesiis credenda vel statuenda obtrudere? Certè, Saraniâ, si hunc Aërium hæreticum fuisse censes in tribus illis prioribus capitibus: hæreticæ hodiè sunt tibi, vt pontificiis, omnes reformatæ Ecclesiæ. Et cur non tam mihi liceat Hieronymum cum Aërio, in hoc, de quo agimus, capite consentientem, orthodoxos appellare, quàm Epiphanium ab Ario in quatuor illis capitibus dissentientem, vt grauissimè errantem reprehendere? A quo enim alio, quàm ab Epiphanio, reprehensum, nedum damnatum hunc Aërium fuisse comperies? Sed agè, reprehenderit Aërius non tantùm pseudoepiscopalem illum gradum, sed etiam ordinem, quod tamen probabile non est, errauerit profectò. Sed num propterea fuerit inter damnatissimos illos hæreticos reponendus, nullâ cuiusquam synodi, de qua nobis constet, cognitione præeunte damnatus?

HAD. SARAVIA.

MIhi valdè molestum est à D. Beza Aërium excusari, & ex sola suspicione, & quòd quædam videatur defendisse, hodiè in Ecclesiis reformatis recepta, Epiphanio præferri, & tantum virum vituperari; plus hoc obest veritati, quàm prodest. Longè alia, meo iudicio, causa hodiè est Ecclesiarum reformatarum, alia fuit olim Aërii. Bonam causam cum mala qui coniungit, labefactat. Cur probabilius sit D. Bezæ, Aërium secessionẽ fecisse ab Ecclesia, & seorsim cõdidisse sectam, quòd cerneret Eustathium, & alios multos, iam pridem Episcopali ordine non contentos, Ecclesiis dominari, & pseudoepiscopali imperio fretos, quæcunq; illis libuisset in Ecclesiis credenda, vel statuenda obtrudere, quàm inuidiâ & æmulatione, propter Episcopatus repulsam, ab Episcopo suo dissensisse; non video. Causa tunc in Ecclesia nulla erat, cur ab ea discederet, et seorsim sectam conderet.

Quamdiù quis in Ecclesia aliqua degit, quæ in Dominum Iesum & patrem Domini nostri, ac in Spiritum sanctum piè credit, & sacramenta integra administrat, nullâ idololatriâ cõtaminata, quamuis in eâ superstitiosa quædam in vsu sint, & in moribus abusus multi, non est ab ea discedendum, & seorsim erigendum altare contra altare. Multi & varij erant in populo Dei errores & hæreses, varij, & magni abusus in vita & doctrina sacerdotum; ab eis tamen Dominus non secessit, nec seorsim aliam Ecclesiam condidit: statis temporibus in templo comparuit, dies festos, ritus & ceremonias obseruauit; precatus est in templo Dei, quod in speluncam latronũ mutârat auaritia sacerdotum: tamen quia ipse ibi Deũ precari, & cœtibus populi Dei interesse potuit, sine impietate & idololatria; societatem, pacem & vnitatem cum tota illa gente retinuit; in qua longè plures erant mali, quàm boni. Si nos in Ecclesia Romana sine sacrilega impietate manere potuissemus, puri ab idololatria & scelere, propter Episcoporum tyrannidem, & multos varióque abusus, quibus tantùm læduntur qui ea perpetrant, secedere ab ea non fuisset integrum. Nam si in templo Hierosolymitano Iouis Olympij stetisset simulachrum adorandum orantibus in templo: Dominus nec eius discipuli in illud nunquàm precandi causâ fuissent ingressi.

Quamuis illa ætate, à quibusdam superstitiosè, ab aliis sincerè & piè pro mortuis preces & oblationes fierent; superstitio illa priuata fuit, & cultoribus tantùm nocuit, non pacem & communionem cum illis retinentibus. Publica Ecclesiæ doctrina illius temporis, libertatem cuiq; suam relinquebat, nec superstitionem, tanquàm ad salutem necessariam,

neceſſariam, vrgebat. Quàm autem illa diuerſa fuerint ab oblationibus & precationibus pro mortuis, quas videmus in papatu, ex ipſo Epiphanio apparet. Purgatorius ignis, & indè per expiatoria Miſſarum ſacrificia liberationes, pro articulis fidei non obtrudebantur. Nihil enim horum fiebat vt animæ liberarentur è pœnis inferni. Græci adhûc hodiè ab illis temporibus orant pro mortuis: qui tamen purgatorios nullos credunt ignes, nec crediderunt. Epiphanius in loco vbi impugnat Aërij errores, nullius purgatorij facit mentionem: nec id fieri, cùm cauſas recenſet illius conſuetudinis, ait, vt liberentur mortui à pœnis purgatorij; *καὶ γὰρ δικαίων ποτὲ μεμνήμεθα τὴν μνήμην καὶ ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν ὑπὲρ ἐλέους θεοῦ θεόμενοι, Etenim iuſtorum memoriam recolimus & iniuſtorum, pro iniuſtis quidem, ſuper Dei miſericordiâ admirantes?* Mihi θεόμενοι precantes aut implorantes, non rectè verti videtur: ſed D. Bezæ, aut aliorum, qui Græcè nôrunt, eſto iudicium. Ex Epiphanio & aliis Patribus, clarum eſſe poteſt, quicquid priuatìm ſuperſtitioſiùs à quibuſdam creditum, & factum fuerit, Eccleſiæ illius temporis doctrinam de orationibus pro mortuis, longè diuerſam fuiſſe ab ea quæ hodiè in Romana Eccleſia traditur: vt idcircò non fuerit ab Aërio ſeorſim colligenda Eccleſia.

De inuocatione Sanctorũ, quod ab Epiphanio præteritũ miror, tam ex ipſo quàm aliis, quæ fuerit Eccleſiæ doctrina, notum eſt, ſimiliter de certis ieiuniorum diebus, longè differentem fuiſſe doctrinam ab ea quam Romaniſtæ tuentur. De quibus hoc in genere dictum eſto: non temerè eſſe violandum, quod Eccleſia de rebus adiaphoris ex cauſa, pro temporum & locorum ratione, conſtituit. Et vbi in hoc peccatur genere, non tamen iuſtam cauſam eſſe ſeceſſionis. Digredi ad ſingula fuſiùs explicanda de quibus damnatur Aërius, alienum nimis à noſtro inſtituto eſſet.

Interìm hæc eſt mea de Eccleſia illius temporis, & de reformatis Eccleſiis noſtri ſeculi ſententia: de Aërio autem, nec à ſchiſmate, nec ab hæreſi poſſe excuſari iudico: non propter Arianam hæreſim, quæ ab Ario, ſectatoribus ſuis nomẽ dabat, nec propter illa tria quæ adduntur, quorum non fuit author, nec quiſquam illa ætate inter hæreticos propterà numeratus, qui nullam hæreſim defenderet; ſed ob errorem cuius ipſe primus author fuit, quandò Presbyteros ita obſtinatè Epiſcopis æquauit, vt ab Eccleſia ſeceſſionem fecerit, & ſeorſim ſynagogam conſtituerit. Si aliquot Eccleſiæ illius temporis nævos notauit, illud fecit, quod ſolent inimici, quando eorum quos odêre, palam faciunt crimina, dum exprobant, vindicandi ſeſe animo, non medendi.

Si D. Bezæ libet Aërium Epiphanio præferre, & Hieronymum cum Aërio coniungere, habeat illud ſibi iudicium: tutius mihi arbitror, & ad Eccleſiarum noſtrarũ ædificationem commodius, ei præferre Epiphanium, & ab eo diſiungere Hieronymũ, quàm eos ſimul coniungere, quos tam in hac controuerſia, quàm in pluribus aliis certum eſt diuerſa ſenſiſſe. Sed Epiphanium non alio eſſe loco apud D. Bezam dolet, ac vehementer mihi iſta comparatio diſplicet. Eadẽ ratione præferetur Auxentius Ambroſio, quòd ille martyrum memorias execraretur, hic coleret. Conſtat enim ex Epiphanij ſcriptis, ſimiliter & Ambroſij, ac aliorum Patrum, in tribus illis capitibus nihil ſenſiſſe eorum quæ hodiè defenduntur in Romana Eccleſia. Alius fuit Patrum error, aut potiùs erroris principium, aliud papiſticum ſacrilegium. Quid Aërij damnationem in dubium D. Beza reuocat, qua ratione perſuaſus id faciat, ipſe viderit. Si quem citauero præter Auguſtinum & Philaſtrũ, dicet ſecutum aut illum aut hos. Sed certum hoc eſt, quòd tanti non omnes fuêre hæretici, vt propter ſingulos, fuerit ſemper opus conuocare ſynodos. Multæ fuerunt hæreſes, ob quas conuocari ſynodos nihil neceſſe fuit, quòd per ſeſe cum ſuis authoribus conciderint.

4. D. BEZA.

SEd agè, ad rem ipſam accedamus, & cùm Aërij argumenta, quæ multò plura fortaſſis haberemus, ſi ipſius ſcripta extarent; tum Epiphanij reſponſiones expendamus. *Nihil differt hic ab illo*, inquiebat Aërius; *Vnus enim eſt ordo, & vnus honor, & vna dignitas; imponit manus Epiſcopus, ita etiam Presbyter: diſpenſationem cultus diuini facit Epiſcopus, ſimiliter & Presbyter: ſedet Epiſcopus in throno, ſedet & Presbyter.* Quid contrà Epiphanius? Fieri non poteſt, vt Epiſcopus & Presbyter ſint æquales. *Epiſcoporum enim ordo, Patrum generator eſt: Patres enim gignit Eccleſia. Presbyterorum autem ordo,*

eum ordo, quia non poteſt generare patres aut Doctores, filios gignit Eccleſiæ. Quo igitur modo Presbyterum conſtitueret, qui manuum impoſitionem ad eum creandum non haberet, ac proinde Presbyterum Epiſcopo dicere æqualem eſſe? Atqui minimè ſic illiditur Aerij argumentum. Primum enim quod ius χειροθεσίας, 1. manuum impoſitionem ad Epiſcopos Epiphanius reſtringit, facit quidem hoc, ex more quem iàm tum inuexerat ambitio, ſed contra Dei verbum expreſſum, perſpicuum, dilucidum, de impoſitione manuum Presbyterij, 1. Tim. 4. 14. Quid enim ſit Presbyterium, nempe Presbyterorum, id eſt, ſenatus Eccleſiaſtici conſeſſus, res ipſa clamat, & ſic vocabatur cœtus eorum, qui tunc ex inſtituto Moſis, ſi ordinem ipſum ſpectes, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ præerant, populi nomine, Luc. 22. 66. Sic quoque loquitur de Chriſtianæ ſuæ βουλοσίου ſenatu Cypr. lib. 3. epiſt. 11. vt ſatis per ſe refellantur qui Presbyterium hoc loco in ἐπισκοπεῖον, id eſt, trium minimùm Epiſcoporum ex primo commentitio Apoſtolico canone interpretãtur, & qui ſubtiliorem hîc interpretationem quærunt: quibus vt ſemel os obturetur, eccè audiamus quod ſcribitur à Gratiano diſtinct. cap. Presbyter 23. Ex Concilio Tolethano 11, Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Prebyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant. Sed quid attinet de hoc ritu contendere, cùm Epiſcopus Presbyterũ, ſiue ſolus, ſiue cum aliis Presbyteris manus imponens, faciat quod faciat, ex ſententia & nomine Presbyterij? Itaque ſi ordinatio iſta ſpeciem generationis habet, certè Presbyterium illos generat, non autem ſolus Epiſcopus. Sed hæc omnia omittamus. Ordinatio, ſiue impoſitio manuum, certè nullos propriè creat Miniſtros, ſed legitimè vocatos, ſiue electos, adhibitis precibus, mittit in ſui muneris poſſeſſionem. Planè igitur infirmiſsima eſt Epiphanii reſponſio: & Aerius rectè, nullum inter eum qui in cœtu Paſtorum præeſt ordine, vt primus, & reliquos Paſtores, diſcrimen imparitatis, quod ad ipſam paſtoralem functionem attinet, conſtituit; ſaluâ ſemper primi loci dignitate.

HAD. SARAVIA.

EPiphanij argumenta D. Beza demonſtrare nititur eſſe inualida; ídque, meo iudicio, rationibus adeò inualidis, vt mirer tum hoc in loco, tum alibì tantum virum ſic poſſe hallucinari. Ad Epiſcopos manuũ impoſitionem reſtringi ab Epiphanio, factum putat ambitione Epiſcoporum, quæ tunc inualuerat contra Dei verbum: cùm tamen nullum Dei verbum citet, & conſtet ex verbis Pauli ad Timotheum, quẽ prænonet nè cui citò manus imponeret, atque ſic participaret peccatis alienis, id peculiare fuiſſe ordinanti Miniſtrum Eccleſiæ: ſicut & ex poſterioris Epiſt. cap. primo, vbi adhortatur eum, vt exuſcitet donum, quod in eo erat per impoſitionem manuum ipſius, patet.

Quod locum attinet, 1. ad Tim. 4. cap. 14. verſ. hîc citatum, nihil probat, quod ſit contra Epiphanij ſententiam; nam per Presbyterium, collegium Presbyterorum Patres negant intelligi. Theodoret. in hunc locum, *Presbyterium autem hîc vocat* (inquit) *eos qui Apoſtolicam gratiam acceperunt. Ita etiam eos qui erant honorati in Iſrael ſcriptura diuina ſenes vocauit.* Ne quis erret & intelligat hîc nouum Presbyterorum genus, ſcire oportet, Theodoretum hîc dicere & ſignificare Epiſcopos, eos qui Apoſtolicam acceperunt gratiam. Quod manifeſtum fit ex Chryſoſtomi verbis, qui in hunc locum ita habet. *Cum impoſitione manuum Presbyterij; non de Presbyteris hoc in loco, ſed de Epiſcopis loquitur. Neque enim Presbyteri ipſum ordinârunt.* Interpretationem D. Caluinus in illum locum, quæ collegium Presbyterorum intelligit, non probat, ſed munus Presbyterij ſignificari iudicat. Nam cùm ipſe Paulus eandem exhortationem repetat 6. verſ. poſterioris Epiſtolæ, Presbyterij nomine ipſam functionem potiùs intellexiſſe videri poteſt, quàm Epiſcopos vel Presbyteros, quandò ait, *Suggero tibi vt exuſcites donum Dei, quod eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*, non addit Presbyterorum: tamen hîc idem ſignificatur quod prioris 4. cap. 14. verſ. & hoc eſt ſcilicet illud Dei verbum expreſſum, perſpicuum, dilucidum, contra quod Patres, manuum impoſitionem, hoc eſt, creationem Presbyterorum, adſeruerunt propriam Epiſcopis.

Tamen quoniam D. Beza videtur Presbyterium tantùm accipiendum pro ſenatu, vel ordine Presbyterorum, contra magis communem huius vocis vſum Patribus receptum, qui Presbyterium pro officio accipiunt; non magnoperè cum eo contendam, modò mihi fateatur fuiſſe parergi, non vſus neceſſitatis, ſi factum eſt, quod ad impoſitionem manuum Apoſtoli, ſuas alij Presbyteri, ſiue Epiſcopi illi fuerunt, ſiue tantùm Presbyteri adpoſuerint. Certum enim eſt, quòd quandò vel ipſi Apoſtoli, vel Titus, aut Timotheus, vbi Presbyteri nulli erant, primos Presbyteros creârùnt, non

fuiſſe

fuisse creatos cum impositione manuum Presbyterij, hoc est, senatus seniorũ, qui adhûc nullus ibi esse poterat: proindè verum non esse ex sententia Presbyterij semper constitutos fuisse Presbyteros; & cùm illa esset impositio manuum Presbyterij, non posse de Presbyterorum collegio intelligi, si quis tales Episcopos vel Presbyteros simili oratione alloqueretur, aut olim fuisset allocutus, est manifestum.

Sed occasione huius loci, ex D. Bezæ sententia debere inferri (quod necessariò cõsequens est) videtur, Timotheum creatum fuisse consensu Presbyterij alicuius vnius Ecclesiæ, aut plurium Ecclesiarum, Presbyterum & Episcopum, & præcedente prophetia. Nam vsque ad tempora Ignatij, prophetia potiùs quàm electio dabat Episcopos. Et D. Bezæ placet eos esse Euangelistas, quos adsumebant cooperatores Apostoli: quos certè non ab Ecclesiis accipiebant, sed adsumebant, sicut ex Actorum 15. cap. 37. vers. apparet. Vndè veterum vera demonstratur sententia, Timotheum plurium Ecclesiarum fuisse creatum Episcopum.

Est & aliud quod præterire non possum, quod D. Beza adfert, ex Luc. 22. cap. 66. vers. vt probet Presbyterium significare seniorum consessum Ecclesiasticum, Presbyterij populi nomine, censet illic significari seniores qui præfuerunt Ecclesiæ Hierosolymitanæ: quod quo sensu dicat, aut quos illos seniores intelligat, non intelligere me fateor. Nam superiùs, quandò ineptam voluit meam comparationem septuaginta discipulorum Christi cum 70. senioribus Mosis demonstrare, dixit 70. illos non ad sacram functionem, Aaroni videlicet & Leuitis attributam, sed ad ciuiles audiendas controuersias decidendas, & politicum populi regimen fuisse creatos: hîc verò D. Beza vult istos seniores populi, fuisse senatum Ecclesiasticum, & præfuisse Hierosolymitanæ Ecclesiæ, nomine populi. Sed D. Beza in toto veteri aut nouo testamento nusquàm inueniet, Presbyterium, aut seniores populi, accipi pro senatu Ecclesiastico, sed ciuili. Vt populus suos habebat seniores electos è populo, ita & sacerdotes ex sacerdotibus. Sed populi Iudaici hic fuit mos in rebus grauioris momenti, vt simul conuenirent magistratus ciuilis senatúsue populi, cum principibus sacerdotum: sicut hodiè in rebus publicis, & regnis bene constitutis, cum cæteris ordinibus Pastores Ecclesiarum conuocari solent.

Fateor Cyprianum Presbyterij voce significâsse consessum Presbyterorum: sed indè inferri non potest, non etiam significare officium. Qui autem negant à Presbyteris, qui Episcopi non erant, manuum impositionem accepisse Timotheum, Presbyterium non mutant in ἐπισκοπεῖον, quandoquidem ipsi sunt primi Ecclesiarum Presbyteri, potest Episcoporum consessus Presbyterium dici.

Concilij Toletani citare canonem nihil fuit opus: res consuetudine & vsu satis nota est. Concilij mens non fuit illo canone necessitatem parem imponere impositionis manuum Presbyterorum, sicut Episcopi; vt Presbyter non esset, nisi cui Presbyteri simul cum Episcopo imposuissent manus, sicut si Episcopus manus ei non imposuisset. Impositio manuum adhiberi fuit solita pueris, ægrotis, redeuntibus ab hæreticis ad veram Ecclesiam: neque semper fuit consecrationis symbolum, sed orationis super hominem, cui imponebantur. Ex causa & ipsa re, de impositione manuum iudicandum fuit. Nunquàm D. Beza probabit Presbyterum sine Episcopo à Presbyteris fuisse ordinatum: & hoc peculiare non fuisse Episcopis. Manus quidem imponebant Presbyteri populo, in diuersis casibus, sicut & Episcopi, & idem censebantur facere quod Episcopi. Sed ordinatos fuisse Presbyteros à Presbyteris, nullo exemplo, nulla authoritate, Aërius probare potuit: quare firmum stare Epiphanij argumentũ, contra Aerium iudico.

Ad populi petitionem, & interdum Presbyterij, ordinatos fuisse Presbyteros ab Episcopis legimus, quibus solis id ex officio competebat: Presbyterium autem vel populum eam habuisse potestatem, nusquàm legimus. Scio quid nonnulli de extrema necessitate disputent, quandò Episcopus nullus potest haberi, tunc Presbyteros posse ordinari à Presbyteris: sed inter nos de ordinaria potestate agitur; quam Presbyteros non habuisse contra Aerium disputat Epiphanius.

Si ordinatio, siue manuum impositio nullos propriè creat ministros, sed tantùm legitimè vocatos, siue electos mittit in possessionem sui muneris; quorsum Apostolus

cauere

cauere voluit Timotheum, nè cui citò manus imponeret? Quæ sit electionis vis & q electi. ius virtute electionis consequatur, non ignoro, vbi electio nullius nisi solius Dei est subiecta iudicio. Sed electio & vocatio ab inferioribus facta, de qua superior iudicare potest, & debet, rata non est, nisi accedat ipsius authoritas, & confirmatio: & ordinatio, quæ fit ab Episcopo, non tam in possessionem vocationis inducit, quàm tradit. Non enim æstimanda est, quædam ratihabitio electionis factæ, quæ aliâs nulla esset, nisi accederet; sed traditio potestatis est exercendi munus Ecclesiasticum, facta ab illo, qui illud ius à Deo habet.

5. D. THEOD. BEZA.

ALterum argumentum Aërij sumptum est ex Epistolæ Pauli ad Philippenses inscriptione, quæ tres illius Ecclesiæ partes facit, plebem videlicet (siue τὸ πλῆθος vt loquitur Act, 15. 11.) Episcopos, & Diaconos: vndè colligebat Presbyterorum & Episcoporum, sicuti commune nomen hîc sortiti sunt & Act. 20. 28. ita quoque vnam & eandem functionem fuisse. Ad hoc autem respondens Epiphanius ait, *Non in omnibus statim Ecclesiis repertos fuisse idoneos qui fierent Presbyteri, vel qui fierent Episcopi. Vbi igitur non inuentus est quisquam dignus Episcopatu, permansisse locum sine Episcopo: vbi verò non inuenti sunt idonei qui Presbyteri constituerentur, ibi solum Episcopum fuisse constitutum.* Sed quid hoc ad rem? Nam si nullos tunc Presbyteros Philippis fuisse cõcederẽ, non scripsisset hanc Epistolã Paulus Episcopis, sed Episcopo; vel plures in vna ciuitate fuerint Episcopi. Quòd si nullus erat ibi Episcopus, sed tantũ Presbyteri & Diaconi, cur non potiùs Presbyterorũ nomine vius esset Apostolus? Caruisse verò Philippenses vel Episcopo, vel Presbyteris, quàm ineptum fuerit existimare? Nec enim Episcopus dicendus fuerit, qui nullos habuerit collegas, quibus præsit: nec Presbyterorũ cœtus ritè cõstitutus dici potest, in quo nullus sit ἡγούμενος. Ergo ne hæc quidem Epiphanij responsio vllius est momenti.

HAD. SARAVIA.

EPiscopos & Presbyteros vocari eosdẽ, antè probatum est, nec à Beza aut alio quopiam negari potest; & alterum vocabulum esse laboris, alterum honoris: & modestiæ causâ, primi Presbyteri quod erat oneris & officij adsumpserunt; quod verò erat honoris commune, collegis reliquerunt. Nam certè soli præsidi, qui supra cæteros gradu eminebat, nomen dari Presbyteri magis honorificum fuisset, relicto inferioribus nomine Episcoporum, quàm fuit inferiores dici Presbyteros, & superiorem Episcopum. Sed ex communi nomine luce clarius est, eundem potestatis aut dignitatis gradum, non posse demonstrari, nisi & Apostolis æquare velimus 70. discipulos, quia vocantur Apostoli, atque omnes Presbyteros, quia Apostoli etiam fuêre Presbyteri. Sub Apostolis & Euangelistis, qui officio fungebantur Episcoporum, aliis Episcopis diximus non admodùm opus habuisse Ecclesias.

Deindè ad certum tempus Ecclesias extitisse sine Presbyteris & Diaconis negari non potest: & Apostolos, atque Euangelistas, eorúmque adiutores, Presbyterorum & Pastorum functos fuisse officio, D. Beza sect. 17. ca. vicesimi fatetur: & tantisper dũ constituere possent Ecclesias, modò omnes, modò plerasque sacri ministerij partes obiuisse, quamdiũ ab ipsis potuêre visitari. Sed Ecclesiarum postquam ita creuit multitudo, & numerus credentium, ipsis aut laboribus, aut senio fractis, aut morte sublatis, vt iam non possent Ecclesiæ ab illis amplius visitari, successêre Episcopi, quales fuêre Titus in Creta, Timotheus in Asia. Rectè igitur Epiphanius confutat Aërij argumentum quandò ait, *non in omnibus statim Ecclesiis repertos fuisse idoneos qui fierent Presbyteri, vel qui fierent Episcopi, &c.*

Quomodo hanc rationẽ refellit Beza? *Nihil hoc ad rem:* (inquit) *nam si nullos tunc Presbyteros Philippis fuisse concederem, non inscripturum fuisse hanc Epistolam Episcopis, sed Episcopo.* Quod quomodò ex suppositis colligatur videre nequeo: quippe qui illos Episcopos fuisse tantùm Presbyteros intelligat; & Patres sentiant (quod res est) Philippenses habuisse tunc suum vnum Episcopum Epaphroditum, cum Paulo: qui in sua Epistola eius honorificam mentionem facit, eorúmque eum vocat Apostolum. Quare concidat oportet tota hæc D. Bezæ contra Epiphanium ratiocinatio.

6. D. BEZA.

NVnc autem audiamus, an fortiùs illum oppugnet argumentis ex Dei verbo depromptis. Scribit Paulus, inquit, Timotheo, 1. Timoth. 5. 1. πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, seniorem ne increpato: ergo aliquam habuit Timotheus in Presbyteros potestatem. Atqui (quod tanti viri, sed parùm

rùm profectò interdum iudicioſi, pace dictum ſit) animaduertere Epiphanium oportuit, Presbyterum, id eſt, ſeniorem hîc dici, qui ætate ſit prouectior, non qui Paſtoris, Doctoris, vel Presbyteri munere fungatur: quod manifeſtiſſimè oſtendit τῶν νεωτέρων mox ſequens antitheſis.

HAD. SARAVIA.

HIc hallucinatum fuiſſe Epiphanium fateor, & deceptum ambiguitate vocis Presbyteri.

7. D. THEOD. BEZA.

PRæterea, inquit Epiphanius, Paulus non dixit alicui Presbytero: *ne admittito accuſationem contra Epiſcopum, ſed Timotheo qui erat Epiſcopus, Aduerſus Presbyterum ne admiſcris accuſationem.* Ergo ſunt Presbyteri obnoxij Epiſcopo ſuo, vt iudici, ac proindè vt ſuperiori. Sed dupliciter hîc fallitur Epiphanius. Primùm enim Timotheus non fuit Epheſiorum Episcopus, quales fuerunt qui oppidanis Paſtoribus, collegis, Paſtores & ipſi, hîc præceſſit præerant: ſed Euangeliſta fuit, id eſt, cum Apoſtolica auctoritate à Paulo Epheſi iuſſus permanere, vt illam nimirùm Demetriana illa ſeditione conturbatam confirmaret, Act. 20. 4. & 1. Timoth. 1. 3. Inter iſtos autem Euangeliſtas, & oppidanos illos in collegarum ſuorum cœtu Epiſcopos, vt ſæpe iam antè à diximus, appellatos, duplex fuit diſcrimen, vt ex Apoſtolicis ſcriptis liquet. Vnum, quòd miſſos partim ad plantatas ab Apoſtolis Eccleſias rigandas, id eſt, dum adoleſcerent confirmandas: partim ad ſuperſtruendum opus, cuius duntaxat fundamenta iecerant Apoſtoli, vt Tit. 1. verſ. 5. inſtructos eſſe peculiari auctoritatis gradu ad quotidianos operarios confirmandos, & conſtituendos oportuit. Alterum, quòd temporaria duntaxat erat ipſorum functio, ita vt nullam magis fixam quàm ipſi Apoſtoli ſedem habentes, ſubindè alió mittendi reuocarentur, vt ex ſcriptis Apoſtolicis liquet: Epiſcopi verò oppidani, vt & Paſtores, quorum cœtui præerant, erant certæ ſuæ ſtationi addicti. Adeò vt etiamnùm hodiè nemo inter pontificios ad maiores, quos vocant, ordines, niſi certo indicato loco cui inſeruiant, promoueatur.

HAD. SARAVIA.

FAcile dictu, falli Epiphanium, cæteróſque omnes Patres qui credidêre Titum & Timotheum fuiſſe Epiſcopos. Tota hac ſectione multa quidem priùs à Beza dicta hîc repetuntur; ſed ſine vlla aut ratione, aut ſcriptura, aut Patrum authoritate, aut exemplo, quibus ſuæ aſſertionis faciat fidem. Hæc valeant Geneuæ inter ipſius diſcipulos, qui hæc ex ipſius dictantis ore, tanquàm νύφιας λόξας excipiant. Hîc vlteriùs fides D. Bezæ ſcriptis non habetur, quam ratione, aut verbi Dei authoritate docere poteſt.

Si ſaltem oppidanos illos Episcopos retinuiſſet, tantùm Presbyterij ſine vlla authoritate præſides, ſui diuini Episcopatus ſpeciem aliquam nobis exhibuiſſet: ſed cũ hos & illos ſuſtulerit, nulla ipſius dictis debetur fides. Si cui perſuaſum ſit, magis credendum eſſe neganti Bezæ, quàm patribus affirmantibus, Timotheum fuiſſe Episcopum, fruatur ille ſuo iudicio: apud me nullus noſtri temporis ſcriptor, tantæ authoritatis eſt, cui tantum tribuendum iudicem.

8. D. THEOD. BEZA.

DEindè, vt hoc non ampliùs vrgeamus, quùm Episcopis iſtis iudicibus, vt ex priùs ante citatis canonibus liquet, nihil prorsùs decernere, niſi ex compresbyterorum ſententia & voluntate poſſet, non iudicis ſed Presbyterij totius hæc erat poteſtas, aduersùs quoſcunque reos τῷ πρεσβυτερίῳ indicatos, & in album reorum receptos: quod ipſum hodiè tam diſtrictè in Presbyterijs, ſiue conſiſtoriis noſtris obſeruatur, vt qui præeſt, ne vocandi quidem quenquam, niſi ex collegij ſententiâ ius habeat.

HAD. SARAVIA.

COntrouerſia noſtra prima eſt de ordine & gradu Epiſcoporum, non de poteſtate quanta fuerit; & an ipſi per ſe ſine collegis vel compresbyteris ſuis, cenſuram exercuerint: ſed de ſublatis Epiſcopis & præſulibus quibuſcunque, quos vbi D. Beza reſtitui curaucrit in locis vbi ſuppreſſi ſunt; tum demũ de poteſtate & authoritate eorũ opportunè nobiſcum diſputabit. Dolemus, & deploramus, & omnem ordinem, & gradum Episcoporum ſublatum, & nouum Presbyterorum & Diaconorum genus temporariũ introductum, vtrumque omnib. priſcis Eccleſiis & Patribus incognitũ. Quid liqueat, iudicabit æquus lector.

Quod

Quod ait ex allegatis canonibus demonstratam potestatem fuisse totius Presbyterij, nescio vbi illos canones citauerit. Canon vetus renouatus in Antiocheno cõcilio, & similiter Nicenus, de Episcopis & Archiepiscopis loquuntur: nisi fortè liceat D. Bezæ, quod mihi in vicesimo capite negauit. Sed errat D. Beza, quandò comparat potestatem Episcopi inter Presbyteros, cum ea quæ est Archiepiscoporum inter collegas Episcopos: quia Episcopi nunquàm ita fuêre suis compresbyteris obnoxij, sicut Archiepiscopi erant coepiscopis. Nam Presbyterij sine Episcopo nihil transigere dum vixit, aut præsens erat, potuit: omnium actionum & iudiciorum Episcopus director, & actor fuit: Presbyteros Episcopi habuêre adiutores, adsessores, & consiliarios; non dominos, qui suo Episcopo imperare possent. Quod suprà dixi, hîc repetitum velim ex Cypriano. *Ecclesiæ ratio ita decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur: cùm hoc itaque diuina lege fundatum sit, &c.* Quandò consistorium suum D. Beza comparet cum consistoriis veterũ Patrum, fallitur, nisi illud consistoriũ constet ex verbi Dei Ministris, quos solos Presbyteros officio agnosco.

Quod ait potestatem eum qui præest Consistorio, in Geneuensi Ecclesia, nè vocandi quidem quenquam nisi ex collegij sententia ius habere: si ita res habet, & est Geneuensi Ecclesiæ vtile, fruatur suo iure Geneua. Sed illud nouerit esse priuatum, & cæteris Ecclesiis nihil præscribere, quarum vsus huic contrarius est: ego nullum adhûc vidi canonem qui iubeat, nec authoritatem aut exemplum apud Patres inueni quo id doceri queat: sed de stricto illo Geneuensis Presbyterij iure pluribus disputare nolo. Cyprianum ab omni tyrannide fuisse alienum, &, si quis veterum, Presbyterij sui obseruantissimum, non negabit D. Beza: tamen hic, Celerinum, constantem inter tormenta in confessione nominis Christi, lectorem, sua authoritate, approbantibus Episcopis, qui cum ipso aderant, sine sententia Presbyterij sui ordinauit; & Presbyterij honorem ei designauit, vt sportulis cum Presbyteris honoraretur. Plura huius generis idem Cyprianus fecit, quæ suis adnotaui & adnotabo locis. Hieronymi de hac re æquior fuit sententia, contrà Luciferianos. *Ecclesiæ salus* (inquit) *in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non èxors quadam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.* Sed hæc de Episcoporum authoritate sufficiant.

9. D. Theod. Beza.

EX his autem omnibus constabit, vt spero, æquis omnibus lectoribus causam nullam iustam esse, cur vllius hæreseos præiudicio grauemur. Neque quùm hoc facio, id facio in Patres, quod tu in nos hoc in loco aduersùm nos immeritus facis: *Quorum*, inquis, *rationes sunt adeò in Concilia & veteres Patres contumeliosæ, vt me earum pudeat.* At est potiùs profectò, Sarauia, cuius hic te pudeat, quod omnibus veritatis amantibus diiudicandum relinquo.

Had. Saravia.

DIfficile est iudicium de hæresi; de errore facilius. Quid ad errorem, vt fiat hæresis, accedat oportet, hîc disputare nolo: qui error est in aliquo, in alio esse poterit hæresis. Aërius mihi videtur hæreticus; eum excusari cum vituperatione Patrum, si molestè tuli, ignoscat mihi D. Beza. Quod aduersùm immeritum se putat inclemẽtiùs à me dictum, nescio quid sit: neminem nominaui: si quicquam in meo tractatu de se dictum putat, fallitur: vt qui de ipso nihil cogitauerim. Sed scripta quorundam extant, quæ nec citare, nec authores nominare volui. In eorum si ipse est numero, nescio: ipse viderit. Nihil ex eius libris impugnandũ desumpsi, nec eum mihi aduersarium proposui. Honorificam hîc Patrum facit mentionem, quod vbique factũ opto. Quàm iustus meus sit dolor, pudórque, & nùm hîc vlla sit maior causa pudoris, omnibus & ego veritatis amantibus diiudicandum relinquo. Nam D. Beza, & quotquot eiusdem sunt cum eo sententiæ, longiùs à priscis omnium Ecclesiarum moribus recedunt, quàm Aërius: qui præter seniores, qui cum Episcopis eiusdem erant Presbyterij, quamuis non eiusdem gradus, alios Presbyteros non agnouit. Quòd si reiectum ab Episcopis cognouisset Presbyterorum aliquod genus, illo quod æquale cum

Episcopis

Episcopis cotendebat, inferius, in odium Episcoporũ illud restituisset. Sed vnius tantùm generis nouerat Presbyteros, & D. Beza duo defendit: quos pares cùm non faciat, idem cum Aërio de Presbyteris non sentit. Vnius anni Presbyteros, qui tantùm regant, Aërius nesciuit; nec pares Episcopis vlla in re fecit. Sed quia videbat Presbyteros docere populum, & sacramenta ministrare, & ferè nullas esse partes Episcopalis ministerij, quas suis Presbyteris mandare Episcopus non posset; eandẽ similiter Presbyteros habere iurisdictionis potestatem adseruit: & quæ peculiaris erat, & semper vbique fuit Episcopis, ordinationem Presbyterorum pertinere voluit ad Presbyteros, æquè vt ad Episcopos: de qua re posteà pluribus agemus. Sed quæcunque sit Aërij hæresis, nouum Presbyterorum genus non inuexit; tantùm gradum sustulit Episcoporum.

HAD. SARAVIA.

Refutatio sententiæ Hieronymi.

CAPVT XXIII.

QVod obijci solet ex Hieronymo in 1. *ca. Epist. ad Titum, Episcopos magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse maiores, &c. dico priuatam fuisse Hieronymi opinionem, consentaneam cum Aërio, & Dei verbo contrariam. Idcircò nobis examinanda erunt ipsius argumenta, nè temerè ab eo, & ab alijs pijs & doctis viris, qui idem sentiunt, recessisse videamur. Dicit igitur*, Antequam diaboli instinctu studia in Ecclesia fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam vero vnusquisque eos quos baptizauerat suos putabat esse, non Christi; in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur, &c.

Quod hîc dicitur communi Presbyterorum consilio Ecclesias in principio fuisse gubernatas, non diffiteor: sed hoc non arguit Dominicæ institutionis Episcopos non fuisse posteà præpositos Ecclesiæ, non magis quàm Presbyteros & Diaconos, non ex ordinatione diuina creatos ab Apostolis, quia Ecclesiæ absque Presbyteris & Diaconis sub Apostolis regebantur, antequàm crearentur Diaconi & Presbyteri. Nam Apostolos rexisse Ecclesias per seipsos, & alios quosdam suos adiutores, antequàm Ecclesiis Presbyteros ordinarent, ex Epistola ad Titum, cuiuis notum est: & quisquis habet aliquid iudicij, ex ipsa re facilè intelligere potest, in illis primordiis, dum subindè visitari potuerunt Ecclesiæ ab Apostolis & eorum collegis, alios non opus fuisse dari Ecclesiæ Episcopos: sufficiebant Presbyteri, qui Episcopi (dum nulli alij erant præter Apostolos) dici potuerunt. Fateor igitur quoddam fuisse tempus, quandò Ecclesiæ cõmuni consilio totius plebis regebantur, vt in Creta ante creationem Presbyterorum, & Corinthi, & Romæ: quæ posteà nactæ Presbyteros, vt Philippis, & Ephesi, illorum consilio gubernatæ sunt: sub cura tamen & inspectione Apostolorum & Euangelistarum.

Sed

Sed inde non sequitur, ab Apostolis, vbi viros idoneos Deus dedit, non fuisse præfectos singulis Ecclesiis singulos Episcopos supra ipsos Presbyteros, qui in Apostolorum locum succederent, & illa eadem præstarent, quæ ipsi præstitissent, si vbique semper præsentes Ecclesiis adesse, aut semper viuere potuissent. Quid enim opus erat Episcopis, quamdiù ipsi Apostoli Episcoporum fungebantur officio? Sed cùm in orbe vniuerso, cresceret quotidiè numerus Ecclesiarum, & in Ecclesiis multitudo Christianorum, vt nec in loco manere, nec ad omnia loca potuerint ire Apostoli, quæ ipsos desiderabant, & libenter inuisissent, si fuisset in ipsorum potestate; tandem creârunt Episcopos, quibus suas mandârunt partes (cuiusmodi fuerunt Titus & Timotheus, & plures alij) eadem Domini institutione, qua creabant Presbyteros.

Quod Hieronymus ait, magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Episcopos Presbyteris esse maiores, similitudinem veri nullam habere, doceo. Primò à tempore, quandò dicit cœpisse illam consuetudinem. Antequam (*inquit*) diaboli instinctu studia in Ecclesia nascerentur, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorũ consilio Ecclesiæ gubernabantur, &c. *Illa verò schismata sub Apostolis nata sunt, ergo tunc illa incepit consuetudo, & ipsi Apostoli, vitandi schismatis causâ, mutârunt dominicam dispositionem. Quod perabsurdum mihi videtur dicere. Dominus noster, qui est Dei sapientia, longè melius pòrat quid vtile & necessarium esset præcauendis schismatibus, quàm Apostoli. Quorũ vt non fuit plus sapere in hac re velle videri: ita non fuit ipsorum ob vnius Ecclesiæ peccatũ mutare Domini institutionem.*

Deindè, vndè nouit Hieronymus ante illa nata schismata, Corinthiacam Ecclesiam habuisse Presbyteros, quorum consilio regeretur? Magis probabile est ex Epistolis Pauli, nullos adhùc tunc habuisse proprios Presbyteros. Si quis excipiat post Apostolorum tempora id accidisse, & Hieronymũ non tam respexisse Corinthiacam Ecclesiam, quàm alias complures, quæ in schismata inciderant, & idcircò non dixisse Corinthi, sed in populis: Respondeo id dici non sat esse, sed ex historiis demonstrandum esse, quæ illa fuerunt schismata, & vbi, & quandò nata, & quomodò indè tam vniuersalis consuetudo fuerit profecta. In Apocal. 7. leguntur angeli præfecti septem Ecclesiis, quarum vna fuit Ephesus, quam constat anteà plures habuisse Episcopos, sicut etiam Philippis, quos diximus fuisse tantùm Presbyteros. Dico igitur in Ecclesiarum primordiis fuisse tempus, quandò nullos habuerunt nec Presbyteros nec Episcopos, præter Apostolos & Euangelistas, eorúmque coadiutores, vt in Creta; (nam omnium fuêre eadem principia) nùm idcirco dicemus non diuina institutione, sed consuetudine præfectos Ecclesiis Presbyteros contra Dominicam dispositionem, quia sine Presbyteris sub Apostolis seipsas gubernârunt Ecclesiæ, & postquam Democratico regimine abusæ sunt, consuetudine regimen commissum fuisse Presbyteris?

Prætereà, si hac argumentandi ratio valeret, contra Diaconorum institutionẽ similiter hoc pacto argumentari liceret, ac dicere, Non Dominica dispositione fuisse ordinatos, quia ab initio nulli erant, quamdiù credentium erat cor vnum, & anima vna, & nemo quod possidebat suum esse dicebat: sed postquàm diaboli instinctu murmur Græcorum contra Hebræos exortum est, creati fuerunt Diaconi; ergo consuetudine, non institutione Dominica ordinati fuerunt in Ecclesia: quod non consequi omnes vident. Nam etsi alias præter murmurationẽ causas adiungant Apostoli, creatio tamen diaconorum indè nata fuit. Itaque

dico,

dico, quamuis ex schismate natam esse fateremur primam creandi causam vnius Episcopi supra cæteros Presbyteros, non indè fieri consequens, ob illã solam causam id esse factũ, aut non esse Dominicam institutionẽ. Occasio hæc creationis vnius Episcopi, quam adfert Hieronymus, nimis incerta coniectura est, nullâ nixa probabili ratione: quòd propter vnius Ecclesiæ contentiones, Apostoli contra Dominicam institutionem, per vniuersum terrarum orbem, Ecclesiis, & Presbyteris qui nil peccârant, vnũ præfecerint Episcopum: iniquum hoc nimis fuisset.

Postremò, nos non legimus Corinthiacæ Ecclesiæ Presbyteros præbuisse schismatis causam, sed captam à plebe, occasione suorum Doctorum: à quibus in fide aut instituti, aut baptizati fuerant, de præceptoris sui præstantia superbiendo: quemadmodùm de parentibus, & natiuitatis loco, iisque id genus plurimis, vanitatem humani ingenij inflari solere, notum est. Illi, vnde schismatis occasio nascebatur Corinthi, non erant præsentes, vt ad vitandum schisma, Presbyteri qui sub vno Episcopo in ordinem erant cogendi, fuerint ipse Paulus, Cephas, Apollos, aliique plures, de quibus quisque gloriabatur.

Mihi certè vana videtur hæc Hieronymi cogitatio quale est quod addit de facto in toto orbe decreto. Quandò, obsecro, & à quibus potuit illud decretum fieri? Quandò tanto consensu recipi, cõtra primam secundùm Domini voluntatem Presbyterorum ordinationem? Nam per omnes totius vniuersi orbis Ecclesias Episcopi semper fuerunt supra cæteros Presbyteros, authoritate & dignitate superiores. Institutionem Dominicam Paulum mutâsse, & vt id voluisset, potuisse, non est probabile. Cæteri Apostoli, qui erant per varias nationes dispersi, ignorabant quid ageretur Corinthi, vt decreto Pauli addidisse credantur suum calculum. Sed vt demus schisma illud Corinthiacum ad eorum peruenisse notitiam, & ex diuersis, & maximè remotis orbis partibus miraculo aliquo simul conuenisse; cui probabitur, vitandi schismatis causâ, in mutationem Dominicæ institutionis consensisse? Post Apostolorum tempora multò minùs fieri potuit, vt omnes Ecclesiæ conuenerint, aut consenserint in abrogationem ordinis, accepti ab Apostolis, & à Domino instituti. Aliquæ saltem primam institutionem retinuissent. Antiquitatis huius consuetudinis ipse Hieronymus testis est tum hîc, tum in Epistola quam scripsit ad Euagriũ. Alexandriæ *(inquit)* a Marco Euangelista vsq; ad Heraclam & Dionysiũ Episcopos, Presbyteri, vnum ex sè electum, in excelsiore gradu collocatum, Episcopum nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, &c. *Sed falli lectorem hîc nolo, & credere ex his verbis Hieronymi, Presbyteros semper vnum ex suo collegio collocâsse in excelsiori gradu. Sunt innumera exempla, quibus docetur, præteritis Presbyteris, à populo & clero sæpe electos fuisse aut Diaconos, aut alios qui non censebantur in clero. Vnde apparet decretum illud Ecclesias ignorâsse, nec eius vnquàm in electionibus Episcoporum habuisse rationem, vt ex Presbyteris vnũ, qui præesset cæteris, eligerent Episcopum.*

Esto tamen, demus Hieronymo decretum quod cogitauit fuisse factum: aut illud contra Domini institutionem factum est, & dicendum Patres omnes, & omnia concilia errauisse, quod de nulla alia re dici potest, & non potuisse fieri docuimus; aut de re adiaphora, quæ in eorũ fuit potestate à quib. emanauit, esse factum oportet. Et qui sumus nos, qui decretum, cui totus Christianus orbis paruit, contemnere audemus? Dico igitur priuatam & particularẽ hanc fuisse Hieronymi opinionẽ, & contrariam cõmuni sententiæ omnium ferè Patrum, qui aut Hieronymum præcesserant, aut illa ætate simul cum eo vixebant.

Idcircò cùm non ignoraret sibi posse obiici, hanc ipsius, non scripturarum esse sententiam; eam scripturis confirmare conatur, citatâ Pauli ad Philippenses Epistolâ, in qua salutem dicit Episcopis & Diaconis illius Ecclesiæ. Item vigesimo capite Actorum, & primo Epistolæ ad Titum, vbi illi, qui Presbyteri erant, vocantur Episcopi. Quibus locis antequàm respondeam, Theodoretum audire operæpretium est. Is exponens hunc locum Pauli ita scribit: Episcopos appellant Presbyteros: vtrumque enim nomen habebant illo tempore; vt patet ex vigesimo capite Actorum & ad Titum primo capite. Episcopis enim coniungit Diaconos, cum de Presbyteris nullam feciſſet mentionem: alioqui nec fieri quidem poterat, vt multi Episcopi essent vnius ciuitatis Pastores; quo fit, vt essent vnius ciuitatis Presbyteri, quos nominat Episcopos. Beatum autem Epaphroditum in hac Epist. nominauit eorum Apostolũ: *vestrum enim*, inquit, *Apostolum, & necessitatis meæ adiutorem.* Aperte ergo docuit, Episcopalem dispensationem ei fuisse creditam, cum haberet appellationem Apostoli. *Hæc Theodoretus.*

Error Hieronymi & Aërij nascitur ex vocabulorum Presbyteri & Episcopi generali & promiscuo vsu, qui tunc temporis fuit. Sed cùm idem accidat dictioni (Apostolus) *mirũ videri potest, cur ille potiùs quàm hîc erretur. Nam quòd Barnabas, Epaphroditus, & alij complures nominantur Apostoli, nemo vnquàm credidit, nullum discrimen esse inter illos, & 12. viros. Sed quia vocationis 12. Apostolorum, Pauli, & aliorum, qui similiter dicti sunt Apostoli, notior est historia, quàm eorum qui communi vocabulo Presbyteri & Episcopi dicti sunt, obscuritas tenet hanc rem inuolutam ijs, qui latentes historias in actis & scriptis Apostolicis nesciunt eruere; & propter communionem nominis nihil interesse inter eos, qui iisdem significantur nominibus, creditur. Quemadmodùm nomen* (Apostolus) *turpiter falleret, si æquare 12. viris eos omnes quis vellet, quibus hoc nomen tribuitur; ita fallit* Episcopi *vocabulum tributum duplici Presbyterorum ordini.*

Varius est eiusdem vocabuli vsus: & non rarò speciem & genus eadem dictio significat. Gratiâ exempli; malitia, virtus, iustitia, modò generalem quandam significationem obtinent, modò contractiorem. Idem de hoc vocabulo Presbyter *censendum est, quod generalitate suæ significationis omnes Pastores complectitur, adeò vt Apostoli etiam vocentur Presbyteri, cùm infimus Pastorum ordo hoc peculiare nomen habeat. Præterea ineſt dictionibus etymon, secundùm quod eas similiter accidit vsurpari: quomodò Episcopi non tantùm Presbyteri, sed ipsi etiam Apostoli nuncupantur.*

Exemplum in rebus & nominibus ciuilibus inueniemus, & regum, ducum, comitum, equitum, militum ac baronum vocabulis idem accidere, quæ pluribus tribuuntur, qui magno interuallo dignitatis & honoris inter se distant. Nam magnum regem sub se habere alios subiectos reges nouum non est. Idem dico de ducibus, qui sub se alios habent duces beneficiarios quibus imperant. Et comites nonnulli, & Flandriæ & Rheni Palatinus, domini sunt aliorum comitum.

Quid opus est de equitibus, militibus & baronibus loquar, quibus sub eodem nomine maxima est distantia potestatis & dignitatis? Ridiculum se exhiberet ipsis pueris, qui ex communi nomine æqualitatem inferret. At alia (diset quispiã) *ministerij Ecclesiastici, & ciuilis gubernationis ratio est. Respõdeo, me non cõferre ministeria ministeriis, sed nomina nominibus in significandi ratione; vt appareat quã futilis sit ratio, quæ ex cõmunibus vocabulis rerũ & personarum tollit*

tollit discrimen.

Quamuis igitur nostræ ætatis magni nominis scriptores vnius Episcopen supra cateros Presbyteros abolendam censent, tanquàm ea, consuetudine, & hominum voluntate locum obtinuerit in Ecclesia Christi, contra dominicæ dispositionis veritatem: tamen apud me plus valet cõsensus vniuersalis omnium totius orbis Ecclesiarum consentiens cum verbo Dei, quàm Aërij hæretici, aut Hieronymi hallucinantis in verborum ambiguitate, & primorum temporum Ecclesiæ conditione.

Nam ex verbo Dei hoc manifestũ est, ætate Iohannis Apostoli septem Asiæ Ecclesias septem habuisse Episcopos, diuina, non humana ordinatione sibi præfectos. Cùm enim Spiritus sanctus illic nihil dissimulet eorum quæ peccârant aut Angeli ipsi, aut qui sub eorum erant regimine constituti; ambitiosam, quæ multis videtur, innouationem recèns in Ecclesiam inuectam, contra Domini institutionem, sine reprehensione nunquam prætermisisset. Etenim illæ Ecclesiæ plures habuerunt Presbyteros; non tamen pluribus Presbyteris, aut Presbyterorum collegis vitio vertitur, quod in Ecclesiis peccabatur, sed singulos singularum Ecclesiarum Angelos alloquitur: quorum nisi eminentior in Ecclesiæ regimine fuisset authoritas, soli culpam & vituperium malè obitæ functionis non sustinerent.

Quidam nostri temporis scriptor hanc hæresim (siue errorem mauis dicere) defendere, aut saltem excusare conatur. Sed rationes quibus id facit, sunt adeò in Concilia & veteres Patres contumelioſæ, vt me earũ pudeat. Aërius tanquàm bonus vir excusatur, & Patres apertè superbiæ & tyrannidis insimulantur. Qui cùm nihil adferat solidi refutatione dignum, præter ea quæ suprà ex Hieronymo attulimus, eius argumenta non tangam.

Quantò Christianiùs & modestiùs clarissimus vir, pietate & rara eruditione reuerendus senex Hieronymus Zanchius in sua cõfessione scripsit, quid de hac controuersia sentiret? Ipsius hæc sunt verba: Fides autẽ mea nititur cum primis & simpliciter verbo Dei; deinde nonnihil etiam communi totius veteris Catholicæ Ecclesiæ consensu, si ille cum sacris literis non pugnet: credo enim quæ a piis Patribus in nomine Domini cõgregatis, cõmuni omnium consensu citra vllam sacrarum literarum contradictionẽ definita, & recepta fuerunt, ea etiam (quanquam haud eiusdem cum sacris literis authoritatis) a spiritu sancto esse. Hinc fit vt quæ sint huiusmodi, ea ego improbare nec velim, nec audeam bona conscientia. Quid autem certius ex historiis, ex Conciliis, & ex omnium Patrum scriptis, quam illos Ministrorum ordines (de quibus diximus) communi totius Reipub. Christianæ consensu in Ecclesia constitutos receptosque fuisse?

Quis autem ego sum, qui quod tota Ecclesia approbauit, improbem? Sed neque omnes nostri temporis docti viri improbare ausi sunt, quippe qui norunt & licuisse hæc Ecclesiæ, & ex pietate, atque ad optimos fines pro electorum ædificatione, ea omnia fuisse perfecta & ordinata. Fuit mihi præterea habenda ratio illarum etiam Ecclesiarum, quæ licet Euangelium complexæ sint, suos tamen & re & nomine habuerunt Episcopos. Quid quod in Ecclesiis quoq; Protestantiũ, nõ desunt reipsa Episcopi & Archiepiscopi, quos (mutatis bonis Græcis nominibus in male Latina) vocant Superintendentes & generales Superintendentes? Sed vbi etiam neque vetera illa bona Græca, neq; hæc noua male Latina verba obtinent, ibi tamen solent esse aliquot primarij,

penes quos fere tota est authoritas. De nominibus ergo fuerint controuersiæ; verum cum de rebus conuenit, quid de nominibus altercamur? Interim quēadmodum non improbaui Patres in ea re, de qua est quæstio; sic etiam non possum nostrorum zelum non amare, qui ideo illa nomina oderunt, quia metuunt ne cum nominibus vetus etiam ambitio & tyrannis, cum ruina Ecclesiarum reuocetur.

Hac reuerendus ille senex Zanchius. Adferrem plura nostri temporis scriptorum testimonia ad hanc rem confirmandam, si opus esset, qui aut prorsùs idem nobiscum sentiunt, aut certè modestissimè contrariam sequuntur sententiam: sed nobis hoc tempore vnus Zanchius instar multorum erit qui idem sentiunt; ne multitudine testimoniorum plus iusto crescat volumen.

1. D. THEOD. BEZA. in cap. 23.

DEsine igitur Patres nobis sic obiicere, quasi ab illis cum ratione dissentire non liceat. Quid enim fuerit iniquius, quàm vt pati non possis, vt quod tibi licere vis, in nobis in criminationem tua repellenda facere sit nefas. Sed eccè mutatæ iam sunt inter nos huius actionis partes. Nam tu nunc aduersùs Hieronymum Aërij hæretici patronum accusationem instituis: ego verò defensorem illius ago, idque non sine subscriptore grauissimo, quem abs te in nos alibi productum testem, ego tibi, si pati potes, iudicem feram.

HAD. SARAVIA.

NVnquàm Patres obieci, tanquàm ab eis discedere non liceat, sicut in Epistola ad lectorem testatus sum. Ibi addidi, quandò id liquidò quiuis possit, & quandò minimè. Id tunc impugnare, & confutare D. Bezam decuit. Primò quandocunque Patres cum verbo Dei dissentiunt, certè Deus præferendus est hominibus: non enim Patrum scripta canon sunt nostræ fidei. Deindè à priuata vnius opinione, contra cōmunem omnium, qualis est hæc Hieronymi, qui in hac re varius est, nec sibi constans, & suis ipsius rationib. refelli & conuinci potest erroris, recedere licet. Tunc certè Patribus nulla fit iniuria; nec censeri debet à Patrum sententia dissentire, qui plures vni præfert; aut ipsis iniuriam facere, qui eis præfert verbum Dei. In qua re si non omnes, semper aliquot secum habebit, nisi valde fallor, sentientes.

2. D. THEOD. BEZA.

AVdiamus ergo Hieronymum loquentem in Epistola ad Oceanum. Apud veteres ijdem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud dignitatis nomen est, hoc ætatis. *Idem ad Euagrium:* Apostolus perspicuè docet eosdem esse Presbyteros & Episcopos. Quæris auctoritatem? Audi testimonium. Philip. 1. 1. Paulus & Timotheus serui Christi Iesu omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis, cum Episcopis, & Diaconis. Vis & aliud exemplum? Idem ad vnius Ecclesiæ Ephesi sacerdotes ita loquitur, Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos, vt regatis Ecclesiam, &c. Act. 20. Ac ne quis contentiosè in Ecclesia plures fuisse Episcopos contendat, audi alibi manifestissimè comprobari eundem esse Episcopum & Presbyterum. Reliqui te, ait Tito, in Creta, vt constituas Presbyteros per ciuitates, si quis est sine crimine. Oportet enim Episcopū sine crimine esse, 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Petrus quoque, 1. cap. 5. Presbyteros, precor, inquit, compresbyter, gregem regere & inspicere, quod Græcis dicitur significantiùs, ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes, vnde tractum Episcopi nomen. Iohannes denique; Presbyter, ait, electæ dominæ, & Presbyter Caio charissimo, 2. & 3. Iohan. Quòd autem vnus pòst electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis factum est remedium, nè vnusquisque ad se Christum trahens Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista ad Heraclam vsq; & Dionysium Episcopos, Presbyteri vnum semper ex se electum, in celsiore gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodò si exercitus Imperatorem faciat. Quid enim faciat, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat? *Et Paulò pòst,* Presbyter & Episcopus, aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Vndè ad Titum & Timotheum de ordinatione Episcopi & Diaconi dicitur, de Presbyteris omnino reticetur, quia in Episcopo & Presbytero continetur.

HAD. SARAVIA.

NOta Hieronymi opinio est, & superflua eiusdem repetitio: nisi fortè D. Beza non examinatas satis, temereque præteritas ipsius rationes, eásque esse adeò inuictas putet, vt orbis vniuersus, qui hodiè est, illis adductus, contra orbē vniuersum, qui tunc temporis & ante eum fuit, (quod ipse non fecit) ordinē Episcoporū abolere debeat. In Epist. ad Oceanum. *Apud veteres* (inquit) *ijdem Presbyteri & Episcopi fuerunt.*

Veteres

Veteres intelligit eos, qui sub Apostolis, & cum Apostolis vixerunt; sicut postea videbimus, & ex ipso Hieronymo in meo tractatu docui. De qua ætate diximus; quamdiù Apostoli Ecclesiarum quas plantârunt, curàm habere, & inspectionẽ potuerunt, aliis Episcopis opus non admodùm habuisse: & à solis Presbyteris potuisse regi, qui & Episcopi quoque dicebantur.

Quod ait, *quia illud dignitatis nomen est, hoc ætatis*; in vtroque errat, si referatur ad tempus veterum, in quo tempore, ijdem erant Episcopi & Presbyteri. Quia Episcopi nomen, tunc erat laboris & officij; Senioris, erat honoris & dignitatis. Quòd Hieronymi ætate, Episcopi nomen fuit honoris, paucitati Episcoporum & consuetudini id tribuendum est, non dictionis proprietati. Presbyterorum numerus, vilescere Presbyteri nomen fecit. Et quùm ipse Presbyter esset, indignè tulit suam conditionem cõtemni; & eam comparat, aut potiùs æquat cum ea, quæ erat Episcoporum.

Ad Euagrium docet, quod doceri certè nihil erat opus, vtpotè extra omnem controuersiam, eosdem fuisse dictos Presbyteros & Episcopos. Et aceruus ille sententiarũ est, meo iudicio, superfluus: quia inde non sequitur, omnes illos, qui Presbyteri & Episcopi communi nomine dicti sunt, fuisse in Ecclesia Christi eiusdem gradus & ordinis; nisi Apostolos Petrum, Paulum, Iohannẽ, quia Presbyteri dicuntur, eiusdem ordinis & gradus facere velimus cum Presbyteris & Episcopis, quos ipsi creârant, & præfecerant Ecclesiis. Res, non nomen, discrimen inter eiusdem nominis Pastores constituebat. Euertit quicquid antè dixerat Hieronymus, quandò subiungit.

Quòd autem vnus (inquit) *pòst electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis id factum est remedium, ne vnusquisque ad se Christi trahens Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista ad Heraclam vsque & Dionysium Episcopos, Presbyteri vnum semper ex se electum, in celsiore gradu collocatum Episcopum nominabant, quomodò si exercitus Imperatorem faciat.*

Hic sistamus parumper, & hæc Hieronymi dicta examinemus. *A Marco Euangelista* (inquit) &c. De Marco aliis in locis scribit, vt in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, eum fuisse primum qui Euangelium prædicauerit Alexandriæ, & illic fundârit Ecclesiam: quódque mortuus sit anno septimo Neronis, eique successerit Anianus. Et in commentariis in Matthæum in procœmio, scribit Marcum primum fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum. In præfatione in Marcum idem habetur. Atquì eum vixisse, & mortuum fuisse, viuentibus Apostolis, consequens est, ex verbis Hieronimi; & Episcopum fuisse primum in Alexand. *cui alij successerunt, in excelsiori gradu collocati, quomodò si exercitus Imperatorem faciat.*

Quid ad hæc D. Beza dicit? Frustrà se Hieronymi authoritate tuetur, qui ipsius tantùm alteram sententiæ partem adsumit, illis relictis, quibus nobiscum sentit; nempè, in excelsiori gradu collocatos, quomodò si exercitus imperatorem faciat. Et alio loco ait, *Episcopum habere exortem, & eminentiorem potestatem: & hunc superiorem gradum & potestatem vtilem & necessariam Ecclesiæ.* Quorum nihil D. Beza credit, sed oppugnat tanquàm humana, & pernitiosa Ecclesiis: & audet contendere contra aperta testimonia Patrum & Conciliorum, prostasian fuisse tantùm ordinis, non gradus, & potestatis; eo tantùm permotus, quòd Hieronymus dicat, *humana consuetudine magis quàm Dominicæ ordinationis dispositione Episcopos Presbyteris esse maiores.* Quod quamuis à Hieronymo sit dictum, quàm sit parùm probabile, hinc etiam apparet ex ipso Hieronymo; aut Domini institutione creatos tales Episcopos, qualis fuit Marcus & Anianus Alexandriæ, & Euodius & Ignatius Antiochiæ; aut Apostolos aliquid ordinâsse, quod à Domino non erat institutum, quæcunque causa instituendi esse potuit.

Quod toties D. Beza excipit fuisse Euangelistas, nihil eum iuuat; cùm ab omnibus Patribus, & scriptoribus historiæ Ecclesiasticæ, dicantur & habeantur Episcopi, hoc est, certæ & finitæ prouinciæ Pastores & Doctores; neq; repugnet, aliquem & Euangelistã dici vel Apostolum, & esse Episcopum. Quòd si quis æquum censet, vt contempta eorum omniũ authoritate, qui vno ore testantur, quos iam tetigi fuisse Episcopos, vt D. Bezæ, & paucis aliis nostræ ætatis scriptoribus adsentiatur, suo ille ingenio morem gerat: ego in hac re tutius esse puto, cum Patribus desipere, quàm cum D. Beza nimiùm

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

nimiùm ſapere. Hieronymus tamen gradu Epiſcopum eminentiorem Presbyteris facit: ꝙ in primis D. Bezæ diſplicet; qui, vt præſul inter collegas gradu emineat, concoquere non poteſt.

Nec hoc placet D. Bezæ, quod de ordinatione ait. *Quid* (inquit) *facit Epiſcopus, excepta ordinatione, quod non facit Presbyter?* Sæpiùs iam faſſus ſum in his duobus, pares eſſe omnes Euangelij Miniſtros, quocunq; nomine cenſeantur; nempè in vnius eiuſdémque doctrinæ Euangelicæ prædicatione, & ſacramentorum adminiſtratione: in ſola gubernationis authoritate eſſe impares. Ordinatio autem Presbyterorum (quam mandatam fuiſſe Tito & Timotheo conſtat) Epiſcopo ita propria ſemper vbique fuit, vt illas partes mandâſſe Presbytero, qui Epiſcopus non eſſet, nuſquàm legatur: & idcirco non tantùm à Hieronymo, ſed ab omnibus veteribus Theologis, tanquàm Epiſcopi proprium notatur.

Poſtremò, in Epiſtola ad Euagrium, ſcopus & intentio Hieronymi ſpectanda eſt: qui vt monſtraret Presbyterum Diacono maiorem, Epiſcopo æquat Presbyterum, de quo non erat controuerſia, quin Diacono eſſet maior. Sed ſi Hieronymus ſibi in ea re conſtat, quomodò illud intelligemus quod in fine addidit Epiſtolæ, quo & totam Epiſtolam claudit? *Et vt ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamẽto, quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Quid autem illud eſt, quod in Aarone & filiis eius fuit, quod traditione Apoſtolica aptari poſſit Presbyteris & Epiſcopis; niſi quod quemadmodũ Aaron filiis ſuis conſacerdotibus maior erat, vtpotè ſummus ſacerdos, gradu honoris & poteſtatis conſacerdotibus filiis excellentior; ita ſimiliter Epiſcopos, Apoſtolica traditione eſſe compresbyteris & Epiſcopis maiores?

3. D. THEOD. BEZA.

IDem in Epiſtolam ad Titum. Idem eſt Presbyter, qui & Episcopus, antequàm diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, Apollo, Cephæ, 1. Cor. 13. communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur: poſtquàm verò vnuſquiſq; quos baptizauerat ſuos eſſe, non Chriſti, putabat, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus cæteris ſuperponeretur, ad quem omnis cura Eccleſiæ pertineret, vt ſchiſmatum ſemina tollerentur. Putat aliquis, noſtram eſſe, non ſcripturarum ſententiam, Epiſcopum & Presbyterũ vnũ eſſe, & aliud ætatis, aliud officij eſſe nomen. Philippis vna eſt Macedoniæ vrbs, & in vna certè ciuitate plures, vt nuncupantur, Epiſcopi eſſe non poterant: ſed quia eoſdem Epiſcopos & Presbyteros tunc appellabant, indifferenter de Epiſcopis, quaſi de Presbyteris Philippenſibus loquutus eſt Paulus. Adhùc, minùs ambiguè vnius idẽ ciuitatis Epheſi Presbyteros vocans, eoſdem poſteà (quod diligentiùs obſeruandum) Epiſcopos dixit: & ad Heb. 13. æqualiter inter plures, Eccleſiæ curam diuidit; Parete, inquiens, principibus, (præpoſitis ἡγουμένοις) veſtris, &c. Petrus item Presbyteros compresbyter obſecrat. Hæc, *inquit*, vt oſtenderemus apud veteres, eoſdem fuiſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos. Paulatim verò vt diſſentionum plantaria euellerentur; ad vnum omnem ſolicitudinem eſſe delatam. Vt ergo Presbyteri ſciant, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, Epiſcopo ſibi præpoſito ſubiectos eſſe; ita Epiſcopi nouerint ſe conſuetudine magis, quàm dominicæ diſpoſitionis veritate, Presbyteris eſſe maiores, in communi debere Eccleſiam regere, Moſen imitantes, qui cùm in poteſtate haberet ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, quibuſcum populum iudicaret. *Et hæc quidem Hieronymus non vno tantùm loco, nec paucis, nec vt re dubia, ſed ſæpiùs, & copioſè, aſſeueranter, Epiſcopis & Presbyteris, vt vnam & eandem appellationem, ſic vnam & eandem functionem tribuens.*

HAD. SARAVIA.

TItus Cretenſium fuit Epiſcopus, vero nomine, ſicut & Marcus Alexandriæ, & Timotheus Epheſi, ſi qua fides Patribus & omnibus hiſtoriis Eccleſiaſticis habetur. Qui certè vnus cum paucis doctoribus in illa inſula, in primis Eccleſiæ temporibus, ſufficere potuit; & poſtquàm creuerunt Eccleſiæ ſub eo, Paulo adhùc viuo; tantùm habuerunt opus Presbyteris: qui ex eo, quòd tunc etiam Epiſcopi dicebantur, malè infertur omnes fuiſſe eiuſdẽ & paris authoritatis. Nam non quid inferat Hieronymus ſpectari hîc debet, ſed quid inferre indè potuerit: nempè Presbyteros, quos Titus creauit, fuiſſe quoque dictos Epiſcopos. Vlteriùs progredi non licet, & inferre, omnes Presbyteros & Epiſcopos fuiſſe tunc pares. Nam ipſe Titus proculdubiò illis maior erat, qui Presbyter erat, & iudicio Hieronymi etiam Inſulæ Cretæ Epiſcopus. Timotheum à Paulo creatum legimus Presbyterum, impoſitione manuum Presbyterij vel

rij vel Presbyteratus, quandò in ordinem Presbyterorum Ecclesiæ Christi adsumptus fuit: quem tamen aliis Presbyteris gradu superiorem nemo negare potest. Quod à D. Beza passim Euangelista dicitur, effugium est. Causam cur tandem creati fuerint Episcopi supra Presbyteros eminentes, hîc prætereo.

Hieronymus sciens se à sententia communi recedere (si modò eum rectè intelligimus) vt suam opinionem confirmet, addit. *Putat aliquis* (inquit) *nostram, non scripturarum sententiam, Episcopum & Presbyterum vnũ esse, & aliud ætatis, aliud officij esse nomen.* Quod aliis verbis in Epistola ad Oceanum effert, vbi ait, *Apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt: quia aliud dignitatis nomen est, hoc ætatis.* Quibus verbis significare videtur, eundem hominem dictum Presbyterum & Episcopum, Presbyterum ætatis ratione, & Episcopũ & officij & dignitatis: quòd Episcopi, ni fallor, non constituerentur nisi viri graues, & iam maturâ, & ad senium vergente ætate. Et profectò ex eo quod Paulus eligi vult viros, qui boni Patres familias fuerint, filios benè institutos habeant, & bonis & castis moribus præditos, satis datur intelligi ætas grandior. Et apud Græcos (quod D. August. quodam in loco notauit) discrimen est inter γέροντας & πρεσβυτέρους. Ipsius hæc sunt verba: *Declinatio à iuuẽtute ad senectutẽ nondum senectus; sed iam non iuuentus, quæ senioris ætas est, quem Græci πρεσβύτην vocant: ram senex apud eos non πρεσβύτης, sed γέρων dicitur.* August. de Geneli contra Manich. Quod si ita est (neque enim aliter interpretari hæc Hieronymi verba mihi posse videntur) quid indè potest inferre Hieronymus? Quæ potest esse vis ipsius argumenti? nisi maturæ ætatis viros fuisse constitutos Episcopos, & ab ætate Presbyteros, & illos eosdem ab officio, dictos fuisse Episcopos. Sed indè non sequitur, illos Cretenses, siue Presbyteros, siue Episcopos dicas, non habuisse Episcopum superiorem.

Leuissimum est quod citatur ex 13. ad Hebræos, quasi significaret, eos, quibus parendum esse præcipit, fuisse eiusdem gradus & ordinis, & iisdem verbis non liceat vti, vbi Presbyteri subsunt Episcopis, & necesse fuerit illos præpositos esse eiusdem gradus & ordinis. Præterea, cùm non ad vnam Ecclesiam, vno in loco degentem, scripta illa sit Epistola, sed ad vnam gentem dispersam per vniuersum orbem, singulari numero commodè non potuit vti. Ad vnum solicitudinem esse delatam, & in excelsiori gradu fuisse constitutos Episcopos vbi que Hieronymus fatetur: quod D. Beza negat: nec aliam fuisse Episcopi authoritatem, quàm est Genevæ, vnius aut trium dierum præsidis, contendit. Vnde apparet, complexionem huius argumenti, nullam esse contra meam positionem, qui non negem in commune debere Ecclesiam regi à Presbyteris cum Episcopo: quod hodiè faciunt, & temporibus Hieronymi Presbyteros fecisse constat.

Sed licet cupidè D. Beza arripiat quod Hieronymus ait, *Episcopos esse consuetudine, & non Domini dispensatione maiores Presbyteris*; tamen negat temporibus Hieronymi, & antea, gradu & potestate fuisse Presbyteris Episcopos maiores: & ad sudorem vsque se delassauit, ad suum sensum detorquendis Canonibus, vt præsidentiam Consistorij sui vniuerso orbi ab antiquitate commendaret. Canones suas partes Episcopo tribuunt, suas & cuiuis Pastori particularis Ecclesiæ: quæ distribui non potuêre, & ad omnes pertinent, nihil in illis potest Episcopus, sine adsensu sui cleri, vel Ecclesiæ suæ suæ capituli. De quibus posteâ.

Quod ex veteri testamento allegatur, ad confirmationem superioris argumenti, nihilo plus valet superiùs allegatis. Nihil authoritatis 70. seniores detraxêre Mosi, vt quod ille non poterat, supplerent: non vt ab eorum penderet consilio, ei fuerant adiuncti. Eodem modo Apostoli adiutores sibi adsumpserunt: & Episcopis additi sunt Presbyteri, vt eas obirent partes, quas Episcopus obire non poterat. Ita tamen hæc intellecta velim, vt quæ in commune ad omnes pertinent, communi consilio, non vnius Episcopi perficiantur authoritate.

Et quia non est in Episcopis, sicũt etiam in pontificibus populi Dei non fuit, tanta Spiritus sancti gratia, quantam habuit Moses; compresbyteros & coepiscopos cum Episcopis & Archiepiscopis conuenire, & rebus communibus, quæ ad Ecclesiæ ædificationem pertinent, communi consilio & consensu, in synodis & aliis Ecclesiæ cõuentibus, statuere necessarium fuit. Sed hoc nihil minuit, nec tollit Episcoporum nec

Archie-

Archiepiscoporum eminentiorem supra cæteros gradum; sicut nec canonibus & bonis legibus ita esse constrictos, vt nemini queant iniuriam facere. Potestas eorum, finibus legum inclusa est, sicut & obedientia subiectióque quæ ipsis debetur; ne quis putet nos tyrannidem, nescio quam, Episcoporum defendere. Nihil enim Episcopi & Archiepiscopi aliud sunt, quàm Ecclesiasticæ gubernationis νομοφύλακες.

4. D. BEZA.

HVic autem assentiens Ambrosius ad Ephes. 4. Primi Presbyteri (*inquit*) appellabantur Episcopi, vt recedente eo, sequens ei succederet. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri inueniri indigni ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, vt non ordo sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum: nè indignus temerè vsurparet, & esset multis scandalum. *Idem* 1. *ad Tim.* 3. Paulus post Episcopum, ordinationem Diaconatus subiecit. Quare? nisi quia Episcopi & Presbyteri vna ordinatio est? Vterque enim sacerdos est: sed Episcopus primus est: vt omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter sit Episcopus. Hic enim est Episcopus, qui inter Presbyteros primus est.

HAD. SARAVIA.

EX Ambrosio nihil citatur quod nobis aduersetur. Ait primatus gradum, datum fuisse ætati, vt qui senior esset Presbyter, honoratior esset, & cæteris eminentior: cuius instituti mutandi causa nulla fuit, si προεδρία Episcopalis non alia fuit, quàm imaginatur D. Beza; & hodiè in vsu est in nostris reformatis Ecclesiis. Nemo tam infans est, qui vt præsideat in nostris Cõsistoriis non sit idoneus, modò mandata à collegio referre possit. Sed longè grauior ea prouincia fuit, quàm vt ageretur ab aliis, ipsa nihil ageret; duceretur, non duceret. Episcopi & Presbyteri vnam esse ordinationem, quod ait Ambrosius, adeò nihil meæ sententiæ aduersatur, vt, si vis, addam & Apostoli eandem fuisse ordinationem, nisi quòd illa fuit à Christo, hæc autem est ab homine. Nam sicuti vnum est Euangelij Ministerium, & vnus Episcopatus, & vnus Apostolatus; ita etiam est vnum Presbyterium. Vnius autem Ecclesiæ graduum distinctio, gubernationem respicit, & amplitudinem prouinciæ. Mirum hæc à D. Beza contra me adferri. Obserua, candide lector, & nota hanc Ambrosij sententiam. *Vna eadémque est* (inquit Ambrosius) *Episcopi & Presbyteri ordinatio:* sed Beza dicere non potest, de ordinatione Pastoris & Presbyteri Geneuensis Ecclesiæ, quòd vna & eadem sit Pastoris & Presbyteri ordinatio. Nam re vera non minùs diuersa est Presbyteri ordinatio, ab ea quæ est Pastoris & verbi Dei ministri, quã Diaconi. Quod de Presbytero & Episcopo dixit Ambrosius, quòd *vterq; sit sacerdos*, dici de Pastore & Presbytero nostrarum Ecclesiarum non potest. Et hæc quando citat contra me ex Ambrosio, prorsùs aliena à mente & sensu Ambrosii id facit, vt persuadeat lectoribus imperitis, Ambrosium idem sensisse quod ipse sentit, aut se sentire cum Ambrosio: nihil interìm respondet ad ea quæ ego ex Ambrosio allegaui, vt primatum non ordinis, sed principatus, & gradus docerem. Citaui enim locum 20. capite libri mei, ex commentariis Ambrosij in Epist. ad Ephesios, vbi ait, *Apostoli Episcopi sunt, Propheta verò sunt explanatores scripturarũ, qui ordo nunc potest esse Presbyterij. Nam in Episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est princeps sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, cætera ad implenda officia Ecclesiæ, in ministerio fidelium.* Eum præterea intellexisse, primatum hunc esse gradum, audiamus quid dicat tractatu de dignitate sacerdotali. *Quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est, tanto si per negligentiam dilabatur, ruina grauior est.* Et capite sexto vocat *Episcoporum ordinem deificum.* Et Paulò antè, capite quarto, *Aliud est quod ab Episcopo requirit Deus, & aliud quod à Presbytero*, &c. Desinat, obsecro, D. Beza mihi Ambrosium, aut alium quemuis ex Patribus obiicere, cum quibus si sentiret, nihil contra me scriberet.

5. D. THEOD. BEZA.

SEd & Augustinus Epist. 19. Secundùm HONORIS vocabula, *inquit*, quæ iam ECCLESIÆ VSVS obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior est: vnde Gratianus ex Isidoro. Apud veteres, *inquit*, iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt.

HAD.

HAD. SARAVIA.

ET hîc rursùs *honoris & Ecclesiæ vsus*, voces scriptæ maiusculis literis risum extorserunt, cum flere magis libuerit, tantum virum tam leui momento induci, vt obstinatè contra omnem antiquitatem, & vniuersalem Ecclesiæ vsum, summi, & amplissimi ordinis Episcopalis abolitionem moliatur. Si tam Augustino fidè habere D. Bezæ cordi esset, quàm captare vndique ex malè detortis sententiolis, defendendi sui propositi quamcunque occasionem, nihil mecum contenderet. Nam quid est quod contra meam sententiam hinc queat concludere? *Obtinuerat Ecclesiæ vsus vt Presbyterio Episcopatus esset maior.* An hoc meam sententiam euertit? Nonnè iam antèa confessi sumus, fuisse tempus, quandò Presbyteri ijdem erant, & dicebantur qui Episcopi?

Quandò igitur, & à quibus est facta illa mutatio? Duo hæc si inquiramus, quandò ille vsus primum inceperit, & quibus authoribus, & qui fuerint illi veteres, apud quos ijdem fuerunt Presbyteri & Episcopi; recurrendum erit ad ætatem Apostolorũ, sub quibus Episcopi & Presbyteri discrimen in Ecclesiæ primordiis nullum fuit: quippe quùm omnes Presbyteri tantùm essent; & penes Apostolos atque Euangelistas Episcopalis esset gubernatio. Quam tandem, crescente numero Ecclesiarum, & multitudine fidelium, quibusdam eximiæ & raræ virtutis viris, quales fuêre Marcus, Euodius, Titus, & Timotheus, communicârunt. Nam indè ab illis temporibus in Ecclesiis ab Apostolis fundatis, Episcoporum per multa secula decurrit successio; quæ nulla esset, si tempus aliquod, mortuis ſtarìm Apostolis, intercurrisset, in quo Presbyteri & Episcopi discrimen nullum fuisset.

De rebus adiaphoris, de quibus ab Apostolis nihil certi fuit constitutum, magna varietas vbique extitit, neque quicquam referebat, quem morem Ecclesiæ sequerentur fideles. At vbi consensum vniuersalem videmus omnium Ecclesiarum, omnium locorum, & temporum, fieri non potest quìn ab Apostolis, sicut à Domino acceperant, fuerit traditum. Rectè Tertull. aduersùs Mar. lib. 4. *Constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.* Et vt concludam; quòd quondam iidem fuêre Episcopi & Presbyteri, temporarium fuit: quòd Episcopi post Apostolorum tempora vbique maiores extiterunt Presbyteris, perpetuum; vtpotè qui sint Apostolorum successores in gubernationis Ecclesiasticæ authoritate.

Sed scrupulus vnus adhûc restat: *Vsus Ecclesiæ* (inquit Augustinus) *obtinuit:* quid hoc significat? Malè Ecclesiæ vsus diuinæ institutioni opponitur: quasi Augustinus, qui ita locutus est, negauerit institutione diuina Episcopos esse superiores Presbyteris: quùm Ecclesiæ vniuersalis alicuius rei vsus, argumentum sit institutionis diuinæ, & traditionis Apostolicæ. August. de bapt. cont. Donat. 4. ca. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica authoritate traditum rectissime creditur.*

6. D. THEOD. BEZA.

ET hæc quidem illi, Hieronymo planè assentientes, quem nunc audiamus, quàm firmis rationibus refutes.

HAD. SARAVIA.

SEd nec Augustinus Hieronymo, nec Hieronymus sibi in hac re (si rectè eum capimus) consentit: neuter verò eorum cum D. Beza, qui quantum potest Episcoporum ordinem tollendum censet. A qua sententia tantum vterque abfuit, vt inter hæreticos & schismaticos eum fuerint habituri, qui id moliri esset ausus.

7. D. THEOD. BEZA.

PRimum igitur, inquit, *quod hîc dicitur, communi Presbyterorum consilio Ecclesias in principio fuisse gubernatas, non diffiteor. Fuit enim etiam tempus quando Ecclesia communi consilio totius plebis regebantur, quæ postea nacta Presbyteros, vt in Cretagallorum consilio gubernata sunt; sub extra tamen & inspectione Apostolorum & Euangelistarum. Sed hoc non arguit, crescente quotidie numero Ecclesiarũ, & in Ecclesiis multitudine Christianorum, quin vt Diaconi post Apostolos, & post Diaconos Presbyteri: sic post Presbyteros Apostoli eadem diuina institutione, tandem crearint Episcopos, cuiusmodi fuerunt Titus, & Timoth. & plures alij.*

Agnosco

Agnosco autem & ego, non vno momento, sed prout dedit Dominus, distinctas suis omnibus functionibus, quasi partibus, Ecclesias fuisse. Sed quorsùm hæc ad id de quo agit Hieronymus? & an ista quæ profers satis inter se consentiunt? Fateris enim Ecclesias fuisse in principio communi Presbyterorũ consilio gubernatas. Num confuso & perturbato? ita videlicet vt conferentibus inter se Presbyteris de negotijs quæ incidebant, nullus esset qui cæteris præiret, sententias rogaret, actionem denique totam à principio ad extremum moderatus, ex Presbyterij communi sententia iudicaret? Hoc quidé ego nè verisimile quidem arbitror. Habuit ergò iam tum Presbyterium suum aliquem primum & πρωτοκαθέδρίτην Presbyterum: vt Presbyterorum, sic etiam Episcoporum, manente communi appellatione. Aberras igitur à scopo, quùm hoc dictum Hieronymi ad id tempus refers quo nullus Presbyterio præfuerit, quod certè verisimile non est vnquàm contigisse. Agit præterea Hieronymus de Episcopis in Presbyterorum, id est, Pastorum, gubernatorum oppidatim constitutorum cœtu præsidentibus. Tu verò istud accipis de Euangelistis, quibus contendis Metropolitanos successisse, quos tamen constat non Pastoribus aut Presbyteris, sed suarum prouinciarum coepiscopis præfuisse. Denique quo sensu sit accipiendum, quod dicit Hieronymus, *Ecclesias initio fuisse communi Presbyterorum consilio gubernatas*, docet Ambrosius eo quem citaui loco, nempè, *ita vt vnus inter ipsos esset, non quidem certe gradu superior, sed ordinis & honoris dignitate primus, cui muneri singuli posteà per vices succederent.*

HAD. SARAVIA.

TRuncata mea refert argumenta, aut dissolutiones potiùs argumentorum Hieronymi, D. Beza: quod ipsum breuitatis causâ fecisse, libenter interpretari quamuis velim, mihi tamen iniuriam facit. Nam verborum meorum totum sensum peruertit, vt eum impugnet, quem ipse ex meis malè consutis colligit; non quem contextus reddit. Quare, candide lector, hoc totum quod D. Beza, tanquàm meum, suo libro inseruit, scito me, pro meo non agnoscere: & ex meo libro, quem totum huic inserui, reponenda esse ex cap. 23. post Hieronymi verba, *Antequam diaboli instinctu*, &c. ea quæ confutationis loco illic subiunxi vsque ad sectionem, quæ incipit, *Quod Hieronymus ait*, &c. cum quibus conferenda est hæc D. Bezæ responsio, & videbis an nihil ea faciant ad ea quæ dixit Hieronymus, & num inter se cõsentiant, nec ne: quæ ibi habes, hîc repetenda non sunt. Quærit D. Beza, *Num ita confuso & perturbato consilio Presbyterorum gubernatæ fuerint Ecclesiæ, vt nullus esset, qui cæteris præiret, sententias rogaret, actionem totam à principio ad finem moderatus.*

Quis negat? Imò & antequàm crearentur Presbyteri ordinem aliquem in quouis cœtu fuisse oportet, eique præfuisse, qui aut ætate, aut prudentia senior erat: id enim natura docet. Quid, constitutis Presbyteris? Aio seniorem Presbyterum prælidem fuisse naturæ ordine, non vocationis: idque vbi plures erant Presbyteri. Nam non arbitror quemuis Christianorũ cœtum, plures habuisse seniores: pro multitudine credentium fuit Pastorum numerus. Hunc ordinem adhùc in omni conuentu Presbyterorum, & Episcoporum seruari, notum est iis, qui conuentibus illis interfuêre. In prouinciali synodo, absente Metropolitano, aut eo, qui aliàs de more aut iure præsidere debet, senior Episcopus præsidet: in conuentibus Presbyterorum, senior Presbyter: natura id docet. Ita olim quoque factum apparet ex veterum scriptis. Sed quid hinc inferre potest Beza contra me?

Ait præterea, *Hieronymum agere de Episcopis in Presbyterorum, id est, Pastorũ gubernatorum oppidatim constitutorum cœtu præsidentibus.* Quos nobis hîc narrat D. Beza Pastores gubernatores oppidatim constitutos? Suósne seniores, pascendi, hoc est, docendi imperitos? Tales Hieronymus nè quidem somniauit vnquàm in Ecclesia futuros. Presbyteri Hieronymiani omnia officia præstabant in Christi Ecclesia, quæ Episcopi, sola iurisdictionis potestate & ordinatione excepta. Id de temporariis nostri seculi Presbyteris nunquàm verè à Hieronymo dici potuisset. *Tu verò* (inquit) *istud accipis de Euangelistis.* Sed tu, candide lector, iudica: meo iudicio hæc dissoluta fluunt, nec quicquam concludunt contra ea quæ disputo.

Quod Ambrosium attinet, in contrarium sensum trahitur ab animo instituti sui, præiudicio nimis præoccupato, qui quicquid legit, sonare putat, quod ipse cogitat. Quare ipsum Ambrosium consulat lector, & nisi inueniat quæ hîc subiiciam, non mihi sed D. Bezæ fidem habeat. Ambrosius enarrans locum illum Pauli ad Ephesios, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, quosdam verò Pastores & Magistros*, non temporaria dona intelligit à Christo data

Ecclesiæ

Ecclesiæ, sed perpetuâ: & Apostolos successionem habere credit in Episcopis, & ait; *Apostoli Episcopi sunt, Prophetæ verò explanatores scripturarũ quamuis inter ipsa primordia fuerint Prophetæ, sicut Agabus, &c. Nunc autẽ interpretes Prophetæ dicuntur, Euangelistæ Diaconi, sicut fuit Philippus. Quamuis nõ sint sacerdotes, euangelizare possunt sine cathedra, sicut & Stephanus & Philippus memoratus. &c.* Applicat illa quidem omnia ad statum Ecclesiæ sui temporis; quàm propriè quidem non disputo: sed propriè & genuinè multa, vt illud est, non illic Paulum temporaria dona significâsse à Christo triumphante data Ecclesiæ, sed Apostolos vigere in Episcopis, Prophetas in eorũ interpretibus. Dicit enim, *Inter istos, post Episcopum plus esse intelligitur qui propter reseratum occultum scripturarũ sensum, prophetare dicitur, præsertim quia futuræ spei verba depromit; qui ordo nunc potest esse Presbyterij. Nam in Episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos, hoc est, princeps est sacerdotum, & Propheta, & Euangelista. &c.* His Ambrosius subiungit obiectionem, & mutationem ostendit factam, diuersam ab Ecclesiæ primordiorum vsu, constitutis iam Ecclesiis. Atque ita concludit, *Ideo non per omnia* (inquit) *conueniunt scripta Apostoli ordinationi quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia scripta sunt. Nam & Timotheum Prebyterum à se creatum, Episcopum vocat: quia primi Presbyteri Episcopi appellabantur, vt recedente vno, sequens ei succederet. Sed quia cœperunt sequentes Presbyteri, indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata ratio est, &c.*

Ex quibus verbis mens & sensus Ambrosij potest facilè perspici: primum Presbyterum fuisse inter eos Episcopum, quo recedente per mortem, sequebatur alter, illi qui decesserat secundus. D. Beza ad præsidentiæ vices id refert: & quemadmodùm Genevæ Pastores per vices præsident, ita olim in Ecclesiæ primordiis hebdomatim præsedisse in Presbyterio; quod nec Ambrosius, nec Hieronymus, nec veterum Patrũ vllus vnquam somniârunt. Nam præsidentia illa paucorum dierum, nihil periculi habuisset, cuius vitandi gratiâ morem illum primum mutatũ fuisse, opinari potuit Ambrosius. Maioris momenti primatum illum æstimauit, & plus habere ponderis, quàm D. Bezæ gratum est. Sed successionem intellexisse Ambrosium, quæ per mortem accidit, ex argumento quod adfert vt doceat iure mutatam, fit manifestum. Quod in veteri lege nascerentur sacerdotes, nec electioni esset locus, filius succedebat mortuo patri, aut frater vitâ defuncto fratri, etiam si alij ex sacerdotibus essent aptiores, nunc alia est ratio. *In lege* (inquit) *nascebantur sacerdotes ex genere Aaron Leuitæ. Nunc enim omnes ex genere sunt sacerdotali, dicente Petro Apostolo, Quia estis* (inquit) *genus regale & sacerdotale; ideóque ex populo potest fieri sacerdos.*

Ex quibus verbis manifestum est, Ambrosium successionem in Episcopatu tribuere electioni, non necessariæ successioni, quæ sub lege Mosaica erat; quæ in Ecclesiæ primordiis ad tempus fuit, quando primi Presbyteri erant Episcopi: quibus decedentibus, secundi ab illis necessariò succedebant. Cùm itaque hodie nemo à ministerio Euangelij excludatur, qui eas habet Spiritus sancti donationes, quas D. Paulus requirit in Episcopo, nihil antecessore mortuo necesse est, vt necessariò succedat senior Presbyterij Presbyter, sicut filius aut frater sine electione succedebat Pontifici defuncto; nisi fortè legalem maculam aut deformitatem habuisset in suo corpore. Priuilegium Leuiticæ tribus, & stirpis Aaronicæ, hodiè omnibus Christianis est commune.

8. D. THEOD. BEZA.

QVantum verò temporis spacium esset isti προσασίᾳ præscriptum, non describit Ambrosius, de more isto videlicet, qui iam pridem esset abrogatus restituendo minimè laborans, sed hebdomadicam hunc ἐφημερίαν fuisse probabile est, qualis fuit illa Aaronica, vt constat ex 2. Chron. 23. vers. 4. & 8. & ex Maymone Hebræorum. cap. 4.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza hîc ratiocinatur, ac si iam euicisset, per vices Presbyteros sibi inuicem in præsidentia successisse: de qua re nec in verbo Dei, nec in vlla Ecclesiastica historia, nec in vllo veterum, quicquam legitur: id tamen adsumit tanquam cõcessum. *Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* Nimis misere hanc orbiculatem

rem præsidentiam deperit D. Beza. Ipsius rei desiderium, non ratio facit vt credat, & Ambro. nunquàm cogitauit. Sed dolet ab Ambrosio tempus istius προεδρίας non fuisse adscriptum. Mirum si scripsisset quod non fuit, nec ei vnquàm in mentem venit. Quandò Ambrosius dixit Presbyteros Episcopos fuisse appellatos, vt recedente vno sequens ei succederet, non dixit recedente vno vicis suæ completo tempore, vel vnius hebdomadæ, vel mensis, vel anni, proximus succedebat, ac ita per vices singuli: sed recedente vno, id est, primo Presbytero, qui Episcopus erat, sequens, hoc est, senior, & secundus ab eo, succedebat & fiebat Episcopus. Recedere autem multis modis potuit Episcopus, vel morte, vel exilio, vel depriuatione, vel persecutionis tempore desertione, vel cessione, vel translatione, vel etiam corporis infirmitate ob senium & continuos morbos: quocunque autem modo decessisset primus Presbyter, qui erat Episcopus succedebat sine vlla electione, in locum antecessoris senior Presbyter. Quàm hoc D. Bezæ commentum sit à sententia Ambrosij non modò alienum, sed etiam contrarium, hinc apparet, quòd hoc modo omnes fuissent suis vicibus Episcopi: fuisset enim circularis ille Episcopatus, & communis omnibus. Et in hac hebdomadica circulari præsidentia, nemo absolutè primus Presbyter dici potuisset, neque secundus, neque vltimus, vtpotè qui primi omnes & vltimi suis vicibus fuissent. Ambrosius apertè distinguit inter Episcopum & Presbyterum: *Hic enim Episcopus est* (inquit) *qui inter Presbyteros primus est*. Idem, *vt omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat.*

In hac autem circulari præsidentia quiuis Presbyter fuisset etiam Episcopus; quod Ambrosius apertè negat. Quis ante Bezam ita hunc Ambrosii locum intellexit? Mihi in mentem venit cùm hæc legerem, in quadam synodo, cui interfui, vitandæ ambitionis causâ primi consessus, statim in initio cui ego non aderam, constitutum fuisse, vt in orbem per vices, in primi suffragij loco vel sede sederent: vt qui primus in primo congressu sedisset, in proximo vltimus esset, & qui secundus, primus, atque ita fiebant vltimi primi, & primi vltimi. Nescio an illius consilij authores, hunc Ambrosij locum sic acceperint. Quicquid sit, noua hæc sunt, & Patribus incognita.

Vtinam quos Deus raris & eximiis donis ornauit, concepta semel opinio ab antiquitate, contra omnem rationem, non tam facilè abduceret, neque opinio eruditionem, & iudicium vinceret. Tutiùs viæ regiæ insistitur, quàm noua teritur. Vetus illud & sapiens verbum est, *Viam publicam nè desere propter semitam.* Tamen D. Beza sine vlla authoritate verbi Dei, aut Patrum testimonio, aut historiæ Ecclesiasticæ exemplo, hebdomadicam hanc præsidentiam fuisse probabile iudicat. Sed vndè probabilitas hæc sumitur? ab hebdomadicis vicibus ministerij Leuitici: probabilitas certè fallax, in re maximè dissimili. Constitutæ illæ vices non fuêre alicuius præsidentiæ, sed ministerij, propter assiduos labores illius operosissimi ministerij, in quo, vt maximè voluissent durare sacerdotes, nemo potuisset. Requies nulla erat laboris, nec in ipsis Sabbathis: & quandò cæteri omnes maximè otiabantur, illi maximè laborabant. Deniq; Sacerdotum & Leuitarum partes non erant, vt tantùm in templo ministrarent: dispersi per totam Iudæam erant, docẽdo & iudicando populo. Quid dicam? Tantámne rem, tam debili nixam fundamento, tam seriò vrgere, & Ecclesiis omnibus obtrudere? Quod etsi D. Beza se non facere testetur, alij tamen homines importuni faciunt, eius freti authoritate, Ecclesiáque Geneuensis exemplo.

9. D. THEOD. BEZA.

NOn est igitur eo demùm tempore, de quo Hieronymus loquitur, vt tu putas, constitutus quispiã, qui Præsbyterio præesset: verùm loco successionis illius per vices, cœpit vnus ex Presbyteris ad hunc ordinis primatum, à reliquo Presbyterorũ cœtu deligi; is videlicet qui maximè ad hoc idoneus videretur, & ita factum vt Episcopi nomen antea Presbyteris omnibus commune, idque ouiũ quas regebant respectu, ad hunc προεστῶτα propriè significandum, & quidem suorum compresbyterorum respectu, sit translatum.

HAD. SARAVIA.

SEd vndè quod ait D. Beza docet? Quo argumento suæ adsertionis facit fidem? Tria dicit. Primum non eo tempore de quo Hieronymus loquitur, quempiam fuisse con-

illse constitutum qui Presbyterio præesset. Deindé, loco successionis per vices, à relliquo Presbyterorum cœtu, ad primatum ordinis delectum vnum ex Presbyteris. Postremò, Episcopum dici cœpisse non gregis respectu, sed compresbyterorum. Quæ omnia sine vlla demonstratione, sine authore, sine ratione, contra omnium Patrum, atque adeò ipsius Hieronymi & Ambrosii sententiam, & vsum primitiuæ Ecclesiæ, dicuntur. His tribus mihi respondendum est adsertionibus.

De prima lubens scirem, vndè id me putare suspicetur D. Beza. Dico igitur idem quod modò, id nihil ad rem pertinere: & quod me attinet, nunquàm nec Ecclesiam, nec Presbyteros plures conuenisse deliberaturos de re graui, sine aliquo directore actionis, me existimare; nec collegium vllum fuisse, aut esse potuisse, cui non primus aliquis præfuerit. Ambrosius tribuit primatum Episcopatus primo Presbytero: hoc est, seniori Presbytero, qui diutiùs cæteris fuerat Presbyter.

Successio vero per vices phantasma est: nihil vnquàm fuit huiusmodi. Hieronymus electum vnum ex Presbyteris, qui tantùm præesset, significare noluit: sed qui in celsiore gradu collocaretur, & cui exors & ab omnibus eminens dabatur potestas. Hieronymi verba iam sæpiùs repetiuimus. A Marco initium factum est: ei Anianus successit, qui & sub Apostolis vixit. Successiones Episcoporum, qui in præcipuis Ecclesiis constituti fuerunt, ab ipsis Apostolorũ temporibus notæ sunt. Quæ nullæ possent, nec olim contra hæreticos certæ potuissent allegari, si circularis fuisset præsidentia, & hebdomadicus Episcopatus. Iacobus frater Domini præfuit Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Simeon filius Cleophæ ei successit. In Antiochena Ecclesia primus ab Apostolis præfuisse dicitur Euodius, cui Ignatius successit circa Vespasiani tempora: qui & vidit Apostolos, atque ab eis fuit institutus. Ipse cum Polycarpo vixit, & vndecimo anno regni Traiani mortem leonibus obiectus, pro confessione nominis Christi, obiit. Ex ipsius Epistolis discere possumus, quæ fuerit Episcopi tunc temporis, tum dignitas tum authoritas. Ipse non ignorabat, quomodò Euodius, cuius in Epistola ad Antiochenos mentionem facit, præfuisset; *Mementote* (inquit) *Euodij Pastoris vestri, qui primus vobis ab Apostolis ordinatus fuit Antistes:* & subiungit, *Presbyteri pascite gregem qui vobis commissus est, donec Deus demonstret eum, qui vobis imperaturus est: ego enim iam immolor vt Christum lucrifaciam.* Et in Epistola ad Smyrnenses, quis ordo fuerit tunc in Ecclesia docet. *Omnia* (inquit) *vobis decenti ordine perficiantur in Christo: laici diaconis subditi sint, diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri.* Ignatio in cœlum recepto Presbyteri non vnum ex Presbyterio elegerunt Episcopum; sed Hiero diaconus electus fuit, & surrogatus Ignatio.

Probatione non eget à Presbyteris electos fuisse Episcopos, & à plebe Episcopum postulatum; & nonnunquàm approbante, & acclamãte Ecclesia, fuisse à Presbyterio electos, quos plebs postulabat. Quæ electio non ad Presbyteros restricta fuit, sed adeò libera, vt laicos elegerint. Vnde vanum esse apparet, quæ de hac re cogitauit D. Beza.

Quod tertium attinet, *Episcopos dici non gregis, sed respectu compresbyterorũ*; nescio vnde habeat, nec quæ ratio persuaserit vt id sentiret, & scriberet: nemo veterum in ea fuit sententia. Et Hieronymus, quem videri vult defendere, cùm Ecclesiam antè communi consilio regerent Presbyteri, vni posteà eius curam fuisse commissam ait. Ipsi Romanistæ contrarium docent, distinct. 23. cap. Cleros. *Episcopus autem vocabulum, inde dictum est, quòd ille qui efficitur Episcopus, superintendat: scilicet curam gerens subditorum.* σκοπεῖν *enim Græcè, Latinè intendere dicitur. Episcopi Græcè, Latinè speculatores interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia: Ideo dictus, eo quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam.*

10. D. Theod. Beza.

ATenim, fortassis, inquies, ista mutatio cur non æquè dominicæ dispositioni, atque prior ille per vices ordo tribuetur? Certè, si ab ipsis Apostolis esset profecta, non vererer illam, vt cæteras Apostolicas ordinationes, diuinæ in solidum dispositioni tribuere. Neque propterea Deus mutabilis videri posset; non modò quia non quicquid Dominus constituit, ea conditione disposuit, vt perpetuum esset: verùm etiam quoniam aliud est, ordinis modum, qui ad circumstantias temporum, locorum, & personarum accommodandus est, mutare, quàm ipsum ordinem tollere, in Ecclesia ad fines vsque seculorum retinendum.

Sed quùm Hieronymus, & Ambrosius, ac etiam Augustinus, grauissimi testes, ipsique adeò Niceni Patres, si ab Apostolis ista mutatio esset profecta, siue lege scripta (quid sit autem de illis Apostolicis vocatis canonibus statuendum, alibi dixi) siue per vocem tradita, minimè istud dissimulaturi, antiquæ tantùm consuetudini & vsui Ecclesiæ, & quidem à Dominica dispositione distinctæ, istud tribuant: indignari non debes, Sarauia, si potiùs illorum perspicuis, & toties repetitis testimoniis, quàm infirmissimis & nullius certè ponderis coniecturis fidem habens, priorem quidem ordinem, vt qui initio, ac proinde Apostolis ipsis auctoribus, vel saltem approbatoribus, viguerit, diuinum: posteriorem verò, humanum, non simpliciter tamen, sed comparatè, nullâ cum Patrum & tot Ecclesiarum iniuriâ, appellauero. Vt melùs autem liqueat iustæne fuerint & satis magni momenti ad hanc προσασίας nouationem instituendâ rationes, agedùm illas sigillatim dispiciamus, & quæ tu vicissim illis opponas, expendamus.

HAD. SARAVIA.

QVæ hic disputat D. Beza, quàm pulchrè respondeant obiectioni, quam me posse facere proponit, expendamus. Primò, pro concesso accipit suas cogitationes, de præsidentia hebdomadica per vices, tanquam ea fuerit à Deo instituta. Sed ab ipsis Apostolis necessariò esse profectam vnius Episcopi supra cæteros Presbyteros eminentiam, facilè videre possunt, quorum animi præiudicio in hac re non sunt præoccupati. Authoritate vero Hieronymi & Ambrosij & Augustini quod se retineri adfirmat, adeóque Niceni concilij, qui hanc mutationem tribuunt consuetudini, verba sunt.

De Hieronymo nostra nunc disputatio est. Ambrosium demonstraui nihil minùs cogitâsse, quàm illud quod D. Beza ei affingit. August. scripta extant, qui inter hæreses hanc Aërij opinionem numerat. Quod D. Beza respondet hoc eum fecisse, non tam proprio iudicio, quàm Epiphanij, quem secutus videtur, re non penitùs examinata; idem ei multò probabilius à me responderi posset: August. ex sensu Hieronymi ita scripsisse, potiùs quam ex suo; quòd Hieronymus ei & iuuentutem ferocientem, & Episcopalem dignitatem exprobrâsset, dimissius de se & sua dignitate esse locutum. Supra tetigi malè vsum diuinæ institutioni opponi, & quod vniuersa tenet Ecclesia, non nisi Apostolica authoritate, traditum credendum esse, August. censuisse.

Et illud similiter ex præiudicio est, sicut & cætera, quod ait non consequi ex ipsius adsertionibus, Deum videri mutabilem. Ratio ipsius hæc est, *non modò quia non quicquid Deus constituit, ea conditione disposuit, vt perpetuum esset: verùm etiam quoniam aliud est ordinis modum, qui ad circumstantias temporum, locorum & personarum accõmodandus est, mutare, quam ordinem ipsum tollere, in Ecclesia ad finem vsque seculorum retinendum.*

Hæc est bella D. Bezæ ratio, quæ totius ipsius opinionis, sine verbo Dei, sine authoritate Patrum, aut solida ratione est fundamentum. Nam vt demus quicquid Deus constituit, non ea factum conditione, vt perpetuum esset; de adsumptione controuersia est; nempe, hæc gubernationis ratio, quæ Apostolorũ ætate fuit, in qua verbi minister verbi ministro subiiciebatur, non ea conditione constituta fuit, vt perpetua esset; hoc est quod negamus, & probandum D. Bezæ restat, & euincendum: quod si fecisset, vltrò manus daremus.

Quod me attinet, nihil meâ interest, sint Episcopi, nécne: nisi quatenùs Ecclesiæ Christi interesse iudico, habere Episcopos: propriam nullam dignitatem nec potestatem defendo: causam communem Ecclesiæ ago. Quid diceret D. Beza si quis adsumeret sub ipsius posita thesi, Sacramenta Eucharistiæ, & Baptismi, non ea conditione instituta fuisse, vt perpetua essent? Nam quod ait, *aliud esse ordinis modum, qui ad circumstantias temporum, locorum, & personarum accommodandus est, quàm ordinẽ ipsum tollere, in Ecclesia ad fines vsque seculorum retinendum*, nihil probat. Esto: sit aliud, & aliud: mutatio ex verbo Dei, non ex his cogitatis rationibus demonstranda fuit; & Dominum vnum regendæ Ecclesiæ modum instituisse, qui simul cum ipsis Apostolis interiret, & alium qui in fines vsque seculorum maneret, docendum: & illum iustum, vtilem & bonum, imo diuinum fuisse illa ætate, illis locis, illis personis: nunc verò illum eundem esse tantùm humanum, inutilem, vel etiam noxium, iniquum, & tyrannicum; & ideo tollendum: hunc autem, qui Geneuæ nuper excusus est, diuinum & necessarium; & vsque ad fines seculorum in Ecclesia retinendum. Sed id dicere non sufficit: opus fuit priùs ex verbo Dei doceri. Quod vbi demonstratũ esset, istæ demum

demum rationes adhiberi poterant: nunc verò vanæ sunt, nec vllo innituntur fundamento.

Quod Patres attinet, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, & Nicenì denique Patres; si D. Bezæ essent, vt dicit, grauissimi testes, nulla restaret inter nos contentio. Nam quomodò Episcopi, & Metropolitani, ac etiam ipsi Patriarchæ sint ex diuina institutione, & ex humana simul consuetudine facilè intelligeret; nec illa inter se tanquã opposita separaret. In 20. & 21. capitibus mei libri disputaui pluribus rationibus, Apostolicæ gubernationis authoritatem, illã eãdem formã, totam, quæ fuit sub Apostolis, ad Ecclesiam esse deuolutam, & posse in regimine quicquid Apostoli potuerunt; & quemadmodùm Paulus potuit Tito & Timotheo curam & inspectionem plurium Ecclesiarum committere, idem potest, & potuit, & semper poterit Ecclesia; & quòd gubernatio formáque gubernationis per Apostolos & per Episcopos administrata, est à Deo. Quòd autem hic aut ille Episcopus, nempe Alexandrinus, vel Antiochenus eam potestatem habent, potiùs quàm alij, est consuetudinis, & humanæ dispositionis. Itaque tunc hanc D. Bezæ obiectionẽ præoccupaui: & ei hoc modo respondi. Quid autem ad hæc D. Beza dicat, & quomodò confutet, relinquo iudicio cuiusuis eruditi lectoris. Niceni Patres nec Hieronymus, nec Ambrosius, nec Augustinus, nec denique quod sciam, vllus orthodoxus theologus, non negant proximè ab ipso Christo datam Ecclesiæ suæ potestatem gubernandi Apostolicam: quicquid dedit in hac parte Apostolis, dedit Ecclesiæ, non personis. Sed vt præter cæteros hi vel illi, nempe Antiochenus, Alexandrinus, Romanus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, eam exerceant, consuetudinis & dispositionis esse Ecclesiæ. Regium imperium, aliorúmque omnium magistratuum, diuinus est ordo; vt autem in aliqua certa familia permaneat, & natiuitate contingat, aut electione, aut victoriâ, humanæ est dispositionis.

Cæterùm quòd D. Beza me ironicãs compellat, nè indigner, totidem verbis idem ad eum remitto: & aio, *Non indignari debes*, mi Beza, quod verè & ex animo dico (vt is qui ferre facilè possim quemuis dissentientem à me) *si potiùs Patrum toties repetitis testimoniis, quàm infirmissimis, & nullius certè ponderis coniecturis, fidem habens, priorem quidem ordinem*, qui viguit sub Apostolis, & eorum discipulis, *vt qui initio, ac proindè Apostolis ipsis auctoribus, vel saltem approbatoribus, viguerit, diuinum; posteriorem verò*, & nuper inuentum, *humanum*, nulla eum piorum virorum & Ecclesiarum reformatarum iniuria appellauero. Agedùm quomodò Hieronymi defendas opinionem expendamus.

II. D. Theod. Beza.

CAusatur ergo Hieronymus fuisse tandem schismatis vitandi causâ in orbe toto decretum, vt vnus ex Presbyteris electus cæteris superponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, nè studia in religione fierent, & diceretur in populis; Ego sum Pauli, Cephæ, Apollo, &c. Et certè verum est multitudinem, etiam non admodùm numerosam, facillimè nimiùm sæpè in partes dissilire consueuisse, nisi vinculo quodam, quasi in vnum corpus coalescat. Sed cùm, vt anteà ex Ambrosio didicimus, non deesset ordo inter Presbyteros, cuius alioqui gubernatio vix ad momentum constitisset: & Apostolus quoque, si tali demùm remedio ad compescendum Corinthiorum schisma opus fuisset, istud minimè fuerit dissimulaturus, posset videri profectò Hieronymus argumento non satis firmo niti. Dicamus ergo, primatum illum ordinis, per mutuæ successionis vices, ipsâ tandem experientiâ compertum fuisse, non satis virium, nec ad ambitiosos Pastores, nec ad auditores, alios quidem vanos, alios verò adulatorio spiritu præditos, compescendos, habuisse: communicata videlicet singulis Pastoribus, per vices, huius primatus dignitate. Itaque quod singulorum, secundùm successionem commune fuit, visum fuit ad vnum, & eum quidem totius Presbyterij iudicio delectũ transferre: quod certè reprehendi nec potest, nec debet: cùm præsertim vetustus hic mos primum Presbyterum deligendi, in Alexandrina celeberrima Ecclesia, iam indè à Marco Euangelista esset obseruatus.

Had. Saravia.

CErtè (inquit) *verum est multitudinem etiam non admodùm numerosam facillimè nimiùm in partes dissilire consueuisse, nisi vinculo quodam quasi in vnum corpus coalescat.* Pulchra hæc est ratio, & admiranda, qua D. Beza secum ipse ratiocinatur, & secum pugnantia colligit. Apostoli ergo, imò spiritus Dei, qui Apostolos regebat, aut non vidit multitudinem non admodùm numerosam facillimè nimiùm sæpè

diffluere, nisi vinculo quasi in vnum corpus coalescat, aut certè vinculũ non satis forte constituit, quo corpus in vnitate possit retineri: si quidem circularis ille primatus, diuinitùs institutus, non satis validus vsu & experientiâ est repertus, continendæ multitudini in vnum corpus. Experientia, quam stultorum magistram dicunt, diuino ordine scilicet (eóque iudicio Bezæ vbique restituendo) aliquid melius fortiúsque inuenit. Delectus igitur fuit vnus, ad quem primatus, humanâ prudentiâ excogitatus, transferretur, abrogato eo, quem Spiritus sanctus instituerat. Quod factum certè si nec reprehendi potest, nec debet, instituta diuina humanæ prudentiæ D. Beza subiicit: nec causa vlla (quamuis aliud sentiat) est cur laboretur, vt restituantur. Nam si tunc primatus ille diuinus, satis potens non erat retinendæ multitudini in vnũ corpus; verisimile ne cuiquam esse potest, hodiè satis validum fore? & quod tunc nec reprehendi potuit nec debuit, esse hodiè reprehendendũ? At degenerauit in tyrannidẽ. At iste ordo quid? Non degenerabit? Metuitur tyrannis, & non metuitur ataxia tyrannide deterior? Emendetur tyrannis; ego nullam tyrannidem defendo. Si contra tyrannidem Episcoporum scribit D. Beza, me & meum librum missum faciat, & alium aduersarium quærat: aut priùs ostendat, me tyrannidem Episcoporum defendere. Si indè à Marco ille mos incepit, quùm, Marco mortuo, superstites fuerint Apostoli, decretum illud factum oportet authoribus Apostolis, aut saltem conniuentibus: vtrumque est indignum Apostolis. Mortuus enim ille Marcus (quisquis fuit) dicitur, octauo Neronis anno, viuentibus adhûc Petro, & Paulo, & Iohanne. Quàm probè sit hoc argumento defensum Hieronymi decretum, esto lectoris iudicium. De hoc Hieronymi decreto statim videbimus. Venio ad secundam causam.

12. D. BEZA.

ALterã causam affert Ambrosius, longè maximi momẽti, nempè q̃ primatu sic ad singulos per vices perueniente, singulis Pastoribus non semper ad hanc gubernationem suscipiendam idoneis compertis, ita fieret, vt indigni interdùm præessent; quæ res tum Presbyterij contemptum secum trahebat, tum aditum factionibus aperiebat: Ideirco placuisse communi consensu, quod antè dixi, nempè vt vnus quispiam, & quidem legitimè delectus, Presbyterio, siue Ecclesiæ senatui præesset.

HAD. SARAVIA.

QVem D. Beza excogitauit, non Ambrosius, circularem primatũ mobilémque, quamuis vt ipse putat diuinum, mutatum in humanum fixum & stabilem, non admodùm ei displicet. Ferendum hoc fuisse putat, vitandi incommodi causâ: cuius fortè ipse experientiam aliquam habere potest, & mutari Geneuæ facilè passus esset, si idem visum fuisset collegis; quibus mala quæ recenset sanari illa ratione probabile nõ fuit: nec certè causa vlla adfertur idonea. Nam hebdomadicus iste primatus hominem inidoneum nanciscì vix potuit; quùm natura illius præsidentiæ non tam esset, vt quicquam per se ageret, quàm vt ab aliis acta exequeretur, & tota actio non illius vnius esset, sed totius Presbyterij. Admodùm ineptum illũ hominem esse oporteret, qui nec dicta collegarum referre, nec iussa facere posset.

Quandò huius generis statuas, aliquandò præsidere in ciuili magistratu videmus, sine minori malo id fit, quàm si polypragmon aliquis perpetuò præesset. Ab illis vt nihil boni sperandum, ita nihil mali metuendum: ab his certus mali metus, spes parua aut nulla boni. Si quid referendum sit sermone litigantibus, aut quibus cum magistratu res est, si qui præest, nec eloquentiâ, nec expromtâ memoriâ valet, illæ partes aut scribæ, aut consiliario, aut ex senatoribus & scabinis alicui mandantur, qui tum nomine præsidis, tum totius senatus eloquatur, quod communi consilio aut decretum aut constitutum est: hîc verò omne incommodum & contemptum Presbyterij breue tempus tollit, & multorum supplet sapientia, quod vnius nequit præstare ignorantia: adsidens collega facilè suggerere potest, si quid non occurrat, aut si mandata malè referat. Ad præsidentiam trium, aut ad summum quatuor dierum, magnâ non esse potuit opus memoriâ, aut prudentiâ. Vt ridiculus hic circularis primatus fuisset, ita mutandi causæ quæ adferuntur, ineptæ sunt.

Quòd si longè maximi momenti ille primatus Presbyterorum est, vt revera ego essentio, quàm vt singuli Pastores ad illum tenendum tunc fuerint idonei, ecquid de no-

de nostris temporibus æstimandum? Adeonè hodiè omnes idonei sunt ad primatus tenendos, & hanc susciendam gubernationem, vt metus nullus sit ne indigni præsint, qui contemptum secum trahant Presbyterij, & factionibus aditum aperiant? O felix seculum! ô ætas aurea! Verùm quòd hanc fœlicitatem fortè consecuta est Geneua, malè D. Beza ex singularitate vnius loci, & exiguæ reipublicæ, de vniuersi orbis conditione iudicat: vt quod propter singularem vnius vrbis fœliciratem ibi facilè fieri, cum Ecclesiæ & R. P. magno commodo potest, idem quoq; vbiq; terrarũ faustum & felix sit futurum. Illam felicitatem si potest, prius faciat communem vniuerso orbi, & tunc nobiscum de restituenda circulari sua præsidentia certet.

13. D. Theod. Beza.

Absit autem vt hunc ordinem, etsi Apostolica & merè diuina dispositione non constitutum, tamen vt temerè aut superbè inuectum reprehendam: cuius potiùs magnum vsum fuisse, quamdiũ boni & sancti Episcopi Ecclesiis præfuerunt, quis inficiari possit? Fruantur igitur illo qui volent & poterunt: mihi tamen, quamuis inter Ecclesiæ Dei per ipsius misericordiam ministrantes longè minimo, religio fuerit quid hîc requiram non explicare, postquàm cæteras tuas aduersùs Hieronymi sententiam obiectiones expendero.

Had. Saravia.

Si verè & ex animo ita sentit D. Beza, inutilem profectò & superfluam hîc sumpsit operam: paucioribus controuersia poterat absolui: ordinem Ecclesiasticæ gubernationis, quem diuinum contendo, doceri humanum esse satis fuisset. Nam Beza nunquàm demonstrabit, me Episcoporum, quicunque illi sunt, aut fuerint, defendere tyrannidem.

14. D. Theod. Beza.

Pergis igitur & sic colligis. Illa schismata sub Apostolis nata sunt. Ergo tunc incepit illa consuetudo: & ipsi Apostoli, schismatis istius vitandi causâ, tum dominicam dispositionem mutârunt. At hoc est dictu perabsurdum, Apostolorum fuisse melius nôsse quàm Dominum quid præcauendis schismatibus vtile & necessarium esset, & ob vnius Ecclesiæ peccatum institutionem Domini mutare. Respondeo, plurima hic rursùm Hieronymo contra mentem ipsius impingi. Nec enim ille profert Corinthiaci schismatis exemplum, quasi hæc huius mutationis causa extiterit, aut iam tum consuetudo ista cœperit. Absit enim vt tam leues Apostolos fuisse censeamus, vt hac vna causa commoti pristinum ordinem mutârint. Deindè consuetudinis ipsum nomen arguit non statim, sed aliquo vsu, & non parua experientia nouum ordinis modum fuisse introductum.

Had. Saravia.

Primùm hîc rursùm lectorem rogatum velim, nè D. Bezæ citationi meorum verborum fidat; sed ea ipse legat, vt à me posita sunt, & tum ea conferat cum hac ipsius responsione, & videbit quid Hieronymo contra ipsius mentem impingam. Quid obiici posset mihi præuisum fuit, & antè obiectioni occurri. Quid Hieronymus senserit difficile D. Bezæ est videre. Sed cùm Alexandrinæ Ecclesiæ protulerit exemplũ, & consuetudinem hanc ducat ab ipso Marco, quem ait, octauo Neronis anno, mortuum esse, facilè intelligi potest, quandò mos ille tum ibi, tum apud alios inceperit; apud quos omnes schismata Corinthiacis similia fuisse nata, aut timorem ne nascerentur oportet, vt idcirco prima regiminis forma fuerit mutanda, idq; vniuersaliter per vniuersum orbẽ. Quod dicere mihi perabsurdum videtur. Absit vt tam leues Apostolos fuisse censeamus, vt diuinitùs institutam regiminis formam mutauerint, aut aliam ipsi obseruauerint, aliam obseruandam tradiderint. Consuetudo, quæ obtenditur, & ab Hieronymo non docetur, quot annorum, quæso, fuit? Ex vsu natam, & non parua experientia oportuisse fateor: paruo enim tempore haberi, & per vniuersum orbem terrarum diffundi, cum tanto consensu non potuit. At viuis ipsis Apostolis hæc consuetudo nata est. Marcus Petri interpres 8. anno Neronis mortuus est, eiq; successit Anianus, Petro & Paulo viuentibus: à quibus & Euodius primus Antiochenæ Ecclesiæ fuit constitutus Episcopus. Iohannes sub Domitiano ad septem Ecclesiarum Angelos suam Apocalypsin mittit. In Episcopatu Antiochenæ Ecclesiæ Ignatius Euodio successit, qui & Iohannem vidit, & alios Apostolos; ex cuius Epistolis qualis fuerit Ecclesiarũ tam sub eo, quàm sub Euodio gubernatio, nisi cæci esse velimus, discere possumus. Omnium horum scriptis; & Ecclesiasticarum historiarum, fidem si abrogare potest D. Beza, & quotquot cum eo sentiunt, abrogent, vt ipsis fidem adhibeamus.

15. D. Theod. Beza.

Absit etiam vt Hieronymus ita fuerit impudens, vt si hoc scripsisset, non animaduerterit fore, vt à suis æmulis, ipso Apostolo iudice, refelleretur; qui hac ipsa de re Corinthiis scribens, nullam prorsùs istius remedij mentionem faciat. Profert igitur ille hoc exemplum, non quasi inde hæc mutatio cœperit, sed quòd Corinthiorum factum aliis iam multis populis sequutis, res ipsa nouo remedio indigere necessariò videretur: ideóque, Et diceretur Corinthi, sed & diceretur in populis.

Had. Saravia.

De Hieronymi prudentia aut imprudentia nihil dico; inter Patres eum numero: à quo vbi dissentio, id facio verbi Dei expressi authoritate, aut aliorum Patrum meliùs sentientium consensu fretus: de quo si hic suum iudicium D. Beza exponeret, totam suam defensionem euerteret. Hieronymo probandum fuit, Episcopos magis consuetudine quàm Dominica institutione Presbyteris esse maiores. Duo cùm sententia contineat, nempè consuetudinem & dominicam institutionem, vtrumque docere debuit, & quæ esset dominica institutio, & quomodò, & quandò irrepsisset contraria consuetudo; quod cùm non posset, ad decretum toto orbe factum recurrit: vt pro consuetudine reponendum sit decreto toto orbe facto, & dicendũ eo magis quàm dominica institutione Episcopos maiores esse Presbyteris.

Quod decreto vniuersali introductum fuit, ad consuetudinem non aptè refertur, quæ longo vsu & moribus introducitur. Sed dicet aliquis, Ex decreto consuetudo nata est: decretum consuetudine vsúque confirmari, aut etiam abrogari videmus. Ius consuetudinis opponitur iuri legum. Non probauit igitur quod probatum ab eo oportuit: sed ad constitutionem & decretum fugere coactus est, vbi minus præsidij inueniet, quàm in consuetudine. Sed qui fuêre huius decreti authores? Vbi & quandò est illud decretum factum, & in vniuersum orbem missum? Si à receptione vsúque decreti incipiendum est, à Marco & Aniano in Alexandria, & ab Euodio & ab Ignatio in Antiochia, & à Polycarpo & à septem reliquis Episcopis Asiaticis, vt alios omittam, erit initium sumendum, qui cum Apostolis, & sub Apostolis vixerunt. An hoc decretum Apostolorum institutioni dominicæ rectè opponatur, ipse Beza iudicet.

Quod autem pro Corinthiis populos substituit, idcò factum est, quod ab vnius populi moribus nihil posse effici sciuit, pro vno populo multos notauit: quos cùm non nominet, credat qui volet. Beza vt labantem hanc ratiocinationem fulciat, ait proferri hoc exemplum, non quasi indè hæc mutatio cœperit, sed quòd Corinthiorum factum aliis iam populis sequutis, res ipsa nouo remedio indigere necessariò viderent. Euasio hæc est, non solutio, facilis quidem dictu, sed difficilis probatu. Romanos enim & Alexandrinos, Antiochenos, Hierosolymitanos, Ephesios, Thessalonicenses, Philippenses, Colossenses, Galatas, & septem illas Asiæ Ecclesias, quibus scribit in sua Apocalypsi diuinus Iohannes, Corinthiorum exemplum imitatos fuisse oporteret, ac earum Ecclesiarum nulla de vllo reprehenditur schismate; quod certè non magis prætermissum fuisset, quàm alia minùs grauia peccata, quæ in illis reprehenduntur.

Post tempora Apostolorum fieri decretum huiusmodi non potuit, cùm omnes legantur anteà suos habuisse Episcopos. Commentum igitur videri potest, quod in populo ait cœptum dici, Ego Apollo, ego Pauli, vt nouo decreto causam adferret. Habuisse autem omnes & præcipuas Ecclesias quas recensui, dum adhûc in viuis agerent Apostoli, suos Episcopos, negari non potest, nisi negemus quicquid historiarum illorum temporum habet Ecclesia, nisi denique & ipsa diui Iohannis Apocalypsis negetur.

16. D. Theod. Beza.

At *tenim*, inquis, *id dici non satis fuit, sed ex historiis demonstrandum fuit.* Tibi videlicet, & tui similibus. At cui notior esse temporum illorum ætate Apostolorum sequutorum historia potuit, quàm Hieronymo? & quis illum in ea quidem re vel deceptum fuisse, vel impudenter fallum dicere voluisse meritò suspicetur? Sed præterea vt illorum temporum historiam non habeamus, nisi multis fabulosis narrationibus prophanatam, quis meritò existimârit Satanam tot potuisse, superstitibus etiam Apostolis, hæreses serere, διϰοστασίας verò post illorum præsertim tempora, & frigescente paulatim Dei zelo, excitari non potuisse?

Had.

HAD. SARAVIA.

TIbi videlicet, (inquit D. Beza) *& tui similibus.* Bilem hæc verba redolent eius, qui sibi non haberi fidem indigne fert. Sed ei, qui ipsis Patribus, nisi quatenus nihil contrarium verbo Dei adferunt, & sibi consentiunt, fidere non audet, æquúmne est Dom. Bezæ sectanti incertas coniecturas sine verbo Dei, contra verbum Dei adsentiri? *At* (inquit) *cui notior esse temporum illorum ætatem Apostolorum sequutorum historia potuit quàm Hieronymo? Et quis illum in ea quidem re vel deceptum fuisse, vel impudenter falsum dicere voluisse, meritò suspicetur?* Hieronymum non falsum dicere voluisse, sed in hac re deceptum fuisse arbitror: quod minimè auderem dicere, si Hieronymo, nemo vetustior, & temporibus Apostolorum magis proximus vixisset. Quid Ignatius, Policarpus, Origines, Tertullianus, Cyprianus, & Irenæus; vetustiores fuerunt Hieronymo, & melius eis nota fuit ætas Apostolorum, & quæ eam proximè sequuta est. Itaque plus illorum testimoniis tribuere me, æquum esse iudico quàm Hieronymo; quos in hac re falsum dicere, aut falsos fuisse, minùs verisimile est quàm Hieronymũ. Hi omnes, Episcopos constitutos diuina ordinatione, & Apostolorum traditione, vno ore adfirmant.

Hieronymum falsum voluisse dicere non arbitror, quamuis falsum dixerit. Ignatius ad Trallianos: *Reueremini Episcopum vestrum sicut Christum, vt nobis beati præceperunt Apostoli:* & paulò post. *Quid est Episcopus, nisi qui principatum omnem & potestatem supra omnes obtinet: vt obtinere homo potest, qui est pro viribus, Christi Dei imitator.* Etiam paulò post concludit. *Qui his inobediens fuerit, Atheus & impius omninò fuerit, & Christum improbans ac eius ordinationem imminuens.* Et ad Magnesianos, *Moneo in Dei concordia, omnia facere festinetis, præsidente in locum Dei Episcopo, &c.*

In Epistola sua ad Philippenses Polycarpi Ignatius mentionem facit. Origenes in Hieremiam Homilia 7. *Plus exigitur a Diacono quàm à laico, plus à Presbytero quàm à Diacono, Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem.* In Homilia tertia, In cant. canticor. *Et puto, conuenienter hi qui Episcopatũ administrant in Ecclesia trabes dici possunt, &c. Secundo autem horum loco tigna Presbyteros opinor appellari.*

Irenæus aduersùs hæreses lib. 3. cap. 3. *Habemus numerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, & successores eorum vsque ad nos, &c.* Ibi recenset successiones plurium Episcoporum vsque ad sua tempora. Inde à primis Apostolorũ temporibus, quos singulos præfecerant singulis Ecclesiis. Idem ibidem, *& Polycarpus autem non solùm ab Apostolis eductus, & conuersatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderant, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesiæ constitutus Episcopus; quem & nos vidimus, in primâ nostra ætate, &c.*

Cyprianus autem à me iteratò citandus est, & his adnumerandus. *Per temporum* (inquit) *& successionum vices, Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdẽ præpositos gubernetur. Cum hoc itaque diuina lege fundatum sit; miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, &c.*

Tertullianus de præscriptione contra hæreticos. *Cæterùm si quæ audent interserere se ætati Apostolicæ, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt; possumus dicere, edant ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit authorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorũ Ecclesia habens Polycarpum ab Iohanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proindè vtique & cæteræ exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutis Apostolici seminis traduces habeant.*

Idem alio loco, *Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsa adhùc cathedræ Apostolorum præsidentur.* Et lib. 4. contra Marcionem. *Habemus Iohannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporũ ad originem recensus in Iohannem stabit authorem.* In ista recensione Episcoporũ, ab vno ad vnum qui præ-

fuit

fuit constitutus ab Apostolis, vbique ascenditur & descenditur, non ad plures neq; ad vnius hebdomadæ præsulem: qui quandò inceperint & desierint, D. Beza nunquàm mihi nec mihi similibus monstrabit. Consentientes his scriptoribus Ecclesiasticas historias referre nihil opus arbitror: hos quos hîc notaui antiquitatis & Apostolorum temporum peritiores, mihi credo D. Beza, nec alius quispiam negaturus est, fuisse Hieronymo; vtpote qui illis fuerit pluribus seculis posterior, proindè eis maior habenda fides.

17. D. Theod. Beza.

Quæris postea, in errore, quem modò refutaui, perseuerans, *vnde nouerit Hieronymus Corinthiorum Ecclesiam Presbyteros ante illa nata schismata habuisse?* At ego quæro ex te quam tandem Ecclesiam existimandum sit Presbyteris, siue Pastoribus & gubernatoribus extra prima ipsarum initia, carere diù potuisse? nedum vt Apostolus, qui sesquiannum illic substitit, & Apollos eum sequutus, eam Ecclesiam Presbyterio primo quoque tempore non instruxerint. Quæro etiam, quinam illi sint, quos iubeat congregari ad incestuosum Satanæ tradendum, & vetus fermentum Ecclesiastico iudicio repurgandum?

Had. Saravia.

Communi tum Apostolorum, Euangelistarum & Prophetarum, tum Doctorum & Presbyterorum, quos adiutores Apostoli & Euangelistæ adsumebant, curâ, primæ Ecclesiæ primis temporibus regebantur. Si enim ab initio proprios Corinthus habuisset Presbyteros, illi Ecclesiæ addictos, ab eis omnes fuissent baptizati: sed prout à varijs visitabantur, qui certo tempore apud eos morabantur, fuisse baptizatos à diuersis apparet; vnde schismatis nata fuit occasio, dum suum præceptorem quisque iactat, & cæteris se præfert: quasi multum interesset, à quo quis aut baptizatus, aut in Christo institutus esset.

Prima initia Ecclesiarum fatetur D. Beza caruisse Presbyteris: sed quandiù ea duraverint, non definit; nec ego definio. Quæ rationes me mouerunt vt ita sentirē, immotæ manent; eas confutare D. Beza noluit, aut certè non potuit. Qui autem illi fuerint quos congregari iussit Apostolus; aio totam Ecclesiam, aut præcipuā eius partem cum senioribus, quos aut spiritus sancti dona, aut ipsa natura, non ordinatio dabat. Quibus addo eos, per quos Apostolus Epistolas suas mittebat.

18. D. Theod. Beza.

Præterea, inquis, *si quicquid initio factum est, dominicæ dispositioni non est, certè de diaconatu idem erit statuendum.* Quorsum autem istud? Nec enim de Presbyterij, siue Presbyteratus functione agit Hieronymus, sed de nouo ordine in illius administratione constituto. Cur autem iste posterior modus non sit simpliciter Apostolicus, res ipsa clamat.

Had. Saravia.

Aliquid esse quidpiā dicitur aut simpliciter, aut, vt loquuntur, secundū quid. Qui negat posteriorem modum simpliciter Apostolicum esse, posse tamen videtur aliquo modo Apostolicus dici, innuere videtur. Sed hîc nihil est quod sit alicuius momenti, & refutationem postulet.

19. D. Beza.

Sed, inquis, *non legimus Corinthiacæ Ecclesiæ Presbyteros præbuisse schismatis causam, sed à plebe captam occasionem ex suis Doctoribus, à quibus aut instituti fuerant in fide, aut baptizati.* Et rursùm ista quorsùm commiscris? Nec enim, vt anteà dixi, Hieronymus hoc Ecclesiæ Corinthiacæ schismate nititur. Et cui persuaseris schismatis istius conscios non fuisse Pastores, de quibus auditores isti superbiebant? Quibus certè si factiones istæ displicuissent, facile fuisset huic malo, etiam non consulto Paulo, mederi.

Had. Saravia.

Vt dem schismatis culpam nonnullos præbuisse, tum Corinthi non probantur fuisse. Et indè apparet quòd certum est, à varijs doctoribus sibi succedentibus, initio Ecclesias fuisse visitatas, (sicut Ambrosius, & Epiphanius, aliiq; notārunt) antequàm certus ordo sub propriis Presbyteris & Episcopo constitueretur. Quod D. Beza ait,

za ait, *si doctoribus displicuissent factiones, huic malo facilè potuisse mederi*; dissimulat se humani ingenij in hac re scire improbitatem, quasi hodiè non idem vsu venire videamus, inuitis bonis doctoribus: qui si viuerent, factionibus, quas nonnulli fouent, nunquàm adsentirentur: non tamen eas impedire possent. Iohannis Baptistæ discipulos inuidia quædam vrebat initio, quod Seruatoris nostri famam in dies crescere, & discipulorum ipsius numerum augeri, & Magistri sui minui viderent. Nominibus Lutheri & Caluini apud plerosque Ecclesiam scindi videmus. Ipsi tamen diuisionis non magis authores fuerunt, quàm illius Iohannes inuidiolæ suis discipulis fuit. Fuisse olim, & esse hodiè, qui sibi potiùs quàm Christo discipulos cõgregant, & Ecclesiam scindunt, tristi nimis exemplo experimur. Ex Irenæo videre possumus, post Apostolorum tempora, Clemente Episcopo Romæ, Corinthi dissidium magnum fuisse; cui pacificando Româ ab Ecclesia scripta fertur grauis Epistola, cuius author Clemens fuisse narratur.

20. D. Theod. Beza.

ITem, *non erant*, inquis, *Corinthi præsentes ij de quibus factiosi isti gloriabantur, nempè ipse Paulus, Cephas, Apollos: ac proinde non fuerunt ad vitandum schisma Presbyteri, qui schismatis occasionem non præbuerant, in ordinem sub vno Episcopo cogendi*; Hìc verò facis, Sarauia, vt penè credam vsque adeò te festinâsse, quum hæc scriberes, vt ipsam Pauli Epistolam non inspexeris. Inuenisses enim factiosos istos neq; de Paulo, neq; de Cepha, neq; de Apollo fuisse gloriatos. Sed Paulũ sapientissimè, ne malũ cui mederi volebat, exacerbaret, hæc nomina substituisse, & ad se & Apollo mutatis personis μετασχηματίσαι, qui, vt ipse significat, 1. Corin. 4. 6. mirâ certè & rarissimâ modestiâ, dissimulatis eorum Pastorũ & doctorum nominibus, nisi in culpa huius dissidij fuissent, Paulus hoc factum reprehendens, non ad ipsos Doctores, sed ad auditores illorum potiùs suas reprehensiones accommodâsset.

Had. Saravia.

QVòd Paulus in se & Apollo nomina factionum transtulit, eorum tacitis nominibus, quibus illæ non displicebant factiones, indè profectò non sequitur, neminem de Paulo & Cepha gloriatum. Authores autem illic nullos perstringit; populum carnalem vocat, quia de suis gloriabantur magistris, à quibus aut instituti in fide Christi fuerant, aut baptizati, quicunque illi esse potuerunt, siue Apollo, siue Cephas, siue Paulus ipse, aut alius quiuis, nihil referre arbitror. Quia Christianus de carne, hoc est, de homine, gloriari non debet: si fecerit, meritò carnalis dici potest. Taxat Paulus corruptionem, & prauitatem hominum, qui ita comparati sunt, vt de externis rebus potiùs glorientur, quàm de gratia Dei. Dixi, non legi Presbyteros Ecclesiæ Corinthiacæ præbuisse causam illi schismati, nimirùm quòd eos Paulus nusquàm adloquatur; quòd fortè ibi præsentes non aderant: & vt adessent, & digni essent qui reprehenderentur, non facilè conuinci possunt in hac parte ambitiosi; quòd adulatio illa popularis aura sit; & feratur tam in eos qui odêre, quàm qui delectantur illius auræ vanitate. Paulus quod palam erat, apertè reprehendit: quod clam & latebat, occultè taxat: nec nos vlteriùs progredi iudicando possumus.

21. D. Theod. Beza.

INsuper, quandò, & à quibus potuit illud decretum fieri, & tanto consensu in toto orbe recipi? Respondeo, Hieronymi verba non posse, quin ipsi fiat iniuria, de scripto aliquo decreto, quod vel ab Apostolis, vel ab aliis emanârit intelligi. Id enim, si ita esset, sola consuetudine factum fuisse minimè diceret. Decretum ergo in toto orbe hìc fuisse dicit, quod Ecclesiis tandem omnibus communi consensu visum est, alijs aliarum consuetudinem sequutis. Nec aliter Concilij vocabulum apud Ambrosium, eo quem citaui lõco, accipiendum est.

Had. Saravia.

DE iniuria Hieronymi solicitus est D. Beza, cui non vno in loco non vnam iniuriam facit: quem vt excuset, Decretum factum, per orbem vniuersum, cuius nec authores, nec tempus inueniri possunt, interpretatur Consuetudinem. Eadem ratione mare terram significet, & pontus cœlum. Vbinam, & apud quem authorem inueniet *decretum* aut *consilium* significare *consuetudinem*? Citet vel vnum locum ex ipso Hieronymo, vel ex Ambrosio, vel alio quopiam probato authore, vbi *consilium* & *decretum* significant *consuetudinem*. Ad has angustias cum Hieronymo deductus est D. Beza, vt

22, vt quæ nullo vsu probati vllius scriptoris doceri possent, cogatur nouas adfingere significationes, consilij & decreti vocibus. Quam licentiam quisquis adsumet, vt nouas significationes, & nunquàm anteà auditas, vocibus adfingat, facilè quamuis historiam, imò quoduis scriptum transformabit, in quam volet fabulam.

22. D. THEOD. BEZA.

Paulum autem, inquis, *dominicam institutionē mutâsse, & vt id voluisset, potuisse, non est probabile. Cæteri verò Apostoli per varias gentes dispersi, quid ageretur Corinthi ignorabant, vt decreto Pauli addidisse suum calculum credantur. Et vt demus schisma illud Corinthiacum ad eorum peruenisse notitiam; & aliquo miraculo simul ad hoc decretum faciendum conuenisse; nunquam tamen in dominicæ institutionis mutationem consensissent.* Ego verò paulò antè ostendi, frustrà hæc abs te opponi Hieronymo; vt cui nunquàm venerit in mentem, quæ tu illi tribuis, de hac mutatione à Paulo, vel ab aliis Apostolis decreta. Quod autem mutationem hanc negas ab Apostolis, vel post Apostolorum tempora fieri sine grauissimo peccato potuisse, falso abs te posito principio nititur: nempe quòd perpetuum, & inuariabile sit quicquid Dominus instituit. Nam Deus quidem ipse nunquàm mutatur: sed quùm de iis agitur, quæ mutabilia esse voluit, tantum abest, vt, quum ea mutantur, propterea videri possit ipse mutatus, aut contra ipsius voluntatem aliquid factum, vt è contrario nisi mutarentur quæ mutari voluit, mutabilis ipse fuisse meritò videretur.

Sic abrogatis legis vmbris, successit Euangelij veritas, & Leuitici sacerdotij loco successit æternum æterni nostri vnius Christi sacerdotium. Sic, vt ad nostra propiùs accedamus, quod fuit functionis Apostolorum, & Euangelistarum proprium & peculiare, Apostolica videlicet authoritas extraordinariis omnibus facultatibus confirmata, ad Ecclesiarum legitimam constitutionem, Apostolis & Euangelistis, munere sibi demandato summa cum fide & diligentia perfunctis, desiit, vt paulò antè demonstraui. Sic Euangelio satis superque miraculis confirmato, cessârunt illa tam varia miraculorum χαρίσματα. Sic quod in Synodo Hierosolymitana constitutum fuit, tolerandæ ad tempus Iudæorum infirmitatis causâ, irritum factum est, postquàm apparuit, Iudæos non simplici ignorantia aut infirmitate, sed obstinatissima peruicacia Euangelio reluctari. Sic Agapæ, fraternitatis colendæ causâ, ab Apostolis institutæ, & diligenter maximóq; cum fructu obseruatæ, quū iis abuti Corinthij cœpissent, auctore Paulo ibi desierunt, aliis Ecclesiis non statim, sed sensim, & prout res tulit, Corinthiorū exemplū sequutis. Nō est igitur hæc tua collatio necessaria; peccâsse videri Apostolos, aut Patres illorum temporum sequutos, si in aliquam diuinæ institutionis mutationem, quam commemorat Hieronymus, dicantur consensisse. Et hoc quidem video fuisse aliquatenùs abs te posteà animaduersum, quùm ita præcedentibus subiiceres, hoc dilemmate in nos contorto.

HAD. SARAVIA.

QVid disputet hoc loco D. Beza, & contra quem, non satis adsequor. Contra decretum quod factum contendit Hieronymus, ostendo quàm illud non potuerit fieri; primò sub Apostolis: nec etiam sub Patribus post Apostolorum tempora. Tandem concludo: Si factum est tale decretum à Patribus post Apostolorū tempora, aut illud contra Domini institutionem esse factum; atque ita dicendum Patres omnes, & omnes Ecclesias, & Concilia omnia per vniuersum terrarum orbem errauisse, quod de nulla alia re dici potest, nec fieri potuit; aut decretum illud factum est de re adiaphora, id est, quæ in Patrum erat potestate & dispositione. D. Beza contendit nunc contra me, mutationem hanc Hieronymum nunquàm tribuisse aut Paulo, aut cæteris Apostolis; quod certè nec ego facio: sed argumentor, decretum illud & mutationem aut factam ab Apostolis, aut factam à Patribus; sed neutrum esse probabile doceo. Deindè, quòd hanc mutationem aut ab Apostolis, aut post Apostolorum tempora fieri, sine grauissimo peccato potuisse, negem, falso à me posito fundamento; nempe quòd perpetuum & immutabile non sit, quicquid Dominus instituit, me argumentari ait. Hoc fundamentum vbi posuerim, nescio: etsi veritatem suam habeat, nescio quomodo præsenti queat aptari instituto: nisi institutio diuina, de qua nunc est sermo, sit temporaria, & huiusmodi, vt meliori cedere debeat. Indè disputationē ingreditur D. Beza, vt doceat, quùm de iis agitur quæ Deus mutabilia esse voluit, ea mutari & mutanda esse, quamuis ipse immotus maneat: & præterea quæ disputat vsque ad sectionem quæ incipit, *Decretum inquis, &c.* nescio quomodo huic argumentationi aptentur. Eorum summa hæc est: multa fuisse à Deo mandata, & in primitiua Ecclesia vsitata, quæ posteà tempore desierunt; vt mutatio Aaronici sacerdotij, & decretum Apostolorum de sanguine & suffocato: inter quæ refert Apostolicam authoritatem, & Euangelistarum munus, sicut se demonstrâsse ait. Sed vbi nescio; quærat lector. Dixit

& repeti-

& repetiuit id sæpius; sed non demonstrauit. Miracula quidem, & virtutes, peculiaria illa Apostolorum dona tam linguarũ quàm prophetiæ, & infallibilis directionis Spiritus sancti ad iacienda Ecclesiarum fundamenta, nempè solidam & immotam fidei doctrinam, fateor cessâsse: sed quod regiminis formam attinet, ea non magis abrogata est, quàm verbi Dei prædicatio, & sacramentorum administratio. Quæ omnia hûc tandem referuntur, vt probet, non esse meam collectionem necessariam, Peccasse videri Apostolos, aut Patres illorum tempora sequutos, si in illam diuinæ institutionis mutationem, quam commemorat Hieronymus, dicantur consensisse.

Si valet hæc argumentatio; verum erit, Apostolos, & Patres mutâsse diuinam institutionem, aut in mutationem diuinæ institutionis absque peccato consensisse; vndè, egregium, scilicet, hoc axioma theologicum consequetur: mutari diuina instituta ab hominibus, & in mutationem eorum consentire, non esse peccatum. Quod certè falsum est, nisi temporaria, vt dixi, intelligatur institutio, & quæ meliori cedere possit & debeat, vt res tempúsque postulabit: sicut in rebus politicis fieri videmus; quando Democratica potestas, in regium imperium transfertur. Atque ita tota hæc D. Bezæ contra me disputatio vana est.

Quorsùm enim tantoperè cum tanta hominum offensione, de restitutione laborat institutionis, quam abrogare absque peccato Apostoli & Patres potuerunt? An nobis hodie non licet, quod patribus olim licuit? & licitè recusare, quod abrogârunt licitè? Sed hæc res non ita habet. Nam mutatio hæc de qua disputamus, ex sententia D. Bezæ à diuina institutione transiit in humanam inuentionem; in quam certè, si quid dicat D. Beza, cogitet, nunquàm dicet fas fuisse Apostolis, aut Patribus, eam mutare, aut in eius mutationem consentire. Quòd si concederet hanc & illam esse à Deo, res nihil difficultatis haberet, & optimè conuenirent quæ hîc disputat.

Quod tandem addit, se videre id à me posteà animaduersum, cum dilemma subieci, aut contra Domini institutionem illud decretum fuisse factum, aut non; & Patres legem tulisse, de re quæ ipsorum erat arbitrij: nihil minùs cogitaui, quàm aut Patres, aut Apostolos potuisse consentire, in vllam mutationẽ diuinæ institutionis sine peccato, substituendæ gratiâ humanæ alicuius inuentionis.

23. D. Theod. Beza.

Decretum, inquis, *quod commemorat Hieronymus, aut contra Domini institutionem factum est, & dicendum Patres omnes & Concilia errauisse: aut factum fuisse oportet de re ἀδιαφόρῳ, quæ fuerit in eorum potestate à quibus emanârit. Et qui sumus nos, qui decretum, cui totus Christianus orbis paruit, cõtemnere audemus?* Sed obtusius est profecto huius tui dilemmatis vtrumque cornu, quàm vt veritas iis possit vel leuissimè vulnerari. Prioris enim illius vanum impetum abundè retudimus. Ad posterius autem quod attinet, profectò eorum, quæ à Græcis ἀδιάφορα, à nostris theologis Latinè indifferentia vocantur, abuteris & definitione & vsu. Sunt enim differentia in hoc argumento, non quæ simpliciter tolliere vel abrogare, facere vel non facere, saluâ conscientiâ liceat; sed in quibus per se & ex sui natura æstimatis, positum non sit regnum Dei, sicut de esca & potu loquitur Apostolus: ostendens tamen minimè licere propterea indifferenter quibusuis vesci aut non vesci, aut quibuslibet bibere aut non bibere, quoniam indifferens illa rei natura vinculo charitatis in proximũ adstringatur, & frænetur oportet. Quòd charitas tantùm in rebus per se indifferentibus valet; quanto magis expressum Dei mandatum efficiet, vt ꝙ per se & in sese indifferens est, tamẽ non sit nobis illicitũ, quàm ꝙ per se impiũ scelus est? Sic mutare quicquã, aut detrahere, aut adiicere in diuino externo cultu diuinitùs descripto, & rectè intellecto (sicut docet Pharisæos Christus de Sabbathi violatione) tam fuit nefas, quã hominem occidere. Sic immundis vesci mundâ conscientiâ, non licuit; vt Daniel & ipsius socij exemplo suo demonstrârunt, & septem illi vnà cum sua matre celebratissimi martyres, Antiochi tempore, inuictâ suâ cõstantiâ demonstrârunt. Illis autẽ legalibus mandatis, non aliqua hominũ, sed ipsius Christi aduentu & auctoritate abrogatis, laxatũ quidẽ fuit legis vinculũ; sed, manente altero illo charitatis in proximũ non ceremoniali, sed morali præcepto, non quidem propter conscientiam fuerunt immundi vlli cibi, vt anteà; sed quatenùs illis vti, nisi violata charitate, quispiam non potuit. Tandem denique Iudæis sese præbentibus illa charitate indignos, aucta immundis cibis vescendi libertas. Sic quoq; circumcisio, stante illius lege, necessaria fuit hactenùs, vt qui sciens illam contempsisset, in Dei fœdere non cõprehenderetur, quamuis alioquì in præputij abscisione per se considerata nunquàm positum fuerit Dei regnum. Illa verò per baptismum diuinitùs abrogata, sicut diuinitùs fuerat instituta, manet tamen, quod ad charitatis in Iudæos infirmos vinculum non temerè omittenda, teste Paulo Timotheum circumcidente, & in omnibus istis ad quæuis sese non aliter tamen, quàm ex lege charitatis demittente vt infirmos lucrifaceret. Cessante verò illa charitate, idem Apostolus Titum minimè voluit circumcidere: & Galatis scribens, *Si circumcidamini*, inquit, *Christus vobis nihil*

nihil prodest. Quorsùm autem ista tam multis? Vt te ostendam de prioris illius diuinæ dispositionis mutatione dissérentem aduersùs Hieronymum, intempestiuè de rebus indifferentibus loqui: inter quas nec ordo iste, de quo agimus, nec ipse huius ordinis modus recenseri debuerunt.

HAD. SARAVIA.

DIlemma contortum à me in D. Bezam, & eos qui sunt eiusdem opinionis, vtroq; cornu obtusum est; & quod me attinet, illud obtusius esse mallem, quàm vt veritas læderetur: tamen res expendenda est. Dixi decretũ illud Hieronymianum, aut factum esse contra diuinam institutionem, aut non esse factum contra diuinam institutionem: vtpote de re adiaphora. *Prioris cornu retudimus impetum*, ait D. Beza: sed vbi, ego nescio; quærat lector. *Alterum nullum est*, quippe qui abutar definitione & vsu rerum indifferentium, & mihi mouet controuersiam homo Græcæ linguæ doctissimus, de Græca voce ἀδιάφορον, quòd latiùs eam extenderim pro natiua ipsius significatione, quàm dictionis vsus (vt ipsi videtur) apud theologos ferat; quod à quouis alio in Græcis literis non ita versato potiùs expectarem, quàm ab ipso. Captare, meo iudicio, hoc est reprehendendi ansam, potiùs quàm ingenuè veritatem propugnare; præsertim cùm me satis explicauerim, & addiderim, *de re quæ in eorum fuit potestate, à quibus decretum emanauit.* Nam tollat vocem ἀδιάφορον, sensus manet integer quem intendo: de quo nihil prorsùs dicit; sed ita disputat, ac si nos docuisse quæ sint adiaphora, sit retudisse alterum dilemmatis cornu.

Vide, omitto nunc dictionem *adiaphora*; & dico, decretum illud, vel consuetudo fuit contraria diuinæ institutioni, aut non fuit contraria; sed rei liberæ & in eorum arbitrio & potestate positæ, qui primi fuêre authores. Quid respondebit? Vtrùm refert dixisse quod modò posui, an quod in meo tractatu his verbis; *Aut illud decretum contra Domini institutionem factum est, aut de re adiaphora, quæ in eorũ fuit potestate à quibus emanauit?* Postrema hæc dilemmatis pars relinquitur intacta, cuius impetũ cum sustinere nequeat D. Beza, deflectit ad adiaphora, vt nos doceat quis sit rerum indifferentium vsus, & ostendat me *de prioris illius dispositionis mutatione dissérentem aduersùs Hieronymum, intempestiuè de rebus indifferentibus loqui: inter quas nec ordo iste, de quo agimus, nec ipse huius ordinis modus recenseri debuerunt.* Quid dictio ἀδιάφορον significet, & quomodò à theologis accipiatur, néque significatione eius non esse abusum, mox dicturus sum. Dabo nunc D. Bezæ decretum illud inter ἀδιάφορα non esse reponendum. Sed quid dicet si eum rogẽ, Num inter eas res quæ sunt humani arbitrij, & dispositionis, vt de ijs statuant homines, quod maximè pro loci & temporis ratione visum fuerit expedire, non sit collocandum? Quid mihi respondebit? Profectò quomodò sibi constet D. Beza, qui Apostolos vel Patres credit sine peccato cõsentire potuisse in mutationem institutionis diuinæ, non video. Ipsius dictio *inter ordinem, & ordinis modum*, nihil eum iuuat, nisi admittat ordinis modum humanæ esse dispositionis: & illud est, quod aliis verbis expressi, & D. Beza ad adiaphora detorsit.

Quod Hieronymum attinet, ipse non credidit, decreto illo aut consuetudine violatam fuisse vllam diuinam institutionem; sed cùm nusquàm legatur præceptum, vt vnus Presbyter sit collegis superior, vsu & consuetudine factum esse, vt Episcopi gradu excellant supra Presbyteros, & in Ecclesiæ potestate esse situm, constituere Episcopos cum exorte quadam potestate, supra Presbyteros; & etiam iubere, vt Presbyteri sint omnes æquales, si expediret Ecclesiæ, vt iidem sint Presbyteri & Episcopi; Dominum & Apostolos de ea re nihil iussisse, nec vetuisse. Hæc fuit, meo iudicio, Hieronymi mens: à qua plurimùm abest D. Beza, qui contendit institutionem esse diuinam, vt omnes Presbyteri sint pares; de qua re nihil hactenùs ex verbo Dei allatum est, quo id docetur.

24. D. THEOD. BEZA.

OBseruandus enim fuit necessariò ipse quidem ordo ad finem vsque seculorum institutus; eius autẽ ordinis modus, quamdiũ Deus hunc quoque stare voluit. Itaque cùm aliquid hîc mutatum fuit, sciendum est mutationem istam in re ipsa, id est, in ipso ordine, neque factam esse, neque fieri debuisse: sed tantùm in ordinis modo, qui fuit, vt diximus, mutabilis, perpetuo nihilominùs & inuiolato ordine ipso permanente. Satísne verò rectè an secùs facta sit ista in ordinis modo mutatio, posteà videbimus. Debuisti igitur, non de rebus indifferentibus hoc loco disputare, sed essentiale & perpetuum, id est,

rem

rem ipsam, siue id, in quo res ipsa posita est, siue, vt in scholis loquuntur, τὸ τί ἦν εἶναι, ab accidentali, & mutabili, id est, ab eo quod non est res ipsa, sed rei tantùm adhæret, & ita quidem, vt eo in aliud cõmutato vel sublato, res ipsa tamen permaneat, discernere.

HAD. SARAVIA.

CVm fortè pudeat D. Bezam sine verbo Dei, non tantùm ab antiquitate videri recessisse, sed etiam à verbo Dei, & apertè palinodiam canere ipsius æstimationem lædat, distinctionem inuenit inter ordinem, & ordinis modum; qua se posse credit euadere argumenta, quæ contra eum, tum ex verbo Dei, tum ex prisca antiquitate pro defensione Episcopalis gradus adferuntur. Deindè cum nostra controuersia sit, non de ordine, sed de gubernationis forma, & eminentiore Episcoporum gradu ac potestate, nescio quid velit D. Beza nomine ordinis significare. Disputo (inquam) de Episcoporum, id est, Pastorum & Presbyterorum ordine, & excellentiore gradu, inter eiusdem ordinis collegas. Quem ordinem & ordinis modum narrat D. Beza? Vereor ne dum distrahit nouâ & commentitiâ distinctione lectoris animum, effugiat quærat. Mihi supra exprobrauit, me gradum cum ordine confundere. Quid hîc facit? Quid significat hoc loco ordo, & ordinis modus? Nisi certè hîc ordinem gubernationis, & gradum eminentiorem potestatis, ordinis modum intelligat, non habeo quod disputem.

Sed & hîc rursùs hæreo, vt intelligam quomodò istud discrimen inter ordinem gubernationis, & modum ordinis gubernationis aptet suæ sententiæ contra me: quod si alio modo vox ordinis accipitur, quam de ordine gubernationis, nihil ad propositam quæstionem argumentatur. Ait igitur *ordinem quidem perpetuum esse oportere; modum, quamdiù Deus eum stare voluit.* Iam igitur nobis non de ordine erit quæstio, sed de modo, & quamdiù ordinis modum Deus durare voluerit. Sed nec hanc distinctionem conuenire nostræ disputationi video: nam tota nostra disputatio inde ab initio de modo & forma gubernationis, non de ipsa gubernatione fuit.

Extra controuersiam est, Deum velle perpetuam vigere gubernationem in Ecclesia, cuius diuersa cùm possit esse ratio, modúsue, & noua hodiè forma sit introducta, de ea nata est hæc nostra disputatio. Sed hæc adfert, vt me doceat quomodò me disputare oportuerit. *Debuisti igitur* (inquit) *non de rebus indifferentibus disputare, sed essentialem & perpetuam, id est, rem ipsam, siue id in quo res ipsa posita est, &c.* Sed D. Beza præscribere suis discipulis potest quam ipsi videbitur scribendi rationem: ego me scripsisse iudico quæ debui, & vt debui. Quòd ipsi non probatur mea disputandi ratio, vereor nè sit, quia nimis eâ vrgetur, nec quò elabatur facilè inuenire potuit.

De regiminis Ecclesiastici forma, vel modo vt ipse loquitur, nostra est controuersia. At ille est humani arbitrij relictus dispositioni, aut in Dei solius potestate, sicut & ipse (vt cum eo loquar) ordo. Alterum è duobus mihi concedat oportet, & tunc eódem, sed aliâ verborum formâ, recidet nostra argumentatio; & dicam, Modus ordinis fuit in potestate Apostolorum, vel Patrum, vt eam mutarent; vel non fuit: nihil hîc (nisi valdè fallor) est tertium. Quòd si modus regiminis fuit in eorum potestate, vt iustis de causis mutaretur, quod factum est, iure est factum, nec diuinæ institutioni dici debet contrarium. Vnde mihi vt antè argumentari licet, Qui sumus nos, qui decretum, iure factum, & totius orbis consensu receptum, contemnere audemus?

Vbi autem de indifferentibus rebus disputẽ, iudicet lector: vti vero dictione Græca τὸ ἀδιάφορον vt significetur media res, & quæ humanæ est dispositionis, D. B. malè disputationem de rebus indifferentibus vocat. Carpendi vndique vel ex minutulis quibusque voculis occasionem captare, haud decere ætatem eruditionémque D. B. arbitrabar: cuiusmodi hoc est, quod ait me *eorum, quæ à græcis* ἀδιάφορα, *à nostris theologis latinè indifferentia dicuntur, abuti definitione & vsu.*

Quòd autem minimè sim re aut nomine abusus, simili docebo exemplo. Ieiunare aut non ieiunare, hoc aut illo tempore, vel modo, naturâ suâ esse adiaphoron iudico: tamen quùm nouũ & vetus testamentum vbique ieiunium inculcent, ipsa res inter diuinas institutiones, & Apostolicas traditiones est numeranda: modus vero rei, hoc est, quomodò, & quandò, & à quibus, inter adiaphora rectè relinquitur, qui in Ecclesiæ, & publica ieiunia spectat, est dispositione; & quantũ attinet ad priuata, arbitrij

cuiusque fidelis Christiani. De qua re Aug. ad Casulanum scripsit. *Video præceptum esse ieiunium: quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini & Apostolorum non inuenio definitum, &c.* Quomodò quisque in rebus huius generis gerere debeat, idem Pater tradit, & quid sit adiaphoron eleganter definit. *In his rebus* (inquit) *de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel institutа maiorum, pro lege tenenda sunt: de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, &c.* Et alio loco: *Quod neque contra fidem, neq; contra bonos mores præcipitur, indifferenter est habendum, &c.* Hæc mihi latiùs patere videntur, quàm D. Beza nobis definit. Socrates Græcus scriptor narrat in historia sua, Episcopos quosdam Angari congregatos, de Paschalis festo edidisse canonem, quem ἀδιάφορον, id est, *indifferentem vocabant, docebantq; dissentionem de festo Paschalis non satis esse iustam causam, cur Ecclesia dirimeretur.* Græci propriè loqui græcè à nobis docendi non sunt: ipsi contrà quàm D. Bezæ probatur, vocârunt canonem ἀδιάφορον de re adiaphora factum.

Theologorum esto iudicium, num quæcunque naturâ suâ sunt huiusmodi, vt ea facere vel non facere, habere aut non habere, obseruare aut non obseruare, aut hoc modo facere, vel alio quouis liceat, non rectè ἀδιάφορα dicantur. Tametsi lubens magnam esse D. Bezæ authoritatem agnoscam, & ipsi plurimum hactenùs deferre sum solitus; tanta tamen non est, quæ nos ad eam definitionem indifferentium, quam maximè probauerit, contra receptum vsum, tam apud Græcos, quàm apud Latinos adstringere debeat.

Quod D. Beza ex scholiis citat τὸ τί ἦν εἶναι distinctionem ab accidentali discrimen, ego illud me puto non ignorare: sed ei hoc loco non esse locum aio; & ad vanas & superfluas distinctiones recurrere, ad quas, tanquàm ad Asyla confugere solent sophistæ, ad veritatis amatores nihil pertinere iudico. Quorsùm enim ego de ipsa essentia gubernationis Ecclesiasticæ à Deo institutæ cum Hieronymo disputarem? Mihi cum ipso de ea nulla est controuersia, sed de institutione diuina; qua maiores gradu sunt Presbyteris Episcopi, sicut fuêre ipsi dum viuebant Apostoli. Huic ordinationi, qua superiores & inferiores gradu & potestate creati sunt in Ecclesia Euangelij Ministri, hæc distinctio aptari non potest.

25. D. THEOD. BEZA.

ESsentiale fuit in eo de quo hîc agimus, quòd ex dei ordinatione perpetua necesse fuit, est, & erit, vt in Presbyterio quispiam & loco & dignitate primus, actioni gubernandæ præsit, cum eo, quod ipsi diuinitùs attributum est, iure. Accidentale autem fuit, quòd Presbyteri in hac προεδρείᾳ alij aliis per vices initio succedebant: qui προεδρείας modus paulatim posteà visus est ita mutandus, vt vnusquispiam, iudicio cæterorum compresbyterorum delectus, Presbyterio πρόεδρος esset, & permaneret. Nec tamen id nisi iustis & necessariis de causis fieri debuit, quales esse visæ sunt duæ illæ, vna quidem ab Hieronymo, altera verò ab Ambrosio commemoratæ.

HAD. SARAVIA.

VT in Presbyterio aliquis vnus præsit, loco & dignitate primus, non ab aliqua diuina ordinatione, sed ab ipso naturæ ductu, quo omnes gentes, diuinarum etiam institutionum ignaræ, diriguntur, natum est.

De diuersis gradibus, & de inæqualitate dignitatis & potestatis inter Presbyteros & Episcopos, nostra est disputatio; non de præsidentia, ad quam nunc totam quæstionem D. Beza pertraxit. Essentiale gubernationis Ecclesiasticæ, de qua inter nos agitur, malè in eo, quòd unus aliquis loco & dignitate primus præest in Consistorio, collocatur. In Consistorio dignitate aliquis præesse potest, qui non sit Episcopus. Olim & hodiè, vbi Episcopi Ecclesias regunt, non rarò præesse & præsidere in Consistorio cõtingit cæteris primus dignitate, qui non sit Episcopus, sed tantùm aut Decanus, aut Præpositus Ecclesiarũ. Tamen quid illud sit, q̃ dicit Essentiale, audiamus. *Vt ex diuina ordinatione* (inquit) *perpetua quispiã in Presbyterio præsit.* Sed essentiale illud admodũ est generale: & vbi, quæso, extat illa diuina ordinatio? Restrictio quædã addi videtur, quãdo addit, *cũ eo quod ipsi diuinitùs attributũ est iure.* Quod autẽ sit ius diuinitùs tributũ præsidi Presbyterij, libenter ex D. Beza audirẽ: quia nullum ius præcipuum præsidi hactenùs tribuere, mihi visus est, sed totũ pendere voluit à sententia collegarũ, vtnè quidem

quidem vocandi quemquam ius habeat sine consensu Cōsistorij. Essentiā ordinis hoc modo constituta ad eius accidentale D. Beza transit. Sed nos expectabamus vt demonstraret ex verbo Dei, aut Ecclesiæ vsu, hanc esse essentiam ordinis gubernationis Ecclesiasticæ.

Quicquid D. Beza sola sua authoritate constituit, maior authoritas apud nos euertit: vt nos doceat ferre possumus, non vt nobis, quod ei videtur, sine verbo Dei, aut maiorum, authoritate præcipiat. *Accidentale* (inquit) *fuit, quòd Presbyteri in hac προεδρία, alij aliis per vices initio succedebant.* Hæc vicissitudinaria præsidentia, quam sola præsumptio peperit, superiùs à nobis confutata est. Eam ante D. Bezam ex Ambrosij verbis nemo collegit, nec intellexit, nisi fortè qui Geneuæ vixit, & eam alternatiuam præsidentiam ibi vidit, & ex D. Beza didicit, qui eam intulit Ambrosio, non ab eo accipit. Tantam tamen rem à tanto Theologo, sine verbo Dei, sine vllo exemplo, præsumptionibus & coniecturis incertissimis adfirmari, & tanto studio defendi, mihi terrorem adfert. Quid tandem concluditur? Iustisne & necessarijs de causis illam vicissitudinariam præsidentiam, fuisse mutatam in stabilem & firmam? Id vix audet affirmare.

Fieri non debuit (inquit) *nisi iustis de causis.* Sed factū constat, & per vniuersum terrarum orbem, & iustis de causis: sed à quibus, & quandò hoc fieri cœptum est, fateri pudet, ne præuaricari videatur. Nos suprà demonstrauimus huius mutationis, si qua fuit (quod non credo) nullos nisi Apostolos esse potuisse authores. Vndè cùm consequatur Deum fuisse illius authorem, quòd Apostolos nihil in Ecclesia constituisse constet, cuius spiritus sanctus non fuerit author: fateri quoque necesse est, hunc ordinis modum accidentalem, Deum habere authorem. Et decretum ac consuetudinem ordinationi dominicæ consentaneum fuisse.

Sed vanitatis hæc D. Bezæ distinctio de eo quod est essentiale, & accidentale in hac præsidentia, conuincitur ipso vniuersali omniū Ecclesiarum vsu. Fieri enim non posset, vt id quod accidentale vocat, & temporibus, locis, & personis, iustis de causis accommodari licuit, non magnam varietatem diuersis in locis, temporibus, & personis, fuerit accepturum; sicut in omnibus rebus huius generis accidere videmus. Sed nulla monstrari potest interuenisse à temporibus Apostolorum, in vlla Ecclesia diuersitas aut mutatio, præter eam, de qua nunc controuertitur, & nostro seculo facta est. Habere igitur hæc D. Bezæ distinctio, plus subtilitatis quàm veritatis, meritò censeri potest. Quod ipse accidentale in Episcopali prostasia iudicat, est reuera essentiale; nempè vt vnus Ecclesiæ præsit cum Apostolica authoritate, qui curam Pastoralē habeat tam gregis quàm compresbyterorum, qui cum eo gregi præfecti sunt. Hoc ab initio semper & vbique fuit. Quod si negetur, vel vnum contrarium ex tota antiquitate proferatur exemplum. Accidentalia verò quæ sunt in hac præsidentia, longè diuersa existimo ab iis quæ D. Beza putat: nempè prophetiæ donum, linguarum cognitio, edendi miracula potestas, immediata à Deo vocatio, Prouinciæ & ciuitatis, cui quis præest, amplitudo & celebritas, diuitiarum & honorum magnitudo, in republica ciuilis authoritas, & potentia, & quidquid denique est huius generis, sine quibus, verus & legitimus esse quis potest Episcopus. Sed Deum huius consuetudinis esse authorem, ipse Beza fateri videtur, quandò subiungit.

26. D. THEOD. BEZA.

SIc ipso per Apostolos authore Deo, ordinata est Diaconatus functio, perpetuò & inuiolabiliter in Ecclesiis seruanda. Nec temerè, sed eodem spiritu præeunte, delecti fuerunt septem, non plures nec pauciores: idque aduocata discipulorum multitudine, & communibus totius illius cœtus suffragijs simul & eodē tempore collectis. Fuerunt igitur hæc omnia diuinæ dispositionis; non tamen pariter. Fuit enim in hoc negotio essentialis, & nunquā abroganda in Ecclesia Dei Diaconatus constitutio: numerus autem septenarius non item: vtpotè ad Ecclesiæ Hierosolymitanæ circumstantiam speciatim accommodatus: quod mirum est ab iis non fuisse animaduersum, qui prorsus ineptè statuerunt septem Diaconos esse in qualibet vrbe constituendos. Fuit quoque essentialis huius nunc primùm in Ecclesia constituendæ functionis modus, nempè electio: sed quòd tota multitudo simul fuit conuocata & suffragium tulit, nec essentiale, nec perpetuum fuit; quamuis nec hoc quidem temerè fuit mutandum. Aliud enim est electionis mandatum, quam immotam, non tantùm in Diaconis, sed etiam in sacris functionibus omnibus seruatam oportuit: aliud verò est electionis modus; in quo & illud essentiale fuit & immutabile, vt nihil Ecclesiæ nolenti & reluctanti obtrudatur: sed quòd initio simul aduocata fuit Ecclesia, & simul

ſuffragia ſumpta, accidentale fuit; nempè quòd tunc primùm Diaconatus in Eccleſia conſtitueretur, cuius rei cauſam expediebat ſimul & ſemel ab omnibus intelligi, & quòd alioqui murmur illud Græcorum aduersùs Hebræos vix potuiſſet alia ratione compeſci.

HAD. SARAVIA.

SIc *ipſo per Apoſtolos authore Deo* (inquit D. Beza) *Diaconatus functio ordinata eſt.* Benè eſt, Deo ſit laus, aut tandem nos euicisſe, aut vltrò D. Bezam eò adductum eſſe, vt Epiſcoporum præſidentiæ, quæ in gradu celſiore ſupra compresbyteros eos conſtituebat, fateatur Deum eſſe authorem, modi dico illius accidentalis, quem ipſe diſtinguit ab ordinis eſſentia: atque ita ordinis ille modus accidentalis, quamuis per homines, (ſicut diaconatus) à Deo eſt: quomodocunque D. Beza id euenisſe credat, nihil refert, modò Deus ſit author. Tollat nunc oportet, quod alibì poſuit, hunc ordinis modum, quem & ordinem vocat, eſſe humanum, & deſinat eum opponere diuino ſuo ordini. Quicquid præterea latè diſſerit de Diaconatu, non lædunt cauſam noſtram; ea igitur præterimus.

27. D. THEOD. BEZA.

POſteà verò, docente experientiâ, confuſioni & ambitioni, creſcente multitudine, hinc exortæ, occurrendum eſſe; prudenter in Synodo Laodicena, prouinciali quidem illa, ſed à ſexto Synodo Oecumenica approbata, cautum fuit, canone 13. ne ad ſacrum miniſterium deligendorum electio turbis ſiue populis concedatur: minimè id quidem quaſi electionum ſacrarum conſciam & approbationem eſſe non oporteat Eccleſiam totam; ſed quòd ea in re ſit modus adhibendus, id eſt, vt quod priùs ſimul fiebat, diſtinctè fiat: prærogatiua quidem Paſtorum conſenſui tributa, ſecundo verò loco piorum Magiſtratuum cognitioni, ex vero conſenſu aut diſſenſu præeunte, ac demùm plebe de re tota palam certiorata, & ſi quam diſſentiendi rationem, poteſtate cauſas illas legitimè explicandi facta: quem ordinem, Dei beneficio, religioſè ſimul & prudenter adhùc in hac ciuitate obſeruatum, quùm Democraticus quidam fanaticus Morellius Pariſienſis auſus eſſet voce & ſcriptis reprehendere, meritò fuit ipſius ſcriptum, & in hac Eccleſia, & in Gallia, plurimis Synodis damnatum.

HAD. SARAVIA.

POpularem electionem, quâ nihil poteſt eſſe magis confuſum, factioſum, & iniquum, tam ratione quàm experientiâ edoctus minimè probo: de qua latiùs alio loco loquar. Librum Morellij habeo, & legi, quem aliquando confutare incepi. Sed quando intellexi librum à Synodis Gallicanis eſſe improbatum, ſatis confutatum credidi. Tamen hominis miſertus ſum, & cum eo interdum ſum locutus, viſúſque mihi eſt delirio quodam mentis laborare, potiùs quàm malitiâ: & non tantùm in ea re, ſed etiam in ciuili politia, in qua ſe plus videre & ſapere credebat, iis qui tenent regnorū & rerum publicarum gubernacula. Quod etiam accidere ſolet magnæ eruditionis viris, qui propter opinionem ſingularis doctrinæ adepti authoritatem, ſuis de republica conſiliis ſæpe magnas clades regnis & populis adferunt, quando creduntur plus cæteris ſapere, & rectè iudicare de rebus, quas nunquam rectè intellexerunt, & in quibus valdè delirant. Morellij nulla fuit authoritas, idcirco nocere non potuit: pius tamen mihi viſus eſt, & magis commiſeratione dignus quàm inſectatione.

28. D. BEZA.

SIc in Eccleſiaſtica tota gubernatione eſſentiales ſunt quatuor illæ functiones diuinitùs ad finem vſq; ſeculorum ordinatæ: & ſuis finibus circumſcriptæ, tum propriis, & vnicuique illarum peculiaribus; tum illis tribus, ex quibus Presbyterium componitur, communibus. Accidentalia autem ſunt, quæ quamuis non temerè nec leuiter, tamen iuſtis de cauſis ad circumſtantias diuerſas temporum, locorum, & perſonarum accommodanda. Et hæc quidem in hoc argumento etſi paulò diffuſiùs, tamen non abs re dicta ſunto.

HAD. SARAVIA.

QVatuor in Eccleſiaſtica gubernatione eſſentiales functiones diuinitùs ad finem vſque ſeculorum ordinatas, ſuis finibus circumſcriptas agnoſco, & recipio: in numero conuenimus, ſed in re diſſentio. Nam temporarios ſeniores ad docendum ineptos, qui tantùm gubernent, nec doceant, nec ſacramenta miniſtrent, non recipio in eum Presbyterorum locum, quos Tito & Timotheo per Eccleſias cōſtituendos mandauit

dauit Apoſtolus. Et Epiſcopalem gradum ſupra particularium Eccleſiarum Paſtores vel Presbyteros cum tota antiquitate amplector, ita vt in illo vno Epiſcoporum ordine differentes etiam gradus admittam. Quod circumſtantias locorum, perſonarum, temporum attinet, vt mutationem aliquam in externo ſtatu, & modo gubernationis adferant, naturam rerum mutare non poſſunt. Fieri poteſt vt aliqua Eccleſia non opus habeat diaconis, nec Doctoribus diuerſis ab iis qui Paſtores ſunt. Fieri ſimiliter poteſt vt aliqua Eccleſia habeat Epiſcopum qui multarum ſit ſimul inſpector Eccleſiarum; & ſi conditionem ſpectemus, alii aliis ſunt opulentiores, maioris minoriſue in regno & republica in qua degunt auctoritatis: ſed horum nihil mutat miniſterii conditionem & naturam.

Diaconorum functionem recipio, quæ in eſſentia ſua minimè eſt vitiata. Quemadmodùm enim Presbyteros non agnoſco annuos, quibus poteſtas nulla docendi, nec miniſtrandi ſacramenta datur; ita nec pro diaconis habeo, quibus tantùm temporaria concredita eſt eleemoſynarum procuratio. Quia id quod eſt eſſentiale diuina ordinatione, & Apoſtolica traditione, in illis functionibus non inuenio. Qui doctores in Chriſti Eccleſia habendi ſint, quidue illis ſit eſſentiale, pòſt dicturi ſumus.

29. D. THEOD. BEZA.

VT ad ſpeciem autem nobis propoſitam reuertar, non miror ſanè nihil hîc ſatis appoſitè abs te dici, quùm ex Ambroſio, licèt abs te alibi citato, non animaduerteris, neque quæ fuerit prima illa & antiquiſsima diuinæ inſtitutionis in Presbyterio πρωτασία, quam tu perpetuò imperioſam facis: ac proinde quid in ea fuerit, ea quam Hieronymus tradit conſuetudine immutatum. Fuit igitur illa mutatio in tribus rebus poſita: primum videlicet, in eo quod ſucceſsio per vices ad exemplum Aaronici Sacerdotij diuinitùs inſtituta, in electionem computata. Deindè quod hæc πρωτασία ſingulis antea per vices communis, facta eſt vni illi legitimè delecto propria, & quidem perpetua; niſi videlicet vel morte, vel iuſtam aliam ob cauſam primus hic locus vacaret. Neq; in iſtis quicquam eſt quod reprehendi poſſit, habita cauſarum huius mutationis ratione, quas Hieronymus & Ambroſius expreſſerunt.

HAD. SARAVIA.

QVam appoſitè ad controuerſiam & ſententiam quam defendo ſcripſerim, ſit Eccleſiarum & liberi Concilij iudicium, non D. Bezæ. Quod in Ambroſio circularem præſidentiam videre nequeam, obtuſior fortè eſt iudicij mei acies. D. Beza magis acutum videt, qui quod nuſquàm eſt nec fuit vnquàm, cernit ac perſpicit: cuiuſmodi eſt exemplum Aaronici ſacerdotij, vbi nullæ præſidentiæ fuêre vnquàm vices, ſed laborum in miniſterio templi. Quæque ſacerdotum tribus ſuum principem perpetuum habuit, à quo regebatur, in quorum collegio ſub ſummo ſacerdote præſidebat.

Quòd D. Beza culpat, me imperioſam vbíque præſidentiam facere, non me rectè capit. Nihil imperij quod præſidentiæ natura & conditio non poſtulet, & ex verbo Dei & teſtimonio ſanctorum Patrum, vſúque non demonſtretur, tribuo. Sed & hîc denuò gratias ago Deo, propter eos qui D. Bezæ nomen ſolent obtendere ſuo ſchiſmati, D. Bezam fateri in iſtis quæ ex Ambroſio & Hieronymo fuerunt allegata, nihil eſſe quod reprehendi poſſit, habita cauſarum huius mutationis ratione, quas Hieronymus & Ambroſius expreſsêre. Sed in hac ſententia diû non perſtabit: breuì euertet quicquid hîc concedit, ne diuinam inſtitutionem eſſe fateri cogatur, vt Epiſcopi præſint ſuis fratribus & compresbyteris in Eccleſiaſtica gubernatione: proinde tranſire & mutari in aliam non debere.

30. D. THEOD. BEZA.

SEd hæc Hieronymi verba, *vt vnus de Presbyteris electus cæteris ſuperponeretur, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret*; & quod ait, *Presbyteros quidem Epiſcopo ſibi præpoſito ſubiectos, Epiſcopos verò Presbyteris eſſe maiores*, ex iſta Eccleſiæ conſuetudine, ſunt moderata expoſitione lenienda, id eſt, ad honoris primi loci dignitatem, & regendæ actionis auctoritatem; non autem ad vllum imperij in ſuos compresbyteros gradum referenda: qua loquutione vtens Synodus Sardicenſis in Epiſtola à Theodoreto citata, libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ 2. ca. 8. Patrem appellat filio maiorem quoniam ipſum nomen patris maius eſt quàm filij: non quòd vlla ſit inter perſonas imparitas, quùm vna ſit eſſentiæ identitas.

HAD. SARAVIA.

LEnire Patrum dicta moderata expositione non prohibeo; modò illa non peruertat sensum sententiæ eorum. Paruam debent Patres gratiam iis qui eos aliud fuisse locutos, & aliud sensisse interpretantur, quàm re vera senserunt; & eos loqui faciunt quod nunquàm cogitârunt. Ego magis ingenui animi esse duco, negare Patres, & negationis causam adferre, quàm illis illudere. Certum est, Hieronymum, & cæteros omnes Patres (sicut ex sententiis à me citatis apparet) Episcopis exortè quandam tribuere potestatem. Malè D. Beza ex Epistola Sardicensis Concilij verba, quæ de vnitate essentiæ diuinæ Patris & Filij dicuntur, Episcopis & Presbyteris aptauit. In diuinis, paternitas nulla necessitate habet annexam superioritatem, quam necessariò inter homines adfert: quocirca comparatio nimìs dissimilis est, nec quicquam probat.

31. D. THEOD. BEZA.

NIsi enim sic illa Hieronymi verba accipiantur, sat sit mihi dicere nulla cum Patrum iniuria, paulatim sic, quamuis iis nihil minùs cogitantibus, illi gradui Episcopali aditum humanitùs apertum, per quem mox ingressa ambitio, gradum istum, initio quidem in oligarchiam, ac tandem in horrendam illam Antichristianam tyrannidem Oecumenicam euexit, haud satis scio an vnquàm abolendã, nisi semel sublatis quibus eò ascendit gradibus, in ordinem diuinæ institutionis redigatur. Et huic malo apparet Hieronymum mederi voluisse, vt qui mox doceat Episcopos, non diuina ordinatione, sed consuetudine quadam sensim obtinente, eò euectos, non vt soli, id est, arbitrio suo dominentur: sed vt in cõmuni Ecclesiam gubernent. Et hanc fuisse Patrum mentem liquet, ex canonum, suprà, id est, c. 20. huius tractationis citatorum contextu Apostolico, videlicet vt nonnulli contendunt, 33 Niceno 6. Antiocheno 9. de Metropolitanorum inter suos coepiscopos dignitate. Quis enim putet Episcopis, inter suos compresbyteros plus tributum auctoritatis, quàm Metropolitanis in suos Coepiscopos; qua de re mox alius erit dicendi locus.

HAD. SARAVIA.

QVis sensus sit verborum Hieronymi sumatur ex ipso Hieronymo. Quòd Episcopalis authoritas in tyrannidem degenerauit, id non processit ex prima domini institutione, nec Patrum decretis: ad quæ si reuoces omnes Patriarchas & Archiepiscopos desinet exitialis illa Ecclesiis Antichrist. tyrannis, & quæcunq; huiusmodi est. Contrà Dei institutionem, & contra vetustos canones & Patrum consuetudinem factũ est, vt ad vnum sit deuoluta, & ab vno pendeat hæc tyrannis. Cuius natura cùm non ferat alios secum tyrannos, nisi quatenus vnius cõciliantur tyrannidi, malè tyrannidis D. Beza eos accusat qui patiuntur tyrannidem, tanquàm ipsi sint tyranni; cùm potiùs culpari mereantur, quòd se ei submittant eámque propugnent, qua non tantùm Ecclesiæ sed sibi ipsis iniurij sunt. Iura enim omnium Ecclesiarum ad se pertraxit, & Episcopos pariter & Archiepiscopos coegit in ordinem, & eorum populos, suos fecit. Et hæc horrenda confusio à corruptione doctrinæ manauit, cuius non semper Episcopi fuêre authores, sed homines Episcopis dissimillimi. Argumentari mihi D. Beza videtur hîc & vbique, (quod citra ipsius iniuriam dictum sit) à non causa, tanquàm à causa. Nulla fuit vnquam resp. nullum regnum, tam benè constitutum, quod non degenerauerit in tyrannidem, & sæpè occasione accepta ex re optima & reip. necessaria: sicut ex victoria de hostibus parta, & necessariè data potestate vni ad defendendam remp. Quocirca gradus quibus ascenditur ad tyrannidem qui tollere cupit, etiam fundamenta tollit, quibus regnum & respublica nititur. Cui hæc argumentandi ratio placet, similibus rationibus regna & alias quasuis rerum publicarum formas euertet. Quæ autem sit Metropolitani in collegas authoritas, & quæ Episcoporum in suos compresbyteros videbimus: quæ quamuis non sit nulla (vt D. Beza vult) apparebit tamen quàm minimè sit tyrannica.

32. D. BEZA.

SEd quàm non potuerit istius vinculis adstringi ἀχαλίνωτος ambitio, experientia tristissima statìm ostendit: ore mox Presbyteris, si præsens erat Dominus Episcopus, occluso, quod acerrimè ad Nepotianũ idem Hieronymus reprehendit: & aliis in histriones sacrificos mutatis, aliis nempè illis

κυβερνήταις

κυβερνήτας sic consuetudine pessima, quod expresè quoque deplorat Ambrosius, abolitis, vt nullus nunc sit pudor negare illis vnquam fuisse in Ecclesia locum. Episcopis denique non iam simpliciter supra compresbyteros & supra Chorepiscopos, sed etiam in ipsam fidem dominationem nactis, nec ista in miseras conscientias tyrannide contentis, sed aulicis magnatibus factis, donec ipsa quoque Cæsarum & Regum sceptra sibi honorandi sacri scilicet ministerij obtentu, subiecerunt. Neque verò cùm hoc dico, huius tyrannidis eos Episcopos veram Christi religionem profitentes & docentes insimulo (abſit à me tam impudens arrogantia) & qui in humano gradu ita se gerunt, vt eo vtantur ad ædificationem ouium sibi commissarum: quos tamen precari per sacrum Dei nomen audeo, vt totam Ecclesiæ sanctam suam libertatem restituendam potiùs procurent, quàm hanc potentiam ad posteros transmittendam, hanc ipsorum moderationem & æquitatem minimè forsitan sequuturos.

HAD. SARAVIA.

AMbitionem ab Ecclesia non eiiciet, sicut nec tyrannidem, circularis præsidentia; sed pariter omnes æquè ambitiosos reddet; & qui tyrannicum gerit animum, dolo & fraude circumueniet collegas: in quo si aliquæ raræ animi dotes eluceant, admirationique sit suis fratribus, illis abutetur vt eos sibi subiiciat; & quod iure impetrare non potest, extorquebit arte & industria. Audiui quendam & alij plures mecum, non suo se pede metientem, sed Patres; de quorum authoritate inter nos sermo erat. *Quid* (inquit) *putas? Qui fuêre inter Patres præcipua aliqua eruditione & ingenio, ducebant cæteros quò lubebat*: & ipse non parùm sibi fidens, *Ego* inquiebat) *possem facile collegas flectere quò lubet, & si malus essem fallere.* Hæc dicebat, vt eleuaret authoritatem Patrum. Ad hanc tyrannidem Episcopatu nihil opus est. Arius tantùm fuit Presbyter, & plus malorum, grauiorémque tyrannidem, in orbem inuexit omnibus Archiepiscopis illius ætatis, cuiuscunque fuerunt sectæ, aut hæresis. Idcirco magis probo illud regimẽ, in quo nec ingeniũ, nec eloquentia, nec cuiusquam valet authoritas; sed solæ leges primum locum obtinent, sicuti in bono regimine conuenit, & hîc fit in Anglia.

Et quod ex Hieronymo citatur, Presbyteros præsentibus Episcopis non fuisse locutos, nescio in quem sensum D. Beza trahat. De verbi Dei publica prædicatione loquitur; quam præsens Episcopus ad se solum pertinere, in quibusdam Ecclesiis iudicabat, quamuis Presbyteros haberet, qui id præstare possent. Qua in re non tam grauiter peccabatur, sicut vbi seniores eliguntur, qui docere nequeunt: aut si qui sunt ea eruditione vt possint, non tamen sui id esse officij iudicant: & ex hoc loco apparet, mutos seniores non probâsse Hieronymum.

Cæterùm quod Ambrosium deplorâsse ait D. Beza, non rectè eum intellexit: qui ordinatione Presbyteros nusquàm abrogatos queritur; sed quòd ætate, sapientia, & grauitate senes laici, non eo loco haberentur, vt olim, quando in rebus grauioribus in consilium adhibebantur. Quo tantùm loco si haberentur, vt deberent, qui hodiè in Ecclesiis reformatis pastoribus adiunguntur, nihil repugnarem.

Quod præterea rhetoricatur D. Beza, & excurrit de tyrannide in animas, & in ipsos principes: illa non tam ab Episcopali legitima authoritate, nata est, quam ab hypocrisi, & falsâ doctrinâ, quæ pluribus aliis ab Episcopis fuit communis, & inueniri poterit in circulari præsidentia, & temporariis senioribus, multò citiùs quàm in Episcopis. Quorum potestas, ita legibus vndique circumscripta est, vt nullam queant (vt maximè velint) exercere tyrannidem, quam non possint etiam longè grauiorem ij, qui sequentur ordinem gubernationis, qui tantoperè commendatur eo nomine, quo suspectum inprimis esse oporteret, quòd nullos habeant canones, & nullas leges quibus astringantur iudices. Perinde de isto ordine D. Beza & alij scribunt & loquuntur, ac si extra omnem hominum sortem futuri sint, qui eum sequentur, nihilque humanitùs ipsis possit accidere, vndè calamitatem & damnum capere possit Ecclesia, aut ipsa respublica.

Multa passim D. Beza tangit, vt in odium vocet Episcopos, quæ mallẽ ab eo præterita. Nam ad ea si particulatim respondere cogeretur, non tam ei facile esset fidem facere, ac fuit dicere. Quale illud est quod ait, Episcopos in ipsam fidem dominationem nactos. Id non magis de Episcopis (si Romanos Papas excipias) dici potest, quã de theologis. Plus sibi in hac re supercilium theologorum arrogauit, quàm Episcoporum. Quod inter magnates in aulis Regum, interdum conspici Episcopos molestũ est, ab

est, ab inuidia populari, potiùs quàm à sano proficiscitur iudicio. Id enim vtilius tum Ecclesiæ tum R. P. iudico (si papisticas artes excipias, quibus pseudoepiscopi vtuntur ad stabiliendam Romanam tyrannidem) quàm si prorsùs excludantutur & repub. & honoribus. Postremò, ex tanto Episcoporum numero quis sibi Regum sceptra subiecit, præter vnum Romanum Episcopum? Quidquid in hac parte peccatum fuit, Romana superbia fecit. Iniquum est, propter vnius Episcopi ambitionem, cæteros omnes, qui innumeri sunt, in odium vocari.

Videmus enim in Papatu Iesuitas & Capucinos, atque alios mendicantes Fraterculos, qui videntur abiectione externa sui, & mundanarum rerum contemptu, diuini & cœlestes quidam homines, longè omnium sæuissimam exercere in miserorum conscientias tyrannidem: & quamuis mundi fastum & omnem ambitionem calcare videantur, omnium mortalium sunt ambitiosissimi. Regum & Magnatum aulas opportunè importunè penetrant, arcana rimantur, regunt conscientias, & flectunt ducúntque quò lubet.

Hæc cæcorum ducum potestas, siuè illi priuati in Ecclesia sint, siuè præpositi, ab hypocrisi, & ignorantiæ, ac errorum tenebris profecta est: & errat quisquis alias causas tyrannidis Ecclesiasticæ comminiscitur. Has tenebras veritatis Euangelicæ lumen discutit, nec secum patitur: vt à tyrannide, quam plusquàm hyperbolicè nobis D. Beza exaggerat, nec tamen vllam demonstrat, vanus sit metus. Vbi doctrinæ veritas publicè nos docet, quæ sit conscientiarum vera libertas, quæ summorum Magistratuũ iura, quæ similiter præpositorum Ecclesiæ authoritas, improbus est qui huius doctrinæ professores tyrannidis insimulat.

Si quis metuit rerum humanarum inconstantiam, & reditum vnde emersimus, noluerit eò rediri non posse, nisi per doctrinæ corruptionem & hypocrisin. Quæcunque aliæ prætenduntur à D. Beza causæ, nullæ sunt. Nihil enim contra Episcopos & eorum regimen dicit, quod in ipsum, & ab ipso inuentam circularem inter temporarios Presbyteros præsidentiam, non possit regeri. Tantùm à fermento Pharisæorũ, quod est hypocrisis, & corruptione doctrinæ cauendum est, qui Ecclesiam à tyrannide liberam conseruatam cupit.

33. D. THEOD. BEZA.

CActerùm ponamus schismatum passim gliscentium necessitatem, de qua Hieronymus agit, & Presbyterij, propter quosdam indignos, de quibus agit Ambrosius, contemptum, iustam ac necessariã causam Patribus præbuisse ampliandæ primi Presbyteri, qui postea Episcopus ἀντονομασικῶς dici cœpit, auctoritati: nunc, (quæso) postquàm Episcopalis non tantùm oligarchia, verùm etiam tyrannis (Episcop[illegible]cipio, ista verbo & re abominantes) diuina humanáque iura, funditùs subuertit: & neque magistratui sua iura, nec Ecclesiæ aliquid præter nomen, idque prorsùs inane & cassum, reliquit; quandò maior necessitas à Magistratibus & [illegible]s omnibus Ecclesiæ Christianæ Ministris flagitat vt Episcopatus in ordinem diuinæ institutioni, & Apostolicis optimis illis temporibus consentaneum redigatur? & rectè semel, prout ferent temporum, locorum, & personarum circumstantiæ, sacris functionibus omnibus restitutis, statis legitimis Synodis, quæ sunt certum aduersùs omnem ἀταξίαν remedium regatur. Istud verò tu, Domine Deus noster Iesu Christe, Ecclesiæ tuæ caput, pro immensa misericordia tua, nobis concede, Amen.

HAD. SARAVIA.

POstquàm D. Beza hactenùs per varios circuitus nos circumduxit, & suspensos tenuit, per ordinem & ordinis modum, & quod rei est essentiale & accidentale: & in ipso ordine, & ea parte quæ ei est essentialis, mutationem nullã esse factam, nec fieri debuisse, sed tantùm in eo quod accidentale, id est, in ordinis modo, qui mutabilis est, iustis & necessariis de causis; quales esse visæ sunt duæ illæ ab Ambrosio & Hieronymo commemoratæ, nihil seriò asseruit, quando dixit, Satisne rectè an secùs facta sit ista in ordinis modo mutatio, postea videbimus. Nunc digrediendo fessus, hûc tandẽ se recipit: cùm probare deberet iustis de causis non esse factam mutationem, loco probationis hypothesin adfert, *Ponamus* (inquit) *schismatum passim gliscentium necessitatem, de qua Hieronymus agit, & Presbyterij, propter quosdam indignos, de quibus agit Ambrosius, contemptum, iustam ac necessariam causam præbuisse ampliandæ primi Presbyteri authoritati, &c.* vt ex hac positione commodiùs argumentum nouum instauret, ab Episcopa-

Episcopali oligarchia & tyrannide.

Primò, positio hæc est contraria iam ab eo confessis & admissis, & quòd sibi hunc recessum seruauit, veritatis amatorem non docet. Quomodo autẽ constent cum hac hypothesi quæ disputauit section. 24. 25. 26. si conferantur inter se, apparebit. Collationem relinquo lectori, ipse nihil dico. Opponit suæ hypothesi oligarchiam Episcoporum, & tyrannidem Romani Episcopi: tanquam ea necessariò nata sit ex sanctissimo & vtilissimo Episcopali gradu. Posset pari ratione eam deduxisse ex gradibus Apostolorum, quos Dominus ad prædicandum Euangelium misit. Ecquæ est hæc argumentandi ratio, propter vnius Episcopi Romani ambitionem, qui non tantùm suos collegas, sed etiã Reges & Imperatores suis fraudibus & dolis, suo subiecit imperio, totam Ecclesiæ Hierarchiam, & diuinitùs tam in veteri quàm in nouo testamento cõstitutos gubernationis gradus abolendos esse censere? Si hæc causa valet, & ab ea licet argumentari; Romanum imperium & Gallorum regnum stare non poterunt, quorum opibus creuerit, & confirmata fuerit illa impietas. Quid igitur? Veterem omnem Ecclesiæ gubernationem, & ciuilem omnem potestatem, pedibus suis subiecisse Romanum Episcopum, notum est. Non facile erit bis ad eundem impingere lapidem: illi malo hoc vnum est remedium, vt eo reiecto, reformentur Episcopi ad normam veterum canonum, & regularum Ecclesiasticæ gubernationis: indè minus est metuendum regnis & rebus publicis periculi, quàm ex noua regiminis forma Patribus incognita, cuius quis sit futurus exitus præuideri non potest.

34. D. Theod. Beza.

CAeterùm quod aduersùs Hieronymum prætereà obiicis ex Apocalypsi, nempè quòd ætate Iohannis Apostoli, *Asiæ Ecclesia septem habuerint Episcopos diuinâ, non humanâ ordinatione sibi præfectos, Apostolo singulos illos singularum Ecclesiarum Angelos minimè compellaturo, & culpam malè obitæ functionis minimè illi attributuro, nisi eminentior fuisset eorum in Ecclesiæ regimine auctoritas:* hoc, inquam, quorsùm aduersùs Hieronymum & nos torques? Nec enim ille, quùm diceret Ecclesias initio fuisse communi Presbyterorum consilio gubernatas, ita desipuisse existimandus est, vt somniaret neminem ex Presbyteris illi cœtui præfuisse. Nam contrà qualis ille tum esset ordo, & cur sit mutatus expressit Ambrosius. Nobis autem iniuriam certè facis, quùm nos existimas omnem vnius Episcopen, id est, inspectionem & curam, in, vel etiam supra cæteros compresbyteros abolendam censere, modò tu quidẽ istud supra, vltra τὰ πρεσβεῖα, & τὸ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι non extendas.

Had. Saravia.

INuictum hoc est quod ex D. Iohannis Apocalypsi attuli testimonium: quod vnicũ & per se, piis omnibus & non contentiosis sufficere deberet, ad Episcopalem præcipuam authoritatem agnoscendam; quam necesse fuit illis esse fundatam temporibus, quando ab aliis quàm ab ipsis Apostolis constitui non potuit. Circularem præsidentiam, & hebdomadicum Episcopatum, reprehensiones, adhortationes, & consolationes D. Iohannis ad septem Angelos iugulant: ad singulos qui tunc erant, quique fuerant anteà, & adhûc futuri erant, scribit; vt quo modo esse aliquandò circularis præsidentia potuerit, cogitare nequeam: nisi fortè nullis adhûc certis Presbyteris, rebus nondùm constitutis, in ipsis primordiis Ecclesiarum (in quibus multa temporaria fuisse oportet, donec fixus aliquis ordo constitueretur) id acciderit. Vt ad solis ardorem liquescunt niues, & quæ illis tegebantur patescunt; sic ad hunc veritatis solem omnes vicissitudinariæ præsidentiæ, & D. Bezæ hebdomadici aut menstrui Episcopatus, cum Hieronymi decreto & consuetudine, diuersa ab institutione dominica, effluunt: aut dicendum est, aliud tradidisse Apostolos, aliud à Domino accepisse: quod si cui verisimile est, sequatur D. Bezam.

Queritur D. Beza me in Hieronymum, & in ipsum temerè torquere exemplum septem Ecclesiarum Asiaticarum. Quasi ita desipuisset quandò dixit communi consilio Presbyterorum Ecclesias Christi fuisse gubernatas, vt somniârit neminem ex Presbyteris illi cœtui præfuisse. Id certè nec de Hieronymo, nec de ipso cogitaui: nec in hunc finem septem Angelorum exemplum allegaui. De præsidentia vnius in Presbyterio, nostra non est controuersia; sed de authoritate vnius præcipua in Ecclesiarum gubernatione. Prætercà quod ait sibi à me fieri iniuriam, quòd existimem omnẽ vnius Episcopen,

Episcopen,id est,inspectionem & curam in vel etiam supra cæteros compresbyteros, eum abolendam censere. Cui respondeo,& quæro,cur eam aboleuerit,& abolendam curet: & præcedente sectione cur hortari Episcopos, imò & obtestari per sanctũ Dei nomen est ausus, qui in humano gradu ita se gerunt, vt eo ad ædificationem ouium sibi commissarum vtantur, vt totam tamen Ecclesiæ sanctam libertatem restituendam potiùs procurent, quàm hanc potentiam ad Pastores transmittendam, qui fortitan hanc ipsorum moderationem & æquitatem non sunt secuturi. Quid sibi vult in hunc finem ad Dominum directa precatio? Hæc, meo iudicio, sunt verba hominis qui omnem curam, & inspectionem Episcopalem vnius supra Presbyteros, abolendam censet. Si neget, quomodò sibi in hac re constet, lectoris esto iudicium. Quid pluribus opus est? D. Bezæ scripta extant. Si aliud scribit, aliud sentit; aliud cogitat, aliud agit; nec Deo, nec hominibus vnquàm facta scriptáque sua probauerit. Quid enim eum mouere potuit, vt contra hunc meum tractatum scriberet? Ego nec oligarchiam, nec tyrannidem, nec ambitionem, nec dominationem propugno Episcoporum. Testatus sum me tantùm defendere gradum & authoritatem Episcoporum veterum; quales fuêre Cyprianus, Irenæus, Ignatius, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Nazianzenus, & Basilius: quos vni Bezæ,& paucis cum eo sentientibus,præferre me posse & debere arbitror. Sed quod D. Bezam vrit, vt queratur sibi à me iniuriam fieri, non est hoc quod hîc tangit; aliud est (nisi vehementer fallor) quòd subticet: nempè argumentum ex hoc Iohannis loco duci, quod omnia, quæ hîc disputauit contra vnius perpetuam in vna Ecclesia Episcopen, euertit, & euertet.

Septem illi Episcopi vocantur Angeli: nimirùm qui à Deo erant missi: & stellis comparantur in manu dextra domini nostri fulgentibus: quos nemo, nisi demens & impius, dixerit humanum & non diuinum gessisse Episcopatum.

Quod vltra τὰ πρεσβεῖα & τὸ τῆς τιμῆς προηγεῖσθαι, extendi vnius Episcopen & curam in & supra cæteros compresbyteros non vult, ἀσύστατον est, eo sensu, quo suprà τὰ πρεσβεῖα se accipere exposuit. Quæ inspectio,& quæ cura tam in & supra gregẽ,quàm cæteros compresbyteros sine authoritate cogitari potest? Intereà nec hoc est prætereundum, D. Iohannem totum Ecclesiæ futurum statũ in illa reuelatione vidisse, tum causam Ecclesiarum, tum Apostasiam & defectionem Episcoporum: sed culpam non adscripsit gradui Episcoporum, quem tunc in Ecclesia obtinebant.

35. D. Theod. Beza.

Superest denique testimonium ex beatæ memoriæ fratris D. Hieronymi Zanchij non certè confessione, sed ipsius in suam confessionem obseruationibus; quod aduersùs Hieronymum obiicis, & tamen contra nos non facit. Dicit enim ille se improbare non posse, quæ à piis Patribus, in nomine Domini congregatis, communi omnium consensu, citra vllam sacrarum literarum contradictionem, definita & recepta fuerunt, tanquam & ipsa (quanquam haud eiusdem cum sacris literis authoritatis) à spiritu sancto sint: inter quæ, ordines recenset communi totius Ecclesiæ Christianæ consensu, pro ædificatione Ecclesiarum institutos. Hæc ille, à quo minimè certè dissentimus, quùm Episcopatum illum merè diuinum & Apostolicum ab humano (quod tu ferre non potes) non quasi sint illa inter se repugnantia, sed tantùm vt diuersa & imparis authoritatis, discernimus; & Satanicum illum Pseudepiscopatum, in quem humanus ille degenerauit, detestamur. Apertiùs tamen fateor, quàm Zanchius, loquentes, fœdum illũ riuum ex humano Episcopatu paulatim corrupto deductum, vix aliter penitùs arefieri posse ingenuè dicimus, quàm semel obstructo gradus illius Episcopalis fonte: vix minùs ambitiosis futuris plerisque, qui ordinabuntur, quàm qui sunt superioribus seculis ordinati. Et vt meliùs nôris quid ipsi Zanchio, cui certè pietatis & eruditionis testimonium meritò tribuis, magis sit hac in re probatum, ecce tibi ipsius verba ex eadem illa confessione deprompta: cuius authoritati si tantum tribuendum censes, vt ipso etiam nitaris, ecce illum tibi iudicem fero.

Ex capite confessionis 25. art. 7.

Videmus in sacris literis institutos fuisse à domino tres inprimis Ministrorum Ecclesiasticorum ordines: quorum primus in ijs potissimùm versatur, quæ ad fidem in Christum excitandam & fouendam pertinent: quales sunt Pastores Doctoréque, qui administrant verbum & sacramenta in cœtu fidelium: alter in ijs qui peculiariter ad pœnitentiam in fratribus excitandam instituta sunt; quales sunt Presbyteri censores morum, qui curam disciplinæ suscipiunt, atque vt quisque christianè & sanctè viuat, ad gloriam Dei, & ad Ecclesia ædi-

ſia edificationem, quantâ poſſunt diligentiâ, curant: de quibus tum alibi Apoſtolus, tum maximè ad Timotheum: ſic locum illum explicante Ambroſio, & optimis quibuſque interpretibus. Tertius verò ea præcipuè tractat, quæ charitatis propria eſſe videntur: vt curam pauperum ſuſcipere, & ægrotorum, quales ſunt diaconi, de quibus Act. 6. & alibi ſæpè apud Paulum.

Ex cap. 9.

Plures Miniſtrorum verbi ordines à Chriſto in Eccleſia inſtitutos non agnoſcimus, quàm quos Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios expreſſit: Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores: quorum tres priores, nullis certis locis addictos eſſe voluit, ſed modò hîc, modò illîc, aut Eccleſias ſibi colligere & plantare, quemadmodùm fecerunt Apoſtoli, aut ab Apoſtolis plantatas irrigare, fouere, confirmare, vti Prophetæ fecerunt & Euangeliſtæ, quos propterea etiam non oportuit eſſe perpetuos: duos verò poſteriores voluit certis Eccleſiis regendis & conſeruandis conſecrari, Paſtores nimirùm & Doctores, idque in finem vſq; mundi: quos ideò etiam ordinarios & perpetuos Miniſtros appellare ſolemus.

Ex cap. 11.

Quòd, cùm priùs omnes verbi Miniſtri, tum Paſtores, tum Epiſcopi, tum Presbyteri, ex æquo appellarentur, æqualis etiam cùm eſſent authoritatis, poſteà vnus cœperit aliis omnibus præfici collegis, quanquam non vt Dominus, ſed tanquam rector in Academia reliquis collegis, & huic imprimis cura totius Eccleſiæ commiſſa fuerit, eóque & κατ' ἐξοχὴν quandam is ſolius Epiſcopi & Paſtoris nomine appellari conſueuerit, reliquis Symmiſtis nomine Presbyterorum contentis, ita vt in vnaquaq; ciuitate, vnus tantùm cœperit eſſe Episcopus, & multi Presbyteri: hoc minimè improbari poſſe iudicemus. Quæ de re Hieronymi, cùm alibi, tum in Epiſtola ad Euagrium, & in commentariis Epiſtolæ ad Tit. ca. 10. narratio & ſententia nobis probatur, dicentis totum hoc magis ex conſuetudine, quàm ex dominicæ diſpoſitionis veritate profectum eſſe: vt diſſentionum plantaria tollerentur & ſchiſmatum. Hac ſanè ratione, quæ etiam de Archiepiſcopis, imò & de quatuor Patriarchis ante ipſum etiam concilium Nicænum creatis, conſtituta fuerunt, excuſari, defendíque poſſe ſentimus: quanquam omnia ſucceſſu porrò temporis, ad ſummam tyrannidem, atque ambitionem deducta fuerunt. Quæ cauſa eſt, cur, quo propiùs acceditur, in iis etiam ordinibus Miniſtrorum, ad ſimplicitatem Apoſtolicam; eo magis etiam nobis probetur: atque vt vbique accedatur, dandam eſſe operam iudicemus.

Hæc ille; cui ſi aſſentiris qua de re contendimus? Sin verò ab illo diſſentis, quod ſanè facis, quo iure illius teſtimonio aduersùs nos vteris?

HAD. SARAVIA.

QVando D. Zanchium citaui (ſicut lector videre & iudicare ex meo tractatu poteſt) id à me non eſt factum, vt eius authoritate meam ſententiam probarē aut confirmarem: ſed vt modeſtiam pij & docti viri opponerem petulantiæ quorundam, qui licentiùs ſuis ſcriptis Patres ſugillant, quàm æquum eſt. Itaque quod Beza ait, ea quæ allegaui ex beatæ memoriæ Doctore Zanchio contra eum non facere, ferre poſſum: ſed ea quæ allegauit ex ipſius confeſſione quantum contra me faciant, in medio relinquo cuiuis conſiderandum. Verùm quòd hîc rurſus fit mentio humani & diuini Epiſcopatus, fidenter aio, diuinum fuiſſe Epiſcopatum ſeptem illorum Angelorum, ad quos ſcripſit D. Iohannes in ſua Apocalypſi: ad cuius formam ſi reformari omnes omnium Eccleſiarum Epiſcopos D. Beza vellet, facilè inter nos conueniret. Sed tunc circularis & hebdomadicus Epiſcopatus corruet: nam firmus & fixus Apoſtolicus illorum Epiſcoporum gradus fuit. Quæ allegantur ex venerabilis Zanchij confeſſione, nihil contra meam illîc dicitur ſententiam. Epiſcopi Paſtores ſunt eiuſdem cum reliquis Presbyteris ordinis: ſed politiæ & gubernationis cauſâ ſubeſſe aut præeſſe, id cum illa confeſſione nihil repugnat. Cui rei quòd D. Beza aſſentiri profi-

tetur,

tetur, libenter accipio: sed num in Zanchij confessione nihil sit, quòd D. Bezæ displiceat, aut aliquandò displicuerit, & suppressum maluisset, quàm in lucem æditum, ipse melius nouit: & quid illud fuerit, nos suspicari possumus.

Nè autem leuis nostra cuiquam videatur suspicio, & temerè concepta, ipsum audiamus Zanchium, de hac re conquerentem. Coactus enim fuit in suam confessionem obseruationes quasdam seorsim edere, ne aliquid in ea mutaret: de qua re ita scribit. *Pauci non sunt, quibus notum est, qua occasione, quo tempore, quorum iussu, quorum nomine, & in quos fines, hanc ego inuitus sanè atque coactus doctrinæ Christianæ Summam conscripserim &c.* Et tandem addit: *Magnus quidam vir, in hac ad me verba ea de re scripsit. Quod de confessione tua scribis, ea, magna cum voluptate & à me, & à N. & aliis perlecta est: quæ & eruditissimè scripta est, & accuratissimâ methodo. Et si modo, quod in fine de Archiepiscopis & Hierarchis addis, excipias, mihi summoperè placuit.* Quid hîc D. Beza exceperit, & à se minimè probari testetur, videmus: sed quo colore, & quàm honesto, voluerit esse persuasum bono seni, tunc non admodùm opus fuisse illam confessionẽ fidei prodire in lucem, audire operæ pretium est. Fratrũ consiliũ ad eum scribit esse, vt Harmonia omnium Ecclesiarum colligatur, vt earum cõsensus in τῆς ὀρθίας notus mundo fieret. Et in hanc rem plura scribit, quibus significatur ipsius confessionem non admodùm fore necessariam: Harmoniâ confessionum omnibus satisfactum iri. Sed vt finem faciam; illud ipsius dilemma in ipsum retorqueo. Zanchio si D. Beza adsentitur, qua de re mecum contendit? Sin verò ab illo dissentit, (quod sanè facit) quo iure illius testimonio aduersùs me vtitur?

Quatenus autem ego sentiam cum Zanchio iam dixi: eum citaui, vt doctissimi viri modestiam in hac re opponerem scriptis virulentis eorum, qui cum magno scandalo, maledictis Episcopalem gradum proscindunt. Sed quæ Zanchius in annotationibus suis in sua fidei confessione citauit ex Bucero, hîc inserere ad sententiæ meæ confirmationem non putaui inutile. Ita scribit; *Tertia disciplinæ clericalis pars est subiectio peculiaris, quâ clerici, gradus & ministerij inferioris, se subiiciunt illis, qui sunt in ordine & ministerio superiore. Hanc disciplinæ partem docuit Dominus nos, & exemplo suo, qui discipulos suos futuros doctores electorum Dei, per vniuersum orbem, peculiari ad hoc munus magisterio, & quadam domestica disciplina instituit, quem imitati Apostoli, suos quoq; discipulos vnusquisque habuit, quos ad sacrum ministerium ritè obeundum formaret.*

Omnis enim difficilior vitæ functio, peculiarem quoque ac perpetuam requirit doctrinam, institutionem, ac custodiam: vti videre est in Philosophiæ studiis, & institutione militari. Quod perpendens Lycurgus, Rempub. Lacedæmoniorum sic instituit (vti Xenophon testatur) ne vllus in Repub. ordo, sine suo proprio esset Magisterio. Item & Plato in suis legibus, & Republicâ, requirit, ne quid omninò sit in ciuibus ἀφρόντιστον. Hinc & dominus noster, cùm vult suos sic committi inuicem, & cohærere, vt membra in corpore commissa sunt atq; cohærent; subycit sanè vnumquemque suorum aliis, à quibus, tanquàm à membris amplioris ac latiùs patentis virtutis & efficacia, custodiatur, moueatur, & regatur. Idem præcepit Spiritus sanctus, Subiicimini inuicem in timore Dei. *Ephes. 5.*

Ista itaque considerantes sancti olim Patres, eum cleri ordinem descripserunt, vt cæteri omnes clerici à Presbytero singulari iura custodirentur, & gubernarentur. Inter Presbyteros verè Episcopus, vt Consul inter Senatores Reipublicæ; ita hic primam, cùm totius Ecclesiæ, tum singulariter ordinis clericalis vniuersi curam gereret, atque custodiam. Episcopos verò ordinauerunt singulis frequentioribus Ecclesiis, atque cuique talium Ecclesiarũ viciniores, quæ in minoribus essent oppidulis vel pagis, Ecclesias commendauerunt; eoq; voluerunt Presbyteros atque curatores istarum Ecclesiarum, quos vocauerunt Chorepiscopos, quosq; vicinioris sibi Episcopo, & Presbyterio auscultare: quos Episcopi illi primores subindè cum omni clero suo conuocabant, & in scientia atque diligentia muneris sui instaurabant. Cùm verò velit Dominus, vt sui homines se mutuò complectentur, & curam sui inuicem gerant, quàm longè lateq; posuit, (sunt enim Christiani omnes vnum corpus;) constituerunt Sancti Patres, vt Episcopi cuiusque prouinciæ (in prouincias enim iam omnes Romanis subiectæ distributæ erant) conuenirent vnâ cum Presbyteris, quoties quidẽ id Ecclesiarum vsus deposceret: certò tamẽ bis in anno, deq; Christi doctrina atq; disciplina, vt illa in quibusque Ecclesiis administraretur, & vigeret, inquirerent: ac vbi peccatũ esse

depre-

deprehendissent, id corrigerent; quæ cognouissent rectè haberè, cõfirmarent, & proueherent. Vt hæ verò synodi rectè & ordine administrarentur, voluerunt illis præesse & conuocandis & moderandis, Metropolitas, Episcopos cuiusque Metropolis: Sic enim vocabatur præcipua in vnaquaque prouincia ciuitas, vbi supremi Præsidis prætorium erat.

Ac proinde his Metropolitanis Episcopis iniunxerant curam quandam, & solicitudinẽ omnium Ecclesiarum, per suam prouinciam: vt si quid minùs rectè, vel à Ministris Ecclesiarum, vel à plebibus institutum, factúmue intellexissent, monerent de eo in tempore: siq; id suis admonitionibus non possent emendare, vt (ad corrigendum illud) Episcoporum conuocarent Synodum: non nihil iudicij illis concessum erat, quod sua propria authoritate exercerent in Ecclesiis, quæ ipsa suos haberent Episcopos: Omne enim, & in plebem, & clerum, iudicium erat penes cuiusque Ecclesiæ Episcopum, & Presbyterum: Episcopos autem iudicabat Synodus. Eóque cùm Ecclesiis essent ordinandi Episcopi, constitutum erat, vt ad eandem Ecclesiam conuenirent cum cunctis, (si id fieri Ecclesiarum commodo posset) sin cum aliquibus, non minùs tamen duobus aut tribus prouinciæ suæ Episcopis; qui electionẽ Episcopi, (si facienda adhùc esset) gubernarent, factúmque examinarent, & in electum inquirerent quàm seuerissimè, vitámque omnem eius & facultatem ad Episcopale munus explorarent; ac tum demum ad Episcopalem functionem initiarent. Quæ omnia eò erant instituta & valebant, vt esset inter Ecclesias & earum Ministros, quanta omninò posset esse notitia, curáque mutua: & ad arcenda atque depellenda cuncta doctrinæ morúmque offendicula, & ad fidei atque vitæ Christo Domino dignæ ædificationem sustentandam, promouendam, atque efficiendam efficatiorem: adeo vt si aliqui ab officio cessássent suo, cæteri Episcopi succurrerent, etiam vsque ad obstinatorum abstentionem, ac etiam à munere Episcopali deiectionem. Considerentur quæ diuus Cyprianus ad Stephanum Romanum pontificẽ, de Marciano Episcopo Arelatensi, qui in sectam Nouatiani transierat, lib. 3. Epist. 13. tum illa quæ scripsit in Epist. 3. lib. 4. de distributa cuique Episcoporum certa gregis portione, & quæ præfatus est, & in Concil. Carthaginensi scripsit ad Quirinum.

Porrò vbi orbis Ecclesiis refertus fuit, ac ipsi quoque Metropolitani sua singulari cura opus haberent: nec enim, prout cœperunt esse plurimi, ita omnes pro suo loco, satis vel sapiebant, vel vigilabant (pauci enim semper, & in omnibus hominum ordinibus præstantes) Episcopis quibusdam primarum Ecclesiarum aliquot prouinciarum cura demandata est: vt Romano, Constantinopolitano, Antiocheno, Alexandrino, deinde & Cæsariensi, Cappadociæ, & alijs quibusdam, prout fidelium Christi Ecclesiis multiplicatis, necessitas videbatur requirere. His tamen primatibus Episcopis (quos posteà vocauerunt Patriarchas) nihil omninò iuris erat in illos Episcopos alios, vel Ecclesias, vltrà quàm dixi, cuique fuisse Metropolitæ, in Ecclesias atque Episcopos suæ prouinciæ. Quisq; suæ portioni Ecclesiarũ debebat singularem curam, & solicitudinem: monere quoque Episcopos in tempore, si quid peccássent aliquis, aut in suo munere cessássent: & si nihil profecissent monendo, concilij adhibere authoritatem. Inter hos primus locus delatus est Romano, cùm propter diui Petri reuerentiam, tũ propter vrbis maiestatem: quam rationem secuti posteà Patres, secundum tribuerunt Constantinopolitano, vt alteri Romæ. sedisque imperij Episcopo; cùm Antiochenus antè secundũ locũ inter hos Patriarchas obtinuisset. Vt autẽ natura hominũ vitiata ambitione, semper magis elaborat vt latè, quà vt benè præsit; Patriarchæ isti occasione istius generalis curæ Ecclesiarũ, ipsis demandatæ, pertraxerunt ad se primũ vicinorũ Episcoporũ ordinationem: atq; per eã ordinationẽ, sensim aliquã in tales Episcopos, atq; eorũ Ecclesias, arripuerunt, cõfirmaruntq; iurisdictionẽ. Quod malũ cùm iam glisceret, cœpit graue existere certamen, de generali in omnes Ecclesias imperio. Quod quidem primũ sibi sumere conatus est Iohannes quidã Constantinopolitanus Episcopus, sub Imperatore Mauricio: de qua contentione permultæ epistolæ inter epistolas D. Gregor. lib. 5. 6. 7. extant. Tandẽ sub Phoca obtinuit Romanus hunc titulũ vniuersalis Episcopi: quo sensim abuti magis magisq; huius sedis Episcopi cœperũt, donec occasione, primùm diuisione imperij sub Carolo magno, posteà dissidiis Principũ & nationũ, quibus fregerũt potẽtiã Imperatorũ Occidentis atq; regũ aliorũ, se in illã, quã nunc iactant, Antichristianã potentiã extulerũt, oppressâ primùm Episcoporum, deinde omnium etiam Regum, & Imperatorum potestate. Sic itaq; euertit Satan omnem clericalis ordinis salutarem obedientiam & gubernationem. Romanus enim Antichristus immediatum sibi sumpsit imperium, in omnẽ clerum, ac etiã laicos: atq; Episcoporũ, cùm boni essent,

custodiam, curam erga eorum fidei commendatos dissoluit. At quia omninò necesse est, vt singuli clerici suos habeant proprios custodes & curatores, instauranda est, vt Episcoporũ, ita & Archidiaconorum, aliorúmque omnium, quibuscunque censeantur nominibus, quibus portio aliqua commissa est custodiendi gubernandique cleri authoritas, potestas, sed & vigilantia, & animaduersio, ne quis omninò sit, in hoc ordine ἀκρέμονος.

Hactenùs Bucerus: cuius sententia, si mihi & verbo Dei & rationi magis consentanea videatur, & Ecclesiæ vtilior, quàm est illa, quam nobis tantoperè commendat, & omnibus obtrudere conatur D. Beza; ego nec ipsi, nec vlli Ecclesiæ reformatæ, me credo facere iniuriam.

36. D. THEOD. BEZA.

QVid plura? Scito nos Nazianzeno, cui notiora fuerunt, quàm cuiquam alij, mala ex hoc Episcopali gradu exorta, prorsùs assentiri; qui de isto προεδρίας gradu disserens in oratione post suum in vrbem reditum;

Propter hanc, *inquit*, res omnes nostræ iactantur & concutiuntur: propter hanc fines orbis terræ versantur in suspicione & bello, eóque surdo, & ne nomen quidem habente: propter hanc periculum est, ne ab hominibus esse censeamur, qui à Deo sumus, & ne magnum illud & nouum (*nempe* EPISCOPI) nomen amittamus: quòd vtinam neque esset præsidentia, neque loci prælatio, neque violenta præeminentia, vt ex sola virtute agnosceremur. Nunc autem dextrum hoc latus, & sinistrum, & medium, & sublimior & inferior sedes, & illa præeundi, vel eodem gradu incedendi inuecta consuetudo, multas nobis clades nequicquam intulerunt: & multos in foueam impulerunt, atque ad hircorum locum abduxerunt, non ex inferioribus tantùm, sed iam etiam ex Pastoribus, qui quùm essent magistri Israelis, hæc ignorârunt. *Et hæc quidem ille: cuius tamen seculi vitia cum ijs, quæ mox consequuta sunt, & ne sese quidem amplius ferunt, comparata, virtutes quodammodo videri possent.*

HAD. SARAVIA.

DBezam adsentiri Nazianzeno, vel Hieronymo, vel ipsi denique Ambrosio, non credo: qui ad abolitionem ordinis graduséue Episcoporum, qui eorum ætate Ecclesiam gubernârunt, nihil vnquàm scripserunt, neque cogitârunt venturos homines, qui ex eorum id conarentur scriptis faciendum adstruere. Quisquis tranquillo & defæcato animo ab illis perturbationibus, quibus hodiè immeritò cõmouentur quidam; eos, Patres non ritè accepisse, vt oportebat, dicet: & culpam malorum, quæ D. Beza recenset, non ordinum nec graduum, qui inter Episcopos & Presbyteros Pastoresue optimè constituti fuerunt, esse iudicabit; sed hominum, & illorum temporum, in quibus Ariani sua ambitione Christi Ecclesias factionibus crudelissimis repleuerant. Quemadmodùm autem malus est D. Beza Ambrosij interpres; ita est similiter & Nazianzeni, qui nihil minùs sensit quàm abolendum esse gradum Episcopi. Quæ tunc Ecclesiam vastabant mala taxat, ambitionem, turbas, odia, æmulationes, discidia, belláque ciuilia, quibus Ecclesia illius temporis adfligebatur, vererique; se ait, ne si homines de Episcopis ex operibus iudicent, ordo censeatur non esse à Deo, sed ab hominibus; & magnum illud & nouum nomen amittant. Magnum illud & nouum nomen Beza putat esse Episcopi, quod certè tunc temporis nec nouum nec magnum habebatur: sed alluſio quædam est ad illud quod legitur in Apocalypsi, ca. 2. 7. vers. *de nomine nouo, quod nemo nouit, nisi qui accepit.* Elias Cretensis in commentariis suis nouum & magnum nomen interpretatur, *Christianorum nomen, de quo Deus per Esaiam vatem ait, Qui seruient mihi, nouo appellabuntur nomine.* Sed præstat ipsum audire Nazianzenum: ipse sui est optimus interpres; & quid magnum nomen vocet, nobis dicet. In laudem Basilij ait, *Nobis magna res erat, & illustre nomen, Christianos & esse, & nominari: atque ea re magis efferebamur, quàm Gyges pala annuli conuersione.* A D. Beza meliùs diuinandum est, si velit sibi à me fidem haberi. Demus tamen per illud nouum nomen, quod ridiculè maiusculis literis fuit scriptum, innui Episcopi nomẽ: falsa hæc interpretatio magis Bezæ opinionem lædit, quàm iuuat. Duo illìc se metuere indicat Nazianzenus. Primum, nè qui à Deo erant, crederentur esse ab hominibus. Credidit ergo Nazianzenus, Episcopos esse à Deo, non ab hominibus. Alterum, de quo non minùs solicitus erat, fuit, nè magnum illud & nouum nomen Episcopi amitteretur. Solicitudo quæ homines remordet, est rerum magnarũ, aut quæ tales nobis videntur, cura: nè aut amittamus, si eis potimur; aut ne consequamur, si caremus. Retinere igitur voluit Nazianzenus Episcopi nomen, quod amittere metuebat.

At

At illud D. Beza abolere, quantum potest, conatur. Vnde apparet, quomodo cum Nazianzeno sentiat, & quàm appositè ad suæ opinionis defensionem eum adlegauerit. Sed & mihi dilemmate hoc caput claudendum est, quo ipse contra me vtitur. Si Nazianzeno assentitur D. Beza, de qua re mecum contendit? Sin verò ab illo dissentit, quod sanè facit, quo iure illius testimonio aduersùm nos vtitur?

HAD. SARAVIA.

De vno Episcopo in vna diœcesi.

CAPVT XXIIII.

POst quàm docuimus illud Ecclesiæ regimen esse institutum à Deo, in quo Pastores parent Pastoribus, & Presbyteri subsunt Episcopis; videndum nobis est, nùm vna Ecclesia aut Diœcesis non recipiat duos aut plures Episcopos eiusdē dignitatis & potestatis. Hierosolymitana Ecclesia duodecim Apostolos, & septuaginta duos Euangelistas, cum Prophetis habuit Episcopos: & multis exemplis probari potest, vnam Ecclesiam duos habuisse Episcopos. Epiphanius contra hæresin Arianam scribens, de Alexandrina Ecclesia, innuere videtur hunc morem illa ætate fuisse in multis Ecclesiis, vt duos simul haberent Episcopos: quando in Alexandrina Ecclesia hanc consuetudinem fuisse negat, vt duos simul haberet Episcopos. Respondeo, duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos, cum cæteris qui ad tempus manserunt Hierosolymis, doctores & Episcopos non vnius illius vrbis & gentis fuisse constitutos, sed totius vniuersi orbis. Quod ad consuetudinem quarundam Ecclesiarum attinet, quæ duos simul eodem tempore habuerunt Episcopos; qualis ille mos fuerit, & quàm rarus & extraordinarius, ex Augustini electione, qui vivo adhûc Valerio Hipponensi Episcopo, factus est Episcopus, disci potest: fuit enim factum contra decreta Niceni Concilij. Nulla est tam generalis lex, quæ exceptionem nullam patiatur, quandocunque causa subest. Scelus non est, vnam Ecclesiam plures habere Pastores eiusdem potestatis: sed an expediat, vsus docebit. Episcopi olim graues ætate, cùm scirent senectuti ætatē aliam nullā succedere, & diem obitus sui esse proximum; nominare successorem, & nonnunquàm collegam assumere solebant: ídque turbarū, quæ in electionibus Episcoporū accidere solebāt, vitandi causâ: aut quia interdū senio & morbo impediti Episcopi, munus Episcopale per se obire non poterant, eligebatur qui senis suppleret vicem, & cum eo in Episcopali throno sederet.

Exemplis vltramarinis Ecclesiæ inductus Valerius Hipponensis Episcopus, Augustinum sibi adiungi, & in suum coaptari locum, se adhûc vivo, obtinuit: quod quàm ægrè, precibus & exemplis victus, admiserit, Epistola 110. testatur; in qua narrantur acta à notarijs excepta in designatione Eradij Presbyteri successoris futuri Augustini in Episcopatu, acclamante & approbante populo: quem his verbis est alloutus. Scio quod scitis vos (*inquit*) nempe Eradium idoneum & dignum Episcopatu, sed nolo de illo fieri, quod de me factum est. Quid autem factum sit, multi scitis: illi soli nesciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem sciendi.

Adhuc in carne posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo, sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo; quod Concilio Niceno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo. *Hæc Augustinus.*

Gregorius Nazianzenus in Epistola ad Gregorium Nyssenum scribit de hac consuetudine in hac verba. Si vero quis contendat non oportere, viuo Episcopo, alium eligere, sciat hæc nihil valere contra nos. Omnibus enim manifestum est, quod non Nazianzo verum Sosimis præpositi sumus, etiamsi ob reuerentiam Patris, & eorum qui id a nobis precibus contenderunt, velut hospites præsidentiam susceepimus. *Hæc Nazianzenus. Vnde intelligitur, extraordinarium & rarum fuisse, vt duos vna Ecclesia haberet Episcopos. Huius consuetudinis fecit Epiphanius mentionem, vt ostenderet causam cur Athanasius proximè Alexandro non successerit, cùm ab eo esset designatus: nimirùm, quòd, eo superstite adhuc, creari eum Episcopũ, mos Alexandrinæ Ecclesiæ non permiserit.*

Nam hoc & Episcopi & populus persuasum habebant, vnam Ecclesiam vnũ tantùm admittere Episcopum. Quandò contrà factum est, necessitas, quæ legem non habet, id excusat. Cùm Constantius precibus nobilium matronarum Liberium Episcopum ab exilio reuocâsset, & eum vellet simul cum Fœlice, qui ei fuerat surrogatus, Ecclesiam Romanam regere; populus auditis literis Imperatoris, illis irrisis vno ore vociferati sunt, vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus.

Cyprianus de legitima electione Cornelij; Cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est; non iam secundus, sed nullus est. *Ignatius qui ætatem Cypriani præcessit, & secundus vel tertius ab Apostolis Episcopus Ecclesiæ Antiochenæ numeratur, dona vnius Dei quæ in Ecclesia sunt, ad vnitatem reuocans, ita scribit:* Vna est caro Domini Iesu, vnus eius sanguis, qui pro nobis effusus est, vnus item panis omnibus confractus est, & vnum poculũ vniuersis distributum est, vnum est altare toti Ecclesiæ, & vnus Episcopus cum Presbyterorum collegio, &c. *Patrũ hæc fuit ratio, quòd vnum Deus voluisset in veteri testamento esse summum sacerdotem: cui, quamdiũ viuebat, surrogari alius non poterat, nisi fortè tetro scelere vitam suam contaminâsset, aut casu incidisset in morbum immundum, aut mutilationem corporis, quæ ipsum ineptum obeundo muneri sacerdotali redderet. Quod, etsi sacramentum in se contineret, cui hodiè locus in Ecclesia relictus non est, politia huius sacramenti, quæ separari ab eo potest, non est contemnenda Christianis.*

Si quis dicat, hac ratione Episcopi Romani tyrannidem in omnes Christi Ecclesias posse defendi, rem non rectè accipit: plurimum enim interest inter præfecturam vnius gentis & regionis, ac totius vniuersi orbis, quam latissimè patet in omnes Christi Ecclesias, vbicunque illæ sint, summum imperium. Nulli vni Apostolo totus orbis commissus fuit. Petro Apostolatus circumcisionis obtigit, & Paulo præputij: sed ita tamen, vt socios non excluderent, nec collegas eiusdem secum potestatis. Iacobus Iudæorum fuit Apostolus, qui Hierosolymis & in Iudæa degebant: Petrus eorum qui dispersi inter gentes erant. Paulus verò inter Græcos Asiæ & Europæ suum Apostolatum circumscripsit, reliquas orbis partes relinquens cæteris Apostolis. Si sua prouincia Roman. Episcopus contentus fuisset, nemo eum impiæ tyrannidis accusaret.

Deindè,

Deindè, cùm constet traditiones Apostolicas, quod Ecclesiæ regimen attinet, & ipsius externam politiam, ex veteri testamento ab ipso Seruatore nostro, & postea ab Apostolis fuisse desumptas, quantum temporum & loci gentísque cõditio ferebat; reprehensione vacat, si ex eodem fonte Patres mutuati videntur ad Ecclesiæ ædificationem politicas quasdam constitutiones. Hinc Hieronymus ad Euagrium sic scribit. Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.

Dico igitur, singulis diœcesibus ac parochijs, quæ veluti vnam ciuitatem constituebant, rectè singulos fuisse ordinatos Episcopos: & similiter toti vni genti ac prouinciæ, vnum siue Patriarcham, siue Archiepiscopum, siue Primatem, aut Metropolitanum eum voces, optimo exemplo, & diuino consilio fuisse à Conciliis & veteribus designatum. Sed vt semel hanc disputationem concludam; ex his quæ dixi de Euangelij Ministeriis à Domino institutis, & ab Apostolis, qui sequuti sunt, Ecclesiæ relictis, Patrúmque & Conciliorum vnanimi consensu, & totius Ecclesiæ vsu, cognoscere quiuis potest; Humanum non esse illud regimen, in quo Presbyteri parent superioribus Episcopis, & Episcopi suis Patriarchis & Metropolitanis; sed diuinum, atque à Deo, tam in veteri, quàm in nouo testamento institutum.

1. D. THEOD. BEZA.

NObis quoq; non placet πολυκοιρανία, sed vicissim displicèt tyrannis. Mallem autem de istarum διοικήσεως origine & distributione, quàm de vnitate Episcopali in vna diœcesi retinenda, id est, de re satis per se nota, disseruisses: quod quùm maximè ad rem faciat, conabor, quàm breuissimè potero, explicare.

HAD. SARAVIA.

QVum ad 24. cap. tractatus mei D. Beza respondere deberet, ad origines & distributiones diœceseôn orationem conuertit. Mihi vehementer dolet, hominẽ senem tanti nominis & eruditionis hoc modo rhetoricari, & in locum communẽ excurrere, & in optimum & sanctissimum Episcoporum Archiepiscoporum, & Patriarcharum ordinem declamare: quo fructu, & qua Ecclesiæ vtilitate, iudicent alij. Nihil enim hîc æquus lector inueniet præter maledicta in Patres, & Patrum optimè constitutam Ecclesiæ gubernationem: in quos nemo Christiani nominis hostis acerbiùs loqui posset, cui non tam in ipsum Episcoporum ordinem, quàm in ipsum Christianismum debacchari certum esset, quàm hîc factum est. Ammianus Marcellinus homo ethnicus, æquiorem iudicem se præbuit Episcoporum in lib. 27. suæ historiæ: vbi refert, *contentionem inter Damasum & Vrsacium de Episcopatu, & vno die in Basilica 130. cadauera interemptorum inuenta; nec se mirari ait, si ob impetrandum Episcopatum contenderent, cùm id adepti futuri felices videbantur.* Narrat luxum in vestiũ splendore, & in epulis: creditque *esse beatos potuisse, si magnitudine vrbis despecta, ad imitationem Antistitum quorundam prouincialium vixissent, quos* (inquit) *tenuitas edendi potandíque parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini, verísque eius cultoribus vt puros & verecundos commendabat.* Nouerat ille naturæ ductu discrimen inter hominum statum & conditionem, & eius abusum: quæ, contrà quàm decet theologum, Beza confundere videtur vt sophista, & ab ipsa re ad rei abusum digreditur, vt rem in odium atque inuidiam vocet.

Defensionem improborum ego non institui. Sed hoc audeo dicere, quòd quo celebriores illa ætate fuerunt Episcopi, magis conspicui vniuerso orbi fuerunt eorum etiam næui. Si omnes ij, quorum vitam contaminauit ambitio aut auaritia, conferantur cum illis, quos virtus commendabat sua (orthodoxos intelligo) pauci illi fuerint, præ istis. Augustinus de moribus Ecclesiæ contra Manichæos ita habet. *Neq; tamen ita se angustæ habent Ecclesiæ Catholicæ mores optimi, vt eorũ tantùm vitas,*

quas commemorauí, arbitrer esse laudandas. Quàm enim multos Episcopos, optimos viros, sanctissimósque cognoui, quàm multos Presbyteros, quàm multos diaconos, & huiusmodi ministros diuinorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est, eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentissima seruare. Non enim sanatis magis quàm sanandis hominibus præsunt, &c. Plura si lector requirit, indè petat. Quo Episcoporum gradus honoratior tunc fuit, pauciores cum ambiuisse dicet, qui historias illorum temporum diligentiùs euoluet. De qua re August. Epist. 204. ad Donatum scribit. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit, & tamen tam multi vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, perducũtur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ volunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Quùm hæc ita se habere non ignoret D. Beza, vellem moderatiore stilo vsum: nè lector ex paucis malis Episcopis multos bonos æstimet, qui simul cum malis permixti eadem ætate vixerunt. Et hæc vice Antidoti præfari volui, contra responsionem Dom. Bezæ ad 24. cap. tractatus mei.

2. D. Theod. Beza.

ILlud igitur constat, Christum sancto suo Spiritu, suos illos tredecim verbi sui saluifici per vniuersum terrarum orbem latores designatos, ita direxisse, vt nullâ humanâ regulâ, sed prout ipsi libuit, modò his, modò illis Euangelij annunciárint, adeò vt ne hoc quidem fuerit in ipsorũ arbitrio semper positũ, Act. 17.2. & 16.6. 7. & 10. Ro. 1. 13. Falluntur ergo, qui cõmentitijs, absurdis, & indignissimis, nescio quibus, Petrum successorum ementitorum Epistolis sponte decepti, suam illam, quam vocant, Hierarchiam, ab ipsis Apostolis repetunt.

Had. Saravia.

DE Apostolis quod adfert Beza, credendum quantum verbo Dei & ex sacra historia probat: quæ vbi nos deficit, ad historias Ecclesiasticas recurrere nemo prohibet. Et quamuis scriptoribus illis humanitùs quædam exciderunt, vnde eorum scripta æqualem scriptis Apostolis non possint habere authoritatem; tanquàm fabulosa reijcienda non sunt. Ementitæ illæ Epistolæ, quæ circumferuntur sub nomine successorum Petri, seipsas reuincunt falsi. Vnde consequens non fit, illos homines, quorum nominibus authoritas Epistolis quæsita est, non fuisse: imò quod notum esset, illos fuisse, & magnæ authoritatis, & Apostolorum successores, idcirco sub eorum nomine, mundo ab impostoribus sunt obtrusæ. Quis nisi Christianismi hostis neget successionem Episcoporum Hierosolymitanorum, à Iacobo deductam; similiter Antiochenorum, ab Euodio; Alexandrinorum, à Marco; Romanorum, à Lino vel à Clemente? atque ita de aliis pluribus Ecclesiis, quas ab Apostolis fluxisse consentiens omnium Patrum, qui fuerunt ante nos, firmauit authoritas. Parùm enim referre arbitror à quo Apostolorum isti fuerint constituti, siue à Petro, vt Marcus, & Euodius, & Linus; siue à Paulo, siue à Barnaba; modò hoc maneat, quod certum est, ab Apostolis fluxisse. In nomine Apostoli error, veritatem successionis non tollit.

3. D. Theod. Beza.

TOtus enim ille ordo Diœceseôn, & Metropoleôn, non tamen qualis nunc est deprauatus, ad exemplar Romani imperij fuit efformatus: nempè quòd multiplicatæ per omnes prouincias Ecclesiæ, neque ad communia capienda consilia, quibus semper opus fuit, conuenire, neque communi per omnia consensu regi posse viderentur, nisi certa quædam regendorum inter ipsos cœtuum, quas Synodos vocârunt, ratio & forma constitueretur. Quinam vero facilius, vel vnibus conuenirent, quàm quos ipsa vicinitas, eadem lingua, iidem maxima ex parte mores, & mutua in rebus ciuilibus commercia copulabant?

Had. Saravia.

PRæcipuarum ciuitatum fuit Apostolis etiam præcipua cura; quòd indè ad totam viciniam facilius doctrina propagari posset: vnde etiam factum est, vt non nisi selecti & eximij viri illis præficerentur Ecclesiis; sicut Hierosolymis factum constat. Quocirca nihil absurdi dicunt, qui Metropoleôn habitam rationem, etiam ab ipsis Apostolis scripsêre. Quamuis enim nonnulli nescio quas fabulas flaminum & archi-

archiflaminum, adſuere veritati nihil puduerit; authoritati veræ hiſtoriæ id nihil derogare debet. Qui à veritate, quæ ſatis aliunde nota eſt, diſcernere quæ fabuloſa ſunt, nequit, hiſtorias cum fructu legendi, non tenet rationem.

4. D. Theod. Beza.

Hoc igitur proculdubiò primùm cœpit, poſt ordinem inter eiuſdem oppidi & vicini territorij Preſbyteros poſitum, de quo diximus, illa Epiſcopatuum in diœceſes diſtributio, & vrbium quarundam auctoritas: in quibus conſtituti fuerunt qui initio primi Epiſcopi, & poſteà Archiepiſcopi & Patriarchæ ſunt appellati. Neque verò magis exiſtimandum eſt, hunc externum ordinẽ fuiſſe initio humani generis: pagi enim ex familiis, & ex pagis vrbes, & ex vrbibus ciuitates ipſæ, ſuadente naturâ, & neceſſitate flagitante, ſenſim coierunt, aliis aliorum exemplum ſequutis. Sicut autem Gentium vocatio, quæ in Oriente poſt Macedonum imperium Græco ſermone, pleræque omnes vtebantur, & quas omnes propterea Paulus Græcos appellat, ab Oriente ad reliquas mundi plagas tranſiit: ita etiam hinc primùm cœpiſſe iſta Diœceſeôn, & Metropoleôn diſtinctio videtur, quod & illæ Græcæ voces demonſtrant. Cæterùm ſtante quoque Rom. Repub. erant prouinciæ in Diœceſes, quaſi gubernationes dicas, id eſt, certa ſpatia diſtributæ, in quorum præcipuis vrbibus Præſides conuentus ſuos agebant, quæ liceat etiam fora appellare: cuiuſmodi nouem Plinius in Aſia propriè ſic vocata numerat, quarum quinque in Apocalypſi recenſentur: in quibus nimirùm Aſiæ Præſes populis ius dicebat. Metropoles autem initio quidẽ dictæ ſunt apud Græcos, ciuitates, ex quibus deductæ fuiſſent aliquandò coloniæ: quæ appellatio poſteà penès celeberrimas & frequentiſſimas prouinciæ ciuitates manſit, quaſi materna quadam auctoritate eminentes: quam dignitatem poſteà principes, arbitrio ſuo, quibus voluerunt, conceſſerunt.

Had. Saravia.

Qvi ſemel veræ hiſtoriæ ſeriem deſerit, in viam veritatis hiſtoricæ non facilè redire poteſt. D. Bezæ quia propoſitum eſt, ſucceſſionem primorum Epiſcoporum, tanquam fabuloſam abrumpere, nè ſuam originem referant ad Apoſtolos, ad vrbium ſtatum & dignitatem recurrit, vt ex iis Epiſcopos & Archiepiſcopos deriuet: quaſi huius rei curam neglexerint Apoſtoli, & adeò incogitantes fuerint, vt quid ciuitatum vrbiúmque ordo, & natura prouinciarum & gentium poſtularet, non viderint. Proſpexerant Hieroſolymæ, vt tanta vrbs & ipſius poſtulabat vicinia: & ex Actis & Epiſtolis Apoſtolicis aliarum celebrium vrbium parem habuiſſe curam, & crebriùs in illis conuerſatos fuiſſe, quàm alibì ſatis apparet: vnde conſequens quoque eſt, ibi præſtantiores quoque conſtituiſſe Epiſcopos. Quæ vrbes fuerint Epheſus, Corinthus, & Antiochia, notum eſt. Quicquid ab ipſo naturæ lumine proficiſcitur, Deum habet authorem. Multa ſunt ab Apoſtolis relicta in Eccleſiarum arbitrio, de quibus ſuperfluum fuiſſet tradere præcepta; quùm ex verbo Dei ſcripto, & ex ipſa naturæ lege à quouis ea poſſint percipi.

5. D. Theod. Beza.

In oppido igitur cuiuſque Diœceſeos præcipuo, primus Presbyter, qui poſteà periculoſâ & damnoſâ catachreſi, Epiſcopus vocari cœpit, in quotidiana cõmuni iuriſdictione præerat cæteris tũ vrbanis tum aliis eius regionis compresbyteris, id eſt, toti Diœceſi. Quoniam autẽ regio latiùs interdum patebat, quàm vt commodè in vrbem conuenire omnes quauis occaſione poſſent, & inſpectione quoque communi egebant aliæ vrbes modicæ, itidémque vici & caſtella: ea quoque ſuos habebant Chorepiſcopos, id eſt, regionarios, ſiue vicarios vocatos: Metropoleos autem Epiſcopus, præter ſuam Diœceſim peculiarem, chorepiſcopis eiuſdem prouinciæ præerat: propterea tandem Archiepiſcopus, Primas, Patriarcha denique nuncupatus.

Had. Saravia.

Qvòd damnoſâ & periculoſâ catachreſi, primus Presbyter dici cœpit Epiſcopus D. Beza putat, temerè, & abſque vlla ratione id opinatur. Quo modeſtiore, obſecro, nomine, eum à compresbyteris diſcerni vellet? Quid ſi ſolus Psesbyter nominatus fuiſſet, & cæteri omnes Epiſcopi? Num tunc res meliùs habuiſſet? Ego per Antonomaſiam ſic fuiſſe appellatos exiſtimo: & non tam faſtus, quàm modeſtiæ causâ, placuiſſe vocabulum, quod eſt operis & laboris, potiùs quàm Presbyteri, quod tantùm eſt honoris. Illud itaque primi Presbyteri adſumpſerunt, & hoc fratribus ſuis reliquerunt. Qua in re, nihil certè periculi, neque mali fuiſſe dici poteſt; niſi primos illos

illos Episcopos, qui fuêre Apostolis contemporanei, aut incogitantiæ aut superbiæ accusare velimus. Euodius primus Antiochiæ constitutus ab Apostolis Antistes dicitur ab Ignatio: & Episcopi Onesimus Ephesiorum, Polycarpus Smyrnensium vocantur; sicut & seipsum quoque vocat Episcop. Quotquot vsque ad hanc nostram ætatem vixerunt, nihil huiusmodi venit in mentem, quod D. Beza se putare ait. Quæ est hæc intemperies, aut stultitiæ, aut ignorantiæ omnes Patres notare, qui periculum nullum in hac catachresi potuêre videre? O felix seculum cui videre datur id, quod veterum Patrum nemo potuit! & perspicere ea, ad quæ cæcutiuêre, aut caligârunt eorum oculi!

6. D. BEZA.

ET ad primum quidem illum Presbyterum, siue Diœceseos Episcopum, quod attinet, quæ fuerit eius inter suos compresbyteros dignitas, & quibus in rebus posita, sæpe iam ostendi: totam videlicet illam, ordinis, non gradus fuisse, suam vnoquoque compresbytero siue Pastore parœciam regente, & primo illo Presbytero, siue diœcesis Episcopo, tum inspectionem in singulos compresbyteros hactenùs habente, vt eos officij admoneret, tum de rebus ad diœcesin vel morum censuram spectantibus, ad suum Presbyterium, siue statis diebus, siue extra ordinem congregatum, referente, sententias rogante, & quod cæteris visum esset pronunciante, à quo iudicio ad Synodum prouincialem prouocare licebat.

HAD. SARAVIA.

IN huius generis argumento dici quidpiam non satis est: nam vt quibusdam autopistos sit D. Beza, non est omnibus. Quomodò autem, quod sæpe se ostendisse iactitat, præstiterit, iudicent alij. Idem inculcâsse, ac centies repetiuisse fateor: probâsse, aut ostendisse quicquam, nego. Cæterùm quamuis primorum Episcoporum potestatem negem dominationem fuisse aut tyrannidem; sicut nec ea est quam hodiè retinuerunt Episcopi, qui Christi profitentur Euangelium: tamen fuisse maiorẽ, quàm D. Beza existimat; luce clarius vt demonstraui, denuo demonstrabo: nè importunè idem subindè repetenti nihil responsum videatur. Parem enim esse dixi Episcoporum potestatẽ ei, quam Timotheus & Titus habuerunt, idque communi sententia Patrum comprobaui. Sed quia contra vnanimem Patrum sententiam D. Beza Euangelistas fuisse contendit, & idcirco non fuisse Episcopos, quod ex Patrum theologia non est cõsequens, cùm Episcopus officio sit Euangelista, & suo modo Apostolus, rationes aliunde sumptas attuli.

Prima est hæc, Si nulla præcipua fuisset septem Episcoporum septem Ecclesiarum Asiæ potestas, eis peculiaris; nec præcipuam, nec peculiarem peccatorũ, quæ in Ecclesiis eorum committebantur, sustinerent reprehensionem: id autem non fit; sed tota ipsis culpa imputatur eorum quæ peccabantur: fuit igitur præcipua & peculiaris eis quædam Ecclesiæ cura commissa, ita vt cæteri penderent ab eo Presbyteri, quos par culpa damnâsset, si par fuisset eorum authoritas. Præcipua hæc eminentior potestas perspicuè ex Epistola Ignatij demonstratur ad Antiochenses, vbi legitur, *Presbyteri pascite gregem qui vobis commissus est, donec Deus demonstret eum qui vobis imperaturus est.* Ecquæ præsidentia D. Bezæ esse potest sine imperio? Quæ societas inter Ecclesiæ Ministros, nisi sit qui imperet, & qui obediat? Hîc rursùs citare ipsos Hieronymũ atque Cyprianum supersedeo; notâsse satis est.

7. D. BEZA.

CHorepiscopi verò ex Presbyteris, & ipsi (quorum primam inuenio factam mentionem in Ancyrano Concilio primo Cant. 12. & Neocæsariensi, ca. 13. & Antiocheno, can. 8.) præfuêrunt quoque, sed infra Diœcesanum Episcopum modicis vrbibus, pagis & vicis: idque profectò non soli, quùm ne Diœcesano quidem Episcopo soli quicquam agere fas esset. Quid autem & quo ordine ipsis agere licuerit, aut non licuerit, è veterum scriptis non liquet: sed hoc constat ex quadam præsertim Damasi acerbissima Epistola, itidémque Leonis primi Epistolâ 86. perpetuas inter ipsos & diœceseôn Episcopos rixas fuisse, donec penitùs expungerentur.

HAD. SARAVIA.

QVid ex his quæ recensentur in hac sectione, inferre velit D. Beza, ego nescio. Quod sentio de hac re non pudebit addere, quo Episcopos maiorum vrbiũ, qui

in

in sua diœcesi habebant Chorepiscopos, ab ambitione & tyrannide vindicē: de qua eos notare Bezæ propositum est. Patres illos abrogando Chorepiscopos nihil, meo iudicio, temerè fecisse videri debent. Compertum est vsu, hanc esse humanæ imbecillitatis prauitatem, vt in æqualitate, quam D. Beza credit esse Apostolicam, se melioribus & doctioribus æquiparare indocti, & rerū imperiti audeant, ac plus in se suscipere eis, quos vera doctrina & rerum vsus docuit modestiam. Huius rei si D. Beza propter Ponterij Genouensis vrbis exiguum modum, non habet experientiā, alij habent. Quapropter nihil Patres peccâsse hac in re iudico: sed consilio bono, villarū & ruris Episcoporum contraxisse potestatem; ne eâ (quod in villis erat facile) abuterentur. Et hanc habere authoritatem Synodos & Concilia credo, vt disponere de iurisdictione & potestate Episcoporum, & Presbyterorum, similiter & Archiepiscoporum, possint; sicut res, tempus, locúsque postulabunt.

8. D. THEOD. BEZA.

PRouincialis denique Episcopus (quæ dignitas initiò vt ex 33. Apostolico canone vocato apparet, certæ vrbis non erat, sed Metropoli postea addicta est, vt ex Antiochenæ Synodi can. 9. liquet) inspectionem in eiusdem prouinciæ Coepiscopos habuit; ad quos, eodem, quo diœceseos Episcopus in suos compresbyteros, ordine, bis vt minimum semel congregatos communibus toti prouinciæ negotiis, & eorum, qui ad Synodum prouincialem prouocârunt, controuersiis referebat, & sententias rogabat, vt quod maiori parti visum esset, decerneret. Quòd si pares fuerant Episcoporum sententiæ, tum vt Antiochena Synodus can. 14. decernit, alios aliquos ex propinqua prouincia euocabat, qui ambiguitatem cum prouinciæ Episcopis tollentes quod alteri parti visum esset, confirmarent: in qui etiam synodo Episcopus qui alicui prouinciæ loco deesset, vt & ipse Metropolitanus, creabatur: nec ab ei sententia cuiquam ab omnibus prouinciæ Episcopis damnato licuit vsquàm prouocare, vt eiusdem Concilij Antiocheni can. 15. cauetur, donec aperta tyrannis Patriarchalis, diuina & humana omnia iura subuerteret.

HAD. SARAVIA.

HOc loco nihil quod mihi aduersatur habet D. Beza, nisi quòd non satis explicat, & nimis generaliter hæc tradat, ac si Episcopi omnes controuersias ad Presbyterium, & Archiepiscopi ad Synodum, retulerint; cùm canones multa relinquerent disponenda Episcopi & Metropolitani arbitrio: de grauioribus controuersiis referebatur aut ad Presbyterium, aut ad Metropolitanum: nimirum quas per regulas Ecclesiasticas, ipsi soli finire non poterant. Præterea, appellatio erat, à Metropolitano ad Concilium Nationale, aut Prouinciale. Carthaginensis Archiepiscopus, sicut Alexandrinus, plures Metropolitanos sub se in sua prouincia habebat. Sed si hunc ordinē non improbat, sicut bonâ conscientiâ non potest; cur eum non sequitur, & ad imitandum cæteris non proponit? Sin displicet, quorsùm nos hac digressione detinet? An quia tyrannis secuta est, noua gubernandæ Ecclesiæ ratio fuit excogitanda? Quid? Adeóne diuina hæc circularis ac hebdomadica præsidentia futura est; & Presbyterium annuum adeo sanctum; vt eò astus Saranæ hominúmque malitia penetrare nequeat, nihilque indè mali metuendum? Ecquid vnquàm ab ipsa diuina sapientia constitui potuit, quo non sint homines abusi?

9. D. THEOD. BEZA.

ET hæc quidem Ecclesiarum Christianarum per Diœceses & prouincias distributio, non temerè profectò, sed prudenter & commodè, primùm à nonnullis inchoata, & deinceps expressis multorum conuentuum sacrorum decretis in vniuerso terrarum orbe confirmata: sed quibus (hominum vitio, non Patrum culpâ,) neque Satanæ ad irrependum in ipsa Ecclesiæ viscera fuit satis occlusus aditus; neque coerceri ambitio & auaritia, duæ illæ teterrimæ pestes potuerunt, vt superiùs ostendi, & nunc rursum cogor commemorare. Quid enim, vt ingenuè loquar, attinebat celebrioti quidem Diœceseos ciuitati Diœcesanum, Metropoli vero prouinciæ prouincialem Episcopatum, & eum quidem ἀδιάδοχον addicere?

HAD. SARAVIA.

DBeza mihi non sibi constare videtur; idem modò laudat, modò vituperat: & Euripi in morem, hûc illûc reciprocat. Legi & iterum relegi, & fixi nihil inuenio: quod vno loco probâsse videtur, statim tollit, & euertit. Ecclesiarum per Diœceses & prouincias

prouincias distributionem primùm factam, & continuatam, & sacrorum canonũ decretis confirmatam, tanquam prudenti consilio & commodè factum probat: *sed quibus* (inquit) *hominum vitio, non Patrum culpâ, neq; Satana ad irrependum in Ecclesiæ viscera, fuit satis occlusus aditus, neque ambitio & auaritia potuêre coerceri.*

Hîc D. Bezæ prudentiam cõpellare cogor: an credat quicquam constitui ita prudenter posse, vt caueri in futurum omnia mala possint? Ego nullum puto vnquàm Legislatorem extitisse, qui adeò accuratè legem potuerit condere, ex qua, hominum vitio, nulla mala potuerint illius prætextu in Rempublicam irrepere. Qui sumus nos, qui tot seculorum, tot sanctorum Patrum, & fidelium Christi seruorum prudentiam reprehendere audeamus? quasi nos tum Satanæ, tum ambitioni, & auaritiæ aditus omnes, nostrâ prudentiâ occludere, quod Patres nequiuerunt, queamus. Illud ipsum patiuntur qui sic iudicant, quod homines superstitiosi: qui & ab auaritia se fore immunes credunt, si proprietatem omnium rerum abiurârint: & fastum depressisse, si veste aut detritâ, aut pullâ vtantur: & fore castos, si vxores non ducant. Miror si credat D. Beza minus ambitionis hodiè minúsue auaritiæ, inter Ecclesiæ Ministros, qui hebdomadatim tantùm præsident, & quorum tenuia atq; accisa sunt stipendia: quàm olim, aut inter priscos Episcopos, aut inter eos, qui hodiè Christum profitentur, & amplos habent redditus.

Quandò D. Beza quærit, *quid attinebat celebriori Diœceseos ciuitati Diœcesanum, & Metropoli prouinciæ prouincialem Episcopatum, & eum quidem ἀδιάδοχον addicere?* Patrum prudentiam reprehendere, quam suprà visus est probare, mihi videtur. Id enim adeò prudenti factum esse à Patribus cõsilio existimo; vt emendari à nobis non possit: & toto cœlo errâsse, stultorum magistra docebit, qui plus Patribus in hac re sapere se credunt. Quid, obsecro, consuluisset D. Beza Patribus, si illorum ætate vixisset? Diœcesanos & Metropolitanos constitui in villis, & pagis, aliisque obscuris locis? Ob illas easdem causas, propter quas in celeberrimis festis & locis, vtpote Paschatis & Pentecostes, & Hierosolymis clarissima vrbe Seruator noster & docere & pati, & Sp. S. Apostolis mittere voluit, potiùs quàm in obscuro loco & tempore, potiores quoq; Ecclesiarum actiones, conuentúsque haberi, & præstantiores Episcopos præsidere, in celebrioribus vrbibus, Patres commodum & vtile Ecclesiæ iudicârunt. Illis eisdem de causis, Apostoli in magnis & famosis vrbibus potiùs diuersati sunt, quàm ruri in viculis & pagis. An adeò rerum humanarum imperiti sumus, vt ignoremus præstantiores Episcopos vrbes celebriores postulâsse, & indignum esse, vt in consiliis & deliberationibus præeant iis qui maiorem eruditionem & sapientiam à Deo acceperunt, illi qui experientiæ & doctrinæ minus habent? An hoc rationi fuisset consentaneum, vt Synodi conuenirent in viculis & pagis, vbi hospitiorum nulla est cõmoditas, aliarúmque rerum, quas hominum frequentia postulat?

Quòd D. Bezæ non probatur perpetua præfectura, nescio quid dicam. Ipsum Deum hac ratione reprehendere liceret: qui summi sacerdotis officium, non annuum, sed perpetuum esse voluit. Et certè quo inter pontifices Iudaici populi plus ambitionis, & auaritiæ fuit, crebrior facta est sacerdotum mutatio: vices in præfectura, quæcunque ea sit, non tollunt nec minuunt ambitionem aut auaritiam, sed eam magis augent. Exemplo sint annui Romanorum Magistratus; exemplo etiam sint apud Italos & Hispanos, Abbates, Priores, Præpositi, Guardiani, aliique Monachorum & Cœnobitarum Præfecti triennes. Specie humilitatis fucata laténs que superbia & ambitio persuasit hypocritis veterem & priscum mutare morem, vitandæ (si Deo placet) aut domandæ superbiæ & ferociæ in Abbatibus & aliis Præpositis colore: sed quod cauere in vno videri voluerunt, fecêre multis commune. Si perpetua præfectura cum ambitione & auaritia coniuncta est, præstat vnum ea labe infici, quàm multos; præfecturæ perpetuitate, ambitionis causâ, cum spe adempta. Sed quorsum hæc disputo, quum diuinum esse hoc institutum luce clarius demonstremus?

10. D. Theod. Beza.

Et hoc sanè præter antiquissimum illum morem factum est: si quidem, vt ex Ambrosio citauimus, alii aliis in Presbyterii regimine per vices succedebant, & in illo (pius iam citato perantiquo Canone, licèt inter Apostolicos falsò numerato, fit duntaxat primi Episcopi mentio; nullo expresso vllius sedis

sedis loco: & rectè ac sanctè scripsit Hieronymus, *delectum fuisse qui Presbyterio præesset*, non huius vel illius ciuitatis Presbyterum, sed eum, *ex omnibus Presbyteris, qui maximè idoneus videretur.* Quorsùm verò ista electio, si προεδρία certæ ciuitatis sedi erat addicta? nisi fortè tunc demum fuit isti electioni locus, quùm illius loci Episcopus esset creandus: & tunc fuerit ex communi sententia delectus, qui cæteris aptior ad vtrumque istud, nempe & suæ ciuitatis regendæ, & προεδρίας in totam Diœcesin vel prouinciã exercendæ munus aptissimus meritò censeretur. At enim hæc electio non potuit à solis Presbyteris fieri; vtpote quæ à totius Ecclesiæ iudicio in vrbanis etiam Diœceseôn Episcopis penderet. Hinc ergo manifestè liquet, futurum προεδρῶτα ex alijs Presbyteratu iam fungentibus è solo Presbyterio: & futurum primum Episcopum ex ijs qui iam Episcopatu Diœcesano fungerentur, è solis Episcopis deligi consueuisse, nulla huius vel illius loci, sed tantùm donorum, quibus aliquis ornatus esset, habita ratione.

HAD. SARAVIA.

PRæter antiquissimum morem (inquit Beza) hoc factum est. Sed hoc ei negamus, & antiquiorem nullum demonstrari eo, qui in hunc vsque diem per continuas series deductus est, posse docemus. Quod ex Ambrosio de successione adfert, iam non rectè à D. Beza Ambrosium capi docuimus, & certè ante eum nemo verbis Ambrosij hunc sensum affinxit: ante D. Bezam circularem προεδρίας successionem, nemo somniauit. Quòd in antiquo Canone primi Episcopi fit mentio, nullo expresso ipsius loco, nihil D. Bezam iuuat. Nam quod præ cæteris certæ ciuitatis Episcopus præferatur; in hoc à Deo, & Apostolis, & ab ipsa natura constituto primatu; consuetudini & humanæ institutioni tribuimus, sicut & electionem. Nam Ecclesia pro suo iure de vtroque potuit constituere, & cuius ciuitatis Episcopus primus esset totius prouinciæ; & à quibus eligeretur.

Quoties D. Beza Hieronymum citat, toties ei tria in mentem veniant oportet: Primò, morem eligendi vnum ex Presbyteris, incepisse Apostolorum temporibus; & ab ipso Marco; nec vnquàm eum morem, quem credit præcessisse, & contendit esse antiquissimum, ibi in vsu fuisse: deindè, omnes Presbyteros illos, qui vnum ex suo eligebant collegio, fuisse doctores & perpetuos: tertiò, gradu superiore cæteris compresbyteris Episcopum fuisse constitutum: quorum nihil in Geneuensi reformatione inuenitur.

Præterea non sumus docendi, quid factum tunc oportuerit; & à quibus electio fieri debuerit: sed ex historiis & Synodorum decretis, quid sit factum, & quod fuerit Patrũ iudicium demonstrandum: in qua re vacillat D. Bezæ memoria & iudicium. Aptissimi ad illum primatum, omnium iudicio crediti sunt, magnarum illarum ciuitatum Episcopi. A quibus autem potuerit, aut debuerit electio talis Episcopi fieri, seriò disputatur à nobis, qui tot seculorum & locorum interuallis, ab illis locis & temporibus distamus. Patres qui illa ætate vixerũt nôrant, quid in primis esset ex vtilitate ecclesiæ: non sunt in hac re incertæ cõiecturæ sequendæ; sed historiarum fides & Conciliorũ: ex quibus discimus Primates & Archiepiscopos electos fuisse ab ipsius prouinciæ Episcopis, cum clero Ecclesiæ vrbis Metropolitanæ. Certũ hoc est, ante tempora Constantini, sub maximis persecutionibus, Antiochenæ, Alexandrinæ, Carthaginis Ecclesiarum Episcopos habuisse latissimas prouincias curæ suæ commissas. Ipse Cyprianus adserit, amplam prouinciam sibi esse subiectam: *habet enim* (inquit) *Numidiam & Mauritaniam sibi cohærentes.*

Et Greg. Nazianzenus in oratione in laudem Cypriani ait, *Cyprianum non solùm præfuisse Ecclesiis Carthaginis & Africæ, sed & Hesperiæ vniuersæ, imò Orienti ferè ipsi, ad finem vsque meridiei & Septentrionis.* A quibus autem Cyprianus fuerit electus, & quomodò, ex ipsius Epistolis & inprimis lib. pri. quartâ disci potest; in qua morem sui seculi creandi Episcopos narrat his verbis. *Diligenter* (inquit) *de traditione diuina & Apostolica obseruatione seruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per prouincias vniuersas tenetur: vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant: & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vnius cuiusque actum de eius conuersatione perspexit: &c.* Quod de electione Sabini scribit, quis dubitat in Cypriano fuisse obseruatum? Vnde apparet non tantùm à Presbyterorum collegio fuisse creatos Episcopos, sed ab omnibus vicinis quotquot conuenire poterant: de qua plu-

res

res extant canones.

Niceni concilij can. 4. Episcopum vult ab omnibus, qui sunt in prouincia, Episcopis ordinari. Ex quibus constat quo celebrior erat ciuitas, plures ad electionem noui Episcopi vicinos Episcopos conuenire solitos. Donorum autem habitam rationem constat ex Episcopis, qui ferè semper maioribus vrbibus præfuerunt. Historiæ extant sanctorum Episcoporum & Archiepiscoporum, Basilij magni, Gregorij Nazianzeni, Nectarij, Iohannis Chrysostomi, & aliorum; ex quibus, si qua fides est historiis, cognosci potest, à quibus Episcopi & Archiepiscopi fuerint creati; & ex Diœcesanis, eligere Archiepiscopum, per canones non fuisse illa ætate integrum, notum est: vt miret D. Bezam ita perplexè & dubitanter de hac re scribere.

11. D. THEOD. BEZA.

SEd vt hoc ritè fieri semper potuisse concedam, & semper delectum qui verè fuerit ad hæc idoneus, quàm tamen fuit periculosum istam προστασίαν facere ἀδιάδοχον? Nimis enim semper verum illud fuit, *Honores mutant mores.* Et quamuis huic malo promptum & aptum remedium constitutis prouincialibus Synodis, constitutum iam tum videatur: tamen quùm à Presbyterij vrbani iudicio ad consessum prouincialem ex solis Coepiscopis prouinciæ compositum prouocaretur; mox ostendit experientia, conniuentibus ac interdum etiam coniurantibus & Compresbyteris & Coepiscopis, sic tandem illo malo peius euasisse illud Synodorum remedium.

HAD. SARAVIA.

MIrum est tantum virum non videre contra quos hæc dicat, & non hominũ tantùm, sed Dei reprehendere iudicium, cui se, & suas cogitationes submittere deberet. Nam hæc προστασία ἀδιάδοχος in veteri populo à Deo fuit mandata, qui nullas temporarias dignitates vnquàm cõstituit, nec in re ciuili nec Ecclesiastica: vndè primam suam habet authoritatem, quæ posteà & in Apostolis à Domino confirmata fuit, deindè per manus Ecclesiæ tradita, vsque ad nostram ætatem peruenit.

Præterea miror oblitum eorum, quæ longa circuitione disseruit, sect. 26. 27. 28. & 29. c. 23. vbi concludit mutationem, quam credit factam, in tribus fuisse positã: quæ tria ibi videre licet. Neque in illis quicquam esse, quod reprehendi possit, fatetur, habita causarum huius mutationis ratione, quas Hieronymus & Ambrosius expressêrunt: hîc verò illa omnia damnat, propter tyrannidem quæ secuta est. Si ab effectis, quæ casu & malitiâ hominum posteà proueniunt, de re quauis iudicandum est, & non ex ipsius rei natura, & commoditatibus, quas res bona naturâ suâ adfert, rectè argumentatur D. Beza: sin totum hoc argumentandi genus, à bonis & doctis omnibus improbatur, hoc totum argumentum, tanquàm nulla refutatione dignum, si præterirem, nullam ei facerem iniuriam.

Postremò, vnde didicit D. Beza consessum prouincialem ex solis Episcopis prouinciæ compositum fuisse? cùm innumeris exemplis contrarium constet esse verum, & Presbyterorum ac diaconorum non paruum numerum Conciliis & Synodis interfuisse. In Antiochena Synodo Episcoporum atque Presbyterorum, penè innumerorum consensu, Samosatenus à Malchione Presbytero detectus, & impij sui erroris cõuictus, suo Episcopatu deiectus fuit. Et Epistola, quæ à Concilio ad vniuersæ Ecclesiæ Episcopos, Presbyteros & Diaconos scripta & missa fuit, nomina præfert tã Presbyterorum & Diaconorum, quàm Episcoporum. Quàm autem vtile & bonum fuerit Synodorum remedium, exemplum illius celeberrimæ Synodi, in qua Samosatenus depositus fuit, euidentissimè demonstrat.

12. D. THEOD. BEZA.

SIc Samosatenus ille teterrimus hæreticus, vix tandem est, quamuis bonis inter se consentientibus Episcopis, Antiochiâ deiectus, nec vnquàm cessurus, nisi extra ordinem, & admirabili Dei prorsùs prouidentiâ, Romani Imperatoris, quantumuis prophani, auctoritas interuenisset: vt Athanasij certamina, Theophili Alexandrini arrogantiam nunquàm correctam, Valentes, Vrsacios, Chrysostomi expulsionem, Nazianzeni spontaneam abdicationem, Dioscorum homicidam, & tamen in suo throno permanentem, Nestorium, Macedonium, Phocium, vix tandem damnatos & extrusos; totam denique ad nostra vsque tempora, in quibus horribilis hæc tyrannis ad suum fastigium peruenit, historiam Ecclesiæ præter-

prætermittam. Hæc enim omnis calamitas vnde tandem, nisi ab his duobus erratis, orta est? nempè quòd ista προεδρία, quam, vti diximus, optimo iure penitùs sublatam optabat Nazianzenus, certis ciuitatibus addicta, & perpetua constituta, primùm quidem in gradum superiorem, mox ab hoc gradu in horribilem istam tyrannidem conscendit; vnde ne nunc quidem rationibus nec vi deturbari potest?

HAD. SARAVIA.

IN iuuenili declamatione causâ exercitij hoc argumentationis genus locum habere potest. In re seria, & tanti momenti, inter theologos, in medio Ecclesiarum argumentari, à personarum improbitate & malitia, ad personarum statum & conditionem euertendam; nec grauitatem ætatis D. Bezæ, nec rerum experientiam, nec eruditionem variam decet. Nam si hoc detur, non dicam Reges, & summos quosuis Magistratus, quibus constant Regna & Respublicæ, sed nec ipsum Bezam tueri suum locũ posse. An putat deesse exempla improbitatis Pastorum Ecclesiarum nostrarum, quæ obiiciantur nobis? Si nulla D. Beza habet, ego habeo. Quorsum ea cõmemorem? Distributionem Prouinciarum, constitutionem Metropolitanorũ, & Patriarcharũ, optimo zelo factam, in sua fidei confessione D. Beza agnoscit: qui zelus certè dici optimus non potuit, si destitutus scientiâ fuit; & Patres Niceni Concilij, quique præcesserant, & sequuti sunt, ad multa secula, inter eos numerandi sunt, qui zelum quidẽ Dei habent, sed non secundùm scientiam. Patrum illorum si maior apud me sit, quàm Bezæ authoritas, & quæ de Patriarchis & Archiepiscopis constituerunt, meliori consilio, & prudentia maiore, quàm vt à Beza aut vllis eorum posteris queat emendari, aut debeat reprehendi, factum si iudico, nemini nostræ ætatis scriptori facio iniuriam.

Paulum Samosatenum quod attinet, qui circa annum 270. vixit & ab Euodio decimus quintus fuit, malè producitur; vt qui à ratione Patriarchalis potestatis inciderit in errores impios, & ad tyrannidem ea sit abusus. Quid indè obsecro efficere vult D. Beza? Vnus inter sedecim Archiepiscopos Antiochenos, Samosatenus προεδρίαν est turpiter ad tyrannidem, & ad peruertendam doctrinæ Christianæ puritatem, abusus: ergo Archiepiscoporum & Patriarcharum ordo abolendus est. Quidni & eadem ratione Apostolorum cœtum improbet, quòd inter eos, qui numero tantùm erant duodecim, vnus Iudas Domini sui proditor inuentus est? Vnus Samosatenus gloriam tot sanctorum Patrum, qui ferè omnes martyrio Deum glorificauerunt, sanctè & moderatè administrati Episcopatus, poterit extinguere? Tamen quæcunque tyrannis Samosateni fuit, non nisi timidè suum effundere virus ausus est: Tergiuersabatur ille, & suum errorem, quibuscunque poterat offuciis pingebat, atque tegebat. Manichæus, Cerinthus, Marcion, Montanus, Apollinaris, Arius, Eutyches & Pelagius, aliique qui nec Patriarchæ, nec Episcopi fuêre, apertiùs longè & impudentiùs suos errores propugnârunt. Consensus Archiepiscoporum & Episcoporum in condemnatione Samosateni tantus fuit; vt is sufficere debeat, ad omnem abolendam, si quam illi ordini potuit aspergere, maculam. At cedere nolebat, nec ædibus suis exire, nisi interuenisset imperatoris authoritas. Magna res, & digna tyrannidis nota; quæ in abiectissimo quouis Ecclesiarum nostrarum ministello etiam hodiè inueniri potest.

Ecquid illud est quod sequitur de Athanasij certaminibus, de Theophili Alexandrini arrogantia, de Valente & Vrsacio, de Chrysostomi exilio, de Nazianzeni spontanea abdicatione, de Dioscoro homicida, de Nestorio, Macedonio, Phocio, damnatis & extrusis? An ab huius generis calamitatibus, nostri temporis Ecclesias, quæ nullos habent præsides, nec seniores perpetuos, D. Beza credit fore immunes? Mihi vehementer dolet, tanti nominis virum in re tanti momenti, tam imperitè rhetoricari. Quid enim hîc habemus præter calumnias in Patres, qui hîc simul omnes boni cum malis eodem aceto perfunduntur? Mihi autem multum negotij, lectori vero tædij, singulorum, qui hîc recensentur, historiarum vitæ narratio attulerit; vt demonstrem quicquid Patribus illis euenit, non ab Episcopatus gradu, & authoritate processisse, sed ab hominum malitia. Quæ hodiè cùm minor non sit, quàm fuit olim; paria omnia in nostris Ecclesiis, quandocunque Deo visum erit, peccatis nostris demerentibus, Satanæ fræna laxare, & longè atrociora iis, quæ tẽporibus illis facta legimus, sunt expectanda. Quorsum hîc mentio fit Athanasij? Quid ille in Archiepi-

scopatu peccauit? Illum tyrannidis insimulari non puto à D. Beza; vtpote qui tyranidem nullam exercuerit, sed aliorum etiam crudelitatem pertulit. Sed a quibus illatam? A collegis, à Valente & Vrsacio, ab Ario & Arianis, qui gradu eo inferiores erant. Omnium illorum malorum Ariana hæresis causa fuit, non Archiepiscopatus. Valuit quidem illa Archiepiscopalis authoritas defendendæ veritati fidei, & furoribus Arianorum comprimendis; non inferendis cuiquam iniuriis. Quòd tandem ab Episcoporum multitudine oppressus, & multa passus est Athanasius; argumentum est, tantam non fuisse Archiepiscoporum potentiam, vt non potius vim pati, quàm inferre potuerint.

Duos deindè proponit Archiepiscopos, Theophilum Alexandrinum, & Iohannem Chrysostomum: quorum alter malus, alter bonus; non conditionis Archiepiscopalis vitio, sed cuiusque propria virtute, aut peccato. Quod & inter eos inuenietur, qui non secùs propter exigua decertant ministeriola, quàm de regnis. Res quæ in locis obscuris, & ab hominibus obscuris fiunt, latent: quæ in clarioribus locis & à magnis viris, patent. Quid Valentis & Vrsacij dissimulatio, & artes aulicæ ad præsentem quæstionem faciant, non video. Circulares Episcopi eadem illa peccare possunt, quæ de istis narrant historiæ. A Patribus qui conuenerant Arimini, Valens & Vrsacius propter Arianam hæresin ab Episcopatu fuerunt abdicati: sed simulatâ pœnitentiâ restituti, Patres fefellerunt; quos & apud Imperat. insimulârunt, quòd Imperatori parêre recusarent; & pacis oblatas conditiones nullas admitterent. Quid indè sequitur? Idnè vitio factum est Episcopalis gradus? An non idem nebulones ad turbandas Ecclesias nati, qui Episcopi non sunt, moliri poterunt? Id circularis præsidentia prohibebit scilicet.

Chrysostomus Archiepiscopus, ab aliis Episcopis & Archiepiscopis expulsus fuit, procurante id Imperatrice, & iubente Imperatore: quod certè tyrannidis Archiepiscopalis sedis infirmitatem euincit; & malè huius mali causa adlegatur. Quod iniuriam attinet, ea non tanta fuit, vt hebdomadicus præses, ab hebdomadicis præsidibus, parem non posset accipere.

Nazianzeni verò spontanea abdicatio, quid habet ad hanc controuersiam momenti? Non carebat ambitionis suspicione, apud eius æmulos, quòd relicta minore Ecclesia, ad maiorem se transtulerat. Sosimorum fuerat creatus Episcopus: sed diù ibi non mansit, propter dissensiones ciuiles & molestias ipsius otio & studiis inimicas: indè igitur, alio in eius locum substituto, migrauit. Pòst, authoritate, ac reuerentiâ Patris, amicorúmque precibus victus, Patri in administranda Ecclesia Nazianzena iunctus fuit: quo mortuo, iuit in Seleuciam, suffecto Eulalio in Gregorij Patris locum. Et indè Constantinopolim ab orthodoxis accersitus se transtulit, ac ibi contra Arianos 12. annos docuit, sine Episcopi nomine: tandem, electis Arianis, à Synodo centum quinquaginta Episcoporum, & Miletio Antiocheno Patriarchâ, Episcopus & Patriarcha Constantinopolitanus constitutus est. Sed postquàm audiuit ab Episcopis, qui in eius electione præsentes non fuerant, in dubium eam vocari, contendere homo quietis & otij amans noluit: conditionem sibi oblatam tanti ponderis sarcinam deponendi lubens accepit, nullo certè Episcopalis gradus odio; sed vt ipse testatur, quòd imbecillitas corporis ipsius ferendo oneri illius Ecclesiæ longè esset impar. Si illa ætate quispiam cessionem illam throni Constantinopolitani, interpretatus esset, vt D. Beza interpretatur, id nunquã tulisset. Non defuerunt illa ætate qui molestè ferrent, eum non fuisse ab Episcopis in locũ Patris sui surrogatũ: cuius rei culpam, cùm nonnulli in Episcopos coniicerent, tanquam id odio ipsius, aut cõtemptu factum esset; id non tulit: sed Episcopos excusauit, & Gregorio Nyceno de hac re scripsit in hunc modum.

Contra nos verò nè quis mendacia confingat, hortor, neque contra dominos Episcopos, tanquàm nobis inuitis, alium designârint Episcopũ: non enim adeò ab ipsis despecti sumus, neque adeò inimico aduersùm nos sunt animo. Multis precibus propter enectam meam imbecillitatem, simul & oneris Ecclesiæ neglectæ metum, hanc mihi ab ipsis fieri gratiam postulaui, canonibus minimè contrariam, & nos refrigerantẽ, vt Ecclesiæ daretur Pastor, &c. Si quis putat, viuo Episcopo, aliũ non esse ordinandũ, nouerit ea lege nos non teneri. Quamuis enim ad paruũ tempus, Patris reuerẽtiâ, & precibus eorũ qui nos rogauerunt, moti, tanquã

hospites

hospites præsidentiam suscepimus, omnibus manifestum est, quod Sosimis non Nazianzo fuerimus præpositi. Hæc ille. Quamuis ab ambitione Nazianzenus maximè esset alienus, suspicione non vacabat, quòd relictis Sosimis & Nazianzo, in sublimiorē cathedram se collocari esset passus. Sed re ipsa demonstrauit falsos fuisse Episcopos: & quod in ea re cessisset Imperatori, & suorum collegarum suffragiis, contra animi sui institutum & desiderium abhorrentis à turbis, & appetentis otij.

Fateor quidem (vt ipsius verbis vtar) Episcoporum φιλονεικίαν καὶ φιλαρχίαν non fuisse nullam. Sed quid? An nullam hodiè inter Ecclesiarum Pastores esse putamus, quæ tanto turpior est, quo causa est minor? Faxit Deus vt nulla sit. Quàm facile est de humanæ naturæ innata prauitate disserere, tam est difficile eam in se quemque agnoscere. Malorum Episcoporum improbitati illius seculi, opponenda est bonorum pietas & eruditio, qui illa ætate floruerunt: quales fuêre Basilius magnus, Miletius, Athanasius, Gregorius Nyssenus, & alij plures. Itaque quietis & otij amans Nazianzenus, homo valetudinarius, qui vt de se, non vno in loco fatetur, animam trahebat, nec corpore suo vti poterat, vltrò cessit: non quòd crediderit, aut humanam, aut diabolicam, Archiepiscopalem, Patriarchalemuè eminentiam esse inuentionem. Si quis hodie pacis studio, in Ecclesiis nostris oblatam occasionem cedendi ministerio suo arriperet, ne cum collega morosо & iracundo contenderet; aut propter valetudinem & imbecillitatem corporis, aut propter vtrunque; id nemo rectè interpretaretur factū, quòd Ministerij ratio formáque quæ in Ecclesiis nostris recepta est, displiceret. Et hæc de Nazianzeno sufficiant.

Venio ad Dioscorum homicidam: de quo, nescio quid dominus Beza velit, quandò ait, eum in throno suo permansisse; quem constat à Concilio Chalcedonensi damnatum, & in exilium ab Imperatore Martiano missum. Sed sceleratum hominem multa tyrannicè perpetrâsse, throno patriarchali cur magis imputari debeat, quàm modestia, virtus, fides, & constantia Athanasij & aliorum piorum Episcoporum, non video. Nestorium verò in Concilio Ephesino damnatum, Patriarchalis gradus non protexit, quo minùs deponeretur, & iuerit in exilium. Macedonius ab Arianis vi intrusus, tumultuum & cædium causas dedit, & crudelitatem multam exercuit: quâ se in sua sede non confirmauit; sed deiectionis ei causa fuit. Photius Syrmij Episcopus in Synodo ibi congregata, ab Ancyræ præsule Basilio confutatur, loco suo deiectus, & in exilium est actus.

Quòd si Episcopalis & Patriarchalis gradus & dignitas istis immunitatem & impunitatem dedisset, vt nec damnari nec loco moueri potuissent, aliquid dominus Beza contra Episcopalem potestatem & eius eminentiam concludere, & exitialem illam gradus dignitatem verisimili specie videri posset demonstrare: sed cùm nihil horū sit, peruersè, meo iudicio, à non causa, tanquam à causa argumentatur; calamitates illorum temporum, à duobus erratis esse profectas, nempè quod προεδρία perpetua esset, & certis ciuitatibus tributa.

Sed agè, cogitemus nullos illis seculis fuisse Episcopos nec Archiepiscopos, & circularem fuisse præsidentiam, & Presbyteratum annuum, vt dominus Beza vult: num cuiquam rerum humanarum perito, & peruersitatis humani ingenij gnaro persuasum esse potest, meliori loco tunc res futuras fuisse? Sunt in hac vrbe, & eius suburbiis, paulo plus minúsque ducenti verbi Dei Ministri; non minor fuit Constantinopolitanæ, nec Romanæ, nec Alexandrinæ, nec Antiochenæ Ecclesiarum cleri numerus, sed longè maior. Agè, pares illi fuerint omnes, & æqualis authoritatis, sine Episcopo, qui hanc multitudinem authoritate contineat, & in vnum veluti corpus recolligat: quē statum huius Ecclesiæ futurum, aut illarum fuisse verisimile est; diuersis hæresibus in ipsis visceribus harum Ecclesiarum grassantibus? Absit vt cum domino Beza sentiam: credo enim Ecclesias illorum temporum stetisse, & ab interitu defensas fuisse secundùm Dei gratiam, solo vigore & virtute Episcopalis gradus & authoritatis supra reliquam Presbyterorum turbam.

Presbyteria nostra, & vicissitudinaria præsidentia hebdomadica, annui seniores, Synodi & Concilia nationalia huius seculi nulla ad vnitatem attulissent adiumenta: sed diuisionibus & schismatibus tribuissent maiora fomenta; dum quæque factio

ſuaſeorſim celebrâſſet Concilia, Synodos,& Conſiſtoria. Nuper admodùm hæc noua gubernationis forma,reiectis Epiſcopis,introducta eſt: quid paritura ſit, nondum ſciri poteſt. Nulla ratio quid mali in ea lateat,& quàm ſit aduersùs hæreticos,& factioſos,ſchiſmaticóſue infirma,docere poteſt: ſtultorum magiſtrâ,experientiâ opus eſt eis,quos illa,quæ præteritorum temporum eſt, nihil mouet. Sed vereor ne ſerò doceat, quod nunc perſuaderi non poteſt; quando accepto malo, fruſtrà quæretur remedium. Quod à me dictum non ita volo accipi, tanquam eam regiminis formam, quæ in Eccleſiis reformatis conſpicitur,ſublatam cupiam,niſi melior ſubſtituatur: ſed eam vtilem eſſe tantùm loco,& tempori,ſciri ab omnibus velim; & illam, quæ ſub Epiſcopis olim fuit, & adhûc hodiè eſt in Eccleſiis, quæ Chriſtum purè colunt, meliorem eſſe; vtpotè quæ ab Apoſtolis profecta ſit, qui vbique terrarum conſtituêre Epiſcopos quoſdam ſuperiores cæteris Presbyteris.

Secundus à Caluino nunc Beza Geneuenſem regit Eccleſiam, in parua Republica, cûm collegis numero paucis, nempè ad ſummũ octodecim, ſi cũ Paſtoribus doctores numeres: περιοδεία illic hebdomadica eſt,& circularis; & Presbyteri & diaconi noui & annui: quamdiû in tranquillo ſtatu degitur, omnia quidem benè ſe habent. Sed ſi quandò acciderit diſſidium inter Eccleſiarum Miniſtros, qui populo & magiſtratui gratioſi erunt, facilè in partes diuidetur ciuitas, quo malo nullũ poteſt accidere grauius: eadem facilitate diuidetur & Presbyterium: & ſemel diuiſum vulgus tumultuabitur, & partes fouebit. In hoc caſu, qui certè non ſemper vitari poteſt, quid fiet? Magiſtratus interponet ſuam authoritatem. Benè quidem. Sed in quam partem inclinabit? Imperatores Rom. ſuam authoritatem interponere diſſidiis Epiſc. coacti ſunt: ſed non ſemper eis datum fuit, fauere melioribus: factiones & factioſos tutati ſunt. At nihil huiuſmodi ſub hoc regimine adhûc experti ſumus. Experientiam igitur magiſtrã quæritis? Si citra periculum & irreparabile damnum, eius magiſterium haberi poſſet, benè eſſet; ſed vt naufragio, ita hîc bis periclitari non licet. Sed ſcire vultis,quid concordiam Geneuæ hactenus tantam inter Paſtores aluerit,& alet? Habent,quẽ negant, & quem nolunt, vnum tantum Epiſcopum.

Nam quicquid ſcribat dominus Beza, aut ſentiat, nunquàm mundo perſuadebit, eum in collegio & deliberationibus, & in tota Eccleſiæ gubernatione, authoritate & pondere ſententiæ ſuæ, aliis collegis ſuis cedere, ſicuti loco præſidentiæ. Eadem habetur de piæ recordationis Iohanne Caluino opinio. Quod nec Zanchius diſſimulauit, quandò ſuam ſententiam de Epiſcopis & Archiepiſcopis expoſuit. *Sed vbi etiam* (inquit) *neque vetera illa bona Græca, neque hæc noua malè latina verba obtinent, ibi tamẽ ſolet eſſe aliquot primarij, penès quos ferè tota eſt authoritas, &c.* Videtis quomodò cæcos nos naturæ vis reducit, vndè fugimus? Scribat D. Beza quicquid volet; Geneua, nec alius quiuis locus, duos Bezas, aut duos Caluinos in vna Eccleſia diſſentientes, vnquàm ferre poterit. Sapientia Patrum noſtrorum ſummoperè cauendũ duxit, nè duo in vna vrbe eſſent Epiſcopi. Quàm malè hæc à domino Beza expenſa ſunt, quæ contra Epiſcopos diſputat, cum magno totius Eccleſiæ ſcandalo, & eorum imprimis, qui eius ſcripta tanquam oracula ſuſcipiunt, & admirantur; optarem ipſum meliùs hæc ſecum reputare.

Cogitemus Galliam, reiectis Romanis ſuperſtitionibus, puram recepiſſe filij Dei doctrinam; & eam (quod abſit) gubernationis Eccleſiæ formam, quam dominus Beza opinatur eſſe diuinam, admiſiſſe: num calamitatibus, quibus omnes omnium ſeculorum Eccleſiæ fuerunt ſubiectæ, quarum cauſas imputat Epiſcopis, liberas fore credit? Et ſi tunc, quandò Epiſcopi reliquam Miniſtrorum verbi Dei multitudinem in officio continebant, vt Synodos legitimas nullas conuocare poſſent, cogebantur tamen Synodi contra Synodos, & quod ſanxerat vna, damnabat altera: ſi tunc concurſabant hûc illûc Epiſcopi; quid non feciſſent ſi pares omnes fuiſſent Presbyteri Epiſcopis, & Epiſcopi Patriarchis? Si pauci paris poteſtatis ægre pacem & doctrinæ concordiam retinere potuerunt; poterúntne pro vno ſexcenti, aut bis tẽrue mille eiuſdem authoritatis Miniſtri?

Nec valet quod quiſquam dicet, bonis legibus coercitum iri petulantia ingenia. Leges illæ, quibus id fiet, æqualitatẽ, de qua, tanquã pro aris & focis diſputatur, tollent.

Inæquali-

Inæqualitate æquè iniquum erit paucos imperare pluribus, atque vnum Epiſcopum. Concilium nationale, quo trecenti conuenerint Paſtores, mille aut decies mille collegis, quicquid aliorum nomine ſignauerint procuratores, legem non dabit; niſi multitudini probetur, aut accedat authoritas, cui parere teneantur. Iniqua enim eſſe poterit; aut ſi non ſit iniqua, huiuſmodi videbitur, & cõtentioſi cõtrouerſiam de ea mouere poterunt: & contra decretum factum à trecentis conuenient quadringenti, aut amplius. At magiſtratus id non feret: Non Geneuenſis, cuius iuriſdictionis anguſti ſunt termini, & Miniſtri Eccleſiarum pauci: quique, quantumuis negent, ab vnius ſententia pendent. Sed quorum imperium latiùs patet, & maior eſt Paſtorum numerus, non indè poſſunt petere exemplum. Nam reddendum eſt ius bonis pariter & malis id poſtulantibus, & cõquerentibus, de iniquitate, & iniuria ſibi facta: vt factum conſtat ſub Romanis Imperatoribus. Regum eſt audire ſupplicum querimonias; & cognoſcere, ſint iuſtæ, nec ne. Ecquis factionum & partium futurus eſt modus finiſue? Num ego hallucinor, aut præ ſenecta & ingraueſcente ætate deliro? Vtinam. Quàm vellem me falſum eſſe augurem!

Malitia Satanæ, qui expetiuit, Apoſtolos vt cribraret ſicut triticum, Eccleſiis nunquam pacem dabit: ſi foris eam oppugnare nequeat, intùs turbas dabit: quibus reſiſtendis, ſola fratrum adunata concordia potis eſt. Ad quam rem momenti plurimum habet, multitudinis ad vnum quempiam Epiſcopum, quantum fieri in hac vita poteſt, relatio. Hac ratione (inquiet imperitus quiſpiam) redibitur ad Romanum Epiſcopũ: cui reſponſum hoc tempore ſit, nulla ratione faciliùs Epiſcopatum Romanum euerti, quàm huius veritatis adſeueratione; & nulla ratione magis confirmari, quàm eius negatione. In adſerenda veritate, & eius contrario errore confutando, imprimis cauendum eſt, nè falſum ad id quis adſumat; quantumuis ex eo videatur confirmari verũ, & quod eſt falſum confutari. Nihil enim æquè veritati obeſt, atque eius demonſtratio per falſitatem.

13. D. THEOD. BEZA.

VIx enim ex hac vita exceſſerant Apoſtoli, & illos ſequuti Euangeliſtæ, hortante præcipuè Ignatio, tum Epiſcopos, tum compresbyteros, ad pulcherrimum illum inter ſe ordinem conſeruandum, quùm quaſi vnà cum illis Sp. quoque ſanctus ille in cœlum remigrâſſet, exortæ ſunt inter Epiſcopos & compresbyteros præſertim Chorepiſcopos tam indignæ, & tam indignis de rebus rixæ, vt hodie ſine pudore ne legi quidem poſſint; Satana interim, dum his de rebus iſti rixantur, doctrinam ipſam miris modis deprauante.

HAD. SARAVIA.

IGNATIVS hoc loco introducitur, ſed mutus, tanquàm parti ſententiæque D. Bezæ adſtipuletur. Vtinam exhortationem illam Ignatij inſeruiſſet Beza, vt quis fuerit pulcherrimus ille ordo, ad quem tum Epiſcopos tum Presbyteros exhortatur, cognoſci poſſet. Verum quidem eſt, id non vno in loco ab Ignatio eſſe factũ: ſed ille ordo multum differt ab eo qui Geneuæ eſt, & Eccleſiæ reformatæ nonnullis in locis ſequuntur. Ignatius (ſi quis alius ex tota antiquitate) in omnibus ſuis Epiſtolis, obedientiam debitam Epiſcopis, & authoritatem, Eccleſiis, cæteriſque omnibus, quibus ſcribit, inculcat: adeò vt nihil velit, nec à plebe, nec à Presbyteris, eo incõſulto fieri. Et ipſe non tantùm Epiſcopum habuiſſe neſcio cuius πρεσβείας honorem, vt Beza interpretatur: ſed imperandi regendique tam Presbyteros, quàm plebem plenàm poteſtatem, locupletiſſimus & antiquiſſimus eſt teſtis: vtpote qui temporibus Apoſtolorum vixit, & proximè illa tempora Deum morte ſua glorificauit. Et ne quod in D. Beza culpo, ipſe committam, Ignatium loquentem audiamus. In Epiſtola, quam ad Eccleſiam Antiochiæ ſcripſit, Presbyteros hoc modo alloquitur, non iſtos quidem annuos ſed perpetuos, nulla in re diſſimiles verbi Dei Miniſtris, & Eccleſiarum Paſtoribus. *Presbyteri* (inquit) *Paſcite gregem qui vobis commiſſus eſt, donec Deus demonſtret eum, qui vobis imperaturus eſt.* In Epiſtola ad Smyrnenſes pulcherrimũ ordinem, qui ab ipſis fuerat Apoſtolis conſtitutus, recenſet: & quẽ D. Beza neglexit, (niſi fortè puduit eum inſerere) hic eſt. *Omnia ergo vobis decenti ordine perficiantur in Chriſto: Laici Diac. ſubditi ſint, Diac. Presbyteris, Presbyteri Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto, ſicut ipſe Patri.*

candide lector, hîc habes pulcherrimum illum ordinem, quem ab Apostolis acceptũ, vir Apostolici spiritus, breui pòst tempore moriturus Smyrnensi Ecclesiæ commendauit: qui vtrum Bezæ, an meam confirmet sententiam tu iudex esto. Verum quòd paulò antè, idem Ignatius in illa Epistola proposuit, de honore debito Episcopis mihi prætereundum non est: ita enim habet. *Qui honorat Episcopum, à Deo honorabitur; vt itidem qui inhonorat eum, à Deo punietur: si enim qui contra Reges insurgit punitione meritò dignus erit, vtpote qui tranquillitatem & pacem communem dissoluat; quantò censetis grauius supplicium meretur, qui sine Episcopo quippiam facere tentat, & concordiam distrahit, & bonum ordinem confundit: &c.*

Plura ibid. Et ad Trallianos: *Veneremini autem Episcopum vestrum, sicut Christum, vt nobis beati præceperunt Apostoli &c.* Ibidem paulò post. *Quid enim est Episcopus, nisi qui principatum omnem, & potestatem supra omnes obtinet, vt obtinere homo potest, qui est pro viribus Christi Dei imitator? Quid verò Presbyterium, nisi collegium sacrum, consiliarij, & consessores Episcopi? Quid item Diaconi, nisi imitatores Angelicarum virtutũ, ei ministrantes ministerium purum & immaculatum?* Plura in hunc sensum, ex paucis illis Ignatij Epistolis citare possem, nisi prolixitate tædium adferre lectori metuerem; vt maiorem aduersarium suæ opinionis D. Beza nominare non potuerit, nec pro me testem grauiorem adlegare.

Quod additur, mortuis Apostolis & Euangelistis, quasi etiam Spiritus sanctus, cum illis in cœlum remigrâsset, contentiones exortas inter Episcopos & compresbyteros; malè sunt distincta temporibus. Vellem D. Beza diceret quas, & de quibus rebus, & & vbi, & inter quos: hæc enim non dicuntur citra contumeliam Patrum, & sanctorũ martyrum, inter quos primi fuerunt Episcopi, quorum tot myriades ducentis illis annis, tam alacri & constanti animo, omne tormentorum genus, pro fidei Christianæ testimonio fortiter passi sunt (quod certè sine Spiritu sancto paracleto fieri non potuit) vt Christianum pectus pudere debeat, illa intueri tempora, quæ tantæ pietatis, & fortitudinis atque constantiæ, tot exempla nobis posteris suis reliquêre: à quorũ temporibus vt remoti sumus, ita vereor nè tantundem ab eorum pietate distemus.

Eusebius Ecclesiasticæ historiæ scriptor, eos qui proximè Apostolorum & Euangelistarum ætatem secuti sunt, commendat à pietate & fidei zelo, ac ardentissimo propagandæ religionis Christi studio. Indè lector discere poterit, certiùs quàm ex D. Beza, quos & quales heroas illa ætas tulerit: & an verum sit, Spiritum sanctum, quasi vnà cum illis, nempè Apostolis & Euangelistis in cœlum remeâsse. Quid dicent aduersarij, in quorum manus liber incidet?

Nam quod contentiones inter Episcopos, & Presbyteros, & præsertìm Chorepiscopos attinet; hi nulli leguntur ante Constantini tempora, & malè coniunguntur cũ Ignatij seculo. Sed nihil sibi prætermittendum Beza iudicauit, quod in odium vocare posset Episcoporum officium. In quiete & otio sub Constantino, primùm magnæ illæ contentiones & exitiales Ecclesiæ cœperunt. Quæ si absque pudore hodiè legi non possunt, videat ne posteri idem de nostris contentionibus iudicent; qui superfluas suscipimus disputationes, & inimicitias; quas suppressas longè præstaret, quàm excitatas. Quorsum enim hanc disputationem mecum (si modò mecum, & nòn cum omnibus huius regni, & omnium aliarum Ecclesiarum Christi Episcopis suscepta est) suscepit D. Beza? Ei meo iudicio citra fidei, doctrinæ, & bonorum morum iacturam, facilè supersedere potuisset, si exactiùs apud se pondus huius rei antè perpendisset.

14. D. THEOD. BEZA.

SIc igitur Episcopi Diœcesani, vt ad se omnia pertraherent, partìm Presbyteros illos ἀυβερνήτους, quasi laici, quos appellare cœperunt, ad Ecclesiasticam εὐταξίαν nihil pertinerent, expulerũt: q̃ meritò deplorat Ambrosius: partìm aliis cõpresbyteris suis, iã non præcũtes in cõmunibus deliberationibus, sed arbitrio suo dominãtes, alios quidẽ ad suas παροικίας relegatos ab Episcopali concilio excluserunt: alios verò, quot & quoties libuit, assumere cœperunt: non quibúscum proprìè de rebus Ecclesiæ deliberarent, sed quorum operâ vicariâ vterentur: vnde tandem pro Christiano illo Presbyterio, Officiales nescio quos, & Curiam à mundanorum Principum foris nihil differentem, habere cœpit Ecclesia.

HAD.

HAD. SARAVIA.

DBeza pro suo arbitrio scribit & dicit multa, sed sine historiarum vllis testimoniis. Dicit κυβερνήτας Presbyteros ab Episcopis expulsos; quos veterũ nemo pro Presbyteris habuit. Vellem ex tota antiquitate vnũ posse produci. Episcopos & Presbyteros & Diaconos plures nobis historiæ proponunt: sed κυβερνήτας Presbyteros, quibus nec baptizandi nec prædicandi esset potestas, nullos. Nam vt dem, seniores, quos vnus Ambrosius semel in vno loco, aliâs nec ipse, nec alius quispiam vsquã memorat, ab Episcopis & aliis Ecclesiarum doctoribus fuisse contemptos; nunquam vlla authoritate, aut historiâ docebit, eos ordinatione, per impositionem manuum Episcop. fuisse constitutos Ecclesiæ κυβερνήτας.

Querimonia Ambrosij illo loco fuit de contemptu senum, qui apud omnes gentes, naturæ quadam legẽ, & in populo Dei, ipsius constitutione, honorandi sunt; & aduocari ab Episcopis & Presbyteris soliti erant, & in consilium adhiberi, quòd tunc negligerentur, ac si soli Presbyteri & Episcopi saperent. Sed hos nec ipse Beza hodiè consulendos ducit, vtpotè quos pro Presbyteris non habeat. Hæc res tanti non est, vt idcircò tragica deploratione sit opus, tanquam de disciplina Ecclesiæ actum sit, nisi tales senes (potiùs quàm seniores) admittantur, rerum Ecclesiasticarũ cõsiliarij. Quòd ab eis transitum fecisse Ambros. ad Ecclesiæ Presbyteros D. B. contendit, nulla probabili ratione adfirmatur. Tamen demus Episcopos tunc multa, solâ suâ authoritate fecisse, inconsultis Presbyteris, qui veri vocatione erant Presbyteri; D. Beza inde malè infert fuisse illos κυβερνήτας annuos, quos in Ecclesiam inuexit. Quod Ambrosius deplorat, cessauerat ab vsu: ipsum vero officio habuisse compresbyteros, sicut & Augustinum, & alios pios Patres, certum est; quorum opera in gubernatione Ecclesiæ vtebatur, & censuram morum seueriorem illo seculo exercebat, quam hodiè appareat in vllis nostris Ecclesiis.

Sed hoc notandum est antequam canones æditi, & pluries essent repetiti; quibus quid multis in rebus esset faciendum præcipitur; consilio & consensu compresbyterorum suorum opus habebant Episcopi. Postquàm de omnibus rebus quæ in gubernatione Ecclesiæ incidere possunt, constitutæ fuerunt regulæ, non ita Presbyteri fuerunt necessarij Episcopis, sicut antè, ad eam rem. Nunc non tam deliberatione & cõsilio est opus in censura Ecclesiastica morum, quàm executione: cui quùm præfectus sit Episcopus, ad ipsius pertinet officium vt videat ea quæ bono consilio constituta sunt, opere compleri.

Quod generali sermone inuoluit D. Beza valde incertum est: qui quum multa multis in locis requirat in meo tractatu, meritò plura in hac eius responsione requiro. Hîc & pluribus aliis in locis taxat modò tyrannidem, modò dominationem Episcoporum: ego neutrum defendo; vellem speciem & formam dominationis exprimeret, quam in nostris damnat Episcopis, & qua in re sitam esse putet, eámq; argueret. Quòd Ecclesiasticas causas solus audit & iudicat Episcopus, si hoc est, rem malè accipit. Nam si Episcopus meus, sub cuius inspectione & cura Ecclesiæ meæ parœciæ ministro, me aut alios Ecclesiarum Pastores euocaret ad audiendas & decidendas causas Ecclesiasticas, magnam & mihi & cæteris omnibus iniuriam faceret: nec quisquam nostrùm ei pareret. Nostræ partes sunt ei significare, quid peccetur in nostris Ecclesiis, & quid emendationem atque correctionem requirat: ipsius verò, de causa cognoscere, & iudicare.

Quæ causæ cùm sint plerunque facti, & quid de eis Ecclesiasticæ regulæ constituant, extra controuersiam sit; vnus æquè ac mille simul coniuncti, de eis sententiam ferre potest. In causis quæ habent difficultatem iuris, iurisconsultorum consilium & sententiam audire & petere potest. Quùm iudicia Ecclesiastica publicè exercentur, præsentibus & consciis iurisconsultis, non possunt esse tantæ impudentiæ Episcopi, vel ipsorum officiales, & vicarij, vt absoluere audeant publicè conuictum de crimine, quod censuram meretur subire Ecclesiæ. In duobus peccare possunt: primò in cõmutatione canonicæ pœnæ, deindè non compellando reos, accusationem aut delationẽ supprimendo: quæ duo etiam nostris Consistoriis accidere possunt; de quibus vtinam

nam & illud, *Dat veniam cornis, vexat censura columbas*, nunquam dicì verè possit.

Deindè, nescio vbi inuenerit D. Beza omnes Presbyteros olim ab Episcopali concilio, vel etiam hodiè in reformatis Ecclesijs, quæ habent Episcopos, excluſos: quùm nihil quod sit alicuius momenti agant, sine consilio iurisconsultorum & theologorũ, ne in legum pœnas ipsi incurrant. Definita legibus ita Episcoporum est potestas, vt sine legibus nihil quicquam in quemquam possint. Ego non impedio si quid sit, quod reformationem requirit, in Consistoriis Episcoporum id emendari.

Cæterùm quòd de curia mundanorum principũ D. Beza addit, etsi intelligo quid velit, comparationem non probo. Nam Principum & Magistratuum Christianorum curias, ego non minùs sacrosanctas esse oportere iudico, quàm Episcoporum Consistoria: in vtrisque Deus æqualiter præsidere debet. Et quamuis differant specie, & causâ finis, tamen agendi & defendendi ratio non potest, nec debet esse diuersa: vtpote quæ conuenire debeat in genere. Si Episcopi, & Archidiaconi, eorúmque Officiales canones obseruent, & ad illos dirigant sua iudicia, minus periculi est ab iniuria, quàm vbi omnia in arbitrio posita sunt iudicum, qui nullis sunt adstricti legibus, & ex verbo Dei iudicâsse videri volunt.

Qui hodiè hîc inuehuntur in Episcopos, & Episcoporum Consistoria, & Officiales, ita disputant ac si Consistoria, quæ ipsi meditantur, ab omni sorte humana, futura sint exempta, & ab illis non nisi diuina sint expectanda iudicia: qua in re multùm fallũtur. Homines enim erunt, & sunt, qui ibi sedebunt & sedent; à quibus nihil humani alienum fore credendum est. Et, quemadmodùm ad Officiales gratia, & fauor, odium & amicitia muneráque penetrant, similiter ad Consistoriales Presbyteros, illa omnia peruenire possunt. Da mihi doctum & pium Officialem, iudicia, censuræque similes consequentur: cui si indoctos & improbos ex aduerso constituas seniores consistoriales, illorum iudiciis nihil erit iniquius. Quòd si quis similiter probis, & piis morum censoribus, opponat iniquum & auarum Officialem, cui quæstum vndique facere sit propositum; effecta sunt ab eo expectanda consimilia. Sunt hæc mala personarum, non officiorum: quæ mala non emendantur, mutatione rerum, sed emendatione personarum; quæ quamdiũ retineri potest, tamdiũ recta erunt Ecclesiastica iudicia, & morum censura integra. At facilius est vnũ corrumpere iudicem, aut paucos, quàm multos. Fateor; sed vnius faciliùs retractatur iudicium, quàm multorum: & facilius est remedium contra vnum, quàm contra multos.

Nihil imbecillius ratione argumentandi, quam Dom. Beza in tota hac sua responsione sequitur: quam quisquis volet imitari, euertet omnia, quotquot sunt in orbe terrarum, & regna, & Magistratus, & tribunalia: *Omnes enim declinauerunt, & simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Si idcircò quia à prima institutione, Respublicæ aut regna degenerârunt, abolenda sunt; aut non habere Deum authorem, sed humanas esse inuentiones argumentari licet; nihil in rebus humanis hodiè est, quod stare possit. Vna in re persistere debuit Dom. Beza; & docere veris & apertis rationibus, ex verbo Dei & Patribus desumptis; Episcopalem gradum non esse diuinam institutionem, sed humanam inuentionem. Quicquid ab abusu, à rixis, à dissidiis, à fastu, à tyrannide disputat; declamationi iuuenili magis conuenit, quàm seriæ ac graui disputationi: errores & abusus statuum & functionũ ita sunt corrigendi, vt ipsæ res maneant.

15. D. THEOD. BEZA.

PROVINCIALES autem illi Episcopi, assumptis magnificis illis Metropolitanorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum appellationibus, non minùs ambitiosè sese gesserunt; aliis aliorum fines, quantumuis variarum Synodorum canonibus descriptas, inuadentibus: donec tandem Constantinopolitanus, cuius sedes (teste Gelasio primo, Romano Episcopo, sub annum Domini 494.) nullum nomen acceperat, nedum vt inter Metropolitanos censeretur: tamen in Concilio Constantinopolitano primo, canone 3. secundum ab Episcopo Romano locum & honorem primatus inter Metropolitanos obtineret. Sed qua tandem ratione? eadem illâ videlicet, quâ Romanus Episcopus dominari iam cœperat: nempè quòd Constantinopolis Regia esset ciuitas, & noua Roma: quod tunc irridens Gelasius ille in Epistola Episcopis Dardaniæ inscripta: *Alia est*, inquit, *regni secularis potestas, alia dignitatum Ecclesiasticarum distributio.*

HAD

HAD. SARAVIA.

QVod appellationes attinet Metropolitanorum, Patriarcharum, & Archiepiscoporum, vt in meo tractatu demõstraui, repeto, eas esse simplices, nec quicquam in se continere fastus aut superbiæ, quod vi significationis non sit in vocibus ἡγεμονίας & κυβερνήσεως. Fastus & ambitio Præsulum, non eminentior gradus aut nomen dignius in vitio sunt: qui minor in iis, qui humi repere videntur, non est, quàm in illis fuit. Calcabat fastum Platonis Diogenes, verùm alio fastu. Inuidia fastum, & sermo popularis premit. Nemo est qui tyrannidem, fastum, ambitionem, æmulationem & inuidiam defendat: humana hæc sunt, à quibus nec ipsi Apostoli immunes fuissent, nisi cumulatior Dei gratia eos præseruâsset. Sine qua, ambitionem, fastum, & tyrannidem, qui euersione graduum, quos Deus, quos natura, in quouis politico regimine constituit, vitari posse credit; eadem superstitione fallitur, qua religiosuli, qui si veste cinericia, aut pulla, aut fusca, deformi & monstrosa vulgò vterentur; & si contemptis magnificis nominibus Minores & Minimi vocarentur, fastũ & superbiam cleri, simul & auaritiam, se posse effugere crediderunt. Quorum tum tyrannide nihil est crudelius; & quorum fastu, nihil est tumidius, impotentiusue. Quòd alij aliorum fines inuaserunt, hoc non arguit potestatem à canonibus constitutam, & vsu perpetuo ab ipsis Apostolorum temporibus confirmatam, aut diabolicam esse, aut humanam.

Quisquis, quod fuerat ante Constantini magni tempora communi totius Ecclesiæ consensu receptum, & posteà fuit ab Oecuminicis conciliis confirmatum, sine expresso Dei verbo improbare audet, mihi nec Orthodoxus nec Catholicus habendus est. Ecclesiam habere Apostolicam potestatem, negari à Christiano theologo non posse arbitror. Quicquid enim Deus Apostolis dedit, Ecclesiæ dedit. Et quod potuit committere Tito & Timotheo Apostolus, idem mandare Episcopo Alexandrino, Antiocheno, Romano, Constantinopolitano, Hierosolymitano, Toletano, Carthaginensi, & cuiuis alij Christiano Episc. & Primati Ecclesia potuit. Executio canonum, tam in iis, quæ fidei doctrinam, quam quæ politeiam Ecclesiasticam spectabant, aliquibus cõmittenda fuit.

Frustrà Oecumenica concilia decreta edidissent, & controuersias terminâssent, nisi fuissent inspectores constituti, qui essent custodes & executores eorum, cum potestate censuris Ecclesiasticis coercendi rebelles, & inobedientes Ecclesiæ sanctis decretis. Contra quæ, tam Episcopi quàm Archiepiscopi quia peccare poterant, Patriarchæ optimo & prudentissimo consilio fuerunt constituti; qui authoritate Apostolica, de qua Paulus ad Corinth. aiebat, *se munitum esse ad destructionem munitionum, & celsitudinis, quæ extollitur aduersùs cognitionem Dei, &c.* audaces & temerarios conatus hæreticorum & improborum, nomine totius Ecclesiæ reprimerent. Quæ potestas cùm sit diuinæ institutionis; humanæ dispositionis est, eam, cui magis expedire videbitur, tradere.

Itaque Oecumenicum concilium, quod Patriarchas confirmauerat, & fines cuique suos præscripserat, Episcopum Constantinopolitanum paris dignitatis & potestatis cum Romano Episcopo esse voluit. Et hanc authoritatem habere concilia Oecumenica credo: quam nisi D. Beza probet non habere, nihil, disputando ab ambitione Episcoporum, agit. Vbi D. Beza conuicerit errâsse Patres in hac re, qui omnes crediderunt ad suam curam pertinere de hac potestate disponere; tunc audiet quid sim responsurus. Nam quod Romano Episcopo honoris primas, & Constantinopolitano secundas dedêre Patres, non fuit potestatis eminentior gradus; pares enim Patriarchas omnes authoritate Patres decernebant.

Quod Gelasius sibi vsurpauit potestatem in alios Patriarchas, morbo id fecit communi ferè omnibus illius sedis Episcopis; cui se à Petro accepisse primatus, nescio quã prærogatiuam, falsò crediderunt. Ferre non potuit ab Ecclesia parem sibi constitui, & primatum humana ratione vrbi, non Petri successioni dari. Qui error Antichristianã sedem, & Apostaticam Ecclesiam pro Apostolica fecit; non Patrum constitutio, qui illam potestatem, eo nomine non dedêre Romano Episcopo. Quamuis in Sardicensi concilio,

concilio, in honorem Petri appellationes Romam Episcopis admittendas fuerit constitutum, quod antea prohibitum fuerat: nunquam à cæteris omnibus prouinciis fuit receptum. Africanæ Ecclesiæ in Concilio Carthaginensi quarto illud decretum reiecerunt. Sed hæc frustra commemorantur. Quòd rursus dominationis hîc mentionem facit Dominus Beza; difficile ei esset docere, eam probatam fuisse à Patribus illius seculi. Si quis plus sibi sumpsit, quàm debuit, fuit hoc personæ peccatum, non à Patribus constitutæ Patriarchalis functionis. At Acacium excommunicauit Gelasius, prætextu specioso quòd hæreticis faueret: sed Acacius ei non cessit; & Gelasij nomẽ ex albo Episcoporum, quod eodem iure poterat, expunxit, & par pari retulit. Hanc excommunicationem Episcopos ægrè tulisse, Epistola Gelasij testatur. A Synodo enim id fieri debuit, si quid Episcopo indignum commiserat Acacius. Ecquid ponderis in hac disputatione habet Gelasius?

16. D. THEOD. BEZA.

ECcetamen nihilominùs Chalcedonensis illa Oecumenica synodus, alioquì, quod ad doctrinam attinet, venerabilis & orthodoxa, Constantinopolitano non tantùm primatum illum secundum, licèt repugnantibus Rom. Episcopi legatis, confirmauit, verùm etiam contra illius Constantinopolitanæ Synodi secundum canonem, ditionem longè latéque ampliauit. Quid plura? Aliquantò pòst, nempè in sexta Constantinopolitana Synodo in Trullo habitâ, sicut Triumuiratus aditum ad Monarchicũ Imperium Augusto patefaciens, rempublicam Romanam perdidit: sic inuectus Quartumuiratus, quo Romanus occidentem, Constantinopolitanus cum vicina regione Orientem, Alexandrinus Africam obtinuit, Hierosolymitanus vicis causâ quartum suum locum retinuit; Ecclesiam Christianam pessum dedit; Antiocheno, cuius antea nobilissimæ Ecclesiæ sedes tertia inter Metropolitanos numerabatur, cæterisq; deinceps Metropolitanis sub Quartumuirorum illorum iugũ paulatìm redactis. Quid ampliùs? Quasi vt Alexander Dario respondit, mundus regi à duobus Solibus, sic etiam Ecclesia à duobus Patriarchis nequeat; neque Romanus parem magis quàm Pompeius, nec Constantinopolitanus magis maiorem quàm Cæsar pati possit: indè infinita inter Duumuiros illos, spectantibus reliquis, orta sunt certamina: Romano quidem Gregorio aduersùs Iohannem Constantinopolitanum, qui sese Oecumenicum vocârat, rectè scribente Antichristi præcursori hanc appellationem conuenire, sed imprudenter aduersùs suam ipsius sedem, prophetante; cùm ab hoc Gregorio secundus, Bonifacius eius nominis tertius, tantùm ab eo abfuerit vt Gregorij sententiam probaret, vt è contrario à parricida illo Phoca postulârit & impetrârit capitis Ecclesiæ Christianæ verè Antichristianum nomen.

HAD. SARAVIA.

FIdem laudat Chalcedonensis Concilij, & improbat, quod, meo iudicio, inprimis commendandum est; & de quo Deo gratiæ sunt agendæ Patribus illis indidisse hanc mentem, vt æquarent Constantinopolitanum Episcopum Romano; quo testatum fieret mundo vniuerso, Episcopos nullo successionis iure superiores cæteris esse Episc. & quidquid vnquàm legitimæ potestatis habuit Roman. Episcopus, aut alius quiuis Archiepiscopus, ab Ecclesia accepisse: quæ eadem illa authoritate, qua ipsis inspectionem supra collegas commisit, potest etiam auferre.

Quod illegitimæ vsurpationis dominationem attinet, quæcunque illa est, aut fuit; eam non misceo cum ea authoritate, quæ verè Apostolica est; & ab Apostolis Ecclesiæ fuit tradita. Quid velit Dom. Beza ex sexta Synodo Constantinopolitana inferre, non satis assequor. In hac re nihil noui synodus constituit; sed Patrum vestigiis insistens, de primatu & potestate Ecclesiastica quod iudicauit, tam ad Ecclesiæ vtilitatem quàm reipublicæ pertinere, sanciuit. Quod indè inter duos summos Antistites nata est contentionis causa, vter prior esset, & quis eorum esset Oecumenicus & vniuersalis; vitio non magis legitimis conciliis & eorum decretis verti debet, quàm sapientibus reipublicæ Patribus, qui bonis legibus regnum aut aliud quoduis imperiũ cõstituerunt, quod posteà degenerauit in tyrannidem. Nulla est nec fuit vnquám tam sanctè cõstituta publica potestas, quæ non aliquando degenerauit, aut degenerare nequeat in tyrannidem.

Quod de triumuiratu Romano commemoratur, qui tandem Octauio viam præparauit ad Monarchicum imperium, nihil contra me facit. Imperitiam Domino Bezæ exprobrare non audeo: tamen aut nihil concludit, aut certè meam confirmat sententiam. Nam certum est Senatum populumq; Romanum potuisse tres viros creare reipublicæ constituendæ gratiâ: similiter & vnum dictatorem temporarium, aut perpetuum.

tuunt̃ em de Imperatoribus dico. Cæterùm hoc nunquam Dom. Bezæ concedam, Monarchicum imperium rempublicam perdidisse Romanam; sed conseruâsse: & nisi ea mutatio interuenisset, non potuisse Romanum tam diû stare imperium. Vtinam vnius Romani Episcopi potentia, maiorem Ecclesiæ, regnísque omnibus Christianis cladem non attulisset, quàm vnius Imperatoris reipublicæ vniuersæ in Romano imperio. Nam illa potestas etiam vsurpata fieri posteà potuit legitima: pontificia verò, quæ hodie prætenditur à Romano Episcopo, etiam collata non potest. Quia Ecclesiæ authoritas tanta non est, vt alicui Episcopo tantam potestatẽ conferre possit. Patriarchas & Archiepiscopos cum moderata illa & diuina, quam Paulus Timotheo, & alij Apostoli Marco & Euodio tradiderunt, potestate creare potuit.

Quæ solutiùs licentiúsque D. Beza verba fundit, nihil habent veri, si ad Patrum vsque ad sextam illam Synodum Constantinopolitanam decreta legibus Ecclesiasticis referantur: ita enim constricta fuit legibus, Patriarcharum & Metropolitanorum potestas, vt ab illis & eorum iniuriâ, libera fuerit ad Synodos appellatio. Si de Patrum illorum potestate iudicari potest, ex ea, quæ hodie hîc in Anglia est, Episcoporum; verè & fidenter dico, non potuisse illa potestate cuiquam nocere, vt paratum nullum esset legibus remedium. In hac re nihil peccatũ fuit: quibus hic ordo displicet, & meliorem sibi fingunt, nodum in scirpo quærunt. Vtinam illæ Ecclesiæ, quæ hanc Ecclesiam reprehendunt, ita benè & solidè essent constitutæ. Sed vt habet Salomon defectus sunt plurimi: *incuruum non potest rectificari*: culpantur nostri Episcopi, de rebus quæ in eorum sitæ non sunt potestate vt emendent: ab eis, qui quod apud eos peccatur facilè emendarent si vellent, grauiùs peccatur. Audiamus quid hinc tandem concludere velit D. Beza.

17. D. THEOD. BEZA.

CErtè verò si ad conseruandum in sacro ministerio consensum necessariò fuit constituenda Episcopalis Diœcesana supra compresbyteros, & Chorepiscopos: Metropolitana supra prouinciales Coepiscopos: Patriarchalis quadruplex supra Metropolitanos Coarchiepiscopos dominatio: eâdem certè parique ratione, Monarchicum supra Compatriarchas imperium, siue Catholicum supra Catholicam vniuersam Ecclesiam dominium fuit erigendum. Quod enim hîc obiicis ad hoc eludendum argumentum, Sarauia, nullius est momenti. Nam plurimum quidem interest, vt tu rectè dicis, inter præfecturam vnius gentis & regionis, ac totius vniuersi orbis; nempè quod ad mensuram ditionum, non autem quod ad rem ipsam attinet, siue ordinẽ, siue gradum hîc ponamus. Non igitur propterea quòd istæ præfecturæ æqualis non sunt inter se mensuræ, indè consequeretur nullam constituendam vniuersalem, cui angustiores illæ sunt subordinatæ.

HAD. SARAVIA.

AN hîc ex sua sententia Dom. Beza loquatur, an aliorum, nescio. Solet passim hoc & illud desiderare in me, aut planiùs, aut clariùs dictum, aut ampliùs additum, nescio quid, pro eruditionis suæ iudicio. Ego teneo, & ex iis quæ disputaui, clarum esse arbitror, Ecclesiarum Episcopos in Concilio legitimè congregatos, potuisse Ecclesias, & earum Episcopos subiicere certis Patriarchis: numerum non definio certum, nec vnquàm se vlli certo numero Patres adstrinxerunt; quin modò plures, modò pauciores creare potuerint, & creatos deponere & transferre. Præter hos celebres Patriarchas, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, fuêre plures alij, qui nulli horum erant subiecti. Carthaginensis Episcopi prouincia, etiam temporibus Cypriani, & ante ipsius tempora, & post, vsque ad ætatem Bonifacij secundi, nulli Patriarchæ, neque Romano, neque Alexandrino, fuit subiecta. Summus Africæ Patriarcha erat Episcopus Carthaginensis; donec Eulalius, nescio quis Carthaginensis, nullo anteceſſorum suorum exemplo, cliens Romani Episcopi factus est, si modò vera & non conficta est Bonifacij Epistola. Possum plures Archiepiscopos alios nominare, qui primis illis temporibus, quæ antecesserunt Chalcedonense Concilium, nulli quatuor Patriarcharum fuerunt subiecti. Quàm graues causas habuerint Patres, vt omnes Ecclesiæ posteà curæ committerentur alicuius vnius ex magnis illis Patriarchis, nunc pluribus non disputo: nam nec factum, nec fieri potuisse puto.

In

In priore meo tractatu nusquàm dominationem vllam aut Episcopis datam, aut dandam in compresbyteros, aut Archiepiscopis in suos collegas, adfirmo; nec vsurpatam defendo. Ecclesiastica quæ ipsis à Conciliis & Synodis inspectio, & gradus eminentioris commissa est dignitas, non fuit dominationis, sed Apostolicæ solicitudinis. Disputet hæc D. Beza cum eo qui ad conseruandum in sacro Ministerio consensum, ait necessariò fuisse constituendam Episcopalẽ diœcesanam supra compresbyteros, & Chorepiscopos, Metropolitanam supra prouinciales Coepiscopos, Patriarchalem quadruplicem supra Metropolitanos Coarchiepiscopos dominationem: ego neutrum adfirmo nec ex meis scriptis consequitur. Itaque me D. Beza missum faciat, & suum Antagonistam quærat.

Sed quod ex quatuor constitutis Patriarchis acutè sibi concludere videtur Beza his verbis; *eâdem certè parique ratione Monarchicum imperium, siue Catholicum supra Catholicam vniuersam Ecclesiam dominium fuisse erigendum*; perinde cohæret, ac si quis diceret, Tantâ Romani Imperij negotiorum bellicorum moles fuit, vt in Tetrarchiam diuidendum fuerit Romanum imperium; ergo pari ratione constituendus erat vnus, qui supra illos quatuor Tetrarchas vniuersum regeret imperium. Id non esse consequens quiuis videt. Nam quia Imperatores videbant, ab vno per vicarios non posse regi imperium; collegas adsumpserunt paris & eiusdem secum potestatis, cum quibus partiebantur prouincias: quia per vicarios res tutò administrari non poterat, quibus si vnus summus vniuersalis fuisset constitutus Dominus incidissent in illud ipsum, cuius vitandi gratiâ, collegæ fuerant adsumpti. Quod cùm Gregorius magnus videret, vniuersalis Episcopi nomen alteri datum, non tam inuidit, & oblatum sibi recusauit, quàm tollendum censuit. Idque his de causis longè certissimis, propter quas Bezæ sententiam, & omnium qui cum eo sentiunt, improbo; quòd nouum, & insolens, atque anteà nunquàm auditum, nomen esset: & quod longè est maximum, si vnus esset vniuersalis Episcopus, desinerent esse cæteri Episcopi, quòd vnus esset vniuersalis. Ita enim ipse ratiocinatur in Epistola ad Eulogium Alexandriæ Episcopum, qui eum in Epistola vniuersalem Papam vocauerat.

Peto (inquit) *dulcissima mihi sanctitas vestra vltrò id non faciat, quia vobis subtrahitur, quod alteri, plusquàm ratio exigit, prabetur; &c.* sequitur. *Si enim vniuersalem Papã me vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur; vniuersum.*

Et alio loco. *Sicut enim veneranda vestra sanctitas nouit, vni per sanctam Chalcedonensem Synodum pontifici sedis Apostolicæ (cui Deo disponente deseruio) hoc vniuersitatis nomen oblatum est: sed nullus vnquàm decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. &c.*

Plura in hunc sensum, ex eodem authore citare possem; vnde de hac re Patrum iudicium intelligere possumus; qui Patriarchas quidem plures habuerunt. Vniuersalem autem supra cæteros habendum non iudicârunt: nec id esse consequens quod Dominus Beza nobis proponit, viderunt.

Sed quàm parùm apta ratiocinandi hæc sit forma, expendere latiùs lubet; quæ est huiusmodi: vnus Rex præficiendus regno Galliæ, vnus Germaniæ, vnus Hispaniæ, atatque ita deinceps de singulis totius vniuersi orbis regnis; ergo potest & his omnibus regnis aliquis vnus rex superior constitui, qui sit eis illud ipsum quod ipsi sunt subditis; quod nunquàm factum est, nec fiet, nec fieri potest: nisi Rex ille sit Deus, vt est Dominus noster Iesus Christus. Hanc obiectionem præoccupare volui; quandò dixi plurimum interesse, inter præfecturam vnius gentis, ac totius vniuersi orbis. Id Dominus Beza iudicat ad eludendum argumentũ à me positum; & laudat tamen, tanquam rectè dictum, sed nullius esse momenti. Hoc autem rursùs examinandum est, quomodo ipse eludat meum argumentum & non soluat. Aio igitur plurimum interesse inter præfecturam vnius gentis & regionis, ac totius vniuersi orbis. Respondet Dominus Beza, *nempè quod ad mensuram ditionis, non autem quod ipsam rem attinet, siue ordinem siue gradum hic ponamus.* Quid hoc obsecro est? Siccine de repentè à dominatione rursùs ad gradum & ordinem? Tamen vnum mortalem vniuerso dominari orbi non posse conceditur. Sed supra cæteros Patriarchas, vnum gradu excellere,

cellere, sicut ipsi prouinciis pluribus, pari ratione posse, esse consequens D. Bezâ cõtendit. Patres autem iudicârunt propter illam eandem rationem, propter quam vnus vniuerso orbi dominari non potest, vni vniuersalem Ecclesiam committi non posse.

Sed hanc rationem D. Beza non probat, quia hæc differentia est mensuræ ditionis, non autem ipsius rei: quasi mensura, quantitásque non magni sint in hac re momenti, & rebus ingens non adferant discrimen. Sola hîc quantias, distantiáque locorũ, & multitudo varietásq; hominum rem totam mutant. Viribus ferendũ onus aptatur: & in virium expensione, non tam rerum, quæ ferendæ sunt, quàm ponderis habetur ratio. Tantum interest inter vnius regni, pluriumuè imperium, ac totius vniuersi orbis dominationem, quantum inter myriadas, & decadẽ, & quantum inter ea quæ fieri ab hominibus possunt, & ea quæ omnem mortaliũ facultatẽ superant. Quòd ius in collegas Rom. Episcopus vsurpauit; prouenit ab ipsius ambitione, non ab alicuius veteris Ecclesiæ Oecumenici concilij constitutione: proinde nihil pertinet ad rem, de qua inter nos est disputatio, siue eâ de gradu sit, siue de ordine. Quid attinet, vnumquempiam cõstituere ordine vel gradu superiorem iis, cum quibus propter locorum intercapedinẽ, nihil esse potest cõmercij: qui citiùs perierint, siue mores, siue doctrinam spectes, quàm consilio autoritateuè auxilium adferri possit? Carthago & Africa tantùm traiectu maris distat ab Italia; tamen Patres Africani Concilij ad transmarina iudicia, ex Africa per appellationem transcurri iniquum censuerunt. Eò tunc temporis quorundam Episcoporum Romanorum creuerat ambitio, vt Africanas Ecclesias sibi voluerint subiicere, quas ad suum Patriarchatum Alexandrinus non putabat pertinere: (habebant suum proprium, & habuerant à temporibus Cypriani Patriarcham) eas tamen Rom. Episcopi suæ iurisdictioni conati sunt subiicere. Sed fortiter Patres illi, inter quos erat D. Augustinus, restiterunt, & canones Româ allatos falsi conuicerunt; & ediderunt canonem, qui in ordine est 92. ne liceat ad transmarina appellare iudicias & qui faciendum hoc sibi putaret, à nullo intra Africam in communionem fore recipiendum. Patriarchas illi Patres admittebant; sed non indè consequi iudicabant, vt pari ratione, vnus esset Patriarcharum Patriarcha, ad quem appellationes ex vniuerso orbe deferrentur; volebant enim quæcunque negotia in prouinciis suis terminari, vbi erant nata: sicut decretis Niceni Concilij, & aliorum, & diuersis Patrum testimoniis, & Epistola Synodali sextæ Carthaginensis Synodi ad Cœlestinum; item ex Cypriani ad Cornelium, & Chrysostomi ad Innocentium manifestè apparet.

Quandò autem D. Beza disputando cõsequi contendit, ex constituendi causis Patriarchas constituendum fuisse vniuersalem Papam, non parùm causam Papistarum iuuat: qui nulla ratione meliùs vincuntur, quàm si quod verũ est, & piè ac prudenter à Patribus fuit constitutum, admittatur; demonstrato falsum esse, quod ex consequenti putant inde confici: nihil peius fieri potest, quàm si negetur quod ipsis dandum est. Nam hoc obstinatiores in suis erroribus reddit Papistas; quando errore oppugnatur error, & hæresis hæresi; hoc aduersarios ad oppugnandam veritatem magis animat: iudicium enim ex negata vna veritate, vel defenso quopiam errore, de tota veritatis doctrina faciunt. Malè merentur de Ecclesia, qui eius bonam causam malè defendunt: præstaret eos quiescere, quàm bonam causam malè agendo deridendã inimicis propinare. Absit vt ego à tanto, tam vniuersali Patrum & tot seculorum iudicio & consensu dissentiam: quo tutiùs me & alium quemuis niti posse existimo; quàm paucorum quorundam nostri temporis theologorum; qui non satis exacta ratione hanc tractâsse mihi videntur quæstionem: quos solos sapere sine aliorum iniuria, qui ipsis neque eruditione, neque pietate cedunt, credere non possumus. Tamen verba, rationémque D. Bezæ expendamus, & errorem detegamus.

18. D. Theod. Beza.

PRætereà si firma illa est ratio inter alias, vti sanè est, quâ Romana quoque tyrannis à nobis oppugnatur: nempè quòd omnium orbis terrarum Ecclesiarum curam obire, ipsorum etiam forsan Angelorum vires superet: idem illud certè, etsi non pari, tamen eadem prorsus ratione, de totius vel gentis vel regionis alicuius inspectione dici iure potest: quantumuis sedulum ac diligentem quempiam nobis proponamus, præsertim cui præterea Ecclesiæ suæ particularis onus incumbat.

HAD. SARAVIA.

NIhilo magis diuersa hæc D. Bezæ ratiocinatio est à superioribus, cui aliam eiusdē formæ oppono. Totius Imperij Rom. omnibus bellis, contra diuersas gentes, in diuersis mundi partibus, vnus Imperator Rom. non sufficiebat: ergo idem istud, etsi non pari, tamen eadem prorsus ratione, de totius vel gentis, vel regionis alicuius bello dici potest. Deinde, quæ est hæc argumentandi ratio? Quòd omnia orbis terrarum regna, vnius mortalis curæ committi non possunt; (superat enim ipsorum etiam angelorum virēs) idem istud certè; (etsi non pari, tamen eadē prorsus ratione) de totius vel gētis vel regionis alicuius regno dici iure potest. Nihil certè infirmius hac ratiocinādi formâ est. Fallaciā quis non videt? Vires cui pīā ferendo non erunt centū pondo; ergo nō erunt 50? Quibus, obsecro, ratiocinandi præceptis hoc modo argumētari didicit, qui mihi ignorantiam dialecticæ obiicit? Sed capio quid velit D. Bezā: comparat duo inter se; quæ etsi non peræquè facta sunt impossibilia, sed alterum magis, alterū minus; ambo tamen credit impossibilia: gratiâ exempli; puer qui graue centum pondo ferre non potest onus, non poterit etiam quinquaginta, quòd vtrumque ipsius vires superet. Verùm in directa & vera argumentandi forma, rectè cōcluditur, eum qui quinquaginta librarum pondus sustinere non valet, non posse etiam centum; sed non contrà; nisi quis falli, & fallere velit. Atque ita D. Beza in hac fallitur ista æstimatione: vnde argumentari hoc modo etiam liceret; Nevni quidem Ecclesiæ regendæ, quempiam fore idoneum, si rei grauitas & humana imbecillitas comparentur inter se. Sed ipsum Deum hac ratione reprehenderet; qui vnum regem pluribus regnis cōstituit: & summum suum sacerdotem toti Israeliticæ genti præfecit: atque Apostolos 12. in vniuersum mundum misit. Quod in Israele summus sacerdos diuino & humano iudicio potuit; in quauis gente, vel pluribus vicinis, simul coniunctis, Archiepiscopus & Patriarcha potest. Iuniores nos sumus, quàm vt quid possit vnus præpositus pluribus prouinciis, aut non possit, contra veterum Patrum sententiam definire debeamus: valeat igitur & hæc Bezæ ratio. Pergamus ad reliqua.

I. D. THEOD. BEZA.

ALtera autem illa tua ratio, quòd videlicet nulli vni totus orbis à Christo fuit commissus, explicatione indiget. Nec enim Apostolis mandata fuit Ecclesiarum constitutarum cura, quam vocant, Pastoralis: quod si factum esset, non ita ex Ecclesia in Ecclesiam transiuissent, sed missi sunt vt Ecclesias fundarent, quas ita tum in doctrina tum in Ecclesiastica εὐταξίᾳ partim per se, partim per cooperarios Euangelistas constitutis Presbyteris, id est, Pastoribus, Doctoribus, κωμοπόλεις oppidatim prout id fieri potuit constitutis, regendas traderent: vnde illud Pauli, *vt peritus architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat*, 1. Cor. 3. 10. Habuerunt autem iidem in Ecclesias iam constituras inspectionem, & authoritatem, non tamen vniuersaliter in omnes & singulas, sed singuli in quasuis; prout tamen hûc vel illûc eos deducebat Spiritus sanctus, ita illos circumducens, vt alter super alterius fundamentum non ædificaret Rom. 15. 20.

HAD. SARAVIA.

HAnc meam rationem, nempè quòd nulli vni totus orbis à Christo fuerit cōmissus, explicatione opus habere Beza censet. Iussit quidem Dominus Apostolos per mundum vniuersum Euangelium prædicare; quod non singulis, sed vniuersis dictum debet intelligi. Nemo vnus Apostolus totum peragrauit orbem: sed vt totum orbem peragrarent, dispertitis mundi plagis inter se, ad varias regiones longè ab inuicem dissitas profecti sunt. Quam autem desideret explicationem Dom. Beza, quam non liceat capere ex meo tractatu, non intelligo. Sed mihi multò magis egere explicatione videtur, quod ait, Apostolis mandatam non fuisse Ecclesiarum constitutarū curam, quam vocant Pastoralem. Nam nescio quid falsi tegit in curæ pastoralis voce: qua intelligi vult curam vni loco addictam; tanquam cura Ecclesiarum, quæ commissa fuit Apostolis, non sit eadem planè ratione Pastoralis, qua reliquorum Pastorū cura Pastoralis est: & cura solicitudóque Apostolica, sit tantùm vniuersarum, non etiam singularum Ecclesiarum. Quòd prima cura Apostolorum fuerit pascere oues Domini, ex trina interrogatione facta Petro, & ter iterato præcepto de pascendis agnis & ouibus, luce clariùs apparet.

Quàm

Quàm sit dilucidior Dom. Bezæ explicatio, ipsos lectores, facio iudices. Si singularum Ecclesiarum iam fundatarum cura nihil ad eos pertinuisset; ad particulares Ecclesias non scripsissent: vnde liquere potest, in omnes & singulas inspectionem habuisse, eásque, quantum humana potuit fragilitas, curâsse: omnes dico, quas ipsi plantauerunt; non quæ ab aliis Apostolis longè dissitis fuerunt plantatæ.

Intelligo tamen quid velit D. Beza, nempe particularium Ecclesiarum singulares Pastores discernere ab Apostolis & Euangelistis, peculiari quadam curâ illius loci, cui erant præfecti, quæ non competeret Apostolis & Euangelistis. Sed Pastores non distinguntur ab Apostolis & Episcopis à cura Pastorali, quæ omnibus fuit & est cõmunis, & vnius & eiusdem speciei. Actionum quidem curæ Pastoralis diuersæ partes sunt, sed indiuiduorum, cùm conditionem teneant, ad eandem speciem referuntur. Authoritas maior minorue in Ecclesiæ gubernatione, & quòd alij superiores, alij erant inferiores Pastores in eadem Pastorali cura discrimen adfert, & nomina diuersa habent ab ordine & gradu, quem in Ecclesia Christi obtinent. Propter multitudinem fidelium & Ecclesiarum creati sunt Presbyteri & Episcopi, qui subsidio essent Apostolis & Euangelistis: quibus nihil fuisset opus, si duodecim viri cum Paulo, & 70 illi Euangelistæ sufficere potuissent ad omne Ecclesiarũ ministerium. Par & eadẽ est ratio Episcoporum & Presbyterorũ, qui eis in subsidium ádduntur. Præstat eum inferioris ordinis Pastor in particulari Ecclesia nihil aliud, quàm ꝙ præstaret Apostolus vel Episcopus si præsens adesse posset. Apostoli & Euangelistæ non desierunt illorum locorum esse Pastores in quibus præfecerũt Presbyteros & Pastores, sicut erant antea. Episcopus non desinit esse Pastor illius parœciæ, cui singularem dat Pastorẽ: manet enim post constitutum Pastorem etiam illius Pastor.

Multitudo Presbyterorum & Pastorum creatur maior vel minor, pro plebis magnitudine, vt simul cum Episcopo sub Episcopo particularis parœciæ curã gerant: mortuo Pastore, tota cura redit ad Episcopum. Quod si fortè sedes vacaret, ad Capitulum illa cura pertinet. Non mihi videtur D. Beza tenere rationem Pastoralis officij, & ordinis, qui in illo est. Malè restringit Pastoralem curam ad infimi ordinis Pastores; quos Pastores propriè sic dictos vocat; vt eos distinguat ab Apostolis & Euangelistis: de quibus tamen synonymως nomen Pastoris dicitur. Quemadmodũ in militia milites habent suos decuriones, quinquagenarios, centuriones, chiliarchas, & tribunos, qui omnes synonymως dicuntur milites; & ciuium Romanorum alij erant plebei, alij æquites, alij patritij, ciues tamen omnes eadem ratione dicebantur: similiter Presbyteri nomen pari ratione dicitur de omnibus Euangelij Ministris, quicunq; illi sint, siue Apostoli, siue Euangelistæ, siue Prophetæ, siue Patriarchæ, siue Metropolitani, siue Episcopi, siue Presbyteri. Eadem prorsùs ratione Presbyter Petrus fuit, similiter & Iohannes, nempe propter eundem Presbyteratũ, quo infimi ordinis Presbyter ita nuncupatur. Vnus est enim tantùm Presbyteratus, qui de Presbyteris omnibus eadem ratione enunciatur. Idem iudicium est de Pastoris vocabulo. Sunt enim omnes, quos dixi, Pastores: & id quod sunt, synonymως Pastores dicuntur. Fuit enim Paulus Presbyter & Pastor, æquè ac ille est, quem Pastorem sic propriè dictũ D. Beza putat: qui tantùm particulari Ecclesiæ præfectus est. Veri Pastoris Paulus omnes obiuit partes, quandò in Asia initio congregauit Ecclesias, & in domibus priuatim & publicè omnes & singulos docuit, & ad pietatem adhortatus est; quod & Corinthi illum fecisse constat. Ex vno Paulo quid fecerint cæteri omnes Apostoli, & Euangelistæ, discere possumus.

Ecclesiarum autem & fidelium aucto numero, perdurare in illo labore solus non potuit: adsciuit sibi cooperatores & socios, quibus illas partes mandauit, quas exequi per se non poterat: non qui abiiceret illam curam & totum transferret in alium: sed vt ipsi essent coadiutores in eodem opere Domini. Apostoli Pauli Epistolæ ad particulares Ecclesias scriptæ, quæ iam suos habebant Presbyteros & Episcopos, docent ipsum non abiecisse illarum curam, sed permansisse in Pastorali vigilia. Hoc enim certissimum est, Presbyteros non ad aliud Pastorale munus fuisse vocatos, quàm illud ipsum erat, quod obibant ipsi Apostoli: quamuis ad totum Apostolorum officium non vocarentur; in partem tamen Pastoralis solicitudinis vocabantur.

Libenter D. Beza è Pastorum numero Apostolos & Euangelistas excluderet, ne fateri cogatur, Presbyterum Presbytero, & Pastorem Pastori mandata dare, & præcipere posse, & in eodem Presbyteratu gradus esse diuersos. Apostolorum officiũ esse Pastorale, tertiò repetitum mandatum Domini ad Petrum de pascendis ouibus apertè demonstrat. Hîc D. Beza exclamabit me cœlum terræ miscere, imperitè miscendo ὁμωνυμίας. Quod an ita sit, quemuis candidum lectorem cõstituo iudicem. Quomodo, inquies, discernes hos omnes Presbyteros & Pastores ab inuicem? Quibus nominibus? Vsus obtinuit vt à digniori gradu, vel ordine in quo sunt constituti homines, nomina sortiantur. Atque ita Pastorum Ecclesiæ Christianæ alij dicuntur Apostoli, alij Euangelistæ, alij Patriarchæ, alij Metropolitani, alij Episcopi; & qui sunt infimi ordinis, tantùm Presbyteri, & Pastores nuncupantur.

20. D. THEOD. BEZA.

HAec autem omnis potestas, morte Apostolorum, & Euangelistarum, quatenus defierit, antè declarauimus: hactenùs videlicet, vt ab Apostolicis scriptis comprehensa doctrina & εὐταξία essentialis sit, nunc quoque & ad fines vsque seculorum, vera illa regula & amussis, ad quam Pastores, Doctores, Presbyteri & Diaconi exigere muneris sui administrationem debent: vt ab Apostolorum excessu, neque Apostolis, neque Apostolica authoritate eguerit Ecclesia.

HAD. SARAVIA.

DICIT D. Beza, anteà se declarauisse, morte Apostolorũ & Euangelistarum, omnem illam potestatem desiisse: cuius rei lectoris esto iudicium. Nollem Bezam nec alium quempiam nostrorum hominum quicquam adferere noui, quod nullis antiquitatis testimoniis doceri possit. Nemo Patrum, quod sciam, scripsit, morte Apostolorum & Euangelistarum, potestatem Apostolicam, illâmque regiminis formam, quæ illorum temporibus fuit (qua Episcopus Episcopo, & Presbyter Presbytero eminet) desiisse. Hoc enim ad εὐταξίας essentiam pertinet, vt sint qui imperent; sint etiam qui pareant. Forma gubernationis autem nulla melior tradi potest, eâ, quam exemplo suo tradidêre Apostoli. Vsus est præceptorum Apostolicorum optimus interpres, præsertim temporum perpetua serie confirmatus. Quamuis nouis Apostolis non eguerit Ecclesia; opus tamen semper habuit, & habebit in regimine Ecclesiastico, Apostolica authoritate. Hinc Primatum & Patriarchatum, sicut & Episcopatum, veteres vocant Apostolatum, & sedes eorum Apostolicas: nec de singularitate huius appellationis, vnde sese supra suos collegas efferat Episcopus Romanus, quicquam olim plus quàm cæteri Patriarchæ habuit.

21. D. THEOD. BEZA.

ISta igitur non vniuersalis, sed indefinita, & tamen arbitrio Spiritus sancti distincta Apostolica potestas, etiamsi nunc illam durare concederem; nihil tamen faceret, ad stabiliendam, siue Oecumenicam supra totius orbis terrarũ, siue Patriarchalẽ supra suæ Tetrarchiæ, siue Archiepiscopalem supra suarũ prouinciarum, siue denique Diœcesanam supra suæ Diœceseos omnes Ecclesias vniuersalem dominationẽ: quoniam qua ratione Romana illa tyrannis, cæteri quoque in Ecclesia contra Dei verbum constituti inter Coepiscopos & compresbyteros gradus euertuntur.

HAD. SARAVIA.

MALE D. Beza quod de Apostolica authoritate vrgemus, deflectit ad indefinitam Apostolorum missionem in vniuersum mundum. Patriarchæ & Episcopi, definitas habent prouincias & Diœceses. De potestate gubernationis Ecclesiasticæ nostra est quæstio, qua potestate Apostoli rexerunt Ecclesias, tam populum quàm ipsos Pastores; & cum Apostolis remigrâsse in cœlum negamus, & in Ecclesia remanere contendimus. Eam durare Dom. Beza simpliciter & absolutè si concederet, meliùs causæ, quam contra Romanum Episcopum defendimus, consuleret: & Ecclesiasticæ politiæ neruos non abscinderet. Nam re vera *nihil faceret*, vt ipse rectè dicit, *ad stabiliendam siue Oecumenicam supra totius orbis terrarum, siue Patriarchalem supra Tetrarchiæ, siue Archiepiscopalem supra suarum prouinciarum, siue Diœcesanam supra suæ Diœcesis omnes Ecclesias vniuersalem dominationem.* Sic sentio, vt mirer contra quem, & quorsum hoc dicat Beza, nisi intelligat omnem potestatis superiorem gradũ esse dominationem: quod est & falsum, & absurdum. Cæterùm quod additur; *Quoniam* (inquit)

(inquit) *qua ratione Romana illa tyrannis, ceteri quoq; in Ecclesia contra verbũ Dei constituti inter coepiscopos & compresbyteros gradus euertuntur,* Rectè quidẽ quicquid contra Dei verbum in Papa est, illud secundùm Dei verbum, in aliis Episcopis esse non potest. Quòd si adsumat gradus eminentiores inter Presbyteros & Episcopos esse cõtrà Dei verbum, hoc amplius est quàm D. Bezæ concedam. Nam hoc est, quod inter nos controuertitur; num illi gradus Episcoporum & Archiepiscoporum sint contra Dei verbum constituti, & à D. Beza probandum est, non tanquam probatum adsumendum. Nimium interest, nimium (inquam) interest inter impotentissimam Romani Episcopi dominationem, & gradus illos, quibus supra collegas & compresbyteros excellunt Episcopi & Archiepiscopi: vt mirer hæc ita coniungi à Dom. Beza; quùm contra verbum Dei illos gradus esse constitutos, hactenùs probare non potuerit; & contrarium apertis rationibus, à nobis est demonstratum.

22. D. THEOD. BEZA.

NEc alia Patrum mens fuit initio, quàm πρεσβυτέριον ἐπὶ διοικήσεις, & hæ rursus in prouincias sub vno quopiam cæteris præeunte distribuerentur, quàm vt Ecclesiæ, non cuiusquam arbitrio, sed communi gubernatorum diuinitùs constitutorum, & in nomine Domini ritè & ordine congregatorum sententiâ, & consensu, sicut inter pares regerentur: Diœcesano videlicet primo Presbytero in trimestribus illis conuentibus, quorum adhùc vestigium in quatuor, quæ vocant temporum ieiuniis apparet, sic suis compresbyteris præeunte: & primo prouinciali Episcopo in semestribus prouincialibus Synodis, ita omnia inter coepiscopos suos, moderante; vt quemadmodum veteribus canonibus disertè præcipitur, nec à primo Presbytero absque suorum compresbyterorum, neque à primo Episcopo absq; suorum Coepiscoporum sententiâ, & consensu, nec vicissim quidquam ab istis absque suo duce & moderatore geretur. Sed & in generalioribus, atque adeò Oecumenicis Synodis hic ordo fuit obseruatus, vt ex earum historiis liquet, donec per eorum imprudentiam, qui, vt & supra ostendi, & miserabilis illa, quæ iampridem cernitur Ecclesiæ Christianæ deformitas demonstrat, sublatâ electionis libertate, (quæ loco successionis per vices constituta fuerat, quemadmodum ex Hieronymo & Ambrosio audiuimus) πρεσβυτέριον tum in Diœcesibus tum in Patriarchiis certis vrbibus adsignata, ἀδελφάδοχον facta spiritus ambitionis & auaritiæ facilè irrepsit, & quod vnum Synodorum remedium habebat ab Apostolis aduersùs omnes hæreses & ἀταξίαν Ecclesia, malum omnium pessimum euaserit.

HAD. SARAVIA.

QVIDQVID hîc Beza repetit, & subindè inculcauit; claris testimoniis & notis exemplis Patrum demonstrari oportuit: non iterum atque iterum, ad nauseam vsque, absque demonstratione idem tantùm adfirmare. Quæ fuerit Patrum mens, statim, nullo verborum strepitu, nec dissoluta cirdlitione docebimus, sed propriis illorum verbis: & quùm quæ hîc dicuntur, iam pluries sunt repetita, ea prætermimus.

23. D. BEZA.

EAnt nunc, & mirentur qui volent, triplicem à nobis Episcopatum constitui: vnum videlicet planè diuinum ab Apostolis constitutum, quem restitui cupimus; alterum humanum, quo paulatim mutatus est ordo in gradum, quo sanè fruantur, qui rectum illius vsum à se instaurari & obseruari posse sibi persuadent; tertium oligarchicum & tyrannicũ, Satanicum denique, tum in Romana manifestâ Antichristiana tyrannide, abominandum, tum in ea, quæ vsquàm superest oligarchica Episcopali dominatione, ex verbo Dei corrigendum.

HAD. SARAVIA.

MIRAMVR iure quicquid est nouum & insolens, quod neque verbo Dei, neque ratione, neque exemplo, neque authoritate maiorum defendi potest, & D. Bezam tantùm habet authorem. Quis præter D. Bezam triplicem Episcopatum excudit? Abusus Episcopatus multiplex accidere potest, vt maneat res. Nihil enim ego de Episcopatu dicere audeo, quod de sacerdotio in populo Dei dici non potuit: sed aliàs de hac re pluribus. D. Bezæ nulla fit iniuria, si opinioni verbum Dei, naturæ ratio, maiorum exempla, atque authoritas, & perpetuus omnium Ecclesiarum Christi vsus præferantur, quibus longè tutiùs insistitur, quàm nouæ, & antehâc nunquàm auditæ gubernationis formæ; quæ licet mala non sit, ipsa tamen sui nouitate multis meritò est suspecta.

24. D. THEOD. BEZA.

SEd tuum istud, Sarauia, ego quidem non possum concoquere. *Si suâ prouinciâ*, inquis, *Romanus Episcopus contentus fuisset; nemo eum impiæ tyrannidis accusaret.* Nemo? Imò etiamsi in suæ tantùm, quam falsò sancti Angeli appellant, arcis septo, ageret quod agit quàm latissimè potest; annon esset illic tyrannus? Tyrannis enim, siue sacra siue mundana iura spectemus, ex rei ipsius natura, non ex terrarum, in quibus dominatur, spatio, definienda est.

HAD. SARAVIA.

MEVM non est, quod D. Beza concoquere nequit, sed ipsius: dum enim meis verbis falsum sensum adfingit, ea, sua facit, & mea non esse sinit. Prouinciam Episcopi Romani, vsurpatam ab eo tyrannidem nusquàm intelligo, sed Episcopatum, quē ipsius antecessores sanctè & piè administrârunt, cum inspectione vicinarum Ecclesiarum. Potentiam, quam hodie Episcopus Romanus sibi vendicat, nemo sine calumnia ex verbis meis me intellexisse dicet ipsius prouinciam. Dominationem illam, si intra sancti Angeli arcem inclusa esset, non minùs tyrannidem cum D. Beza iudico, quàm se latissimè per orbem vniuersum extendentem. Tyrannidem non finium extensione ad quos porrigitur, metior, sed naturâ suâ. Qua ingenuitate me Beza vbique defensorem pontificiæ tyrannidis faciat, nescio: id ab initio libri non expectabam, quando *inter bonos benè agier oportere* præfatus est. Ingenuam ego tunc fore sperabam disputationem, & ab omni calumnia puram; sed progressu aliud apparuit: errore nè, an fraude, ipse viderit.

25. D. THEOD. BEZA.

DEINDE, quòd Patribus Apostolorum tempora sequutis, tam licuisse vis ex vetere testamento mutuari politicas quasdam constitutiones ad Ecclesiæ ædificationem, quàm ab ipso Seruatore nostro, & posteà ab Apostolis traditiones quædam ad externam Ecclesiæ regiminis politiam ex eodē fonte fuerunt desumptæ, ego quidem tibi nunquam concesserim: minimè id quidem quasi nesciam, quàm de merè externis illis agitur, quæ necessariò à circumstantiis pendent, sumere boni & iusti ordinis exēpla, etiam ἀπὸ τῶν ἔξω θεν licere: sed quòd planè cæcū eum esse oporteat, qui non animaduertat Christianam externam politiam, iam tum ab aliis temporibus non tantùm ex Iudaismo, sed etiam ex Paganismo conflatis, non tantùm ineptis & inutilibus, verùm etiam indignissimis, & quæ nihil præter superstitionem saperent, ceremoniis & ritibus fuisse transformatam.

HAD. SARAVIA.

VIDE, candide lector, quid mihi D. Beza hîc respondeat, & quàm liberaliter mecum agat. Concedit mihi quod à nemine sani iudicij negari potest; tam ex lege Mosis, quàm ab ipsis gentibus, qui naturæ legem sunt secuti, boni ordinis leges, & exempla sumere licere. Tamen id nunquàm se mihi concessurum in hac nostra Ecclesiastica politia testatur. Ratio hæc est; *Quòd cæcum eum esse oporteat, qui non animaduertat, Christianam externam politiam, iam tum ab illis temporibus, non tantùm ex Iudaismo, sed etiam ex Paganismo conflatis, non tantùm ineptis, & inutilibus, verùm etiam indignissimis, & quæ nihil præter superstitionem saperent, ceremoniis & ritibus, fuisse transformatam.* Sed quia Patres non eum seruârunt delectum aut modum, quem debuerunt, idcirco nihil posse indè desumi, seruata mediocritate, consistere non potest cum eo quod concedit. Quùm igitur omnia damnari non possint, quæ aut ex lege data veteri populo, vel ipsius naturæ, quam in multis secutæ sunt gentes, desumpta sunt; vellem D. Bezam distinctiùs fuisse locutum: vt sciri posset, num id, de quo inter nos controuertitur, sit ex eorum genere, quæ Christianam externam politiam, indignissimis ceremoniis & ritibus transformârunt; an quæ natura omnes gentes docuit, & Deus in populo suo constituit. Flexuoso sermone vsus Dom. Beza videri potest, vt sinum haberet, quo se reciperet, contra id quod certò sibi obiiciendum præuidere non fuit difficile. Ego meam sententiam satis apertè de hac re elocutus sum: eam directè oppugnare debuit, & docere, quare nobis ex veteri testamento, exemplum desumere gubernationis Ecclesiæ non licuerit. Dom. Beza sibi concedi vult, Seniores

laicos

laicos Pastoribus Ecclesiarum coniungendi exemplum, ex veteris populi Dei vsu sumere. Quod certè vt ei non negamus; (errore in quo versatur excepto) ita æquum esse censemus, vt Patribus, & nobis similiter, ex absoluto & perfecto illo Archetypo, quem Deus in Leuitico sacerdotio constituit, â quo nihil diuersum nec ipse Dominus, nec ipsius Apostoli tradiderunt, exemplum regiminis Ecclesiastici, inter Ecclesiæ Ministros sumere permittat. Quandò de Ecclesiæ censura, & iudiciis Ecclesiasticis ipsi disserunt; quid non ex veteri testamento, & sæpe à re, quàm maximè alienum, non adfertur, vt temporarij Seniores diuini iuris esse doceantur? Hîc verò cur eadem non valet tantundem ratio?

Quod autem ritus & ceremonias attinet Ecclesiæ Romanæ, sine modo & ratione in immensum illas creuisse non diffitemur: adeò vt Christianismus, qui illic est, non modò in Iudaismum, sed in Paganismum transformatus fuerit. Ab illis spurcitiis (sit Deo laus) Anglicana Ecclesia repurgata est. Verùm, proh dolor, *dum vitia vitant stulti in contraria ruunt.* Tam enim in vitio est qui nullas in externo Dei cultu ceremonias admittit, quæ tantùm decori seruiunt, honestq; sui admoneant officij, quàm qui quasuis citra delectum recipiunt, & præcipuam cultus diuini partem in prophanis nugis, & quod peius est, in impijs & idolatricis ritibus collocant. Sed quia transitus est multò facilior ab idololatria & superstitione ad Atheismum, & sacrarum rerum prophanationem, quàm ad auream mediocritatem, optarem à D. Beza non in vniuersum ceremonias damnari sine vllo discrimine: sed quibus, & quatenùs illis vti cõueniat, docere.

Id enim necessarium imprimis est, propter importunitatem quorundam hominũ qui Anglicanam Ecclesiam turbant, propterea quòd paucas quasdam ceremonias retinuerit, quas ad decorum & honestatem externam iudicauit pertinere. Quibus tamẽ, cùm nec pietatem, nec religionem vllam profiteatur se tribuere, nihilo seciùs de illis digladiantur, quàm si summa Christianæ religionis violata esset.

26. D. THEOD. BEZA.

SEd illud præterea valdè miror, ex qua tandem Israeliticæ politiæ sacræ parte possis istos Hierarchicos gradus elicere, nisi vsque ad vicarium etiam caput Ecclesiæ vniuersale nobis ascendendũ putes, quod sit Aaronis ἀντίτυπον.

HAD. SARAVIA.

EST quod ego magis mirer, quid Dom. Bezæ in mentem venerit, vt à me petat, ex qua tandem Israeliticæ politiæ parte, queam hos Hierarchicos gradus elicere; qui non ignoret ordinem inter sacerdotes Leuiticos fuisse, qui inæqualis potestatis & dignitatis gradus continebat. Quem quum diuinum fuisse constet in veteri populo Dei, eundem humanum inter Christianos non debere dici. Erant 24. principes sacerdotum, quorum singuli plura sub se habebant millia suorum fratrum, & supra hos vnus summus Sacerdos extitit, qui & sacerdotibus reliquis, & toti genti in rebus sacris præerat. Ad cuius exemplum, non est absurdum in vnaquaque gente, vnum Archiepiscopum & Primatem esse, ad quem se referat tota illius gentis Pastorum societas. Quod latiùs extendi cùm nequeat, ad vnum ascendendo vniuersale totius Ecclesiæ in terris caput, malè cum Papistis id D. Beza concludit consequi. Si præficiantur Patriarchæ & Primates singulis gentibus, eadem ratione admittendũ vniuersale totius Ecclesiæ aliquod caput, non esse consequens iam suprà diximus, & multi ante me docuerunt. Certè D. Beza, non me, sed grauissimos viros, qui papæ Romani tyrannidem, admissis Archiepiscopis, Patriarchis, & Primatibus in vnaquaque gente, doctissimè oppugnârunt, & hoc argumentum confutârunt, damnat ignorantiæ, & paralogismũ pontificiorum confirmat. Nulla vnquàm gens Christiana fuit, cuius aliqua memoria extat in historiis, quæ suum Primatem non habuerit, cum Episcopis & Presbyteris diuersorum graduum, etiam in sæuissimis persecutionum temporibus. Quos omnes insaniuisse, & paucos quosdam nostra ætate sapere vt credam, solidioribus opus est argumentis.

De

¶ *De Episcopis & Archiepiscopis.*

ANTEQVAM ad 25. caput veniam, quia D. Beza hac tota responsione plerunq; non tam me oppugnat, quàm suas cogitationes, quas falsò ex meo tractatu collegit; vbique declamans verius quàm disputans contra tyrannidem Episcoporum & Archiepiscoporum, quam non defendo, (vt iam pluries admonui) sed æquè, atque ipse Beza, odi, detestorque; pauca quædam de Episcoporum & Primatum potestate & eminentiore gradu interseram. Ipse tyrannidem nullam nobis definiuit, nec demonstrauit: excurrit liberè in dominationem Episcopalem, ac si disputationem suscepisset contra defensorem dominationis Episcopalis; aut omnis potestas Episcopalis, dominatio tyrannisuè quædam esset; quod certè tam est manifestè falsum, vt refutatione non egeat.

Quòd autem plerique Episcopi & Archiepiscopi, reuerà domini sunt magnarum prouinciarum; id à regibus & Imperatoribus habent, vt alij R. P. ciues, & subiecti, Regúmque clientes, qui vocantur vulgò vasalli: de qua re hîc non disputatur. Idcircò necessarium iudicaui hoc loco subiicere, quæ sit illa Episcoporum & Archiepiscoporum atque Primatum potestas, quam defendo: & eis, quatenus Pastores Ecclesiæ Christi sunt, & Euangelij filij Dei Doctores, ab Apostolis traditam adfirmo.

Primum Episcoporum omnium & Presbyterorum vnum esse ordinem constituo: & sicut ministeriũ Euangelicum vnum est, ita Apostolatus vnus, & Episcopatus vnus, & Presbyteratus vnus in vna Catholica Ecclesia. Argumenta superius multa sparsim, prout res tulit, à me inserta sunt, quæ huius rei faciunt fidem. Qui acutius homonymias excogitat, & nouas distinctiones, vt eluet & eludat argumenta quæ ab hac vnitate ducuntur, in sophisticen incidit. Synonyma mihi vocabula Euangelistæ, Episcopi, & Presbyteri, & Doctoris sunt, quandò secundum significationis suæ etymon de Ministris Euangelij, & præpositis Ecclesiæ dicuntur: siue tantùm Presbyter sit, siue Episcopus, siue Euangelista, siue Apostolus, quia eadem prorsùs ratione enuntiantur, de suis subiectis. Sed quandò certos quosdam, discernendi causâ, diuersos gradus significant; quique suas peculiares notas habent accidentarias, quibus distinguuntur ab inuicem; sicut in meo tractatu exposui; illis alius significatur eminere supra alium. In gubernatione Ecclesiastica superiores fuisse Apostolos, & Prophetas, & Euangelistas, Episcopis & Presbyteris: similiter Apostolos, Prophetis & Euangelistis; minimè controuersum est.

Quod Presbyteros & Episcopos ab Apostolis creatos attinet, alij aliis latiorẽ prouinciam obtinebant: sicut in Tito & Timotheo, quos Apostolus Presbyteros creauit, manifestum est. Et quamuis non quiuis Presbyter, Episcopus; nec Episcopus nec Euangelista, aut Propheta vel Apostolus esset; tamen Apostolus erat Euangelista, erat Propheta, & Episcopus & Presbyter; similiter Euangelista erat Episcopus, & Presbyter: quemadmodum maior numerus minorem continet; sic maior gradus inferiorem; sed non contrà. Apostolus Corinthi, & pluribus aliis locis, Apostoli, Euangelistæ, Prophetæ, Pastoris, & Doctoris functus est officio; ne quis hæc ita discreta putet, vt ab eodem non possint homine exequi. Hæc graduum diuersitas essentiam Ministerij nihil mutat; quæ in tribus, vt pluries iam diximus, sita est: nempè verbi Dei prædicatione, sacramentorum administratione, & morum censurâ; hoc est, Ecclesiastica iurisdictione.

Ministerij autem Euangelici vnitas, probatur ab horum vnitate, & vt ita loquar, identitate: eandem enim veritatis doctrinam omnes orthodoxi docent, eadem sacramenta ministrant, eándem censuram exercent: tantùm prouinciarum est inæqualitas, & graduum diuersitas. De hac re Cyprianus pluribus in locis scribit, & ad Antonianum, *Cùm sit vna Ecclesia per totum mundum in multa membra diuisa; Episcopatus vnus est, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus.* Idem de vnitate Ecclesiæ, aliàs de simplicitate Prælatorum. *Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptismum, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopa-*

piscopatum quoque ipsum vnum & indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat: Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Et idem Epist. 9. lib. 3. *Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos, & Præpositos, Dominus elegit; Diaconos autem post adscensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros.*

Ambrosius. *Apostoli Episcopi sunt. &c.* Quæ alibi de hac re habeo huic loco seruant; quibus demonstratur quòd Apostolatus est quidam Episcopatus: & contrà, Episcopatus quidam Apostolatus. Nec est, quod Aduersarij putent, ipsis quidquam esse præsidij in homonymia harum vocum; quibus nec fallor, nec ludo: de potestate gubernationis Ecclesiasticæ hæc intelligo; quæ similis & eadem, etsi non par, quod latitudinem locorum, & multitudinem hominum attinet, in omnibus Episcopis, & Euangelistis, atque Apostolis fuit.

Sententia hæc est omnium Patrũ, Episcopos in Ecclesiæ regimine Apostolis succesisse; & Episcopatum esse quendam Apostolatum. Prouinciam mandaram Tito & Timotheo ab Apostolo fuisse Apostolicam, nemo mihi negaturus est: nempè quam ipse obiuisset Apostolus, si præsens ipse adesse potuisset. Sed Domino Bezæ hæc potestas extraordinaria est, & Euangelistarum, quæ simul cum Apostolis (vt ipse putat) esse desiit. Sed quo verbo Dei id docet? Episcopum vel Presbyterum (quorum eadem est ordinatio) à Paulo per ipsius impositionem manuũ creatum fuisse constat: Euangelistam aut Apostolum non legimus; cùm tamen vtroque nomine illa ætate Timotheus vocari potuerit. Si oracula essent D. Bezæ placita, nos ei cedere oporteret: verùm cùm Patrum consensus maioris esse debeat ponderis, apud eos qui æquo iudicio æstimant neotericorum scripta; nulla Domino Bezæ sit iniuria, quandò ab eius sententia receditur. Apud Patres pugnantia hæc non sunt habita; eundem Apostolum fuisse, vel Euangelistam, simul & Episcopum. Titum & Timotheum Episcopos fuisse, Patrum est communis sententia, vt supra docuimus ex Chrysostomo, in 2. Timot. 4. Oecumenius in argumento in Epistolam ad Titum, quod Theodoreti nomen præfert; & Theophylactus iisdem penè verbis in argumento in Epist. ad Tit. idem testantur.

Eusebius in libro tertio cap. 4. de prima successione Apostolorum scribens, refert, *traditum fuisse, Timotheum, primum Ecclesiæ, quæ est Epheſi, Episcopatum obtinuisse; Titum itidem, Ecclesiis quæ sunt in Creta præfuisse.*

Chrysost. in Epist. ad Philipp. de Timotheo habet, *Propterea Paulus Timotheo scribens dixit,* Diaconatũ tuum impleto, *cùm esset Episcopus. Quoniam enim Episcopus erat, dicit ad eum,* Manus nemini citò imposueris. Item ait in 1. Tim. cap. 5. & in cap. 4. *Timotheo fuisse creditam Ecclesiam, imò gentem fere totam Asiaticam.*

Quid multis opus est? Ordinatum fuisse Timotheum à Paulo cum impositione manuum cùm constet, & Patres omnes, & qui eos secuti omnes, vsque ad nostra tempora intellexerint, ordinatum Timotheum fuisse Episcopum; nullam extraordinariam vocationem in eo agnouerunt, quæ non manserit in Ecclesia successione perpetua. Nicolaus Lyranus, & nostri temporis, & Patrum nostrorum scriptores, vt Pellicanus, vocant Titum Archiepiscopum Cretæ; Erasmus in Arg. Epist. ad Tit. scribit à Paulo Titum ordinatum fuisse Archiepiscopum Cretæ. Illyricus narrat Titum ac etiam Timotheum multarum Ecclesiarum fuisse Episcopos. Germanicarum Ecclesiarũ scriptores (qui non pauci sunt) pro Episcopis, in suis commentariis, Titum & Timotheum habent. Fixum igitur hoc esto; hos Christi seruos fuisse Episcopos.

Officium autem & potestas eorum quæ fuerit in Ecclesiæ gubernatione, ex Epistolis ad eos scriptis, facilè potest colligi. Diximus modò, eandem fuisse, quã habebant Apostoli, & quam, si præsens Paulus fuisset, exercuisset: suas enim partes absentis non tantùm eis delegauerat, sed tradiderat, & vt apparet solenni ritu ad eam rem ipsos cõsecrârat. Cùm verò potestatem, cum tota, eáque sibi consentiente antiquitate, dicimus Episcopalem, & Archiepiscopalẽ, Patriarchalemue, nihil plus minusue summis Patriarchis datus, quam habuêre Titus & Timotheus. Sed ne miretur quispiam, me Episcopos coniungere cum Archiepiscopis; scire eum volo, neminem duos vnquam

ordines

ordines Episcoporum constituisse, vtpote qui tantùm honoris gradibus distinguantur, & iurisdictione. Nam circa eandē prorsus materiam versantur: nihil facit Archiepiscopus quod non possit facere Episcopus, nisi quod ab Archiepiscopo non appellatur ad Episcopum, sicut ab Episcopo ad Archiepiscopum. Consecrat quidem Episcopos Archiepiscopus, sed non solus: habet enim ex collegis ad minus duos, si plures habere non potest: & suas partes potest committere cuiuis Episcopo. Episcopus verò, quæ iurisdictionis sunt Ecclesiastica in censura morum, & cæteris quæ sunt huius generis, potestatem facere potest Presbyteris, vt quæ sunt Episcopi iudicio reseruata decidant; sed actiones coniunctas cum Episcopali gradu, non potest: vt est impositio manuum Presbyterij, & ordinatio. Vnde sunt, qui non tantùm gradu superiorem Episcopum Presbyteris esse contendunt, sed etiam ordine. Quod parùm referre arbitror, modò cum antiquitate, hæc actio propria concedatur esse Episcopo; à qua recedere & dissentire absque expresso Dei verbo, est totam antiquitatem damnare.

Nunc videamus quam administrationem, Apostolus Timotheo & Tito dederit: quodque imperium in Ecclesias & Ecclesiarum Pastores acceperint. In tribus illis Epistolis totum Episcoporum & Archiepiscoporum continetur officium. Et Patres quotquot ab illis temporibus vixerunt, crediderunt administrationis Episcopalis leges, illis Pauli præceptis traditas Ecclesiæ: & non tam propter Timotheum & Titum, quam sequentium seculorum Episcopos, vt haberent quod sequerentur in suo munere, fuisse scriptas. Nunquàm enim cogitârunt, illîc descriptum fuisse officium Euangelistæ, qui non esset Episcopus, hoc est, certo loco & prouinciæ præfectus & addictus.

Primò, Timotheo & Tito, sanæ doctrinæ tum conseruandæ, tum propagandæ cura, cum bona conscientia mandatur: & quomodò se aduersùs hæreticos gerere debeant; quomodo confutandi, & admonendi, & denique vitandi sint. Deindè Leiturgiæ, & publicarum precum, & eorum omnium quæ ad Dei internum & externum cultum pertinet, procuratio, toto secundo c. prioris ad Tim. traditur. Præterea ordinandi Diaconos, Presbyteros, & Episcopos, per singulas ciuitates potestas data cùm esset, quales esse oporteat, & quibus donis præditos Episcopos & Presbyteros describit. Postremò, qua moderatione prudentiáque deceat Episcopum vti in gubernatione Ecclesiæ, & censurâ morum exercendâ, & in admittenda accusatione cōtra Presbyteros: quis honor viduis habendus, & quæ ad ministerium sint eligendæ; Presbyteros qui bene præsunt, pro ratione laborum suorum, æstimandos honore dignos præcipitur. His certè præceptis verum formari Episcopum veteres crediderunt, & ad hæc Archetypa formârunt suos Episcopos, & Archiepiscopos: & canones omnes, quos postea ediderunt de hac re, hinc tanquam ex fonte deriuârunt.

Priores Episcopi partes, quæ doctrinam respiciunt, & externum Dei cultum, in hac disputatione non controuertuntur inter nos; tota nostra controuersia est, de authoritate Episcopali in gubernatione Ecclesiæ. Et quia pars regiminis Ecclesiastici est sita in constitutione presbyterorum & pastorum Ecclesiæ, semper & vbique ordinatio eorum fuit propria Episcopis. Nec Beza, nec alius quispiam vnquam docere poterit, vllum Episcopum aut Presbyterum, ab antiquitate probatum, creatum, aut ordinatum à Presbyteris, aut Presbyterio, sine Episcopo. Quid Ecclesia possit in extrema necessitate, quando nullus haberi potest idoneus Episcopus, hîc non disputo. Sed hoc fidenter aio; nullum ex historiis Ecclesiasticis, posse proferri exemplū, nullum ex Patribus testimonium, Presbyteri aut Episcopi, quem non creârit Episcopus, vel Episcopi plures, si fuit Episcopus. An autē solus Episcopus sine consilio & adsensu Presbyterorum potuerit creare Presbyterum, mox dicturi sumus. Immotum interìm hoc esto, donec ex verbo Dei, aut ex Conciliis, & historiis Ecclesiast. & ex Patrum monumentis, contrarium docebitur; Episcopi proprium esse ordinare per Ecclesias Presbyteros: nec vnquam Presbyteros creandi Presbyteri habuisse potestatem, sicut Episcopus habuit.

Durum & paradoxū quibusdā id visum iri non dubito, sed nunquàm iis, qui in Theologiæ studiis, vt oportet, versati sunt. Hac potestate quia per errorem Timotheus abuti poterat, admonetur, *ne cui citò manus imponat*: quæ certè superflua fuisset admonitio,

nitio, si partes ipsius, in creatione Presbyterorum fuissent, suffragia numerare Presbyterij; & quod pluribus visum esset, exequi. Aliquid amplius in ipsius arbitrio relictũ fuisse, facilè quiuis, quem non præiudiciũ alterius opinionis abripuit, intelligit. Quod nunquàm in Apostolos, vix in Timotheum, ipsíque similes, fidos Christi seruos, cadere potuit, vt sua abuterentur potestate, procliue fuit, & est aliis Episcopis, quos Deus non tantâ muniuit gratiâ. Idcirco prudenti consilio legibus adstricti fuêre sequentium seculorum Episcopi; ne sua potestate abuterentur. Quas leges ex Conciliorum & Patrum monumentis, quiuis petere posset.

Quod adlegatur à Domino Beza, Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente, etiam omnes Presbyteros qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi, super caput illius tenere; nihil est, vt probetur â Presbyteris eum ordinari. Nullum Concilium facit potestatẽ Presbyteris, Presbyterum creandi: sed tantùm manus suas consecrantis Episcopi manibus apponere iubentur, consensus & voluntatis testificandæ gratiâ, vt simul benè precarentur ei, qui in ipsorum adsumebatur ordinem. Nec necessitate id fieri dici potest, cùm constet Titum & Timotheum, sicut & Apostolos, solos imposuisse manus primis quos creârunt Presbyteris. Nullum decretum extat, quo mandetur Episcopis adsumere secum Presbyteros in consecratione Presbyterorum; sicut Archiepiscopo, in consecratione Episcoporum, vt ad minus duos habeant secum Episcopos. Hispalense Concil. secundum, c. sexto habet. *Episcopus sacerdotibus & ministris solus dare honorem potest, solus auferre non potest.* Quod autem non possint Presbyteri sine Episcopo Presbyterum ordinare, nec Episcopus suas partes Presbyteris in hac re mandare, idem Conc. secundum Hispalense apertè docet; cuius decretum ita habet. *Ad agnitionem nostri examinis, Agabrensis diaconi relatu deductum est, de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis; quorum dum vnus ad Presbyterium, duo ad Leuitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manũ super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse: qui licet propter tantam præsumptionis audaciam poterat accusatus, iudicio præsenti damnari, si adhuc in corpore positus, non fuisset mortis vocatione preuentus: sed quia ille examini diuino relictus humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt, ab eo non consecrationis titulum, sed ignominia potius elegium perceperunt; ne sibi licentiam talis vsurpatio faciat, decreuimus vt à gradu sacerdotalis vel Leuitici ordinis, quem peruersè adepti sunt, depositi, æquo iudicio abiiciantur. Tales enim meritò sunt remouendi: quia prauè inuenti sunt constituti.*

Hæc Concilium. Res tamen excusationem merebatur, si per alium Presbyterum ordinare potuisset: oculorum caligine quia legere non potuit Episcopus, ipse impositis manibus capiti eius, quem vel Diaconum vel Presbyterum ordinabat, Presbyter preces ordinationis de libro legebat. Hæc ordinatio Patribus illis improbatur: cuius nulla fuisset causa, si Presbyter Presbyterum ordinare potuisset; & præcipua vis in Electione & præcedente examine fuisset. Epiphanius hæresi 69. de Colluthо quodam mentionem facit, à quo Colluthiani dicti sunt; sed quia in errore non perseuerauit, nec ij qui fuerant hominem secuti, errorem ipsius non tangit. Sed ex secunda Athanasij Apologia, colligi potest, in suo schismate, cùm tantum Presbyter esset, ordinâsse Presbyteros.

Conquerebatur de vi sibi à Macario factâ inter celebranda mysteria corporis & sanguinis Domini, quidam Ischyras, quem Presbyterum ordinauerat Colluthus; qui his verbis confutatus est. *Quo pacto igitur Presbyter Ischyras, aut quo tandem authore constitutus? Nunquid scilicet à Colluthо? Id enim restat. Atqui Colluthũ in gradu Presbyterij mortuum, omnémque eius manuum impositionem rescissam, omnesq; ab eo constitutos, in Laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine Laicorum ad Synaxin admissos, adeò apud omnes constat; vt nemo ea de re dubitandum putet.*

Epiphanium iam pluries audiuimus dicentem Episcopos procreare Patres, hoc est, Presbyteros: quod ipsis tanquam peculiare ac proprium tribuit. In sacra historia noui testamenti, nusquam inueniemus Presbyteros creatos à Presbyteris, sed aut ab Apostolis, aut Episcopis illis, qui eiusdẽ gradus & potestatis erant cum Timotheo & Tito.

Et

Et ab illis temporibus, ſemper ab ijs, qui in eodem Eccleſiæ regimine ſucceſſerunt Apoſtolis, & primis eorum ſucceſſoribus idem factitatum eſt, vſuq; confirmatum. Apoſtolici muneris fuit, præpoſitos dare Eccleſiis, quas plantauerant: hanc poteſtatem communicatam fuiſſe alijs, ex duabus Epiſtolis ad Tim. & ad Tit. eſt manifeſtum: eligendi autem Presbyteros ratio modúſque variant: nec eadem ſemper & vbique apud omnes fuit.

Quod electionem, & externam vocationem attinet, eam à Presbyteris & ab Epiſcopo ſimul, vel ab Epiſcopo ſolo, fidelibus poſtulantibus, & teſtimoniũ reddentibus de probitate & honeſtate vitæ eius, qui Presbyter ordinandus erat, fieri ſolitam notũ eſt. Si Eccleſiæ quædam reformatæ ſunt, quæ alium morem ſequuntur; nullum improbo, qui expreſſo Dei verbo non repugnat: & bonis legibus quæritur, ne mali & inidonei ad ſacrum miniſterium admittantur; & de piis & doctis Paſtoribus Eccleſiæ proſpiciatur. Sed quicquid in hac re fiet, nihil actum puto; niſi per impoſitionẽ manuum poteſtas Eccleſiaſtica, & regni cœlorum claues tradantur ab iis, quibus ſunt cõcreditæ. Electio ſeptem Diaconorum fuit populi Chriſtiani, qui Hieroſolymis degebat; ſed conſtitutio, Apoſtolorum. In Epiſcopis eſt, præſentatum & electum iuſtis de cauſis repellendi poteſtas: ſed olim maior quàm ſit hodiè, quia Epiſcopi ſibi creabant Presbyteros, tanquam coadiutores: hinc creare quos non probâſſet, nemo cogebatur. Tametſi plerique omnes de conſilio compresbyterorum, & conſenſu, adſciſcerentur in ordinem Presbyterorum, quos eo honore dignos iudicabant; non tamen vlla lege ita adſtringebantur, quin poſſent illis inconſultis ordinare Presbyteros.

Apoſtolos tamen non ſolos impoſuiſſe manus eis quos conſtituerunt Epiſcopos & Presbyteros, ſed ſicut ſuffragiis eos creârunt, ita Presbyteros reliquos qui aderant, idẽ feciſſe diſputant. Chryſoſt. homil. 3. in Act. Apoſtolorum: *Conſidera* (inquit) *quàm Petrus agit omnia ex communi diſcipulorum ſententia; nihil authoritate ſua, nihil cum imperio. An non licebat ipſi eligere? Licebat; & quidem maximè: verùm id non facit, ne cui videretur gratificari. Quanquam alioquì nondum erat particeps ſpiritus.* Sed nihil hîc Chryſoſtomus habet quod mihi aduerſetur. Ait enim licuiſſe, ſed non feciſſe; nõ inopiâ poteſtatis, ſed certo conſilio, ne videretur poteſtate abuti. Presbyteros autem creatos Iconij & Lyſtræ, ac aliis per Lycaoniam locis ab Apoſtolis, notum eſt: ſed an ſuffragiis populi fuerint creati dubium. Quod ex ſignificatione verbi χειροτονεῖν ducitur argumentum, vt probetur populum tunc elegiſſe ſuos Paſtores, valdè infirmum eſt. Nam quamuis etiam accipiatur pro creatione aut conſtitutione, quæ ſuffragiis populi fieri ſolebat erectione manuum: id Lucam voluiſſe ſignificare, & non potiùs per impoſitionem manuum Apoſtolorum, qua ſpiritus ſancti gratiam conferebant, ordinatos fuiſſe Presbyteros, difficile eſſet docere: vſos autem fuiſſe illa ſolenni ceremonia certum eſt; alterum eſt incertum: & dictio χειροτονήσαντες refertur ad Paulum & Barnabam, non ad populum. Fieri quidem potuit, vt populi ſuffragiis fuerint electi; ſed hoc ex vi ſignificationis illius vocabuli non poteſt deduci, non magis quã ex 10. ca. Act. vbi Petrus ita loquitur ἀλλὰ μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις ὑπὸ τοῦ θεοῦ ὑμῖν *ſed nobis teſtibus, quos prius Deus præordinauerat.* Certum eſt in Dei conſtitutione nulla populi interceſſiſſe ſuffragia.

Vſus theologorum, qui Græcè ſcripſerunt, huius vocis, meo iudicio, eſt optimus interpres: at illi tam in Conciliis, quàm paſſim in ſuis ſcriptis, hac dictione vtuntur pro impoſitione manuum, quâ Epiſcopi vti ſolebant in ordinatione Epiſcoporum, & Presbyterorum. Quod 2. Corin. 8. c. 19. legitur de Luca quòd χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, nihil nobis aduerſatur: paſſiuæ vocis conſtructio euincit ab Eccleſia ſuffragiis electum fuiſſe: actiua vox abſolutè conſtitutionem ſignificat per manuum impoſitionem; nullis etiam interuenientibus ſuffragiis, ſicut à Reuerendiſſimo Vintonienſi Epiſcopo, Domino Bilſono doctè multis exemplis demonſtratur, c. 7. libri ſui de perpetuo Eccleſiæ Chriſti regimine. Cauſa fuit cur Lucas ab Eccleſiis eligeretur: voluit enim Paulus in pecunia ſibi creditâ, malis ſuſpicionibus obuiã ire. Locus. 1. Tim. 4. c. 15. verſu qui de impoſitione manuum Presbyterij mentionem facit, non arguit Presbyteros Timotheo impoſuiſſe manus: tam Græci quàm Latini theologi qui illum locum explanârunt refragantur.

Legatur

Legatur Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & Ambrosius; nemo eorum admittit Presbyteros Timotheo imposuisse manus: & Presbyterium optimi quique interpretes pro officio Presbyteri accipiunt. Ipse Caluinus lib. 4. c. 3. Institutionum ita scribit. *Paulus ipse alibi se, non alios complures, Timotheo manus imposuisse commemorat.* Admoneo te (*inquit*) vt gratiam suscites, qui in te est, per impositionem manuum mearum. *Nam quod in altera Epistola de impositione manuum Presbyterij dicitur, non ita accipio, quasi Paulus de seniorum collegio loquatur; sed hoc nomine, ordinationem ipsam intelligo, quasi diceret: fac vt gratia, quam per manuum impositionẽ recepisti, quum te Presbyterũ crearẽ, non sit irrita.* Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, fatentur, plures cum Apostolo manus imposuisse Timotheo (inquies:) sed ijdẽ apertè negant, eos fuisse Presbyteros. Ecquid opus fuit, simul cum Paulo Presbyteros apposuisse manus; cùm conferendi gratiam spiritus sancti Apostolorum, non Presbyterorum manus donũ haberent? Philippus baptizauerat Samaritanos, sed manus eis non imposuit. Peculiare hoc fuit Apostolis; qui quando manus eis imposuerunt, nihil opus fuit, vt suas adiungeret Philippus.

Similiter Episcopi proprium est, in ministerij Ecclesiastici ordinem quempiam cooptare impositione manuum Presbyterij posse: Presbyteris id nusquàm datum legitur. Quandocunque id vsurpatum fuit, Patrum authoritas irritum fecit. Quùm itaque peculiare & proprium hoc fuerit Apostolorum & Episcoporum, Presbyterorum collegium hoc nunquàm vsurpare potuit. Causæ plures fuerunt impositionis manuum: nec omnem Presbyteris negamus imponendi manus potestatem: sed simul cum Apostolis, vt idem & illud ipsum facerent, quod Apostoli, non admittimus. Presbyteri qui erant Antiochiæ, & manus imposuerunt Paulo & Barnabæ, Prophetæ erant, per quos spiritus sanctus denunciauerat amandandos esse ad opus, ad quod Deus eos destinauerat. Igitur cum ieiunio, & precibus, atque impositione manuum dimissi sunt: quæ symbolum fuit, quòd eos diuinæ protectioni commendabant. Non tamen illi Prophetæ Paulo & Barnabæ manuum suarum impositione Apostolatum, aut munus aliquod Ecclesiasticum contulerunt. Paulus Apostolus fuit, non ab hominibus, neque per homines missus, & ab alijs Apostolis ipse nihil se accepisse testatur: quod Timotheus, aut alius quiuis ab Apostolis ordinatus, dicere non potuerunt.

Presbyterij officium, vel aliud Ecclesiæ ministerium, cùm sit res spiritualis, non potuit cuiquam cõmunicari, nisi per Apostolos, & eos quibus Apostolicam gratiam cõtulerunt: electionẽ verò cuicunque demus, nihil virtute electionis consequitur Electus; quia qui eligunt, aut non habent administrationẽ clauiũ regni cœlorum, quam Dominus tradidit Ecclesiæ, aut superiores habent authoritate, à quibus electio probanda est. In repub. alia est ratio. Electores Regum & Magistratuum dispositionem plenam & authoritatẽ habent ciuilis imperij, ꝙ suis suffragiis transferunt in electum. Quod in electione inferiorum magistratuum non fit, ab iis facta, in quorum manibus tota publica potestas non est, necesse est vt electi ab eo potestatẽ accipiant, qui eam habet, & ex causa negare potest. Quandò Paulus Tito & Timotheo in suis Epistolis tradit, quos præficere debeant Ecclesiis; similiter populo & omnibus Presbyterorum electoribus, quos debeant eligere, præcipit. Quòd si tunc populum contigisset eligere hominẽ ineptũ; vtpote nuptijs duarũ coniugum implicitũ, aut ad docendũ non idoneum, aut infamiâ teteri alicuius sceleris laborantẽ; ad officium pertinebat Titi, talem reiicere, & aliũ, si à sententia deduci non possent, sua authoritate substituere. Neminẽ tamen obtrusisse Apostolos aut Timotheũ Ecclesiis, non gratũ Presbyterũ, arbitror: & populi interuenisse consensum non dubito, propter opinionẽ quam de pietate fidelium illius temporis habeo. Hoc tamen hodiè non vbiq; obseruandum puto, propter peruicaciam populi, præferentis sæpè falsos doctores piis Pastoribus. Sed Apostolos, quos Deus suo regebat spiritu, & nôsse poterant, qui præ cæteris magis essent idonei futuri Ecclesiæ Pastores: quibus & donũ Prophetiæ & linguarũ cõferre poterant; imponere alicui etiã ecclesiæ pastoralẽ curã nõ dubito potuisse. Multa pro sua authoritate in ecclesia, incõsultis past. Apostoli facere potuerunt quæ per canones Episcopis non licet: quia eundẽ directorẽ S. sanct. non semper sequũtur, sicut fecerũt Apost. Hinc ecclesiarũ Ministros illis tẽporib. sine populi aut Presbyterorũ creâsse cõsensu arbitror.

Electionis humanæ non erant expectanda ſuffragia, vbi præcedebant diuina. Barnabas, Iohannem Marcum, repugnante Paulo, & fratribus tacentibus, ſocium ad prædicandum Euangelium adſumpſit. Quod certè ad magnam Eccleſiæ ædificationem ceſſit: adeò vt poſteà ipſe Paulus, tanquàm facti pœnitens, in pluribus ſuis Epiſtolis eum commendârit, quem priùs improbâſſe videri poterat.

Vbi director ille Spiritus ſanctus non adeſt, qui Apoſtolos in omnibus eorum actionibus dirigebat; Eccleſiæ leges, aut Conſiſtorij ſui iudicium Epiſcopum ſequi oportuit. Cyprianus epiſt. 10. li. 3. ad Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ ſuæ ita ſcribit. *Ad id quod ſcripſerunt mihi Presbyteri noſtri Donatus & Nouatus & Curdius, ſolus reſcribere nihil potui. Cùm à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, meâ priuatim ſententiâ gerere. Sed cùm ad vos per Dei gratiam venero, tũ de iis quæ vel geſta ſunt vel gerenda.* Cùm homines ſint Epiſcopi, & errare poſſint, eorumque actiones ſint calumniis obnoxiæ; vt vtrumque vitent, aut legibus, aut conſiliariis opus habuerunt, & habent Epiſcopi, quos ſequantur. Tamen id, quòd nihil ſine conſilio compresbyterorum, aut iuſſione legum poſſunt Epiſcopi aut Archiepiſcopi, non magis minuit eorum poteſtatem, quàm Apoſtolorum, qui diuina quadam neceſſitate, Spiritui ſancto obtemperârunt. Quemadmodùm nunc quandò Epiſcopi & Archiepiſcopi aliquid tentant contra ipſis præſcriptas leges, id ſuo periculo faciunt; ita olim antequam leges Eccleſiaſticæ extarent, ſi quid feciſſent contra ſententiam ſuorũ Presbyterorum, aut collegarũ, vel illis inconſultis, vbi eos conſulere tenebantur, ſuo periculo, quicquid illud eſſet, faciebant; & reddituri erant facti ſui Synodis rationẽ.

Cyprianus, qui compresbyterorum ſuorum, vt modò audiuimus, fuit obſeruantiſſimus, interdum, prout res tulit, inconſultis Presbyteris, & plebe repugnante, quædam fecit quæ ſibi facienda iudicauit. Sic enim ad Cornelũ, lib. 1. epiſt. 3. ſcribit: *Si poſſes, frater chariſſime, iſtic intereſſe nobiſcũ, cùm praui iſtic & peruerſi de ſchiſmate reuertuntur, videres quis mihi labor ſit, perſuadere patientiã fratribus noſtris, vt animi dolore ſopito, recipiẽdis malis curandiſq; conſentiant. Namq; vt gaudent & lætantur, cùm tolerabiles, & minùs culpabiles redeunt; ita contrà fremunt, & reluctantur, quoties inemendabiles & proterui, vel adulteriis vel ſacrificiis cõtaminati, & poſt hoc adhũc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiã remeant, vt bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, imo extorqueo, vt tales patiantur admitti: & iuſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quòd vnus atq; alius, obnitente plebe & contradicẽte, mea tamẽ facilitate ſuſcepti, peiores extiterunt quã priùs fuerant, &c.* Et ibid. *Remitto omnia, multa diſſimulo, ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deũ cõmiſſa ſunt, non pleno iudicio religionis examino: delictis, pluſquàm oportet, remittendis, penè ipſe delinquo.* Et epiſt. 10. l. 4. De Numidico quodã, (quẽ Presbyterũ ordinauerat, incõſultis Presbyteris, diaconis, & plebe) ad eos ſcribit. *Nunciandũ vobis, fratres chariſſimi, quod pertineat ad cõmunẽ lætitiã, & ad eccleſiæ noſtræ maximã gloriã exiſtimaui. Nã admonitos vos, & inſtructos ſciatis dignatione diuina, vt Numidicus Presbyter aſſcribatur Presbyterorũ Carthaginenſiũ numero, & nobiſcũ ſedeat in Clero.*

Et epiſt. 5. l. ſecũdi, quòd Aureliũ lectorẽ ordinauerat, excuſat his verbis. *In ordinandis clericis* (inquit) *fratres chariſſimi, ſolemus vos antè conſulere, & mores ac merita ſingulorũ cõmuni conſilio ponderare. Sed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cùm præcedant diuina ſuffragia.* Et in epiſt. 5. l. 4. Celerinũ confeſſorẽ Chriſti, lectorẽ à ſe ordinatũ, ſimiliter Presbyteris, diaconis, & plebi vniuerſæ cõmendat, & iungendum Aurelio iudicat: vtriq; Presbyterij honorẽ deſignat, vt ſportulis iiſdẽ cum Presbyteris honorarẽtur: & quùm nondũ Presbyteri eſſent, nec ordinari poſſent, quia annos maturos non attigerant, Presbyterorũ honore dignos iudicauit. Quæ Cyprianus hîc fecit, ſua fretus authoritate, nemo vnquã improbauit; neq; improbandũ in alio iudico, ſi quis dignos vita & doctrina Presbyterio, inconſultis Presbyteris, ordinabit: niſi illius Eccleſiæ leges id prohibeant, & Epiſcopum velint in hac re ſequi iudicũ Conſiſtorij ſui. Aliàs ſatis fecerit Deo & conſcientiæ ſuæ Epiſcopus, ſi leges & canones Apoſtolicos, Timotheo & Tito præſcriptos obſeruauerit.

Canon vetus, qui ſub Apoſtolorum nomine circumfertur, & iam pluries fuit à D. Beza & à me citatus, de Epiſcopis intelligendus eſt, & Archiepiſc. Conſtat enim ex Patribus, & inprimis ex Cypriano, Epiſcopum ſemper multa potuiſſe, Presbyteris incon-

inconsultis, & etiam repugnantibus: non item Presbyteris, in ijs de quibus consulendus fuit Episcopus, & ipsius expectandum iudicium: de qua re ipsum quoque Cyprianum audire lectorem velim, lib. 3. epist. 14. *Quod enim* (inquit) *non periculum metuere debemus, de offensa domini, cùm aliqui de Presbyteris, nec Euangelij, nec loci sui memores, sed neque futurum domini iudicium, neq; nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod nunquam omninò sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi, totum sibi vendicent: atque vtinam non prostrata fratrum nostrorum salute, sibi omnia vendicarent: Contumelias Episcopatus nostri dissimulare & ferre possum, sicut dissimulaui & semper pertuli, &c.*

Causa huius querimoniæ hæc est. Lapsis Presbyteri quidem pacem dederant, & ad communionem cœnæ Domini admiserant, non consulto, & nolente Episcopo. Sunt plures Epistolæ in quibus de Presbyterorum rebellione, & contumacia conqueritur: vnde apparet nihil quidem Presbyteros sine sui Episcopi voluntate potuisse; sed non contrà: multa poterant Episcopi sine Presbyteris. Epist. 9 lib. 3. ad Rogatianũ, quæ fuerit Episcopalis authoritas, declarat his verbis. *Tu quidem honorificè circa nos, & pro solita tua humilitate fecesti, vt malles de eo conqueri, cùm pro Episcopatus vigore, & cathedræ authoritate, haberes potestatẽ, quâ posses de illo statim vindicari: certus quod collegæ tui omnes ratũ haberemus, quodcunq; circa diaconũ tuũ contumeliosum sacerdotali potestate fecisses: habens circa huiusmodi homines præcepta diuina, &c.* Post subiungit. *Oportet diaconum de quo scribis, agere audacia suæ pœnitentiam, vt honorẽ sacerdotis agnoscat, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere, &c.* Et addit. *Quòd si vltrò te contumeliis suis exacerbauerit, & prouocauerit, fungaris circa eum potestate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abstineas, &c.* Non remittitur à Cypriano Rogatianus ad Presbyterij iudicium: sed quid posset pro authoritate muneris sui Episcopalis indicat. Hinc videmus quæ fuerit illo seculo Episcoporum potestas. Quod si Episcopus aliquis odio & maleuolentia, iniuriam alicui Presbytero vel Diacono fecisset, aut propriæ vltor iniuriæ modum in puniendo excessisset; ad appellationis remedium affectus iniuriâ confugere poterat. Aug. 13. scribit de quodam Bonifacio Presbytero, qui de crimine accusabatur, quomodo se in causa illa gesserit: non dubito Presbyteros illi adfuisse & adstitisse in iudicio, sed ita vt sententia non penderet ab eorum suffragiis. Ait igitur quid fecerit, non quid maior pars Presbyterorum censuerit. *Nomen Prebyteri* (inquit) *propterea non sum ausus de numero Collegarum eius vel supprimere vel delere; ne diuinæ potestati, sub cuius examine causa adhùc pendet, facere viderer iniuriam, si illius iudicium meo vellem iudicio præuenire, &c.*

Quamuis enim secundùm can. 23. quarti Concil. Carthaginensis inualidum esset Episcopi iudicium, cui non astitissent Presbyteri, id non erat vt numeraret eorũ sententias, sed vt audiret & ponderaret: Presbyteri autem tantùm adsessores, & consiliarij, ac testes aderant suo Episcopo, non vt simul cum eo essent iudices. Ipse solus iudicij sui tenebatur rationẽ reddere, quodcunq; illud fuisset: secutum fuisse contra canones suam ipsius sententiam, aut Presbyterorum, nec accusabat nec excusabat. Hæc eò non adfero, quòd commendem Episcopos, qui suâ in rebus dubiis sapientiâ freti, contempsêre compresbyterorum suorum iudicia, ac si ipsi soli saperent; sed vt intelligant lectores, totam fundatam fuisse in Episcopo Ecclesiasticorum iudiciorum directionẽ; vt est apud Cyprianum, epist. 27. *Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per ipsos gubernetur, &c.* Hoc ait ibidem, diuina lege fundatum, vt pluribus aliis in locis, quando Episcopum comparat summo sacerdoti Israelitarum, cuius iudicio stare sub pœna mortis Deus mandauerat. Quod de recto iudicio & legitimo esse intelligendum, nemo sanus dubitat.

Multa erant decretis Patrum constituta & mandata Episcopis, contra quæ nihil poterant sine graui suo periculo, etiamsi illa violandi Presbyteri essent authores: custodia legum Ecclesiasticarum, & obseruatio Episcopis mandabatur. Magnâ obseruantiâ Presbyteri, tanquàm Patrem, suum Episcopum sibi colendum ducebant. Quam obedientiam & subiectionẽ deberent Episcopis Presbyteri, ex Ignatio potest colligi.

Hic ad Trallianos ita scribit: *Veneremini autem Episcopum vestrum, sicut Christũ, vt*

nobis beati præceperunt Apostoli &c. Quid enim est Episcopus, nisi qui principatum omnem & potestatem supra omnes obtinet, vt homo obtinere potest, qui est pro viribus Christi Dei imitator? Quid verò Presbyterium, nisi collegium sacrum, consiliarij & consessores Episcopi &c? Qui igitur his inobediens fuerit, Atheus & impius omninò fuerit, & Christum improbans, ac eius ordinationem imminuens.

Et in Epistola ad Magnesianos, *Dominus sine patre nihil facit, (non possum enim ait facere à meipso quicquam) sic etiam & vos sine Episcopo, neq; Presbyter, neq; Diaconus, neque laicus: neq; quicquam vobis videatur rationi consentaneum, præter illius sententiam: tale enim iniquum est, & odiosum Deo.*

In Epistola ad Smyrnenses honorari Episcopum, & principem sacerdotum, imaginem Dei ferentẽ, iubet. Et quam qui contra Reges insurgit, cum grauius censet supplicium mereri, qui sine Episcopo facere tentat, & concordiam distrahit, & bonũ ordinem confundit, &c. *Omnia ergo* (inquit) *vobis decenti ordine perficiantur in Christo. Laici subditi sint Diaconis, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo sicut ipse Patri.* Item ad Antiochienses Presbyteros; eos sic alloquitur. *Presbyteri pascite gregẽ qui vobis cõmissus est, donec Deus demonstret eum qui vobis imperaturus est.* Item ad Ephesios. *Decet ergo vt vos per omnem modum glorificetis Iesum Christum, qui vos glorificauit, vt vnâ obedientiâ sitis perfecti, eodem animo, & eâdem sententiâ: idemq; de eodem dicatis omnes, vt Episcopo subditi, & Presbyterorũ cœtui, per omnia sanctificati sitis.* Iterum ibidem, *Vnde & vos decet Episcopi sententiã sequi, qui secundum Deũ pascit vos: quod & facitis ipsi eruditi à S. spiritu: nam & præcandus ille Presbyterorũ cœtus qui Deo dignus est, & ita cooptatus est, ac congruit Episcopo, vt citharæ chordæ.* Iterũ ibidẽ: *Date operam, dilectissimi, vt Episcopo subiiciamini, & Presbyteris, & Diaconis &c.* Hic habemus præclara testimonia à Christi Martyre profecta, viro Apostolico spiritu prædito, qui totus amore Dei flagrans, breui moriturus seipsum continere non poterat, quin ad varias scriberet Ecclesias, q ad pacem & cõcordiam Christianam conducere iudicabat: quæ sub paterno Episcopali imperio, in obedientia omnũ ordinũ & graduũ sita erat. Hìc vbiq; subiicit Presbyteros Episcopo, cui obediri vult, vtpote qui gradu & authoritate superior eis erat. Vnde præfecturã Episcoporũ longè aliam fuisse oportet, cã quam excogitat D. Beza, circularem, euanidã, & exanimẽ sine vllo imperio & authoritate. Primò dicit Episc. tenere principatũ omnẽ & potestatem supra omnes, vt homo qui Christi imitator est obtinere potest: & Presbyteros, cõsessores & cõsiliarios vocat Episcopi, quos vbiq; ei subiicit, & parere vult: neq; eos quicquam vult agere præter sententiam sui Episcopi. Et hoc à Domino & Apostolis ait fuisse præceptum.

Nec Hieronymus diffitetur, quando *totius* ait *Ecclesiæ vlubem, in summi sacerdotis dignitate pendere: cui si non exors, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.* Et in Epistolam ad Titum dicit, *quondam communi consilio Ecclesias fuisse gubernatas, & postea vniuersali decreto factum, vt vnus de Presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret.* Vnde appareret tunc temporis communi consilio Presbyterorum Episcopos non gubernâsse Ecclesias, nisi quatenus ipsis videbatur. Quamuis Presbyterorum collegia, multi Episcopi haberent, illa non tam regebant Episcopũ, quàm ea ipse regebat. D. Bezæ præsidentia nuper inuenta, regitur, non regit.

Patres illam suam gubernationis formam, vtilem & necessariam, & à Deo ordinatam iudicârunt; hanc nostram ignorârunt: vt mirum sit contra tantum, tam generalem consensum, & vsum totius vniuersalis Ecclesiæ, viros eruditione eximios, ausos fuisse, videri velle in Ecclesiam, veluti postliminio, reduxisse gubernationis formam, quæ fuisse nunquam demonstrabitur. Abusos fuisse plerosque hac potestate fateor, donec vndique ita legibus inclusa fuit, vt vix ea possint nunc abuti. Imperium parentum res sacra est, sic & maritale imperium, & aliud quoduis à Deo institutum; quæ nemo sapiens vnquàm tollenda censuit, quòd passim homines etiam sanctissimi, interdum eis abutantur. Illam itaque Episcopalem authoritatem, quam veteres nobis tradidêre, qua suas Ecclesias rexerunt Ignatius, Irenæus, Cyprianus, Basilius, Nazianzenus, Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, aliique pij illorũ temporũ Patres, piam, vtilẽ, necessariam Ecclesiæ, & diuinam esse, à Deo, & Apostolis traditam fuisse credo, nec

ea

ea meliorem posse inueniri: falliqúe turpiter, qui aliud putant.

Postquàm de Episcopis sumus locuti, ad Archiepiscopos & Patriarchas trànferendus est noster sermo. Archiepiscopi officium erat prouinciam visitare, Episcopos ordinare, synodos conuocare, in eis præsidere, appellationes audire, iniustè damnatos restituere. Si quis præter æquum ab Episcopo suo se grauari putabat, ad Archiepiscopum & Synodum appellare poterat. Nam vt supra citauimus ex Concilio Hispalensi, *Qui honorem solus dare poterat, solus non poterat auferre.* Patriarchas plures quam quatuor, ante & post Concilium Nicenum fuisse constat. Quorum in collegas & coepiscopos non eadem fuit potestas (quod D. Beza putat) quæ Episcoporum in compresbyteros. Nam illi nihil soli poterant sine Synodo aut Concilio constituere: nihil innouare sine consensu collegarum ipsis licebat. Qui quidpiam audebant, contra canones à me citatos peccabant: nempe contra canonem 33. eorum, qui Apostolorum vulgò dicuntur, & in Antiocheno Concilio fuit renouatus: vt singuli Episcopi suæ parœciæ ita curam gererent, vt præterea nihil grauioris momenti tentarent sine Metropolitano: nec ipse Metropolitanus sine collegarum sententia. Sed quia de nominibus nobis mouetur lis, de ipsa prius re nos loqui oportet, & ostendere à temporibus eam fuisse, quibus se Patrũ memoria potuit longissimè extendere. Carthaginensis Episcopi prouincia, teste ipso Cypriano, latissimè patuit per Africam, & Numidiam, multásque complexa est prouincias. Ipse Cypr. lib. 4. epist. 8. asserit amplam prouinciam sibi esse subiectam: *Habet enim* (inquit) *Numidiam & Mauritaniam, sibi cohærentem.* Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Cypriani dicit, *Cyprianum, non solum præfuisse Ecclesiis Carthaginis & Africæ, sed Hesperiæ vniuersæ, imo orienti ferè ipsi, ad finem vsque meridiei & Septentrionis.* De Alexandrino Episcopo Epiphanius libro 2. cap. 2. contra hæreses ait: *Hic enim mos obtinet, vt Alexandriæ Episcopus totius Ægypti ac Thebaidis, Mareotæq, ac Lybiæ, Ammoniacæq, & Mareotidis, ac Pentapolis, Ecclesiasticam habeat administrationem.* Hîc rem habemus, sed nondum audimus Archiepiscopi nomen. *In eodem loco idem author narrat Meletiũ, in carcere detentũ, vnâ cũ aliis martyribus, ac Petro Alexandriæ Archiepiscopo: videbatur autem Meletius præeminere inter Episcopos Ægypti; vt qui secundum locum habebat post Petrum, in Archiepiscopatu.* Hîc habemus Archiepiscopatus, & Archiepiscopi nomen. Constantiæ vrbis Cypri Episcopus Metropolitanus, nemini, à temporibus Apostolorum subiectus præterquam Synodo suæ prouinciæ, à quâ ipse constituebatur, & per totam prouinciam Episcopos creabat, perseuerauit ad multa secula. Idem de aliis Metropolitanis obseruari potest in historiis, & inuenientur eandem habuisse administrationem in suis prouinciis, cum pari authoritate, quam habebant magni illi Archiepiscopi Romani & Alexandrini. Quomodo hunc morem, & à quibus incepisse, & tandem inualuisse dicemus? Constat Timotheũ & Titum pluribus præfectos fuisse Ecclesiis: quam prouinciam etiam ab Apostolis pluribus aliis datam fuisse, dubiũ non est: & indè sumptum ab omnibus Ecclesiis fuit exemplum, primis illis & optimis seculis, creandi præfectos pluribus Ecclesiis. Et inter tot sanctissimos Patres, Christíque constantissimos Martyres, neminẽ fuisse dicemus, qui discrimen nôsset inter Pastorẽ & Euangelistam? Adeò omnes fuisse obtuso ingenio, vt confunderent gradus, & officia distincta, & Euangelistarum atq; Apostolorũ regendæ Ecclesiæ formam tantùm fuisse temporariam, & non fuisse imitandam ignorarent? Dicemus migrâsse in cœlum Spi. sanctum cum Apostolis, aut celâsse Patres, quod reuelauit nostri seculi scriptoribus? Eum sibi valdè fidentẽ esse oportet qui hæc dicere audeat. Hîc non opus est vt repetam, quæ in confutationibus responsionis Domini Bezæ, coactus sum adferre de potestate clauiũ relictâ Ecclesiæ; & doctrinam Patrum, iudiciumque in hac re præferendum iudicio modernorum scriptorum, quicunque illi sunt.

Patriarchas & Primates, supra Metropolitanos & Episcopos creari potuisse ab Ecclesia, illa eadem authoritate, qua Titus & Timotheus Episcopi multarũ Ecclesiarũ à Paulo creati fuerunt, statuo: & superiùs à me demonstratum fuisse arbitror. Fateor quidem ex magnis illis Patriarchis, quosdam suæ prouinciæ limitibus non fuisse contentos, & propter cæteros obstinatè Romanũ extẽdendi fines iurisdictionis suæ fuisse studiosum. Sub tempus Ephesinæ Synodi, Troilo Cõstantiæ vrbis Episcopo mortuo,

Antiochenus Episcopus alium creare voluit; tanquam Cyprus ad suam ditionem pertineret, & pars esset prouinciæ ipsius. Sed ei Episcopi Cypri fortiter restiterunt, & cõuocata Synodo, cum clero vrbis, Reginum quendam (intercedente Antiocheno Episcopo) constituerunt Episcopum Constantiæ, & Cypri Metropolitanum. Res ad Ephesinam œcumenicam Synodum delata est: & re examinata, sancta Synodus dixit; *Rem hanc, quæ præter Ecclesiasticas Constitutiones & sanctorum Patrum canones innouatur, & omnium libertatem attingentem, annunciauit pientissimus Episcopus Reginus, & qui cum eo pientissimi Episcopi prouinciæ Cypri, Zeno & Euagrius: vnde quoniam communes morbi maiori egent remedio, eo quòd maius damnum adferant: si non est vetus mos, quòd Episcopus Antiochenus ordinat in Cypro, sicut libellis & propriis vocibus docuerunt pientissimi viri sanctarum Ecclesiarum in Cypro præsules, qui ad sanctam synodum accesserunt, à nullo impetantur, vel vim patiantur secundùm canones sanctorum Patrum, & veterem consuetudinem; sed per seipsos, ordinationes pientissimorum Episcoporum faciant. Istud autem etiam in aliis diœcesibus, & in omnibus prouinciis seruetur, vt nullius pientissimorũ Episcoporum aliam prouinciam, quæ non anteà & ab initio fuit sua, sub suam, vel saltem eorũ qui sibi præsunt, manum trahat: sed si quis apprehenderit, & suam fecerit, eam restituat; vt ne Patrum canones prætereantur, neque sub sacerdotij prætextu, mundanæ potestatis factum subintroducat: nè paulatim & clam libertas amittatur, quam nobis donauit sanguine suo Dominus noster Iesus Christus omnium hominum libertas.*

Andreas Theuetus lib. 7. cap. 3. Cosmographiæ vniuersalis de Cypri Episcopis Græcis ita scribit. *Antiquitùs Græci in Cypro diù ante Latinos habuerunt Episcopatus: quibus nuper adhùc quiete gaudebant. Et ex quo homines meminerunt, Episcopi suas ibi habuerunt vxores, sicut alij Presbyteri. Quod speciali quodam priuilegio, Græcorum Imperator Nicephorus Botoniates, qui originem ducebat à Phoca, & circa annum Dom. 1080. regnauit, ratum ipsis esse voluit. Quatuor Græcorum Patriarchæ, aliique præsules sæpiùs conati sunt eos in ordinem cogere, & ad vitæ rationem, moréque aliorum Episcoporũ Græcorum per Europam & Asiam traducere. Sed eò nunquàm adduci potuerunt, sicut nec vt eis vlla alia in re parerent. Ius quoddam suum obtẽdunt, quòd nihilo magis subditi illis Patriarchis sint quàm Rom. Ecclesiæ Papæ. Accedit adhæc, quod omnia Concilia, quæ inde à tempore illius Imperatoris, quem modò diximus, extiterunt, hoc iure vti concesserunt; eáque priuilegia ipsis integra manere voluerunt.*

Hæc Theuetus, qui addere poterat etiam superiora tempora seculo Nicephori. Proprium enim semper habuerunt Archiepiscopum, & Primatem, qui nulli, nisi suæ Prouinciæ, aut Oecumenicæ Synodi fuit subiectus. Hinc apparet Metropolitanos quamplurimos nulli Patriarchæ, nisi Synodis fuisse subiectos, sicut quidam minores. Quod Antiochenus Episcopus in Cypri prouinciæ Episcopos tentauit, Romanus contra Africanos etiam est molitus.

Et Bonifacius primus falsatos canones Niceni Concilij, per legatos suos in Africã misit: quibus persuadere voluit appellationes ad sedem Romanam permittendas. Sed Patres Niceni Concilij id nunquàm cogitauerant; sed contra cõstituerant, vt quæque negotia in suis prouinciis finirentur. Et quando quatuor Patriarchis limites & fines Synodus Nicena constituit, non omnes alios Patriarchas, illis quatuor, aut vni subiecit: nec Patriarchatum aut Primatum aliis ademit. Mansit Episcopus Carthaginensis Primas, & Patriarcha Africæ, Mauritaniæ, & Numidiæ; celebrauitque Concilia celeberrima, in quibus falsi Romanorum Episcoporum ambitio conuicta fuit. Cæsareæ Cappadociæ Basilius Metropolitanus fuit: sic enim Gregorius theologus in Epitaphio eum vocat: & in laudibus ipsius narrat, quandò Cappadociæ facta fuit diuisio, in duas prouincias in Cæsaream, & Tyanam, veterem diuisionem mutari noluisse. Vndè etiam apparet diuisiones prouinciarum in Archiepiscopatus, olim à Patribus fuisse factas. Nec enim quæ in Armenia, in Scythia, in Perside, in Æthiopia, in Arabia, in India, leguntur fuisse Ecclesiæ, alio modo gubernatæ narrantur, quàm per Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas. Quid hîc ex variis historiarum Ecclesiasticarũ scriptoribus plura exempla & nomina recenseam? Petat ea lector ab ipsis fontibus.

Hanc diuinam gubernationis formam, nemo nisi vnus labefactare potuit Romanus Episcopus; qui collegarum omnium Ecclesiasticam iurisdictionem, suæ sedi subiecit

iecit: nec ipsis aliud reliquit, quàm quod auferre non potuit. Patriarchas & Primates distinxit. Erant enim & omnes Primates Patriarchæ, nihilo minoris authoritatis in suis prouinciis, quatuor magnis illis, Antiocheno, Constantinopolitano, Alexandrino, & Hierosolymitano: quos dum sibi subiecit Romanus Patriarcha, cæteros quoq; sub iugum duxit. Sed nullum fuit seculum, in quo quatuor illi (vt cæteros taceam, & de Rauennate nihil dicam) imperium eius non detrectârint, fiduciâ priscæ libertatis, quæ ex Patrum monumentis luce clarior est.

Hodiè Constantinopolitanus, & alij orientales Episcopi, qui sub Imperat. Turcorum victitant, Romanam tyrannidem detestantur, & semper aduersati sunt. Sed hôc quicquid sit, omnes quotquot potuit legatos, hoc est, vero nomine vasallos & clientes suos, sub quadam fallaci honoris specie fecit; quando de corpore beati Petri pallium accepisse, magnum quiddam esse persuasum fuit, & eum deferri non ab vrbis Episcopo, sed à beato Petro creditum. Cuius alij metu & reuerentia superstitiosa, alij necessitate adacti, colla submiserunt Papæ: & in ordinem omnes hoc pacto redacti sunt. Circa annum millesimum centesimum à principibus Christianis Palestinâ & Syriâ subactâ, aliisque vicinis regionibus Asiæ, Papa Rom. illûc suam tyrannidẽ porrexit, & alienos limites inuasit, & vetustum ordinem contaminauit omni impietate & nequitia.

Quid multis opus est? Ipse tandem iura omnia diuina & humana tam Imperatorũ & Regum, quàm Episcoporum & Archiepiscoporum, hoc est, Primatum & Patriarcharum, sic attemperauit suæ tyrannidi, vt eam fulcirent & munirent; & ipsi Episcopi eâ vicissim niterentur. Et tantâ vnius sui Papæ potentiâ, formidabiles facti sunt, omnibus Christiani orbis Monarchis. Et hinc Christianismi orta calamitas; & sine vlla emendationis spe sub Romano Episcopo indicibilis rerum diuinarum & humanarum perturbatio: nimirùm summum super omnia & in omnes, homine illo peccati tenente imperium. Cuius rei culpam qui tribuit piis decretis, & sanctis institutis Patrum (ad quæ si omnia reuocarentur, concideret tota illa tyrannis) perniciosè meo iudicio erat, & Patribus ac vniuersæ Ecclesiæ magnam iniuriam facit. Bonam causam plus lædunt quàm iuuant, quotquot Papæ Romani tyrannidi, aut à Niceni Concilij decretis, aut Patrum, qui illam ætatem præcesserunt, moribus, causam dicam disputant, nec alio modo benè regi posse Ecclesiam credunt, nisi funditùs omnem veterem regendæ Ecclesiæ formam, tam quæ fuit sub Apostolis & Euangelistis, quàm sub Archiepiscopis & Episcopis, euertant.

Hactenus de Episcopis locuti sumus, qui Apostolis successêre vsque ad multa secula: Nunc ad nostros venio, per quos Dominus Ecclesiam Anglicanam gubernat: quorum multùm abest, vt ea sit authoritas, quæ fuit olim optimis Ecclesiarum temporibus. Nam vt antè notaui, nihil sine legibus, nihil contra leges, nostri possunt Episcopi. Definitæ sunt omnes muneris Episcopalis partes, nihilque quod sit alicuius momenti eorum relictum est arbitrio. Et obedientia, quæ debetur Episcopis, est canonica: vt iudicio quiuis infimæ sortis clericus contendere possit cum Episcopo, si ab eo fuerit affectus iniuriâ. Quòd quidam omnis imperij impatientes, sicut Chore & Dathan, qui contra Mosen & Aaronem insurrexerunt, nescio cuius tyrannidis Episcopos insimulant; sunt meræ calumniæ: nisi parêre bonis legibus, & fungi officio suo tyrannidem vocent. Si hæreticos, si schismaticos, & rerum nouarum priuata authoritate studiosos non patiantur; nemo bonus ipsis vitio vertet. Omnibus notum est, quàm clementer patiantur peregrinorum Ecclesias ceremoniis & ritibus vti diuersis ab Anglicana Ecclesia: quod certè fieri Geneuæ Dom. Beza, nunquam permitteret. Et mirum cuiquam videtur, si nec in doctrina, nec in ceremoniis quicquam innouari non patiantur Episcopi? Si quis obstinatiùs contendat ab Episcopo alicui factam esse iniuriam, vt à potentioribus fieri minoribus solet; quid hoc ad rem? æquales non abstinent inter se à mutua iniuria: de legibus meus est sermo, quibus retinetur in officio Episcopalis potestas; vt minus ab ea sit periculi Ecclesiarum ministris in Anglia, quã Geneuæ, ab authoritate & gratia D. Bezæ, si eâ vellet abuti. De Germanicarum Ecclesiarum superintendentibus, nihil dicam; ex eorum libris peti potest, quæ sit apud Germanos regendæ Ecclesiæ ratio: plures viri docti formam gubernationis Ecclesiarum

ſiarum ſuarum literis mandârunt. Quæ cùm ſint conſtitutæ legibus tam Eccleſiaſticis quàm ciuilibus (meo iudicio) moderatiſſimis, nullam earũ, quas legi, improbo: nec propterea cuiquam controuerſiam mouere, aut à ſocietate & communione earũ abhorrere vellem. Forma autem regiminis Eccleſiaſtici Anglicanæ Eccleſiæ in aliquibus ab illis diſcrepat: propterea eam hîc paucis ſubijciam, vt omnes intelligant, quàm ſit aliena ab omni tyrannide, & vſurpatâ in Chriſti Eccleſiam dominatione. Nam quamuis D. Beza præclarè de Epiſcopis noſtris ſentiat, quandò tamen contra Epiſcopalem gradum diſputat, opinionem falſam inijcit lectori, & totum Epiſcoporum ordinem in contemptum & in odium vocat.

Anglicana Eccleſia in 24. Epiſcopatus diuiſa eſt, habétque duos Archiepiſcopos, Cantuarienſem, & Eboracenſem. Qui, vt Chriſti Domini ſerui, Paſtores & Epiſcopi ſunt ſuarum Eccleſiarum, cum inſpectione & cura vicinarum ſuæ prouinciæ diœceſeôn; ſic etiam quatenùs regni ciues, & ſubiecti ſunt Regi, ſecundum leges huius regni, inter Pares & Proceres numerantur. Quæ duo cum Domini præceptis non pugnare, vt idem homo vtramque perſonam cum bona conſcientia nequeat ſuſtinere, alibi diſputaui: illud nunc, tanquàm non eſſet controuerſum, aſſumo. Sed priùs de Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Anglicanæ Eccleſiæ officio dicam: poſtea, quem honoris gradum in regno teneant, paucis tangam.

Epiſcopus, Paſtor & Doctor legitimus totius Eccleſiæ ſuæ diœceſeos eſt. Ad ipſius functionem pertinet, populum docere, ſacra miniſtrare, Eccleſiam regere, morũ cenſuram exercere; præcedente vitæ morúmque examine. Miniſtros Eccleſiæ ordinare, tam Diaconos, quàm Presbyteros. Verùm, quia quibuſdam ratio ordinationis Presbyterorum Anglicanæ Eccleſiæ improbatur, tanquam in ea ſuo iure priuetur Eccleſia; lectorem admonitum cupio, non ſine calumnia id dici: & conſenſum Eccleſiæ in creatione omnium Miniſtrorum Angliæ intercedere longè grauiſſimum. Nili fortè leue cuiquam videatur, quod lege ſancitum eſt à regia maieſtate, rogante vniuerſa nobilitate cleróque & populo: & non conſenſiſſe Eccleſiam dici poſſit in creatione Miniſtrorum, quam lege lata probauit, & ratam habuit. Hîc ego iudicium & modeſtiam requiro: iudicium, vt rectè de latis legibus iudicent; modeſtiam, nè ſuum priuatum iudicium temerè præferant iudicio totius regni & Eccleſiæ. Nam hodiè, non tam in regnis & rebuſpub. Chriſtiani orbis verſantur Eccleſiæ, quàm ipſa regna & reſpublicæ ſunt Eccleſiæ, viſibiles (inquam) & externæ, in quibus boni cum malis, electi cum reprobis permixti ſunt. Atque ita quotquot creantur Eccleſiarum Miniſtri habent totius Anglicanæ Eccleſiæ conſenſum.

Spectat præterea ad officium Epiſcopi, loca ſacra, in quibus conueniunt Chriſtiani ad publicas preces, & ſacramentorum perceptionem, ſimiliter & cœmiteria ſepulturæ fidelium conſecrare, pueros catechiſatos examinare, aut examinatis, eo præſente, & ipſius iuſſu manus imponere, & eis benè precari, beneficia cõferre, præſentatos vel nominatos inſtituere, & inſtitutos inducendos vel in poſſeſſionem mittendos mandare, beneficiorum vacantium fructus ſub tuto ſequeſtre ad vſum proximi ſucceſſoris colligendos & cuſtodiendos mandare, congruam portionem Vicario aſſignare, literas dimiſſorias vel teſtimoniales concedere, diœceſin ſuam per ſe vel vicarium ſuum, tempore legibus conſtituto, & per Archidiaconum etiam bis in anno viſitare, & Eccleſiaſticis cenſuris, quicquid tam ab Eccleſiarum Miniſtris peccatur, quàm à populo, pro delicti & perſonæ ratione corrigere. Et hæc omnia non pro ſua libidine, ſed ex præſcripto Eccleſiaſticarum legum & ſtatutorum regni moderantur. Speciatim tangere ea, quæ apud iudices Eccleſiaſticos diſceptantur, mitto. Habent & præter iudicia eorum, quibus violatur religio, & vitæ Chriſtianæ integritas, quædam ex huius regni conſuetudine & legibus; quæ apud alias gentes, merè habentur ciuilia: cuiuſmodi ſunt diſpoſitiones Teſtamentorum, & bonorum ab inteſtato relictorum.

Ad Archiepiſcopum, præter ſuæ Diœceſeos paſtoralem curam, pertinet, prouinciæ ſuæ diœceſes, certis temporibus, legibus & conſuetudine conſtitutis, viſitare. Item appellationes ab inferioribus iudicibus admittere: & ſi quid contra ius & leges Eccleſiaſticas erratum ſit, iudicium reſcindere, aut emendare: ſin benè eſt iudicatum, ſententiam latam confirmare; conſecrare electos Epiſcopos, prouincialem Synodum iuxta

reſcriptum

rescriptum regium conuocare, & Synodo præsidere, eamque moderari, & vltimum ferre suffragium. Et in his omnibus (vt antè pluries monui) nihil Episcopi nec Archiepiscopi possunt contra leges, aut sine legibus: vt mirer quosdam potestatem vndique alligatam legibus finitámque, vocare tyrannidem, aut dominationem: nisi forte, ipsæ leges displicent, & tyrannicæ cuiquam videantur, vt quæ aut iniquæ sint, aut verbo Dei repugnent: quod priùs esset euincendum. Sed hoc tam difficile erit, quam facilè gubernatio Episcopalis bonis alligata legibus, tyrannis & dominatio dicitur.

Ad Archiepiscopos & Episcopos spectat Ecclesiasticarum regularum custodia & cura, vt omnia decenter & ordine, secundùm verbum Dei & Ecclesiasticas regulas, in Christi fiant Ecclesia; & censuris Ecclesiasticis mali coërceantur, & in officio contineantur. Censuræ autem Ecclesiasticæ hæ sunt: Monitio, Interdictio à sacris, Suspensio vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à perceptione sacramentorum, Excommunicatio, Anathema contra hæreticum pertinacem. Hæ censuræ communes sunt, tam contra Presbyteros, quam laicos. Ministris verò Ecclesiarum peculiares censuræ sunt, Suspensio ab officio simul & beneficio, Depriuatio, Depositio; quæ duplex est, verbalis per sententiam, & realis per degradationem. Et hæc quidem omnia fiunt secundùm leges Ecclesiasticas, tam communes quam municipales, publicè auditis partibus. Et totâ causâ examinatâ, finitur negotium; non ex arbitrio vnius Episcopi aut Archiepiscopi, sed iuris & legum. Si quis grauari se sententiâ Episcopi putet, appellare ad Archiepiscopum potest. Quòd si etiam sententia Archiepiscopi iniqua videatur, ad Delegatos regiæ maiest. iudices in causis Ecclesiasticis concessum est prouocare.

Hæc autem gubernationis Ecclesiæ forma, quòd ciuili admodùm sit similis, in censura morum, cæteris que omnibus quæ ad solam pietatem spectant, improbatur: nec quicquam Ecclesiæ iudicia, cum ciuilibus iudiciis debere habere commune quidam contendunt. Verùm, meo iudicio, nulla iusta de causa id mihi facere videntur. Sunt enim sacrosancta Christianorum magistratuum tribunalia: & vt sanctissimè exerceantur iudicia, eis prouidendum est: ipsorum enim interest, & eorum Deo reddenda est ratio. Si quid ibi licet vnde corrumpi iudicia, & ipsi iudices solent; id imprimis abesse oportere ab Ecclesiasticis iudicijs fateor: sin quis credit sanctam non esse ciuilium causarum iudicandi agendique vel defendendi formam, & meliorem inueniri posse credit; caueat nè in peiorem incidat. Diuersitas causarum est in subiecto & fine: veri autem inquirendi ratio & iudicandi, quare debeat esse diuersa, non satis assequor. Apud ciuiles iudices agitur aut de vita ciuis, aut de honore, aut de fortunis. Apud Ecclesiasticos de violata religione aut vitæ Christianæ integritate: in vtróque fama & nominis existimatio periclitatur. Inter impios censeri, adque adeò regno Christi & ciuitate Dei domóque eiici, morte corporis & bonorum iacturâ esse grauius, Christiani semper iudicârunt. Quocirca vtrobique eandem, aut non admodùm diuersam agendi rationem hîc & ibi inter Christianos esse oportet.

Præterea legibus huius regni, & principis beneficio, Episcopis hic honor defertur, vt inter nobiles & proceres regni censeantur. Archiepiscopis inter duces & magnos regni officiarios locus cũ Clementiæ titulo datur: & Cantuar enim προεδρία ante omnes proceres & magnos regni officiarios est attributa: & Primus Par regni dicitur. Cæteri omnes Episcopi inter Barones locum tenent, & eo nomine, titulo Dominorũ honorantur. Qui omnes cùm ciues sint & subiecti, Princeps in regno suo honestum ciuile aliquod munus si mandet cuiquam Episcoporum, vt si quem Eirenarcham cõstituat, vel à secretiori consilio habere velit, & legationem ad externum aliquẽ principem obire; non video causam cur Principi suo in re quauis honesta non debeat parêre & obsequi. Sed & hîc oritur difficultas, quomodo vnus pluribus suffice re possit muneribus obeundis?

Hanc enim obiectionem D. Beza facit. Cui respondeo. Quomodò ipse putet, vnũ in Israele sacerdotis summi simul & iudicis functionibus parẽ? Eadem ratione dico quandocunque reip. aut necessitas postulat, aut absoluta regis voluntas vrget, dante Deo, pluribus administris adiutos Episcopos, plures functiones posse & debere subire. Si Episcopis & Archiepiscopis adiutores negarentur, & solus illa omnia, quæ ad illa pertinent, quæ diximus, officia præstanda in se susciperent; merito

id

id posset obiici. Sed ego neminem vnquàm extitisse arbitror, qui per se solus sine vllis adiutoribus, quæ tantùm summi sacerdotis concernebant officium, obiuerit. Pluribus autẽ hinc indè partes varias suscipientibus & opem ferentibus, duplicẽ personam, cum vtilitate & ædificatione populi Dei, sæpè sacerdotes & Episcopi sustinuerunt.

Hîc habes, candide Lector, Episcoporum & Archiepiscoporum authoritatẽ quam defendo: & Ecclesiæ vtilem ædificationi & gubernationi existimo. Quæ quùm sine imperio, in iis etiam rebus, quæ tantùm concernunt Ecclesiam, esse non possit; illud tamen à dominatione & tyrannide quàm longissimè abesse, quisquis apud se quid tyrannis & dominatio sit reputare volet, facilè inueniet. Imperium legibus finitum, & ad communem Ecclesiæ ædificationem, tam eorum quibus imperatur, quàm eorum omnium ad quos resp. Ecclesiæ pertinet, constitutum, iure nemo vnquàm vocauerit tyrannidem. Tyrannis est iniqua & crudelis dominatio, & oppressio innoxiorum: vel contra leges vsurpata potestas; quoties neque ex lege, neque ex more quispiam imperat.

Authoritas veterum Episc. & nostrorum hîc in Anglia, sicut & Superintendentium in Germania, canonica est. Obedientia quæ ipsis debetur, vltra leges Ecclesiasticas non extenditur: si quidpiam Episcopus aut Archiep. iusserit, cuius eis regulæ Ecclesiasticæ non faciunt potestatem, nemo tenetur parêre. Vndè fit manifestum; Dominationem nullam nec veteribus nec Anglicanis posse obiici Episcopis. Dominatio cum subditorum seruitute subiecta est: quibus pro suo arbitrio, quiduis dominus imperare potest. Demonstrandum erat D. Bezæ, quibus in rebus dominatione veteres Episcopi fuerint vsi, & hodiè Anglicani vtantur Episcopi. Qui nihil præcipere potest, nisi quod ad officium ipsius pertinet, cui præpositus est; quod si fecerit, contemni potest imperium; iniuriâ insimulatur tyrannidis, & vsurpatæ in fratres dominationis. Calumniæ igitur sunt, quidquid de tyrannide & dominatione Episcoporum, qui ex præscripto regularum Ecclesiasticarum præfuerunt & præsunt Ecclesiis, & Ecclesiarum Pastoribus, congeritur.

HAD. SARAVIA.

De nominibus Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Metropolitanorum.

CAPVT XXV.

EXpositis rationibus & argumentis, quibus adducor vt dissentiam ab ijs quibus aliàs plurimum tribuo: nunc respondendum est maledictis quorundam, qui contemptâ modestiâ doctissimorum scriptorum nostri temporis, nomina & munera Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & Patriarcharum conuitijs lacerant, & insectantur, tanquàm inflata, superba, antichristiana, & impia. Disputant ab Apostolo Paulo inter ordines Ministrorum Euangelij, quos in Epist. ad Eph. 4. cap. numerat, nullam fieri mentionem Patriarcharum aut Archiepiscoporum. Sed respondetur, officia contineri nominibus Apostolorum & Euangelistarum, & 12. esp. ad Rom. 8. versu sub vocabulo προϊσάμενοι, *& ad Corin-*

Corinthios κυβερνήσεις, *quibus superiores Pastores significantur. Perpetua autem futura Apostolorum & Euangelistarum munera superiùs iam à nobis demonstratum est: sicut etiam satis apertè indicant verba, quæ sequuntur enumerationem Ministeriorum Euangelij, quandò in quem finem Seruator noster dederit Ecclesiæ quosdam quidem Apostolos, alios verò Euangelistas, Paulus addidit,* nempe ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. *Quamdiù enim ædificanda erit Ecclesia, ea manere necesse est ministeria quæ ibi commemorantur: si sine illis ædificari potuisset Ecclesia, non essent instituta. Quòd alia temporaria creduntur, alia perpetua, reuincitur à fine, qui assiduè vsque ad Domini aduentum consectandus est à fidelibus, quos his ministerijs ædificari, & in vnum mysticum corpus Christi coalescere oportet. Tametsi Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum & Patriarcharum munus tam latè non pateat, sicut 12. Apostolorum, nec eandē spiritus Sancti mensuram consecuti sint; discrimen hoc quantitatis & mensuræ est, non ipsius rei. Quos hodiè dicimus Episcopos & Archiepiscopos, Paulus Apostolos vocauit; vtpotè, vti diximus, qui eiusdem muneris essent socij, & authoritatis participes. Hinc passim Archiepiscopi & Patriarchæ vocantur Apostolici.*

Quòd hæc vocabula superbiæ tumore inflata, & plena vanitatis vento dicuntur; rationes & argumenta quibus id persuadetur, inspicienda sunt. Primum argumentum ducitur à compositione Græcæ dictionis ἀρχὴ & ἄρχων, *quæ principatum & imperium significant proprium magistratui, & alienum à simplicitate & modestiâ, quam Euangelij doctrina in pastoribus postulat. Deindè quod Concilium Carthaginense prohibuerit quenquam Episcopum, principem sacerdotum vocari. Canonis verba hæc sunt:* Ωστε τὸν πρῶτον καθέδρας ἐπίσκοπον μὴ λεγέσθαι ἐξαρχόντων ἱερέων ἢ ἄκρον ἱέρεα ἢ τοιοῦτο τρόπον τι πότε ἀλλὰ μονὸν ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας.

Quæ Gratianus 99. distinct. sic vertit. Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. *Præterea, dictio Archiepiscopus nihil significatione differt à Græco vocabulo* ἀρχιτύμπω, *hoc est, Pastorum princeps: quod nomen soli Christo cùm sit proprium, excusari à sacrilegio non posse videtur, qui illud vsurpat. Proindè eliminanda sunt Christi Ecclesiâ omnia huiusmodi vocabula, & prorsus abolenda. Nec futilis nominum disputatio censenda est, quibus gloriæ Christi derogatur. Postremò, vocabula, quæ ipse Antichristus, aut Antichristi spiritus inuexit, aut inuenit, vitanda sunt veritatis cultoribus. Sed horum vocabulorum authorem fuisse Antichristum constat: sunt igitur vitanda. Respondeo, significationem horum nominum vi compositionis nihil habere inflati aut superbi. Græca enim dictio* ἀρχὴ *non tantùm imperium & magistratū significat, sed primum, principium, & primam causam ac originem alicuius rei: & in compositione naturam dictionis sequitur, cum qua cōponitur: ac ita cum* Episcopi *vocabulum nihil significet quod superbum sit, quocunque modo accipiatur, superbi in se nihil habet, sicut apparet in dictionibus architectus, archiatros, architriclinus, archibubulcus. Sed dico de dictione* Archiepiscopus, *non tam dominum & principem Episcoporum significare, quam primum & præcipuum Episcopum. Non abhorrerem à Principis vocabulo, si nunc (vt propriè Latinis) tantùm primum & primarium virum significaret: sed cùm vsu augustiorem significationē obtinuerit, vt accipiatur pro eo qui principatum, & summam*

mam potestatem habet; aut abstinebo eo, aut parciùs vtar. Idē de dictione ἀρχων est dicendum; quòd non semper Græcis significet Magistratum, sed primum alicuius rei authorem ac causam: vt Patriarcha non magis potestatem habentem in alios, & magistratum gerentem significat, quàm hæresiarcha, qui ita nominatur quòd primus author sit, non quòd imperium exerceat in suæ farinæ homines. Patriarcha propriè stirpis alicuius & gentis primum parentem significat; à qua significatione translata dictio est, vt significet Archiepiscopum, quòd ipse inter cæteros Episcopos, qui Patres habentur, sit veluti primus pater; & vt imperium quod in alios habet, paternum intelligatur, non regium aut tyrannicum. Modestiæ causâ igitur Patriarcha & Archiepiscopi appellati potiùs sunt, quàm ἔξαρχοι τῶν ἱερέων; vt omnes intelligerent non aliud in suos fratres & coepiscopos habere imperium, quàm Paulus habuit in Titum & Timotheum; & illi similiter in alios Presbyteros & Episcopos.

Et sic apparet hîc nullum nomen dari Episcopo primæ sedis vetitum canone Carthaginensis Concilij; cùm Patriarcha & Archiepiscopus nihil aliud significent simplici & vero sensu, quàm primum Episcopum. Qui si princeps legatur Episcoporum, apud eos qui puriùs scripserunt Latinè, neminem id offendere debet: nam, vt notaui, idem, principis vocabulum, quod primum & præcipuū significat.

Ita Ambrosius (vt alios omittam) in Pauli Epistolam ad Ephesios cap. 4. scripsit: In Episcopo (inquit) sunt omnes ordines, quia primus sacerdos, hoc est, princeps sacerdotum, & Propheta, & Euangelista. Quòd dictionem Archiepiscopus significare contendunt idem quod ἀρχιποίμην apud Petrum, demiror plurimùm ab eruditis viris, & linguarum peritis proficisci. Dixi modò quid Archiepiscopus significet, & quid dictio ἀρχὴ & ἄρχον in cōpositione valeat. Quocirca cùm in compositione huius dictionis ἀρχιποίμην, sicut in cæteris, pro primo Pastore alicuius loci aut gentis possit accipi, æquè ac pro summo principe & Domino Pastorum; non video cur de homine, qui primum locum inter Pastores obtinet, non possit dici. Cùm autem Christum significat, propter summum imperium, quod in omnes Pastores habet, tanquàm omnium, & gregis & Pastorum Dominus, variat significatio: in qua nemo est nostrorum Archiepiscoporū, qui se dicat aut dici patiatur Archiepiscopum.

Christus vocatur, ὁ ἀρχιποίμην κατ' ἐξοχήν: cùm Archiepiscopi in Ecclesia non simpliciter sic dicantur, sed huius vel illius sedis Archiepiscopi; cuius Suffraganei siue coepiscopi totius huiusmodi prouinciæ satis noti sunt: inter quos solùm primarius moderator constituitur; eorúmque, non aliorum absolutè omnium, dicitur Archiepiscopus. Cùm igitur tantùm significetur primus & præcipuus Pastor alicuius prouinciæ, nihilo plus derogatur Christi gloriæ, quàm quandò Presbyteros & Episcopos vocamus Pastores & Doctores: cùm ipse Christus solus propriè sit noster Doctor & Magister, & solus noster verus bonus Pastor, qui animam suam dedit pro nobis.

Similiter quamuis Deus, et pater Domini nostri Iesu Christi noster pater sit, qui est in cœlis: mortales tamen patres nostros vocare citra Dei iniuriam conceditur. Polysema hæc esse nomina qui non ignorat, & diuersis rebus diuersa ratione tribui, ludere in re maximè seria ad vanam ingenij ostentationem & lectorum perniciem videtur. Quamobrem constituto, quod suprà docuimus, in regimine Ecclesiæ, institutione diuina fuisse præpositos Episcopis & Presbyteris superiores Episcopos, aptioribus vocabulis illa diuersitas post Apostolorum decessum

cessum exprimi non potuit, quàm Patriarchæ & Archiepiscopi: *in quibus (si seponas fastum & tyrannidem eorum, qui sua authoritate abutuntur, aut abusi sunt, & segniùs quàm decet suum munus obierunt) minus insit tumoris aut superbiæ. At (inquiet aliquis) Episcopi & Archiepiscopi seculares curas amplectuntur, & ciuilis magistratus honores inuadunt, eorúmq; ornantur titulis: quæ omnia quàm sint contraria Euangelij doctrinæ, & huic nominum interpretationi, quis non videt? Sed alienum hoc est ab instituta disputatione: non hoc nunc hîc quæritur: suo loco posteà dicam de hac re, quid mihi videatur.*

Puta (candide Lector) me non eos defendere qui hodiè viuunt, qui dum videntur, inuidentur; sed pios Christi seruos, qui cum magno fructu olim præfuerunt Ecclesiæ, antequàm Romana tyrannis Christi oppresserat Ecclesias: nempè Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Basilium Magnum, Athanasium, Iohannem Chrysostomum, Cyprianum, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Ambrosium, Augustinum, & similes: quorum vita vt est remotior à nostra ætate, ita & ab inuidia. Dico igitur hos Patres, quos Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas fuisse constat, & cum præcipua quadam potestate supra reliquos suos fratres gubernâsse Ecclesias, vllius superbiæ, aut Antichristianismi me non posse damnare. Si quis habet discretionis spirituum maius donum, eo vtatur per me licet; sed videat ne sit spiritus temeritatis. Equidem nullum Antichristi spiritum in illis Patribus possum agnoscere: homines fuisse scio, & habuisse suos errores; tamen in hac re eorum scripta maiorẽ authoritatem apud me habent, quàm eorum, qui nostra ætate, & nostrâ memoriâ de hac re scripserunt.

Nomina hæc igitur, scilicet Archiepiscoporum, *ego nego ab Antichristo inuenta: hoc primum. Deinde dico, non promiscuè reijciendum quicquid ab Antichristo fuit vsurpatum, aut etiam inuentum: quia bona & vera nonnulla necessariò inuenit, vt multa mala & falsa tegeret. Ipse Sathan in Angelum lucis se transformat, vt commodiùs fallat: sanctitatem simulat, vt in scelus impellat: veritatem propugnat, vt in errorem inducat. Nam se palam proderet, si nihil nisi mala & falsa doceret: & ita neminem facilè deciperet, nec ipsius regnũ diû subsisteret. Nihil ineptius hac conclusione, qua sic infertur, Hoc Antichristus docet; ergo falsum: hoc Antichristus inuenit; ergo malum: nisi addatur aut saltem intelligatur, id esse contra verbum Dei. Gratiâ exempli. Quod à spiritu S. edoctus fuerat Petrus, id fide confessus est, nempe Iesum esse Christum & Dei filium; fatetur idem ore Antichristus, & negantem flammis necandum tradi iubet. Sacros verbi Dei codices recipit: & assiduò orandum esse, quia Dominus docuit, ipse diem in nocturnas & diurnas precandi horas distribuit. Sed ieiunijs & precibus, sacris codicibus, & ipsa confessione filij Dei ad superstitionem, quia abutitur, num idcircò hæc repudiabimus? Ordinem Ministrorum Ecclesia in pretio esse voluit, & non infimum honoris gradum in repub. Christiana tenere. Quid? nè similes eis simus, probris & ignominiâ Christi seruos afficiemus? & in ipsa fece plebis iacêre sinemus? Si imprudentes, contradicendi studio, quicquid dicit & facit Romanus Episcopus, auersari pergant; ipsi tandem totam religionem Christianam deserent. Nulla igitur ratione mouetur, quisquis repudiandum quidpiam censet, quia aut ipsius author, aut eo abusus ad tyrannidem, aut ad superstitionem Episcopus Romanus fuerit.*

In tria genera distribui possunt quæcunque in Romana Ecclesia, quæ nunce est, conspiciuntur. Quædam cum verbo Dei consentiunt; quædã planè ei aduersantur; pleraque sunt huiusmodi, qualis eorũ est vsus, bonus vel malus, quæ media

aut indifferentia vocantur. Tametsi bonis rebus abutantur mali, naturam illæ ideò non mutant. Verbum Dei, Baptismum, & quicquid prætereà apud Romanistas est, nemo sanus repudiare potest tanquàm mala, quia apud illos sunt. Malis verò quia nemo vnquam benè vtitur, penitùs deserenda sunt, cuiusmodi est omne genus idololatriæ, & quidquid doctrinam sanam euertit. Media cùm sint huiusmodi, vt is est qui illis vtitur; in libertate nostra sunt vt eis vtamur, prout res tempúsque postulabit. Omnes medium & indifferens censent, quidquid nec vetitum, nec mandatum in verbo Dei legitur, & in arbitrio cuiusque est relictum, vt vtatur aut non vtatur; nisi aliud intercedat, quod vsum alioqui liberum, ratione temporis locíue, aut personarum impediat. Ego media & indifferentia sic opinor meliùs definiri, si dicamus, Ea esse media, quæ nulla lege nec diuinâ nec humanâ vetita, aut mandata sunt: potest enim iussione eius qui in nos habet imperium, vsus liberæ rei circumscribi multis modis, & multis de causis; quæ fusiùs prosequi huius non est loci. Tantùm hæc noto, vt nouerimus quæ indifferentia sunt, vsurpari à nobis posse, quamuis variè illis fuerit abusus Episcopus Romanus, aut alius quiuis Antichristus. Nostrâ libertatẽ aliorum superstitio aut impietas non minuit: præsertim vbi accedit publica authoritas, quæ vti aut iubet, aut permittit ijs rebus quib. superstitiosi & idololatræ abusi sunt. Quocirca quotiescunq; aliquid in quæstionẽ venit, quod apud Romanistas, aut alios veritatis aduersarios vsitatũ est; rei ipsius natura cõsideranda est, non abusus. Magna hodiè acerbitate hîc in Anglicana Ecclesia quidam de vestitu externo, pileis, superpellicijs, musicâ, organis, & alijs quibusdã ritibus disputant; quæ quia in Romana ecclesia in vsu sunt, prophana & impia esse contendunt. Item de Episcopis & Archiepiscopis, ac possessionibus eorum, deque honoris gradu quem in Republica Christiana obtinent: quæ nisi probentur contraria verbo Dei, nullam rationẽ adferri idoneam dico, ad eorum abolitionem, quando inuentor aut author dicitur fuisse Antichristus. Mediares & indifferentes, quibus ad suam tyrannidem est abusus, ad bonũ vsum conuerti possunt, ecclesiæ & reipub. vtilẽ.

Contentiosis, & quibus iam altiùs insedit adserere Episcopalẽ authoritatem esse perniciosam Ecclesiis, hæc mea responsio non satisfecit, scio: & quod dixi de simplici significatione compositarum dictionum cum ἀρχὴ non recipient. Quare etiam si mihi simplicissima placeat dictionum Patriarchæ & Archiepiscopi interpretatio, quæ est modestissima: id tamen audeo asserere, vt maximè principatum quendam demus vi compositionis significari, indè non conuinci Episcopis non conuenire. Nam hac ratione si exactam dictionum significationem vrgere quis hoc modo velit, & cauillari, nefas erit quenquam mortalem appellare Monarcham, aut αὐτοκράτορα: quòd vera significatione nemini nisi Deo verè & propriè illa nomina competant. Hæc, & quæ huius prætereà generis inueniuntur vocabula vsu recepta, erunt abolenda. Proindè ἡγεμόνας πρεσβύτας Ecclesiarum Ministros appellare non licebit: immò nec Presbyteri quidem vocabulum retinebimus, quia hoc in sacris literis sit proprium Magistratibus, & Principibus, ac nobilibus prouinciarum, sicut illa significant imperatores ac belli duces, alios q; ciuilium rerum præfectos, quibus non minùs sunt propria quàm ἄρχων, tamen passim Ecclesiarum Ministri illis nominibus significantur.

Postremò, si Patrum quicquam valet authoritas, audiamus quomodo à principis vocabulo nõ abhorruerint, sed passim illud dederint Episcopis. Orig. reprehendens agrestem austeritatem quorundam Episcoporum, sic scribit. Et est videre in quibusdam Ecclesiis, præcipue ciuitatum maximarum principes populi Christiani

Christiani nullam affabilitatem habentes, vel habere ad se pertinere æstimantes, &c. *Postea*, non ista dicimus vt inclinemus Ecclesiasticum principatum, &c.

In epist. ad Rom. c. 13. Ex quo apparet Iudices mundi partē maximam Dei legis implere. Omnia n. crimina quæ vindicare vult Deus, non per Antistites & principes Ecclesiarum, sed per mundi iudices voluit vindicari. *Idem Numeror. c.* 27. *Hom.* 22. Sed discant Ecclesiarū Principes, successores sibi non eos qui cōsanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur testamento signare, neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, &c.

Ignatius, Honora (*inquit*) fili, Deum & regem: Ego vero dico, Honora quidem Deum, vt authorem vniuersorum, & dominum; Episcopum autem vt sacerdotum principem, imaginem Dei ferentem: Dei quidem, per principatum, Christi vero per sacerdotium. *Idem*, Qui honorat Episcopum, a Deo honorabitur; vt itidem qui inhonorat eum, a Deo punietur. &c.

Ibidē plura in hunc sensum idem, Omnia ergo in vobis decenti ordine perficiantur in Christo. Laici diaconis subditi sint, diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri. *Idem ad Antiochensem Ecclesiam*, Presbyteri pascite gregem, qui vobis commissus est, donec Deus demonstret eum, qui vobis imperaturus, est. Ego enim iam immolor vt Christū lucrifaciam &c. *Quib. verbis sanctus Christi martyr authoritatē Episcopi significauit supra cæteros Presbyteros.*

Magna fuit olim Episcoporum in Ecclesia authoritas, magna reuerentia, & apud populū gratia, quod inprimis vtile & necessariū est Ecclesiæ. Quemadmodùm in repub. Magistratuum gratia apud plebem, & authoritas, plebi est vtilis; sic etiam Episcoporum in Ecclesia. Rectè sensit Hieronymus, salutem Ecclesiæ in summi sacerdotis dignitate pendēre, &c. Non est hîc minimus æstus Satanæ, quo in contemptum adducere admittitur Ecclesiarum Antistites, vt hoc modo labefactet fidei doctrinam, eámque in dubium reuocet, vt sic tandem totum Ecclesiæ statum perturbet, aut conuellat, si possit. Cui rei qui se Ministros præbēt, quocunq; colore id faciant, pessimè non tantùm de Ecclesia, sed de tota merentur repub. Quod facit perduellis in Repub. hoc idem facit schismaticus in Ecclesia.

Quàm iustas causas habeant Episcoporum aduersarij hîc in Anglia, vt eos in odium & inuidiam vocent populi, ad me nihil pertinet, qui arbiter aut iudex inter partes non sedeo: sed hoc dico, idē quod Episcopis in Anglia, vsu venire optimis quibusque Euangelij Ministris in Hollandia: qui illic minori non laborant odio, quàm hîc Episcopi. Quàm petulanter, impunè, professis suis nominibus homines improbi debacchentur publicis scriptis in veros Christi seruos, ipsi libri testantur: quarum iniuriarum ego, qui inter ipsos vixi, cùm non minimam partē tulerim, & feram adhûc, nemini mirū sit, si æquior sim Episcopis. Scio enim hanc communem esse sortem omnium seruorum Dei; & Satanam iam olim ab antiquo omnibus modis conari, inuisos reddere præpositos Christi Ecclesiæ, vt penitùs sublata, aut valdè imminuta eorum authoritate, omne genus hæresium faciliùs possit inuehere: adeò vt si ipse Moses, & ipse Petrus & Paulus inter nos viuerent, & in eo pretio, & honore essent, quem vocationis ipsorum postulat dignitas, istorum hominum liuidos morsus non euaderent. Quamdiù seruorum Christi authoritas in Ecclesia manet integra, minimum est quod diaboli organa perficere queunt: ea vbi pessum it, audent quidlibet. Res multa demonstratione non indiget.

Itaque de honoris gradu, quem in benè constituta Christiana repub. tenere debent religionis Antistites, paulò liberiùs loqui me cogit nostri temporis iniquitas. Nam religioni debitum honorem deferri, impios non posse ferre, ídque operam dare, vt totus intereat, aut vt nullus appareat, mirum non esset: sed id fieri per viros professione religiosos, & eos ipsos, quos patrones & defensores esse oportuit dignitatis Ecclesiasticæ, perabsurdum est. Fruſtrà mihi allegant abusus, quibus non tam abusum, quàm omnem vsum ipsius rei tollere, propositum est.

Si Ecclesiarum rectores, non eâ morum integritate, vitaque innocentiâ suum ornant ministeriũ, quàm ratio, religionísque sanctitas postulat, nihil causor, quò minùs leges in illos seueriſsimè animaduertant, melioréſq; surrogentur. Non enim exẽpti sunt à summorũ Magistratuũ iurisdictione, vt non possint de illis, de vita, de fortunis eorũ statuere, quẽadmodùm de reliquis ciuibus. Principum & reipub. interest, optimos viros Ecclesiis præfici, & malos loco moueri. Criminationum quidquid mali hìc & alibi cõgerunt in religionis antistites, opprobrium est supremo magistratui, qui tales in Ecclesia Christi fert sacrorum Ministros & Ecclesiarum præsides.

Cleri Romanæ Ecclesiæ alia est ratio, qui peculiarem habent Magistratum, & sub communi lege aliorum ciuium in repub. non viuunt; suntq; in repub. vt nulla ipsius sint pars, nisi quantum interest eorum commodis: in quos nullum ius animaduertendi ciuilis Magistratus se habere credit, nec vllam emendandi potestatem, quidquid illud sit, quod illi peccant. Si tamen conniuendum ad has publicas obtrectationes videtur Magistratibus, de nullo querar, modò obtrectatores se ita attemperent, vt tantùm crimen ab ipsis vocetur in crimen, non conditio: & dum perstringuntur vitia, maneat functionis dignitas inuiolata, neque cuiquam probro vertatur, quòd Episcopus sit, aut Euangelij Minister.

De duplici Presbyterorum ordine, ex Domini institutione, & Apostolorũ traditione, ac perpetuo Ecclesiæ vsu, quatenùs argumenti, quod tracto, postulat ratio, hæc dicta hoc tempore sufficiant. Restat vt de Doctoribus etiam aliquid dicamus.

I. D. THEOD. BEZA.

QVócunque te vertas, Saraiua, nominibus istis *Patriarcharum & Archiepiscoporum*, non simpliciter significantur, qui primi sunt ordine in aliquo cœtu, sed qui cum imperio & potestate supra subditos aliquos eminent. Nec ignoras vetustos illos puriores canones, illos ipsos, inquam, quos citâsti, & alios puriorum temporum scriptores potiùs πρώτους πρεσβυτέρους, πρώτους ἐπισκόπους, πρωτοκῶτας, πρώτλω καθέδραν illos appellare. Et, quæso, quis non videt fastuosiores esse istas voces, quàm vt Apostolicis illis modestissimis πρεσβυτέρων, ποιμένων, ἐπισκόπων, λήτεργῶν, διακόνων, δούλων denique appellationibus vllo modo respondeant? Et vtinã de tam sacris rebus ex sancto Dei verbo, non tantùm sentire, sed etiam loqui didicissemus. Quòd si tamen intra istas voces totum hoc malum consisteret; ego quidem, etsi gaudeo ne nomina quidẽ ista in nostris Ecclesiis audiri, nihilominùs tamen contentionem de nudis istis vocabulis non mouerem: sed quædam prætereà in hoc capite putaui mihi non leuiter prætercunda.

HAD. SARAVIA.

EGo hactenùs nihil audiui, quod me ad eas deducat angustias, vt quò me vertam hæsitem. Nam quod D. Beza ait, *Patriarcharum & Archiepiscoporum nominibus, non simpliciter significari eos, qui primi sunt ordine, in aliquo cœtu*, non diffiteor: malè rem accipit, & longè aliter ac cogitaui. Nusquàm dixi Archiepiscopos & Patriarchas, primos tantùm esse ordine, sine vllo in subditos imperio: talem præsidentiam, aut præfecturam, nullam agnosco: sed hoc dixi, & adhûc aio, contra eos qui nodum in scirpo quærunt, virtute compositionis, fastuosa non esse vocabula, sed pro significatione vocis, & re vocis, cum qua ἀρχὴ vel ἀρχὸς componitur, esse accipienda: quod nemo, spero, Græcæ linguæ peritus mihi negaturus est.

Si

Si quid fastus in vocabulo *Patris* & *Episcopi* inest; inest & in eius cõpositione cum dictionibus ἀρχὴ vel ἄρχος, aliàs minimè. Nulla est vox Græca quæ significat artem, opificium, aut dignitatem, aut conditionem, cum qua non possint componi; & vt significetur illis dictionibus interdum imperium, id non est perpetuum: & imperium, quod significatur, est pro rei conditione & natura accipiendum. Nos autem ab Ecclesiastica gubernatione, non quoduis excludimus imperium; sed tantùm regium, & aliam ciuilem quamuis dominationem: quam nullam virtute compositionis, compositis illis dictionibus significari adserimus. Ex re, non ex voce, metior fastum; qui æque in τοῖς πρώτοις καὶ πρεσβυτέροις inesse potest, atque in illis quæ Bezæ displicent. In retentis illis vocabulis maior esse potuit fastus, quàm in lenissima compositione harum vocum inest, & quæ discriminis magis causâ, inuenta sunt à Patribus, quàm dominationis significandæ. Quid, obsecro, πρεσβύτερος & πρῶτος minus significant, quàm ἀρχὸς & ἀρχων? πρωτασία præfecturam significat, & imperium; & πρεσβύτερι vocantur primores reipublicæ, & πρῶτοι principes.

Meminisse velim Bezam eorum, quæ in suis adnotationibus in nouum testamentũ doctè adnotauit, super clausulâ prim. cap. Euangelij Iohannis 15. vers. ὅτι πρῶτός μου ἦν: Et certè si quis conferat Euangelistas inter se, inueniet illìc πρῶτος τοῦ λαοῦ & τῶν Ἰουδαίων eos dici apud Lucam 19. ca. 47. v. & Act. 25. cap. 2. v. quos, ca. 23. viz. vocat ἄρχοντας: & aliàs passim dicuntur πρεσβύτεροι. Quod etiam nomen non minùs fastuosum erat apud Iudæos, quàm Senatoris apud Rom. vt & illud ipsum admittendum non esse dicturi fuerint aduersarij; nisi pudor prohiberet. Cuicunque cauillari libuerit, tantum fastũ in vocabulis ὁ πρῶτος ἐπίσκοπος, & ἡ πρώτη καθέδρα inueniet; quantum in vocibus, Patriarchalis sedes, & Archiepisc. Vt autem molestiâ leuem lectorem, verba D. Bezæ hûc adferam, quibus significationem vocis πρῶτος, vt alia pleraque doctè explicat. Πρῶτος *enim* (inquit) *pro comparatiuo πρότερος positum esse, id ostendit, quod de duobus est sermo. Nam alioqui principem & primarium declarat, vt Luc. 19. c. 4. 7. ve. Act. 25. c. 2. v. & alibi sæpe: quamobrem etiam nonnulli πρῶτος μου interpretantur princeps meus, quod mihi quidem durum, & insolens videtur, &c.* Deniq; concludit πρῶτος *non ad tempus, sed ad dignitatem, & præstantiã personæ referri.* Plura ex iisdem adnotationib. in hunc sensum adferre possem; sed hæc sufficere iudico. Quid dicam de dictionibus ἡγούμενος, προϊσταμένους, ἡγέμων, ἡγέομαι; nihil opus est D. Bezam Græcè doceri, quid authoritatis & potestatis importent, si modò fateri velit, non ignorat. Nescio an ea consultò D. Beza præterierit, quandò modestissimas voces πρεσβυτέρων, ποιμένων, ἐπισκόπων, λειτουργῶν, διακόνων, δούλων profert; nè huius argumẽti infirmitas appareret, si simul adiunxisset hæc vocabula, in quibus augustioris significationis vis inest. Sed primum vocabulum quod adfert, honorificum semper fuit, & non nisi principibus & magistratibus reip. datum apud Hebræos. Augusta autem nomina non pugnare, cum his modestissimis vocabulis, nos verbum Dei docet, quandò longè digniora Ecclesiarũ Christi pastorib. tribuit, quàm sint Archiep. Metropolitani, Primatis, & Patriarchæ. Seruator noster vocat discipulos suos sal terræ, lucem mundi; & D. Paulus legatos nomine Christi, œconomos mysteriorum Dei, stellas, angelos, & Deos. Ad Mosen Deus ait, *Ego te constitui Deum Pharaonis.* Quid his nominib. potest esse sublimius?

Sed quid, amabò, si omissis his titulis *Archiepiscoporum*, & *Patriarcharum*, similiter & *Dominorum*, quæ nonnulli mirum in modum exaggerant & exagitant, Ministri vocentur prouinciales, & generales? Sic enim Franciscani, & alij quidam cœnobitæ fraterculi suos præsides vocant; & vt à fastu habeantur maximè alieni, *fratres minores* gaudent appellari; quos qui superare expetunt, *minimi* vocari volunt: num tunc fastus, tyrannisue, quæ illis significari contenditur honoris vocabulis inesse, cessabit? & non potiùs hypocrysi aucta maior erit? At vocabula hæc (inquit) quæ tetigi ex verbo Dei sumpta sunt, & studio electa, quæ quàm humillima sunt visa. Egregia hæc est oratio. Sed quid respondetur ad honorifica nomina, quæ non minùs ex verbo Dei desumpta sunt illis, quæ D. Beza nobis obiicit? Nugæ. Qui summus est Patriarcha, & Patriarcharum Patriarcha, ac Dominorum est Dominus; in scriptis suis, præter nomen Episc. nihil adsumit, nisi illud serui seruorum nomen.

Quo nihil est fastuosius, nihil insolentius, non proprietate vocum, sed abusu earū: vtpotè qui intelligatur maximus omnium, & Dom. supremus, qui se minimum & seruum dicit aliorum: & impotentiss. dominandi libido, & priscis seculis inaudita tyrannis, hac ratione tegitur. Huius generis tela, siue in immeritos nostros Archiep. D. Beza torqueat, siuè in ipsos Rom. Episcopos, leuiora & hebetiora sunt, quàm vt hostem configere queant: & plus habent splendoris, quàm roboris.

2. D. THEOD. BEZA.

VIs igitur Archiepiscoporum, Metropolitanorum & Patriarcharum officia nominibus Apostolorū & Euangelistarum contineri, Eph. 4. 11? At istud quinam verum fuerit, quùm hæ functiones specie prorsus differant; & illæ, sub quibus vis istas fuisse ab Apostolo comprehensas, priùs in Ecclesia defierint, quàm istæ nascerentur? quod vtrumq; anteà demonstraui. At, inquis, *quos dicimus Episcopos & Archiepiscopos, Paulus Apostolos vocauit.* De Episcopis concedo. Est enim ista generalis, ad omnes in verbo Domini laborantes significandos, appellatio. De Apostolis pernego. Quod enim de Andronico & Iunia, ex Rom. 16. 7. & de Epaphrodito à veteribus etiam nonnullis citatur, ex Philipp. 2. 25. anteà docui nihil ad hoc probandum pertinere.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza putat Apostolatum ab Episcopatu differre specie. Qua in re ipsum turpiter errare puto; nisi differre specie ea omnia putet, quæ magnitudine, & latitudine, aut aliis proprietatibus & circumstantiis differunt. Indiuidua sub eadem specie discernuntur innumeris proprietatibus, quæ simul collectæ nunquàm reperientur in alio; quæ si diuersas constituunt species, tot hominū futuræ sunt species, quot sunt indiuidua. Suprà demonstraui, quemadmodùm in veteri testamento vnum fuit Leuiticum sacerdotium; ita in nouo tantùm esse vnum Euangelij ministerium, vnum tantùm esse in Christi Ecclesia Presbyteratum, vnum Episcopatum, & vnum Apostolatum. Inter Presbyteros & Episcopos & Apostolos differentiæ sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ ab Apostolis relicta est eadem successoribus, non diminuta ab ea, quā acceperant à Domino.

Episcopatus est quidam Apostolatus, sicut Apostolatus fuit Episcopatus: nec est φ me falli, aut fallere homonymiâ harum vocū dicat D. Beza: More veterum Patrum, & omnium Theologorū loquor. Nam quæ tantùm qualitate aut quantitate differunt, nō differunt naturâ. Multa singularia, Apostolatus, id est, Episcopatus Apostol. habuit, quæ nostrorum Episcoporum Apostolatus non habet. Primò, ille nullos certos fines habuit: deindè, in fidei doctrina non potuit errare: tertiò, immediatè à Deo processit: & postremò, claruit miraculis. Nihil horum, neque hæc omnia simul essentiam Apostolici muneris constituunt: quæ tota in Euangelij prædicatione, & sacramentorum administratione, atque gubernatione Ecclesiæ consistit. Et hæc tria, Episc. siue Apostolatus retinet semel accepta, vsque ad aduentum D. nostri Iesu Christi. Partes autem Ecclesiast. gubernationis variè distributas esse nostro tempore, sicut fuerunt ætate Apostolorum, prout bona gubernationis ratio postulat, nulla scripturæ authoritate, neque Patrum vsu prohiberi, D. Beza docuit. Quod fixum nullum habuerunt locum Apostoli; id factum est ratione temporis, in quo tenebris errorum per mundū vniuersum inferenda erat lux Euangelij. Si ad eos annos vitam produxissent, quibus Euangelium promulgari per orbem vniuersum potuisset; sedes suas certas per orbem dispersas habuissent; sicut habuit Iacobus Hierosolymis.

Nihil opus est repetam, quæ antè dixi: tantùm moneo, me in nomine Apostolorū per Antonomasiam proprio 12. viris & Paulo, aliis tamen etiam impertito, non insistere, nisi quatenùs certum est ex verbo Dei, & communi sententiâ Patrum, communicatum nomen Apostoli etiam 70. discipulis, & aliis pluribus, quibus aut ipse D. aut Apostoli partes sui Apostolatus commiserunt: quos etiam pari ratione dici Euangelistas, non est mirandum. Quamuis enim plerique eorum Apostoli & Euangelistæ vocarentur, erant tantùm vero nomine Episcopi, hoc est, Pastores & Presbyteri ab hominib. per impositionem manuum ordinati: quales fuerunt Marcus, Titus, Timotheus, qui non aliam habuerunt ordinationem, quàm illi qui vt tantùm vni ciuitati vel

oppido

oppido præessent, tam ab Apostolis, quàm ab iis, quibus illam mandauerant prouinciam, creabantur. Quorum omnium cùm fuerit eadem ordinatio, idem intelligatur ordo. Sed illos certum est, non tantùm fuisse Presbyteros, quibus Apostolici regiminis partes committebantur. Quare propter latitudinem regionum, quas procurabant, fuit eis nomen dandum, quo discernerentur ab aliis, quibus tam ampla prouincia cõmissa non erat. Et indè ab illis Archiepiscopos fluxisse, non meam sed Patrũ esse sententiam docuimus.

Difficile esset ostendere vndè in Africa duo aut Patriarchæ, aut Archiepiscopi, aut Primates, cæteris omnibus Episcopis & Metropolitanis maiores manauerint, cùm temporibus Cypriani fuerint, & anteà; à tempore cuius non extabat memoria. Certè dubitari non potest, Marcum sectatorem Petri, cum Ecclesiæ Alexandrinæ cura, vicinas per Ægyptum ciuitates gubernâsse; & fuisse in Alexandria & Ægypto, quod Timotheus erat in Epheso & in Asia. Sed Theodoretum de hac re audiamus in Epist. 1. ad Timotheum cap. 3. *Vt dixi, eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos: eos autem qui nunc vocantur Episcopi nominabant Apostolos. Procedente autem tempore, nomen quidem Apostolatus reliquerunt ys, qui verè erant Apostoli: Episcopatus autem appellationem ijs, qui olim etiam appellabantur Apostoli. Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus:* vestrum (*inquit*) Apostolum, & adiutorem necessitatis meæ: *ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus.*

Ad istud (inquit D. Beza) *Quinam verum fuerit, quum hæ functiones specie differant, & illæ, sub quibus vis istas fuisse ab Apostolo comprehensas, priùs in Ecclesia desierint, quàm istæ nascerentur: quod vtrumque anteà demonstraui.* Quid demonstrauerit D. Beza, nescio; quærat candidus lector. Paulum autem in loco citato non temporarias functiones illas in Ecclesia futuras intellexisse, quarum nulla esset successio, causæ quæ ab ipso notantur, conuincunt. Prima causa est efficiens, nempè D. noster Iesus Christus, qui sedet ad dexteram Patris, & spiritu suo Ecclesiam regit, suisque donis vegetat, & alit. Idque quùm non vno tantùm seculo, sed indè ab ipsius adscensione, vsque ad finem seculi sit facturus, necesse est, vt quæ illius temporis Ecclesiæ dederat etiam ei, quæ posteà futura erat, dedisse. Porrò functiones illæ variæ ad finem referuntur, qui in perpetuo est actu, & qui non perficietur ante aduentum Domini. Quandò enim ait datas illas diuersorum graduum functiones fuisse *ad coagmentationẽ sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi, &c.* significauit Dei gratiam necessariam ædificando corpori Christi fuisse datam. Quæ certè non vnius seculi, sed perpetua, & vsque ad finem mundi duratura debet intelligi. Nam quamdiù in opere ministerij ad ædificationẽ corporis Christi erit laborandum; tamdiù species illarum functionum remanere in Ecclesia oportet, quæ in illum finem ordinatæ sunt. Atque hunc locum Ambrosius, & Hieronymus in suis Commentariis in hunc sensum interpretantur.

De Andronico, & Iunia, & Epaphrodito quicquid D. Beza dixerit, certum est, tum ipsos, tum alios plures, vocatos fuisse Apostolos; vel quòd ab ipso Domino ad Euangelizandum essent missi, vt 70. illi discipuli, vel ab Ecclesia Hierosolymitanâ, vel ab ipsis Apostolis. De nominibus inanem nobis litem D. Beza mouet, cùm de re constet. Et ab Apostolorum temporibus Pastores Pastoribus, Doctores Doctoribus, Presbyteros Presbyteris, & Episcopos Episcopis semper paruisse, luce clariùs à me demonstratum fuit.

3. D. BEZA.

ITem *apud Paulum*, inquis, *Rom. 12. 8. vocabulo* προϊστάμενος. *& 1. ad Corin. 12. 28. nomine* κυβερνήσεων *superiores Pastores*, nempè Patriarchæ, Metropolitani & Archiepiscopi, intelliguntur. Scilicet cogitârunt vnquàm Apostoli, vel Euangelistæ de Romani imperij Diœcesibus & Metropolibus, & vllis Ecclesiis certis fuerunt addicti. Sed præterea si diligentiùs vtrumque Pauli locum inspicias, comperies προϊσταμένους disertè ab omnibus in Ecclesia in verbo laborantibus discerni. Apostolus enim, inipsum Ecclesiasticarum omnium functionum recensionem ingrediens, primùm illas omnes in duas species diuidit: Prophetiam videlicet, & Diaconiam. Prophetiæ nomine generaliter comprehensis functionibus omnibus ad docendi munus pertinentibus: Diaconiæ verò alia omnia Ecclesiastica munera intelligens,

intelligens, illis subseruientia. Quam distributionem secutus est idem Apostolus, Philipp. 1. 1. & 1. Timoth. 3. Deindè, singula illa duo genera in suas species expressè partitur, nempè Prophetas, nimirùm in Doctores & Pastores; Diaconos verò, in eos qui mensis seruiebant; & erant Ecclesiasticis eleemosynis præfecti; in eos quos hîc προϊσταμένους vocat, in altero vero loco κυβερνήσεις, sic vocatos, sicut antèà ostendimus; quòd Presbyteris aliis in verbo laborantibus, id est, Pastoribus, in exercenda Ecclesiastica iurisdictione assiderent: & in eos demùm qui curandis ipsis pauperibus Ecclesiæ inseruiebant, quale fuit viduarum in primis collegium. Pulcherrimam autem hanc & certissimam Ecclesiasticarum functionum distinctionem non tantùm perturbas, sed penitùs etiam tollis, hac tua interpretatione: quod paulò antè pluribus ostendi in altero quoque Pauli loco.

HAD. SARAVIA.

OMissis rationibus & argumentis, quibus meam confirmo sententiam, non confutat interpretationẽ harum vocum προϊστάμενος & κυβερνήσεις; quibus nihil minùs significatur eo, quod ex præiudicio quodam Dom. Beza credit significari. Ipsum docere oportuit aut ex verbo Dei, aut Ecclesiæ perpetuo harum vocum vsu, aut veterum interpretum in hos locos conmentariis, has dictiones in hac significatione, quam eis dat, acceptas fuisse. Nouæ & nuper excogitatæ significationes, grauiore authoritate reiiciuntur, quàm adferuntur.

Vox προϊστάμενος bis in nouo Testamento (non vltrà, quòd sciam) pro Ecclesiarum Ministris accipitur: eam Patres Græci ferè semper vsurpare solẽt pro Episcopis, quos Latini eadem significatione dicunt Præpositos & Præfectos. Sed nunquàm illa voce quisquam significari suspicatus est seniores vnius anni, qui tantùm cẽsuræ præessent; qui nec docerent, nec sacramenta ministrarent. Omnes Epistolarum Paulinarum interpretes veteres tam Græci quàm Latini, Magistros & Doctores populi Christiani significari intellexerunt. Nunquàm enim Beza, nec alius quispiam ostendere poterit, Presbyteros vllos temporibus Apostolorum, aut post illorum tempora, quorum docere munus non esset, præfuisse Ecclesiæ. Sed hunc errorem iam confutauimus, & à pluribus doctissimè hîc in Anglia confutatus est, tanquàm inauditus & planè absurdus. Cuius certè defensores, si quam frontem haberent, pudere deberet.

De Metropolibus & diœcesibus Romani Imperij, Apostolos, & Euangelistas nihil vnquàm cogitâsse, apertus error est: quùm in celebrioribus quibusque locis, propter maiorem populi frequentiam, versati fuerint, & illìc facilius potuerint Ecclesiæ congregari, quàm in agris & in viliulis & pagis: quod manifestum est ex Actis Apostolorum, & Epistolis Paulinis: nisi fortè Antiochia, nisi Hierosolyma, nisi Corinthus, Ephesus, & Roma ipsa Metropoles non fuerint. Quibus certè quamdiù vixerunt, ipsimet præfuêre Apostoli & Euangelistæ: vt nulla fuerit celebris Ecclesia, quæ suam originem non retulerit ad Apostolos & Apostolorum successores, qui pietate & doctrinâ, regendiq; Ecclesiam authoritate dissimiles non fuerunt habiti Tito & Timotheo. Hos gubernatores & rectores intelligo Ecclesiarum propter excellentiam: quòd sola maiore gubernandi authoritate distinguantur à cæteris Ecclesiarũ rectoribus. Quis crederet, nisi res ipsa euinceret, tantos viros, tantæ eruditionis, κυβερνήσεις, de hominibus, quales sunt passim seniores nostrarum Ecclesiarum, tantam rem & tam augustam intelligere?

De qua Nazianzenus in Apologetico suo ita scribit: tanquàm ea ipsum deterruerit ab Episcopatu; ἀνθρώπῳ ὄντι, χαλεπὸν ὄντος τοῦ εἰδέναι ἄρχεσθαι, κινδυνεύειν πολλῷ χαλεπώτερον εἶναι τοῦ εἰδέναι ἄρχειν ἀνθρώπων, καὶ μάλιστα ὅταν ἀρχὼν ταύτην τὴν ἡμετέραν τὴν ἐν νόμῳ θείῳ, καὶ πρὸς θεὸν ἄγουσαν ἧς ὄγκον τοῦ ὕψος καὶ τὸ ἀξίωμα, ὅσος τις καὶ ὁ κίνδυνος τῷ νοῦν ἔχοντι, &c. *Difficilis cum sit scientia parendi homini, multo difficilior videtur scientia imperandi hominibus: præsertim nostro imperij genere, quod per diuina præcepta ad Deum ducit: cuius quanto maior est excellentia & dignitas, tanto rem secum reputanti periculũ annexum habet grauius.*

Et idem author posteà in eodem loco; ἀλλ' ἔσω τὶς μήτε κακὸς, καὶ ἀρετῆς ἥκων εἰς τοὐπιπρόσθεν, ὀχ ὁρῶ τίνα λαβὼν ἐπισήμηλω, ἢ ποίᾳ σωφρόνει πιστεύσας, ταύτην ἀνθαρρήσῃ τῇ προσασίαν: τῷ ὄντι γὰρ αὐτη μοι φαίνεται τέχνη τὶς εἶναι τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν ἀνθρώπου ἄγκη, τὸ πολυτροπότατον πάντ ζώων, καὶ ποικιλότατον. *Sit quispiam minimè malus, & qui virtutis fastigium attigerit, non video qua scientia præditus, aut qua virtute fretus*

tus

tuò hanc audeat præfecturam capessere. Mihi enim re vera ars quædam artium, & scientia scientiarum videtur, hominem regere omnium animantium maximè varium & mobile.

Hæc Nazianzenus, quem hîc repeto, & inculco. In meo tractatu eum non citaui, sed eius argumenta non neglexi, quæ intacta Dominus Beza præterit, tanquàm nullâ responsione digna. Extra controuersiam est, ciuilem gubernationem rem esse difficillimam, & eâ adhûc Ecclesiasticam longè difficiliorem, vt ea committi non debeat, nisi illius scientiæ peritissimis, quales pauci & inter ipsos verbi Dei Ministros inueniuntur. Vt mirum nemini esse debeat, Ecclesiasticam iurisdictionem, siue gubernationem, dependere à clauibus scientiæ, id est, à verbi Dei ministerio; vt qui baptizandi non habet potestatem, nec similiter ab eo quenquam arcendi; & qui non potest communionem corporis & sanguinis Christi ministrare, ab ea nec possit quenquam excludere.

Me autẽ tollere distinctionem nuper inuentam, cum harũ dictionũ interpretatione, ne quisquam miretur, hæc mea est ratio: quòd ex Patribus nemo ante nos has dictiones ita sit interpretatus, vtpotè qui hoc nouum Presbyterorum genus non cognouerit. Si enim noti fuissent Patribus, fieri non posset, quin eorũ aliqua in historiis Ecclesiasticis, in Conciliis & Synodis, & Patrum scriptis, facta esset mentio. Quod Ambrosium attinet, vis sit illius verbis: de grandioribus æuo, vt diximus, loquitur, quos aliquandò fuisse consultos ab Episcopis & Ecclesiæ doctoribus ait, & contemni dolet ac conqueritur: sed Ecclesiarũ Ministri non erant, nec censebantur in clero. Denique, quùm nemo veterum, neque eorum omnium quisquam, qui scripserunt in nouum testamentum, ante D. Caluini tempora, has dictiones πρωτοκάθεδρος & κυβερνήσεις sit hoc modo interpretatus, ignoscat D. Beza si veteri adsuetus vino nouum hoc vinum repudiem, & iuuenibus iis, qui nominibus mouentur, relinquam.

4. D. BEZA.

ITem *non possum*, inquis, *pios illos Christi seruos, qui cum magno fructu olim præfuerunt Ecclesiæ, nempè Nazianzenum, Nissenum, Basilium magnum, Athanasium, Cyprianum, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, & illis antiquiores, Ignatium, Polycarpũ, Irænæum, vllius superbiæ aut Antichristianismi damnare; quos fuisse constat Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas & cum præcipua quadam authoritate supra reliquos suos fratres Ecclesias gubernâsse.* Ista verò in quos dicantur, tu videris. Neminem enim adhûc audiui loquentem, neque legi scribentem, qui non perhonorificè, sicuti par est, de magnis illis Ecclesiæ suorum temporum luminibus sentiat: fuisse autem illos, à quoquam Archiepiscopos, aut Metropolitanos appellatos, nusquàm adhûc deprehendi.

HAD. SARAVIA.

QVùm testatus sim me non tam præsentes Episcopos defendere, quàm ipsum Episcoporum ordinem vel gradum; & rogârim lectores, vt oculos auerterent ab Episcopis quos vident, & quibus fortè inuident, & animos transferrent ad priscos Ecclesiæ Patres, & post Apostolos columina; de quibus si tam præclarè sentit D. Beza, quid contra me scribit? Quandò scripsi, de D. Beza nihil cogitaui, sed alios, quorum nominibus peperci. Eos si falsò insimulo, mihi fidem haberi non postulo. Fides esto penes ipsos scriptores, & eorum scripta: mihi audita & cognita præterire non debui.

Sed nusquàm à quoquam Archiepiscopos aut Metropolitanos vocatos D. Bezam deprehendisse mihi valdè mirum est; dicerem incredibile, nisi tanti viri fidem violare metuerẽ. Mihi magis verisimile est elapsum è memoria, quod de hac re legit in Nazianzeni oratione, in qua Basilium laudat, & dictione Metropolitani vtitur; quando Cappadociæ diuisionis in duas prouincias & metropoleis, & discidij, quod indè natũ fuit, inter Basilium & nouum Metropolitanum, mentionem facit: scribit enim διεσπῶντο συνόδοι, παρὰ τὸν νέον μητροπολίτην, πρόσοδοι διηρπάζοντο: *fraude diuellebantur Synodi, redditus diripiebantur à nouo metropolitano:* & paulò inferiùs de Basilio, ὃν μὲν ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ καὶ τῆς ἄνω Ἱερουσαλὴμ ὄντος μητροπολίτης, ἢ σαυτοπήχθη τοῖς πλαίμασιν, ἢ παρεδρεῖν ταύτα ἠνέσχετο, ἢ μικρᾶν τε καινὴν λύσιν ἐπινοεῖ: *non enim sanctus Dei, & superna*

superna Hierusalem verè Metropolitanus, aut erroribus abductus est, aut negligendà hæc sustinuit, aut parum remedium huius mali excogitauit. Ego non dubito hanc orationē sæpiùs à D. Beza lectam. Sed nec hoc mihi omittendum duco, quòd in eadem oratione mentionem facit distributionum prouinciarum, quas Patres fecerant, & mutari Basilius nolebat; quæ disidij causa fuit. Quandò autem prouinciarum distributio facta sit, nusquàm legitur: factam tamen constat ante Cypriani tempora, quem præfectum fuisse toti Africæ & Hesperiæ iam diximus, imò ante tempora Seueri. In Ecclesiastica historia, Demetrium quendam successisse Iuliano in Episcopatu Alexandriæ & Ægypti parœciarum, narrat Eusebius: quod circa annum Domini 191. accidisse oportuit. Præterea, vbi titulus orationis funebris Basilij tantùm nomen habet appositum Episcopi, sequens oratio de Athanasio habet Archiepiscopi cognomen. Sed quod maius est, ab ipso, & à me pluries citatus canon Niceni Concilij expressè habet nomen Metropolitani, quandò ait; *Et in cæteris prouinciis primatus dignitas, amplitudo, authoritas Ecclesiis conseruetur: illud autem omnino constat, quòd si quis sine consensu Metropolitani fiat Episcopus, hunc magnum Concilium definit Episcopum esse non oportere.* En hîc habemus & Metropolitani & Archiepiscopi nomen.

5. D. BEZA.

IMò ante Chalcedonense Concilium, quod incidit circiter annum Christi 455. nullam subscriptionem Synodicam comperi, in qua Archiepiscopus quisquam inscribatur: & vt omnes intelligant, quàm illis sanctis viris displicuerint non tantùm fastuosa illa nomina, verùm etiam multò magis res ipsæ, quas tamen illis tribuis, iterum hîc tibi repono ista Nazianzeni iam semel à me citata; quæ Græcè sic habent: ὡς ὄφελον μηδὲ λιὶ πρωεδρία, μηδὲ τις τόπε πρωτίμησις, καὶ τυραννικὴ πρωνομία, ἵνα ἐξ ἀρετῆς μόνης ἐγινωσκώμεθα. νυῦ δὲ τὸ δεξιὸν, καὶ τὸ ἀριστερὸν, καὶ τὸ μέσον, καὶ ὃ ὑψηλότερον, καὶ τὸ χθαμαλέτερον, καὶ τὸ πρωεδρεύειν, καὶ τὸ συμβιβάζειν πολλὰ πεποίηκεν ἃ φωτρήματα ημῖν διακενῆς, καὶ πολλὰς εἰς βόθρον ὥστε, καὶ εἰς τῶν ἐρίφων χώραν ἀπήγαγεν, ὁ τῆ κάτω μόνον, ἀλλα καὶ τῆ ποιμένων, οἱ διδάσκαλοι τῦ Ισραὴλ ὄντες, ταῦτα ἠγνόησαν. Quæ latinè sunt à me anteà exposita: & vtinam ab iis etiam atque etiam expendantur, qui abusum quidem istius dominationis rectè damnant, & emēdari cupiunt; sed in Ecclesia gradus illos esse retinendos existimant: quibus tunc assentiar, quùm mihi vel homines ab omni ambitione prorsus remotos, vel certam ambitiosos quicunque extiterint coercendi rationem ostenderint.

HAD. SARAVIA.

EPhesina Synodus, quæ Chalcedonense Concilium præcessit, in Epistola ad vicarios Romani Archiepiscopi Cælestini, vocat Cyrillum Archiepiscopum. *Denique* (inquit) *laborate nobiscum vt restituantur nobis sanctissimi Archiepiscopi Cyrillus & Mēnon.* Quod Archiepiscopi nomen in eadem Synodo sæpiùs inuenitur. Ambrosius, qui sub Theodosio seniore vixit, in lib. de dignitate sacerdotali Archiepiscopum nominat, & eius officium tangit, & abusum notat. Quæ nomina nemo dicit, tunc primùm fuisse inuenta, quandò aut Ambrosius, aut alius quispiam veterum illis est vsus, aut eos fuisse primos authores. Inueniat D. Beza originem, & ab ea, nos doceat ambitione & fastu inuenta esse, potiùs quàm discriminis gratiâ, significandi gradus diuersi Episcopos; & cedemus. Abusus nominum ad fastum est huiusmodi, vt qui idcircò ea tollere velit, mutos tandem nos redditurus sit, nominum, quibus res significemus, inopiâ. Nec enim Patris, Magistri, doctorisue vti licebit vocibus. Displicuisse fastum piis, & adhùc hodiè displicere non est absurdum, nec nouum: sed non sunt idcircò necessaria discernendis rebus abroganda vocabula.

Quod ex Nanianzeno citatur, est huiusmodi, vt malè restringatur ad Ecclesiæ Præsules, quæ in vniuersum dicta sunt in omnes ambitiosos, quicunque illi sint. Qua occasione Nazianzenus hæc locutus sit, videndum. Aduersarios habebat, qui multa mala in eum moliebantur: atque recensēt omnia, quæ vulgò homines ab aduersariis metuere solent; & ostendit se ita comparatum, vt nihil eorum eum possit lædere. Et tandem; *Num* (inquit) *principem locum mihi adiment? Quis vnquàm eũ sanæ mentis admiratus est*, &c. Mala recensēt quæ ambitiosi homines honorũ cupiditate inflammati inuexerant. *Vtinam* (inquit) *nullus esset princeps locus, & nulla loci prærogatiua.* Optat quidem, quod fieri non potest, nempè homines sola virtute viuere & æstimari: quod nunquam

nunquam in hac vita ſperandum eſt. Seruator eam ambitionem damnauit in Scribis & Phariſæis: ſed non primos conſeſſus ſuſtulit. Conuenire cœtus hominum non poſſunt, quin obſeruetur dextrum & ſiniſtrum, prius & poſterius: niſi homines, more pecudum gregatim incedant, et ſedeant indiſcriminatim, non habita ratione ætatis & conditionis, ſecundum quas æſtimari ſolent homines. In hac re, vt in cæteris omnibus, ſeruandus ordo eſt. In familia bene ordinata habet paterfamilias ſuum locum, habent et nati, natiuitatis ſuæ ordine, habent & ſerui, & mercenarii famuli, & alij familiares ſuum. Et hæc Natura omnes gentes docuit. In eccleſiæ verò conuentibus quid? Nullũ diſcrimen loci erit? Sedebũtne iuuenes, & ſtabũt ſenes? et Eccleſiarum Miniſtri, in promiſcua plebe, ab ea nullo loco diſcreti? Taxare Nazianzenum ambitionẽ et faſtum tam cleri, quàm plebis, inde notum eſt, quod ait, *Multos in foueam præcipitârunt, & adhircos aggregârunt, non ſolùm inferioris ſortis homines, ſed etiam Paſtores; qui quùm magiſtri ſint in Iſrael, hæc ignorârunt.* Facit iniuriam Nazianzeno, qui eum credit primas Metropolitanorum ſedes damnâſſe: aut nullas eſſe abſolutè optâſſe. Πρωτοθρόνια non eſt tantùm Eccleſiaſticum vocabulum; dicitur enim et de loci prærogatiua debita reipublicæ Primoribus: et hîc non tam pro loco conſeſſus publico accipitur, quàm pro primatus authoritate: de qua quàm reuerenter ſenſerit, et loquutus ſit Nazianzenus, ipſius orationes in laudem Baſilij, Athanaſij, et Cypriani teſtantur. Damnatur et notatur Maximi ambitio, qui per ſcelus ad thronum Conſtantinopolis Eccleſiæ adſpirabat: qui fraude et dolo Epiſcopum ſuum Nazianzenum amicum familiarem, optimè de eo meritum circumuenerat, vt eum deturbaret ſede Conſtantinopolitana, & eam ipſe occuparet. Sunt dicta ex cauſis dicendi interpretanda.

Quid hîc rurſus adferam, quæ iam ſuperiùs allegaui, vt authoritatem primatus Archiepiſcoporum, et Metropolitanorum docerem? Si ambitionis, & dominationis odio, gradus tollendi ſunt, cauſa eſſe demonſtrari debent ambitionis: ſed ſi non minus ambitioſi hodiè Miniſtri Eccleſiarum reperiuntur, in æqualitate hac, quàm fuêre olim ſummi illi Patriarchæ, in ſummo collocati gradu; quid dicemus? Ambitio tantò miſerrima eſt, quantò minor eſt ambiendi cauſa. Vixi cum fratribus Euangelij Miniſtris, et æqualitatem, quantum potui, colui, ſi alius quiſpiam. Interea tamen cæcus ſpectator ingeniorum eſſe non debui. Ingenuè igitur dico, me maiorem in Epiſcopis & Archiepiſcopis inueniſſe modeſtiam, quàm inter quoſdam collegas eiuſdem mecum ſortis. Eò nunc æqualitatis ſtudium proceſſit, vt ætatis, doctrinæ, et experientiæ, apud pleroſq; nulla habeatur ratio; vt nuper adſumptus iuuenis in Miniſtrorum collegium, eis, qui ipſi patres eſſe poſſunt, æquare ſe audeat, ne dicam præferre, in ipſamq; naturæ legem peccare nihil pudeat. Quandò mihi cogendi in ordinem, audaciam iuuenilem, & animoſitatem ambitioſam et temerariam, & maiorum contemptricem, in hac inæquali æqualitate, D. Beza rationem monſtrauerit; ego ei rationem monſtrabo, qua poſſint ambitioſi, quicunque illi extiterint, coerceri. Gradus eminentioris ſublatio, non ambitionem, faſtúmne, aut elationem animi tollit; ſed alit, fouet, & nutrit, facitque vt omnes ſint, quod nè vnus ſolus ſit cauetur. Dominationem regiam non tulêre Romani, quia faſtu regio pariter tumebant omnes. Cui animorum morbi probè ſunt cogniti, petet remedia vnde habuêre Apoſtoli; nempe à ſpiritu Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſolus animorum ferociam ambitionémque domare poteſt, etiam in jis quos ad ſummum honoris gradum euehit.

6. D. BEZA.

ΑΡΧΗ (inquis) *non tantùm imperium & magiſtratum, verùm etiam principium & originem cuiuſque rei declarat: vnde ἄρχων non ſemper Græcis ſignificat eum qui magiſtratu fungitur, ſed primum alicuius rei authorem, etiam in compoſitione: nec ſuperbi quicquam habet: vt apparet in dictionibus architectus,* ἀρχίσταρχος, *Architriclinus, Archibubulcus.* Ego verò, quod de ἀρχῆς nomine dicis, concedo: ſed: hoc ipſum ſententiam tuam conuellit. Nam ſi duæ tantum ſunt huius vocabuli notationes, vnâ expuncta, alteram ſtatuas neceſſe eſt: Epiſcopatum autem neque Diœceſanum, neque prouincialem dicere autius principium & originem eſſe ſacri miniſterii. Supereſt Ego vt ἀρχὴ opponatur τῇ διακονίᾳ, id eſt, imperium miniſterio

rio : ac proinde Archiepiscopi nomine intelligatur qui cæteris Episcopis imperet, et cui Episcopi cæteri obedire teneantur. Quæ dominatio quùm propria sit vnius Christi, nullo vicario capite indigentis, sed suis ministris suas operas in Ecclesia sua gubernanda distribuentis, meritò ab ipso expressis verbis inhibita est, vt anteà diximus in cap. 15.

HAD. SARAVIA.

D. Beza credit, quæ ipse de compositione variarum dictionum, cum Ἀρχῆ scripsi, me eam sententiam conuellere: sed in tribus errat. Primò quòd tantùm duas huius vocis notationes posuerim: deindè, quòd imperij nullam speciem Archiepiscopis & Patriarchis dederim: tertiò quòd ἀρχὴ imperium opponatur διακονίᾳ ministerio. In tractatu meo notaui Græcam dictionem Ἀρχὴ non tantùm imperium et magistratum significare, sed primum principium & primam causam, & originem alicuius rei: & in compositione sequi naturam dictionis, cum qua componitur. Quæ significationis notatio non potest ad illas, quas D. Beza ponit, acceptiones duas tantùm referri: habet enim tertiam, quæ primum significat, authoritate, honore, dignitate, & virtute; gratiâ exempli Patriarcha, hæresiarcha, ἀρχίατρος, ἀρχιτέκτων ἀρχιτρίκλινος, ἀρχιβύκολος non eandem habent significandi rationem. Prima significat authorem alicuius gentis; secunda, sectæ et hæresis; tertia, primum honore & dignitate vel eruditione; cæteræ ministerium significant, et artem cum aliquo imperio coniunctam. Sed sicut ἀρχίατρος tantùm primum & præcipuum medicum significat; ἀρχιεπίσκοπος primum & præcipuum Episcopum mihi tantùm significare videtur. Quòd autem primatus ille Archiepiscopi cum imperio coniunctus est; illud non magis διακονίᾳ, & ministerio opponitur, quàm imperium quod in dictionibus ἀρχιτέκτων, & ἀρχιτρίκλινος, & ἀρχιβύκολος innuitur: quas hoc consilio inserui, vt si contentiosus quispiam instaret, umpci iũ significari, admoneretur earũ significatione, de genere imperij: quòdque illud imperium sit ministerium, & longè diuersum à dominatione regia, ciuilique imperio. Quàm autem minimè consequens sit, quod D. Beza infert; imò quàm absurdum, & contra id quod apertè posui in meo tractatu, quemuis cedò arbitrum. *Expunctâ* (inquit) *primâ notatione significationis* ἀρχῆς, non me dicturum episcopatum, vel Diœcesanum vel prouincialem, principiũ & originem esse sacri ministerij. Cur hîc omittit D. Beza primum? vtpotè qui sciat dici posse primum in sacro ministerio: tamen quum principium sacri ministerij ab Apostolis (qui primi Archiepiscopi & Patriarchæ fuerunt) sumptum sit, & inde ad cæteros deriuatum, idem qui dixerit de Archiepiscopis, nihil errabit. Referri enim sacrum ministerium ad vnum, & ab vno incipere in vnaquaque prouincia, bonus adeò est ordo, vt melior nequeat excogitari. Sed nihil cogit me, hûc confugere: quod simplicius est, mihi magis placet. Archiepiscopum igitur Primatem & primum dicam Episcopum; neque quicquam errabo, absurdiue dicam: neque vi huius compositionis, cogar fateri in collegas imperium. Quod tametsi agnoscam in Archiepiscopi officio, illud ex dictionibus similiter compositis, aio esse huiusmodi, vt nihil cum διακονίᾳ vel ministerio pugnet. Sed sicut Architriclinus & Architectus & Archibucolus significant ministerium, ministerijque & Ministrorũ directionem; sic & Archiepiscopus. Immota igitur manent, quæ in meo tractatu disputaui: nempe hæc, Patriarchum propriè stirpis alicuius & gentis primum parentem significare, à qua significatione translata dictio est, vt significet Archiepiscopum, quòd ipse inter cæteros Episcopos, qui pares habentur, sit veluti primus pater, & vt imperium, quod in alios habet, paternum intelligatur, non regium aut tyrannicum. Modestiæ causâ igitur Patriarchæ & Archiepiscopi appellati potiùs sunt, quàm ἔξαρχοι τῶν ἱερέων; vt omnes intelligerent non aliud in suos fratres & coepiscopos habere imperium, quàm Paulus habuit in Titum & Timotheum, et illi similiter in alios Presbyteros & Episcopos habuerunt, &c.

Quomodo autem sequatur, quod Dom. Beza infert, expendat candidus lector. *Superest ergo* (inquit) *vt ἀρχὴ opponatur διακονίᾳ, ideſt, imperium ministerio: ac proinde Archiepiscopi nomine intelligatur qui cæteris Episcopis imperet, & cui Episcopi cæteri*

cæteri obedire teneantur. Si hanc exagitare argumentandi rationem me deceret, & in virum meæ communionis & Græcæ literaturæ doctissimum, & aliis suis lucubrationibus benè de Ecclesia meritum inuehi; causa tum hîc, tum pluribus aliis in locis se offert ampliſsima. Sed simpliciter dico, imperium & ministerium, nec in Pastore, nec in Euangelista, nec in Propheta, nec in Archiepiscopo, nec in Apostolo, nec in ipso Domino nostro Iesu Christo pugnare, vt simul non queant subsistere: & horum omnium imperia fuisse, & esse ministeria, & ministeria esse imperia. Quomodò autem factum sit, vt hodiè simul in Episcopo & in Archiepiscopo hæc non consistant, sicut olim consistebant, ego non video. Non parùm mihi D. Beza hîc errare videtur, qui hæc inter se, tanquàm ἀντιφάσεις, opponit.

Et nè quis ex meo sensu, non ex Patrum orthodoxorum iudicio, me hæc disputare iudicet, audiamus quid de hac re scripserint. Hieronymus in Epist. ad Ephes. cap. 5. *Hoc interest* (inquit) *inter gentium principes, & Christianorũ, quod illi dominantur subditis, nos seruimus: & in eo maiores sumus, si minimi omniũ fuerimus*, &c. Paulò superiùs super verb. Apost. *Subiecti inuicẽ*, scripserat. *Audiant hæc Episc. audiant Presbyteri, audiat omnis ordo doctorũ, subiectis suis se esse subiectos, & imitentur dicentem Apostolum: Cùm essem liber ex omnibus, omnibus meipsum seruum feci, vt omnes lucrifacerem. Et in alio loco: Per Charitatem seruite inuicem. Vndè & ipse eadem charitate omnibus gentium seruiuit Ecclesiis. Saluator quoque formam serui accepit, vt seruiret discipulis suis, & pedes eorum lauit.*

Augustinus lib. de ciuitat. Dei, 19. cap. 14. *In domo Iusti viuentis ex fide, & adhùc ab illa cœlesti ciuitate peregrinantis etiam qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbiâ, sed prouidendi misericordiâ.*

Chrysostomus in Epist. ad Roman. cap. 16. *Qui multorum est Dominus, idem multorum esse seruus cogitur.* Idem in op. imperfecto, cap. 20. *Principes mundi ideò fiunt, vt dominentur minoribus suis. Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis.* Plures ex variis authoribus, sensu his affines, sententiæ adferri possunt: ex quibus videre quiuis potest, Imperium Ecclesiasticum nihil pugnare cum diaconia.

Sed an ferendum sit quod subiicit, ipse Dom. Beza iudicet, quandò ait: *Quæ dominatio quùm propria sit vnius Christi, nullo Vicario capite indigentis, sed suis Ministris suas operas in Ecclesia sua gubernanda distribuentis, meritò ab ipso expressis verbis inhibita est, vt anteà diximus in capite* 15. Si imperare & præcipere aliis Ecclesiarum Ministris, dominatio est propria vnius Christi, blasphemos & impios fuisse Apostolos & Euangelistas oportet, qui vsurpârint, quod Christi vnius est proprium. Nam & ipse Paulus præcipit Timotheo & mandat, vt idem aliis mandet.

At Archiepiscopi (inquiet) non sunt Apostoli, nec Euangelistæ. Quidquid sit de Episcopis, non licuit Apostolis aut Euangelistis inuadere Christo dominationẽ propriam. A quo sacrilegio non potuerunt excusari Apostoli, si imperandi Episcopis potestas cui parêre teneantur Presbyteri, dominatio adseritur propria vni Christo. Quod scio Dominum Bezam non esse dicturum, nec vnquam sensisse: tamen ex ipsius verbis id consequi mihi videtur. Nisi fortè putet singulari priuilegio Apostolos potuisse, quod nefarium est & impium in Episcopis: & quod ipsi tamen Apostoli negant, & Dominus eis interdixerat, dominari ipsis fuerit concessum.

Ad Episcopos & Archiepiscopos redeo, quos saltem omnes reos huius sacrilegij peragit: vtpotè qui principatum & imperium dominationémque inuaserint vni Christo debitam. An hæc consentiant cum eis, quæ superiùs testatus est, se pios Episcopos & Archiepiscopos non auersari, qui moderatè sua potestatate vtuntur, nec ipsis quidquam derogare, & cum ipsius distributione Episcoporum in tres classes, vt alij sint diuinæ, alij humanæ, alij Diabolicæ institutionis, iudicent quotquot sunt Bezæ amicissimi. Ad bimembrem suam diuisionem reducat oportet, quamuis nimis serò; quòd ab aliis iampridem id sit factum, ex iisdem & similibus fontibus: & eum Episcoporum ordinem, quem D. Beza humanum dicit, cum Satanico coniunxerunt. Si hanc de Episcopis & Archiepiscopis opinionẽ haberem, ego mihi communionem eorum fugiendam, æque atque Episcopi Romani, iudica-

rem. Eos non magis vlla salutatione dignarer, quàm Mardocheus Hamanum. Præterea, quorsum fit hîc vicarij capitis mentio? Non ignoramus Christum non indigere capite vicario in terris: sed id nihil prohibet, operas gubernationis externæ Ecclesiarum partiri Ministris Euangelij per homines. Dominationem in Christi Ecclesia Episcopalem, meus tractatus nullam defendit: & quoties eam D. Beza oppugnat, alium Antagonistam quærat.

7. D. THEOD. BEZA.

NEque tu facilè mihi in Græcis vllis scriptoribus ἄρχοντος appellationem ostenderis alij attributam, quàm Magistratui, qui imperandi ius & potestatem haberet.

HAD. SARAVIA.

MIhi disputationem incidere cum viro doctissimo Græcæ linguæ de voce ἄρχοντος doleo; quæ ipsi notior est, quàm vt ignorare possit significare authores & causas alicuius rei, æquè ac principes. Est enim hæc eadem vox aut nomen aut participium: nomen plerunque pro Principibus & Magistratu accipi, vt certum est; ita etiam significare causam & authorem, nemo negabit. Quid enim illud Sophoclis significat ἦν ἐκεῖνος ἄρχων χρόνος πημάτων tempus illud causa malorum fuit. Verbum ἄρχω duo significare notum est. Primùm, causa & author sum, exordior, incipio, inchoo, sum principium, & origo: item, sum princeps, dux, & impero. Græca legenti exempla sunt passim obuia.

8. D. THEOD. BEZA.

ET sanè grauiter falleris, quùm hac voce in Architecto & Architriclino putas tantùm ordinem, siue primum locum significari. Architectus enim dicitur in re quidem priuata, nisi quùm metaphoricè ad publicas quoque functiones adhibetur; non is qui primus sit inter ædificantes, sed qui ædificij structuræ leges præscribat, & operariis imperet.

HAD. SARAVIA.

QVomodò has voces accipiant, consideret lector; credo D. Bezam meam non perlegisse: vellem has interpretationes meis citari verbis: nam has quas adfert, pro meis non agnosco. Si eam confutando rationem sequerer, quam tenet in respondendo D. Beza, ego me grauem ei facere iniuriam crederem.

9. D. THEOD. BEZA.

ERgo, inquies, concedis imperandi potestatem Apostolis fuisse attributam, vt qui Architecti ciuitatis illius cœlestis dicantur. Concedo profectò, edicendi authoritatem; sed primùm vt præconibus, quibus videlicet legum non ferendarum, sed promulgandarum διακονία mandatur. Deindè, vt vnici illius Imperatoris legatis, qui non arbitrio suo, sed ex præscriptis legibus, non ius dicant, sed iudicium ferant; non suo, sed eius à quo delegati sunt, imperio & authoritate; non in suos collegas, sed in greges sibi commissos attributa, vt verè maneant illius Imperatoris Diaconi.

HAD. SARAVIA.

QVamcunque profectò concedis Apostolis imperandi potestatem, nullam nos aliam nec maiorem, nec minorem concedimus Episcopis, Patriarchis & Archiepiscopis. Apostolos autem non tantùm habuisse potestatem in greges sibi commissos, sed etiam in gregum Pastores, extra controuersiam est; & quòd Apostoli in collegas nullum habuerunt imperium accipimus, & idem facimus: nam nullum Archiepiscopi & Patriarchæ habuêre in alios Patriarchas imperium. Alexandrinus non habuit imperium in Antiochenum; nec Romanus in Carthaginensem. Quod lapsu temporum sibi vindicauit Romanus Episcopus, non defendimus. Quod addit Dom. Beza Apostolos ex præscriptis legibus ius dixisse, idem dicimus de omnibus Episcopis & Archiepiscopis & Patriarchis, quos defendimus. Et hîc in Anglia reuerendissimum nostrum Primatem ita legibus esse astrictum, vulgò omnibus notum est, vt sine legibus nihil possit, multo minùs contra leges: adeò nihil eius est relictum arbitrio.

Eadem

Eadem eſt aliorum Epiſcoporum conditio, vt ab eorũ Conſiſtoriis minùs ſit timenda iniuria, quàm à Conſiſtorio Geneuenſis Eccleſiæ, in hac re magis libero.

10. D. BEZA.

ARchitriclinum autem, quàm abſurdum fuerit primum & præcipuum in triclinio appellatum fuiſſe, exiſtimare, quùm is ne accumberet quidem? Erat itaque ſic dictus, quòd eſſet ἐπισάτης ὅλης διακονίας, id eſt, totius conuiuij Miniſtris præfectus, ſuos videlicet habens miniſtros; quibus, quod libuiſſet, faciendum imperabat, ſub Sympoſiarcha appellato, quem Varro Modiperatorem interpretatur.

HAD. SARAVIA.

CAlumnias D. Bezæ æquo animo deuoro. Ipſe ſuam exiſtimationem apud cordatos lectores, qui vtriúſque noſtrûm ſcripta inter ſe conferent, ſic diſputando lædit, non meam; qui horum nihil, quæ mihi affingit, ſcripſi, nec ex meis ſcriptis poteſt elici: ad quæ ego lectorem remitto. Non enim vbiq; dictiones compoſitas cum ἀρχὴ dixi ſignificare primum & præcipuum, nec ignoraui quid Ἀρχιτρικλίνος ſignificet, vt opus habeam doceri à Dom. Beza: has voces adduxi vt docerem nihil eſſe faſtus, nihil tumidi, in pleriſque dictionibus compoſitis cum ἀρχὴ, vt apparet in his vocibus Architriclinus, Archibubulcus, & Hæreſiarcha; quarum poſtrema primum authorem ſignificat alicuius hæreſis: aliæ duæ miniſterij directorem, ſiuè deducantur ab ἀρχὴ vel ἄρχων, & quòd huius generis imperia, ſint (vt dixi) miniſteria. Si quid habet contra hæc D. Beza, id attuliſſe debuit; non in alium ſenſum, â me nunquàm cogitatum, verba mea inflectere.

11. D. BEZA.

EAdem vis eſt huius vocis in plurimis aliis functionibus: vt in ἀθνάρχης, & τετράρχης, qui vix ſeſe profectò paterentur à te in ordinem redigi. Sic exempli causâ τριεράρχης dictus eſt, non qui primus vel præcipuus eſſet ordine inter triremiũ ductores; ſed quiſquis triremi præerat, non ordine certè, vt inter ſocios, ſed cum pleno in ſuos remiges & milites etiam coercitionis iure, ſub claſsis imperatore.

HAD. SARAVIA.

EOdem candore hîc tria adferuntur vocabula ἐθνάρχης, τετράρχης, & τριεράρχης; quaſi ego contendam dictiones Græcas compoſitas cum ἀρχὴ, ſemper ſignificare primum; & negem imperium denotare, & etiam dominationem, pro ratione rei quæ ſignificatur?

12. D. THEOD. BEZA.

Ἀρχιατρὸς autem ſi quis eſt vocatus, ea ipſa ambitione iſtud factum, quam hîc reprehendimus: diſcipulis fortaſsè quos ἰατρῶν παῖδας vocant, hoc ſuo cuipiam magiſtro tribuentibus, à cuius decretis & edictis toti penderent. Ἀρχιβύκολος autem (quem tu, neſcio, an per ludibrium in noſtros Presbyteros, ridiculè certè, & barbarè Archibubulcum interpretaris) quid nì vocetur qui inferiores pecuarios ſuæ quadam poteſtate regat? Eſt enim, certè, quod ad rem ipſam attinet, ſceleratiſsimus ille Doegus, non minùs magnifico nomine appellatus, 1. Sam. 21. 8.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza ait, ſi quis ſit vocatus ἀρχιατρὸς, ea ipſa ambitione iſtud factum, quam hîc reprehendit. Id Dominus Beza adfirmat, & ego ſimpliciter & abſolutè nego: nec alia confutatione opus eſſe iudico. Credat lector cui volet. Ad ἀρχιβύκολον venio, quem Archibubulcum ridiculè & barbarè à me redditum dicit. Bubulcus mihi Latina vox eſt, vſurpata à ſummis eruditione viris, & natiuitate Romanis. Sed diſplicet forſan compoſitio dictionis Græcæ cum Latina; quam licentiam non ſolus nec primus ſumo: & pari ratione, qua archimimus dicitur, dici poſſe archibubulcum cenſeo: non enim minùs quàm mimus Græco fonte deducta bubulci vox eſt. Sed, obſecro, quid faſtus, quid ſuperbæ dominationis hæc denotant vocabula? Mihi certè vt alia huius generis plura, præter ſeruile imperium in alios ſeruos hæc nihil ſignificant. Si ἀρχιβύκολος Domino Bezæ magnificum eſt nomen, pari ratione ſint & hæc magnifica nomina, ἀρχιπλώτης, ἀρχιλῃστὴς, ἄρχιπειρατὴς, & ἄρχιπλάνος: quibus & fœda atque obſcæna quædam liceret adnumerare, niſi pudor vetaret.

Quorsum hîc Doeg fiat mentio, nescio, qui potens aut fortis dicitur Pastor. Græca versio Pastorem multorum Sauli vocat, non ἀρχιβόσκολον: sed quocunque vocetur nomine, magnificentia, meo iudicio, nulla est in pascendis mulis aut bobus. Magnitudo fortè numeri, & seruorum multitudo, propter opulentiam momenti aliquid addere potest rei: sed hæc magnificentia, quæcunque esse potest, huius est generis, vt mancipiis & seruis detur ruri inter asinos & boues viuentibus. Sed pudet nos in nugis terere tempus, Domino Beza & me indignis. Ecquem hinc, candide lector, fructum percipies?

13. D. THEOD. BEZA.

PRimos autem illos Episcopos prouinciales, priùs verò eis conueniente nomine vocatos, quòd tu vis Patriarchas posteà nuncupatos; non superbiæ, sed contrà, modestiæ causa; nempè vt significaretur imperium, quod ipsi inter cæteros Episcopos, qui Patres habentur, obtinerent, paternũ esse, non regium aut tyrannicum, ac proindè sic appellatos, quasi primos inter alios patres; tu quidem ingeniosè excogitasti, sed parùm profectò logicè, siuè ex rectæ disputationis legibus: sic enim illud ipsum præsupponis quasi probatum, de quo inter nos quæritur: nempè habuisse istos imperium in suos coepiscopos. Hoc autem manifestè repugnat illorum humanæ institutioni, siuè canonem illum Apostolicum vocatum spectes, ex quo apparet nondum tunc fuisse hunc ordinis honorem certæ ciuitati addictum, siuè malis ad Antiochenæ illius Synodi canonem 9. abs te citatum refugere. Nam vtroque disertè cautum est, nè quid ille absque suorum coepiscoporum sententia & consensu gerat; quod certè imperanti minimè conuenit.

HAD. SARAVIA.

NIhil ego ingeniosè excogitaui; id Domino Bezæ relinquo, qui mihi ingenio & eruditione abuti videtur: sed quid sentiam, simpliciter exposui; quàm autem logicè, iudicent alij. Dicit dominus Beza me adsumere tanquàm probatum, id quod controuertitur: sed quid probauerim, quid minùs, esto aliorum iudicium: meorum argumentorum nullum est (quod sciam) adhûc cõfutatum. Ego lectorem ad ea, quæ meus tractatus habet, & Dominus Beza respondet, remitto: tædiosa nimis esset eiusdem rei tam crebra repetitio. Sed quid ait Dominus Beza? *Primi illi Episcopi prouinciales* (inquit) *nullum habuêre in suos coepisc. imperium.* Si nullum habuêre, nullum defendo. Nã tantùm defendo, illud quicquid habuêre imperij. Frustrà tãtoperè sudat, vt probet Archiepisc. & Patriarchæ vocabula fastum & dominationem significare; quæ nulla fuit, si nulla fuit potestas, sed inania quædam sine re tantùm fuêre olim nomina.

Notare autem lectorem velim, fateri D. Bezam, *conueniente nomine illos, qui pòst Patriarchæ, & Archiepiscopi dicti sunt, fuisse primos Episcopos vocatos.* In quo tamen Primi nomine, tantum superbiæ & fastus inest, quantum in Archiepiscopi & Patriarchæ vocabulo inesse potest; sicut superiùs nos, ex doctis adnotationibus ipsius Domini Bezæ in nouum testamentum, docuimus. Esse enim hæc synonyma dicimus, & vtrobique tantundem significari: adeò vt cui *Archiepiscopi* & *Patriarchæ* nomen displicet, simpliciter *primi Episcopi* vocem non debeat admittere.

Sed intactum prætereire nolo quod ait Dominus Beza, *Imperanti non conuenire, vt nihil agat, absque coepiscoporum suorum sententia & consensu: ac si nihil in potestate relictum fuerit Archiepiscopi.* Non attentè satis D. Beza canones legit. Redeat ad eorum lectionem oportet: & si eos rebus vsuique accommodet, fiet exemplis res clarior.

Possidonius in vita Augustini de Valerio & Augustino narrat, quomodò hunc ille obtinuerit fieri Episc: & quidẽ contra Canones Concilij Niceni. Historiæ verba hæc sunt. *Ille vero beatus senex Valerius, metuere cœpit, vt est humanus animus, nè ab alia Ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur, & sibi auferretur: nam & id prouenisset, nisi & hoc idem Episcopus cognito, ad locum secretum cum transire curâsset occultatumq; à quærentibus minimè inueniri fecisset. Vnde amplius formidans idem venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimũ, egit secretis literis, apud Primatẽ Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatẽ, & obsecrans vt Hipponẽsi Ecclesiæ ordinaretur Episc. qui suæ cathedræ non tã succederet, sed cõsacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit, & rogauit, satagẽs rescripto impetrauit. Postquam petitionem, ad visitandum adueniente ad Ecclesiam Hipponensem tunc*

Primate

Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo, & Valerius Antistes Episcopis, qui fortè tunc aderant, & clericis omnibus Hipponensibus, & vniuersæ plebi, inopinatam cunctis suam insinuat tunc voluntatẽ: omnibúsque audientibus & gratulantibus, atque id fieri perficíque ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere contra morem Ecclesiæ, suo viuente Episcopo Presbyter Augustinus recusabat. Dúmque id fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Africanis exemplis probaretur, compulsus atque coactus succubuit, & Episcopatus curam, & maioris loci ordinationem suscepit.

Hactenus Possidonius. Ex hac historia liquet non nihil potuisse Primatem. Quod bonus ille senex petebat, contra Concilij Niceni canones erat; qui, viuo Episcopo alium creari vetabant. Absurdum semper fuit, duos in vna Ecclesia esse Episcopos. Sed quando res tempúsque iustis de causis contrarium fieri postulabant, primi Patriarchæ ius & potestatem habebant dispensandi de huius generis canonibus, apud suam plebem. Valerius, nisi Carthaginensis Ecclesiæ Primas concessisset, Augustinum Episcopum creari, procurare non poterat. Atquì, vt id Primas permitteret Valerio, consensu non habuit opus collegarum. Si quoties requirebatur ab inferioribus Episcopis ad rem aliquam nouam & extraordinariam Primatis adsensus, nihil ei datum esset absque prouincialium sententia concedere aut facere, Concilia oportuisset esse perpetua. Deindè, hîc duos legimus Primates, & alterum sub altero, & ad visitandum Ecclesias excurrisse: in quibus visitationibus, nihil in authoritate Primatis fuisse positum, absurdum est dicere. Innouare quidem nihil poterat contra diœcesani voluntatẽ, sed corrigere & emendare, quæ cõtra veteres canones, & morũ sanctitatem admissa erant, potuit; & restituere, si quos iniuriâ Episcopus suo gradu deiecisset. Sufficiat hoc exemplum additum superioribus meis rationibus, ad probandam Primatũ potestatem: quæ quamuis regiæ & ciuili dominationi similis non fuerit; tamen non fuisse nullam credi non debet. Quòd verbo Dei, aut regulis Ecclesiasticis, adstricta fuit; aut vbi illa deficiebant, in rebus nouis potioris partis collegarum sententiis, nihil authoritatem minuit. Quis dixerit iudicum causarum ciuilium, & magistratuum nullam esse potestatem, nullúmue imperium, quia legibus subiiciuntur? Id tantùm Magistratus possunt, quod iure possunt. Par est ratio Episcoporum & Archiepiscoporum in sua iurisdictione Ecclesiastica.

14. D. THEOD. BEZA.

DEnique quùm ἔξαρχος nomen sit longè modestissimum, imò sacrarum communium deliberationum inceptori conuenientissimũ: (nec enim aliud per se significare Græca hæc vox potest, quàm alicuius communis actionis inceptorem,) tamen quùm propterea quòd, vt verisimile est, tam à Græcis Imperatoribus mittebantur hoc nomine gubernatores, celeberrimæ illi Synodo Carthaginensi, (in qua fuit quoq; ista Patriarchalis siue Archiepiscopalis Romana potestas, quam sibi sedes illa iam tum arrogabat damnata) sic ἔξαρχος appellatio tantoperè displicuerit, vt illam expressis verbis expunxerit, & generaliter eiusmodi voces omnes damnauerit, atque adeò certam Metropolitanis illis appellationem, ne primi quidem Episcopi, sed duntaxat primæ sedis Episcopi assignârit; cui tandem persuaseris potuisse Patres illos pati, vt quemadmodùm ipsi loquuntur in epistola ad Cœlestinum ipsum, non aliter quàm Papam & vrbis Romanæ Episcopum vocatum, missa, ὁ καπνώδης τύφος τὸ κόσμος, id est, fumosus ille fastus mundi, in Ecclesiam introduceretur. ἥτις δ' φῶς τῆς ἁπλότητος καὶ τ ταπεινοφροσύνης τῶν ἡμέραν τοῖς τὸν θεὸν ἰδεῖν ἐπιθυμοῦσιν προφέρει, id est, quæ lucem simplicitatis & demissionis animi ijs præfert, à quibus conspectus ille diei Domini expetitur.

HAD. SARAVIA.

ΕΞαρχος vocabulum improbatum est à Patribus, non ratione propriæ significationis, sed translationis. Hoc est quod aio; ex vsu, non ex etymo dictiones accipiendas esse. Regis nomen, quod habeat etymon, notum est: tamen regis nomen non tulêre Romani. Quam autem causam habuerint Patres, vt potissimùm hoc exciperent vocabulum, cùm Exarchorum officium in Italia nondum esset, & an fuerit in Africa nescio, nec legatur vllus Episcopus se vocâsse hoc nomine, diuinare non possum: fuisse tamen causam datam ab Episcopi Romani legatis non dubito.

Pòst simul cum regno Longobardorum Exarchi nomẽ & officium audiri in Italia cœpit, & significabat vicariam imperialem potestatem. De quo nomine docti Historiarum scriptores diuersum à Dom. Beza sentiunt, quandò scribunt Longinũ secum

in Italiam attulisse nouum regiminis nomen, Graiæ superbiæ plenum, vt Exarchus diceretur. Anteà eius aliquem fuisse vsum verisimile est, vt causa data sit Patribus, vt metuerent, ne simul cum nomine parem potestatem Romani Episcopi in collegas adsumerent. Id quidquid sit, factũ esse refutandæ Episcopi Romani ambitionis causâ, certum est: & fortè legati Episcopi Romani hoc nomine fuerunt vsi. Nam ex Africa, quum à præsidibus & præfectis prouinciarum ad Imperatorem Romanum appellaretur, eum morem transferri in Ecclesiam Patres nolebant: nouum hoc erat & inauditum, vsque ad illa tempora. Sine appellationibus vltramarinis rexerant suas Ecclesias Africani Patres.

Et quamuis temporibus Cypriani quidam cucurrissent Romam; ipse hoc reprehendit, & tunc temporis fuisse statutum scribit ad Cornelium, vniuscuiusque causam illic audiendam esse, vbi crimen fuisset commissum, & testes audiri, & haberi possunt. Huius generis Exarchatum, sicut nec Archiepiscopatũ, etiamsi modestissimis & humillimis significarentur vocabulis, nullum defendimus: cuique genti suos Archiepiscopos relinquimus, omnes dignitate & authoritate pares. Et vt facilè patimur & gaudemus in Concilio Carthaginensi Romanam Patriarchalem potestatem, vltra suos fines se porrigere conantem, fuisse repressam; ita pernegamus vllam fuisse illo decreto abrogatam.

Quòd differentiam nobis D. Beza inter primum Episcopum & primæ sedis Episcopum excogitauit, errare eum arbitror, nec sibi in hac re constare, qui paulò antè dixit *conueniẽte nomine vocatos fuisse primos, qui dicuntur Archiepiscopi.* Modò enim ex Possidonio in vita Aug. duos Primates vocatos audiuimus. Possidonius Concilio Carthaginensi interfuit. Sed quo sensu quemquam principem sacerdotum Patres Africani dici vetent, quo tamen nomine vsos fuisse constat alios Patres orthodoxos, quos improbare non possumus, vt fuêre Ignatius, Origines, Ambrosius, aliique plures, videndum & examinandum est. Quemuis Episcopum Patres summum sacerdotem, & principem sacerdotum vocare consueuerunt; & in primis Cyprianus pluribus in locis iam à me citatis, qui totius Africæ primus fuit, & ætatem illam diû præcessit. Dicta itaque scriptáue, sunt ex causis dicendi interpretanda. Quæ fuerit huius canonis causa, notum est. Volebat Episcopus Romanus, tanquàm ad principem Episcoporum appellationes omnium Ecclesiarum, contra Ecclesiæ veterem morem, ad se deferri; quo sensu neminem agnoscebant Patres principem, vetantque dici quenquam, aut haberi.

Principis vox nota est, & varia significatione accipitur: estque interdum substantiuum, & eum significat qui summum obtinet in repub. imperium, & aliquandò est adiectiuum, & primum ac præcipuum in quacunque re & facultate significat: in qua significatione Plato & Aristoteles principes Philosophorum dicuntur, & Petrus & Paulus Apostolorum. Et in hac significatione non hîc accipi certum est; quùm Patres Africani habuerint ab antiquo suos primos, vel primates Episcopos. Sed quicquid D. Bezæ significet Archiepiscopus, nihil aliud mihi, quàm primum Episcopum, vel etiam principem eodem sensu significat; idque (sicut notaui in meo tractatu) sine huius canonis vlla violatione.

Cæterùm τὸν τοῦ κόσμου καπνώδη τύφον fumosum illum huius mundi fastum, quẽ Romanus Episcopus inuexit, non minùs detestamur ipso Bezâ, & illis Patribus, qui illam scripsêre Epistolam. Est autem modus in rebus: alterum extremum cauemus. Quemadmodùm suum Primatem quandò habuit Africa, nihil in diuinas Patrúmue leges peccauit; ita nec Anglia, si suum retineat Primatem, cæteróque omnes Episcopos. Cui si modò tantam, non maiorem leges dant potestatẽ, quàm tunc habuit Aurelius Carthaginensis Archiepisc. aut si mauis Primas, nihil habet D. Beza, quod in archiepiscopis, & in tractatu meo, iure reprehendere possit.

Quòd si D. Bezæ displicet & primi Episcopi & Primatis nomen, & putat tantùm vel primæ sedis, Patres Africanos probâsse titulum; quasi inter primæ sedis Episcopum & primum Episcopum aliquid interfit: nouerit Patres, qui interfuêre illi Concilio, ipso meliores & certiores esse interpretes. Augustinus & Possidonius Primatis vocabulo vsi sunt, quandò Megalium in suis scriptis vocârunt Numidiæ Primatem.

15. D. BEZA.

SED & istud tuum argumentum, quæso, cuiusmodi tandem est? *Christus propriè noster est Doctor, Magister, & verus bonus Pastor. Nihilominùs tamen Presbyteros & Episcopos vocamus Pastores & Doctores; nec propterea quicquam Christi gloriæ derogatur. Ergo sicut Christus vocatur ἀρχιποίμην propter summum imperium, quod in omnes Pastores habet: sic non video,* inquis, *cur de homine non possit dici, non absolutè aliorum omnium, sed eorum coepiscoporum respectu, inter quos primum locum obtinet.* At ego videre mihi videor multiplicia in hoc argumento peccata. Argumentaris enim primùm à simplici ad compositum. Deindè & nomina & res ipsas confundis multiplici homonymiâ.

HAD. SARAVIA.

SImplex mea est cõparatio, & perspicua. Certum est has voces, Magister, Doctor Pastor, Pater, dici tam de Christi discipulis quàm de Christo. Homonymiam ego non nego, nec eadem ratione dici hæc nomina de hominibus, qua dicuntur de Deo, adfirmo. Legantur mea, et examinentur. Quia argumentum premit, stringítq; arctiùs, quàm vt indè se queat euoluere, multiplicia in hoc argumento sunt peccata scilicet; primùm, si ego à simplici argumentor ad compositum; deindè, si nomina et res cõfundo multiplici homonymia, nugatoria et ridicula mea est argumẽtatio. Sed ego non credo D. Bezæ, nisi euincat ita esse: id ab eo dici non satis est. Quod subiungit, huius nullam demonstrationem continet. Nam à quo simplici ad quod compositum mea feratur argumentatio, docere debuit, et quæ nomina, qualuè res misceam. Quod dum non facit, verbis ludit, nec præstat quod in se suscepit. Tamen quidquid illud est, quod adfertur, expendemus.

16. D. BEZA.

NAm si tua valeret comparatio, eandem esse oporteret definitionem pastoralis & doctoralis functionis in Christo, et in aliis pastoribus & doctoribus consideratæ: discrimine tantùm posito cuiusdam inter illos præstantiæ & excellentiæ. At hoc falsissimum est.

HAD. SARAVIA.

VAlet mea comparatio, valebítque apud omnes in quos meus tractatus incidet; nec quisquam sanæ mentis dicet quod D. Beza ait consequi. Docere ipsum oportuit meam cõparationem non valere, nisi eadẽ sit definitio pastoralis & doctoralis functionis in Christo, & in alijs doctoribus, & pastoribus cõsideratæ, discrimine tantùm posito cuiúsdã inter illos præstantiæ et excellentiæ. Sed antequàm vlteriùs progrediar, ego expectabam vt demonstraret, quomodò à simplici sim argumentatus ad compositum, & me confundere res & nomina multiplici homonymia. Si putat hac ratione demonstrari quod adsumpsit, delirat. Partes meæ argumentationis istæ sunt; Dominus noster Iesus Christus dicitur noster Magister, Doctor & Pastor; (possem addere plura.) Apostoli dicũtur nostri Magistri; Doctores & Pastores, ídque alius significationis ratione. Et quandò eædem istæ voces dicuntur de Domino nostro, & de Apostolis, variare significationem dixi, & mortaliũ neminẽ dici posse Magistrũ, Pastorẽ, & Doctorẽ, qua ratione Dominus, Pastor noster dicitur; idem & cõmune quidẽ nomen est, sed nominis ratio non est eadẽ. Pascit Dom. pascunt homines; docet Dom. docent homines; sed alio modo Dominus, alio modo homines. Ego quemuis admitto iudicem, nũ; quæ in loco, quem oppugnat Beza, scripsi, hunc sensum non referant. At vt valeat argumentatio, oportet (inquit) eandem esse definitionem. Cur obsero? Num hoc non esset (quod reprehendit) res & nomina confundere? & quando hæc separaui, nihil minùs feci, quàm quod me fecisse insimulat, & vellet fortè me fecisse, vt haberet quod iure carperet. Complexio verò mea ex præadsumptis fuit; quemadmodùm positæ voces dicuntur diuersa ratione tam de Deo, quàm de hominibus, nihil impedire quò minùs & ἀρχιποίμην princeps pastorum diuersa ratione de Christo similiter, et hominibus dici possit. Nam per metaphoram hæc dicuntur, & de rebus diuersissimis dici possunt.

Sed operæ pretium est audire calumniam: (quo enim alio nomine quod facit efferam?) mea peruertit & transfert, mutatque pro suo arbitrio D. Beza, donec in eam speciem deformârit, in quam declamare possit. Candidè certè eum mecum agere, credere mihi est difficile. *Oporteret* (inquit) *eandem esse definitionem doctoralis & pastoralis functionis in Christo, et in aliis doctoribus consideratæ, discrimine tantùm posito cuiusdam inter illos præstantiæ & excellentiæ.* At hoc falsissimum est (inquit) & hoc illud est quòd D. Beza cupit me dixisse, nempè rem falsissimam, quam facilè conuincere possit. Oporteret, inquit, te scripsisse, non quod scripsisti, et adeò manifestè verum est, vt nisi tergiuersando negari non possit; sed quod est falsissimum, & nullo negotio conuincere possum. Si hoc modo Dom. Beza loqueretur, apertè quod res est, nulla circuitione diceret. Nunc, candide Lector, audi, quomodò falsisim um esse D. Beza doceat, quæ me dixisse, ipsius iudicio, oportuit.

17. D. THEOD. BEZA.

PRimùm enim quod ad internum huius functionis opus attinet, siue quo animus ipse non pascitur, totũ hoc vnius Christi est, per Spiritum suum sanctum; seu verbi prædicationem, seu sacramenta, spectes. *Crediderunt*, inquit Lucas, *qui præordinati erant ad vitam æternam*, Act. 13.48. *Et nemo venit ad me*, inquit ipse Dominus, *nisi pater meus traxerit eum*, Ioh. 6.44. Et Iohannes quidem baptizauit aqua, Christus autem is est qui baptizat Spiritu sancto et igne, Matth. 3.11. et is solus ligat & soluit in cœlis. Ad externum autem ministerium quod attinet, etsi ad tempus factus est Minister circumcisionis, Rom. 15.8. tamen tunc quoque locutus est, vt authoritatem habens, non vt Scribæ & Pharisæi sedentes in cathedra Mosis, Mat. 7 29. et scutica quoque eiecit vendentes et ementes è domo Patris; non vt seruus abutens Domini authoritate, sed vt filius et iam tum hæres, quamuis, nondum deposita infirmate carnis, totam illam cœlestem hæreditatem nondum accepisset. Pastoris ergò munus, et doctoris functio, Christo, vt Deo, non nisi per Anthropopathiam tribuitur; vt homini vero seruilis quidem fuit in speciem, quandoquidem sic illi visum est, sed cum regia potestate cõiuncta; ac proinde iam tũ diuersum quiddã toto genere fuit illud quouslq; sese demisit Christus, à reliquis Pastoribus & Doctorib. sub lege constitutis. Ex quo verò in cœlos ascendit, et qualis nunc est, no nest ἀρχιποίμην noster tanquã inter Pastores & Doctores præcipuus, sed vt dans & mittens illos ad ædificationem corporis Ecclesiæ suæ, agens per illos, et in illis, sicut ipsi libet.

HAD. SARAVIA.

BEnè quidem hæc & præclarè. Sed quorsum ista tam benè & in quem? nihil horum à me negatur, nec quidquam à me dictum est, quod aduersetur.

18. D. BEZA.

NVm verò Regis cuiuspiam legatum censueris posse ipsum Regis nomen vllo modo vsurpare; et eum quidem, à quo missus est πρῶτον βασιλέα, se verò secundarium regem vocare? Sed ne hoc quidem locum hîc habet. Nam ouibus quidem mittuntur Pastores & Doctores; non qui suo, sed qui Domini sui nomine loquantur: Pastoribus autem vel Doctoribus nullis commisit imperandi potestatem, quam sibi vni seruauit; sic tamen vt in illa Aristocratia fungentes, siue negligentiâ, siue scienter peccantes, etiam vbi Christianus Magistratus deest, vel etiam repugnat, parata sit optima & certissima ex legibus ea de re positis animaduersio. Absit ergo à me quidem vt ἀρχιποίμενα vllum vnquàm agnoscam, nè inter angelos quidem, præter vnicum Dominum nostrum Iesum Christum, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra.

HAD. SARAVIA.

DOminum Iesum, non credo, nec in libro meo doceo, primum Pastorem, Doctorem, Magistrum, vel aliud quippiam fuisse, cuius nomen impertitus est etiam suis seruis respectu secundorum synonymôs & æquivocè: secundarios autem Pastores, et Doctores, et Apostolos vel Episcopos. Apud se suo more, secum & contra suas ipsius cogitationes, D. Beza ratiocinatur: contra me nihil. Interim seruator noster, Angelus testamenti & Archangelus dicitur, cùm tamen boni & mali spiritus dicantur angeli, et Michael dicatur Archangelus. Leo rugiens dicitur diabolus, Seruator leo de tribu Iuda. Non pro sua eruditione hæc disputat D. Beza. Homonymia dictionum nota est; quæ facit vt eadem vox diuersissimis rebus tribuatur; & ipse D. Beza non ignorat;

nôrat; vt animi gratiâ et voluntate hæc disputare videatur; non erroris alicuius confûtandi necessitate.

19. D. BEZA.

PAtriarchas denique constat Græcis fuisse dictos, quos Hebræi capita patrum in suis cognationibus appellant: gentes videlicet ipsarum primos authores, & à quibus denominantur, Exod. 6, 13, & Paralip. 8, 10, & 28. Hæc autem ratio cùm in Metropolitanis valere non possit, ne cognationis quidem spiritualis respectu, quantumuis illos Epiphanius vocet patrũ generatores: nullis certè potuit hæc appellatio attribui conuenientiùs quàm Apostolis illis, quorum ministerio nouum sibi populum Deus acquisiuit.

HAD. SARAVIA.

HIc Dom. Beza nos docet, qui dicantur Patriarchæ: deindè hoc modo argumentatur quàm logicè ipse viderit: *Ratio* (inquit) *qua primi authores suæ cognationis tribusuè Patriarchæ dicuntur, cùm in Metropolitanis valere non possit, ne cognatione quidem spiritualis respectu:* ergo Metropolitani, Patriarchæ dici non possunt. Sed antecedẽs admitto: cõsequẽs & cõsequentiã nego. Ratio mea hæc est, quia Patriarchæ nõ dicũtur tantum cognationis, cuius quis author est, siue carnalis, siue spiritualis respectu: sed ob honoris et dignitatis inter patres prærogatiuam. Ita patres rem intellexerunt; quos si rectiùs loqui D. Beza docere potest, dolendum est postremis seculis natum, & non illorum ætate, vt ab eo discere potuerint, scribere et loqui magis circumspectè. Apostolis tamen, hoc nomen non negat conuenire posse: de qua re, magna ei est habenda gratia, quandoquidem aliàs, ad nomina & voces cõtentas in sacris literis nos restringit, quòd hoc nobis liberum relinquat, vt Apostolos, gentis Christianæ vocemus Patriarchas.

20. D. THEOD. BEZA.

SEd diuinitùs etiam factum esse video, vt ab hoc cognomine abstinuerint, ne aliis quidem suam ἀναγέννησιν ad Cœpham, aliis ad Paulum, vel alios quospiam referentibus, Ecclesia scinderetur. Si ergo nobis vnicus Iesus Christus ἀρχιτόιμην, & animarum nostrarum Archiepiscopus: quamuis Pœnenarchen, nouo certè mihi cognomine, inueniã Antiochenũ quendam vocatũ, Nicephori lib. 14. c. 39. nisi corruptus est locus. Reliquis autem ego quidem non video, cur non satis esse debeat, quod illis in Carthaginensi Synodo fuit concessum; nempè vt primæ sedis Episcopi sint in re ipsa et dicantur, illius dicti Christi memores; *Vos autem non sic: & regnum meum non est hoc mundo*: et illius Apostolici dicti, *Væ mihi nisi euangelizauero.*

HAD. SARAVIA.

ORaculum nobis & magnum mysterium hîc D. Beza recludit, nempè diuinitùs factum, quòd ab illo cognomine abstinuerint; in partes alioqui Ecclesiam discessuram: quasi ob hæc nomina Patriarcharum, & Archiepiscoporum, schismata in Ecclesia nata sint. Vniuersalis Episcopi appellatio dissidium peperit; Archiepiscopi, Patriarchæ, Primatis, & Metropolitani non item: de finibus cum vicinis contentiones natæ sunt; de istis nominibus nunquam. Sed priùs data hæc nomina sunt, quàm adsumpta: & Rom. Episcopus nusquàm se vnquam Archiepiscopum, aut Patriarcham appellat; qui tamen se coryphæum & principem omnium Patriarcharum, et Archiepiscoporum credit. Ipsi Apostoli nusquam se Patriarchas vocârunt, sed postea cœperunt à posteris hoc nomine, non temerè nominari. Primatis et Archiepiscopi nomina receperunt, quòd illis nihil certè sit inflati aut fastuosi, apud eos qui contentiosi non sunt, et primum tantùm illius ordinis significet. Dixi suprà, dictiones compositas enim ἀρχὴ & ἀρχὸς, sequi naturam simplicis, & Patris vocabulum longè esse augustius, quàm sit Episcopi, & idcircò Archiepiscopis datũ, sicut et olim Papæ, omnibus Episcopis: neutrum tamen vsurpatum quod sciam. Abrogatum tempore quamuis sit Papæ nomen cæteris omnibus Episcopis, & vni Romano Episcopo factum peculiare; ipse tamen in suis scriptis, se Papam vocare non solet, sed Episcopum, & seruum seruorum Dei. Adeò nihil fastus tyrannidisuè accipitur, pendètue à nomine. Quid, obsecro, si hodiè & Episcopi omnes se Papas, & Primates, & Patriarchas inscriberent; metusnè vllus indè esset,

esset, nè suam ἀναγέννησιν quisque ad eos, à quibus baptizati essent, referrent? Causa quæ fuit olim temporibus Apostolorum in illis initiis, hodiè in illa eadem re, nulla esse potest. Tamen tanquàm magnũ quiddam esset eloquutus D. Beza; et magnam in Dominum nostrum blasphemiam conuiciisset, his verbis cõcludit. *Sit ergo nobis vnicus Iesus Christus ἀρχιτοίμην, & animarum nostrarum Archiepiscopus.* Nos certè nè minimum quidem gloriæ Christi Domini nostri detractum cupimus his nominibus, de quibus disputamus: vt cùm fateamur non tantùm vnicum ἀρχιτοίμενα, sed vnicum verum pastorem & Doctorem animarum nostrarum. Quàm autem propriè Dominus ἀρχιτοίμην aut Archiepisc. dicatur animarum nostrarum, D. Beza viderit. Apostolus Petrus non animarum respectu, sed Pastorum hoc nomen Domino tribuit: Præter D. Bezam non puto quemquam illâ formulâ precandi vsum. Cætera non puto mereri responsionem.

21. D. THEOD. BEZA.

QVòd autem ais, *si valeat hæc ratio, nõ esse tribuendũ Ministris vllũ nomen quod de magistratibus, principibus, nobilibus prouinciarũ dicatur, sic futurũ vt nec ἡγεμόνας, nec πρεσβύτας, nec Presbyteros appellare liceat Ecclesiarũ Ministros:* vanus est hic tuus timor, cùm horum omnium authorem habeamus spiritum sanctum, ex quo vtinam (quod antè dixi, & nunc repeto) et sentire & loqui perpetuò didicissemus. Et verum est, quod ais, *non minimum esse astum Satanæ, quo in contemptum adducere nititur Antistites Ecclesiarum, vt sic totum Ecclesiæ statum labefactet:* sic quoque versutiam illius summam fuisse & esse experimur, quâ sic illos pretextu ornandi sacri ministerii extulit, vt multi pro fidis pastoribus Domini facti gregum, & conseruos suos verberatos expulerint, et oues non pauerint, sed deuorârint.

HAD. SARAVIA.

OPtâssem D. Bezam contextum & seriem meæ orationis esse secutum: ipse quæ mutuo nexu cohærent dissoluit, et ad posteriùs scripta priùs respondet: hoc mihi nonnihil molestum est. Verbo quidem Dei, vt rectè viuere docemur, et loqui: ita etiam non abhorrere ab ijs, quæ facta legimus à sanctis viris, qui directorem habuerunt Spi. sanctum. At illi non abhorruêre ab illis vocabulis, quibus magistratus ciuiles, & bellorum duces honorificè significantur: similiter nec nos ab honorificis vocabulis abhorrere debemus, in compellandis Dei seruis, quandò illis vti tempus, locus, res que postulant; nihil que significatur quod falsum sit. Et quamuis Spiritum sanctum quarundam vocum formularum habeamus authorem, tam in veteri quàm in nouo testamento, ipse nos ad illas non restrinxit, vt nullis alijs vti liceat. Habet quæque gens & ætas suam tum in sermone, tum cæteris in rebus ciuilitatem. Iniquum est, D. Bezam libertatem alijs negare, quâ ipsemet in suis scriptis vtitur.

Quod alibi dixerim, non minimum esse astum Satanæ, quo in contemptum adducere nititur Antistites Ecclesiarum, vt sic totum Ecclesiæ statum labefactet; quorsum his verbis excipit? *Sic quoque versutiam illius summam fuisse experimur, qua sic illos pretextu ornandi sacri ministerii extulit, vt multi pro fidis Pastoribus Domini facti gregum, & conseruos suos verberatos expulerint, & oues non pauerint, sed deuorauerint.* Hoc non ignoro, & à me notatum fuit. Sed tales ego nullos defendo: nisi forte Ambrosium, Augustinum, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Basilium Magnum, Athanasium, Iohannem Chrysostomum, Cyprianum, Ignatium, Polycarpum, et similes Patres in malorũ seruorum habere velit numero; vel forsan Anglicanæ Ecclesiæ Episcopos, quos ipse per mea confodit latera; quamuis de eis, se non nisi præclaram habere opinionem testetur. Quòd si queratur Dominus Beza, sibi à me fieri iniuriam; nouerit, multò æquiùs me de ipso posse conqueri, quoties ad malos Episcopos (tanquam eorum sim patronus) à quæstione proposita digreditur. Quàm autem benè sentiat de Episcopis Anglicanis, & an sit falsum quod aio, iudicabit aliquandò Dominus. Ego nemini malo, cuiuscunque ætatis aut regionis sit, patrocinor. Episcopatum ipsum defendo, & necessarium in Christi Ecclesia gradum esse credo.

22. D. BEZA.

VNum autem prætereà supereſt, de quo tecum mihi prætereà disceptandum video. Non placet tibi quòd magnifica illa cognomina nonnulli dicant ab Antichristo inuenta, quo nomine puto Romanum pseudo-ecclesiam, cuius rex, est eius vrbis Pseudo-episcopus; siuè, vt vno verbo dicam, Papatum

patum abs te intelligi. Ego verò, etsi facilè persuadeo non modò nonnullis, verùm etiam plerisque Patribus nihil mali suspicantibus, pro primis Pastoribus, Episcopos, et pro primis Episcopis, Archiepiscopos & Patriarchas vocari cœpisse (fuerunt enim initio iidem Metropolitani, Archiepiscopi, & Patriarchæ dicti) tamen cùm diù fuerint Ecclesiis ignota hæc nomina, nec temerè etiam posteà vsurpata, non dubito quin iam tũ sit molitus Satan iacêre tyrannidis illius fundamenta, quæ quousque assurrexerit, ne nunc quidem plerique agnoscere volunt, aut possunt: tanta fuit, & est spiritus erroris efficacia.

HAD. SARAVIA.

MAgnifica illa nomina vocaui ex aduersariorum sententia, nam mihi magnifica non videntur, et ab Episcopo Romano, aut ab Ecclesiâ Romanâ inuenta nego. Sed videte post tam prolixam disputationem, quâ seipsum & nos D. Beza defatigauit, quid tandem fateri cogatur. *Ego verò* (inquit) *etsi mihi facilè persuadeo, non modò nonnullis, verùm etiam plerisque Patribus nihil mali suspicantibus, pro primis Pastoribus Episcopos, & pro primis Episcopis Archiepiscopos & Patriarchas vocari cœpisse.* Quid istud est? Hoc enim est id quod adsero, & omnibus machinis D. Beza hactenùs oppugnauit. Magna est veritatis virtus, magnum est conscientiæ testimonium. Prius propositi defensorem audiuimus, nunc volentem nolentem veritati victum manus vltrò dantem audimus. Quod astum Satanæ attinet, & ille non minùs in depressis & humilibus nominibus latet, quàm in istis quæ æstimantur magnifica: plusque ficta humilitatis specie nocuit, nocet, & nocebit, quàm aperto fastu & superbiâ: quod quãuis experti simus & experiamur, pauci sunt qui id perspicere possunt. Ecquis artes & dolos Satanæ recenseat? Quis insidias vbique latentes comprehendere queat? Nulla est tam sancta actio, nulla tam pia Dei institutio, per quam hominibus non insidietur. An nullas in abolitione Episcoporum, & Presbyterorum nouo genere latere hostis nostri insidias D. Beza credit? Si ab astu & fraudibus diaboli, quibus intebus humanis ludit, ducere licet argumentum, nihil tam sacrosanctum est, quod abolendum esse non facilè quiuis conuincat.

23. D. BEZA.

ET, quæso, quænam, nisi sedes ista Romana, tam expressè in Apocalypsi demonstrata, comperietur inter omnes orbis terrarum Ecclesias, dominationem istam affectasse, perpetuóque studio, donec eam obtineret, vrsisse. Illa enim Constantinopolitani de ista dominatione concertatio, nonne á Romanæ sedis exemplo & æmulatione est exorta? Cur non igitur potiùs istam, si non superborum illorum nominum (nec enim hoc velim asserere) arhuius tanti mali authorem, quàm alium vllum ex Episcopis existimauerimus?

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza deflectit orationem à nominibus Patriarcharum & Archiepiscoporum, ad ambitionem Romanæ Ecclesiæ, quæ Dominationem perpetuo studio affectare non destitit, donec eam fuit consecuta: & concertationem de ista dominatione, à Romanæ sedis exemplo, & æmulatione, esse exortam inter duos Episcopos, Romanum & Constantinopolitanum. Vnde infert, *si non superborũ illorum nominum, saltem huius tanti mali authorem, nullum alium esse æstimandum, præter Episcopum Romanum.* Hanc argumentandi rationem ego non adsequor. Controuersia nostra tantùm est, de gradibus & functionibus Episcoporum & Metropolitanorum, qui Primates, Archiepiscopi, & Patriarchæ vocantur: & rem deduximus vsque ad nomina, vndè aliqui argumentantur esse ab Antichristo inuenta, & esse superba & fastuosa; vtrumque negauimus, & rationes nostras attulimus. Nunc, vt quod à me dictum est refellat Dom. Beza, ait; quia Romanus Episcopus tyrannicæ dominationis in Ecclesia fuit author, idcircò respuenda esse hæc vocabula, (quæ tamen superba dicere non audet) etiamsi eorum non sit Author. Quomodò hæc cohæreant, aut se consequantur, ego, inquam, non adsequor.

24. D. THEOD. BEZA.

SEd etiamsi (inquis) *hoc concedatur, tamen nihil est istâ, quam nonnulli inferunt, conclusione ineptius; Hoc Antichristus docet, ergo falsum: Hoc Antichristus inuenit, ergo malum; nisi addatur, aut intelligatur, id esse contra verbum Dei.* Ego verò quod ad priorem illam conclusionem attinet, primùm respondeo multo me-

liore

UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

liore iure suspectum esse falsitatis quidquid docet Antichristus, quùm diceret Nathanael Philippo: *A Nazaretha potest aliquid boni esse?*

HAD. SARAVIA.

QVandoquidem mea verba mutilata Dominus Beza adfert, lectorem rogatum velim ad ea recurrat, et verum sensum indè percipiat. Nam quamuis citra delectum non putem repudiandum quicquid Romanus Episcopus inuenit: id tamen de nominibus istis non intelligo. Nam si eorum authorem eum esse crederem, ego fortè illa repudiarem. Cæterùm putet Dominus Beza vtram volet opinionem meliore iure haberi posse; vtraque fallax est. Nam quamuis suspectum esse possit falsitatis vel impietatis quod Româ profectum est, non statim idcircò esse falsum, aut impium iudicandum est. Qui semper mentitur, aut apertè mentitur, omnem fidem sibi abrogat: artifex mendax vtrumque cauet.

25. D. THEOD. BEZA.

DEindè, falsitatis esse duplicem speciem dico: vnam, quæ est tota veritati ἀντιφατικὴ, vt si quis dicat, Christus non est noster Seruator; alteram, qua veritas rei non penitùs tollitur, sed corrumpitur, vt Christus est noster Seruator, sed per & propter meritoria & bona opera nostra. Omnis autem falsitas nobis repudianda est. Et quoniam certum est, quoties Antichristus aliquid veri siue integri, siue depraua ti profert, id eum facere veneficorum exemplo; nempè vt veritatis specie allicitos ad mendacium abducat: idcircò affirmo, tunc tantũ abesse, vt sit nobis audiendus, vt cõtrà tunc sit maximè cauendus: et quãuis verum illud sit quod dicit, tamen ne audiendũ quidẽ tunc esse: sed imitari nos Christũ tunc quoq; oportere, qui impurũ Spiritum (qualis est ille quo regitur Antichristus) clarè & sonorè vociferantem, *Noui te quis sis, nimirùm sanctus ille Dei*, non modò nõ tulit, sed etiam tacere iussit. Marci. 1. 25. & Luc. 4. 35. Quod etiam imitatus Paulus, clamante per òs puellæ Dæmone, *Isti homines serui sunt Dei illius sumpni, qui annunciant vobis viam salutis*, molestè istud ferens (videbat enim hinc consecuturum existimaturos fuisse homines aliquid esse inter se et impurũ Spiritum cõmercii) *præcipio tibi*, inquit, *per nomen Iesu Christi, vt exeas ab ea.*

HAD. SARAVIA.

DVPLICEM nobis falsitatis speciem proponit Dominus Beza: de vtraque suspectum haberi vult Antichristum. Benè quidem; nihil contradico: sed exemplum corruptæ veritatis non placet; quod vndè acceperit D. Beza, nescio. Tametsi eorum quæ dicuntur exempli gratiâ veritas non requiratur; tamen quia id doceri à Pontificiis his verbis nunquàm anteà audiui, nè quis nostrâtium authoritate nominis Bezæ deceptus putet, id à Pontificiis doceri, quod negaturi sunt, admonitum lectorem volui. Quamuis enim quotquot merita congrui defendunt, id ipsum reipsa doceant; horum verborum tamen modernos doctiores puderet. Interim fateor omnem falsitatem esse repudiandam. Sed quidquid profert Antichristus, non semper est aut in se falsum, aut verũ corruptum. Multa docet apertè vera, & integra. Nec illud concedo Dom. Bezæ quod ait, *quoties Antichristus*, (puto enim eum intelligere Rom. Episcopum) *aliquid veri siue integri, siue depraua ti profert, id eum facere veneficorum exemplo, nempè vt veritatis specie allicitos ad mendacium abducat.* Ea potest quidem esse mens Satanæ, sed non falsi Prophetæ; qui falsus fallit, & dum maximè in errorem impellit, veritatem se propugnare credit. Quemadmodùm Balaam non potuit, vt volebat, in gratiam regis mentiri, sed verũ, non fucatũ, nõ adulteratũ protulit; sic Romanus Episcopus, & alii ipsius clientes, veri Balahamitæ, & falsi Doctores, non sunt ita sui arbitrij, aut in potestatẽ Diaboli traditi, vt possint aut potuerint omnẽ veritatẽ filij Dei, aut funditùs delere, aut corrumpere. Magnũ discrimen est inter Antichristos, & falsos Prophetas, ac Diabolum ipsum. Si eam potestatem habuisset humani generis hostis, iam olim omnem deleuisset Christianismum. Et idcircò magnum iudicium & accuratum adhibendum est, in discernendis dogmatibus. Faciunt enim falsi Doctores quod alchymistæ, qui aut falsum aurum, aut mixtum alijs metallis proponunt. Miscent illi falsa veris, bona malis: cauendum est, ne vtrumque alterius causâ reiiciamus. Non placent nec probandæ sunt comparationes, quas Dominus Beza adfert è Marco, & Luca, & Actis Apostolorum. Nullum nobis est commercium cum Spiritibus impuris, nulla societas: est autem necessaria

cessaria cum Pontificiis, à quibus audiri si volumus, audiendi sunt. Iniuriam facit hominibus, qui hoc modo eos comparat cum reprobis Spiritibus: præsertim quandò in fœdere Dei adhûc continentur, & membra sunt (quamuis putrida) vniuersalis Ecclesiæ. Nam quamuis Ecclesia Romana vniuersalis Ecclesia non sit, nec esse possit, sicut nec eius sanum membrum: Ecclesiam tamen esse, & ad vniuersalem Ecclesiam pertinere, negari non potest. Proindè, vt in Israele semper aliqua Dei vox fuit; ita & in Romana Ecclesia. Quare ea discernēda est, ab ea, quæ est propria Antichristo. Quare facessat D. Bezæ comparatio, vtpotè Dei gratiæ iniuriosa. Ego noui multos, qui veram de libero arbitrio, de hominis iustificatione, & de Christi meritis doctrinam ex concionibus Pontificiorum didicerunt. Qui ad Christum pertinent, vocem veri Pastoris sui discernunt, etiam in medio Papatu, à voce Antichristi. In gratiam electorum, Deo disponente, veriora sæpè loquuntur Pseudoepiscopi, & Pseudoprophetæ, quàm ipsimet putant.

Certè D. Iohanni nullus metus fuit adfirmare Caiapham vaticinatum fuisse, quis futurus esset fructus mortis Domini nostri, quem tamen ipse non intelligebat. Sic Concilium Tridentinum (quo nullum vnquàm credo fuisse corruptius) Canones edidit plures bonos & veros; vt sunt tres canones quintæ sessionis de lapsu Adami, & corruptione humanæ naturæ, qui incipiunt, *Si quis Adam*, & *Si quis Adæ*, & *Si quis hoc*, ita veri sunt vt ab Orthodoxis nequeant negari.

Et in canone octauo de hominis iustificatione legitur expositio gratuitæ gratiæ, quæ falsa non est. Verba hæc sunt. *Gratis autem iustificari dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.*

Hæc verum habent sensum: nec quia tegendæ falsitati seruiunt, ideò falsa sunt. Similiter iste Canon. *Si quis dixerit Hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo; Anathema sit.* Item ille qui sequitur. *Si quis dixerit ad hoc solum diuinam gratiam per Christ. Ies. dari, vt facilius homo iustè viuere ac vitā æternā promereri possit, quasi per liberum arbitrium sinè gratia vtrunque sed agrè tamen & difficulter possit; Anathema sit.*

Sunt plures canones huius generis quos prætereo: Et inter eos canones, quibus mores reformantur, sunt nonnulli, quos nullo modo improbare possumus: quales illi sunt, quibus prophanatio sacrarum scripturarum prohibetur, & quod contra Raptores decretum fuit, & de seminarijs atque institutione puerorum quod constituerunt. Quamuis ad superstitionem illa tendant, aberratio illa finis restitui potest, manente re, quæ in sua natura consideranda venit. Et pessimè argumentaretur qui diceret in vniuersum; Hoc concilium Tridentinum sanciuit, ergo falsum: Item, hoc decreuit, ergo malum.

26. D. THEOD. BEZA.

ETsi igitur verissimum esse potest aliquid, quod doceat Antichristus; dico tamen periculosissimum esse, hanc veritatem ab ipsius ore excipere: sed tunc quoque obturare nos potiùs aures oportere; ne hoc obtentu, cum ipso confabulantes, ab ipso decipiamur. Neque enim à Spiritu mendacij petenda est veritas. Et hoc vtinam diligenter obseruent boni illi mediatores, qui cum Antichristo transigi posse existimant, medium quiddam ibi quærentes, vbi nusquàm est. Quod si quis esse potest auditæ ex ore Antichristi veritatis fructus, is certè vnus est, non vt veritatem ex ipso audiamus; sed vt illum suo ipsius, quo nobis fallendis vtebatur, telo iugulemus.

HAD. SARAVIA.

QVid tandem Dominus Beza concludit contra me? *Etsi* (inquit) *verissimum sit, quod Antichristus docet, dico periculosissimum esse hanc veritatem ab ipsius ore excipere.* Istud nec mihi, nec meis scripturis aduersatur: veritas interim æterna manet, integra, & inuiolata; quæ ab eius studiosis, nec aliundè petenda, quàm ab ipso æterno veritatis est fonte; & quod naturâ bonum est, ad suam simpliciter referendum est originem: vtriusque ea vis est, vt à mortali, etiam ipso Satana (si fieri posset) peiore, tradi possit, vitiari non possit. Quidquid boni in Antichristi institutis naturâ suâ est, aut medium, quidquid esse verum inuenitur, non est abiiciendū;

quamuis vtroque tum ad tegendam falsitatem, tum impietatem defendendam abutatur. Tametsi enim auditæ veritatis fructus hic vnus sit, vt illâ ipsâ, quam confitetur, veritate iuguletur mendacium falsi Prophetæ, non solus ille fructus est. Quæ docet verè de filio Dei, & solida sacrarum literarum virtute, fide possunt recipi: & per illos à Deo in Romana Ecclesia qui sunt, nobis traditum nouum & vetus testamentum accepimus. Deus per falsos Prophetas & Antichristos, veram fidem, qua ipsi carent, ingenerare in electorum animis potest. Paradoxa fortè loqui videbor, iis qui Dei bonitatem, & spiritus sancti virtutem non nouerunt. Ego non tantùm Papas intelligo, sed quotquot sub eis populum docent, quàm latissimè patet Romana Ecclesia.

27. D. THEOD. BEZA.

VT autem ad alterum tuum illud veniam, quo ineptam hanc vocas conclusionem: Hoc Antichristus inuenit; ergo malum: dic nobis, quæso, quid tandem ille censeri possit inuenisse, vel excogitâsse, quod in causa religionis bonum censeri possit? Certè nihil ille, nec Angelus etiam vllus de cœlo, possit doctrinæ Christianæ quidquam adiicere, quod non sit reiiciendum.

HAD. SARAVIA.

QVærit à me Beza, *quid ille censeri possit inuenisse vel excogitâsse, quod in causa religionis bonum censeri possit?* Næ egregius & candidus mecum Dominus Beza est disputator. Contra me agit, ac si dixissem Episcopum Romanum aliquid boni inuenire potuisse in causa religionis; quum certum sit religionem ab ipso Deo proficisci oportere, & constitui, non ab homine. Et fundatores Ecclesiarum, non quam inuenerant, sed quam à Domino acceperant, nobis tradiderunt religionem. Atque ita Dominus Beza illud quod ipse excogitauit, hoc est, vmbram, quam sibi finxit, statim vno ictu prostrauit, quando dixit, *Certè nihil ille, nec Angelus etiam vllus de cœlo possit doctrinæ Christianæ quicquam adiicere, quod non sit reiiciendũ.* Oppugnare enim hoc debet Dominus Beza, non verè hanc conclusionẽ esse falsam dici; Antichristus hoc inuenit, ergo malum. Quod neque de religione, neque de articulis fidei quùm possit intelligi; quorsum hæc bimembris ratiocinatio? Videamus alterum membrum.

28. D. BEZA.

REstat igitur vt in externo Dei cultu, & quod ad ordinem ipsum externum Eccles. attinet, aliquid vtile sit commentus, si non per se vtile, tamen indifferens. Sed cedò quænam illa sint, proferantur: quod nunc pluribus persequi mei non est instituti. Sed hoc dico, si quid olim inuentũ sit boni, quod ad externum hunc ordinem spectat, vix compertum iri tale quidquam ab Antichristo fuisse primo excogitatum, sed à puriore & antiquiore Ecclesia emanâsse. Nec enim statim Antichristiana fuit illa Ecclesia, sed paulatim defecit. Nec quisquis in illa sedit, fuit perditus ille filius, quamuis nusquàm nec citiùs, nec efficaciùs, quàm in illa Ecclesia deprauanda laborârit Spiritus Apostasiæ, si Pontificum Romanorum acta, quæ vocant, ad amussim verbi Dei exigantur. Et vndè tandem, nisi ab hoc Antichristo, plaustra illa rituum superuacaneorum, ineptorum, ridiculorum, suapte natura superstitiosorum, impiorum denique sunt in Ecclesiam inuecta?

HAD. SARAVIA.

QVid ab ipso Papa primùm fuerit excogitatum, difficile, imò impossibile esset diuinare. Nihil dici potest quod non sit dictum priùs. Sed extant decretales Pontificum Epistolæ, quæ in illis continentur, quæcunque illa sint, siue ipsi eorum authores & primi fuerint inuentores, aut ab aliis inuentorum approbatores, nihil interest; nam si inuenta non fuissent priùs, poterant ab eis inueniri: quòd eorum accessit calculus, satis est, vt habeantur illorum. Nam Papæ homines sunt, qui sine bonis legibus, quod politicum & externum ordinem attinet, non potuissent formare suam tyrannidem: & prudentiores in hac re sunt filij huius seculi, filiis lucis: quorum prudentiam serpentinam, temperare simplicitate columbina, nulla prohibet religio. Inter latrones non potest retineri societas, nisi natura quas docuit societatis conseruandæ leges in eum finem obseruentur. Quod statim ab initio Antichristiana non fuerit Romana Ecclesia, nihil est: si bona, quæ erant tradita à priscis Patribus sua fecit confirmando, aut collapsa restituendo; quantumuis bona sunt, non tamen possunt habere alium finẽ ab iis quæ naturâ suâ vitiosa sunt, & ab ipsis Papis in malum

malum finem inuenta. Est omnium actorum Romanorum pontificum (Apostatas intelligo) vnus & idem finis: à quo nobis metienda non sunt; sed à natura sua, nisi cœlum terræ miscere velimus, & improbare omnia quæ ille attigit, qui nihil intactum reliquit. Quòd spiritus erroris & Apostasiæ nusquàm efficacius quàm in illa sede deprauanda laborârit, nihil indè contra meam adsertionem, sicut nec ex cæteris omnibus efficitur, vt vera sit hæc conclusio; Hoc Antichristus inuenit, ergo malum; Hoc dicit, ergo falsum. Similiter nec hinc, quandò ait, *Rituum Ecclesiasticorum plaustra superfluorum, ineptorum, ridiculorum, suapte naturâ superstitiosorum, impiorum denique esse in Ecclesiam inuecta.* Vide, candide lector, quid hîc sit, quod me erroris, aut parùm sanæ doctrinæ arguat.

29. D. THEOD. BEZA.

SEd hîc præterea possit aliquis facilè non vno modo decipi; qua in re, agedùm, tuam hanc diuisionem expendamus. *In tria genera*, inquis, distribui possunt, *quæcunque in Romana Ecclesia, quæ nunc est, conspiciuntur: Quædam cum verbo Dei consentiunt; quibus etsi abutitur Antichristus, res tamen ideò naturam non mutant, vt verbum Dei, Baptismus, & quicquid præterea tale apud Romanistas est, nemo sanus repudiare potest, tanquàm sint mala, quia apud illos sunt. Quædam planè ei aduersantur; cuiusmodi est omne genus idololatriæ & quicquid doctrinam sanam euertit. Plerunque autem sunt eiusmodi, qualis eorum est vsus, bonus vel malus, quæ media aut indifferentia vocantur; quæ videlicet quùm nulla lege, nec diuinâ, nec humanâ vetita aut mandata sint, vsurpari à nobis possunt, quamuis variè abusus fuerit illis Episcopus Romanus, aut alius quius Antichristus. Nostram enim libertatem non minuit aliorum superstitio aut impietas, præsertim vbi publica auctoritas accedit, vel iubens aut permittens ijs rebus, quib. superstitiosi & Idololatræ abusi sunt.* Sigillatim igitur illa tria, agedùm, expendamus. Quod attinet igitur ad ea quæ verbo Dei consentiunt; primùm accuratè circumspiciendum esse dico, non modò an verè sint ista consentanea cum Dei verbo, sed etiam an penitùs consentiant. Si verè sint consentanea, tum sciamus veritatem illam non magis ad Antichristum pertinere, quàm gemmam furto ablatam ad furem, aut alium malæ fidei possessorem. Itaque tunc illam non vt ab Antichristo nobis traditam recipiemus, sed vt à Deo nobis donatam, nobis vendicabimus. Sin ex parte duntaxat illa cum verbo Dei consentiant, tum minimè laborabimus de vitiatæ illius repurgatione, nisi quatenus hoc iuberet charitas: sed illa vitiosa veritate apud Papatus cisternas relictâ, puram veritatem, ex ipsis fontibus hauriemus. Sic, exempli gratiâ, verbum Dei, quale conspicitur in Papatu, non est purum nisi ex parte, nempè partim suppositicium, vt in Apocryphis libris apparet; partim à mangonibus mille modis adulteratum. Tale igitur verbum habeat sibi Papatus. Verum autem illud & natiuum, nobis singulari Dei beneficio restitutum, amplectamur. Sic baptismum, qualis apud Papatum est, non est quidem pallus Dominus ita vt verbum illud suum scriptum, in ipsa sua essentia corrumpi, sicut apud Arianos & Priscilliamstas: (nam si hoc ita esset, nullus esset in Papatu Christi Baptismus, ideóque omnes à Papismo ad Christianismum transeuntes, non quidem rebaptisandi, sed tunc demum essent in Chr. baptisandi; qua in re deceptus fuit Cyprianus) sed tamen miris modis conspurcatũ paulatim fuisse, quùm sit apud nos extra controuersiam, talem certè Baptismum nostris infantibus minimè petemus: verum autem & purum Baptismum, non vt quasdam veritatis reliquias, quas abolere non potuerit Papatus, sed vt in verbo Dei Christo Ecclesiæ suæ traditum amplectemur, & cum vera fide administrabimus: hoc à Deo petentes, vt pollutiones in illo adulterato Papistico Baptismo nobis, quum illic baptizaremur, ignorantibus, applicatas, nobis non imputet. Idem de cæteris huiusmodi iudicium. Nam nè hoc quidem quòd symbolum Apostolicum & Athanasianum nobiscum profiteatur Antichristus, & multas damnatissimas hæreses nobiscum damnet, sic admittimus, quasi propterea cum Antichristo communia ista habeamus. Nihil enim in illis fidei nostræ capitibus, in quibus videri posset nobiscũ consentire, continetur, quod ipsi sibi contradicentes, magna impietate non polluunt. Sic exempli gratiâ, clamant se credere in vnum Deum: & tamen quæ Deitati sunt ἀλοιωσήτως propria, non tantùm ad suos, quos indigitârunt sanctos, verùm etiam ad Idola, & ritus quosuis à se excogitatos transferunt. Sic in Christo duas naturas personaliter vnitas agnoscunt: sed ita vt quæ humanitatis ipsius propria sunt, essentialiter, & immutabiliter in illa sua substantiatione subuertant. Sic Christus illis ascendit in cœlos, & tamen corpore nondum reliquit terras. Sic illis est Christus Dominus, sed ita vt Maria in cœlis etiam ipsis, illi, materno iure, imperare censeatur. Sic est venturus; & tamen iam venit. Sic est redemptor; sed ita vt luendæ sint adhûc nobis peccatorum nostrorum pœnæ. Nulla ergo talis est apud Antichristum veritas, quam quùm habeamus in verbo Dei puram & sinceram, cur illam sic in mendacium transformatam ab Antichristo, secernentes etiam falsum à vero petamus? aut eam nobis esse cum illis, quatenus vera est, communem esse dicamus?

HAD. SARAVIA.

HIc Dominus Beza interpretem agit meorum verborum: de qua re certè, magnas ei à me deberi fateret gratias, quòd tantus vir mea scripta, sua cõmentatione illustrare dignetur, si mihi placerent quæ scripsit. Quòd autem illa mihi displicent, an meo peccato accidat, an commentatoris, iudicium esto lectoris. Conferantur ea ipsa, quæ libro suo inseruit cũ tractatu meo: & iudicet æquus lector nũ illa expositione opus habeant. Paucis & perspicuis verbis perstrinxisse mihi videor rei veritatẽ, quam

tractabam; relinquens lectoris iudicio examinandum,& petendum aliundè, quid verbo Dei consentaneum esset, quid due repugnans. Nam ea persequi non vnum volumen, sed plurima requireret: & possemus eis quæ hîc Dominus Beza posuit, longè plura addere. Sed Dominus Beza diffidere iudicio lectorum videtur, qui per se nihil, nisi ipse inculcauerit, intellecturi sint. Nisi fortè suspicionem lectori iniicere voluerit, me contraria sentire, iis quæ hîc tradidit: sicut re vera facio in nonnullis, quæ hîc non tangam, quòd ea nihil ad præsens argumentũ pertineant. Contentus ero notâsse quæ dissimulare non debeo. Malus mihi videtur Euangelicæ veritatis defensor, quisquis hoc modo contra Papistas disputat.

Silentio præteriri non debet, quod ait de iis quæ verè consentanea sunt verbo Dei in Rom. Eccles. nempè illam veritatem non magis ad Antichristum pertinere, quàm gemmam furto ablatam ad furem, aut alium malæ fidei possessorem. *Itaque* (inquit) *tunc illam non vt ab Antichristo nobis traditam recipiemus, sed vt à Deo nobis donatam nobis vendicabimus.* Quo sensu accipiẽda hæc sint, cùm Euangelica, & Prophetica veritas ad omnes pertineat mortales, fateor me non intelligere. Spiritus Dom. datus Apostolis arguit mundum de peccato, de iustitia & de iudicio. Si promissiones D. Beza intelligit factas electis, nihil dicit; quandoquidem nec ad alios hypocritas, qui aliàs purè verbum Dei docent, pertineant. Præterea, illam veritatem cœlestẽ & diuinam, quæ seruare potest animas nostras, nemo nec Propheta nec vllus Apostolus vnquàm sibi vendicauit: tantũ abest vt eam Antichristo tribuamus. Veritas solius Dei est propria, ad quem vnum est referenda, & tantùm ab ipso, quamuis per homines, est accipienda. Est enim non tantùm Antichristus, sed omnis præterea homo, quisquis ille est, mendax. Cœlestis veritas è cœlo Dei voluntate, non humanâ, in terras ad nos delapsa est, & afflati Sp. sancto locuti sunt sancti homines Dei. Si ab ipsis Apostolis Euangelium Christi prædicari audiremus, non minùs ad Deum authorem respiciendum esset, quàm quandò ab inimicis Christus annunciatur. Prophetia Balaam non minùs prophetia est, eâ, quam Dominus per Esaiam prænunciauit. Quam autem vitiosam veritatem D. Beza significet, non adsequor. Nullam ego vitiosam cogitare possum veritatem. Mendacia veritati mixta (si quæ misceri possunt) vel adiuncta potiùs veritati, eam nec tollunt, nec minuunt. Falsa doctrina permixta cum vera, veritatẽ veræ doctrinæ non tollit; sicut nec falsæ doctrinæ mendacium, erroreḿque, ea quæ vera est. Libri Apocryphi canonicis authoritatẽ non adimunt; sicut nec ipsi illis vllam conciliant.

Adulterationem tamen veritatis rectè dici interpretationem falsam, & alienam à sensu Sp. sancti fateor. Sed vitij quidquid ibi est, in interprete est, non in Scriptura interpretata. Nos non aliud nouum aut vetus testamentum habemus, quàm habent Pontificij. Apocryphi libri, & falsæ interpretationes non faciunt vt aliud Euangelium habeant, quã nos habemus. Sunt sacrarũ literarum veræ interpretationes Sp. S. falsæ verò hominũ: sed illæ verbi scripti non mutant, nec vitiant essentiam. In veteri populo, Israelem & Iudam verũ Dei cultũ multis modis cõtaminâsse legimus, & simul cum Deo Patrum suorum coluisse Baalim, & præterea solem & lunam, cæteraq; cœli astra; nemo tamen rectè de illis dicere potest, verbũ Dei tunc ad illos nihil pertinuisse, aut nullum nisi corruptũ habuisse. Incorruptum enim Dei verbum, hoc est, lex & prophetæ, in Israele & in Iuda permansit. Falsæ hominũ interpretationes, nec tollere, nec contaminare vnquàm in sua essentia verbum Dei potuerunt. An non hodiè vetus & nouũ testamentum integrum Rom. Ecclesia habet? Si hominum malitia tollere aut vitiare Dei verbum in sua essentia potuisset, Christi Ecclesia hodiè nullum Dei verbum haberet. Sicut igitur veteres Israelitæ verbum Dei habuerunt; ita ij, quos Papistas dicimus, etiam habent. Propterea ipsi sunt inexcusabiles, quotquot crassæ suæ Idolomaniæ, & aliarum abominationũ non pœnitet. Quia beneficio illius verbi Dei, quod in illa Babylonica confusione legitur, quotidiè qui ad Dei regnum pertinent, indè emergunt & liberantur, & spurcitiis illis relictis, veri cultores Dei efficiuntur. In grauius iudicium hodiè Papistæ incidunt, qui nec expresso Dei verbo, quod legunt & audiunt, nec fratrum suorum exemplo mouentur ad pœnitentiam. Papistici errores, hereses, & verbi Dei falsæ interpretationes, verbum Dei non sunt.

30. D. BEZA.

AD illa verò quod attinet, quæ verbo Dei ἀντιφατικῶς aduersantur, tecum illa sine exceptione detestor. Sed vide, ne istud diuisionis tuæ membrum cum priore, de quo modò diximus, concidat. Veritas enim vel minimùm in essentia sui adulterata, veritatis nomen & dignitatem amittit; quamuis quæ falsa sint, non æqualiter sint falsa. Et meminisse nos oportet tepidos, quales sunt etiam boni quidam neutrales, vel potiùs modò in hanc, modò in illam partem claudicantes, à Christo euomi: nec simpliciter dixisse Christum, *Qui non colligit, spargit*: sed dixisse, *Qui non colligit mecum, spargit*.

HAD. SARAVIA.

MEcum sine exceptione, quæ secundo membro complector detestatur Dominus Beza. Sed putat secundum partitionis meæ membrum cum priore coincidere: hoc est, omnia quæ in Rom. sunt Ecclesia, Dei verbo aduersari. Qua in re (si eum rectè capio) grauiter mihi videtur errare; vtpote qui nullam Christianam veritatem in Rom. Ecclesia relinquat. Ratio quam adfert, certè nimis infirma est: quæque præter fallacem veri speciem nihil habet solidi. *Veritas* (inquit) *vel minimùm in sua essentia adulterata, veritatis nomen & dignitatem amittit: quamuis quæ falsa sunt, non aqualiter sint falsa.* Quid inde sequitur? Omnianè quæ in Romana Ecclesia docentur, non æqualiter verbo Dei aduersari? Veritatem Christianam, quæ in Rom. Ecclesia restat, in essentia sua esse adulteratam? Id priùs demonstrandum esset. Falsæ multorum locorum sacræ scripturæ interpretationes, essentiam veritatis ipsius scripturæ (quamdiù illa manet separata ab ipsis interpretationibus) meo iudicio, non vitiant. Sed si ipsa scriptura tolleretur, & eius loco substitueretur hominis commentum, sicut in Mahumetismo factum est, veritas tunc non quidem læsa in sua essentia (quod nunquàm fieri poterit) dicenda esset, sed penitùs sublata.

Qui falsas interpretationes cum verbo Dei coniungunt, idē faciunt, quod illi, qui cum auro, & argento, & pretiosis lapidibus coniungunt lignum, fœnum & stipulam. Quæ, quamuis affinitatem nullam habeant cum auro & argento, naturam tamen eorum, nec mutant, nec vitiant.

Quisquis veritatem Christianam, quæ in Romana Ecclesia restat, docere in sua essentia esse vitiatā, conabitur; operâ abutetur suâ, & superfluas noxiásque innumeras mouebit controuersias: eoque tandem deducet rem, vt vbi concluserit, nullum Dei verbum apud eos esse reliquum, populum quoque illum non esse Dei populum, nec apud eos verum esse Baptismum concludat. Nullum est Dei verbum vitiatum. Si nullum aliud est Dei verbum apud Papistas, nisi vitiatum, consequitur apud illos nullum esse Dei verbum. Clausulam addictam, vt nimis durum hunc sermonem nonnihil emolliret, quamuis quæ falsa sunt non æqualiter sint falsa, non intelligo, nisi referatur ad falsi perniciem & damnum quod adfert. Verum & falsum inter relata numerantur, quæ incrementum aut decrementum non admittunt.

Et veritas in duobus spectatur; nempè in moribus & in sermone. De illa quam in moribus consideramus, nostra non est disputatio: sed de illa, quæ sermonem respicit, & tota sita est in conformatione sermonis ad rem, & in sua essentia lædi non potest, sine suo interitu. Sermo enim, figura & imago quædam est rerum quas significat: & veritas tum demum læditur quando aliud à re, aut quod est rei contrarium exprimitur. Et verus ille sermo est, qui cum re consentit: & falsus qui dissentit. In hoc sermonis genere nulla veritas, quæ in sua essentia lædi possit, inest; sed tantùm error, mendacium, & falsitas.

Verus autem sermo, apud omnes semper & vbique à quocunque proferatur, suam veritatem retinet. Qui si vsurpetur à mendace & impostore, vt fallat vera dicendo, id non ab ipsius veri sermonis naturâ proueniet, sed impostoris malitiâ, & ab errore, & arrogantia eius, qui malè ratiocinatur: vtpotè qui aut verum à falso discernere nequit, aut ex vero falsum putat consequi. Falsa cum veris qui implicant, fallunt, & falluntur, ingenij vel imbecillitate vel malitiâ. Imbecillitate, vt homines; malitia, vt Diabolus, & filij eius. Sed malitia Diaboli hoc nunquam efficere potuit, vt falsum esset, quandò veri aliquid ipse protulit. Quando Seruatorem nostrum esse Christum filiū Dei viui, immundi Spiritus clamauerunt, aut Paulum & Barnabam esse seruos Dei; quamuis animo fallendi, quod res erat, loquerentur, falsum tamen non erat.

Sicubi tamen veritas in sua essentia corrumpi potuisset, ibi tunc corrupta fuisset. Balaam, qui vir erat corruptissimus, fuit verus Propheta: & Saul à quo Spiritus Domini recesserat, inter Prophetas etiam vaticinabatur. Et in nouo Testamento Caiphas de Christo, contra Christum à Iohanne prophetâsse dicitur. Istorum tamen nullus veritati vitium attulit. Veritas luci similis est, quæ ideò in sua essentia non læditur, quia crassa corpora eam aut non capiunt, aut tenebras suas cum ea miscent. In fonte suo lux pura semper manet, quamuis obscurior in corporibus minùs aut magis transparentibus apparet. Balaam veritati non obtemperauit: Nec Saul ei paruit. Caiaphas in peruersum eam sensum detorsit: nemo tamen in sua essentia cõtaminauit. Quando Dominus Beza docebit veritatem ab ipsis prolatam, in sua essentia vitiatam fuisse; fatebor & ego veritatem ab Episcopo Romano, aut ipsius clientibus adsertam, in sua essentia corrumpi posse, & meæ diuisionis membra non consistere.

31. D. BEZA.

SVpersunt quæ vocas media, siue indifferentia, id est, vt tu illa definis, quæ nullâ lege, nec diuinâ, nec humanâ vetita, aut mandata sunt: cui tuæ definitioni conuenientia, quænam (quæso) possis exempla, in eo quod tractamus argumento, proferre? Nec enim vlla in Papismo inuenies vel minimi momenti, quæ non sunt ea, quam vsurpârunt in conscientias, tyrannide miseris ouiculis mandata, vel prohibita. Et tu ipse mox ista, præsertim indifferentia vis vsurpanda ad quæ accesserit publica auctoritas vsum illorum aut iubens aut permittens: id est (nisi fortè quid dicas non satis intelligo) quæ esse indifferentia desierint. Malim ergo, sicut alio etiam loco dixi, indifferentia ex ipsorum natura definiri, & quidẽ habita vsus illorum ratione. Sunto ego indifferentia illa quorũ vsus modò bonus & licitus est, modò malus & illicitus, prout videlicet aliquis benè vel malè illis vtitur, quòd naturâ habeant per se, neque ad bonum, neque ad malum determinatam: ac proinde tum à per se bonis, id est, quæ quisquis exerceat benè agat, tum à per se malis, id est, quibus nemo vtatur quin peccet, accuratè sunt distinguenda; si rectè vitam instituere volumus. Est enim bonis quidem assiduè studendum pro viribus & pro vocationis nostræ ratione, à malis verò semper sine exceptione abstinendum. Quarum rerum discrimen etsi nobis aliquatenus suppeditat naturalis σαντηρήσεος & σανειδήσεως reliquiæ, de quibus Paulus ad Romanos capit. vndecimo, versiculo decimoquinto: tamen à verbo Dei propriè petendum est, nè fallamur, nempe vt quæcunque disertè præcepit, vel ex præceptis intelliguntur; bona esse non ambigamus: quibus opponuntur quæcunque expressè vel tacitè prohibuit. Et hinc intelligitur, multa quoque simpliciter & naturaliter bonis annumeranda, & contrà malis accensenda, quorum tamen natura per se & in sese ad virtutes & vitia propriè non pertinet: bonis videlicet, quæ Deus præcipit, vt Sabbatho ab omni seruili opere abstinere: malis, quæ vetuit, vt carne suilla, vel aliis immunditiis vesci, & similia; à cuiusmodi tũ præceptis, tum prohibitis, cùm beneficio Christi liberati sumus, ad illam sui naturã indifferentẽ redierunt. Rursum ergo cùm ex verbo Dei discamus veram licitorũ & illicitorũ normam, media & indifferentia esse dicamus, quæ Dei verbo nec expressè nec tacitè iubeantur, aut prohibeantur: vtpote quæ neque vsurpata nos reddant meliores, neque neglecta deteriores; aut vt magis Theologicè loquamur, in quibus positũ non est regnum Dei, cuiusmodi sunt, esca, potus, vestitus, & similia eiusmodi. Sed hîc cauendum est, nè hinc concludamus liberum illorum vsum esse, vt nihil interfit quandò & quomodò illis vtamur, vel non vtamur. Quamuis enim res illæ suâ naturâ & simpliciter, sicuti diximus, nec bonæ nec malæ sint: est tamen rectus aliquis earum vsus, nempè si ad Dei gloriam, salutem nostram, & proximi charitatem ritè referantur; cui opponitur earum abusus, quo nimirùm vel Deus offenditur, vel ipsi nos, vel proximum lædimus. Sic (vt ista commodis exemplis, & ad id, de quo inter nos quæritur, accommodemus) cùm coniugatum vel cœlibem esse, contrà quàm nonnulli existimârunt, nos neque deteriores nec meliores apud Deum reddat: tamen ei qui vritur, coniugij quædam necessitas imponitur, nempè si vincere tentationem alio remedio nequeat: quam doctrinam Apostolicam qui negligunt, videmus quantis sese calamitatibus implicent: contrà verò rectè vtuntur cœlibatu, qui si cœlibes maneant curas euitant, quibus ad obeũdam functionem, ad quam vocati sunt, tardiores redderentur. Non est igitur istis coniugium vel cœlibatus penitùs & simpliciter indifferens: sed quatenus vocationi subseruit, aut nocet. Sic esca, vel potus, non ita sunt, quod ad vsum attinet, indifferentes, quin grauiter peccent in Deum, in sese, & in proximum, qui vel intemperanter illis vtuntur, vel valetudini suæ noxiis cibis scientes vescuntur, vel contrà qui in ieiuniis, & aliis eiusmodi σωματικὰις γυμνασίαις vt loquitur Apostolus, quas Monachi maluerunt ἀσκήσεις vocare, immaturam sibi & Ecclesiæ mortem accersiuerunt. Sed quiddam est longè maioris momenti, cuius interuentu res per se indifferentes non simpliciter illicitæ, sed maximè quoque fiunt nefariæ, propter adiunctam videlicet diuini cultus opinionem, id quod nobis est maximè in hoc nostro argumento spectandum. Sic exempli gratiâ, ablutio manuum ante sumptionem cibi, res est ciuilis, nec ad conscientiam per se vllo modo pertinet. Maluit tamen præsentes Pharisæos Dominus offendere, quàm illorum traditionem obseruare. Marc. cap. 7. nempè quoniam illi superstitiosè docebant peccare illos in Deum, qui illotis manibus cibum caperent. Sic Sabbatho, vellere & confricare spicas tritici, & granis illis vesci, itidemque ægroto sanando manum adhibere, iisdem Pharisæis videbatur seruile opus esse Sabbatho interdictum. Christus verò nihil illorum superstitionem moratus, non modò illis non obtemperauit, sed etiam illos apertè, & facto & verbis redarguit. Istud verò, agedùm, ad id de quo inter nos quæritur, applicemus. Dierum & ciborum discrimina reuexit in Ecclesiam Antichristus, non simplici superstitione,

sed

sed etiam impiè: vt qui non tantùm doceant, eos mortaliter (vt ipsi loquuntur) peccare qui leges illas à se positas transgrediuntur, verùm etiam in istorum obseruatione meritum, quod vocant, & satisfactionē pro peccatis statuunt. Hæccine verò indifferentia vocabimus? *nempè illis*, inquies *indifferentia non sunt; mihi verò talia esse non desinunt, quia libertatem meam abusus aliorum non imminuit.* Certè ita est: ideoque Christus, sicuti modò diximus, neque Pharisaicam ablutionem obseruare, neque ab eorum interdicto à vellendis spicis discipulos abstinere voluit. At contrarium faciunt hodiè qui dierum & ciborum discrimen, etsi non in eum, quem illi finem, haud aliter tamen obseruant quàm Romanenses: qua in re, quantum quidem ego videre possum, dupliciter & quidem grauiter peccatur. Nam & pertinaces adhùc Romanenses, in sua ἐθελοθρησκείᾳ sic confirmantur: & multi pij impietatis illius hostes offenduntur: & adhuc in alteram partem nutantes infirmi destruuntur, potiùs quàm ædificantur. Quòd si in hac facti specie Petrus & Barnabas meritò fuerunt à Paulo Antiochiæ, & quidem palàm reprehensi, cùm tamen ibi de re ageretur, non humanitùs & superstitiosè vel impiè excogitatâ, sed diuinitùs institutâ, & paulò antè necessariâ: quandò minùs id in istis Antichristianis traditionibus heuerit, cuiuis in sacris literis erudito æstimandum relinquo. At enim, inquiet aliquis, idem Paulus Timotheum circumcidit, cum aliis Nazaræis sese sanctificauit ex voto, quod Cenchreis conceperat, Actorum cap. 18. vers. 18. & cap. 21. vers. 26. alibi testans se factum omnibus omnia. Agnosco eorum argumentum, qui quantum ille Iudæis, tantum Romanensibus concedendum putant; certè, vt ingenuè dicam quod res est, commodis suis, potiùs quàm eorum conscientiis consulentes. Sed non animaduertunt illi, quàm inter se dissimilia sint, quæ tamen ipsi non tantùm similia, verùm etiàm paria esse volunt. Quænam enim similitudo est inter diuinitùs per Mosen præcepta, quorum abrogationem Iudæi, quibus sese accommodabat Apostolus, nondum intelligebant; & impias illas ἐθελοθρησκείας, quamuis in rebus per se indifferentibus positas, tamen Deo exosas, ac proindè piis omnibus abominandas? Num verò Paulū similiter profanis gentibus in vila idololatriæ specie sese accōmodâsse existimabimus? Absit. Nam versatus est quidem Athenis inter illos κατειδώλους, & idolorum quoque inscriptiones legit, sed vt illa vehementissimo zelo abominaretur, & abominanda doceret. At isti scilicet ita sese gerunt Romanensibus, vtinam nè in nimium etiam multis, quæ nullo indifferentis naturæ prætextu tegi possunt, gratificantes, nec illorum salutem profectò quærentes, sed crucem fugientes. Nondum tamen nobis expedirum esse hunc nodum video. Nam de Idolothytis præcipiens Apostolus 1. Corinth. cap. 10. ver. 25. *Quicquid*, inquit, *in macello venditur, edite.* etiam ab infideli quopiam vocati, *nihil interrogantes propter conscientiam. Sed si quis dixerit, hoc est idolothytum, ne edite propter conscientiam, non tuam, sed eius qui hoc tibi indicauit.* Hinc enim omninò efficitur, posse nos quoque, ac etiam debere Romanensibus aliquid eiusmodi in rebus concedere. Et absit vt hoc negem, quum libertatem nostram, quantum id patitur quod Deo debemus, debeat charitas proximi metiri. Sed hic agere Apostolum constat, non de infidelibus, qui certè nunquàm religionis causâ indicâssent illud esse idolothytum; sed de infirmis adhùc aliquibus fratribus, quos potiùs quàm offendendo destrueret, testatur sese nec carnibus vnquàm esurum. 1. Corinth. 8. 13. At nos de infirmis adhùc fratribus hic agimus, quos certè fateor non esse cibi causâ offendendos: sic tamen vt nè nimiùm ad illorum infirmitatem in istis rebus conniuendo, foueamus in illis hoc ipsum quod destructum volumus: & nè, sicut Petro accidit Antiochiæ, dum nouos ædificare cupimus, iam ædificatos destruamus. Quod autem ad pertinaces, & libertati nostræ insidiantes attinet, aut fugiendus est cum illis conuictus, aut necessariò nobis imitandus est idem Apostolus, Christi inter Pharisæos versantis exemplum sequutus: vt qui in istiusmodi hominum gratiam non modò Titum non circumciderit, verùm etiam nè ad momentum quidem ipsis per subiectionem cesserit, Gala. 2. 4. & 5. Romanenses verò pleroſque, quo iure nunc pro simpliciter infirmis, ac nō potiùs pro peruicacissimis & obstinatissimis habebimus? Quòd si priuatis in communi vita nobis hæ sunt obseruandæ regulæ, ego quidem (quod tamen Ecclesiæ iudicio submitto) non video quinam in ijs populis, quibus lux Euangelij eò vsque affulsit, vt authoritate publica posit apud illos religio vera instaurari, tot ἐθελοθρησκείαι, isto indifferentis naturæ falso certè obtentu tolerentur, quùm semel potiùs templum Dei ab omnibus istis sordibus fuerit repurgandum. Hinc autem, carnis profectò, non spiritus prudentiam, vt ingenuè loquar, quis exitus consequatur, vtinam tandem experientia saltem ipsa eos doceat, quos inprimis hoc opus Domini curare oportet, nisi seueriſsimum Dei iudicium experiri malunt. Nec enim temerè Dominus non tantùm destrui vitulum aureum, sed etiam in cineres absumptum in aquam proiici, & idolorum altaria penitùs destrui, & lucos etiam excindi mandauit; quod & in eo serpente conterendo sequutus est Ezechias, 2. Reg. 18. 4. & sancta cum animi magnitudine in euertendis omnibus idololatriæ reliquiis obseruauit Iosias, 2. Reg. 23. *At quid prohibet, inquis, res indifferentes, quibus ad suam tyrannidem abusus est Antichristus, quò minus ad vsum conuerti possint Ecclesiæ & Reipub. vtilem?* Nihil profectò. Sed in talibus retinendis maxima quoque circumspectione, eaque sanctâ. i. ad Dei gloriam imprimis directâ opus est; primùm quidem vt accuratè dispiciantur, quæ magis nocere diuini cultus instaurationi, quàm prodesse possint; deindè vt hæc cautio, quoad eius fieri potest, adhibeatur, vt quorundam retentione, neque superstitiosi in suo falso cultu confirmentur, neque infirmis adhùc in fide proponatur, quod eorum progressum remoretur; neque qui robustiores iam sunt meritò offendantur; nedum vt piis alicuius seruitutis iugū imponatur. Hoc enim nihil aliud fuerit, quàm ea ipsa, quæ vt indifferentia retineri posse censentur, pro indifferentibus necessaria facere. Et hæc quidem de istis sic pro meo modulo sentio: certiora tamen istis & veriora, si quæ mihi à quoquam ex verbo Dei demonstrabuntur vltrò amplexurus; &, ita me benè Deus amet, ad discendum, quàm ad docendum paratior. Itaque sic ista velim accipi, vt ab eo qui sit ex iis vnus, quibus loqui in Ecclesia licet, non tamen curiosè aliena scrutetur, nedum vt de iis iudicandi potestatē sibi arroget (quod à me Deus auertat) sed qui ingenuè loquatur, & ad ea super quibus est prouocatus, necessariò respondeat.

HAD.

HAD. SARAVIA.

NOn probatur D. Bezæ mea ἀδιαφορίας definitio, quam ipse ad rerum vsum refert promiscuum, qui modò bonus & licitus, modò malus & illicitus. Ego latiùs extendo ad omnes actiones, & actionum omissiones licitas naturâ suâ: vt sunt fodere, arare, emere, vendere, merces de loco in locum transuehere, exportare, & importare; ducere vxorem, aut cœlibem vitam agere; ieiunare, aut non ieiunare; abstemium esse, aut vino vti; vesci carnibus, aut ab illis abstinere; feriari certis diebus, aut non feriari; & statis anni temporibus, memoriam natiuitatis, mortis, resurrectionis, ascensionis Christi, missionis Spiritus sancti ad Apostolos; sicut etiam eorum retinere memorias anniuersarias, in Leiturgia Athanasij, vel Niceni Concilij recitare symbolum certis diebus; Eucharistiæ sacramentum recipere geniculando, aut sedendo, stando ue; musicâ, & instrumentis musicis vti in templis, in cœtu Christianorum, lineâ candidâ veste celebrare mysteria, aut communi; psalmis vti simplici versione, aut rythmica periphrasi translatis; Pastores Ecclesiarum certo genere vestis vti, discriminis à vulgo gratiâ, decoriq; personarum; Ecclesiarum Pastores vti honoribus, immunitatibus concessis à summis magistratibus, & certum in republica honoris & dignitatis gradum retinere. Et quicquid præterea est, aut esse potest huius generis, etiam si habuisse constaret authoritatem Episcopum Romanum, inter adiaphora numero, quòd naturâ suâ mala non sint, & reiecto abiuratoq; Romano Pontifice alium legitimũ habere possunt authorem, & etiam vsum.

Quod addidi in definitione, quæ nulla lege, diuinâ aut humanâ mandantur aut prohibentur, feci propter eos qui ea putant manere indifferentia, accedente præcepto eius, qui authoritatẽ habet de illis constituendi, quod res, tempus, locus, personarumq; ratio postulare videtur, vetante aut mandante quæ alias libera essent. Vsus rerum indifferentium sæpè contrahitur authoritate eius, qui in nos legitimum habet imperium. Ipsa dilectionis lex, quam proximis nostris debemus, multis modis nostram libertatem etiam impedire potest.

Morositatem D. Bezæ vt videas, candide lector, qui nihil rectè scriptum dictumue putat nisi quod ipse probauerit; inferenda hîc duxi clarissimorum theologorum sententias de hac eadem re, quam tracto. Ex quibus ad verbum mea desumpsisse videri possim. Hieronymus Zanchius de vera reformandarum Ecclesiarum ratione theses scripsit; quarum hæc vna est. *Quicquid porrò est in Ecclesiis, tam Romanâ quàm aliis, illud vel est Dei verbum, in scripturis canonicis contentum, ac declaratum, vel est contra Dei verbum, vel neque contra neque secundùm Dei verbum, sed* ἀδιάφορον.

Philippus Melanchthon in theologicis locis, *Quædã opera suâ naturâ sunt adiaphora, quæ nec præcepta lege Dei nec prohibita.*

Aretius in suis problematibus adiaphora definit hoc modo. *Sunt adiaphora, res naturâ suâ liberæ, quas siue omittas, siue facias non peccas, nisi accedente aliqua circumstantia, quæ actionem vitiosam reddit.*

Ceremoniæ igitur & omnia ἀδιάφορα libera sunt Ecclesiis singulis permittenda: vt quæque Ecclesia ea vel retineat quæ magis iudicauerit fore suo populo ad ædificationem, & ordinem, aut decorum.

Certè, vt dicam quod sentio, in descriptione rerum indifferentium, verbis potiùs quàm re dissentire à me Dominus Beza mihi videtur. Quærit Dominus Beza quæ exempla proferre queam, in hoc quod tractamus argumento, quæ meæ definitioni conueniunt: certè illa ipsa, quæ modò citaui. Fuisse πολιτικώτατον pontificem Romanum notum est, nihilque omisisse eorum, quib. regiam suam dominationem stabiliret; vt sunt honores, & opes, quas in republica tenent religionis Antistites: quæ non minùs regno Christi seruire posse iudico, quàm Antichristi, & omnia quæ sunt huius generis posse conuerti in ipsum, quibus vtitur & vsus est contra Christũ pro Christo. Gentium iura, diuinas & humanas leges seruire facit suo summo sacerdotio. Qua in re magnus fuit error dolúsque, non in genere, sed in mala adsumptione, & accommodatione, quâ Papa fallit & fallitur. Argumentatur enim ab ipsa Dei & naturæ lege, Antistites religionis in quauis republica bene constituta venerandos esse, nec infimum tenere

tenere dignitatis gradum: quod demonstrare non fuit difficile. Sed modum non tenuit, veritati mendacium addidit, se Petri successorem, & Christi vicarium in terris esse iactitans, cum eadem & pari potestate, quam habuit, habéque sedens ad Dei patris dextram in cœlis. Hæc hyperbolicôs exaggerata & exornata eò deduxêre rem, vt omnia regna & imperia ipsius adorare debeant numen, teneatque sibi sacramento deuinctos omnes Primates & Episcopos. Qui eo nomine magnas opes & honores possidere creduntur: quum ea regibus accepta ferri iuris æquitas postulet.

Tametsi hoc modo tam Episcopalis administratio, quàm ciuilis iurisdictio prophanatæ sint; si tamen contingat Dei gratiâ, relicto Antichristo, Episcopum aliquem, vel Primatem Papistam conuerti ad Christum, verum ipsius Dominum; quemadmodum reddendo Deo quod Deo debetur, retinere potest gradum in Christi Ecclesia, quem sub Antichristo habuit: similiter reddendo Cæsari, quod ad Cæsarem pertinet, Cæsaris beneficio vti frui licet.

Contendunt, quibus præsens Ecclesiæ Anglicanæ status displicet, Episcopos, quòd Domini sunt, & vocantur, propter regalia quæ à summo huius regni imperio accipiunt, in Ecclesia Christi non esse ferendos: quia hoc fuit Antichristi inuentum. Qua in re duobus modis falluntur, qui ita iudicant. Primo, quòd Antichristi inuentum non sit, sed Dei & Naturæ institutum, vt in populi Dei repub. inter seniores populi & primores censeantur religionis Antistites: deindè, vt esset ipsius inuentum, videndũ est num sit contra Dei verbũ, & pernicioſum morib. ac reipublicæ. Nam cùm fuerit & sit Antichristus πολιτικότερος & filiis lucis prudentior; ex ipsius naturæ & diuinarum institutionum fontibus hausit multa, non modò vtilia, sed prorsus societati conseruandæ necessaria. Quapropter, temerè quidpiam hoc nomine reiici, quod eius habeatur author, arbitror. Me satis intellexerunt ij quos notabam, & verbosius de adiaphoris non fuisse mihi illîc disputandum iudicaui: vt potè qui incidenter ea tantùm tetigi, refutandi paralogismi gratiâ, qui fit à non causâ tanquam à causa: quando, abiurato Romano Pontifice, quod possidebant Episcopi, etiam si regiæ beneficentiæ acceptum id ferant, non Papæ, nonnulli non posse retinere argumentantur.

Quòd pluribus mentem suam de adiaphoris D. Beza hîc recenset, non mihi displicet. Sed habeo quod ei in quibusdam contradicam, & meæ sententiæ aduersatur: nempè indifferentium rerum vsum, multis de causis restringi posse, & necessaria fieri, quæ suâ naturâ sunt libera; sicut à me paucis notatum fuit; quando ea sequi conditionem, & statum personæ, temporis & loci dixi. Quod etsi D. Beza non diffitetur, tamen sub ἐθελοθρησκείᾳ, & tyrannide in conscientias, plura complectitur, quàm admittere possum. Quod Romanum Papam attinet, qui in conscientias imperium adsumit; & sub æterni maledicti pœna mandat, veràtque res adiaphoras, non probo, duabus de causis. Prima est, quòd religionem & Dei cultum constituat in rebus, quibus numen minimè colitur. Deindè, quòd meritum & peccatorum expiationem & satisfactionem eis attribuat. His tertia potest addi; quòd hæc exigendi à populo Dei, nullam habeat potestatem. Interea tamen scire conuenit legitimæ potestatis iusta mandata, de rebus naturâ suâ licitis, etiam apud Deum obligare conscientias: etiamsi ipsi magistratus, & alij qui legitimam imperandi habent potestatem, eas Deo committant. Gratiâ exempli, Iubet parens natum fodere agrum: patris imperium natus detrectare non potest. Quod ipsi ante præceptum patris liberum erat, accedente mandato fit necessarium. Mercator transferre merces quasdam cupit: res media est: sed principis edicto si prohibentur illæ merces exportari, quamuis princeps conscientiam non curet, boni viri non est, contra edictum principis sui, veritas exportare merces, etiamsi id clàm impunè facere possit. Idem dico de cæteris rebus omnibus: siue illæ vitam communem spectent, siue decorum & externum ornatum diuini cultus, modò seruetur aurea mediocritas. Primò, vsus ciborum vitam communem spectat: & reipublicæ causâ, & maioris incrementi & copiæ, vsum & modum vtendi, temporaque, princeps in sua potestate habet, vt de eis constituat, quod magis è republica esse videtur: potestque si interfit Reipublicæ, bono consilio inhibere, ne carnibus vescantur subditi, eadem potestate, qua lanam, aurum aut metallum factum, aut solidũ, aliudúe mercimonij genus, extra regni fines euehi prohibet. Hîc, ni fallor, nihil D.

Beza

Beza mecum dissentit.

Sed de tempore, quo carnibus vesci est interdictum, mouetur controuersia. *Confirmantur*, inquit, *Papistæ in sua damnatissima* ἐθελοθρησκείᾳ. Id à me negatur, duabus de causis. Primò, propter publicam contrariam doctrinam, quæ vendicat eos, qui illam profitentur, à superstitione: secundò, propter authoritatem publicam, quam notum est omnibus, non illo fine quem intendit Papa, interdicere ab esu carnium subditos.

Plurimum enim interesse puto, inter ea, quæ fiunt publicæ authoritati obtemperandi gratiâ, & ea quæ priuato consilio superstitiosè adsumuntur. De legalium obseruatione controuersia fuit inter primos Christianos. Quidam sentiebant sanctificatum esse omne edulij genus: alij contrarium credebant. Qui rectè sentiebant, suffocato & sanguine vesci poterant, & religione abstinere superstitiosum fuisset. Neque quisquam sibi indicere legem poterat abstinendi à suffocato & à sanguine, magis quàm à carne suilla. Sed postquàm authoritate Ecclesiæ, bono consilio, non confirmandi in falsa opinione quenquam, constitutum fuit, vt ex Paganismo conuersi ad Christi fidem, abstinerent à suffocato & à sanguine; quod priuato consilio facere peccatum fuisset, authoritate Ecclesiæ pium fuit. Idem dico; si quis hîc in Anglia toto quadragesimali tẽpore, & diebus Veneris & Saturni, à carnibus abstineret; non excusarem, si nullum interueniret principis mandatum: idque propter illas rationes, quas D. Beza allegat; quas tunc habere locum agnosco; aliàs minimè. Imò tutos non esse in conscientia, sua, apud Deum iudico, qui in rebus huius generis Magistratus audent transgredi nulla necessitate mandatum. Tantum interesse puto, inter ea quæ quis priuatim in rebus huius generis adsumit, & illa eadem mandata bono consilio, ab eo qui potestatem habet imperandi; quantum inter superstitionem & virtutem.

Sunt quidam adeò peruerso ingenio, qui diebus dominicis piscibus vescentur, diebus Veneris & Saturni carnibus: non alia de causa, quàm vt libidini suæ contraueniendi publico edicto morem gerant, & se non esse Papistas ostendant. Sunt alij qui compendio rei familiaris id faciunt; quòd viliùs mercentur & carnes diebus Iouis, & Saturni pisces: quos in hoc numero non habeo: & quod penuriâ fit à contemptu publici præcepti eximo. Quocirca tam malè ἐθελοθρησκείαν allegari, contra publicam legẽ huius regni de ciborum delectu arbitror, quàm benè in eos qui priuato consilio, in quem nescio alium finem abstinerent. Quod Petrus fecit, priuatum fuit consilium, quod Paulus in re non dissimili, fratrum.

Quod de infirmorum scandalo adfertur, non potest habere locum cõtra publicam legem, cui non debent subiecti præferre iudicium, sed subiicere; secundùm publicam doctrinam, & professionem tam Magistratuum, quàm præcipuorum Pastorum Ecclesiæ. Papistarum ego hodiè non magnam habendam rationem in his regionibus arbitror: post tot annorum Euangelij prædicationem, error eorum excusationem nullam admittit. Abolito Paganismo, & eiectis idolis, eorumque cultu; vt cessârunt idolothyta, sic eiecto Papâ & abiurato, cessat quicquid ille inuexerat, polluerátque: vt ea quæ fiunt hodiè mandato Principis, aut patriæ legibus obtemperandi causâ, vbi sana & Christiana doctrina viget de Dei gratia, & hominum meritis; neque cum esu idolothyti, neque cum ἐθελοθρησκείᾳ comparari possunt. Libertas Christiana non eximit homines ab obedientia eorum, quibus nos Deus subiecit. Doctrina Euangelij pura rerum abusus tollit; & verum vsum restituit omnium quæ infidelitas polluerat: adeò vt quamuis exteriùs sint actiones persimiles, diuersæ tamen sunt tam à causa efficiente, quàm à fine: vt vanus sit metus, quem nobis iniicit Dominus Beza.

Vt res magis manifesta fiat exemplo. Suscipitur ab artolatris Eucharistiæ sacramentum flexis poplitibus, & hîc in Anglia à fidelibus eodẽ corporis gestu. Quæ res quosdam offendit, sed meo iudicio nulla de causa: vtrique enim adorant, illi panem, hi Christum sedentem ad dextram patris in cœlis. At metuunt, quia ille gestus est adorantis, ne panis adoretur, aut adorari videatur: sed ab eo metu doctrina quæ præcedit in illa actione liberat; vt de examine quod præcessit, & catechizatione taceam: vt maior metus esse debeat, nè manducando & bibendo non adorent Deum, quam nè panẽ adorent. Nam etsi sacramenta, hoc est, externa symbola, non proponantur adoranda; sine adoratione tamen ab iis qui ætatem habent, non sunt accipienda. Fides &

gratiarum

gratiarum actio, sine quibus sacramentum ritè ad salutem non percipitur, adorationis diuinæ sunt species: quas habitu corporis externo significare, magis pium reor, quàm si sine vlla testificatione adorationis fiat. Facilis est lapsus à superstitione in profanationem. Quare non mihi malè videntur iudicâsse, qui hanc ceremoniam retinuerunt. Non ignoro Patres aliquandò genubus demissis, aliquandò stantes Eucharistiã sumpsisse: sed vtroque modo adorabant. Mos vetus quondàm obtinuit, vt à feriis Paschatis vsque ad Pentecostem, stantes adorarent: qui mos nunc penitùs obsoleuit; & vix qui stat hodiè creditur adorare. Et vt hoc sit testatum, statur aut sedetur in sumptione cœnæ Domini: tamen quisquis recipit Eucharistiam, nisi impietatis velit argui, adorare debet. De qua re est nunc admonendus, qui stans aut sedens communicat, nè negligat quod maximum est, in sacra illa actione. Qui verò in genua procumbere iubetur, satis admonetur officij sui.

Non possum certè non grauiter dolere nimis præcipitem quorundam sententiam, & temerariam fratrum suorum condemnationem, qui à cœna se subducere malunt, quàm morem Ecclesiæ, in qua viuunt, sequi. Vidè, obsecro, quam deformitatem ego in quibusdam Ecclesiis obseruauerim. Accidit me adesse in quadam Ecclesia, in qua celebrabatur cœna Domini; alij stabant, alij sedebant, alij verò geniculabãtur. Quod posteà in aliis quibusdam etiam fieri Ecclesiis animaduerti: res tamẽ per se adiaphora est; sed non vbi iam Ecclesiæ mos contrariũ obtinuit, & maiorũ accedit constitutio. Interrogaui Pastorem Ecclesiæ, cur id permitteret. Quid vis fieri? (inquit) non sunt aliàs communicaturi: sed ipse suam plebem ita instituerat. Quid faceret Dom. Beza, si, quando Sacramentum corporis Christi distribuit stantibus, aliquis accederet, qui illud è manu ipsius accepturus in genua se demitteret? Vehementer fallor, si Sacramentum illi esset porrecturus. Cur hîc non idem fiat recusantibus flectere genua, ego non video. Tamen quidam adeò obstinatè hanc geniculationem, tanquam Papisticam idololatriam auersantur, vt malint Domini cœnâ priuari, quàm Ecclesiæ suæ laudabili consuetudini se conformare, & legitimi sui magistratus præcepto & voluntati parere. Et hanc suam animi obstinationem defendunt authoritate Dom. Bezæ, & exemplo Ecclesiarum in quibus Dominicâ cœna celebratur, aut sedendo, aut stando; qui si adesset, certò scio, quòd hanc deformitatem & pertinaciam nunquàm probaret. Geneua suam habet laudem, habet suos mores, habet suas leges; habent & aliæ Ecclesiæ suos. Geneua, quandò ibi primùm deliberatum fuit, quo ritu celebraretur cœna Domini, elegit quod ipsi visum est optimum: non aliarũ Ecclesiarum sibi proposuit imitandum exemplum. Nec ipsa huiusmodi æstimanda est, vt ab ea velit alias omnes Ecclesias exemplum capere. Ritus quos elegit, sibi elegit, non aliis. Habet in hac re vnaquæque Ecclesia liberum suum iudicium, & liberam potestatem, nec in alterius præiudicium quicquam fieri, aut factum esse, æstimandum est. Sed quorundam ingenia ita comparata sunt, vt aliena admirentur, propria & domestica fastidiant: vbi contrà alij tantùm se, suaque adeò amant, vt præ se alios omnes, & quicquid ab aliis est profectum, aspernentur. Felix ille est, cui Deus modestiam retinere, & auream mediocritatem in omni re seruare dedit. Hæc mihi ad ea quæ Dominus Beza de adiaphoris disserit, respondenda esse iudicaui.

(·.·)

HAD. SARA-

HAD. SARAVIA.

¶ De Doctoribus.

CAPVT XXVI.

QVandò Apostolus, in Epist. ad Ephesios, Pastores & Doctores nominat, certum ex sermonis genere colligi non potest, vtrùm diuersos significare voluerit, an eosdem. Quòd pastor necessariò sit Doctor, sed non cõtrà, ipsa res nos doceat oportet; non enim cui eruditio & sanæ doctrinæ facultas à Deo contigit, confestim Pastoris accipit authoritatem: cuiuis sacrarum literarum scientia dari potest. Reges, Nobiles, Equites, eruditi esse possunt; qui tamen vt præsint in Ecclesia, idonei non erunt. Tametsi sacramentorum administratio & Ecclesiæ gubernatio cum docendi munere coniuncta sint, vt Pastor esse nequeat qui non sit Doctor: id tamen non retromeat, vt omnis cui docendi partes concessæ sunt, sit Ecclesiæ Presbyter, aut Episcopus: seorsim hæc ab inuicem seiuncta inueniuntur. Ex ijs qui sunt ad docendũ apti, eliguntur Presbyteri & Episcopi. Olim in veteri testamento sacerdotiũ sine potestate interpretandæ legis non erat: sed prophetiæ donum & legis interpretandi facultas non conferebant sacerdotium. Sacerdos officio legis diuinæ erat interpres, & doctor, ac etiam Propheta, sed quiuis legis Doctor aut Propheta non erat sacerdos. Apostolus quidem Propheta, Doctor & Pastor fuit; sed non omnis Propheta aut Doctor fuit Apostolus aut Pastor. Cùm igitur distinguantur à Pastoribus Doctores, & Mysteriorum Dei cognitio, eaque interpretandi scientia donum sit Spiritus sancti; quotquot illo dono præstant, & tam scriptis quàm sermone Ecclesiam ædificare possunt, inter Doctores censendi sunt, cuiuscunque sint conditionis. Reges suæ maiestati nihilo magis derogant, si ad populi Dei ædificationem pium aliquod opus lucubrauerint, quàm Salomon aut David, qui sua ætate non tam regiâ potentiâ illustres fuerunt, quàm diuinâ sapientiâ. Tametsi in Ecclesia Apostolus mulierem vetet loqui: potest tamen si docta sit, scribere, & priuatìm domesticos docere. Si veram rationem scriptorum Apostolicorum tenere velimus, solerti iudicio à Pastoribus Doctores nobis discernendi sunt, qui præter doctrinam & scripturarum interpretationem nihil attingebant. Quamuis in illis primis initiis scholas non habuerint Christiani; publicè tamen in Ecclesia loquendi Doctoribus & Prophetis erat potestas: quibus recta monentibus fideles non secùs parêre, quàm Pastoribus tenebantur; sed ipsis nulla erat censuræ potestas, aut ius coercendi. In Corinthiaca Ecclesia Stephanus, Fortunatus, & Achaicus docuisse leguntur, sed Episcoporum aut Presbyterorum non videntur habuisse authoritatem. Vndè mirum non est, si corruptelæ & improbi mores, qui illìc regnabant, ipsis corrigenda non mandentur; & non correxisse, vitio non vertatur. Ferre cogebantur quod emendare non poterant, expectantes aduentum Pauli.

In Epistola ad Titum mirari quispiam poterit, cur Zenam legisperitum, & Apollo, qui in Creta erant, Paulus Tito non coniunxerit, & eadem mandata non dederit: nisi illud est, quod tantùm fuêre Doctores: nam eos ibi esse cum Tito nõ ignorabat.

ignorabat. Si eiusdem ordinis & potestatis fuissent, eadem mandata accepissent. A tribus meliùs quàm ab vno illa potuissent perfici: sed ab Apostolo docendi munus illic pluribus datum fuit; sed gubernationis Ecclesiæ prouincia tantùm vni. Vndè intelligitur Doctores & Prophetas Pastoribus fuisse subsidio, ac sub eorum docuisse directione. Nam ad Episcopi officium inprimis pertinet, per se & per alios sibi creditam Ecclesiam docere. Sunt huius generis plura in scriptis Apostolicis, ex quibus principia Ecclesiarum & Apostolici regiminis forma notari potest: quam proximè sequens ætas receptam ab Apostolis & viris Apostolicis, tradidit posteris.

Rectè notauit Epiphanius latere historias in scriptis Apostolicis: quarum ignorantia non rarò plerisque erroris causa fuit. Sic factum est, vt Episcopi docendi in Ecclesia sacras literas potestatem fecerint ijs, quos Græci vocant Laicos: qua de re Euseb. lib. 6. cap. 13. de Origine scribit, Quod nondum Presbyter Cæsareæ ludum aperuerit, & ab Episcopis qui ibi erant non ad disputandum solum, sed ad scripturas etiam aperiendas, magnopere in communi Ecclesiæ consessu rogatus sit. *Quod Demetrius Alexandriæ Episcopus Origenis æmulus grauiter reprehendit: cùm tamen ipse eum in Arabiam antea misisset, docendi sacras literas causâ, & eum catechistam esse Alexandrinæ Ecclesiæ non improbauerat. Sed inuidia quadam celebrem eruditionis Originis famam indies crescere, ferre cùm non posset, calumniandi vndique quas potuit conquisitis causis, vitio vertebat Episcopis, quòd homini laico publicè interpretari sacras literas permitterent. Ad quam calumniam Alexander Hierosolymorum Episcopus, & Theoctistus Episcopus Cæsareæ his verbis respondérunt.* Quod autem in literis adiunxeris nunquam antea auditum, neque iam vsurpatum, vt Laici præsentibus Episcopis disputarent, scripturasque exponerent, in eo mihi nescio quomodo videris perspicue falsa dixisse. Nam vbi idonei & habiles reperiuntur qui fratribus in verbo Dei adiumento sint, a sanctis Episcopis rogantur vt populum in verbo instituant: sicut Larandis, Euelpis a Neone, Iconij Paulinus a Celso, & apud Synados Theodorus ab Attico, qui omnes beati & pij fratres erant. Ac verisimile est, quamuis nobis obscurum, & minime cognitum sit, idem in aliis locis fieri. *Hæc Eusebius. Tametsi Ecclesiæ Primitiuæ Academicas scholas non habuerint similes ijs, quas nos hodiè habemus; sine scholis non fuisse, vna Alexandria testis est, quæ Doctores ante Origenem protulit Pantæum, & Clementem Alexandrinum, aliósque plures. Non dubium est eum morem profluxisse ab Apostolis. Quamuis enim sacrarum literarum scientia donum sit spiritus sancti, hoc exercitationes vigiliasque studiosorum sapientiæ non tollit.*

In populo Dei Prophetæ habuêre sua collegia, quibus Samuel, & Elias, & Elizæus, aliique præfuerunt: sub quorum disciplina viuere, atque ab illis dirigi, cæteros Prophetas nihil puduit. Tumultuariæ confusionis Deus nunquàm fuit author, sed ordinis. Viri Dei furiosi enthusiastæ non fuerunt, sed habuerunt sedatum & moderatum spiritum. Qui hodiè scholas, earumque institutiones contemnunt, diuinæ pariter & humanæ societatis sunt ignari: & quid ea in quauis re valeat non intelligunt.

Consilia eorũ qui primi Academiarũ fuerunt authores, nemo vnquã satis laudârit. Seminaria sunt omnis eruditionis & virtutis: quibus sublatis, peritura est humanitas, cultúsq; ciuilis; & in Americanos mores breui degenerabitur. Sed in Academiarũ laudes longiùs digredi nil opus est: tantùm dico, Doctores, quos

Ecclesiæ Christi gignunt, & alios quosuis, qui priuatis laboribus, & assidua lectione scripturarum, cognitionẽ earum sibi comparârunt, nihil in Ecclesia sibi cõtra Episcoporum voluntatem adsumere debere: priuati enim sunt, & sub eorum gubernatione. Rogati verò aut instituti ab illis (vt olim, ita hodiè) docere possunt, si sit ex vsu Ecclesiæ. Academiæ gradus aut eruditionis testimonium non minuere Pastorum Ecclesiæ authoritatem, aut bonum perturbare ordinem debet. Quòd hodiè qui creantur Doctores plerumque Presbyteri sunt, non improbo: rarum fuit olim in Ecclesia, Laicum publicè docere sacras literas. Tempus, locus, necessitas, huic rei legem dant, modúmque præscribunt, non præceps & audax temeritas. Cauere hîc debent iuuenes elati, ob Academiæ acceptum eruditionis testimonium, ne putent se idcirco in Presbyterorum Ecclesiæ Christi assumptos ordinem, nisi alia accedat ordinatio. Quod vix admonitione dignum iudicâssem, nisi errorem in quibusdam comperîssem.

Sunt hodiè qui contempto Pastorum munere, & ea ordinatione, quæ per impositionem manuum ab Episcopis fit, Doctores in Ecclesia volunt haberi: Baptizare verò, & Eucharistiæ sacramentum administrare, ægrotos visitare, mortuos sepelire, preces in Christianorum cœtu recitare, non esse ex sua dignitate putant, quòd has ministerij partes mandari interdum videant indoctioribus, & infimi ordinis Ministris. Sunt alij, qui ad reformationem pertinere putant, vt singulæ Ecclesiæ cum Pastore doctorem habeant, tanquam vnus Pastor qui ex officio etiam Doctor est, vtrumque munus solus non possit exercere. Alia huius generis multa prætereo, & inter speciosa somnia hominum sibi placentium numero, quos equidem non probo. Nam etsi Doctores agnosco publicè docuisse in Ecclesia qui Pastores non erant: id temporibus Apostolorum factum fuit. Postea id fuit valdè rarum, & aut necessitate, aut magna vtilitate Ecclesiæ postulante. Ordinarij enim Ecclesiæ Doctores sunt ipsi Episcopi, qui soli si sufficerent omnibus muneribus Ecclesiæ obeundis, nec Presbyteros, nec Diaconos sibi adiungere opus haberent.

In parua Ecclesia vnus Presbyter sufficit: Ecclesiarum amplitudo & frequẽtia numerum & graduum diuersitatem inter Ecclesiæ Ministros attulit. Si quis plura de hoc argumento desiderat, nostri temporis scriptores legat: sufficere hæc mihi videntur meo instituto, cui propositum non est exactiùs singula hæc pertractare: sed tantùm admonere quid in nostris quibusdam reformatis Ecclesiis desiderem. Hos ego recensui Ministrorum Ecclesiæ Christi gradus, sicut à Domino fuerunt instituti, & ab Apostolis traditi, & à primis Patribus, Apostolicisque viris vsurpati: quorum insistere vestigiis tutius arbitror, quàm nouam semitam ingredi.

I. D. BEZA.

I. D. THEOD. BEZA.

DOctores rectè distinguis à Pastoribus ex Apostoli loco, Ephes. 4. 11. Cur enim Apostolus ibi functiones sacras omnes, eorum qui propriè in verbo laborant enumerans, duplicem applicationem vni & eidem ministerio tribueret? Hac autè de re suo loco diximus, & inter Pastores & Doctores hoc esse discrimen, quòd Doctores, sicut olim ij ex numero Scribarū, qui νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι peculiari nomine in Euangelica historia, scripturas simpliciter docent. Pastorum autem (qui & Prophetæ interdum ab Apostolo) munus fuit, adhortationes, obiurgationes, consolationes, prout res ferebat, adiicere, sicut olim boni & veri sacerdotes fecerunt: quibus cessantibus, consueuerat Dominus extra ordinem Prophetas excitare; quos ex ipsorum scriptis videmus vtrumque, nempe & doctorum in docendo, & Pastorum in pascendo, id est, in scripturarum & dogmatum applicatione, munus quàm diligentissimè exercuisse, sed κατ' ἀποκάλυψιν. Nostra verò nunc diuersa conditio est hac in parte, sublatâ extraordinariâ ἀποκάλυψει, & solâ nobis relictâ γνώσει, id est, eâ notitiâ quæ studendo, & discendo acquiritur. Neque id tantùm de rebus ipsis, sed de tribus etiam ipsis linguis accipiendum est; Hebræa videlicet, Græca, & Latina: quas nunc non ex nutricibus, sed in scholis magno studio ac labore discere nos oportet. Rectè igitur omninò facis, scholas vocans Ecclesiarum seminaria, in quibus si tam docti & diligentes magistri, & tam seduli essent discipuli, quàm esse oportuit, longè esset alia non tantùm Ecclesiarum, verùm etiam rerum humanarum facies.

HAD. SARAVIA.

DOminus Beza hîc idem sentit mecum; successisse Prophetis in veteri populo Rabbinos, & legis Doctores; qui nec sacerdotes nec Leuitæ erant: sed non per omnia ei adsentior, si modò rectè eum intelligo, id ita esse frequens in populo Christiano. Rarum enim est inuenire verbi Dei Doctorem, qui Pastor non est, aut futurus non sit: studiorum Theologiæ finis, est Pastorale munus: & pauci sunt qui sacrarum literarum studia, sibi seriò colenda putent; nisi in eum finem.

In populo Iudaico legis Doctores erant etiam Iurisconsulti: erat enim tunc iurisprudentia Theologiæ pars. Et quùm non minùs seniorum populi interesset, quàm sacerdotum, iuris dicendi cognitio; non mirum est, si frequentior fuit numerus Doctorum legis Mosaicæ, quàm sacerdotes non erant, quàm hodiè sit Theologiæ, qui Pastores non sint. Quos hodiè videmus in Academiis & scholis Theologiam, sacrásque literas profiteri, in Pastorum & Presbyterorum numerum allecti sunt. Tamen ego secerno Doctores & Prophetas à Pastoribus, quòd horum functio cum regendi Ecclesiam potestate coniuncta sit: illorum non item.

Quod de docendi ratione, modóque, vt plerique, etiam ipse Dominus Beza sentit, facit nullâ, meo iudicio, probabili ratione: Quid ni & Doctor, æquè vt Pastor, Doctrinæ suæ addat adhortationes, obiurgationes, & cõsolationes? Quæ ratio hoc prohibet? Vndè hoc Dominus Beza, aut alius quiuis didicit? Lectum id à me sæpiùs est, sed adhûc nullam audiui rationem, nullum exemplum, quo doceatur. Deindè, vbi legit Dominus Beza, cessantibus sacerdotibus, Deum misisse extra ordinem Prophetas? Lego optimè atque sanctissimè munere suo fungentibus sacerdotibus, vt sub Dauide rege, & aliis piis regibus. Quo enim sanctiùs sacerdotes suo fungebantur munere, populúsque religiosiùs vixit, cumulatiorem Prophetiæ gratiam, & frequentiorem fuisse: adeò vt irati Dei certissimum signum fuerit, Prophetiæ defectus inopiaue: ordinaria res fuit Prophetia in populo Dei. Aliud enim est proximè à Deo mitti, aliud quidpiam esse extraordinarium. In veteri populo Dei nullos fuisse Prophetas, extraordinarium fuit: & cessatio Prophetiæ in gente Iudaica, hos totos mille quingentos annos & ampliùs, certissimum signum est reiectionis illius, & aduentus Messiæ.

Scholas suas & collegia habuêre Prophetæ, sicut etiam posteà Doctores. In templo & Synagogis, rerum diuinarum procuratio vnius Leuiticæ tribus & sacerdotum erat propria; non item docendi munus. Fecerat enim Deus illud omnibus tribubus commune: non quin esset functionis Leuiticæ pars, sed quòd in ea non includeretur. Quòd igitur corruptis sacerdotibus, nec piè fungentibus suo munere, Deus Prophetas misit, qui neglecti officij & impietatis arguerent sacerdotes, populúque, regumq; peccata, & flagitiosam vitam reprehenderent, ad illa tempora non debet restringi: quùm

plures mittere fuerit solitus, ad populi & sacerdotum consolationem, & in pietate & virtute confirmationem, quàm ad eorum reprobationem & reprehensionem.

2. D. THEOD. BEZA.

IN his igitur tam tibi assentior, quàm in nonnullis, quæ subiicis, abs te cogor dissentire. Quùm enim, inquis, *distinguantur à Pastoribus Doctores, eáque interpretandi scientia donum sit Spiritus sancti: quotquot illo dono præstant, & tam scriptis quàm sermone Ecclesiam ædificare possunt, inter Doctores censendi sunt, cuiuscunque sint conditionis: adeò quidem, vt tametsi mulierem in Ecclesia loqui vetet Apostolus; tamen, si docta sit, possit scribere & priuatim domesticos docere.* Itanè verò? Immò quùm publicè verbum prædicare nullus possit, quantumuis eruditus, nisi legitimè Pastor ad hoc munus delectus & ordinatus: quo iure quiuis, siue quòd reuerà sit doctus, siue quòd talis ipse sibi videatur, non tantùm os ad docendum aperiet αὐθαιρέτως, sed etiam libris editis, absentes, immò nascituros quosuis docebit? Hunc verò morè in Ecclesiam inuehere, aut inuectũ probare, quid aliud fuerit, quàm pro legitima vocatione Anabaptisticũ furorem, & ἀποκάλυψιν extraordinarium, pro ordinariæ γνώσεως regula supponere? Nam illi quidem, quos Deus extra ordinem mittebat, (quales fuerunt sub lege Prophetæ, & ad plantandas ecclesias missi Apostoli, & Prophetæ peculiariter à prædictionis spiritu sic vocati) nulla certè missione nec ordinatione humana indiguerunt, vt docet Apostolus, suum Apostolatũ asserens, Gala. 1. 16. & 2. 6. cæteros verò (ne exceptis quidem Euangelistis) Dominus non nisi ministerio hominum interueniente, id est, examine & delectu, secundùm eum, quem verbo suo constituit ordinem, mittere intelligendus est; vbi quidem obtinet ordo, quem nemo bonâ conscientiâ possit aspernari. Et, quæso, vndè tanta ista quotidiè crescens confusio tum in ipsis doctrinæ capitibus, tum inter populorum animos, quàm quòd cuiuis quiduis dicere, scribere, scriptis etiam editis per omnem terrarum orbem spargere impunè licet? Qua in re accidere semper consueuit, vt quò stultior est quispiam, eò sit audacior; nec alij magis placeant, & studiosiùs legantur scriptores, quàm quos vel nunquàm scripsisse, vel perpetuo silentio damnari oportuit.

HAD. SARAVIA.

CVm magna admiratione legi & relegi hæc, sicut & alia nonnulla: & cum meis scriptis contuli; vt quid Dominus Beza velit, intelligerem. Nihil enim minùs, ex iis quæ scripsi de Doctoribus, inferre licet, quàm ea quæ reprehendit; qui contrarium apertè & disertis verbis docui. Quare & hîc mihi rogandus est lector, vt mea, cũ Domini Bezæ responsione conferat. Videtur enim aut mea non legisse, aut inter legendum, ei somnum obrepsisse; aut aliud animo versatum esse; & quod secum mente agitabat, & suspicabatur, me adfirmare æstimâsse. Semel id esse factum non miraret: dici vulgò solet, quòd *interdum bonus dormitet Homerus:* sed adeò frequens id à D. Beza factum esse quis non miretur? Hoc consilio tractatum meum inserui; vt lector vtrinque scripta conferat inter se. Aliud nihil adferam vt me purgem de errore, quem mihi tribuit. Nisi meus me purget tractatus, meritò reprehenderit me. Quomodò autẽ hæc stare Domini Bezæ oratio possit cum superioribus, quibus se mecum sentire fassus est, quandò Doctorem à Pastore distinxi; iudicent lectores. Hîc ait verbum Dei prædicare neminem posse, quantumuis sit eruditus, nisi legitimè Pastor ad hoc munus delectus & ordinatus sit: quod, quid aliud sit, quàm eundem Pastorem & Doctorem facere non intelligo. Nam si nemo Doctor esse potest, nisi qui priùs est ordinatus Pastor; recidit Dominus Beza, vndè fugerat. Quæ restant in sequentis sectionis refutatione docebo.

3. D. THEOD. BEZA.

DIco igitur Doctoribus Ecclesiæ non tantùm eximiis illis Spiritus sancti donis opus esse, sed etiam legitimæ vocationis testimonio, vt sint audiendi. Christianos tamen omnes mutuò sese docere, atque adeò hortari, reprehendere, consolari in Domino oportere, & ita singulas domos, tum à patribus, tum à matribus familias regi, vt speciem totidem priuatarum Ecclesiarum referant, quis negârit? Sed quorsum hoc ad id de quo agimus? Nam vt publico ministerio non prohibetur, sed docetur & regitur quod quisque Christianus Christiano debet: sic non debent priuata Christianorum officia sacrum publicum ministerium interturbare. Dauidis autem & Salomonis exempla quæ profers partìm particularia sunt, quùm illum quidem fuisse quoque excellentissimum Prophetam, & istum sapientia singulari ornatum constet: partìm ita sunt ab ipsis gesta, vt interea nihil vel de Aaronico Sacerdotio, vel de Leuitarum muneribus quicquam delibârint. Et vtinam Deus Opt. Max. tales orbi terrarum Principes & Magistratus cœlitùs demitteret, quorum sapientia & authoritate Pastores & Doctores & confirmari in benè agendo, & in malè agendo coerceri possent.

Fœminis

Fœminis autem ego quidem istam quoque scribendi licentiam vix arbitrari possum eõcedendam, quamuis Holdam & Deboram & Philippi Euangelistæ quatuor filias legam prophetâsse. Neque enim istud ad id de quo agimus, nempè ad ordinariam doctorum in Ecclesia functionem spectat, qui νομικοῖς illis, de quibus dixi, successerunt.

HAD. SARAVIA.

QVæ ad priuatas admonitiones & fraternas valet scientia, nimiùm communis & vulgaris est. Paulus maius donum Doctoris intellexit; nempè eximium, quo Ecclesia ædificari potest. Quod quomodocunque acquiratur; siue extraordinariâ gratiâ, absque humana industria, quemadmodum Apostolorum temporibus; siue studio & labore; Dei donum est, & ad ædificationẽ Ecclesiæ datum. De quo etsi iudicium tribuatur orthodoxis Ecclesiæ primoribus, vt examinent doctrinam, alienum ab eorum est officio, supprimere quod Laicus, cui donum aliquid elucubrandi ad vtilitatem Ecclesiæ, quod lectione dignum sit, & cum fructu legi possit, ediderit.

Scripsit Boëtius vir consularis de duabus in Christo naturis, & vnâ personâ: viri scripta & virtus nota sunt. Magnum catalogum possem recensere virorum doctorum, quorum scriptis ædificatur Ecclesia. Non ita pridem Philippus Mornaius vir nobilis libros composuit, de veritate religionis Christianæ, & de Ecclesia, lectu non inutiles. Est in Belgio & alius Philippus: sed quid opus est plures recensere? Anteà nunquàm audiui, laicos eruditos fuisse prohibitos à theologicis meditationibus, quin si quid haberent meditati ad ædificationem Ecclesiæ, edere in publicum potuerint. Ab Ecclesiæ rectoribus doctæ lucubrationes laicorum, quia laici sunt, & nullam docendi vocationem habeant, supprimendæ non sunt.

Sentire potest Dominus Beza quod ei lubet: vocatione ad hoc docendi genus nullâ est opus; sed tantùm eruditione: quæ vbi rara & eximia relucet, tanquàm Dei donum suscipiendum est. De sciolis, audaculis & temerariis scriptoribus, aut veriùs scripturientibus, quod adfertur; vel etiam de Hæreticis & Anabaptistis; coërcenda illa est luxuries à Magistratibus, & ab Ecclesiarum rectoribus: nihil ea remorari debet bonorum & orthodoxorum studia. Quod illi malè & temerariè faciunt cum multorum exitio, hi faciunt cum Ecclesiæ ædificatione, & multorum commodo. Itaque hos Doctores, doctrina & eruditio facit, non gradus aut officiũ: qui etiam audiendi sunt cuiuscunq; ordinis sint, modò Christiani & honesti; à quibus admiranda sua opera celebrari, & misericordiam suam enarrari, Deus nusquàm prohibuit. De disciplina Ecclesiæ, Morellus, homo Dom. Beza non ignotus, scripsit: qui si rectè & verè scripsisset, qua fronte posset ipsius labor reiici non video: non in hoc peccauit quòd scripsit, sed quòd malè scripsit.

Quòd mulierem scribere non vult Dominus Beza, nec ego id vulgò fieri cupio; nisi rarum sit & eximium quod præstare etiam mulier posset: tunc adeò ne sexũ quidem in hac re contemno, vt etiam admirer. Recensere autem illustres fœminas & eruditione claras nihil attinet: tantùm aio, si quid præclari Deus illi sexui dederit, q̃ cõmoditatẽ lectoribus adferre possit, non esse fastidiendum. Malè Dei donum, ad ordinariam Doctorum functionem restringitur: de quibus quid sentiam, satis apertè expositum; vt ordine omnia fiant in Ecclesia Dei, & statim pluribus dicturi sumus.

Optat Dominus Beza cœlitùs Principes & Magistratus nobis dari, quorum sapientiâ & authoritate Pastores & Doctores possent confirmari. Nomine sapientiæ, si doctrinam, qua etiam proficere possint Doctores, & Pastores Ecclesiæ, intelligit, mecum sentit: sin autem sapientiæ vocabulo, tantùm intelligat rectè administrandi rempublicam peritiam, nihil hoc ad præsentem quæstionem pertinet. Vidi doctam & piam sereniſſimi Regis Scotiæ meditationem. Si vita longior contigisset Eduardo Anglorum Regi, admirandum eruditione futurum spes erat. Nos Christiani Ethnicorum Philosophorum scripta philosophica non inutiliter legimus: Christianum de pietate Christiana differentem reiiciemus?

4. D. THEOD. BEZA.

SEd & in eo, nisi potiùs ipse fallor, non leuiter falleris, quòd istos Doctores laicis annumeras, quibus extra ordinẽ fuerit ab Episcopis interdum facta docendi in cœtu potestas, vt olim Origeni nondum Presbytero; & non paucis aliis, quod Eusebij testimonio probas à me quoq; antè citato. Nam contrà fuisse istos de quibus agimus quoque Doctores ordinaria functione publica functos, satis apertè liquet ex Paulo, Rom. 12. 7. 1. Cor. 12. 29. Ephes. 4. 11. nunquam illos alioqui sacris illis Ecclesiasticis functionibus annumeraturo, nec istos alioqui non minùs quàm Pastores dicturo, diuinitùs ad opus ministerij & ædificationem corporis Christi datos. Quòd enim Stephanus, Fortunatus & Achaicus, quorũ meminit Apostolus 1. Cor. 16. tibi videntur in Corinthiaca Ecclesia docuisse, nec tamen Episcoporum aut Presbyterorum auctoritatem habuisse. i. (si rectè mentem tuam teneo) priuati fuisse, siue laici; nè leuissimâ quidem coniecturâ nititur. Immò manifestissimè refellitur. Cur enim Corinthios alioqui moneret Apostolus, vt sese talibus subiicerent, nisi saltem fuissent ex πρεσβυτέρων numero? vt si laici fuerint, sicut tu putas, non alio teste sit nobis opus, quàm te ipso, ad nostrã de Presbyteris illis πρεσβυτέροις ex ipsa plebe delectis probandam sententiam. At enim, inquis, Si *Presbyteri fuissent, mandâsset illis corruptelas & improbos mores, qui tum Corinthi regnabant, corrigendos.* Immò verò, Sarauia, quùm hæc scriberes, ipsumnè Pauli locum consuluisti? Comperisses enim tunc illos non Corinthi, sed apud Paulũ fuisse, ad quem paulò antè aduenerant, vt apparet ex vers. 17. per quos etiàm hæc ipsa Epistola Corinthum ab Apostolo missa creditur. Idem posteà, sed simili errore, statuis de Zena legis-perito, & Apollo, qui tantùm fuerint in Creta Doctores: *quoniam* (inquis) *si eiusdem fuissent, atque Titus, ordinis & authoritatis, eadem mandata accepissent.* Nam præterquam quòd leuissima est hæc coniectura, verbum προστέμπειν, quo vtitur Apostolus, Titus 3. 13. ostendit illos vel antè quàm hanc Epistolam scriberet Paulus, in Creta non fuisse, aut eò cum hac ipsa Epistola appulisse, sed illùc transiuisse, aliò statim profecturos: vel si in Creta iam erant, fuisse aliò delegatos.

HAD. SARAVIA.

EGo Doctores intelligo non tantùm eos, qui ordinariam obtinent in Ecclesia docendi functionem, sed eos omnes quorum doctrinâ ædificatur, aut ædificari potest Ecclesia: quia vtrobique Dei donum agnosco: & Paulus de donis spiritus sancti loquitur, quandò scribit Dominum dedisse alios quidem Apostolos, &c. Quos Dom. Beza velit esse Doctores, qui Pastores non sint, nihil ad me attinet: si non putat vera esse quæ scripsi, doceat me rationibus meliora, & ego cedam ei. Sed quòd ait me falli, nihil docet: credo enim me nihil falli. Quos allegaui ex Paulo, credo fuisse officio Doctores. Tamen si laicos fuisse dicerem, quatenus tantùm Doctores erant, & verbi Dei interpretes, contra Pauli sententiam nihil sentirem; qui Corinthiis scribens de Prophetis, & quis ordo à Prophetis in Ecclesia seruandus esset; dixit potuisse omnes prophetare. 1. Cor. 4. c. 31. v. Atqui Prophetas præferri Doctoribus, mihi D. Beza negaturus non est, nec eos quibus Apostolus loquitur fuisse laicos. Nam illa ætate dona spiritus sancti, siue linguarum, siue prophetiæ, non ita peculiaria erant Ecclesiarũ præpositis, vt etiam non essent laicis communia.

Vndè autem suspicetur D. Beza me credere Stephanam, Fortunatũ, & Achaicum fuisse laicos, & tunc fuisse Corinthi, quandò primam Epistolam ad eos scripsit, nescio. Legat lector quæ de eis scripsi; & si inuenerit verum esse quod D. Beza mihi adfingit, errorem me fateri æquum est. Ego priuatos in Ecclesia, vel laicos fuisse, non iudico: sed domicilium Corinthi habuisse credo. Nam quòd seipsos addixerant sanctorum ministerio, & quod inter cooperatores & κοπιῶντας numerantur, innuere videtur fuisse Doctores; & præterea nihil. Quòd Paulus Corinthios adhortatur, vt illis se subijciant, nihil præcipuè illis tribui vult, quod omnibus aliis qui cum Paulo simul laborabant, & operabantur, in excolenda vinea Domini, etiam tribui non mandaret: quales erant Apollo & Timotheus, quos ad eos venturos significat. An mea coniectura sit leuis, & ea me fallat; quòd eos tantùm doctores fuisse Corinthi arbitror, non etiam Pastores, qui seueritate censuræ Ecclesiasticæ, coërcere, aut etiam eiicere societate fidelium malos potuissent, & debuissent, iudicio relinquo eorum, qui scripta Pauli cum Pastoris officio conferre nôrunt. Non fuisse eis subiectos Corinthios, sicut plebs Christiana suis propriis Pastoribus in domino subiecta est, ratio à D. Paulo adiecta, quâ Corinthiis id persuasum cupit, significare videtur; nimirùm quia se & sua omnia dedicârant Sanctorum ministerio. Quare æquum iudicat Paulus vt se eis subiiciant, sicut

cæteris

cæteris Pauli cooperatoribus. κυβερνήτας quidem nullos agnosco qui Doctores non sint: sed eos omnes qui Doctores sunt, pro Rectoribus Ecclesiarum non habeo.

Quod ex me sibiipsi obiicit D. Beza, nonnihil immutatũ verbis, & sensu; tanti tamen est, vt tunc Presbyteros & Pastores illius Ecclesiæ fuisse, non magis dicendi sint, quàm Apollo aut Timotheus. Quod adfert D. Beza vt obiectionem diluat, nihil est. Quid enim hoc est quod sermone conuerso ad me ait? *Immò verò, Sarauia, quùm hæc scriberes, ipsumne Pauli locum consuluisti? Comperîsses enim tunc illos non Corinthi, sed apud Paulum fuisse &c.*

Miror D. Bezam hoc scribere; ego nusquàm aio eos fuisse Corinthi, quandò Paulus suam Epistolam scripsit: nec ex meis verbis, nisi quis vim eis faciat, consequitur. Sed consequens est, non potuisse illos extra noxam fuisse, qui dissimulâssent & tulissent incestuosum hominem, discidia, odia, æmulationes, lites, deprauationem cœnæ Domini: in quæ cum authoritate ab eis animaduersum oportuisset. Quod cùm ab eis factum non sit, mihi non fit verisimile cum ea authoritate præfuisse Ecclesiæ Corinthiacæ, quam habuit Titus & Timotheus, & cæteri Pastores & Presbyteri habent in Ecclesiis, quibus præfecti sunt. Nam absentes fuisse, quandò illa discidia, & quicquid præterea in Corinthiis reprehenditur, perpetrata sunt, non est verisimile. Venerant enim Corintho ad Apostolum missi ab Ecclesia, consultum de controuersiis, ad quas in sua respondet Epistola: qui certè grauem reprehensionem merebantur, si sub ipsis Episcopis & Pastoribus, enormia illa flagitia fuissent perpetrata. Et hæc est de Stephana & Fortunato mea sententia.

De Zena legisperito & Apollo, quos similiter Doctores fuisse aio, sed non eiusdem ordinis Episcopos cum Tito, quod eodem errore adfirmari à me dicis, expendamus quomodò doceas. Primò, quàm grauis aut leuis sit mea coniectura nihil dico; eam non vrgeo, nec cuiquam obtrudo; sequatur eam qui volet: meliorem nemini inuideo, ipse certiorem sequi paratus, vbi didicero. Verbum προπέμπειν dicis ostendere, vel illos antequàm hanc Epistolam scriberet Paulus, in Creta non fuisse, aut eò cum hac ipsa Epistola appulisse, sed illâc transiuisse, aliò statim profecturos: vel si in Creta iam erant, aliò fuisse delegatos. Certè quomodò ex verbo προπέμπειν hæc omnia consequantur, ego prorsùs non video; quàm istæ coniecturæ sunt grauiores meis, ponderemus.

Verba Pauli hæc sunt: *Cùm misero Artemam & Tychicum ad te, festina venire ad me Nicopolim: illic enim statui hyemare. Zenam legisperitum & Apollo sedulò præmittito.* D. Beza habet, *deducito.* Sed quàm hoc cohæreat cum præcedenti versiculo ipse Dominus Beza iudex esto. Scio προπέμπειν significare etiam deducere; sed non hoc loco. Primò ibi fuisse, & socios eos habuisse Titum in verbi ministerio, dubium non est. Item quòd eis successuri erant Artemas & Tychicus. Deinde προπέμπειν quia remoræ quædam Tito interuenire poterant, & causæ erant, quæ ibi eum detinebant, præmitti hos iubet: occupatior erat Titus, quàm vt deducendis sociis, vacare potuerit; ne cõmeatus deesset, prospicere potuit, non similiter alterum. Hæc nobis ipse contextus & verba Pauli suggerunt; & directè ex eis inferuntur. Quomodo autem ex hoc imperandi modo πρόπεμψον, siue reddatur deducito, siue præmittito, vnà cum Epistola illic appulisse & non fuisse in Creta, antequàm hæc Epistola scriberetur, vel transiuisse illâc, statim profecturos aliò, intelligi queat, ego non assequor. Nam Paulus non dicit si transiuerint, aut quandò transibunt, aut quos misi cum hac Epistola, & nihil horum potest ex verbo πρόπεμψον deduci. Sed certò cui contradici non potest, ibi fuisse cum Tito affirmari potest, quæcunque causa esse potuit, & præmittendos ad Paulum, qui alios missurus erat, fuisse à Tito. Vtrius nostrum grauiores sint coniecturæ iudicet æquus lector; mihi nullus pudor est à D. Beza vinci.

4. D. Theod. Beza.

CAeterùm hoc quoque leuis non est ponderis, sed animaduersione dignum, quod Doctoris, quem vocant, gradum in Academiis adeptos admones, ne se idcircò putent in Presbyterorum, id est, pastorum Ecclesiæ Christi numerum assumptos, nisi alia accesserit ordinatio. Ego verò ne Doctores quidem Ecclesiæ sic illos creare posse dico. Quo enim iure, qua ratione, qua denique conscientia ius illud electionis quod totius est Ecclesiæ, & quo aditu quisquis in Ecclesiam non ingreditur à Christo fur & latro

& latro appellatur, ab Ecclesia ad Academiarum magistros fuit translata? Tribuant igitur sanè Academiarum Rectores sedulis discipulis, quod merentur pietatis & eruditionis testimonium, quod sit illis apud Ecclesias quasi designationis iam cuiusdam loco. Docendi verò ius & authoritatem re ipsa docendi sola illis Ecclesia, ordine legitimo, certo loco concedat, si verè Doctores esse & haberi volunt. Et de his quidem hactenùs inter nos esto disceptatum, Christiano (cuius mihi Deus in animam meam testis est) corde, nec aliud quàm veritatem & pacem cum quibuslibet quærente.

HAD. SARAVIA.

ET hîc à Domino Beza dissentio: creari enim ab Academiis Doctores Ecclesiæ authoritate publica; hoc est, potestatem docendi dari persuasum habeo. Sed Doctores Pastoribus subiicio in politia Ecclesiastica; ne Ecclesiasticam turbent ἀταξίαν. Electiones Doctorum nunquàm fuisse totius Ecclesiæ legi; sed Doctorum, qui de doctrina & aptitudine eorum, qui sacris literis dederunt operam iudicare possunt: quibus authoritate publica illæ partes mandatæ sunt. In qua tacitus quidam est consensus omnium ordinum totius reipublicæ; quæ quandò Ecclesia est, malè intelligitur eius authoritas excludi.

Est Doctorum, non plebis, iudicare de doctrina; & in ea exercere tyrones. Academiæ eriguntur authoritate summorum Magistratuum & Episcoporum. Et quicquid de Ecclesia, eiusque authoritate inter nos disputabitur, eò recidet; Ecclesiam potestatem illam creandi Doctores posse & debere demandare aliquibus, quos idoneos ad eam rem iudicabit. Porrò, qui Academiis præsident, easque regunt cum collegis & collegiis suis qui corpus & communitatem referunt Academiæ, sunt ea eruditione & iudicio, vt tutiùs nemini illæ possint demandari partes. Quocirca optimo consilio factum est, vt Academiis illa sit tributa potestas, qua non solum testimonium detur doctrinæ & eruditionis, sed etiam absoluta potestas docendi. Interest, vt nunc sunt res, tam Ecclesiæ, quàm reipublicæ ita fieri: Reipublicæ propter ordinem; Ecclesiæ propter doctrinæ veritatem, quam semper aliqui defendent, & quærendo, Deo dante, inueniant.

Ex Academiis Doctores Deus Ecclesiæ suæ suscitauit, qui corruptam Euangelij doctrinam restituerunt: & quamuis maiorem partem sæpè corrumpi contigerit, reseruauit semper sibi Deus aliquot, qui errores manifestârunt, & abusus reprehenderunt. Quemadmodùm olim in veteri populo inter prophetas falsos Deus etiam veros suos seruos habuit; ita in Ecclesia, veritatis testes, semper seruator noster inter publicos doctores, habuit. Quid Deus posset apparuit in Luthero, & pluribus aliis doctissimis viris, quos Academiæ educauerant. Lutherus testatur se sæpiùs consolationem hausisse ex sua promotione; quia ipsi publica potestas tradita fuerat docendi Euangelium, & taxandi errores. Nemo enim cum interrogare poterat qua authoritate doceret. Ipsius vocatio in dubium vocari non potuit; quod in Doctore plurimum habet momenti.

Ego de Domino Seruatore nostro, & de Iohanne Baptista, atque aliis Prophetis ita statuo, ordinem secutos fuisse tam docendo, quàm discipulos adsumendo, receptũ in populo Dei. Nam Elias & Elisæus habuêre discipulos, qui filij Prophetarum dicebantur; quos instituebant, & quibus vtebantur, diuulgandis Prophetiis, & reprehendẽdis erroribus. Absurdum nec populo Dei, nec ipsis sacerdotibus fuit, Dominum nostrũ docere, & ad docendum alios suos discipulos mittere: & quamuis offensi tam doctrinâ quàm operibus eius essent, & quærerent qua potestate eiecisset vendentes & ementes de templo; tamen qua doceret authoritate nullam quæstionem mouerunt. Quomodò autem hoc fuerit receptum, vt in numero Doctorum Seruator haberetur, & publica authoritate doceret; item & prisci populi Dei Prophetæ; fateor me ignorare. Vt tempora illa à nostris sunt remota; ita eorum quæ moribus recepta erant rationes, nos fugiunt. Deus in lege sua populo Israelitico Prophetas promiserat se missurum; quod à Mose vsque ad Iohannem Baptistam sine interruptione factum est: exceptis temporibus illis, quæ præcesserunt aduentum Dómini; quo celebrior & magis admiranda esset renouata in Zacharia & Simeone, ac denique in ipso Iohanne Baptista, & domino nostro Iesu Christo, atque ipsius discipulis prophetia.

Multum

Multum eſt publica authoritate quempiam docere: ſuſpiciones omnes hoc tollit impoſturæ & temeritatis. Academiæ in promotionibus doctorum dant poteſtatem publicè diſputandi, docendi & legendi. Gerſon dicit formam publicæ promotionis doctorum, Pariſienſis Academiæ eſſe hanc: Do tibi facultatem diſputandi, docendi, legendi hîc & vbique terrarum. Qui hanc poteſtatem ab Academiis accipiunt, longè diuerſos facio ab illis, quos tantùm ſua commendat ſcientia: qui quanuis pares, aut etiam eruditione ſint ſuperiores, cum tanta authoritate non docent, ſicut ij quos publica commendat authoritas; niſi fortè excellentia doctrinæ, & Paſtorum Eccleſiæ approbatio ſuppleat quod deeſt ab Academiarũ approbatione. Hac in re Eccleſiæ nulla fit iniuria, cùm ipſius intercedat authoritas in iis rebus quæ ad eam ſpectant: & hæc nouit & approbat, gratumque habet, quod ipſi eſt vtile & neceſſarium.

Hîc finit noſtra diſputatio; in quam clariſſimus vir D. Beza me inuitum pertraxit. De ipſius animo, vt mihi occaſio data fuit, quod videbatur, meum iudicium, quamuis propter viri reuerentiam dubium, diſſimulare non potui. Sed cùm Chriſtiano corde, nihil aliud quàm veritatem, & pacẽ cum quibuſuis quærente, ſe diſceptâſſe hæc, Deum teſtem inuocet; me ita rem accipere æquum eſſe arbitror. Nam ego tantundem de me ſanctè adfirmare audeo, neque contendendi ſtudio cum quoquam, neque vincendi cupiditate, quicquam ſcripſiſſe. Quemadmodùm igitur mihi ab eo iniuriam fieri exiſtimo, qui aliud de me iudicat; ita iniquus Domino Bezæ eſſem, ſi quam mihi haberi fidem poſtulo, ei denegarem. Vtrius (inquies) ſententiam ſequetur lector? Eius quem probabiliùs ſcripſiſſe inueniet. Mihi vlteriùs fidem haberi nolo, quàm verbo Dei & argumentis demonſtro. Ego Dom. Bezam ſimiliter affectum eſſe iudico. Non igitur te, Chriſtiane lector, hac noſtra diſputatione magis offendi decet, quàm ſi in libero Concilio, diuerſas de quæſtione propoſita audires ſententias. D. Beza ex eorum numero ſe profitetur eſſe, qui in Eccleſia liberè loqui poſſunt: quam libertatem cum ei adimat nemo, æquum quoque eſt, vt eandem aliis permittat. Hæc igitur diſputata citra cuiuſquam iniuriam, ad Eccleſiæ ædificationem, & tuam vtilitatem accipies, & valebis.

(·.·)

Reſponſio *Hadriani Sarauiæ* ad quaſdam calumnias, Ieſuiticas nimirum illas *Gretzerj* in defenſione ſua *Bellarminiana*, quas ibi legit inter alias contra ipſum ſcriptas.

(.·.)

QVùm librum meum de diuerſis Miniſtrorum gradibus ſcriberem, præuidi futuros, quibus diſpliceret, & qui illo abuterentur: ſed, qui tantùm maledictis pro ſolidis argumentis vterentur, non expectaui. D. Beza ſibi contradicendũ putauit, & ſine virulentiâ id præſtitit: ego viciſſim ei modeſtè me reſpondiſſe credo. Quid Danæo bilem mouerit, vt meum nomen ſcurrilibus maledictis impeteret, neſcio. Ipſe me *ſubulcum, porcum, hominem farciendo abdomini natum* vocat. Quod eſt meum tantum peccatum? Contrarium ſentio & ſcribo, quàm ipſe ſentit. Quid? num ſua ſcripta diuina credit eſſe oracula? Quis ipſe eſt, qui fidei aliorum legem præſcribat? Ego citra cuiuſquam inſectationem, meam ſententiam de nuperis Presbyteris, & Diaconis annuis dixi; & optimè conſtitutum ordinem Epiſcoporum, & omnem veteris Eccleſiæ diſciplinæ formam, reformationis nomine eſſe ſublatam, dolere me, teſtatus ſum, & teſtor. Item, de honorario Miniſtrorum, de decimis, & piorum oblationibus, nihil ſcripſi, quod priùs optimis Eccleſiarum Chriſti temporibus, à ſanctiſſimis Patribus dictum & factitatum non fuerit. Num hoc cuiquam videri potuit, tanto conuitio dignum? Oblitus ſui, quòd & Theologus, & Chriſtianus eſſet, certè videtur. Quid eſt maledicentia, quid contumelia; ſi hæc maledicentia contumelioſa non eſt? *Conuitiatores & maledici regnum Dei non poſſidebunt. Et quicunque dixerit fratri ſuo, Racha, obnoxius erit Conſilio: Quiſquis dixerit fratri ſuo, Fatue, obnoxius erit Gehennæ incendio.* Hæc Theologus ignorare non potuit. Sed hoc vitium pleriſque hodiè noſtri temporis ſcriptoribus virtus eſt; qui conuitiis & maledictis, tanquam quibuſdam floſculis, ſcripta ſua ornari credunt. Eſt hominum genus, qui ſolos ſe ſapere, ſolos ſe reformatos eſſe credunt, & magno ſupercilio alios, qui ipſis in omnibus non aſſentiuntur, contemnunt, & maledictis inſectantur. Vixit aliquandiù Danæus Gandauj; mores meos, & vitam meam videre potuit: tunc (nî fallor) ipſi nec ſubulcus nec porcus fui: ab illo tempore nihil ſum mutatus. Ibi tunc ſententiam meam de Epiſcopis, & nouo Presbyterorum genere, in familiari colloquio cum amicis non diſſimulaui; & ſtatum Eccleſiæ, qui tunc erat, imputabam temporum neceſſitati: mihi doctiſſimi quique aſſentiebantur. Factus ſim ſubulcus, & porcus, hîc in Angliâ oportet, & farciendo abdomini natus. Sed quos, obſecro, hîc paui, & paſco porcos? Quàm autem à gulâ, & ebrietate ſim alienus, nôrunt omnes, qui me nôrunt. Cibis lautioribus non vtor: menſa mea frugalis eſt: oleribus & radicibus libentiùs veſcor quàm carnibus: braſſica, beta, lactuca, iptuba, fabæ, piſa, & quicquid eſt huius generis, meæ ſunt delitiæ: illis abdomen farcio: vt cum Hieronimo dicere Danæo poſſem, ſi viueret; *Ego fabâ ventrem impleo, tu acipenſeream ructas.* Conuitium hoc Danæi nimis ſcurrile, nimis illiberale eſt, & Theologo Chriſtiano indignum. Plura non addam, ne conuitio conuitium vlciſci videar.

1. Cor. c. 5. v. 11. & c. 6. v. 10. Math. c. 5. ver. 22.

Veniet dies, quando vterque ante Chriſti tribunal ſtabimus,
noſtrorum ſcriptorum reddituri
rationem.

Nunc

NVnc ad Gretzerum venio: qui, licèt aduersarius sit, mihi tamen nusquàm adeò illiberaliter conuitiatur. Contumelia afficit quidem me, sed alio contumeliæ genere: quando meum nomen meaque scripta suis scriptis inseruit, me vocat Caluinistam. Ego ei paucis (quatenùs me tangit) respondendum esse iudicauj. Primò, in parte contumeliæ numero, quòd me *mendaciter* subindè Caluinistam vocat. Et ne grauius, quàm par est, ipse conuitium accipiat, & candidi lectores offendantur, Bellarmini & ipsius inductus exemplo, me ita loqui profiteor: ex ipsorum libris ita scribere didici. Aliàs à me alienum est in meis disputationibus, conuitiis & maledictis aduersarium lacessere.

Vnde, quæso, accepit Gretzerus me Caluinistam esse? & quibus id argumentis collegit? Sed, quid mihi parceret, qui Ecclesiam Anglicanam, Caluinianam vbique nuncupat? Vndè, quæso, magis Caluino nos addictos esse, ipsiúsq; sequaces potiùs, quàm aliorum Doctorum nostri temporis, nempè, Lutheri, Buceri, Oecolampadij, Petri Martyris, Bullingeri, & Zanchij, demonstrauerit? Ex eodem fonte cum illis eandem veritatem hausimus. Idcircò nos esse illorum sectatores, nemo verè affirmauerit, nisi eâdem ratione etiam Papistas nos quoque appellet, quia in multis cum Papistis sentimus.

Sed idem Grezero accidit, quòd meretricibus & adulteris solet, quæ castas Matronas calumniantur, & de illis ex suis ipsarum moribus iudicant. Quandò enim honestam Matronam familiariter colloquentem cum extraneo viro vident, statim adulteram & meretricem cum suo scortatore loqui suspicantur. Quia ipse in vnius Romani Papæ verba iurauit, & Ignatium de Loyola pro Magistro hîc in terris elegit; idem veros Christi discipulos facere credit, & alium aliquè præter Christum delegisse Magistrum, quem sequantur ducem. In vestram insexcentas factiones dilectam sectam, vbi omnes cateruatim cum Papâ Romano, & meretrice Babylonicâ, à Deo fornicantur, ab authoribus suarum sectarũ denominationes competunt. Tibi, Gretzere, tum Patriarcham Ignatium de Loyola verè exprobramus, sicut & aliis omnibus cœnobitis, suos. Nobis verò nec Caluinus, nec Lutherus, nec Beza Patriarcha est. Scito, Ignatiane, Anglicanam Ecclesiam, & Orthodoxos omnes Christianos, præter Christũ neminem agnoscere Magistrum: à quo nos Christianos denominari satis est. Quandò igitur Anglicanam Ecclesiam, vel me videbis, Caluini scripta illo habere loco, quo vos habetis Romani Papæ decreta & decretalia, eodem iure nos Caluinistas nuncupa, quô nos te, tuique similes vocamus Papistas. Mentitur, ex omnium Theologorũ sententia, qui affirmare audet contra suæ mentis testimonium, id, quod nouit esse falsum. Tu verò ex scriptis meis scire potes, me Caluino nihilo plus tribuere, quàm aliis scriptoribus. Ex Anglicanæ Ecclesiæ liturgia, et regimine Episcoporum, aliísque hîc receptis moribus, certo certiùs nosti, quam non magis Caluinum admiretur, quàm alios Christi seruos, quorum opera Deus est vsus, ad purum suum cultum in variis locis restituendum.

Si fortè quosdam notâsti, aut Caluino aut Luthero plus iusto addictos, illos idem humanitùs pati, quod Corinthiis euenisse legimus, nôsse debes: & hoc nostrum seculum peccare in eadem re, in quâ ætas Apostolorum quondàm peccauit, non esse mirandũ. Quemadmodùm iniuriam tunc temporis fecisset ijs, qui de solo Christo gloriabantur, si illos à Paulo quis Paulinos, aut à Cephâ Cephalistas, & ab Apollo Apolloniſtas vocâsset: sic hodiè similiter iniuria fit illis, qui solum Christum pro magistro colunt, si Caluiniani & Lutherani à quopiam vocentur. Meretricis Babylonicæ cultores hoc habent proprium, vt à suis authoribus nomen sortiri sibi laudi ducant. Soli Iesuitæ sunt, qui à sui authoris nomine erubescunt habere nomen: deberent enim, aliorum more, Ignatianj & Loyolitæ dici. Sed hoc dedignantur, cùm tamen suo Ignatio magis sint addicti, quàm Euangelio. Præclarius ipsis visum est, de peculiari societate Iesu Christi gloriari. Nihilo-minùs tamen quàm cæteri cœnobitæ, qui aut Benedictini, aut Dominicani, aut Franciscani dicuntur, sectarij sunt. Si suos vultus & habitus in speculo diuinæ sapientiæ intuerentur, puderet illos, qui sese in sexcentas institutorum diuersas formas ab inuicem segregârunt, cuiquam sectam exprobrare,

brare, aut in illos, tanquàm in ſectarios ſcribere. Ne longiùs ferar, cui ſectæ (Gretzere) placet tua ſecta? Æmulationes & occulta odia inter cæteras ſectas non ignoro: ſed veſtra omnes alias in hâc re ſuperat.

Gretzero diſplicet, quòd Sutliuium vocauerim virum doctum, & diſſimulandi expertem. Hoc meũ fuit de Sutliuio iudicium, qui propiùs eum noueram, quàm Theodorus Beza. Si cubi tamen in Bezam duriùs ſcripſiſſe videtur, & ipſe Beza grauiùs accepit, ego non probo. Luci veritatis animi perturbationes offundunt tenebras: &, ad hoc ſcribendi genus contra Gretzerum me deſcendere ipſius importunitate coactum eſſe, vehementèr doleo. Non enim alio modo vanitatem hominis, qui meo nomine & ſcriptis ad pernicioſos ſtabiliendos errores abutitur, redarguere potui.

Magnum quiddam ſibi videtur contra Caluiniſtas attuliſſe Gretzerus, quandò meam, de graduum inæqualitate in Eccleſiæ Miniſteriis, ſententiam citat; vtpotè, qui ſim Caluiniſta: ſed, vt antè dixi, ipſe mentitur; & ſuos lectores, qui ei fidem habent, fallit. Quòd ſi illos omnes pro Caluiniſtis habet, qui abominationes idololatricas Babylonicæ Meretricis deſeruêre, vt deum colant eo cultu, quem in verbo ſuo fidelibus præcepit, & verâ fide filio Dei conglutinantur: animaduertere debuit libertatem àpud illos eſſe reprehendendi errores, & quoſuis Eccleſiæ ſui temporis næuos, ſine violatione Chriſtianæ pacis; & bonos ferre poſſe ſibi contradici, donec Concilium vniuerſale liberum, contrarium definiuerit. Quæ libertas apud Romanæ Meretricis colonos nulla eſt: tamen à capite ad calcem fædiſſimis illa Eccleſia tota cooperta eſt hæreſibus. Adulationi ibi eſt locus; veritati nullus.

Si qui ex illis, quos Caluiniſtas vocas, mea ſcripta iracundiùs exceperunt, noueris illos eſſe homines, qui ſibi contradici ferre neſciunt: quo hominum genere Eccleſia Romana non vacat. Erroris, quem reprehendo in meis tractatibus, cauſam abuſus craſſiſſimi Presbyterorum & Epiſcoporum, qui iſtîc regnant, dederunt: vt à Diabolo veſtri ordines Eccleſiaſtici potiùs credantur inuenti, quàm à Domino Ieſu Chriſto inſtituti. Quis credat Epiſcopos veſtros fungi Apoſtolico munere, & Presbyteros ad illud ritè obeundum fuiſſe Epiſcopis additos, quibus nullâ aliâ plerique in re, quàm in miſſificatione, & auricularium confeſſionum auditione famulentur, reiectis partibus verbum Dei concionandi ad Fratres mendicantes, & ad Ignatianos? Qui Paſtores Eccleſiarum non ſunt, Paſtoris partes in ſe recipiunt & officio funguntur. Veri qui deberent eſſe Paſtores, nempe Epiſcopi & Presbyteri, otio ſe dediderunt; & omnes paritèr apud vos in lupos rapaces degenerârunt.

Vos interìm viros eſſe Apoſtolicos, & Presbyteros ex Pauli ſententia creditis, & perſuaſum mundo eſſe vultis. Eandem de ſeipſis opinionem habent Caputchini, eandem & cæteri Franciſcani, ſimilitèr alij omnes Monachi & Cœnobitæ Presbyteri. Sed quis veſtrûm ex totâ poterit antiquitate vobis ſimiles Eccleſiam Chriſti habuiſſe Presbyteros demonſtrare? Ætate Ambroſij & Auguſtini, vbi erant quatuor mendicantium Fraterculorum ordines? Vbi eratis vos, qui ſupra cæteros eminere creditis, Ieſuitæ? Vbi Cynicorum nouum genus Caputchini? Monachos lego in priſcorum Patrum Eccleſiâ; ſed laïcos, & qui ex labore manuum ſuarum victitabant, non ventres pigros in otio viuentes. Benedictinos, Baſilianos, Dominicanos, & Franciſcanos nullos lego: quippe, qui tunc nulli fuerint. At catholicum vel Apoſtolicum illud dici non poteſt, quod ab Apoſtolis non fuit inſtitutum, & ab Eccleſia vbiq; receptum, & per manus poſteris indè ad noſtra vſque tempora traditum.

Si Monachus olim ad Presbyterium vocabatur, relinquebat monaſterium, vitámque monaſticam, & ad Eccleſiam ſe cõferebat, illîc ſub obedientiâ & directione Epiſcopi, miniſterio ſuo functurus. Vos autẽ in Epiſcoporum diœceſes non vocati, velint, nolint, vos ipſos ingeritis, & partes Presbyterorũ obitis. Illi tamen veri & legitimi Parœchiarũ ſuarum Paſtores habentur. Cura animarũ vobis nulla commiſſa eſt: officio tamen in alienis parœchiis Presbyterorũ fungi præſumitis. Interim Epiſcopis ſubeſſe recuſatis, qui ſuæ diœceſeos curam animarum cum ſuis Presbyteris ſuſceperunt, & exemptiones ab eorum iuriſdictione prætenditis: atque ita ordinem, qui apud vos eſt, confunditis, & perturbatis. Nôſti, qui Puritani dicuntur, & qui eis fauent, tantùm Epiſcopis Presbyteros æquales faciunt: vos verò, nõ ſine faſtu, omnes Epiſc. præter vnũ

Papam contemnitis, & vos ijs præfertis, atque insultatis: nec satis Catholicus vobis videtur, qui vobis non assurgit. Si qui Episcopi vobis fauere videntur, scitò illos aut ignorare, qui vos estis, aut tantùm aliquâ de causâ hoc simulare. Non alio modo reliquus Clerus erga vos affectus est. Et tu meam sententiam de diuersis Ministrorum gradibus tanquàm Caluinistæ cõtra Caluinistas citare audes? Ignoras, Gretzere, quos Romano-catholicos, illósque grauissimos, contra te tuamque sectam citare possim: quibus nec tu, nec tuorum quisquam, siue rubore vnquàm respondere poteritis. Illi tamen, sicut vos etiam, Papistæ sunt. Sed quid hoc conducet ad dirimendas huius nostri seculi controuersias?

Controuersia est de Papa Romano, nùm sit totius vniuersalis Ecclesiæ Christi in terris Vicarium Caput. Vt illud doceatur, de optimo regimine disputatio nihil habet momenti. Probatum vbi erit Monarchicum regimen esse optimum; indè non magis efficitur, vnum omnium Monarchicum caput in Ecclesia visibili aut fuisse vnquàm, aut esse oportere, quàm vnum Monarcham aut esse posse, aut aliquando fuisse, qui vniuersum terrarum orbem gubernârit. Tempora restitutionis humani generis prima, quæ sub Noah fuerunt, excipio. Regimen Monarchicum ad vniuersum mundum non refertur, nec ad potestatem vllam, quæcunque illa sit, Ecclesiastica vel Ciuilis, vniuersalem, in omnes totius orbis fideles, sed ad vnius summũ & absolutũ in subditos imperium. Pauci illi sint, vel multi, quibus imperatur; nihil interest. Quod assumitur, optimo gubernationis genere Deum voluisse Ecclesiam suam regi, nonnihil esse videtur. Sed respondetur. Sicut Dominus in terris vult Ecclesiam suam optimè gubernari: similiter idem vult orbis terrarum imperia optimè regi. Sed indè non efficitur Deum vnquàm voluisse, vt orbis vniuersus, aut vt singuli populi, aut nationes gubernarentur ab vno homine. Sic enim omnis gubernatio Aristocratica & Politica euerteretur, & sola Monarchia legitima gubernatio esset. Et pari ratione in Ecclesiâ, omnis Ecclesiastica administratio Episcoporum, Archiepiscoporũ, & Patriarcharum fuerit Monarchica. Quis inanium verborum nebulas, quæ vtrinq; magno conatũ iactantur, discutiat? Quis strepitum fremitúmque bellantium? Quis murmura? Quis æmulationes & odia? Quis fulgura & tonitrua, tempestates & procellas, de hâc re digladiantium, recenseat?

Sed vt ad te redeam; quid, obsecro, in meis scriptis inest, quod tyrannidem tui Episcopi, hoc est, Papæ (nam illum solum pro tuo habes Episcopo) stabiliat, & non potiùs euertat? At Caluinistam committere cum Caluinistis, tibi pulchrum visum est. Sed quandò ille, quem fingis Caluinistam, te mentiri ait, vbi iaces? Quod robur tui remanet argumenti? Sed, vt maximè Caluinisectator essem, non improbarẽ Hierarchiã, quæ Christo se subiiceret: non reiicerem disciplinam Ecclesiasticam, quæ olim sub Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis floruit. In illâ Caluinus confitetur nos habere Apostolicæ gubernationis formã. A quâ sententiâ qui recedunt, à Caluino dissentiunt.

Sed nonnullis visum est, constitutâ Ministrorum Euangelij æqualitate, vniuersum aboleri Papatum, & vno veluti ictũ omnia simul Hydræ capita amputari. Alij verò (in quorum me esse numero profiteor) ad confutationem falsi, non aliud esse assumendũ falsum iudicant: veritate falsitas efficaciùs iugulatur. Quàm non fuerit Episcopis & Archiepiscopis aduersarius Caluinus, ad illos scriptæ testantur Epistolæ. Quandocunque contra Episcopos scripsit, istos, qui istîc apud vos sunt, intellexit: in quibus præter nomen, aut nihil inest Episcopi, aut totum, quicquid illud est, conuertitur ad regnum defendendum Antichristi. Quàm autem causam, quam defendis, nihil adiuuet, quòd Caluinistam contra Caluinistas citâsti, ipso te iudice, luce clarius faciam. Papistas enim citabo contra Papistas: & ab eâ re incipiam, quæ te adeò proximè tangit, vt nihil propiùs. Vniuersa Academia Parisina, in quâ plus ducenti erant præsentes Doctores theologi, omnes Papicolæ, non secùs quàm tu, te tuamque sectam condemnârunt. Censuram illorum hîc ego subiiciam, vt nôrint omnes, quod sit celeberrimæ vestræ Academiæ de vobis iudicium.

Anno Domini 1554. die verò primâ Decembris; Sacratissima Theologiæ facultas Parisiensis, post Missam de S. Spiritũ, in ede sacrâ Collegij Sorbonæ, ex more celebratam, iam quarto in eodem Collegio per iuramentum congregata est, ad determinandum de

de duobus Diplomatibus, quæ duo sanctissimi Domini summi Pontifices, Paulus III, & Iulius III, his qui societatis Iesu nomine insigniri cupiunt, concessisse dicuntur. Quæ quidem duo diplomata Senatus seu Curia Parlamenti Parisiensis dictæ facultati visitanda & examinanda, misso ad rem Hostiario, commiserat.

Antequàm verò ipsa Theologiæ facultas, tantâ de rè tantiq; ponderis, tractare incipiat, omnes & singuli Magistri nostri palã atq; aperto ore professi sunt, nihil se aduersùs summorum Pontificum authoritatem & potestatem aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Imò verò omnes & singuli, vt obedientiæ filij, ipsum summum Pontificẽ; vt summum & vniuersalem Christi Iesu Vicarium, & vniuersalem Ecclesiæ Pastorem (cui plenitudo potestatis à Christo data sit, cui omnes vtriusq; sexus obedire, cuius decreta venerari, & pro se quisque tueri, & obseruare, teneantur) vt semper agnouerunt & confessi sunt, ita nunc quoque sincerè, fideliter, & libenter agnoscunt, & confitentur. Sed quoniam omnes, præsertim verò Theologos, paratos esse oportet ad satisfactionem omni poscenti de his, quæ ad fidem, mores, & ædificationem Ecclesiæ pertinent; dicta facultas, poscenti, mandanti, & exigenti Curiæ prædictæ satisfaciendum duxit. Itaque vtriusque diplomatis, omnibus frequenter lectis articulis, repetitis, & intellectis, & pro rei magnitudine per multos dies, menses, & horas, pro more priùs diligentissimè discussis & examinatis, tùm demùm vnanimi consensu, sed summâ cum reuerentiâ & humilitate, rem integram correctioni sedis Apostolicæ relinquens, ita censuit. Protestatio contra factum ridiculæ est.

Hæc noua societas, insolitam nominis Iesu appellationem sibi vendicans, tam licenter & sine delectu quaslibet personas quantumlibet facinorosas, illegitimas, & infames admittens, nullam à sacerdotibus secularibus habens differentiam in habitu exteriore, in tonsurâ, in horis canonicis priuatim dicendis, aut publicè in templo decantandis, in claustris, & silentio, in delectu ciborum & dierum, in ieiuniis & alijs variis ceremonijs (quibus status Religionum distinguntur & conseruantur) tam multis, tamque variis priuilegijs indultis, & libertatibus donata, præsertim in administratione sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ, idque sine discrimine locorum aut personarum, in officio etiam prædicandi, legendi, & docendi, in præiudicium Ordinariorum, & Hierarchici Ordinis; & praiudicium quoque aliarum Religionum; immò etiam Principum & Dominorum temporalium, contra priuilegia Vniuersitatum; denique in magnũ populi grauamen, RELIGIONIS MONASTICÆ HONESTATEM VIOLARE VIDETVR; studiosum, pium, & necessariũ, virtutũ, abstinentiarũ, ceremoniarũ, & austeritatis eneruat exercitium: immò occasionem dat liberè apostatandi ab alijs religionibus: debitam Ordinariis obedientiã & subiectionẽ subtrahit; Dominos tam Temporales quàm Ecclesiasticos suis iuribus iniustè priuat; perturbationẽ in vtraq; Politiâ, multas in populo querelas, multas lites, dissidia, contentiones, emulationes, rebelliones, variaq; schismata inducit. Itaq; his omnibus, atq; alijs diligenter examinatis, & perpensis, HÆC SOCIETAS VIDETVR IN NEGOTIO FIDEI PERICVLOSA, PACIS ECCLESIÆ PERTVRBATIVA, MONASTICÆ RELIGIONIS EVERSIVA, ET MAGIS AD DESTRVCTIONEM QVAM AD ÆDIFICATIONEM.

Hæc censura certè, si qua alia, apud Papicolas debet esse grauissima: Illam tamẽ cõtra vos à me, aut ab aliis, quos Caluinistas vocas, allegari, pondus nullum habebit: dices enim leuiusculum illud esse, & à Papa illam censuram esse reuocatam, & ab Inquisitione Hispanicâ, tanquàm hæreticam, improbatam. Pape! Quid audio? Ergò Papicolæ inter se magis dissident, quàm Lutherani & Caluinistæ, aut ego cum Beza. Sed hîc non quiescam; vlteriùs progrediar. Lis vobis mota est in Parlamenti summâ Curiâ, ab vrbe & ab ipsâ Vniuersitate Parisinâ. Extant orationes doctissimæ eorum, qui partes Academiæ & totius Cleri contra vos egerunt: vestri mores graphicè in illis depinguntur: illas meritò Iesuiticas quis dixerit. Quid pluribus opus est? Ingens volumen ex pugnantibus vestrorum Doctorum sententiis colligi potest. Concilia vestra Conciliis, & Papæ Papis, qui in fide errare non posse creduntur, ab inuicem totis decretis dissident. Idcirco tamen fidem illis abrogandã non arbitraris. Si verò illa cõtra vos aliquis nostrûm in re controuersâ allegauerit, tanquã nullius hoc sit ponderis, vos contemnetis. Et tu meas scriptâ, quẽ Caluinistã vocas, contra Caluinistas citare audes?

Beza Christianâ libertate vsus in Ecclesia, suam sententiam de Episcopis & Presbyteris dixit; ego similiter eadẽ libertate, incolumi amicitiâ & societate Christiana, quid mihi videatur, toti mundo declaraui, generalis liberi Concilij iudicium & decisionem expectantes. Quod D. Beza scripsit, articulus fidei non est. Ipse pro articulis fidei sua mundo non obtrudit, sicut vester Papa sua decreta facit. Nugaris, quandocunq; mea scripta adfers ad sedis pestilentiæ Monarchiam defendendam.

Præterea, tu malâ fidẽ mea verba refers, hoc est (stylo Bellarminiano tuoque) audacter mentiris: quòd scripserim in Synodo, quæ celebrata fuit Anno Dom. 1588. interfuisse concionatorum & catechistarum numerum, septies mille quadringentos sexaginta tres. De quâ re, quid potissimùm mirer & culpem, an tuam impudentiam & oscitantiam, an malitiam, an ignorantiam, nescio. Hæc tu in aliis passim te demirari clamitas. Ecce, quæ tu ipse posuisti, verba repeto.

In celebratâ Synodo (inquis) *Anno Domini 1588. inuentus est numerus concionatorum & catechistarum in hoc Angliæ regno, septies mille quadringenti sexaginta tres: inter quos numerabantur Doctores Theologiæ titulo ab Academijs honorati centum quadraginta quinque, & vtriusque iuris triginta vnus, Bachalaurei Theologiæ trecenti quadraginta octo, artium Magistri mille octingenti, Iuris Bachalaurei viginti & vnus, & liberalium disciplinarum nongenti quadraginta sex, Catechistæ bis mille septingenti quadraginta sex.* Hæc mea verba Gretzerus interpretatur de consessu in Synodo; cùm non scripserim, illum concionatorum numerum ibi comparuisse, sed tunc temporis in toto Angliæ regno extitisse, sicut in illâ Synodo ex collatione catalogorum, quos singuli Episcopi secum attulerant, apparuit.

Homo tamen falsus hîc videri gestit, quandò insulsissimè per admirationem me interrogat; *Cur Sarauia Regis*, hoc est, *Monarchæ, & omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum Capitis in Regno Anglicano, nullam penitùs mentionem fecit?* Quod Regem nostrum attinet, cui nomen Capitis Ecclesiæ Anglicanæ inuides, ipse nihil habet cõmune cum tuo Papâ, qui se iactat Petri successorem, & Christi Domini nostri per vniuersum orbem vicarium, *& in templo Dei* (hoc est, in Ecclesiâ) *sedet, tanquam ipse sit Deus.* Synodi, quæ, Rege nostro iubente, à Primate Anglicanæ Ecclesiæ conuocantur, in nomine Christi conuocantur & conueniunt: in quibus Regis nostri non aliæ sunt partes, quàm fuerunt olim Martiani Imperatoris in Concilio Calcedonensi; & quàm erant Dauidis in Israele, quandò simul cum nobilibus & principibus populi Dei aduocauit sacerdotes & Leuitas, vt ordinem & officia Templi in cultû Dei constitueret, & cuique tàm in Reipublicæ negotiis, quàm templi Ministerio, prouincias distribuerit. Nobis Capitis vocabulum non vlteriùs extenditur, quàm apud Hebræos *Rosh*, quod passim in sacris literis occurrit, aliúdque nihil significat, quàm caput, & per Metaphoram principem. Ab illis vsum, & veram huius vocis significationẽ accepimus. Itaq; quæ fuerunt olim partes in Conciliis & Synodis datæ Christianis Imperatoribus & Regibus, illas eadem Regi Christiano (siue is sit noster, siue aliarum gentium) nulli Ecclesiarum Episcopi negare possunt. Quàm sit inepta hæc tua hoc loco interrogatio, Gretzere, ipsum te iudicem cedò: si modò mea scripta velis attentiùs legere, ipse inuenies illîc me non narrare, ex quo hominum genere constituta fuerit illa Synodus, quique ibi adfuerint: sed tantùm propter detractatores & maledicos, qui mendacitèr Ecclesiam Anglicanam criminantur, quòd verbi Dei concionatores raros & perpaucos habeat, & contenta sit indoctis hominibus, qui liturgiam in templis tantùm recitent. Tu, candide lector, ipse meum librum lege, & quæ sit Gretzeri in aduersariorum scriptis citandis fides & integritas, notato.

Vide, obsecro, quid in Epistolâ ad lectorem præfatus sim: & inuenies Gretzerum nullam habuisse causam calumniandi illa, quæ de Episcoporum gradu, & Presbyteris, & Diaconis laicis scripsi, ad probandos errores Papisticos. Hæc mea verba sunt; *Nulla est inter nos de religione controuersia: sed quomodò optimè inter homines cõseruari, atq; propagari possit, disputatio hæc amica & fraterna à D. Bezâ mecũ susceptа est: in quâ tum mihi tũ ipsi, in disputationis feruore, humanitùs aliquid si fortè accidit, Christianã charitatẽ inuiolatam mansisse & mansurã confido. Mihi permolestum accidit D. Bezam toto suo libro contra me argumentari, tanquam contra eum, qui tyrannidẽ & dominationẽ*

Episcoporum

Episcoporum defendat: & quòd mea verba in eum sensum transmutat & transfert, vt ipsi libet: quàm in re mihi iniuriam ab eo fieri arbitror. Nam etsi mihi non persuadeo, id per malitiam aut calumniam, sed errore, nescio quo, factum; non potui tamen non commoueri magis, quàm vellem: quod ipse tantò facilius debet ignoscere, qui idem, tum mea legendo, tum ea quæ scripsit clarissimus vir D. Sutliuius, passus esse videatur. Qui cùm nusquam eum non honorificè compellet, Conuitiatorem tamen eum vocat. Quamuis enim ipsius rationes plerisque in locis libri sui refellat; id non facit, vt eum oppugnet, sed vt Anglicana Ecclesia reformationem defendat, contra quosdam, qui immoderatius ipsius authoritate & nomine, quàm decuit, in suis scriptis abuti videntur. Quocirca mihi necessarium iudicaui, vt hîc totam D. Bezæ responsionem cum meo tractatu insererem: vt lector, sicubi fortè aut ipse aut ego nos non rectè intelligimus, notare possit (ne nobiscum erret) quid erremus; & melius videat, quid sit quod disputamus. Nam Dom. Beza me non rectè accipit, & nonnunquàm, non tàm contrà me, quàm contra sui ipsius cogitationes, disputat. Mihi idem posse euenire putaui. Cùm itaq; præter veritatis cognitionem neuter nostrûm sibi quicquam aliud propositum habuerit, vtriq; existimationē integram apud lectorem manere velim.

Hîc habes, amice lector, meam mentem & meum animum, diuersum ab animo & mente Gretzeri: cui nihil aliud propositum fuit, quàm quouis modo, arte consutis centonibus ex aduersariorum scriptis sui idoli tyrannidem propugnare. Ex Homero & Virgilio centones ingeniosi etiam pueri possunt colligere, quibus tota Domini nostri natiuitatis historia & passionis narrabitur: quod ne per somnium quidem poëtæ illi cogitârunt. Ita nostrorum hominum scriptis Gretzerus abutitur, & eos scripsisse dictitat, quod nunquàm ipsis in mentem venit. Qui cùm & ætatem & eruditionem habeant, Gretzero respondere possunt, si videbitur. Quod me attinet, nunc ad ipsius respondebo calumnias, & à capite nono & decimo libri quinti defensionis Bellarmini incipiam, sed meo more. Iam plus satis cum Cretensi cretizaui.

Odio Pontificis (inquit) *eò progrediuntur nonnulli ex sectarijs, vt contra Caluinianorum & Lutheranorum multis in locis, atque adeò suam ipsorum cōsuetudinem, palàm scribere & contendere non vereantur, cum verbo Dei pugnare, vt idem sit Princeps Ecclesiasticus & Politicus simul.*

De odio Pontificis quòd Gretzerus conqueritur, nihil est, nisi iniustum esse probauerit. Impietas enim Pontificis eò creuit, vt piis omnibus ipsius nomen, æquè vt Diaboli, odiosum esse debeat. Si vos cum Dauide de nobis sine iustâ causâ dicere audetis illud Psalmi 138. *Nonne qui te oderunt, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Meliori iure idem nos posse de vobis omnibus, & imprimis de Rege, quem vobis constituistis, dicere possumus. Illum enim Paulus 2. *Thess.* 2. *cap. hominem peccati & filium perditionis* vocat: quem nec tu, nec tuus Bellarminus vnquàm apud Deum & homines iustificare poteritis. Scripta vestra mera sunt sophismata, vt hîc statim apparebit. Quandò ais, *nonnullos ex sectarijs cum verbo Dei pugnare*, &c, dicere debuisti omnes. Erras, si quem Protestantium arbitraris docere, & docuisse, eundem hominem esse posse principem Ecclesiasticum simul & politicum, eo sensu, qui à te defenditur.

Principis vox variè accipitur: quod Gretzerus non ignorat. Primò, significat illum qui excellit in aliquâ facultate & scientiâ, adeò vt primus dicatur in illâ arte: quo sensu, Plato & Aristoteles dicuntur principes Philosophorū; Demost. & Cicero, Oratorū; Galenus & Hippocrates, Medicorum; Petrus verò & Paulus, Apostolorū. Deindè, Principes illi dicuntur, qui imperiū habent in alios, quamuis non semper absolutū, nec proximè à Deo acceptum, sed est hominum beneficiū, nempè Regis vel Imperatoris: qui directi sunt prouinciarum Domini, & in feudum illas dederunt Nobilibus, & Episcopis, vt illos tum sibi, tum regnis suis haberent magis deuinctos. Postremò, absolutè

Princeps dicitur, qui superiorem præter Deum agnoscit neminem; estque directè Dominus omnium terrarum & populorum, qui sub regno & imperio eorum continentur: & quicquid alij sub ipso Principes, siue Ecclesiastici, siue nobiles sint, possidet, ipsius beneficium est. Talem principatum cõsistere cum Ecclesiastico ministerio, omnes negamus: quodcunque illi detur nomen, siue Ducatus, siue Comitatus, æquè ac Regnum & imperium. Idem enim Episcopus Christianus simul & Imperator, vel Rex, vel Princeps, qui superiorem nullum habet, esse non potest. Ratio, eaq; simplex, hæc est: Quòd Episcopos, & Archiepiscopos, & Patriarchas, legibus & canonibus subiectos esse oportet; nullaq; ijs debeatur obedientia, nisi canonica: & à quibus prouocare liceat ad Synodũ & Concilium. Alia autem est Regis ratio, qui legibus absolutus est, & supra omnes leges, & superiorẽ non habet, à quo nulla datur appellatio. Episcopatus potestas multis canonibus est circumscripta, quæ simul consistere cum authoritate regiâ nequit. Dominatio enim quædam est, quam in Episcopatu Dominus esse noluit.

Quandò principatum simul cum Episcopatu geri posse disputamus, nos hoc intelligimus, quatenùs Episcopatum non tollit, & reipublicæ vtile est & necessarium. Morositatem illorum Theologorum improbamus, qui Ecclesias in hâc re turbant, contra mentem Domini nostri Iesu Christi: qui idcircò ab omni regia dominatione Apostolos interdixit, ne Respubl. & dominationes, ad quas mitrebãtur, turbarent: non quòd inepti ad quasuis dominationes essent, vbi legitimè vocarentur, & moderatio illa posset adhiberi, quæ retineret Episcopum: hoc est, Ecclesiæ Pastorem legibus Ecclesiasticis subiectum. Quod cùm in summo imperio fieri non possit, Romani Papæ mundanum imperium cum Episcopatu & cura Pastorali, quam profitetur, non posse consistere asserimus. Idem dicimus de quouis alio principatu, qui Episcopum non sineret per Canones in ordinem cogi. Et hanc esse meam sententiam, *si mens non læua fuisset*, intellexisse potuisti.

Sed verba quædam mea contra meum sensum, vt per Caluinistam Caluinistas iugulares, allegare voluisti. Hoc tibi efficacissimum & subtile argumentandi genus visum est. Si qui apud Germanos aut alibj sunt Episcopi, quicunque illi sint, tam Papistæ, quàm Protestantes, qui propter potentiam sui principatus canonibus & regulis Ecclesiasticis subiecti non sunt, huiusmodi principatum cum Episcopatu coniungi posse negamus. Nulli orthodoxi nostrarum partium theologi in hâc re ab inuicem variant.

Quod igitur ais, nos probare in nostris Episcopis, quod in vestris Papisticis damnamus, falsum est. Non rectè, quod scribimus, accipis. Quicquid autem de hâc re scripsimus, propter vestros Episcopos scriptum fuit: ne morositas quorũdam Theologorum illos offenderet, & ab Euangelij doctrinâ deterreret. Quicquid præterea Gretzerus addit, mera verba sunt, hominis, qui suum lectorem credere voluit, nos scripsisse, quod ipsius attestante conscientiâ (nisi vehementèr fallor) nouit non scripsisse, illo sensu, quo nostra scripta citat.

Quòd Episcopi in Anglia locum tenent inter Regni magnates, nihil habere absurdi, quandoquidem Ecclesiæ & Regno est vtile; rationibus, quibus potui, & quæ tunc mihi occurrebant, simplicitèr docui. Sed quid hoc, ad principatum Papæ? Si Papa contentus suo Patriarchatu esset, & inter proceres Italiæ, vel vrbis Romanæ, sub Imperatore Domino suo, in comitiis vel in senatu sententiam suam de Republ. dicere; & essent, qui odio & malitiâ hoc ei negarent, quòd Episcopus esset; vt ab illis dissentio, ita me illis totis viribus opponerem, si Romæ aliquo loco essem. Sciat igitur Gretzerus oportet, ab orthodoxis contra Papam non de quouis principatu disputari, sed de illo, quem sibi in omnes illas regiones, quas patrimonium Petri vocat, atque adeò in Ecclesiam vniuersalem vendicat. Quem Christus ei nunquàm dedit, nec vnquàm ab vllis Regibus vel Conciliis dari potuit: &, vt dedissent, ab ipso recipi fas non fuit.

Gretzerus, vt est homo acutus, & ad quiduis in vtramque partem disputandum promptus, more vulpino, per specioſas ambages in labyrinthum suos lectores deducit, vt illos innumeris implicet circuitionibus, ex quibus pòst explicare sese nequeant.

Eâdem

Eâdem arte Bellarminus vtitur, vt probet, sui Papæ tyrannidem esse Monarchiam à Domino Iesu Christo institutam: latè de Monarchiâ, & Aristocratiâ, & Democratiâ disputat; & Monarchicum imperium esse optimum, de quâ re nulla est controuersia. Frustrà disputatur de thesi, de quâ nihil dubitatur, quandò de hypothesi tota est controuersia. Quia Monarchicum imperium est optimum, non indè conficitur, quoduis imperium Monarchicum esse optimum. Tyrannicum imperium est Monarchicum, quod constat esse pessimum. Tyrannicum autem esse tàm in clerum, quàm in omnem populum Christianum Papæ imperium, omnes orthodoxi Doctores contendunt, & ex Dei verbo, vsúque veteris Ecclesiæ, veritatis amatoribus luce clarius demonstrârunt.

Hinc apparet, Gretzere, quàm sint falsa & calumniarum plena, quæ his verbis nobis obiicis & exprobras:

Si quæras, Quomodò igitur, saluis & illæsis hisce sacræ Scripturæ sententijs, Lutherani quidam Episcopi, principes Ecclesiastici & politici simul esse queant: in promptu est responsio, eam esse Lutherani Euangelij vim & potentiam, vt duo hæc alioquì contraria copulare, & amico nexu compingere possit: non quidem in subiecto Catholico, sed in Lutherano. Hoc enim vtriusque dignitatis capax esse, non illud. Quòd si aliquis generalis Super-intendens principatum tẽporalem Papæ, & omnes illius prouincias teneret, atque adeò princeps politicus esset, id, istorum iudicio, Ecclesiasticæ tametsi commentitiæ Super-intendentis functioni nihil officeret. Omnia rectè haberent, omnia ad Euangelij gloriam amplificandam spectarent. In solo Papâ his plusquàm monstrosum apparet, vt politicus sit paritèr & Ecclesiasticus princeps.

Has meras esse calumnias, candide lector, facilè quiuis ex his, quæ diximus, videre potest; sicut & illa, quæ addit de Episcopis Anglicanæ Ecclesiæ, his verbis:

Pseudo-archiepiscopi & Episcopi in Angliâ locum tenent inter principes & proceres regni, ampliſque, vt olim, cùm Catholica religio regnaret, prouentibus gaudent, & feuda à Rege obtinent. Vno verbo, Ecclesiastici simul ac politici principes sunt ac proceres: tantùm abest, vt aliquid absurditatis hac in re Caluinistæ Angli, qui non sunt de Puritanorum scholâ, deprehendant, vt Adrianus Saravia Caluinianus, libro secundo de diuersis Ministrorum Euangelij gradibus, id, tanquàm rectè factum, copiosè tueatur, eorúmque argumenta prolixè refellat, qui contendunt ciuilem iurisdictionem, externum splendorem in titulis, in comitatu, ac honores, quos feuda annexos habent, non conuenire cum simplicitate ministerij Euangelici. Docet insuper, fas esse Episcopis ciuiles contentiones audire, & eas dirimere. Accuratè respondet ad obiectiones ex disputatione discipulorum, Quis eorum esset maior, & ad dicta, quæ occasione huius disputationis Christus protulit. Et si, inquit, domestica rei necessitas excusat Ecclesiæ Pastorem interdùm curis secularibus, & externo manuum labori vacantè: multò magis excusabit necessitas reipublicæ. Textor (inquit) fossor, & arator, Euangelij Minister citra violationem sui Ministerij esse potest. Regius verò legatus, consiliarius, aut Cancellarius esse non potest? Vndè, obsecro, in Republica Christianâ hæc nata est Theologia? Ab amore, an ab inuidia?

Quem principatum politicum cum Episcopatu geri posse disputauimus, ex ijs quæ diximus, quiuis intelligere potest: & Gretzerus non ignorat, fallacem esse argumentationem, quandò ab hypothesi ad thesin, aut à particulari ad vniuersalem propositionem argumentamur. Disputaui, si postulet Regni Regisuè necessitas, aut publica inuitet vtilitas, Angliæ Episcopos, & alios quosuis prouinciam politicã posse suscipere: sed

re: sed inde malè infertur, quemuis principatum posse ab Episcopo gubernari; multò minùs illum, quem inuasit Romanus Papa. Sed Gretzerum Bellarmini defensorem contra Sutliuium audire, operæ pretium est.

Primum argumentum sumit Bellarminus ex veteri Testamento, quia Melchisedec Rex & Sacerdos fuit, Moyses summus Dux populi & summus Pontifex. Item Heli, & Machabæi, Iudas, Ionathas, Simon, Iohannes. Respondet Sutliuius non valere argumentum à tempore legis naturæ & Moysis ad nostra tempora. Quare non valet? Dic, quæso, Caluinista. Potuerunt olim sociari & amico fœdere iungi principatus politicus, & sacerdotium, seù summus Pontificatus. Quid obstat, quò minùs hodiè sacerdotium & politicus principatus in eodem homine simul consistant? Potest hodiè primatus Archiepiscopalis Cantuariæ in Anglia iungi cum politico dominatu: cur id fieri nequeat extra Angliam? Sunt Angliæ pseudo-episcopi proceres politici, & Principes regni: & Germani Episcopi non poterunt esse principes sacri Romani Imperij?

Sutliuij argumentum validius esse, quàm vt à Gretzero infirmari possit, facilè, qui animum præiudiciis non habent occupatum, intelligunt. Non valet, inquit, argumentum sumptum à statu legis naturæ & Mosis, ad statum Ecclesiæ noui Testamenti sub Christo. Alia fuit politia Ecclesiastica sub primis Patribus, alia sub lege, alia post legem. Fuit enim ante Christi tempora principatus coniunctus cum sacerdotio: & disciplina illorum temporum erat gladio, ad coercendum malos armata. Seruator noster externum & ciuilem principatum ab Ecclesiæ suæ gubernatione abstulit: quia ipsius regnum non est terrenum, sed cœleste & spirituale. Quùm autem Apostoli intelligerent se ad Ecclesiæ gubernationem vocari sub Christo Rege, aliud regnum, aliud regni regimen, ante receptum spiritum sanctum, cogitare non poterant diuersum à regnis gentium, nec diuersam gubernationem ab illâ, quam videbant in sacerdotio Leuitico, & fuisse olim apud Patres nouerant.

Bono consilio sapientia diuina gubernationem Ecclesiæ suæ armatam esse noluit, nè Apostoli spirituale Domini nostri regnum cum regnis huius mundi cõfunderent, & rerumpublic. ad quas mittebantur, statum turbarent. Priuatos Ecclesiæ Ministros inter gentes viuere voluit; ne occasio esset Regibus & Principibus oblata reiiciendi Euangelium, & ipsos Apostolos, tanquàm seditiosos, & publici statûs perturbatores.

Quod non ita à me dictum accipi velim, acsi Euangelio publicâ authoritate recepto, non fuerit mutata Apostolorum & aliorum Euangelij Ministrorum conditio, vt nullam cum imperio partem Reipublicæ, si legitimè vocarentur, possent attingere, modò illa conditionem Euangelici Ministerij non tollat. Hîc habes, Ignatiane, quod à Caluinistâ quæris, quis principatus politicus, & quare, olim cùm sociari & amico fœdere iungi cum sacerdotio potuerit, hodiè in eodem homine simul nequeat consistere: nemo hodiè Episcopus simul & Rex esse potest? Quandò quemuis principatum cum regno & Monarchicâ potestate confundis, sophistam agis, & teipsum, ac tuos lectores miserè fallis. Potest hodiè primatus Archiepiscopalis Cantuariæ in Angliâ iungi cum aliquo politico dominatu, cum Regio verò minimè. Idem iudicamus de cæteris omnibus Episcopis & Archiepiscopis, siue Germani illi sint, siue Galli, siue Hispani. Quod damus Archiepiscopo Cantuariæ in Anglia, Episcopis & Archiepiscopis, qui principes sunt Romani imperij in Germaniâ, non negamus. Sed pergamus audire Gretzerum.

Licèt, inquit, *Caluinista olim vnus præfuisset vni familiæ in rebus sacris & profanis: non tamen propterea existimandum est, vnum hominem toti terrarum orbi in rebus omnibus præesse debere. Quo te fert vertigo, Caluinista? Nõ agitur hoc in præsenti; an vnus toti orbi præsidere queat vel debeat? sed nùm vnus & idem possit paritèr esse princeps Ecclesiasticus, & Politicus? Hoc hîc à*

Bellarmino

Bellarmino probandum est, non quod tu extra metas ſaltitans ingeris. Cuius generis est & illud, Malè Romanum Pontificem cum Melchiſedec comparari. Hunc enim fuiſſe regem pacis & iuſtitiæ; Romanum Pontificem nec pacem nec iuſtitiam colere. Conuitia hæc ſunt. Non comparatur Papa hoc loco cum Melchiſedec: tantùm hoc concludit Bellarminus, Melchiſedec fuit Rex & Sacerdos: ergò iam quoque politicus principatus & ſacerdotiũ in vno eodẽque homine copulari poſſunt.

Quô te fert vertigo, Caluiniſta? inquit Gretzerus. Cui ſi reſpondeatur, Quo te fert veſanus furor, Papiſta? par pari fuerit relatum. Sed mihi hoc ſcribendi genus non placet. Deducere lectorem per varios anfractus & circuitiones, non eſt rectâ viâ ad veritatem lectorem ducere, ſed per obliqua ab illâ abducere. Qui ſeriò veritatem propugnant ipſam rem loquuntur citra vllam tergiuerſationem, nec patiuntur ſophiſticas moras.

De Melchiſedeco, de Moſe, & de Machabæis, quod fuit allegatum à Bellarmino, hûc tendit, vt demonſtretur in Papa Regnum cum Sacerdotio iungi poſſe, ſicut in illis Heroïbus olim illa concurrebant: non, vt tantùm aliquis principatus apud Chriſtianos conſiſtere poſſe cum Epiſcopatû demonſtretur. Sed omiſsâ illâ prolixâ diſputatione, ipſam rem Caluiniſta tuus, ſophiſticæ moræ impatiens aggreditur; & oſtendit aliam eſſe rationem huius temporis ſub Chriſto, aliam temporis legis naturæ, vel Moſaicæ. Et duabus de cauſis comparationem reiicit. Prima, quòd diuinâ ordinatione tunc Religionis adminiſtratio cum Regia poteſtate fuerit coniuncta, vt patet in Melchiſedeco & Abrahamo: hodiè verò eſt prohibita. Sub Moſe incepit diſcrimẽ conſtitui inter religionis miniſterium, & reliquas populi gubernationis partes, quandò ad certam tribum & familiam ſacerdotium fuit alligatum: vt illud nemo, nec ipſi reges inuadere abſque impietate potuerint. Et extra ordinem factum eſt, diſpenſante Deo, quandò regiam gubernationem ſacerdotes in ſe aſſumpſerunt, temporis neceſſitate poſtulante. Præterea, morum cenſura ſub vtriſque fuit armata: ſub Chriſto alia eſt diſciplinæ ratio.

Altera cauſa eſt, quòd illi principatus fuerint aut vnius gentis & populi, aut vnius familiæ: Papæ verò principatus eſt immenſus ſupra vniuerſum terrarum orbem; cuiuſmodi nullus vnquàm fuit, aut eſſe potuit. Vertigine laborantis, mi Gretzere, iſtæ rationes non ſunt: ſed hominis prudentis & docti, qui fallaciam exemplorum aduerſarij ſui propter lectorem, ſano iudicio & ratione detegit; non alieno loco & tempore, vt tu iactitas, ſed quàm maximè opportuno; ne præiudicium veri ſpecies ingeneret lectoris animo, antequàm ad rem veniatur. Id tibi & Bellarmino eripi dolet, & idcircò in has amaras & bilioſas voces tua erumpit oratio. *Quo te fert vertigo, Caluiniſta?* Nihil magis ſuo loco dici potuit, quàm hoc eſt, quod reſpondet D. Sutliuius; nempè quòd Deus nunc aliam politeiam & formam gubernandæ Eccleſiæ inſtituit. Quod verò ſubnectit Gretzerus, videamus.

Num, inquit, *talem, quæ politicũ principatum penitùs à Principibus & Antiſtitibus Eccleſiæ excludat? Negat hoc fortiſsimè Sarauia. Negat hoc idẽ Sutliuius proculdubiò in ſuis chartis, quas, teſte Sarauia, pro Epiſcopis Anglis contra Puritanos ſcriptitauit, & euulgauit. Et hîc odio Pontificis aliud blaterat.*

Negamus conſtanter docuiſſe nos Eccleſiæ gubernationem, quæ penitùs politicum principatum ab Eccleſiarum Antiſtitibus excludat. Contrarium in noſtris ſcriptis nõ inuenietur. Qui à Regiâ Dominatione, & Monarchicâ ciuili poteſtate, Epiſcopos & Archiepiſcopos excludit, non penitùs ab omni principatu ciuili excludit. Ego nuſquàm quemuis principatum politicum cum Euangelico Miniſterio, ſiue Epiſcopatus, ſiue Archiepiſcopatus illud dicatur, coniungi poſſe propugnaui. Qua in re D. Sutliuium mihi nuſquàm aduerſari certò ſcio: fuit enim cõſcius meorum Tractatuum, quos primò de hâc re edidi. Odio Pontificis nihil à me dictum vnquàm, factumue eſſe,

Deum

Deum testari possum. Aliud est odium ambitionis & tyrannidis Pontificiæ, aliud odium personæ. Odisse personam quis potest, qui non oderit ipsius tyrannidem: & contrà erunt & sunt, qui odio habent illam tyrannidem, & non ipsum Papam. Quicquid illud est, quod de principatu ciuili Episcoporum, quicunque illi sint, scripsimus, nihil causam Bellarmini & Gretzeri iuuat, ad stabiliendum regnum Papæ, & potestatem, quam sibi vendicat in omnes Christi Ecclesias, atque in vniuersum orbem.

Sed cum scopus, quo isti collimant tanto conatu, & tot volumnibus, sit, vt probent Monarchicam esse Ecclesiæ supremam gubernationem, non Aristocraticam, sicut omnes nostri scriptores, qui de hâc re scripserunt, & quos me legere contigit, tum ex Dei verbo, tum ex veteris Ecclesiæ primorum temporum vsu, luce clarius docuerunt: operæ pretium est, vt demonstrem illud etiam efficacissimè factum esse à doctissimis Romanæ Ecclesiæ Theologis. Ipsos igitur, ipsorumque hûc sententias inferendas esse duxi. Veros Papistas, non à me fictos, qui non erant, contra veros Papistas, citauero: vt deinceps nos missos faciant, & contra illos disputent; supremam Ecclesiæ gubernationem non esse Aristocraticam. Concilium Constantiense definiuit, Concilium esse supra Papam: vndè consequitur summam Ecclesiæ gubernationem non esse Monarchicam. Concilium compositum est ex Episcopis, qui sunt Ecclesiæ proceres, ad quos appellatio est à Papâ; ab vniuersali autem Concilio ad Papam nulla.

In Concilio Constantiensi sessione quarta legimus:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, patris, filij, & spiritus sancti, Amen. Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Cõcilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & vnione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite & membris fiendâ, ad laudẽ omnipotentis Dei in spiritu sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs, & vberiùs vnionem & reformationem Ecclesiæ; ordinat, disponit, statuit, decernit, & declarat, vt sequitur.

Et primo, quòd ipsa Synodus in spiritu sancto congregata legitimè generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscunq; status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & membris.

Et in quintâ sessione declarat, quòd *ipsa Synodus in spiritu sancto legitimè congregata, Concilium generale faciens, & Ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunq; status vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in hu, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & membris.*

Et in Concilio Basilienſi, sessione secunda.

Et primò declarat, quòd ipsa synodus in spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris.

Alterius vero tenor sequitur in hæc verba:

Item declarat, quòd quicunq; cuiuscunq; status vel dignitatis, etiamsi papalis existat, qui mandatis, statutis, seù ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi, & cuiuscunq; alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seù ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit; nisi resipuerit, condignè pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

Hæc Decreta esse hæretica vos esse dicturos, non arbitror: quamdiù tamen stabunt frustrà

frustrà disputabitis Ecclesiæ supremam gubernationem esse Monarchicam.

Sed quoniam hæc decreta solâ nituntur authoritate Patrum, qui illis Conciliis interfuerunt: rationes & argumenta, quibus illius seculi Theologi hanc doctrinam, tanquàm veram & Christianam propugnârunt, ad verbum, vt in eorum libris extant, hîc inseram. Gerson Cancellarius Academiæ Parisiensis viginti considerationes scripsit, vt demonstret auferibilitatem Papæ, & Conciliorum authoritatem supra Papam; ex quibus pauca quædam excerpsi, vt lector videat, apud Romanistas, quàm non consentiant præsentia præteritis, & quæ disputat Gretzerus cum Bellarmino de Monarchiâ Romani Papæ, cum scriptis Gersonis & Nicolai de Cusâ.

De auferibilitate Papæ ab Ecclesia.

Consideratio 10. *habet,*

Auferibilis est in casibus dabilibus vicarius sponsus Ecclesiæ ab ipsâ Ecclesiâ: & hoc per eam, vel per Concilium generale repræsentans eam, vel per aliquos ad hoc per eam institutos: siue consentiat ipse vicarius, vel non consentiat suæ cessioni. Sumitur imprimis argumentum pro hac consideratione ex veritate præcedentis. Nam si vicarius sponsus potest resignare sponte ipsi Ecclesiæ sponte dando ei libellum repudij: cùm sponsus & sponsa non debeant quoad hoc impari iure censeri, poterit similitèr repudiare sponsum talem ipsa Ecclesia sponsa, dum par ratio vel potior adducitur pro ipsâ contra sponsum: vel quia prostituere quærit eam, quantum in se est, vel tyrannide sauâ tractare, laniando eam, vel placitando bona sua dissipando, vel quia abuti conatur eâ in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullũ gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem suam & vtilitatem communem. Patet ad Ephes. 4. et ad Corin. 6. Dedit vtiq; ad pacem eius, cuius fines posuit pacem, secundùm Psal. Et hanc operatur dilectio: propter quod finis legis ab Apostolo ponitur dilectio: in quâ etiam fundârit Christus officium pastorale. Si diligis me (inquit Christus Petro) pasce oues meas. Ioh. vlt. Sed quis non videat casus multos esse possibiles, quorum aliqui nunc tacti sunt, in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur; non vniretur, sed dissiparetur; non pasceretur, sed depasceretur: si non cederet voluntarius, vel eiceretur inuitus hic, qui in vicarium sponsum Ecclesiæ ritè & canonicè fuerat orainatus?

Casus non sunt remotiùs petendi aut excogitandi, rerum status, qui illis erat temporibus, & fuerat antè, nec indè quicquam mutatum est, præterquàm quod numerus pluriũ Paparũ, sub quorũ grauissimo pondere opprimebatur Ecclesia, sublatus est. In moribus nihil est mutatũ. Impij cultus, simoniaca hæresis, nũdinationes animarũ, scortationes. & immunditiæ nihilo minùs Romæ regnant, atque olim, quando hæc scripta sunt. Nihil eorum, de quibus hic author tunc conquestus est, & proposuit Concilio reformanda, emendatum fuit.

Obiicit sibi Gerson, *Nec est nec sit cuiquam illud admirationi, quod dicimus, quasi contrariantes illi Iussioni, Nolite tangere Christos meos: quomodò etiam vni singulari* Psalm. 104. *personæ fas esset, in casu violentiæ attentatæ per Papam, verùm contra castitatem suam vel vitam, vim vi repellere, cum appositione inculpatæ tutelæ: & ita licitè stabit, quòd tangat Papam violenter, vel in mare deiciat. Cur similitèr in casu non liceat idem toti Ecclesiæ, pro defensione suâ, et violentiæ attentatæ cautâ repressione?*

Tota Ecclesia intelligenda est, non quæ per vniuersum orbem diffusa est; illa neque per se neque per legatos vnquàm conuenire poterit: sed quæ est totius alicuius gentis, aut plurium vicinarum, vt Britannorum, Germanorum, Gallorum, & Hispanorum; quæ suam quandam generalitatem habent.

Consideratio 11.

Auferibilis est in casu vicarius Ecclesiæ per Concilium generale, eo non consentiente, vel inuito, celebratum. (Notetur hîc, & pluribus aliis in locis Generale Concilium, nolente & inuito Papâ, celebrari posse.) *Fateamur priùs, quòd regulariter Concilium generale non est celebrandum de iure etiam diuino, non vocante vel approbante Papa, si est vnicus:*

vnicus: nec aduersùs eum allegatio legitima. Lex, quam hîc constituit Gerson, in verbo Dei nulla est: illam sine Deo sibi-ipsi Ecclesia Romana constituit: audiamus tamen quod subiungit. *Sed regulæ generales, benè suscipiunt exceptiones, sicut in grammaticalibus, ita & in moralibus, præsertim vbi casus particulares incidunt modis variabiles infinitis: ad quas exceptiones ordinata est lex superior interpres aliarum, quam Aristoteles vocat ἐπιείκειαν, 5. Ethic. Et alia diuinior, quam γνώμην appellat in 6. Ethicorum. Hæc autem lex semper habet locum in interpretatione legum aliarum particularium, vbi deficere cernitur ratio, & finis institutionis ipsarum. Finis autem legum omnium, nedum humanarum, sed diuinarum, est dilectio, quæ vnitatem operatur. Sit ergò casus, vbi legis alicuius obseruatio dissiparet vnitatem, & obesset publicæ saluti* (Sicut plæræque omnes Pontificiæ leges faciunt) *quis ratione vtens diceret eam tenere oportere? Nimirùm nec sibi ipsi quisquam vellet hoc fieri: quantò minùs tota communitas rationabiliter hoc fugiet?*

Quòd si quis interrogaret, quâ authoritate fulcietur vel vtetur huiusmodi Concilium, acephalum, vt videtur, sine papa? Respondendum, quòd authoritate Christi capitis sui, & indefectibilis sponsi: authoritate prætereà legum suarum, tam diuinæ, quàm naturalis: quæ hanc licentiam vel necessitati, vel manifestè charitati, vel religiosè pietati concedunt. Pro quo facit textus Marci 2. de excusatione discipulorum vellentium spicas in sabbato per legem necessitatis confirmatam exemplo Dauid, qui comedit panes propositionis.

Consideratio 12.

Auferibilis est in casu vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam vel generale Concilium: nedum conciliatiuè, aut dictatiuè, vel denuntiatiuè, sed authoritatiuè, iudicialitèr, atque iuridicè.

Quod passim Gerson Papam vocat sponsum Ecclesiæ, videbimus suo loco. Interim quòd ait per Ecclesiam vel Concilium generale Papam auferri posse, hoc est, deponi authoritatiuè, iudicialitèr, & iuridicè, accipimus.

Præsupponamus, quòd iurisdictio idem est quod iuris dictio, seu potestas: vel iurisdictio est facultas propinqua dicendi ius. Et solet restringi ad coactiuam iurisdictionem, quæ fertur vel dicitur in alterum etiam inuitum. Sequitur protinùs ex hâc descriptione considerationis veritas: quomodò Ecclesia, seù Concilium habet in casu facultatem propinquam vel authoritatem, seù potestatem dicendi ius, etiam in alterum, qui in Papam fuit ritè susceptus & electus. Nolumus tamen impugnare, quin summus Pontifex habeat potestatem regitiuam, & duthoritatiuam respectu omnium hominum: quantum Christus voluit & cognouit expediens sibi dare pro exercendo eam. Non pro se tantummodò, sed magis ad vtilitatem Ecclesiæ; qualem authoritatem Ecclesia non habet totum Ecclesiæ residuum, nisi vnitiuè quodammodò, vel electiuè. Et ex istâ diuisione rerum est, quòd claues datæ sunt, nedũ vni, sed vnitati. Ex hoc tamen non habetur, quòd Ecclesia tota vel Concilium, absente Papâ, præsertim suo demerito, non possit authoritatiuam iurisdictionem exercere: sicut lex quædam diuina & indeuiabilis ad reducendum ipsum, vel corrigendum, vel compescendũ. Ne noceat ipse, nedum Ecclesiæ, sed sibimet, tanquàm phreneticus, vel vt pessimâ malorum passionum ebrietate seductus: sicut enim tradit Aristo. 5. Polit. quòd ad communitatem totam spectat principis vel correctio vel totalis destitutio, si inemendabilis perseueret. Et hæc potestas inauferibilis vel inabdicabilis est à communitate liberâ, quæ de rebus suis facere potest ad libitum: nec per appropriationem vel aliquam legem potest suspendi: quantò magis hoc habebit Ecclesia?

Rectè Gerson dicit à communitate liberâ: aliàs oppressâ libertate communitatis id fieri non potest. Quisque sibi suæque salutis priuatìm consulere debebit.

Iudaizabat olim Petrus per dissimulationem. Paulus ei restitit in faciem, ad Gala. 2. Introducebat Petrus rem nouam in Ecclesia Dei; ad Centurionem gentilem intrauit, Act. 10. Subortum est murmur in Ecclesia, ita vt compulsus sit Petrus doctrinam insequi quam tradidit scriptis: vt scilicèt paratus esset coràm totâ Ecclesiâ rationem reddere de eâ, quæ in ipso erat, fide & spe; alioqui non sibi credidisset Ecclesia. Quantò fortiùs & rationabiliùs possunt duo contendentes, diffamati apud bonos & graues de schismate, de periurio, de hæresis suspicione, compelli rationẽ reddere, si se cognouerint innotentes? Sic Symmachus,

sic

sic beatus Marcellus, sic ipse Gregorius, sic alij plures iudicium subire Concilij, nequaquàm ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito & obligatione: quorum multos quia Concilium non reperit convictos de crimine, reliquit causam eorum examine iudicio Dei terminandum.

Consideratione 14.

Auferibilis est vicarius sponsus Ecclesiæ per ipsam Ecclesiam aut generale Concilium, quoad executionem licitam eorum omnium, quæ potestatem ordinis respiciunt, id est, quòd non licitè talia aget. Data quippe est Papalis potestas ipsi Ecclesiæ: & sua est, sicut est ipsius Papæ: quamuis alio, & alio modo. Sua est, inquam, & Papæ ad ædificationem Ecclesiæ, non ad destructionem. Potest ergò usus talis potestatis tolli, vel suspendi per Ecclesiam, ab eo qui vellet uti manifestè in perditionem Ecclesiæ, aut membrorum suorum, tali dignitate: undè & si potestas ordinis immediatè sit à Deo, sic etiam indelebilis: tum usus ipsius multùm dependet ab Ecclesiâ, & à rectoribus suis, qui vices eius exequuntur.

Papalem authoritatem si Gerson intelligit supremam Ecclesiæ gubernandæ authoritatem, satis intelligo illam esse datam Ecclesiæ & Concilio: sed quomodò simul etiam dari Papæ potuerit, non video. Quod ait, id alio & alio modo fieri, non tollit difficultatẽ. Illa enim potestas in Concilio vel Ecclesiâ est Aristocratica; in vno Papâ intelligitur esse Monarchica. Absurdũ est eandẽ potestatẽ esse simul Aristocraticam & Monarchicã: & hanc inferiorẽ, quæ regatur, illam superiorẽ, quæ regat authoritatiuè.

Et hîc fundabilis est possibilitas subtractionis vel suspensionis obedientiæ ab aliquo in Papam ritè electo. Nam quod obedientia tali præstetur, est præceptum affirmativum, quod nõ obligat pro semper, nec in perniciem Ecclesiæ. Si viderit ergò Ecclesia, quod præstare nunc obedientiam Papæ in administratione ordinum, sacramentorum, & similium, fieret Ecclesiæ perniciosum, & Papæ instrumentum malitiæ; cur non suspendere potest huiusmodi obedientiam, quousque nullum inobiendo cadat periculum? Hæc autem subtractio obedientiæ magis adhûc fundabilis est in his, quæ sunt temporalis administrationis. Sed vtrùm hæc obedientiæ subtractio, vel suspensio valeat per alium, quàm per Ecclesiam, vel generale Concilium? Fortè videretur respondendum negatiuè: præsertim si fiat sermo de subtractione generali, & authoritatiuâ, & quæ ligat omnes de Ecclesiâ in hoc stare.

Rectè dixit, *fortè:* quia summis imperiis Christianis illis eisdem iustis de causis, quibus Concilium generale permoueri potest, potestas abdicandi Papam, negari non potest.

Secùs est de subtractione particulari quo ad hos vel illos, quæ non fertur authoritatiuè, sed vel doctrinaliter, & insinuatiuè, vel necessitatis quadam inductione. Iubebit (exempli gratiâ) summus Pontifex coram Theologis expertis, quòd fideles credant, Spiritum sanctum non procedere à Patre & Filio: dicimus quòd Theologorum erit doctrinaliter resistere, & dicere, quòd sibi non obediatur.

Idem certè iudiciũ de quauis alia parte veræ Christianæ doctrinæ: quam Papa impugnat, & impugnari iubet.

Iubebit alter summus Pontifex, quòd vastetur regnum Franciæ igne & gladio: dicimus quòd Regis erit resistere & iubere, quòd ei non obediatur, sed resistatur: hoc enim fas est agere cuicunque, in quem vim illicitam vellet inferre etiam verus Papa. Non est pax: iubebit ipse idem, quòd vnio ad pacem Ecclesiæ non quæratur viis conuenientibus & congruis, aut etiam per eum iuratis, aut quòd Ecclesia nequaquàm congregetur, ne fortè ipsum eiiciat. Dicimus, quòd omnium catholicorum erit resistere, & non obedire.

Hic est contra papam casus omniũ Protestantium Germaniæ, Britanniæ, & Galliæ.

Quòd si sit aliquis, qui totam præsidentiam suam & papalem dignitatem conuertere velit in instrumentum nequitiæ & destructionis alicuius partis Ecclesiæ, in temporalibus vel spiritualibus: nec pateat sufficiens remedium aliud, nisi subducendo se ab obedientiâ talis potestatis sæuientis & seipsâ abutentis: & hoc, ad tempus, vel quousque Ecclesia vel Concilium prouiderit: hoc fas erit: dum tamen illud agere pia quædã impellat necessitas, non libido seu cupiditas assumendi improbè velamen malitiæ libertatem.

Et hic quoque est casus Regni Britanniæ, & Principum Protestantium Germaniæ.

Fatemur enim duo illa nullo modo debere fieri, nisi manifestis causis vrgentibus: ne in toto

corpore Ecclesiæ deterior & generalior scissura fiat, & inducatur, dum particularia membra consuescunt non obedire: sicut notat Arist. in Polit. Pessimum esse consuescere non obedire Principi siue Regi: quantò magis erronea & damnanda est assertio, quòd licet vnicuique subditorum, mox vt aliquis est tyrannus, ipsum viis omnibus fraudulentis & dolosis, sine quâuis auctoritate vel declaratione iudiciariâ, morti tradere? præsertim si addat hæc assertio, quòd tyrannus ille omnis est, qui non præest ad vtilitatem subditorum. Sed de hâc re alibi: de quâ viderint assertores.

Hunc errorem vel potiùs hanc hæresim nostri temporis quidam pestilentes Theologi, & imprimis Iesuitæ defendunt: sicut ex æditis de hâc re libris apparet.

Consideratione 16.

Auferibilis est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam, aut generale Concilium, vt dictum est: & dùm hoc euenit, probabile est, quòd magis fiat destitutiuè & iuridicè, quàm solùm declaratiuè, seu dictatiuè, seu consiliatiuè. Fuerunt duæ opiniones, de destitutione Papæ. Vna ponit, quòd Papa dum labitur in hæresin iam damnatus est, & eo facto per Deum depositus, & perdidit iure diuino Papalem dignitatem, siue hæc hæresis sit secreta, vt ampliant aliqui, siue sit manifesta, vt placet aliis loqui restrictiùs.

Papam de multis & variis hæresibus esse conuictum, Theologi nostri seculi omnibus fidelibus Christianis videre volentibus luce clariùs demonstrârunt. Ergò papalẽ omnem dignitatem perdidit, si quam vnquàm habuit: atque ita nulla ei debetur obedientia, & ei adhærere, est à Christo Domino deficere. Suam disputationẽ rectè concludit Gerson. Ibidem circa finem.

Nolo tamen propterà dicere, quòd semper sit obediendum tali hæretico, vel non resistendum, aut quòd sit appellatione Papalis dignitatis honorandus: quoniam in casu, sicut iam tactum est, posset Papa, verus manens Papa, licitè etiam ligari vel incarcerari, vel in mari demergi: quantò magis posset obedientia sibi vel reuerentialis dominatio denegari?

Consideratione 19.

Auferibilis est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam, etiam sine culpâ suâ, quamuis nõ sine causâ. Tangemus similiter casus aliquos. Vbi coram totâ Ecclesiâ vel Concilio generali proponeretur, & probaretur per testes, quòd Papa, qui fortè est detentus inter Saracenos, iam obijt: & cùm Ecclesia iam nõ possit cõmodè diutiùs remanere sine Papâ; videtur omninò, quòd in hoc casu Concilium poterit creare nouũ Papã: & cùm nõ possint esse duo simul, videtur quòd primus erit destitutus per Concilium. Posset etiã destitui, vbi cõstaret de vitâ: si de eo ablata esset spes omnis redeundi. Alter casus est, vbi quis ritè electus in Papã, efficeretur adeò inutilis, propter indispositionẽ coporalẽ, ac propter carentiã perpetuã vsus rationis: quòd per Concilium iam per eũ congregatũ, dum sanæ mentis erat, expediret alitèr prouideri de summo Pontifice. Alter casus est, vbi, post electionẽ canonicam alicuius in Papam per Cardinales, ipsi Cardinales omnes morerentur, priusquàm possent electionem suam canonicã publicare: cõstat, quòd Ecclesia non tenetur hunc recipere pro Papâ: & ita possent ad electionem alterius procedere. Alter casus similis stat cum priori, vbi nullo modo Cardinales etiam viuentes possent facere fidem sufficientẽ de electione canonicâ factâ circà vnum: qualis casus videtur esse & fuisse in schismate præsenti, si benè perpendatur. Et ideò circumstantia eius multùm iustificat processus habitos cõtra illos cõtendentes & aduersùs Cardinales. Alter casus propter cõmunem errorẽ, & æstimationẽ subditorũ, aut ipsorum malitiam generalem: de quibus non est præsumendum, quòd vnquàm debeant obedientiam præstare tali, qui fuit in Papã ritè electus, tamen alteri nouitèr eligendo parati sunt: vt fortè si Græci vellent ad vnitatem Ecclesiæ redire, dummodò tolleretur Papa iam existens, & nouus ritè canonicè crearetur. Confirmat hoc imaginatio casus illius, iuxta positionem Innocentij, & aliorum Iuristarum, qui dicunt hominem expressè professum in religione posse vxorem ducere, pro salutione magnæ gentis, aut ad fidem conuersione. Cur non similiter pro aliquo tanto bono, posset ritè electus per Ecclesiam aut Concilium generale destitui bono zelo & integrâ charitate? Casus alter & sextus esset, vbi per iuramentum & votum aliquis in Papam ritè electus seipsum,

ad

ad cessionem obligâsset; sed differret hoc adimplere: in scandalum populorum putantium ex tali facto Papæ, quod neque iuramentis suis obligantur, neq; votis: qualem casum habere videmur in manibus. Denique etsi casus notati in hâc & præcedenti considerationè vix aut nunquàm visi fuerint; nihilo-minùs expediens est tangere, ad inquisitionem solidioremveritatis, & ad confutationem illorum, qui iuribus suis scriptis omnia particulatim & sufficienter arbitrantur esse decisa.

Ex his casibus Iohannes Gerson docere vult, sine suâ culpâ Papam à Concilio posse exauthorari. Fateor quidem hîc multa occurrere, quæ nondùm author ipse bene decoxerat. Vino enim captus, quod suis cultoribus Romana Ecclesia propinat, ebriosorum more nonnulla loquitur, quæ à puritate veræ & Christianæ Doctrinæ sunt aliena. Cuiusmodi illud est, quòd subindè Papa vocat sponsum Ecclesiæ. Bernardus Papa Eugenius, non sponsum, sed amicũ sponsi vocat, quandò ad eum scribit: *Si sponsi amicus es, ne dixeris dilectæ tuæ principẽ meam, sed principẽ, nihil tuũ in eâ venaicens. Absurdũ enim est, vt sponsa Regis sponsa sit serui.* Quàm autẽ sit Bellarmini ad illud Bernardi responsio futilis, cedò quemuis iudicẽ, qui Romanæ Ecclesiæ pharmacis non est dementatus. An Bernardũ ignorâsse cuiquâ verisimile esse potest, quâ ratione Papa vicarius Christi, Ecclesiæ caput, Doctor, & Pastor dicitur, esse etiã vocari sponsum? Quia Papa (vt loquũtur) cooperari videri potest spirituali capiti, nempè qui principẽ locum inter Episcopos teneat, & Doctori, qui doceat, & Pastori, qui pascat; & vicarius, qui vices gerat, videtur non impropriè dici. Sed vbi ad sponsi nomẽ ventũ est, pari ratione vocari sponsus non potest: quia nihil apparet, in quô spirituali sponso hic alter spiritualis sponsus cooperetur, & quod in hac parte conaretur, fore adulterium. Sed Ecclesiam Romanam cum Papâ committere posse adulteriũ, & adulterã ac meretricẽ fieri, videre Bernardus propter tenebras sui temporis non potuit: multò minùs Ioh. Gerson.

De Papali suprema authoritate, quam hodiè Romanus Papa sibi vendicat, & à multis retrò seculis in Ecclesiam vsurpauit, quia à D. Gersone subindè inculcatur, & repetitur, eamq; Ecclesiæ & Conciliis tribuit: lectorem nolim cogitare, me vllam ràlẽ credere vel ipsum Papam, vel Concilio, vel Ecclesiam habere. Sed legitimam ego intelligo supremam Ecclesiasticæ gubernationis potestatem, quam Ecclesiæ Dominus dedit. Papalis authoritas Gersoni vera, & legitima, & à Christo instituta gubernandæ Ecclesiæ quædam potestas intelligitur. Et summam illam & veram gubernandæ Ecclesiæ authoritatem, quam Ecclesiæ Dominum dedisse controuersum non est, intelligo: sed illam simul & in Papâ & in Concilio esse, capere non possum, quæ in Concilio vel Ecclesia sit Aristocratica, in Papâ verò Monarchica. Eandẽ potestatẽ esse Aristocraticam & Monarchicã, mihi paradoxũ est. Romana respublica popularis fuit, & penès populũ summa erat totius imperij potestas: ipsius erat velle & iubere. Quotiescunque dictatorẽ creauit, suam potestatem ei delegauit, quiâ illam sibi supra ipsum dictatorem retinebat: Monarcham non creabat, nihilque status popularis mutabatur, vt ex Democratia fieret Monarchia. Creatum dictatorem deponere, & ei Magistratum abrogare potuit, aut aliũ secundũ paris authoritatis creare. Hanc potestatẽ quamdiù Romanus populus sibi retinuit, status reipublicæ popularis remansit. Idẽ de Ecclesia & Concilio iudico; quamdiù potestatẽ supra Papam retinet, eiq; gubernandi leges præscribit, & abutentem sua potestate punire, atq; papatũ deiicere potest, frustra Monarcha Papa esse disputatur. Monarcha superiorẽ non agnoscit, qui ei præscribere & dare leges possit. Ille superior & maior est, qui decernere & mandare potest, quæ recta esse iudicat: minor ille, cui parendum est. At penès proceres Ecclesiæ cùm illa gubernationis Ecclesiasticæ summa potestas sit, merè Aristocratica esse conuincitur.

Ad ipsius tamen redeamus testimonia, Tractatũ de Potestate Ecclesiastica, Consideratione quarta, habet, vt sequitur:

Et fundatur prædicta potestas Ecclesiastica iurisdictionis in vnitate vel vnione tali: quẽadmodùm notâsse videtur eleuatus Augustinus, quòd claues Ecclesiæ datæ sunt vnitati. Veruntamen hoc nõ impedit, quin datæ sint Petro, tanquã Monarchæ, legitimisq; successoribus suis: principalius tamẽ Ecclesiæ. Primò, ratione indeuiabilitatis, quia portæ inferi nõ prænalebunt aduersùs eã, nec deficiet fides eius: non sic de Papâ. Secundò, ratione regulabilitatis, quoniã regulare habet vsum potestatis Papalis: nõ sic ecõuerso. Tertiò, ratione multiplicitatis: quoni-

quoniam Ecclesia continet potestatẽ quamlibet Ecclesiasticã, etiam Papalem: non sic Papa, præsertim in extentione. Quarò, ratione obligabilitatis: quia Ecclesia potest condere leges, obligantes & regulantes, etiam ipsum Papam; tàm quoad personam, quàm respectu vsus potestatis. Non sic è contrà potest Papa iudicare totam Ecclesiam, vel vsum suæ potestatis limitare: imò si Papa condat leges & canones, videtur obseruandum illud, quod sententialiter dicit Augustinus: Leges instituuntur, cùm promulgantur: Firmantur autem, cùm moribus vtentium approbantur. Hoc enim dicitur ad reprimendum præsumptionẽ quorundam Pontificum, vel eis adulantium, qui videntur voluisse, debere seruari pro regulâ immutabili de Papâ, respectu cuiuslibet Prouinciæ, vel totius Ecclesiæ. &c.

Consideratione 7.

Propterea quæreretur, si Papalis authoritas sit maior, quàm Ecclesia, vel è conuerso: redit in idẽ, ac si peteretur; nonne totum est maius sua parte, vel pars minor suo toto? Proinde sequitur, quòd si generale Concilium representet vniuersalẽ Ecclesiã sufficienter & integrè, necesse est, vt includat authoritatẽ Papalem, siue Papa sit, siue desierit esse per mortem naturalem aut ciuilem. Sic dicimus de potestate Romanæ Ecclesiæ, vel sacri Collegij: sic de Potestate Episcopali; sic de sacerdotio, quod est potestas Curatorũ, qui sunt in Ecclesiâ Prælati minores. &c.

Hæc ratio Monarchicam Papæ tollit potestatem, vt quæ superiorem & maiorem habeat: & censetur veluti pars quædã in toto, ꝙ quauis parte maius est. Cõcilij authoritas totius naturam refert: Papa verò cum suâ Papali potestate censetur in parte. Ergò Concilij authoritas, hoc est, procerum Ecclesiæ, supra suum Monarcham est. Ridiculum certè & nouum Monarchiæ genus.

Consideratione decima.

Neq; putandum est insuper Concilia generalia sic excepisse Papalem authoritatẽ in constitutionibus suis, vt eidem permitteretur effrenis libertas, ea destruendi leuissimè, quæ tantâ grauitate & digestâ sapientium maturitate condita sunt. Intelligitur ergò Papalis authoritatis exceptio facta, prout occurrens necessitas vel euidens vtilitas postulabat: vbi pro tunc recursus ad generale Concilium non patebat. Aliquin non erat ibi vti plenitudine Papalis potestatis, sed abuti plenissimè. Vtrum verò validum fuerit & ratum, quicquid ab abusû talis processit, definire sub vna generalitate, non audeo, &c.

Iniquum esse nemo sanus non videt, vt, quæ Concilium vniuersale maturo consilio decreuit, vnus Papa pro suâ libidine dissipet. Sed Monarcha non est, qui superiorum subiectus est legibus; quæ ei præscribunt, quatenùs suâ potestate vti vel non vti debeat.

Ibidem.

Est enim dispensatio commensuratio seu distributio boni communis, quale est lex, ad singulos secundùm legis intentionem; prout circumstantiarum varietas occurrerit. Quæ dispensatio si non fideliter & prudenter fiat, eam appellat Bern. dissipationem, non dispensationem: intellige, quoad Deum & conscientiam, si hoc constiterit, aut cõstare debuerit. Tamet verò frequenter apud homines secundùm exteriora iudicantes hæc dispensatio, si non cõtineat errorẽ apertum, aut nisi fuerit superiori lege prohibita: quod dicitur propter statuta fieri possibilia circà Papalis vsum potestatis per generale Concilium. &c.

De hac re Nicolaus Cusanus de concord. cathol. lib. 2. cap. 20.

Quamuis Papa in c. significàsti, de elect. & elect. potest. Suprà Concilium, & c. proposuit de concess. præb. suprà iura esse se dicat, hoc est verũ de Concilio generali suo, vbi & Patriarcha præsidet, & de iuribus ibi aut alioquì in alijs particularibus Conciliis per eum editis, licet ob principatũ super omnes de Ecclesiâ in eis conuocatas fatear ita sedi Apostolicæ alligatam, quòd tolli quoad particulares casus non possit, quoniam dispensare & interpretari habeat sæpè ob vtilitatem

tilitatem & neceſſitatẽ, in ædificationẽ Eccleſiæ, & ſolùm ad illum finem. Quòd autem Canones vniuerſalium Conciliorum tollere non poſſint, vel mutare, vel aliquid in contrarium condere, textus eſt notabilis 25. q. 1. contra ſtatuta, vbi Zozimus Papa dicit: Contra ſtatuta Patrum aliquid condere, vel mutare, nec huiuſmodi ſedis poteſt authoritas. Et idem Zozimus, Aurelio & vniuerſis Epiſcopis per Africam & per Gallias conſtitutis dicit: Cùm aduersùs ſtatuta ſanctorum Patrum venitur, non tantùm illorum prudentiæ atq; ſententiæ, quæ in eum ventura ſanxerunt, ſed ipſi quodammodo fidei & Catholicæ diſciplinæ irrogatur iniuria. Quid enim tam ſanctum & venerabile eſt, ſicut penitùs non exorbitare ab itinere maiorum, quorum canonum ſtatuta veluti quædã fundamẽta ſunt ferendis fidei noſtræ ponderibus. Hæc ille. Hæc etiam probantur ex eô, quòd Damaſus Papa ad Paulinum ſcribens iubebat ad fidẽ reuertentes, ſe ſubſcribere debere non tantùm fidei Niceni Concilij ſymbolo, ſed & canonibus, pro quo facit c. 1. 2. & 3. c. diſt. Facit adpradicta etiam caput ſequens ibidẽ. Et hanc ſubiectionẽ, ſcilicet quòd Romanus Pontifex ſubſit Concilio vniuerſalis Eccleſiæ, ex alio deprehendimus: quia legati Apoſtolicæ ſedis, qui leguntur in vniuerſalibus Conciliis fuiſſe, dum ad Conciliũ loquerentur, ad inſtar ſancti Petri, qui ſurrexit in Concilio Hieroſolymorum dum loqueretur, in ſignum ſubiectionis & reuerentiæ, ſurrexiſſe leguntur. Sic legitur in 6. vniuerſali Concilio Conſtantinopoli celebrato, in primâ actione. Et exurgentes, qui locum tenebant Apoſtolicæ ſedis Romæ. Similiter, & in aliis Concilijs ita legitur. Similiter inuenitur; Epiſtolas & ſcripturas Romanorum Pontificum ad Conciliũ miſſas vniuerſale Concilium examinaſſe. In tertiâ actione octaui Concilij, lectâ Epiſtolâ Adriani Papæ à Concilio, vicarij ſenioris Romæ interrogauerunt, an canonicè & ſynodicè facta fuiſſet Epiſtola. Sancta ſynodus dixit: Canonica, & ordinata, & plena iuſtitiâ eſt Epiſtola, quæ lecta eſt, ſanctiſſimi Papæ Adriani.

Conſideratione 11.

Poteſtas Eccleſiaſtica in ſuâ plenitudine eſt in Eccleſiâ, ſicut in fine: & ſicut in regulanto applicationẽ & vſum huiuſmodi plenitudinis Eccleſiaſticæ poteſtatis per ſeipſam, vel per generale Conciliũ ipſam ſufficiẽter & legitimè repræſentans. Conſtat vtiq; datã fuiſſe Petro plenitudinẽ Eccleſiaſticæ poteſtatis à Chriſto ad ædificationẽ Eccleſiæ ſuæ, ſicut conformiter ad Apoſtolũ ponit deſcriptio. Propterea loquitur Auguſtinus cũ aliis quibuſdã, quòd claues Eccleſiæ datæ ſunt non vni, ſed vnitati, & quòd datæ ſunt Eccleſiæ. Et hoc conuenienter poteſt intelligi, modis, quos explicat cõſideratio: quoniã claues datæ ſunt propter Eccleſiam & vnitatẽ eius, tanquam propter finẽ. Poteſt etiã dici in Eccleſiâ vel in Concilio hæc plenitudo Eccleſiaſticæ poteſtatis, nedũ in ſe finaliter, ſed aliis duobus modis, videlicèt quoad applicationẽ ad hanc vel illã perſonã, & quoad vſum regulandũ, ſi fortaſſis in abuſum verti quæreretur. Conſtat his tribus modis plenitudinẽ Eccleſiaſticæ poteſtatis eſſe in Eccleſiâ, & in generali Concilio, tanquàm in gerente vices eius. Et quidẽ de duplici modo, primo & ſecundo, non eſt difficultas. Similiter nec de tertio, ſi conſideremus deſcriptionem plenitudinis Eccleſiaſticæ poteſtatis, vbi ponitur, quòd data eſt ad ædificationem Eccleſiæ.

Gerſon coniungit vbique hæc duo ſimul, Eccleſiam & Concilium, & paris facit authoritatis: & duo quædã diſtincta voluit nos intelligere. Nam Concilio vidit idẽ fortè accidere poſſe, q̃ Papæ: & hoc ſi euenirẽt (vt Concilia errâſſe cõſtat) non errauerit tamen Eccleſia, apud quam inconuulſa ſemper remanebit veritas. Manebit, inquã, vſq; in æternũ firma & inuiolata Eccleſiæ Chriſti Doctrina in libris veteris & noui Teſtamenti contenta, quicquid aut Epiſcopos aut Concilia contrà delirare continget. Eccleſiæ nomine ſi intelligat primores Eccleſiarum, qui Concilio non interfuerunt, ſiue illud fuerit vniuerſalis Eccleſiæ, ſiue vnius nationis & gentis, veletiam plurium, quæ ſe ſimul coniunxerint, cognituri & decreturi de rebus quæ pertinent ad ædificationẽ Eccleſiæ: qui ſi comperti fuerint errâſſe, non idcircò Eccleſia errauerit; quæ retractandi, quæ malè decreta fuerunt, habet poteſtatem. Omnes enim conuenire impoſſibile eſt; & qui conueniunt, ſuo & reliquorum omnium, qui abſunt, nomine conueniunt, illóſque repræſentant. An vniuerſalem Eccleſiam intelligat in ſingulas extra Concilium generale; nempe, gratiâ exempli, Epheſinam, Smyrnenſem, vel Laodicenſem, aut plures illarum, non exprimit. Quia Concilium vniuerſale conuocare, quod vniuerſalem totius orbis Eccleſiam repræſentet, non eſt facile:

immò hodiè puto esse impossibile. Et quòd Tridentinum Concilium nostrâ ætate celebratum, similitèr Constantiense, & Basilienſe, & pleraque alia, quæ dicuntur Oecumenica, nunquàm ex vniuerso fuerunt orbe collecta. Quantùm olim se extendebat Romanum imperium, Ecclesiæ, quæ sub illo imperio continebantur, conuocari iussu Imperatoris poterant: vlteriùs euocari iure nemo potuit. Quotquot erant Patriarchæ Ecclesiarum alicuius nominis, parebant Imperio Romano. Ad Romani Papæ mandatum olim nemo pedem mouisset: nec hodiè, nisi Principes Regnorum & Imperiorum illud iubeant. Cùm itaque videret difficultatem conuocandi Concilij, Ecclesiis potestatem Conciliorum tribuit cum pari potestate. Vniuersalis Ecclesiæ, quæ per vniuersum orbem dispersa est, expectare iudicium, ridiculum est. Potestatem Ecclesiasticam gubernationis, quam Dominus vniuersali Ecclesiæ dedit, etiam in singulis ipsius partibus, quatenùs ab vniuersitate non recedunt, esse & manere voluit. Singulas partes Catholicæ Ecclesiæ intelligo, singulas Ecclesias omnibus suis partibus absolutas, hoc est, ex Diaconis, Doctoribus, & Pastoribus, Episcopis, & Archiepiscopis compositas: vt est Gallicana Ecclesia in Galliâ, Hispanica in Hispaniâ, Germanica in Germaniâ, Britannica in Britanniâ. Omnes & singulæ parem habent authoritatem in suis prouinciis, quam habet Concilium in populos & Nationes. Vndè constat; cõsociare se posse Ecclesias, & Synodalitèr simul cõuenire, nolente & inuito Papâ, quandocunque necessitas postulat. Hanc olim Ecclesias habuisse potestatem, Concilia Toletana, & Africana, & Gallica testantur. Nec ad iniuriam suam tunc hos fieri conuentus accepit Romanus Episcopus. Ipsius legati interesse poterant, sed nulla necessitate, quin Concilia sine illis celebrari potuerint. Vndè Cusanus de concordiâ catholicâ lib. 2. cap. 13.

Concilia tàm vniuersalia totius Ecclesiæ, quàm vniuersalia regnorum Hispaniarum, Galliarum, vel Africæ, tàm vnius Prouinciæ, semper potuisse sibi ipsis canones statuere; sicut Bonifacius ad Rusticum Narbonensem scribens, dicit: Patres in Nicenâ congregatos sibimet canones statuisse, hoc est, toti mundo, seu vniuersali Ecclesiæ, quam ipsi ibi repræsentabant. Sicut Synodus Prouincialis collecta sibi prouidet de canonibus per prouinciam necessarijs: ita si septem Galliarum Prouincia conuenirent, possent septem Prouinciis prouidere: et si omnes mundi Prouinciæ conuenirent, sicut tunc quilibet potest sibi prouidere, possunt per communem concordiam omnes omnibus prouidere. Et mirum est dicere, non posse omnes congregatos cum plenâ authoritate legatorum: cùm quilibet per se posset. Quilibet autem per se sine Papâ, non dubium, sibi prouidere potest: ergò & omnes, eo regulariter non spreto, nolenti & potenti interesse Romano Pontifice, ac alio ad Synodum spectante: cùm tamen maioris sit authoritatis Synodus plurium prouinciarum, quàm vnius, vt in Cap. sequenti dicetur. Et dum hanc partem defendimus, quòd Papa non est vniuersalis Episcopus, sed super alios primus, & sacrorum Conciliorum, non in Papâ, sed in consensu omnium, vigorem fundamus: tunc, quia veritatem defendimus, & vnicuique suum honorem reseruamus, rectè Papam honoramus. 99. dist. Ecclesia.

Pergit Gerson in Consideratione II.

Cum igitur summus Pontifex habens eam subiectiuè sit peccabilis, & possit hanc potestatem in destructionem velle conuertere: similitèr sacrum Collegium, quod ei datum est, & coassistit, quasi comitas Aristocratica, non est in gratiâ vel fide confirmatum: superest, vt aliqua sit relicta inobliquabilis & indeniabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundùm quam possit abusus huiusmodi potestatis reprimi, dirigi, atq; moderari. Hac autem regula est Ecclesia, vel generale Concilium.

Si D. Gerson dixisset verbum Dei, scopum attigisset. Illa sola est regula, quam
Esa. c. 8. v. 20 tàm Concilium quàm Ecclesiam sequi oportet. *Ad legem & ad testimonium*, in controuersiis, velis, nolis, Gretzere, Deo iubente, recurrendum est. Quod non fit, nec factum est, à multis annis in Romanâ Ecclesiâ; sed in hominibus inueniendi veri fiducia potiùs, quàm in Deo, qui in verbo suo Ecclesiam suam alloquitur, fuit posita, qui & falli & fallere possunt: sic cæcorum duces se suosque comites per deuia in præcipitia deduxerunt. Rectè à Gersone notatum fuit, *ab optimo legislatore Christo in Ecclesiâ regulam*

regulam inobliquabilem (vt ipsius vtar verbis) *& indeuiabilem esse relictam, secundùm quam possit abusus huiusmodi potestatis reprimi, dirigi, & moderari.* Sed illa Gersoni Papa non est, nec Collegium, quod est illi adiunctum, quia in gratiâ non est confirmatum. Quòd illam regulam credit esse Ecclesiam vel Concilium, quæ in hac vitâ non meliore conditione sunt, quàm est Papa, & ipsius Collegium, errat. Dedit enim Deus Ecclesiæ suæ similitèr & Conciliis infallibilem regulam, quam quisquis fuerit secutus, nihil errabit. Sacræ literæ sunt illa regula. Ad illam Seruator noster remisit Sacerdotes, Scribas, & Pharisæos, quandò dixit, *Scrutamini scripturas, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testificantur de me.* Tentant Deum, qui Legem, & Prophetas, Apostolos, & Euangelistas Ecclesiæ suæ dedit, quandò in controuersiis ad illos non recurritur, sine quibus nemo dicere potest, *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Ioh. 5. 39.

Gerson, in illa eadem Consideratione:

Vndè cùm medium virtutis alitèr non habeatur, nisi prout sapiens iudicabit: finalis resolutio ad hanc sapientiam fiet ad Ecclesiam, vbi est sapientia indeuiabilis, vel ad generale Concilium. Hìc fundantur ea multa, quæ per hoc sacrum Concilium, & constituta & practicata sunt. Vt, quòd Papa iudicari potest, & deponi per Concilium. Quod idē in regulatione suæ potestatis quoad vsum subycitur: & sibi potest dici, Cur ita facis? Et ita de pluribus, quæ recollata sunt in illo sermone, Prosperum iter faciet nobis Deus. Possumus ad hanc considerationem addere, quòd plenitudo Ecclesiastica potestatis, si consideretur in suâ latitudine, ipsa non est in solo Papâ, nisi quodam modo fontaliter, potestatiuè, & originaliter sua modo. Hæc enim latitudo potestatis completitur in se alias potestates Ecclesiasticas collectiuè à summo vsque deorsum. Et est in eis plenitudo Ecclesiastica potestatis Papalis, tanquàm pars integralis in suo toto; & ita non est maior vel superior ad totam Ecclesiam, sicut nec pars maior toto. Si verò consideretur hæc plenitudo in suâ supremitate, tunc absque vllâ dubitatione superior & maior est ad reliquas: sed iam illud, quod reliquum est, nullo pacto potest constituere generale Concilium, iuxta illud quod dictum est priùs, quòd generale Concilium in suâ ratione formali includit de necessitate papalem authoritatem, siue Papa sit, siue non sit: quia, si Papa est, & vult facere debitum suum de conuocando Concilium, certè debet authorizari per ipsum: si verò pertinacitèr renuit, in destructionem Ecclesiæ, iam tunc agendum est, ac si non esset, & remanet in Ecclesiâ potestas seipsam congregandi, & sibi prouidendi, ac ordinandi de potestate Papali, secundo & tertio modis, quoad applicationem & ad vsum: sicut de Capitulo & Decano, vel de Vniuersitate & Rectore suo modo diceretur.

Quàm hæc non consentiant cum cap. Si Papa, distinct. 40. ex dictis, vt aiunt, Bonifacij martyris scilicèt, ipsa verba hìc subiicio.

Si Papa sua & fraterna salutis negligens deprehenditur inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catenatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fidè deuius. Pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduerterit propensiùs pendere.

Pergit Gerson, in eadem Consideratione:

Alia multa sunt, quæ Papâ mortuo, vel ejecto, potest exercere Concilium per se ipsum, vel per organum aliquod, vice omnium: quemadmodùm sæpè practicatum est in hôc Concilio de diuersis sententijs, & decretis respicientibus exercitium iurisdictionis coercitiuæ: sicut in vocatione & dispositione Papæ, sicut in excommunicatione, & interdicto, relaxatione & absolutione factum est in causâ Tridentinâ & Argentinâ: in quibus omnibus introducitur sancta Synodus loquens, decernens, definiens. Sic inuenitur in primis Conciliis, tempore Apostolorum & aliorum, quòd Concilium loquebatur, & non Papa, etiam dum viue-

bat.

bat. Undè dixerunt Apostoli & Seniores, Act. 15. scribentes acta illius Concilij, Visum est Spiritui sancto & nobis. Et simile notatur Act. 6. de Conuocatione Ecclesiæ per duodecim Apostolos: & in Concilijs generalibus tales inueniuntur modi loquendi, Placuit sancto Concilio: vel, Concilium definit: vel, statuit sanctum Concilium: vel, sacra authoritate Concilij: vel, Synodalis ordinatio vigeat: & ita in similibus, &c.

Cùm hæc fiant ab optimatibus Ecclesiæ, quomodò potest hæc gubernatio intelligi dicíue Monarchica?

Ibidem.

Cognoscimus ex his, quòd falsæ sunt & iniuriosæ Concilio generali tales assertiones, quæ negant ab eo vel ab Ecclesiâ executionem potestatis supremæ iurisdictionis: negant insuper decernendi vel definiendi potestatem, dum Papa est; reponentes in eo solo hanc authoritatem definiendi: cùm ex multis Conciliis & certâ ratione constet oppositum.

Assertores illarum assertionũ, qui apud vos sunt, soli Monarchicum verè retinent regimen Ecclesiasticum. Quas qui reiiciunt, quicquid dicant & protestentur, illud nobis cùm tollunt, Protestatio contra factum in iure non valet. Probationis loco ibidẽ Gerson addit:

Undè & Apostoli miserunt in Samariam Petrum & Iohannem, tanquàm subditos Ecclesiæ. Et Iacobus protulit definitionem sacri Concilij super cessatione legalium, de quô Act. 15. notatum est; quandò tamen Petrus præsidebat & residebat in Ecclesiâ legitimè, cùm esset ingratiâ confirmatus, die Pentecostes, &c.

Nullus Lutherus, nullus Caluinus, nec eorum quisquam, quos Lutheranos & Caluinianos vocatis, Monarchicam Papæ Tyrannidem ex verbo Dei efficaciùs euertere potuit vestro Gersone. Qui ex nostris contra Papæ Monarchiam eundem Scripturæ locum allegârunt, nihil noui allegârunt. Iohannes Gerson eis præiuit & præluxit: in illum omnem vestram iracundiam effundite, & quibuscunque conuitiis potestis vos ipsos exsatiate.

Consideratione 12.

Potestas Ecclesiastica Papalis non ita habet dominia & iura terreni simul & cœlestis imperij, quòd possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multò minùs laicorum disponere: quamuis concedi debeat, quòd habet in iis dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum, & ordinatiuum. Declarationem huius considerationis, quam discretio moderatrix atque mediatrix ponit inter errores oppositos, dum facere meditarer; occurrere visa est protinùs in ipso mediationis meæ secreto duplex improba pestis. Nomen vnius, Detractio liuida: nomen alterius, Adulatio subdola. Prima, potestatem Ecclesiasticam deprimens subiiciebat temporali: altera sustollebat in immensum, velut ad similitudinem altissimi, confundens iura cuiuslibet alterius potestatis. Tolle, tolle, clamat Detractio, temporalitatem omnem, ius, vel dominium ab Ecclesiasticis: quare? quia sic instituit Christus, cuius ista vox est: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Sic imprecabatur Iulianus Apostata Christianis, rapiens eorum facultates. Addit detractio, quòd Ecclesiastici nequaquàm capaces sunt iurisdictionis temporalis: etiam si Principes alij conferre voluerint. Inducit Apostolum: Quia nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus. Addit detractio, nihil habere Ecclesiasticos, neque decimas, neque oblationes: quantò minùs alias dotationes, vel possessiones, nisi ex puræ eleemosynæ donantium? Et quòd ab Ecclesiasticis peccantibus saltem habitualiter possent per secularem potestatem optimo iure tolli: quia data est potestas hæc secularis in vindictam malefactorum, neque sine causâ gladium portat. Addit quartò, inuitens Apostoli verbis: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Quia quicquid habent Ecclesiastici vltra simplicem victum & vestitum, totum illud est pauperum: cuius retentio, nedum furtum, vel rapina simplex est, sed sacrilegium: prout detorquet ad hanc sententiam tam Hieron. verba quàm Bernar. Vult tandem detractio Ecclesiasticos omnes ad illam Apostolorum & discipulorum primam paupertatem, sine equis, sine thesauris, sine calceamentis, sine possessionibus,

sionibus, de necessitate salutis redigere, execrans in Ecclesiasticis pompam omnem vel seruientium, vel ciborum, vel equorum, vel indumentorum.

In hâc consideratione Gersonis de potestate Ecclesiæ, multa sunt notatû digna, tam de adulatione, quàm de inuidiâ. Primo loco ponit detractionis & inuidiæ sermonem, cuius causam varios & intolerabiles abusus Cleri Romani deditse negari non potest. Luxus rebus in omnibus tantus fuit, & est, vt maior fieri nequiuerit. Sunt hodiè homines non mali, qui hoc malum reformari posse diffidunt: ideóque omnia illa, quibus abusi sunt, & abuti pergunt Romanæ Ecclesiæ Antistites, & alij, qui censentur in Clero, funditùs tollenda putant. Quid ego de hac re sentiam, editis libris toti mundo testatus sum. Sed adeò immoderatioribus hoc displicuit, vt me Subulcum, & porcum, in suis scriptis vocare non puduerit. Repetere hîc singula, nihil opus est: notari tantùm velim, causas huius inuidiæ tollendas esse. Quod fiet, si opes, quas possident Ecclesiastici, quicunque illi sint, non in luxum profundendas esse, sed in pios vsus, & pauperum, viduarum, orphanorum, & peregrinorum releuationem expendendas, persuasum habuerint. Et certè, hominum vulgus, quid deceat Clericum, melius videre, quàm ipsimet Clerici, turpe est: prædicare verò liberalitatem in pauperes, & nullam exercere, turpissimum. Ego Episcopis nec opes, nec comitatum honestum, nec equos, nec splendorem externum inuideo: modò in his omnibus Christiana adsit moderatio, & famulitium, atque externus splendor non absumant illa, quæ sunt debita pauperibus. Hæc noto, quia regnat etiam apud nos illa eadẽ inuidia (quo nostro merito, Dei iudicio relinquo) in quam incurrunt Romanæ Ecclesiæ Prælati. Qui tametsi non omnia possideant elẽemosynæ nomine, quibus gaudent & fruuntur, melior tamen pars elẽemosynæ nomen habet & naturam: de quibus Deo erit specialis reddenda ratio. Verba Hieronymi & Bernardi de hâc re non ita prætereunda iudico, vt ad solos Monachos referri debeant, & nihil ad alios Clericos pertineant, qui verbo & exemplo omnibus Christianis prælucere debent. Hyperbolen rhetoricam in verbis Hieronymi agnosco: sed quæ veritatem suam retineat.

Pergit Gerson ibidem:

Consurgit ex aduerso blandiens & subdola Adulatio, & ad aures Ecclesiasticorum, præcipuè summi Pontificis insusurrans: O quanta est, quanta sublimitas Ecclesiastica potestatis tuæ! O sacer Clere, quàm nihil est secularis authoritas tua comparata! Quoniam sicut Christo collata est omnis potestas in cœlo & in terrâ; sic eam Christus omnem Petro suisque successoribus dereliquit. Vndè & nec Constantinus quicquam Syluestro Papæ contulit, quod non esset prius suum, sed reddidit iniustè detentum. Porrò sicut non est potestas, nisi à Deo: sic nec aliqua temporalis, vel Ecclesiastica, Imperialis, vel Regalis nisi à Papâ, in cuius femore scripsit Christus: Rex Regum, Dominus Dominantium. De cuius Potestate disputare, instar sacrilegij est: cui neque quisquam dicere potest, Cur ita facis? Sic etiam temporalia omnia, si Ecclesiastica bona atque dominia mutauerit, diripuerit, distraxerit. Mentior, si non inueniuntur hæc scripta ab illis etiam, qui sapientes sunt in oculis suis: si prætereà non inueniuntur fuisse per aliquos summos Pontifices hæc credita. Notum est illud Satyrici: Nihil est, quod de se credere non possit, cùm laudatur, Dijs aqua potestas: Et illud Comici de adulatore: Hic profectò ex stultis insanos facit.

Quæ de adulatione subdolâ hîc narrantur sunt verissima, & magis pernicioſa Ecclesiæ, quàm illa, quæ inuidia suggerit. Fructum sapientes de inimicis reportant, & ab illis discunt, quod emendandum est: ab adulatoribus minimè. Hîc Monarchicam Papæ tyrannidem habemus suis depictam coloribus, non à Lutherano aut Caluiniano, sed ab homine Romani Papæ admiratore; cuius quamuis Monarchiam euertat, illam tamen vbique admiratur, & ad illam assurgit. Quæ Gerson hîc reprehendit, à multis hodiè sine vllo pudore repetuntur. Quid tu, quid Bellarminus sentiatis, de Papæ Monarchicâ potestate, vestri libri testantur. Attende, quæ sequuntur.

Sentiens autem adulatio quandoque nimis se cognosci, studet quasi modestiore sermone depressiùs vti, vt credibilior appareat. Concedit seculari potestati possessiones, & iurisdictiones proprias, quas tollere nequit pro libito Papa. Recognoscit Constantinum, vel alios Principes

Principes aliquid Ecclesiæ nouiter contulisse. Nihilominùs tradit, quòd summus Pontifex supremus est Monarcha, nedum in spiritualibus, sed temporalibus, habens potestatem hanc immediatè à Christo, sed alij Reges omnes & Principes suam recipiunt dominationem ab eo, & solùm mediatè à Deo. Alioquin vt monstrosus esset hic mundus, si haberet tot capita, quæ non sub vnico regerentur? rediretque Manichæi delyramentum ponentis duo principia: vnum bonorum & spiritualium, alterum malorum & temporalium. Undè & sicut corpus est propter animam, & ab animâ viuit & regitur, sic potestas secularis propter spiritualem, à quâ recipit suum esse legitimum. Quam authoritatem spiritualē qui negant vel impugnant, sint intùs, sint foris, Ecclesiam, possunt gladio vel spirituali excommunicationis, sicut Catholici, vel debellationis, sicut infideles, feriri: & eorum dominia vel bona in alios transferri.

Cautiùs scribere sibi videntur, qui hanc potestatem transferendi regna, & exauthorandi Reges, directè suo Papæ nō tribuunt, sed indirectè, quatenus vniuersalis Ecclesiæ Pastor est. Ecclesiam Britannicam habere Regem suum pro suo capite, Gretzerus inuidet: quod non faceret (nî fallor) si Papæ subesse vellet: verum sensum tùm inueniret, quo liquidò capitis nomine compellari posset. Potestatem transferendi Dominia à veris dominis & possessoribus directè Papa non habet, dicet Bellarminus, sed indirectè: vt sic fucum faciat simplicioribus. Apagè cum sophisticâ istâ distinctione, quæ dolo & fraude plena est. Quid refert, directè an indirectè Papis hoc ius tribuas, quandò illo iure freti, Reges Regnis suis spoliant? Hæc distinctio inuenta est ad illudendam argumentorum vim, quibus huiusmodi nullum ius Papam à Christo accepisse docetur, nec ab Ecclesiâ Christianisue Principibus, quicunque illi fuerint, dari vnquàm potuisse. Sed bonus Gerson hanc distinctionem ignorauit.

Ibidem:

Hanc æstimationem habuisse visus est Bonifacius octauus in quâdam Decretali: & in hâc fundari putatur ab aliquibus Dominorum prudentorum aduersùs infideles debellatio, suorúmque bonorum & Dominiorum conquisitio. Putatur ab alijs depositio vnius Regis Franciæ per Papam Zachariam hîc esse fundata, tanquàm Papa sit, qui transferre possit Reges & Regna.

De Bonifacio octauo quid dicam aliud, quàm quod vulgò dictum de illo accepimus? *Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus est vt canis.* Ipsius Decretalis & Epistola ad Philippum Regem Galliæ extant, quæ, testimonium omni exceptione maius, sunt vsurpatæ Paparum tyrannidis. Nunquàm erga suum Regem fides Gallorum, tam totius Nobilitatis & Parlamentorum, quàm vniuersi Cleri laudari poterit, quòd nullis minis, nullis fulguribus Pontificum Romanorum induci potuerunt, nisi postremis hisce temporibus, vt Papæ potiùs partibus, quàm sui Regis, fauerent. Mihi hoc loco sufficit, hanc Papalem tyrannidem Monarchicam à celeberrimo Papistâ, quem reiicere, tanquàm Caluinianum aut Lutheranum, Gretzerus non potest, improbari, & rationibus confutari. De Zachariâ, & Hilderico Rege alibi dixi, quomodò se rei veritas habeat.

De Imperandi authoritate, lib. 4.

Ibidem Pergit Gerson.

Rursùs animaduertens Adulatio, durum esse multis hunc sermonem, & ideo minùs credibilem: studet loqui restrictiùs, concedens, quòd sicut ante Petrum fuerunt apud infideles vera dominia (quē admodùm irrefragabilis authoritas sacræ scripturæ & Euangelicæ narrationis testis est) sic non oportet nunc post Petrum, vt omnis potestas, regalis, vel altera secularis, sit immediatè robur habens à summo Pontifice; sicut Rex Francorum Christianissimus superiorem hoc modo non habet, nec recognoscit in terris. Idcircò transfert verbum suum Adulatio, loqui de dignitatibus, officijs, & bonis Ecclesiasticorum: quæ omnia sic subijcit summo Pontifici, vt quicquid circa ea placuerit disponere, mutando, transferendo, appropriando, hoc possit, hoc teneat, & ratum sit: licèt hoc sine causâ, licèt cum peccato suo peregerit: quamuis peccatum circa hoc vult Adulatio longè à Papâ sic facere, vt eum simoniam

niam posse neget committere, quoniam sua sunt omnia Ecclesiastica bona. Concedit insuper, quòd super ius est potens ab altero ius suum tollere; & quòd nec ab eo appellari, neque eum iudicialiter euocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præsertim extra casum hæresis, sit aliquatenùs possibile. Hic solus symbolum fidei condere, hic solus causas eiusdem fidei, & maiores cæteris tractare potest: solus, vt iam tactum est, definitiones, regulas, leges, & canones condit. Alioquin quicquid per alios definitur, conditur, statuitur, irritum est & inane. Nec aliquid ex eis, quæ statuerit, potest, nisi per ipsum, quomodo-libet cassari vel infringi. Fallor, si non ante celebrationem huius sacrosanctæ Constant. Synodi, sic occupauerat mentes plurimorum, literarum magis, quàm literatorum ista traditio: vt oppositorum dogmatizator fuisset de hæreticâ prauitate vel notatus vel damnatus. Huius rei signum accipe: quia post declarationem ex Theologiæ principiis luce clariorem, &, quod vrgentius est, post determinationem & practicationem eiusdem sanctæ Synodi, inueniuntur, qui talia palàm asserere non paueant: tam radicatum, &, vt cancer serpens, tam medullitùs imbibitum fuit hoc priscæ adulationis virus lethiferum. Tandem, miserante Deo, moderatrix discretio collustrata lumine legis Euangelicæ, mediam ac regiam viam tenens inter denios errores extremos detractionis & adulationis, ponit dictam hanc considerationem duodecimã cum prioribus, tanquàm signum aliquod ostensiuum itineris recti, ne fortè offendant ad lapidem erroris pedem suæ inquisitionis scrutatores veritatis. Vndè dicimus Ecclesiasticos & capaces esse bonorum temporalium, & multa eis ex debito, non ex eleemosynâ purâ, competere: & non debere eos coërceri, vel spoliari per secularem potestatem, nisi vocati sit in sui iuris subsidium: quod dicitur propter hæreticos & rebelles. Possunt ipsi denique cum diuitijs aliter quàm Apostoli, viuere, conuersari, vel incedere, pro temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum variâ qualitate, prout sapiens iudicabit. &c.

Tu vides, candide lector, vsurpatam Episcopi Romani tyrannidem ab ipsis Papistis improbari: & illos, qui modestiùs de Papali vsurpatâ potestate sentiunt, & loquũtur, non sine periculo incurrere in supicionem hæreseos. Cur, obsecro, nos non missos faciunt, & non potiùs magis seriò contra suos disputant? Et vbi inter eos de potestate Papæ conuenerit, tunc (si videbitur) contra nos scribant. Fateor quidem nos vlteriùs progredi; quia quorum oculi non sunt fascinati, nec pharmacis Circæis mentes dementatæ, & in belluas transformatæ, plus vident, & rectiùs de rebus diuinis iudicant. Erroribus, quos cum lacte suxerat, mens Gersonis præoccupata, veritatem, quam aliis propinat, cernere nequit; quia inuoluta est multis fallis præiudiciis. Idem ego iudico de Nicolao de Cusa, quem suprà semel atque iterùm citaui, & citabo, antequàm finiam. Eodem seculo simul vixerunt, & de statu Ecclesiæ sui seculi idem iudicârunt. Quibus plures me adiungere posse, Gretzerus non ignorat.

Gerson in sermone habito in Concilio Constantiensi, Anno 1415. in vigil. Dominicæ in Ramis Palmarum.

Ecclesia, vel generale Concilium eam representans, est regula à spiritũ sancto directa, tradita à Christo, vt quilibet, cuiuscunque statûs, etiam Papalis, existat, eam audire ac eidem obedire teneatur: alioquin habendus est vt Ethnicus & Publicanus. Patet ex immutabili lege diuinâ, Math. 18. promulgatâ. Concilium generale sic describi potest. Concilium generale est aggregatio legitimâ authoritate facta ad aliquem locum, ex omni statũ Hierarchico totius Catholicæ Ecclesiæ, nullâ fideli personâ, quæ audiri requirat, exclusâ, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen eiusdẽ Ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.

Gersoni adiungo Nicolaum de Cusa, de concord. cathol. lib. 2. c. 18.

Vniuersale Concilium ritè aduunatum licèt graduationes inter se habere possit quoad iudicia: est tamen semper maioris authoritatis, & minoris fallibilitatis, quàm Papa tantùm: ex quo sequitur corollariè, vniuersale Concilium etiam in alio, quàm hæresis casu, Papam deponere posse.

Et

Et capite 17. eiusdem libri.

Quis dubitare potest sanæ mentis, absque veræ potestatis & priuilegij sedis diminutione, vniuersale Concilium tàm in abusum, quàm abutentem, potestatem habere pro sui ipsius cõseruatione, & totius Ecclesiæ salutari ordinato regimine? Tamen dicere, quòd Vniuersale Concilium etiam super primatiâ Ecclesiæ Romanæ cognoscere & definire non possit, credo malè dictum esse: quoniam expressè Chalcedonense Concilium se de hoc intromisisse & iudicâsse in gestis legitur. Quare vniuersaliter dici potest, Vniuersale Concilium repræsentationem Catholicæ Ecclesiæ habere potestatem immediatè à Christo, & esse omni respectu tàm suprà Papam, quàm sedem Apostolicam.

Quatenùs Gerson, & Nicolaus de Cusâ subijciunt Papam Concilio & Ecclesiæ, hoc est, Monarcham optimatibus, eos amplector, & contra Gretzerum & Bellarminum allego. Sed quòd arbitratur Gerson Concilium & Ecclesiam esse regulam à Spiritû sancto directam, & à Christo traditam, vt suprà negauimus, denuò pernegamus: quia hoc nusquàm in verbo Dei legimus. Quamuis multa de hâc re à Romanistis scripta & disputata sint, nihil hactenùs allatum est, cui tutò assentiri, & bonâ conscientiâ piæ mentes acquiescere possint. Canonica Scriptura veteris & noui Testamenti est illa regula à Spiritû sancto dictata, & à Christo tradita Conciliis & Ecclesiis, quam in omnibus dubiis sequantur. Patribus idcircò dicta est Canonica, quòd sit fidei regula. Illi aliam addere, Concilia non possunt. Quicquid contrà disputatur ad illius doctrinæ insufficientiam demonstrandam, nisi Papæ accedat interpretatio; ad iniuriam pertinet Spiritûs sancti, & Domini nostri Iesu Christi, qui omnia quæ ad salutẽ sunt creditu necessaria in verbo suo non tradiderit Ecclesiæ: contra illud, quod Paulus re-
Act. cap. 20. stificatus est Asiæ Episcopis, quòd ipsis annunciâsset *omne consilium Dei*, vtpotè fidelis Christi seruus.

Quod vnus Paulus fecit, reliquos omnes, vel Deum nostrum potiùs per illos præstitisse non est dubium. Et quamuis vnus non omnia in scriptis suis tradiderit: quod ab vno fuit omissum alij suppleuerunt; & quod deest in Paulinis Epistolis, quatuor Euangelistæ, & alij Apostoli & Prophetæ tradiderunt: vt in libris illis Canonicis omne nos habere Dei consilium expositum certo certiùs credendum sit. Authoritatem verbi Dei eleuari, vt stabiliantur vnius mortalis placita, est impium. Conciliorum tamen authoritatem quandam præcipuam in interpretatione & decisione controuersiarum, quandò regulam ipsis à Christo præscriptam sequuntur, non nego: interpretationes Patrum orthodoxorum non reiicio: Symbolum Nicenum, & aliorum Conciliorum, similiter & Athanasij recipio, quia ex verbo Dei desumpta sunt. Quæ Augustinus, & alij Patres orthodoxi contra Manichæos & alios suæ ætatis hæreticos scripserunt, veneror: quia ex verbo Dei perniciosos illos errores confutârunt. Sed quia Concilia, & ipsi Papæ, & alij omnes scriptores, præter Apostolos & Prophetas, falli potuerunt, & à verbo Dei deuiare, Lydium lapidem Doctrinarum Deus verbum suum Ecclesiæ suæ dedit. Sed versutos homines contendere verbum Dei non sufficere ad salutem, mirandum non est: satis enim vident, præsentem Romanæ Ecclesiæ statum verbo Dei non inniti. Aliundè petenda sunt argumenta ad probandam potestatem Pontificiam, imaginum cultum, sanctorum inuocationem, panis Eucharistici transubstantiationẽ, & missificationem, quàm ex libris Canonicis; in quibus nihil eorum, quæ Romanistæ delirant, continetur.

Omnes hæreses & hæreticos ex solis scripturis conuincendos esse veteres orthodoxi docuerunt: hodiè ad Papam & ad Concilia remittimur, non modò sine Dei verbo, sed contra Dei verbum: quùm *omnis scriptura sit diuinitùs inspirata, & vtilis*
2. Tim. 3. ca. *ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitiâ, vt integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus.* Sed illa hodiè non sufficit. Multis hinc indè allatis rationibus & argumentis, controuersiæ status hûc deductus est; An Ecclesia Romana, hoc est, an Papa, qui illam repræsentat, possit errare? De Conciliis statim videbimus.

Ex multis quædam exempla propono, in quibus Papæ Papis, in doctrinâ fidei, sibi contrariis

contrariis decretis pugnant, ſibíque aduerſantur.

Sabinianus, qui Gregorio magno ſucceſſit, rebus ab eo geſtis ita aduerſatus eſt, vt poſt in illum detractiones iniquas eius libros cremauerit.

Stephanus ſextus decreta Formoſi prædeceſſoris ſui abrogauit, & acta reſcidit. Refert Martinus ſcriptor, Stephanum tantâ rabie deſeuiiſſe, vt habito Concilio, corpus Formoſi è tumulo tractum, Pontificali habitu ſpoliatum indutúmque ſecularí, ſepulturæ laïcorum mandauerit, abſciſſis tamen dextræ eius duobus digitis, quibus potiſſimùm in conſecratione ſacerdotes vtuntur, in Tyberimque proiectis, quòd (vt ipſe aiebat) contra iura ſacramenti, Romam & ſacerdotium repetiſſet, quo à Iohanne octauo iure ſpoliatus fuerat.

Romanus primus, qui Stephano ſucceſſit, Formoſi partibus fauens, acta & decreta prædeceſſoris ſui Stephani ſuſtulit, & cauſam Formoſi probauit, maiora facturus, ſi vita fuiſſet longior.

Theodorus ſecundus Formoſi facta reſtituit, eiúſque ſectatores in pretio habuit: viginti tantùm dies vixit.

Iohannes decimus, patriâ Romanus, cauſam Formoſi in integrum volens reſtituere, repugnante magnâ populi Romani parte, ſeditio tanta orta eſt, vt à iuſto prælio parùm abfuerit: quod cùm videret, contulit ſe Rauennam, & illíc habito conuentu 74 Epiſcoporum, & Stephani res geſtas improbauit, & Formoſi acta reſtituit, diiudicans perperàm à Stephano factum, qui cenſuit eos iterum ordinandos eſſe, quos Formoſus ad ſacros ordines aſciuerat.

Sergius tertius Formoſi acta ita improbauit, vt denuò ad ſacros ordines repetendos adegerit, quos Formoſus antèà ſacerdotali ordine dignos cenſuerat. Neque hanc ignominiam mortuo intuliſſe contentus, eius cadauer è ſepulcro tractum capitali ſupplicio, ac ſi viueret, affecit, corpúſque eius in Tyberim proiecit, tanquàm ſepulturâ & honore humano indignum.

Nicolaus quartus, in ſexta decretalium lib. 6. cap. 3. *exiit qui ſeminat:* & Iohannes 22. in ſuâ extrauagante de verborum ſignificat. cap. 2. 3. 4. 5. pugnant totis decretis ſuper expoſitione regulæ Franciſcanorum. Quod cenſuerat decreto ſuo Nicolaus, Iohanni 22. eſt hæreſis: nempe, Chriſtum & Apoſtolos nullam rerum habuiſſe proprietatem, rerúmque proprietatem perpetuo poſſe ſeparari ab vſu, & id genus multa.

Innocentius 3, vt eſt in decretalibus lib. 4. tit. 19. de Diuortiis, prædeceſſorem ſuum Cæleſtinum 3 reprehendit, & contra eius decretum aliud edit contrarium. Hic aiebat, licere coniugi fideli, ſi alter in hæreſim lapſus eſſet, diſcedere, &, eo ſuperſtite, contrahere nuptias; at ille Innocentius, loco iam dicto, id pernegat. Vtri credendum?

Gerſon, in eodem ſermone.

Eccleſia vel generale Concilium dum dictat aliqua, regimen Eccleſiæ concernentia, Papa non ſic eſt ſuprà iura etiam poſitiua, quòd poſſit pro libito diſſoluere talia dictata per Eccleſiam eo modo & intentione, quibus dictata concluſáque ſunt. Eccleſia vel generale Concilium quamuis non poſſit tollere plenitudinem poteſtatis Papalis à Chriſto ſupernaturaliter & miſericorditer collatæ, poteſt tamen vſum eius limitare ſub certis regulis ac legibus, in ædificationem Eccleſiæ, propter quam Papalis authoritas & alterius hominis collata eſt.

In plenitudine poteſtatis non eſt ſita Monarchica poteſtas, ſed quòd ſuperiorem & maiorem, vel ſuperiores & maiores in terris non habeat. Plenitudinem poteſtatis ciuilis habebat apud Romanos Dictator: non tamen aut Monarcha erat, aut dici poterat. Apoſtoli omnes habuerunt poteſtatis plenitudinem, non tamen Monarchæ. Et qui hodiè reſtant Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Hieroſolymitanus, parem poteſtatem, & eandem ſe habere credunt, quam in ſpiritualibus ſibi vendicat Romanus Papa: tamen non ſe Monarchas vocant.

XUM

Nicolaus Cusanus lib. 2. ca. 17. de concord. cathol.

Ecce sententiam Augustini, scilicèt post iudicium etiam Romani Papæ vniuersale Concilium totius orbis supereminere approbatoriũ vel absolutorium etiã in ipsos iudices. Quam sententiam in multis locis 19. dist. in Canonicis, 2. q. 7. puto. vers. Item cùm Petrus. Et aliis locis in hoc opusculo allegatis, ipse Augustinus dicit. Nec habet hoc dubium, cùm Christus dicat Petro, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus. Vnde manifestum est, quòd non obediens Ecclesiæ, aut Concilio eius eam repræsentanti, debet esse Petro & eius successoribus sicut Ethnicus, & Publicanus. Et hoc probari potest authoritate sancti Gregorij Papæ in Epist. 214. vbi postquàm reprehendit Iohannem Patriarcham Constantinopolitanum de eo, quòd se Vniuersalem Patriarcham scripsit in fine. Et nos quidem, quibus per usum temerarium culpa committitur, seruamus, quod præcipit veritas dicens, Si peccauerit, &c. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Ego itaque per responsales meas semel & bis verbis humilibus, hoc quod peccatur in totam Ecclesiam, corrigere studui: per me scribo: quicquid humiliter facere debui, non omisi, sed in eâ correptione despicior, vt Ecclesiam debeam adire. Hæc ibi. Ecce Gregorium Papam fateri, quomodò correctio fraterna eo modo ad eum spectat, quo Christus mandat, scilicèt, vt vltimò adeatur Ecclesia, tanquàm supremum iudicium. Similiter & aliæ plures dispositiuæ ordinationes de Romanorum sede, quæ in diuersis Conciliis vniuersalibus factæ sunt: & manifestum est illas dispositiones à maiori authoritate robur cepisse: quare maior vniuersalis Concilij authoritas. Et plura eius generis ibidem.

Quod in hoc ioco notari cupio, est, ordinationes de Romanâ sede factas à diuersis Conciliis, à maiori authoritate robur cepisse. Vndè ego infero Monarchicam non esse Papalem authoritatem. Senatûs nobilium Venetorum tàm de potestate Ducis sui, quàm de cæteris rebus, quæ ad rem publ. spectant, decreta fiunt à maiori authoritate, & robur ac vim legis accipiunt, quàm est Ducis potestas. Vndè optimè sequi aio, supremam authoritatem illius reipubl. esse penès nobiles, non penès Ducẽ: qui quamuis singulis sit dignior, est tamen vniuersis, hoc est, ipso senatu inferior. Proindè illum non esse Monarcham, facilè à quouis intelligi arbitror. Optimatũ potestas Principem vnum, & etiam duos admittit, qui suprà cæteros eminent; qui, cùm parêre senatui Optimatum teneantur, Monarchæ non sunt. Apud Lacedæmonios duo erant Reges, sed Ephoris parebant: non erant igitur Monarchæ. De controuersiâ inter Episcopum Constantinopolitanum & Romanum, quid dicam? Miror scripta Gregorij magni non mouere Romanos Episcopos ad reiiciendum vniuersalis Episcopi nomen. Ferrea frons illis est, quos vsum tam prophani nominis post tam graues admonitiones retinere, & excusare suis scriptis, nihil pudet. Constantinopolitanus Episcopus illo hodiè adhûc vtitur: Alexandrinus se Iudicem œcumenicum dicit, & hoc in hâc miserâ Turcarum seruitute: quid mirum, si in tantâ bonorum copiâ Episcopus Romanus insolescat? Ab eo turpitudinẽ blasphemi nominis Bellarminus non abstergit suo glossemate. Pelagio certamen fuit cum Iohanne Constantinopolitano de nouitate huius nominis, & illud suo decreto damnauit ante Gregorium: sicut apud Gratianum legimus.

Pelagius omnibus Episcopis. Nullus Patriarcharum Vniuersitatis vnquàm vocabulo vtatur. Quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteri derogatur. Sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quempiam arripere, vndè honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunq; parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem vnquàm etiam in suis Epistolis vniuersalem nominet: ne sibi debitum subtrahat, cùm alteri honorem infert indebitum.

Hæc apud Gratianum in Decretis. Audiamus Gregorium magnum ad Eulogium Alexand. & Anastasium Antioch. Episcop. vbi queritur de vniuersalis Episcopi appellatione, his verbis:

Et quidem inter nos & ipsum, sicut vestra Beatitudo nouit, est grauis discordia propter appellationem profani nominis. &c. Sequitur: Meus verò Diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco Missarum solennia celebrare non debet, quia per prophanum vocabulum culpam superbiæ aut cõmisit, aut sequitur: ne, si (quod absit) procedit, ei in tali elatione posito vanitatem stulti nominis confirmare videamur.

Idem

Idem ad Cyriacum Constantinopol. Epist. 28.

Oportet ergò, vt mihi atq; omnibus fratribus vestris, eius charitatis pulchritudinẽ in hôc primùm opere monstretis, vt verbum superbiæ, per quod graue scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festinetis. &c. Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit.

Idem ad Eulog. Episcop. Alexand.

Indicare quoque vestra Beatitudo studuit iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt: & mihi loquitur dicens, sicut iussistis? Quod verbum iussionis peto à meo auditu remoueri, quia scio quis sum, & qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. &c. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri, tale aliquid scribere debere: & ecce in præfatione Epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui, direxistis, superbiæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curâstis. & Pòst sequitur: *Si enim vniuersalem Papam me vestra sanctitas dicit, negat hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc; recedant verba, quæ vanitatem inflant & charitatẽ vulnerant. Et quidem in sanctâ Chalcedonensi Synodo, atq; pòst à subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas nouit: sed tamen nullus eorum vti hoc vnquàm vocabulo voluit, vt, dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.*

Idem ad Mauritium Augustum, Epist. 32.

Non ego solus, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipsa Domini nostri Iesu Christi mandata, superbi atque pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur. Pijssimus Dominus locum fecet vulneris, atq; resistentem ægrum augustæ authoritatis vinculis constringat. &c.

De Petro subiungit: *Ecce claues regni cœlestis accipit, potestas ei ligandi & soluendi tribuitur, cura eius totius Ecclesiæ & principatus committitur: & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur. Et vir sanctissimus consacerdos meus Iohannes vocari vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor & dicere, O tempora! ô mores! &c.*

Item: *Nunquid ego hâc in rẽ, pijssime Domine, propriam causam defendo? nunquid specialem iniuriam vindico? Et non magis causam omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta, nouum sibi vsurpare nomen præsumit? Vtinam vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetat vniuersalis. &c: Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dùm ab vno sibi dementèr arrogatur. Certè pro Beati Petri Apostolorum Principis honore per venerandum Chalcedonensem Synodũ Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum vnquàm hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec vti concepit; nè dùm priuatum aliquid daretur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergò, quòd nos huius vocabuli gloriam, & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit?*

Concilium Carthaginense.

Ὥ'στε τῆς πρώτης καθέδρας ἐπίσκοπον μὴ λέγεσθαι ἔξαρχον τῶν ἱερέων, ἢ ἄκρον ἱερέα, ἢ ζωστὸ ζοπὸν τί ποτε, ἀλλὰ μόνον ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας.

Gratianus 99. distinct. sic vertit:

Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.

Pergit Gerson, in eodem sermone.

Et in hôc est totius Ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum. Ecclesia vel generale Concilium potuit, & potest congregari sine expresso consensu vel mandato Papæ, etiam ritè electi & viuentis, in multis casibus. Vnus inter cæteros est, quia accusatus & euocatus sit, vt audiat Ecclesiam iuxta Euangelicam allegatam, cui legi subiectus est, & ipse renuit contumaciter Ecclesiam conuocare. Alius casus, vbi materiæ grandes, concernentes regimẽ Ecclesiæ, veniunt terminandæ per generale Concilium, & Papa renuit contumaciter illud euocare. Alius, si etiam dictatum sit per generale Concilium, quòd debeat tali vel tali tempore conuocari. Alter casus est, vbi probabilis est dubitatio super contendentiâ plurium de Papatû, Ecclesia, seu generale Concilium si viam aliquam concluserit seu dictauerit acceptandam esse à Papâ pro terminatione schismatis, ipse tenetur illam acceptare: & ita secundùm præparationem animi tenetur ad cessionem; & dum vltrò offert eam & præuenit, redditur multiplicitèr commendandus. &c.

Hoc stabile totius Ecclesiasticæ reformationis fundamentũ, vtinam omnes Principes Christiani & Theologi, quibus verus Dei cultus & Ecclesiarum Christi salus cordi est, cognoscerent. Ecclesiarum enim status, qui nunc est, postulat, vt etiam inuito Papâ, liberum Concilium congregetur. Protestamur enim coram Deo & hominibus, nos contrà omne ius & veterum Patrum morem, non auditos, de hæresi damnatos ab illis, quos de multis & grauissimis hæresibus accusamus. Illos nostros esse iudices, iniquum est.

Nicolaus de Cusa, de concord. Cathol. lib. 2. cap. 34.

Si Vniuersalis Catholica Ecclesia infallibiliter per Christi assistentiam dirigitur, concurrente omnium Christianorum consensu, ad quamcunq; conclusionem, necessitatem salutis includentem: necessariò sequitur illam Christianam, fidelem & veram. Vniuersale verò Concilium dictans talem conclusionem consensu & legatione omnium fidelium, necessariò ex Christi assistentiâ & Spiritû sancto inspirante verè & infallibiliter dictat eandem. Nulla enim potest esse veritas, ad æternam salutem dirigens, nisi per Christum. Vniuersale autem Concilium ex Præsidibus & legatis collectum, qui ad ipsam congregationem rei inuestigabilis dubio in Prouinciâ propriâ non digesto, dum sic in vago conuiuunt ad consulendum, consensû subiectorum non apportato: ad hæc si ritè & legimè conuocatum, & omnibus vocatis collectum, liberrimè celebratum, & instè finitum cum omnium consensû, sententiam in quæstionibus salutem fidelium concernentibus dictauerit, propter propinquam repræsentationem totius Catholicæ Ecclesiæ, & propter omnium fidelium consensum, qui per legatos ac præsides concurrit, nunquàm legimus errâsse. Omnes autem Prouinciales synodos, ac etiam Romanos Pontifices hoc priuilegium non attingit. Et quoniam ob varias præsertim recentiorum Iuristarum & Theologorum scripturas, qui Papalem etiam super ipsas Synodicas authoritates exaltant potentiam, necessarium fuit inquirere concordantias scripturarum, remanente veritate præfatâ. Repertas differentias inter vniuersale Catholicæ Ecclesiæ, & vniuersale nationis, regni, vel Patriarchale, iuxta gesta Conciliorum (quæ quidem gesta, vt 91 dist. cap. 1. legitur, approbata sunt) inserui: vt quisque intellectâ differentiâ facilè videat hoc verum: scilicet, quòd Vniuersale Concilium Catholicæ Ecclesiæ supremam habet potestatem in omnibus, super ipsum Romanum Pontificem.

Quod Concilio vniuersali tribuant Nicolaus Cusanus & Gerson priuilegium; nempè, quòd non erret in determinationibus, quæ concernunt salutem fidelium; & negent Papæ; nisi Gretzerus cæcus est, videre potest. Eos contra Papistas, veros tamen Papistas non à me fictos, quasi quod non sentiunt scripserint aliquid, sed quod seriò senserunt & scripserunt, adduco. Plures possunt à me citari. Omnes Sorbonici Doctores eiusdem sunt in hâc re cum Gersone & Cusano sententiæ; sicut & cæteri omnes, quos contagio Romanæ superbiæ & auaritiæ non infecit.

Sed quædam de Conciliis sunt à Cusano dicta, quæ intacta præterire non possum.

Concilium

Concilium vniuersale, quod nobis descripsit, est ex præsidibus & legatis collectum, in quo septem requirit. Primò, vt sit legitima conuocatio: &, vt in illis qui conueniunt nullum sit præiudicium domo allatum: tertiò, vt sit liberum: quartò, vt adsit consensus: quintò, vt iustè finiatur: sextò, vt repræsentet totam vniuersalem Ecclesiam: & postremò, (quod omnium) est primum vt habeat Christum præsentem, qui spiritu suo inspiret conuentum illum, ac dictet illa, de quibus conueniunt. Singula hæc exactè & particulatim pertractare, non est præsentis instituti. Mihi tantùm propositum est, Papistas Papistis opponere, & hoc apud Gretzerum: quod argumentandi genus si aliquid momenti habet, deponat errores, quibus irretitus tenetur, & ad nos transeat. Hæc omnia vnquàm simul posse concurrere non videntur. Concilia vniuersalia, quæ totam vniuersalē Ecclesiam repræsentent, nulla vnquàm fuisse arbitror, præter illud, quod Hierosolymis conuenisse legimus, quod totam vniuersalem Ecclesiam repræsentauerit. Concilia illos tantùm repræsentant, à quibus missi sunt. Quæ leguntur conuenisse vniuersales Synodi, vt illa erat, quæ Niceæ congregata fuit, tantùm ex vrbe Romana conuenerunt, ad quos mandata Cæsaris potuerunt peruenire. Nemo ibi legitur à Persis, à Parthis, à Scythis, ab Indis, & ab Æthiopibus missus: quorum omnium interest nôsse, quæ ad veram fidem pertinent. Multò minùs id in sequentibus seculis fieri potuit. Dicitur quidem, Concilium repræsentare vniuersalem Ecclesiam, & hoc in primis definitur, quasi infallibilis gratia spiritus sancti directrix actionum Synodi non sit speranda, nisi repræsentatio totius vniuersalis Ecclesiæ adsit: quo semel constituto incertum manebit, nùm Dominus Iesus Christus illi Concilio interfuerit. Sed promissiones Christi malè restringuntur ad vniuersalitatem Concilij: quasi non omnibus Synodis nationalibus & prouincialibus, vel etiam cœtibus Christianorum, æquè ac vniuersalibus, Dominus se affuturum promiserit. Quàm latè Christus apud Matthæum suam promissionem extenderit, ex ipsius verbis manifestum fit. *Rursùm* (inquit) *dico vobis: Quòd si duo ex vobis consenserint, super terram, de omni rê, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui est in cœlis. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ducenti vel trecenti Patres, imò octingenti, quot in Concilio Ariminensi conuenisse dicuntur, plus à Domino postulare non potuerunt, quàm duobus aut tribus in nomine suo congregatis promisit: ne propter multitudinem eorum, qui conueniunt, nascatur fiducia, & propter paucitatem diffidentia. Hinc errare & errauisse inuenientur vniuersalia Concilia; & vera ac pia constituisse prouincialia. Priuilegium igitur, quod vniuersali Concilio tribuit, quod nunquàm fuit à temporibus Apostolorum, nec futurum aliquandò sperandum, ad omnes conuentus fidelium pertinet, qui in nomine Christi verè non fictè conueniunt.

De Ecclesiâ tum Gerson tum Cusanus quandò loquuntur, secuti communem errorem ita loquuntur, ac si hæc in terris visibilis errare non possit: quùm tamen vbique apud Euangelistas Dominus per similitudines permixtam esse bonis & malis docuerit. Non aliud hodiè habet Ecclesia priuilegium in illa re, quàm habuit olim ante Christi aduentum Israëlitica. Romana Ecclesia nihil ex diuinis promissis allegare potest, quod Hierosolymitana non habuerit. Illa verò à Prophetis tanquàm meretrix & adultera passim reprehenditur. Quod hodiè de Ecclesiâ Christi sponsâ credi volunt, qui illam sibi non sponso zelant. Israelitæ quondàm similiter iactabant, *Templũ Domini, Templum Domini, Templum Domini. Non enim peribit lex à sacerdote, neque cõsilium à sapiente, nec sermo à Prophetâ.* Romanistæ se homines esse non credunt, & illud ipsum eis euenisse, quod olim veteri populo Dei. Quicquid spurcitiarum Satan technis suis inuexit in Ecclesiam, nihil illorum pudet: omnia illîc sancta, omnia pia, quæ Papæ iudicio & moribus corruptissimi, eorúmque adulatores probant. In meretricem, virginem Christi sponsam hodiè, sicut olim apud Iudæos, degenerâsse, sibi persuadere non possunt. Fateor veterem Ecclesiam Romanam, virginē castam desponsatam fuisse Christo. Ista, quæ hodiè regnat, meretrix est impudentissima, quæ suas scortationes & idololatrias pro pietate mundo venditat. Israelitica Ecclesia patienter audiuit, *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Et, *Quomodò facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij? Iustitia habitauit in eâ, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aquâ. Principes tui inobedientes, socij fu-*

Iere. ca. 7. vers. 4.
Iere. ca. 18 vers. 18.
Iere. c. 3. v. 3
Esay, cap. 1. v. 21. 22. 23

rum

rum, omnes diligunt munera & sequuntur retributiones. Sed vt hæreticus habitus fuit vir Dei, qui hæc Israëlitis exprobrare ausus est: ita apud Romanistas hodiè non melius audiũt, qui scortationes, & idololatriæ omne genus Romanæ Ecclesiæ exprobrare audent. Nihilo tamen melior est Romanæ Ecclesiæ status, quàm fuit Hierosolymitanæ, quandò Ezechiel manu Dei in Hierusalem deportatus est, & constitutus in visione Dei iuxta ostium portæ atrij interioris, vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem: *Et ecce ibi gloria Dei Israel secundùm visionem, quam videram*
Ezec. 8. cap. *in campo. Et dixit ad me, fili hominis, leua oculos tuos ad viam Aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam Aquilonis. Et ecce ad Aquilonem iuxtà partem Portæ altáris idolum zeli in introitu. Et dixit ad me, fili hominis, nonnè vides tu, quid isti faciunt, id est, abominationes magnas, quas domus Israel facit hîc, vt procul recedam à sanctuario meo? Sed adhúc conuerte te, & videbis abhominationes maiores,* et cætera, quæ illic à Prophetâ narrantur ipsi reuelata fuisse, nempe à 70 senioribus populi Dei execrandas abominationes in ipso Dei templo perpetrari. Lege totum caput decimum sextum Ezechielis, & inde disce statum illius Ecclesiæ, non minùs dilectæ Deo Romanâ Ecclesiâ, & Græcâ. Adiunge primum caput Ozææ, vbi Iuda & Israel comparantur adulteris, ex quibus tamen Deus sibi filios & filias genuit. Idem accidisse Latinorum & Græcorum Ecclesiis, in mentem inducere sibi homines in suâ impietate cæci, non magis hodiè possunt, quàm olim Israelitæ poterant à Prophetis persuaderi, cultus, quos sibi falsorum numinum elegerant, esse sacrilegos.

Agè, conuocata fuerit Synodus ex sacerdotibus & senioribus illius seculi: viri Dei ab illis fuissent reiecti, tanquam hæretici & pseudoprophetæ. Nullus Ieremias, nullus Ezechiel, nullus Esaias, nullus Ozæas locum in illo consessũ habuissent. Ex quo, quæso, hominum genere fuêre, ab hinc multis annorum centuriis, quæuis nostra concilia, tàm vniuersalia quàm prouincialia, composita? Ecclesiæ suis Præsulibus fuerunt similes, & Præsules suis Ecclesiis, & alios ab illis mississe ad Synodos non potuerunt. Quisquis in Ecclesiam Romanam oculos coniicier, quæ omnium aliarum Ecclesiarum se matrem iactat, & se solam catholicam & orthodoxam nimis insolenter gloriatur, à
Ezec. 16. c. 20. 21. v. calce ad summum vsque verticem coopertam fœdissimis erroribus & idololatriis omnis generis inuenict.

Nihil te fallat, candide lector, Ecclesiæ & matris nomen. Nouit enim misericordia Dei ex adulterâ sibi legitimos natos procreare. Nati & baptizati sumus in Ecclesia Romana, sed non in nomine Ecclesiæ, sed Dei patris, & filij, & spiritûs sancti: & renati sumus Deo, non Ecclesiæ. Matris illius nos pudet, quia maritum suum, ducem virginitatis suæ, dereliquit: meritò cum matre huiusmodi expostulant nati, qui Deum
Osex. 1. & 2. ca. patrem amant: hæc expostulatio contra matrem certa est pictas in patrem.

Mirum est veteris populi Ecclesiam sub Mose errâsse, sub iudicibus, & sub regibus similitèr; nullum tempus in quo non magis dediti fuerunt superstitioni & idololatriæ quàm veri Dei, quem profitebantur, vero cultui. Ad illam semper Sacerdotes & Leuitæ se populo præbuerunt Duces. Sub Apostolis idem accidit Ecclesiis. Reprehenditur Ecclesia Corinthiorum & Galatarum de grauissimis erroribus, qui illa ætate irrepserant apud illos. Septem Asiæ Ecclesias reprehendit Spiritus sanctus. Et Romana Ecclesia perstiterit firma & constans in vero Dei cultu in hunc vsque diem, incontaminata pernicioſis erroribus? Hoc vnũ est, quod obstinatè defenditur. Quo præiudicio quamdiũ mens fuerit præoccupata, veritati nullus erit locus, nec veritatem cernere, & ad Deum se conuertere quisquam poterit.

Olim quandocunq; in populo Dei aliqua reformatio tàm fidei quàm morum accidit: illa non ex vsu & moribus præcedentium temporum fiebat, sed ex verbo Dei. Verbum ad cõformandos mores non trahebatur, sed mores ad verbum Dei. Et quan-
Dan. 9. cap. Baruc. 9. ca. dò illi conuertebantur, peccata sua, suorúmque Patrum, Regum, Iudicum, & Sacerdotum, confiteri non erubescebant. Hodiè contrà Romanistæ aiunt; Neque nos, neque Patres nostri, neque Sacerdotes, neque Reges nostri peccauimus. Peccatricem tamen se illa Ecclesia fatetur, quotiescúnque orationem Dominicam recitat: sed quàm facile hoc est, tàm est difficile in quibus maximè passim ab omnibus peccetur agnoscere. De casibus conscientiæ multa quidem, sicut & de ratione confitendi scripta:

sed

ſed præcipui conſcientiæ caſus, & vera confitendi peccata ratio ignorantur, & ſacrilega impietas in cultû Dei numeratur. Niſi Deus mentis Romaniſtarum oculos aperuerit, Papatum, & quæ illum comitantur, eſſe peccatum grauiſſimum, nunquàm cognoſcent.

Vixi ipſe quondàm in Eccleſia Romana: ſed nihil eorum, quæ nunc gratiâ Dei video, vìdere aut intelligere potui, nec differentiam conſtituere inter illa, quæ ibì ad Deum & Eccleſiam pertinent, & quæ ſunt ab hominibus, authore Satanâ, ſine verbo Dei, & contra verbum Dei introducta; & hæc poſſe & debere derelinqui, retentis illis, quæ à Deo ſunt. Quod qui facit, ab Eccleſia non recedit, ſed tantùm ab hominũ traditionibus: quicquid à Deo eſt, & ad veram Chriſti ſponſam pertinet, ipſe retinet; & in Chriſto, & in Eccleſia Dei manet. Veteris & noui Teſtamenti doctrina à Deo eſt, & idcircò abiicienda non eſt. Baptiſmus eſt Domini noſtri inſtitutio: ergò illum retinere oportet. Inuocatio nominis Dei eſt à Deo mandata: idcircò Deum inuocare fideles debent. Illa, quæ eſt ſanctorum, cum imaginum cultû reiicitur, quia in verbo Dei non inuenitur. Nihil enim aliud recipiendum & fidê credendum eſt, quàm quod in verbo Dei ſcripto expreſsè docetur aut indè deducitur. Monarchia Papalis nuſquã in verbo Dei inuenitur, ſed contrarium. Et illam perniciosam eſſe vniuerſali Eccleſiæ, ſtultorum magiſtra, temporum longa docuit experientia. Quorsùm enim appellatio ab omnibus aliis Eccleſiis Romam? Nùm in ſuis locis cauſæ non meliùs & æquiùs decîdi poterunt, quàm Romæ; vbi nec teſtes, nec cætera documentà ad cauſæ æquitatem euincendam exhiberi poſſunt? Pauci quidam innocentes à ſuis oppreſſi narrantur à Romano Papâ reſtituti, idque in communi omnium Chriſtianorum causâ: ſed quid hoc iuuat, ſi contrà ſexcenti inueniantur periclitati? Num vnus Papa audiendis & diiudicandis cauſis totius orbis terrarum ſufficere poteſt, aut vnquàm potuit? Legatos, ſi dicas, mittet, aut in vrbe dabit, qui de causâ cognoſcent & iudicabunt; quid illi? Num cum Petro eâdem etiam fidê & æquitate erunt præditi, quâ iuſtè de controuerſiis iudicent? Papa ſcilicet illis, ſpecialem illam, ſibi (vt credit) datam gratiã communicabit, vt infallibilem æquitatis regulam in iudicando teneant, quam ipſe Papa aut ipſe Petrus tenuiſſet, & Romanæ ſedis beneficio miſeri conſequantur æquum iudicium, quod domi non poterant? Hæc diſputantur, ad inexplebilem ambitionem & auaritiam Romanæ curiæ alendam, non ad cauſarum æquitatẽ definiendam. Sed hæc Papalis authoritas nunquàm aut ratione aut vllo Dei verbo probabitur.

Hæc cauſa acta & tranſacta fuit in ſextâ Carthaginenſi vniuerſali Synodo, & prohibitum ab Africanis Eccleſiis appellare Romam. Tunc nulla Monarchica Papæ poteſtas, nullus Chriſti vicariatus, nulla Petri ſucceſſio allegabatur. Exploſum hoc à Patribus fuiſſet, tanquàm nouum, & Patribus antè nunquàm auditum. Vulnus hoc Papali Monarchiæ tunc inflictũ non ſanauit Bellarminus; nec tu, Gretzere, vnquàm ſanare poteris, quàmdiû Acta, & Epiſtolæ illius Concilij ad Bonifaciũ & ad Innocentium ſcriptæ manebunt. Veſtram Monarchalem Papæ poteſtatem, quæ neceſſariò ius appellandi ad Papam habet, nũquàm defendere poteritis. Si veſtra de hâc re Theologia nota fuiſſet Africanis Patribus, inter quos erat Theologorum coryphæus Auguſtinus; nunquàm tanto ſtudio requiſiti fuiſſent Nicenæ Synodi canones. Verbum Dei, in quo vos hanc fundatis tyrannidem, Patribus ſatisfeciſſet. Non ignorabant, quam Petro Dominus dediſſet authoritatem. Sed tantùm abeſt, vt Petro & ipſius ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis datam fuiſſe talem authoritatẽ cognouerint, vt illam fumoſum typum ſeculi vocauerint, quem in Eccleſiâ inuehi indignum Epiſcopis Romanis iudicârunt. Viderunt enim, quod nemo niſi cæcus non videt, optimè quæque negotia in locis ſuis poſſe definiri.

In hanc diſputationem delapſus ſum præter animi mei ſententiam; qui ab initio conſtitueram tantùm oſtendere, quàm ſit vanum, quod Gretzerus mea ſcripta contra meum ſenſum citauit, tanquàm Caluiniſtæ contra Caluiniſtas, ad defendendam ſui Papæ tyrannidem: quùm nos Papiſtarum ſcripta contra Bellarminum allegare longè efficaciùs poſſimus. Quicquid iſtud feci, laceſſitus feci. Non enim conſtitueram contra Papiſtas quicquam ſcribere, quòd à pluribus hoc fieri ſcirem, qui poſſunt & valent meliùs, quàm à me præſtari queat. Illis næuis repurgandis, quibus noſtras

Eccleſias

Ecclesias deformari existimo, animum appuleram: ne fortè morositate quorundam Theologorum à veritate Euangelicâ deterreantur, qui aliàs ab illâ non sunt alieni. Sed quod loquendi morem attinet, quo hîc vsus sum, nolim ego candidum lectorem offendî: studio, imitatione aduersariorum id feci, vt in me videant quàm hoc sit turpe. Ego facilè ad meum scribendi morem redibo, si scribere me vlteriùs compellant. Si benè audire volunt, benè loquantur.

(·.·)

FINIS.


VENERABILI VIRO, MIHI MVLTVM DILECTO, & OBSERVANDO fratri N. *Hadrianus Sarauia* *ſalutem.*

VBI IDEM *SARAVIA*, RESPONdet ad Articulos quoſdam dicti fratris & *Amici.*



Anno Domini, 1610.

XUM





VENERABILI VIRO MIHI

multùm dilecto, & obſeruando fratri N.

Had. Sarauia ſalutem.

PEruenerunt (mihi multùm dilecte & obſeruande frater) ad meas manus (quomodò nihil referre opus eſt) Obſeruationes tuæ in Canones Eccleſiæ Anglicanæ Synodi: quibus te non tantùm cenſorem illorum conſtituis, quàm patronum ſchiſmaticorum. Suſpiciones quas olim reuerendiſſimi Epiſcopi de te & tuis collegis conceperunt non fuiſſe falſas, Articuli Obſeruationum tuarum apertè demonſtrant. Doleo, ita me Deus amet, id abs te eſſe factum. Schiſmaticorum Anglicanæ Eccleſiæ veteres iſtæ ſunt calumniæ. Hanccine à nobis, quos tam humaniter & fraternè hoſpitio exceperunt, & diſſentientes ab eccleſiarum ſuarum ritibus & ceremonijs patienter tulerunt, reportabunt gratiam; vt qui eccleſiam Anglicanam perturbant, nos habeant (ne dicam authores) patronos & defenſores? Tranſmarinarum eccleſiarum moribus imbuti hûc venimus. Ad illas conniuendum charitate ſibi eſſe duxerunt, nihil minùs metuentes, quàm vt eis curioſis hominibus affricaremus. Hoc nonnullis ingenijs eſt innatum, vt domeſtica faſtidiant, et ament peregrina. Peccatum à ſuis anteceſſoribus eſſe nimia in hac re facilitate credere poſſunt, quando nobis permiſerunt, ritibus & ceremoniis vti diuerſis à ſuis. Quod certè à veſtris eccleſiis nunquam fieret, ſi apud illas ipſos contingeret exulare. Tametſi vna fides Chriſtiana ſit, & quæ vera eſt in Deum pietas non violetur varijs & diuerſis, in externo cultu, ritibus & ceremoniis, in quibus nulla impietas ineſt: in eadem tamen vrbe tolerari, certum periculum habet ſchiſmatis. Quod nobis indultum eſt, ſupercilio reformationis, quam ad exactiorem diuini verbi normam formatam eſſe, quàm Anglicana ſit, debitum, non gratiam fuiſſe, te interpretari ſuſpicari poſſunt; & publicam veſtræ reformationis admiſſionem tacitam quandam Anglicanæ eccleſiæ rituum eſſe improbationem. Anglicanæ tamen eccleſiæ reformatio habuit authores grauiſſimos viros; qui ſuo ſanguine eam confirmârunt: quorum ſi vlla, quæ deberet, ſchiſmaticos moueret reuerentia, nunquàm illius ſanctiſſima liturgia fuiſſet ab illis tam indignis calumnijs lacerata. Sed præſtat rationibus & argumentis agere, quàm vano ſermone, quod reuocari non poteſt, deplorare. Primus Articulus Obſeruationum tuarum hic eſt.

ARTIC. I.

QVum fidei confeſsio anno 62. ædita Apocrypha ſcripta diuellat à Canone ſcripturarum ſacrarum; durum videtur illorum pleraque (nè quid grauiùs dicam) inepta, legenda proponi, & propoſita probari debere à ſingulis, ſubſcriptione, ſynceræ ſcripturæ, et veteris Teſtamenti librorum nomine.

RESP.

MEram & veterem hic Articulus calumniam continet. Nihil decretum in Synodo eſt huiuſmodi; nec vllus eſt Canon qui hoc exigat. Malè hoc â te fuit obſeruatum: ſi modò obſeruatum, & non potiùs à ſchiſmaticis acceptum: quod tamen nuſquàm demonſtrari poterit. Illos Canones citâſſe oportuit, quibus æquan-

 tur

THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

XUM

tur ſcripta Apocrypha libris Canonicis, aut ſubſcriptio exigitur: qua veteris Teſtamenti librorum nomine, probentur inepta quædam in ſcriptis Apocryphis contenta. Tu hæc ab alijs accepiſti, ipſe nuſquàm legiſti: ſed quia in illis apocryphis nonnulla ſunt, quæ cum magna populi Chriſtiani ædificatione legi poſſunt, eum tota antiquitate Canonicis libris adiungi viſum eſt. Quod cùm exemplo veterum Patrum fiat, à quo cùm Geneuenſes, tùm omnes aliæ orthodoxæ Eccleſiæ non abhorreant, illud in Anglicana Eccleſia à te aut ab alio quouis culpari non debet: cùm omnibus conſtet, ex illis nullum orthodoxum dogma confirmari, nec loco Canonicarum ſcripturarum haberi.

ARTIC. 2.

QVùm mandatis tùm Regio, tùm Eccleſiaſtico, procuretur noua Bibliorum æditio, ad ea loca emendanda in quibus fortè aberratum fuerit, fieri poteſt, vt in iis quæ publicè leguntur non pauca ſcripturis diſſona reperiantur. Quale eſt illud, exempli gratia, in Pſal. 105. V. 28. Non obedierunt verbo Dei; quùm veritas hebraica legat, Et paruerunt.

RESP.

HIc ſecundus Articulus parem continet calumniam. Nulla ſubſcriptio exigitur tranſlationum quarumcunque, niſi quatenùs conſentiunt cum veritate Hebraica. Nemo prohibetur, quandò aliquem ſcripturæ locum interpretatur, verſionem quam habet reuocare ad Hebraicam veritatem. Nullam ego verſionem eſſe arbitror, in qua nihil deſit, quod deſideres. ולא מרו *& non rebellârunt verbis eius*; pij interpretes tranſtulerunt, *& rebellârunt verbis eius*. Quid enim מרה ſignificaret, non ignorârunt: ſed quia non viderunt quis eſſet nominatiuus verbi מרו & de Iſraelitis vel de Egyptiis cùm non poſſet intelligi commodè, quos rebellâſſe Deo conſtat, intellexerunt Egyptios. Præcedunt enim verbum מרו tria quædam, à quibus nominandi caſus ſupplendus eſt: nempè *ſigna, Egyptij, Moſes & Aaron:* qui duo proximè præcedunt, & de ipſis commodè intelligitur; Qui quanuis arduum & periculi plenum eſſet adire tyrannum, cum mandato quod ei ingratum futurum non ignorabant, non fuerunt tamen Deo inobedientes: contempto periculo, adiuêre Regem. Poteſt etiam non abſurdè interpretari locus de Moſe & Aarone, quod verbo Dei paruerint mandantis vt miracula illa ederent, quòd non dubitârint per ipſos fieri poſſe illa miracula, quæ ab eo mandabantur. Ad tenebras & ad alia miracula referri ſimiliter poteſt, vt intelligantur tenebræ & aquæ verbo Dei obtemperâſſe. Sed non ſatis commodè de Moſe & Aarone intelligi id poſſe crediderunt noſtri interpretes. Regis & ſeruorum ipſius rebellio ita hærebat in eorum mente, vt eam ibidem notari crederent, & illis aprandum eſſe ſermonem. Non enim tam fuit erratum in rei veritate, quàm in applicatione. Itaque cùm non raro apud Hebræos לא accipiatur pro לו *ei*: ולא tranſtulerunt *& ei rebellârunt*, מרו referentes aut ad Egyptios aut ad Iſraelitas: quos ſemper fuiſſe rebelles verbis Dei legimus: cùm id prius intelligi debeat, vel de Moſe & Aarone, vel miraculis, quæ per eos edita ſunt. Habebant præterea Septuaginta græcam verſionem, quæ habeat, ὅτι παρεπίκρανον τοὺς λογισμοὺς αὐτῶν, *& exacerbârunt ſermones eius*; quod de Moſe & Aarone dici non poteſt, ſed de Egyptiis. Scelus (mi frater) eſſe cenſes huic verſioni ſubſcribere? & ob tantillam aberrationem nolle approbare Conſtitutiones Anglicanæ Eccleſiæ? Nùm hæc tibi videtur ſatis idonea cauſa? In Geneuenſibus Eccleſiis ſubſcriptionem ſimiliter vrgeri non ignoras. Nùm putas adeò exactam apud illos Bibliorum ſacrorum verſionem, cui nihil huius generis ſit inſitum?

Confer poſtremas cum prioribus verſiones: & videbis grauius à veritate hebraica in illis fuiſſe aberratum, quàm ſit in hoc, quem allegâſti, loco. Satis cauſæ tamen ad negandam ſubſcriptionem illos habere non iudicares, ſi

qui

qui apud vos recusarent illarum Ecclesiarum constitutionibus subscribere. Quàm autem sis in Anglicanam Ecclesiam Iudex iniquus, ipse tu Iudex esto.

ARTIC. 3.

VSque adeò corruptam hominis naturam constat, vt nisi spiritu mentis renouetur, nihil sit aliud quàm caro. Inflectenda igitur verba videntur, vt cum vero sensu Ecclesiæ Anglicanæ conueniant; quibus naturalis homo sic ad malum propensus dicitur, vt in eo sit perpetua carnis cum spiritu lucta: quod ex scripturæ phrasi, regeneratorum est proprium.

RESP.

NEc hic tertius Articulus à calumnia vacat. Nota cùm sit Ecclesiæ Anglicanæ doctrina, locos venari in quibus ipsa secum pugnare videatur, vt quis carpat, eíque insultet, hominis est improbi. Quod qui sibi permittet, nullum orthodoxum scriptorem, immò nec ipsos sacros codices à calumnia immunes præteribit. Spiritus generale est vocabulum; nec, vbicunq; legitur, semper pro regenerationis & adoptionis Filiorum Dei accipitur spiritu. Qui renati non sunt, omni spiritu Dei destituti non possunt haberi, nec etiam dici non repugnare spiritui sancto: & de quouis homine verè dici potest, quòd naturalis homo sic ad malum propensus est, vt cum Dei spiritu pugnare, eíque repugnare, & aduersari non desistat. De hominibus primi seculi in Genesi legitur, Deum dixisse, *Non disceptabit spiritus meus cum homine in seculum, quia ipse caro est.* Pharao, & alij qui Deo apertè repugnant, & corda sua aduersùs Deum obdurant, non absurdè cum spiritu Dei dicuntur luctari. Stephanus in Act. Apost. exprobrat Iudæorum primoribus, quod cum Patribus suis Sp. sancto semper obluctati essent. Præterea syntheresis, quam omnes mortales, quibus rationem & iudicium Deus dedit, in se sentiunt, est quædam Dei non scripta, sed nobis innata lex, et Dei donum ad conseruationem humani generis in hac vita. Hoc pacto fit vt se taciti in mentibus suis accusent, excusentque homines apud Deum, quandocunque aut flagitiosè, aut fortiter quicquam perpetrârunt. Hinc Medea apud Ouidium;

Sed trahit inuitam nona vis, aliúdque Cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, probóque,
Deteriora sequor.

Quanuis in hac fœmina, alijsque mortalibus, qui renati non sunt, animorum perturbationes sibi contrariæ sæpè incidant; non idcirco censendæ sunt minùs spiritui Dei aduersari, cumque illo pugnare, quàm ipsas secum inter se. In renatis verò dictio Spiritus, non semper accipitur pro spiritu Dei, sed pro illa hominis parte, quæ ex Deo nata est, & spiritus vocatur, quia de spiritu Dei nata est. In quo sensu soli renati luctantur cum carne, & caro perpetuum cum spiritu certamen habet. Sed quid hîc habes, quare subscriptio negari possit?

ARTIC. 4.

QVod Dominicâ duodecimâ post Trinit. in Collecta dicitur Deum ea nobis donare, quæ petere ab ipso preces nostræ non ausint præsumere: Interpretor ex eodem loco Deum vota nostra & præuenire & superare. Sed verbis illis si quis inhæreat, papisticam diffidentiam stabilire videantur, contra infinita scripturæ loca.

RESP.

DE Collecta Dominicæ 12. post Trinit. nec sensu verborum, nec verbis ipsis vllam papisticã diffidentiam significari vnquàm quisquam demonstrauerit. Sed quis tu? quæ tua est authoritas? que eruditio? vt sine vlla ex verbo Dei demonstratione audeas damnare tam sanctam, tam humilem, tam piam orationem? Vtinam demonstrares quod tam confidenter affirmare audes, esse contra infinita scripturæ loca. An non multa sunt in Dei arcanis, quæ fidelibus suis Deus dare decreuit, qui tamen

men illa petere non auderent. Multa ſunt quæ abſque præſumptione petere non poſſumus. Petitio filiorum Zebedei, præſumptio quædam fuit. Idem nobis accidere poteſt in omnibus illis precibus, quibus bona illa abſolutè poſcimus, quæ aut naturæ ſunt, aut huius uitæ; vt ſunt rara & excellens liberalium diſciplinarum ſcientia, opes & diuitiæ, corporis ſanitas, magni honores, & dignitates ciuiles, vel Eccleſiaſticæ, in quibus ambitione humana mens facilè fallitur: & idcircò abſolutè poſcere non debemus. Idem dico de Sp. ſancti donis, vt ſunt illa quæ inter gratuita dona numerantur ſpiritus Dei, & ad Eccleſiæ ædificationem dantur; cuiuſmodi ſunt donum linguarum, prophetiæ, interpretationes, & doctrinæ ſacrarum ſcripturarum, & variatum virtutum, & quidquid eſt huius generis, non niſi ſub conditione petuntur: quia abſolutam de illis non habeamus promiſſionem, niſi quatenùs ſalutem precantis, & Eccleſiæ ædificationẽ, ac gloriam Dei ſpectant. Quibus quùm Deus ſeruos ſuos ornare decreuerit, cumulatiùs quàm petimus, tantam menſuram nunquàm petere auderemus: fides autem, fiducia in Deum, charitas, & Dei gloria, & ædificatio Eccleſiæ, electorumq́; ſalus, ſimpliciter & abſolutè petuntur: in cæteris, quæ Deo non nos commendant, conſilio Dei nos & noſtra vota ſubijcimus. Salomon ſapientiam à Deo poſtulauit, & maiorem obtinuit coniunctam cum omnium rerum maiore ſcientia, quàm a Deo petere præſumpſiſſet. Quòd ſi tantam donorum Dei copiam petiuiſſet, præſumptione ſua Deum fortè offendiſſet. Multa ſunt in rebus humanis, vulgo maiora facultate hominum: quæ potiùs ambitione quadam, & parua cupiditate ab hominibus expetuntur, quàm vera charitate: illa tamen Deus aliquibus dare decreuit, tum ad ipſorum, tùm ad Reip. & Eccleſiæ ſuæ vtilitatem: quæ ſimpliciter & abſolutè cupere nefas, expetere ambitioſum, & à Deo poſtulare ſuperbum, ne dicam impium eſſet; qualia ſunt magnæ opes, honores, & dignitates non debitæ, conditione præſenti maiores. Nùm fas fuiſſe, Ioſepho cuiquã videtur, in pedore illo carceris in quẽ innoxius coniectus erat, illos honores concupiſcere, & Deum de illis interpellare, ad quos à Pharaone euectus eſt? Honeſta libertas modeſto iuueni ſatis fuiſſet. Mardocheus apud Perſas, Perſicos honores nullos ambiuit; Iſraelitici populi ſalutem tantùm quærebat: ad ſummos tamen honores, vno tantùm gradu Regio inferiores, quos nec ipſe nec Eccleſia petere à Deo auſi vnquàm fuiſſent, propter populi Dei ſalutem aſſumptus eſt. Quòd ſi illius temporis Eccleſia in ſuis ad Deum precibus vſa fuiſſet illis eiſdem verbis, quibus Anglicana hodiè vtitur, vt Deus dare dignaretur, quòd preces petere non audebant præſumere, nùm impiam tibi et papiſticam ſtabilire viſa fuiſſet diffidentiam? Nimis tua ſententia tuorúmque præceps eſt, mi frater, quâ Anglicanæ Eccleſiæ preces damnare audetis.

ARTIC. 3.

SI ſacri Baptiſmatis efficaciã, tanquàm lauacro regenerationis, neceſsariò regenerantur infantes; fides autem, abrenuntiatio Sathanæ & operibus eius, Deóque obſequium, vel partes ſunt vel effecta regenerationis: quomodò fieri poteſt ex verbo Dei, vt ante ſuſceptum baptiſmum, infantes per ſuſceptores ſuos conteſtentur ſe iam Diabolo & operibus eius abrenunciare, omnibúſque & ſingulis fidei articulis firmiter credere, vt Deo ſecundùm omnia ipſius mandata obſequantur; hoc eſt, ſe iam ante regenerationem regeneratos eſſe? Certè quidem vt olim Iſaac, Iacob, & Eſau circumciſi fuerunt; ſic initiantur ex Chriſtianis parentibus prognati, quod in Dei fœdere contineantur. Quod fœdus vera fide amplecti, ſanctáque obedientiã ſancire de iure tenentur, ſuóque Baptiſmo ad id præſtandum inuitantur.

RESP.

RESP.

IN quinto Articulo de ſacri baptiſmatis efficacia, multa inuoluis & implicas : quæ tibi explicare haud facile fuerit. Anglicana eccleſia tenet omnes infantes in baptiſmo regenerari, & donari ſpiritu adoptionis filiorum Dei. Non ignoramus quid de hac re Geneuenſis ſcholæ Doctores doceant : id tu diſſimulas, et ex Anglicanæ eccleſiæ doctrina argutari videri vis. Præteritis tamen ſuper hac re controuerſijs, tantùm ad tuâ interrogationem reſpondebo. *Quî fieri poteſt* (inquis) *ex verbo Dei, vt ante ſuſceptum baptiſmum, infantes per ſuſceptores ſuos conteſtentur, ſe iam diabolo, & operibus eius abrenuntiare, omnibuſque & ſingulis fidei articulis firmiter credere, vt Deo ſecundum ipſius mandata obſequantur, hoc eſt, ſe iam ante regenerationem regeneratos eſſe ?* Reſpondeo, quod ipſe non ignoras, has interrogationes olim fieri ſolitas catechumenis baptizandis : quod & hodiè adhûc fit, quando adultus baptizatur : nec tamen illud primum abſurdum, quod infers, nempè ante regenerationem eſſe renatos, cuiquam orthodoxo viſum eſt. Teſtari & promittere per ſe omnia illa catechumeni ſolebant, quod infantes per ſponſores promittunt : in qua re nemo ſanus quidquam abſurdi committi dixit. Philippus ab Eunucho, quem ex lectione propheræ Iſaiæ Chriſtum docuerat, petenti baptiſmum, fidem exegit, an toto corde crederet, priuſquàm baptiſmo initiaret : de quo dubium non eſt renatum fuiſſe ante regenerationis ſuſceptum lauachrum. Cornelius cum coetu illorum, quos ad audiendum Petrum aduocârat, antequàm baptizaretur, Spiritum ſanctum accepit. Ipſi Apoſtolo Paulo, qui ſeſe iam totum in Chriſti tradiderat obſequium, ab Ananiâ dicitur ; *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Ieſu.* Quis dubitat Cornelium, & ipſius amicos, in quos ſpiritus ſanctus deſcenderat in ſigno viſibili, ſimiliter & Paulum, fuiſſe fide iuſtificatos & renatos, antequam baptizarentur. In Epiſt. ad Rom. diſputatur per ſolam fidem iuſtificationem accidere homini ſine operibus : atque adeò ipſum fidei Patrem Abrahamum diû ante circumciſionem fuiſſe per fidem iuſtificatum, & pòſt accepiſſe circumciſionem ſignaculum iuſtitiæ fidei. Vides ante ſuſceptionem regenerationis lauachri, renatos fuiſſe baptizandos. Et quàm in ea re nihil ſit abſurdi, veſtræ Eccleſiæ docent, quando infantes in vtero matrum ſanctificari docent, nec quicquam penſi facitis infantes abſq; baptiſmo mori. In proteſtatione ſponſorum maior eſt difficultas, qui aiunt puerum credere, & renuntiare diabolo : quæ tamen ſuam habet veritatem, eſtque profeſſio efficacior per verbum primæ perſonæ præſentis temporis, quàm ſi in tertia perſona, et tempore futuro ſponſores dicerent, Credet, & diabolo renunciabit. Quandoquidem infans in Chriſtiana familia, vel in Chriſtiano populo natus eſt, & ad illum pertinet, quicunque ipſius ſint parentes, Chriſtiani vel Ethnici, hypocritæ vel excommunicati ; vnus eſt, & veluti quædam pars eorum, qui Deo credunt, & diabolo abrenunciârunt, & Deo ſe deuouerunt, liquidò dicere poteſt, Credo, & Satanæ abrenuntio. Quiſquis enim cenſetur in parte populi Dei, in fœdere quoque Dei continetur, & fœderis Dei ſignum tenetur accipere, quod de cultoribus eſt proprium, qui in Deum credunt, & Diabolo abrenunciant. Qui in Anglia naſcitur, Anglus eſt, etiamſi parentes ſint alienigenæ ; & dicere poteſt, Ego ſum Anglus, ſubiectus meo Regi, & ipſius legibus, inimicus ipſius omnibus inimicis. Quia res eſt maximi momenti inter filios Dei cenſeri, ſtipulationes adhibentur ſolemnes, adhiberi ſolitæ quando in poſſeſſionem mittuntur infantes, aut pueri qui nondùm ſuam conditionem intelligunt : vt ſunt regnorum & magnorum principatuum inaugurationes : in quibus ordines ſtipulantur ab infante, omnia quæ ab adulto ſtipulari ſolent : & reſpondet infans per ſuos procuratores, qui iurant præſtiturum principem pacta conuenta inter principem & populum. Quæ omnia præſtare puer obligabitur, non ſecùs quàm ſi ipſe omnia illa ſe promiſiſſet obſeruaturum. Ciuiles huius generis ſtipulationes, cùm æquitate & iure nitantur, ſtultæ ab hominibus ſanis non habentur. In ſacri baptiſmatis initiatione improbari ſimiles non debent. Qui illas contemnunt, viderint ipſi qua temeritate

& leuitate id faciant. Hoc te cogitare velim (mi frater) nec ſtultos, nec amentes fuiſſe qui primi à fæcibus papiſticis, in Anglicana eccleſia repurgârũt baptiſmi formulam: quorum memoriæ non minus honoris deberi credimus, quàm Farelli, Caluini, & Vireti: quos quanuis pro Dei ſeruis, & Euangelij fidelibus Miniſtris agnoſcamus; minus detulerunt in hac parte antiquitati, quàm conuenit.

ARTIC. 6.

IAm verò ſponſores ipſorum fide iubere quidem poſſunt (dummodò promiſsis ſtare velint) ſe nihil officii prætermiſſuros. Sed præter ius & æquum videri poſsit, quòd diſertis verbis abillis cautio exigitur. Infantes quos offerunt, vel iam credere, vel etiam credituros, diabolóque & operibus eius renunciaturos, mandatis autem Dei obſequuturos. Quorum omnium palàm eſt nihil in eorum poteſtate ſitum eſſe.

RESP.

AFfinis quinto Articulo præcedenti iſte eſt: in quo miſerè authores ſe, & alios ſecum fallunt, metaphorica ſignificatione vocabuli Sponſoris. Quoniam qui ſponſores vocantur, fidem ſuam non interponunt, Infantem quicquam præſtiturum quod illic tunc exigitur: ſed tantùm, nomine pueri, tanquam ipſius procuratores, aiunt pueri ũ credere, & abrenunciare diabolo; hoc eſt, ſe curaturos vt credat, & abrenunciat diabolo. Apud Iuriſconſultos ille qui tantùm promittit, ſe quidpiam fieri curaturum, proprie fide-iuſſor, vel ſponſor non eſt. Subſtituuntur enim ſponſores, non qui fide iubeant pro infante, ſed qui infantis nomine dicant ſe credere, & facere illa quæ tenetur infans, vt primùm facultas erit data, credere & facere, etiamſi nemo in baptiſmo adeſſet, qui illa profiteretur. Non enim ad ſubſtantiam baptiſmi illa pertinent, ſed ad demonſtrandum quid illic agatur, adhibita ſunt. Quando (mi frater) hanc reformationem baptiſmi, quâ Eccleſia Anglicana vtitur, legiſti, te cogitare oportuit cauſas habuiſſe primos authores cùm reijcerent oleum, & chriſma, ſputum, & in ſufflationem cum exorciſmo, quare ſponſores retinerent. Illas ſi diligenter inquiſiuiſſes, animo à perturbationibus defæcato, inueniſſes grauiſſimas. Illic qui adſtant, admoneri ſui officii, & in futurum infantem admonitum iri, ſe debere deo fidem, & obſequium: & ipſum id ab illo tempore, quo populo Dei accenſus eſt, qui credit & Deum colit, ac Sataniæ operibus renuntiat, vt potè membrum illius populi, credidiſſe, vt non credere in Deum, nec illum colere poſt ſuſceptum baptiſmum, apoſtaſia ſit. Sponſores iſtos, magis propriè Suſceptores, Patrimos, ac Matrimas vulgò dicunt: qui cùm à parentibus ſubſtituantur, verius quis procuratores diceret, quàm ſponſores. Quemadmodùm mortales omnes tenentur Deum factorem ſuum colere, & adorare: ſimiliter qui nati in Chriſtiano populo, & pars ſiunt illius populi, tenentur Chriſtum ſuſcipere, & agnoſcere ſeruatorem. Qui cùm id profiteri ore proprio per ætatem nequeant; per ſponſores, id eſt, procuratores, & ſuſceptores, & patrimos, & matrimas hoc faciunt. In quare, non ſpectatur quid in poteſtate ſitum ſit horum, qui pro infantibus loquuntur, quàm quid illi qui baptizantur præſtare teneantur. Sed hæc priſcorum Patrum ſapientia, minùs indignè hodiè contemnitur, & ſtultitia reputatur.

ARTIC. 9.

EX baptiſmo Chriſti in Iordane, & Eunuchi in alia quapiam aqua, apparet quidem puras quaſuis aquas ad baptizandum aptas eſſe, quod in baptiſmi formula eccleſiam ſentire interpretor, quantumuis ſecùs ipſa leiturgiæ verba præ ſe ferant, nempè Baptiſmo Chriſti, tum Iordanis flumen, tùm aquas omnes ſanctificatas fuiſſe in myſticum peccatorum lauacrum. Atqui vt aqua aliqua ad ſacramentum conſtituendum ſanctificetur, neceſſe eſt cum precibus & gratiarum actione accedere verbum ad elementum: Verbum, inquam, expreſſum & mandati & promiſsionis. Alioqui eâdem ratione colligi poſſet ex pane & vino, quæ ad myſticum ſacroſanctæ illius cœnæ vſum Dominus aſſumpſit, quidquid vſquàm toto mundo panis & vini extat ſanctificata fuiſſe, ad eiuſdem ſacramenti communionem. Verba igitur quibus ſubſcribatur, veræ ſententiæ aptari conueniret.

RESP.

RESP.

MEra,puta,& putida hæceſt Schiſmaticorũ tergiuerſatio, viro cordato indigna. Cauillari & tergiuerſari videtur quiſquis in re ſeria, & adeò perſpicua,quam rectè omnes non maleuoli intelligant, aliena comminiſcitur, cùm & ipſe reuincatur propriâ conſcientiâ. Nihil huius quod obtenditur ſignificari, ſed effugia quærunt, & verbis luditur, vt cauſam habere videantur aſſenſum ſuum & ſignum denegandi, quibus præpoſitis ſuis non obedire certum eſt. Aliud enim nihil probari exigitur, quàm illud quod tu ipſe interpretaris: nempè, quaſuis aquas baptiſmo Domini ad baptizandum puras, & aptas eſſe factas: nec liturgiæ verba quicquam aliud præ ſeferunt. Ratio quæ adfertur inepta eſt, vndè illa ſolemnis luſtralis aquæ baptiſmi ſuperſtitioſa & idololatrica nata eſt apud papiſtas conſecratio. Niſi diuina inſtitutione & dominico baptiſmo omnes aquæ conſecratæ eſſent,nullæ noſtræ preces id efficere quirent. Prèces veſtræ baptiſmi formulæ, apud vos vſu receptæ,nihil huiuſmodi continent. Diſcrimen ciborum Deus hodiè ſuſtulit, & mandauit vt cibus immundus nùnc nullus ſit fidelibus: quod nullæ preces olim efficere potuiſſent. Quod gratiarum actione ſanctificatur, non à noſtris precibus cibus habet, ſed ab illa generali propter Chriſtum diuina indulgentia. Quæ à Patribus adhibitæ ſunt preces ſuper elemento aquæ primam inſtitutionem Sacramenti reſpiciunt, & inſtitutionem diuinam, cui nihil addunt: ſed de illa gratias agunt. Cuius tamen ſi nullam mentionem facerent, nihilominùs aquâ ritè baptizarent. Rectè addis *verbum (inquam) expreſſum, & mandati & promiſſionis*: ſed noſtræ preces non ſunt illud verbum ſine quo non fit ſacramentum. Baptizâſſe Eunuchum Philippus legitur; quas preces adhibuerit, non legitur. Anglicana eccleſia in illa precandi formula, ſermone vtitur Patribus iamindè ab Apoſtolorum temporibus vſitato. Auguſt. in quodam ſermone ait, *Dominum in Iordanis vndis, aquas ad reparationem humani generis ſuo baptiſmo conſecráſſe*. Et Hieronymus ad Euſtochium, *Pollutaſque diluvio aquas, & totius humani generis interfectione maculatas, ſuo Dominus mundauit baptiſmate*. Vetuſtior his duobus Tertul. aduerſus Iudæos eodem vtitur ſermone, quando ait. *Baptizato enim Chriſto, id eſt, ſanctificante aquas in ſuo baptiſmate, omnis ſpiritualium retrò chariſmatum in Chriſto ceſſerunt, &c.* Plures poſſe citari tu non ignoras, & quo ſenſu ita ſcripſerunt, vel ſunt loquuti. Nunc autem mutari ſermonem, in quo nullus ineſt, niſi qui per calumniam intertur error, expetere, in te eſt imprudentiæ, in noſtris hominibus impudentiæ. Quod adfers ſimile de pane & vino, nihil habet abſurdi, in hoc noſtro ſenſu. Quemuis panem & quoduis vinum ex mandato & exemplo ſeruatoris ſanctificata, hoc eſt, facta eſſe apta, ex quibus ſacramentum fiat corporis & ſanguinis Chriſti, quando res temporaq; poſtulabunt, liquidò dicere, & ſcribere poſſumus.

ARTIC. 8.

QVotquot iuſſu Herodis interfecti fuerunt infantes ſæuientis Herodis reſpectu, immeritò paſsi ſunt: ſed enim quùm ille Idumæus, prophanus, Romanis addictus eſſet: Iudæa quæ tota ſcateret vicinis & incircumciſis populis, verſimile eſt in eâdem illa carnificina eandem ſortem ſubiiſſe, omnium ſine diſcrimine liberos, & in iis Herodis ipſius filium. Auguſto Cæſare teſte, Verear igitur nè ſine fide ſubſcribatur, Illos omnes, eo ipſo die interfectos, vel Dei vel Chriſti teſtes aut martyres fuiſſe: ſacro die in hunc finem omnibus, vt potè ſanctis, conſtituto.

RESP.

TV vereris in octauo Articulo, quod Irenæus non eſt veritus. Scribit enim Libro III. contra hæreſes, de Chriſto & infantibus illis, *Propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in domo Dauid, benè ſortiti illo tempore naſci, vt eos præmitteret in ſuum regnum; ipſe infans cùm eſſet, infantes hominum martyres parans propter Chriſtum: qui in Bethleem natus Iudeæ in ciuitate Dauid ſecundùm ſcripturas*. Huic Patri qui vicinus fuit Apoſtolorum temporibus, ſuccinunt reliqui omnes qui ſecuti ſunt. Auguſt.

Cõtra Paganos & Arrianos. Auguſt. in oratione quadam conuerſo ſermone ad Herodem, ſic ait; *Sed ille ſponſus noſter qui proceſsit de thalamo ſuo vt ex ore infantium & lactantium perficeret laudem, ſinst implere te voluntatem tuam : vt ætas, quæ lingua propria Chriſtum non poterat confiteri, teſtimonio mortis ſuæ confiteretur, & crudelitas immanis demonſtraretur, & ad nuptias cœleſtis ſponſi, infantium congregaretur turba.* Chryſoſtomus idem habet. *In Bethleem* (inquit) *omnes occiduntur infantes: qui dùm innocentes pro Chriſto moriuntur, primi Chriſti martyres extiterunt.* De quibus & Dauid ſignificare monſtratur cùm dicit: *Ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & defenſorem.* In hac enim perſecutione Infantes adhùc paruuli atque lactantes pro Chriſto occiduntur, & perfectæ laudis martyrium conſequuntur. Quod de prophano Idumæo adſers, prophanum mihi videtur, & à verbo Deialienum. Quòd ſub eo Iudæa tota repleta fuerit vicinis & incircumciſis populis, vndè acceperis neſcio. Ipſe Herodes erat circumciſus, & Iudaiſmum profitebatur: nati ipſius, totáque familia erant circumciſa, & ſi quis inter illos infantes fuit ipſius natus, circumciſus fuit. Introductos alienigenas ad habitandum, non fuiſſe circumciſos, quâ hiſtoriâ demonſtrabis? Romani adhûc nullas habebant ſuas ibi legiones in præſidiis. Socius quidem erat Romanorum Herodes, & eorum beneficio Rex creatus. Alieniger æ poterant à paganiſmo ad iudaiſmum ſe conuertere, & fœderi Dei accenſeri. Abrahamus longè plures gentiles circumcidit, quàm natos ex ſeſe. Mattheus interfectos illos filijs Rachelis annumerat, & Hieremiæ dictum aptat, ad quos promiſſiones Dei ſpectabant; & tu prophanos cenſes, & vereris, nè ſine fide piæ ſententiæ Anglicanæ & veteris eccleſiæ, ſubſcribatur? Iſtæ ſunt noſtrorum ſchiſmaticorum bellæ rationes, quas tu aut ab eis accepiſti, aut eis miniſtrâſti. Vtrumuis accipe, nihil refert: hoc enim pacto, aut ſchiſmatis author es, aut ſchiſma foues.

Artic. 9.

Cæterùm quùm Eccleſiam Chriſtus à iugo feriarum abſoluerit, quas ipſa dei lex præſcripſerat, parùm admodùm cum chriſtiana libertate conuenire videtur, multo maiori numero feſtorum dierum oneran Chriſtianos, quàm factum ſub Iudaiſmo legamus.

Resp.

COntra pontificios totidem verbis hoc telum olim emiſſum eſt: illud tu in eccleſiam Anglicanam cum noſtris ſchiſmaticis torques. Sed malus ratiocinator es feſtorum dierum, quos Anglicana eccleſia retinuit, & populus Iudæorum quondàm obſeruauit. Primùm erras in numero, deindè in obſeruandi modo, poſtremò in ſignificationis myſterio. Recenſe vtrinque feſta. Præter Sabbatha habebant Neomenias, Paſcha, & Pentecoſten, Tabernaculorum & Enceniorum feſta: quibus dies additi erant in quibus ſingulare aliquod beneficium à Deo acceperant, & feſta quædam in octiduum extendebantur. In feſtorum numero ſeruitutis iugum non tam ſitum erat, quàm in ipſâ celebrandi feſta ratione. Ratio fuit exactiſſima, in quibus nihil operis fieri fas erat. Id à Chriſtianis non exigitur, nec obſeruatur. Quandocunque poſtulat neceſſitas, libertas longè maior eſt Chriſtianis: & dominicis diebus permittitur, quod in Iudæa morte punitum fuiſſet: vt ſatis appareat non adeò ſeruilem in modum feſtos dies Chriſtianos colere, ſicùt olim faciebant Iudæi. Præterea feſti illi Iudæorum dies promiſſiones continebant, & futurorum bonorum erant veluti quædam vmbræ; quæ, vt ante aduentum Chriſti quædam pietatis fuerunt adiumenta; ita poſt ipſius aduentum, nihil aliud ſunt quàm ſeruilia onera. Sed inò è nemo rectè argumentatur, Chriſtianos nulla debere habebere feſta. Paſchæ feſtum habuerunt Iudæi, ſuum ſimiliter habent Chriſtiani: ſed in ſignificatione & celebrandi ratione longè diuerſum. Qui illud Iudaicum inueheret in eccleſiam, ſeruitutem & ſuperſtitionem reuocaret Iudaicam: qui verò Chriſtianam celebrandi Paſchæ rationem vrget, non modò non nocet, ſed multùm prodeſt. Sed illius celebrationi cùm nullus conſtitutus ſit certus dies; in libertate eccleſiæ

cleſiæ relictus eſt. Sed hîc de numero tu nobis quæſtionẽ moues; qui cùm in papatu modum excederet, moderationem Anglicana Eccleſia adhibuit: ſed illa nec tibi, nec alijs immoderatis hominibus probatur. Anglicana tamen Eccleſia facti ſui meliorem reddet Deo, & hominibus rationem, quam vestra temeraria audacia iſtarum calumniarum.

ARTIC. 10.

ADde quòd quæ Sabbatha aut ferias Deus præcepit, ſibi ſoli conſecrata eſſe voluit, non Angelis, non Abrahamo, Moſi, Dauidi, Prophetis: ſed vbique legimus, Sabbathum domino Deo tuo. Non ſatis igitur video quî cum verbo Dei conuenire poſsit tot feſtorum dierum ſolemnitas: eóſque cùm in cultus Dei partem vel ſubſidium veniant; tam multis rebus creatis, quantumuis ſanctitate inſignes cenſeantur, dicatos ſaltem de nomine videri.

RESP.

SVperior Articulus de numero feſtorum calumniam ſtruebat: hic verò de feſtis ipſis impudentiſſimam ignominiam Anglicanæ Eccleſiæ impingit. Si qua iſtis hominibus frons eſſet, puderet illos mendaciſſimâ idololatriæ labe Eccleſiam Anglicanam aſpergere. Sed impudens eſt mendacium, feſtos Anglicanæ Eccleſiæ dies Creaturæ aut Angelis, aut Sanctis, & non vni Deo conſecratos eſſe. Tibi demonſtrandum fuit ex tanta feſtorum multitudine, quam improbas, vnum aliquod, quod cum verbo Dei non conſentiat, Deóque dicatum non ſit. De feſto Innocentum, quod ſupra tetegiſti, reſponſum eſt: & modeſtis moderatiſque ingenijs ſatisfactum. Propoſitioni tuæ, in qua tu ais Deum voluiſſe Sabbatha, vel ferias ſibi ſoli conſecrari, non Angelis, non Abrahamo, Moſi, Dauidi, &c. quòd vbique legamus *Sabbathum Deo tuo*, aſſumptionem ſubtexere apertam puduit, veritus nè in probatione ſuccumberes, & nimis impudens oratio, quâ Idololatria Anglicanæ Eccleſiæ exprobratur, ſeipſam reuinceret. Tu pro eo quod dicere debebas: At Anglicana Eccleſia habet ferias, & Sabbatha conſecrata Angelis, & ſanctis Apoſtolis (quod intelligi ſub nomine Abrahami, & Moſis, & Dauidis, atque Prophetarum voluiſti) transfers te ad feſtorum multitudinem: quam ais te videre non poſſe cum verbo Dei conuenire; ſic impudentem criminationem tegere te poſſe ſperâſti. Quòd ſi contra pontificiam Eccleſiam ageres, atrocioribus verbis vti non poſſes. Interim verbis tantùm tonas, nihil doces. Dies illos multos, & ſuperfluos, & idololatricos, hoc eſt, ſaltem de nomine creaturis dicatos, allegare te oportuit: nos tales nullos nouimus. Quòd quidam feſti dies creaturæ præferant nomina, nullum eſt argumentum, diem illum illi creaturæ eſſe dicatum. Feſta ſanctorum Apoſtolorum, Michaelis, & Angelorum, non arguunt ipſis, non ſoli Deo eſſe conſecratos. Lege preces illius diei recitari ſolitas in Eccleſijs noſtris, & inuenies cui ſint illi dies conſecrati: & illos impudenter calumniari quod ignorant. Num tu cenſes creaturæ nomen feſto conſecrato deo additum, de nomine illud reddere idololatricum? Ferè omnia veteris Teſtamenti feſta, diſcrimina ſua à creaturarum nominibus accipiunt. Feſtum azymorum, feſtum primorum fructuum, feſtum tabernaculorum, feſtum ſortium: ex iſtorum ſenſu conſecrati fuerint azymis, primis fructibus, tabernaculis & ſortibus. Impropriè ſcriptura ſacra fuerit locuta: tũ verò tuique ſimiles ſcz. Eccleſiam, adeóque ipſum ſpiritum ſanctum rectiùs ac magis propriè loqui docebitis. Vides (mi frater) quo te iſtorum hominum, quorum ſuſcepiſti patrocinium, aut maleuolentia, aut arrogantia, aut contradicendi libido præcipitet. Brovvniſtarum, & Baroiſtarum iſti furores ſunt, non ſanorum hominum.

ARTIC. 11.

CONfeſsio confirmationem ex numero ſacramentorum expungit, quòd externum ex Dei inſtituto ſignum habeat nullum. Atqui confirmationem liturgia ſignum aſſerit habere à Deo præſcriptum, quo ſuum erga pueros fauorem & gratiam teſtetur. Si verbo Dei conſentaneum illud eſt, hoc quomodò contrarium non cenſeatur?

RESP.

RESP.

NIsi omnes Episcopos, & Pastores Ecclesiæ Anglicanæ belluas, & asinos iudicares, qui nihil intelligant eorum quæ faciunt, & qui aliud profiteantur in suæ fidei confessione, & aliud contrarium in administratione Ecclesiarum factitent, hæc tanquàm pugnantia inter se non committeres. Nùm tibi quoduis signũ diuinæ gratiæ sacramentum videtur? Sacramentum duabus rebus, nempè elemento aliquo visibili, & re inuisibli constat: &, vt Iræneus ait, *re cœlesti & terrena.* In confirmatione nulla res terrena, quæ cum cœlesti habeat analogiam, adhibetur: Sacramentum igitur non est. Illa autem manuum impositio, quæ fit ab Episcopo, est tantùm signum benè precantis gratiarum Dei augmentum, & in illis perseuerantiam. Notum est, impositionis manuum varias esse causas: quæ quanuis semper aliquid significent, inter sacramenta tamen non numerantur.

ARTIC. 12.

QVanuis Episcopus inspicere & prospicere debeat in baptizatorum confirmationem, & profectum: ordinario tamen Pastori ouilis sui præcipua cura incumbit. Eorum ergò quos baptizauerit & docuerit, confirmationem, annuente Episcopo, præ huius alio quopiam vicario vel suffraganeo, suo sibi munere vendicare potest.

RESP.

QVæ ad officium Episcopi pertinere confiteris, accipimus. Sed nescire videris quis ordinarius sit ecclesiæ Pastor, quẽ Episcopo opponis: ac si ipse extraordinarius esset Pastor; cùm sit æquè, imò magis proprius singularum Ecclesiarum suæ diœceseos Pastor, illis, qui ibi præsunt, & residents: vt pote ad quem cura præcipua illorum locorum pertineat. Sed nihil mirum illos ignorare quæ sint partes boni Episcopi, qui optimè constitutam veterem Ecclesiæ politeiam, quantum possunt, aut labefactant, aut prorsus tollunt. Quemadmodùm in Aaronico sacerdotio, plures erant sacerdotes; ita in euangelico ministerio plures sunt pastores: & sicùt ad illum vnum sacerdotem, qui cæteris dignitate & authoritate eminebat, totius populi præcipua cura pertinebat, tanquàm ad ordinarium Pastorem; ita in populo Christiano, Episcopus ordinarius est totius diœceseos Pastor, ad quem prima & præcipua cura omnium incumbit: quem, vt in hac actione omnes agnoscunt Pastorem & Episcopum; ita ipse suum agnoscit gregem, & singulis, quibus manus imponit, benè precatur; vt per quotidiana incrementa in fide, ac cæteris pietatis virtutibus proficiant ad Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem, & suam ipsorum salutem. Has partes tu credis dandas esse illi Pastori qui priùs baptizauerit, & docuerit. At nos non credimus, sed reseruandas Episcopo cum tota antiquitate censemus. Quem mihi ex tota antiquitate allegabis qui tecum senserit. Ecclesia Anglicana sibi non esse recedendum à priscorũ Patrum vniuersali cõsensu, in iis quæ verbo Dei expresso nihil repugnant, iudicat. Quod in audacibus & temerarijs hominibus, qui nihil non audent, damnat, sibi non assumit. Nihil enim temerè factum in hac re à Patribus credit. Ratio autem cur hanc prouinciam Patres non censuerunt esse committendam illius loci Pastori qui baptizauit, aut docuit, hæc est; Quod ad officium boni Episcopi pertineat, videre nùm qui sub eo constituti sunt Pastores, rectè suo fungantur officio in catechizandis pueris, & rudibus, & illis qui fidei Christianæ reddere rationem possunt, manus imponere, & benè precari. Populo Dei benedicere, & benedicendo manus imponere, ad Episcopum pertinet. In hac re nulla potest esse nimia Episcopi vigilantia. Oportet enim Episcopum omnes, quantum fieri potest, qui ipsius curæ commissi sunt, nôsse. Similiter omnium & singulorum est, suum Episcopum, & Pastorem agnoscere, & reuereri. De Suffraganeo quod tangis, cui Episcopus loci has partes committit, sicut & ordinandi Presbyteros: Respondeo id fieri, quia superioris ordinis siuè gradus illæ actiones sunt peculiares, quæ inferori ordini & gradui

graduinon cõueniunt: & idcircò non mandãtur illæ partes Miniſtris & Paſtoribus inferioris ordinis. Hæc reſponſio non placebit illis, qui Epiſcopalem gradum abolere, primam reformationis partem autumant. Sed nobis ſatis eſt, modeſtis & pijs Chriſtianis ſatisfacere, qui ita receſſerunt à ſuperſtitionibus, & idololatriâ Romanæ Eccleſiæ, vt probatos ab orthodoxis Patribus mores non reijciant.

ARTIC. 13.

IAm verò quùm ſine controuerſia Baptiſmus adminiſtrari poſsit & debet à Paſtoribus, imò & Diaconis demandetur, Paſtoribus autem & Presbyteris interdicatur confirmationis miniſterium, quia ius illud Epiſcopale cenſeatur: indè metuendum nè confirmetur error papiſticus, quo contra verbum Dei, fictitii illius ſacramenti dignitatem ſupra baptiſmum verum & perpetuum Chriſti ſacramentum extollunt.

RESP.

QVod metuis, vanum eſt: dùm ſuæ fidei confeſsione Anglicana Eccleſia contrarium teſtabitur, & inter ſacramenta confirmationem non numerabit, toti orbi notum faciet, quid ſit quod Patres obſeruârunt, & piè retinuit: & quid quod Papiſtæ commenti ſunt; & meritò reijcit. In hac re, vt in quamplurimis alijs, vos culicem excolantes camelum deglutitis: cùm magis timendum ſit, nè ſi tuam ſententiam ſequamur, non tam à papiſtico errore videmur receſsiſſe, quàm à ſanctis moribus Eccleſiarũ totius priſcæ antiquitatis, quæ hunc ritum vbique communi & vniuerſali conſenſu obſeruauit. Qui vtrumque miſcet & reijcit, veritatem prodit: vtpotè qui eam à mendacio non diſtinguit, & ita Papiſtas in errore obſtinatiores reddit, qui ſe Patrum exemplo defendunt, & illud ipſum obſeruare ſe contendunt, quod olim à Patribus fuit factitatum. Papiſtæ illi, quos tu ais dignitatem fictitij huius ſacramenti ſupra verum baptiſmum extollere, viderint quibus argumentis id aſtruant: ad nos hoc nihil quicquam attinet. Preterea, vellem authores illius papiſtici erroris nominâſſes, qui ſupra baptiſmum Confirmationem Epiſcopalem extollunt. Ego tales nullos legi, aut puto poſſe citari.

ARTIC. 14.

EX vocatione, & Apoſtolorum inſtituto, penès Diaconos eſt bonorum Eccleſiaſticorum collectio & diſtributio, in pauperum & afflictorum ſubſidium: vt ſint ab ea cura liberiores qui in verbo laborant. Act. 2.6. Ro. 12. 1. Cor. 12. Cuius muneris inſtitutio, quùm audientibus ipſis in eorum promotione legatur: quî conuenit cum illo ſcripturæ præſcripto, vt inſtituantur qui non aliam pauperum & afflictorum curam gerunt, quàm vt ea de re Curatum & Parochos admoneant?

RESP.

PRæterbonorum Eccleſiaſticorum collectionem & diſtributionem, Diaconis nihil fuiſſe creditum, verbo Dei, & perpetuo vſui omnium Eccleſiarum repugnat. Sacra hiſtoria docet Stephanum docuiſſe verbum Dei, & Philippum fuiſſe Euangeliſtam: & perpetuus Eccleſiæ vſus idem ab illis temporibus ductus docendi muneris participes fecit Diaconos: & Paſtoribus ac Presbyteris adiutores in Miniſterio ſuo datos ſicut Leuitæ dati quondàm fuerant Sacerdotibus in auxilium, notumeſt. Quòd pecunia pauperum ipſis non committitur, iniquitate temporum factum eſt. Nam procuratio pauperum à Magiſtratu ciuili tranſlata eſt maxima ex parte ad ſaicos: quod Anglicana Eccleſia mutare cùm non poſsit, committit quod poteſt Diaconos: vlteriùs progredi non poteſt. Carpis hoc loco (vt paſſim vbique) quod non intelligis. Si Apoſtolorum temporibus fuiſſet aliundè proſpectum pauperibus, eâ curâ liberata fuiſſet Eccleſia. Intereâ temporis cùm Presbyteri opus habeant adiutoribus, qui aliqua ex parte ipſis opitulentur, non ſine verbo Dei, nec ſine veterum Patrum exẽplo, in vſum, quê vides, retinuit iſtos, quos tu cõtemnis, diaconos; non animaduertens, quantũ in hac parte peccetur apud vos, qui nec veros Presb. nec Diac. habetis.

Fatemur

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

Fatemur autem quod res est, diaconos nostros ad ecclesiasticum ordinari ministerium: & vt vestigium aliquod veteris & Apostolicæ diaconiæ supersit, curam, quæ potest, ipsis mandari pauperum. Sed cùm ipsorum verum munus sit subsidiarium Pastorum ministerium, difficile tibi fuerit ex verbo docere, ad pauperum curam, & eleemosynarum collectionem restringi diaconiam. Inter conditiones, quas Paulus requirit in diacono, id nunquàm demonstraueris; qui nec pauperum, nec collectionis oblationum fidelium, aut eleemosynarum vllam mentionem fecerit: partes nullas illius ministerij recensuit: scribit tanquam de re tunc satis nota. Illas nos hodiè discere oportet, ab vsu & moribus primorum temporum ecclesiæ.

ARTIC. 15.

PRædicate Euangelium, & baptizate, dicit Dominus; hæc duo indissolubili vinculo coniungens; Sacramenta enim sunt doctrinæ sigilla. Quùm ergo Diaconi non sint verbi ministri, nec baptismatis idonei censeri debent. Sin huius eis fiat potestas, Cur non & Dominicæ communionis. Et si calicis, quare non & panis? Aut quomodò nondùm ad ministerium verbi vocatis, prædicandi Euangelii fit potestas? Quibus omnibus subscribens metuam confundere vocationes sacras.

RESP.

QVi vero Dei metu destituuntur, falso non possunt non perturbari, in suam & aliorum perniciem. Si pari studio aduersarij ea conquæsiuissent, quæ ad defensionem innocentiæ ecclesiæ Anglicanæ pertinent, illi, quo abrepti sunt ad illa inuenienda, quibus eam traducant, viderent facilè non confundi ministeria; & docendi Euangelij partes, non tantùm diaconis, sed interdùm etiam doctis laicis posse committi; & fuisse olim commissas, absq; perturbatione sacrarum functionum. Tu non ignoras docendi Euangelij munus doctori committi, qui pastor non sit, cuius ordinaria sacramentorum administratio propria est. Vestros mores, & quod in vestris ecclesiis passim fit, si respexisses, nunquàm ecclesiam Anglicanam damnâsses: sed calumniandi libido cæca est. Tu tibi vidêris argutè hoc dilemmate, sanctam diaconorum nostrorum iugulâsse functionem, quandò ais: *Sin huius eis fiat potestas, Cur non & Dominicæ communionis? Et si calicis, quare non & panis?* Ineptis istis argutijs, scito te, non tam Anglicanæ ecclesiæ, quàm toti antiquitati obstrepere: cuius si apud vos vlla esset reuerentia, pastoribus adiuncti apud vos essent veri diaconi, non nouum seniorũ genus, quod nusquàm in vlla ecclesia orthodoxa fuisse, demonstrari poterit. Opitulationes inter ecclesiæ sacra munera, Paulus apud Corinthios numerat: & nostri diaconi ordinantur, vt pastoribus in sacro ministerio dent operam, tam in verbi ministerio, quàm reliquis partibus sacri ministerij. Quandò igitur interrogas, Cur baptizandi potestas potiùs diacono concredatur, quàm communionis? Respondeo; quia sic veteris ecclesiæ vsus obtinuit, & necessitas illìc maior, quàm hìc visa est. Præterea, quòd aliud sit, quempiam vocari ad functionem pastoralem, aliud tantùm ad opitulationem illius; & quod aliud sit esse pastorem, aliud ministrum pastoris. Quod moues de calice & pane, ex eadem proficiscitur ignorantia. Primùm, quòd panis & vini consecratio ad diaconum non pertineat, sed ad pastorem: in distributione verò posterior pars, quæ vini est, commissa est diacono, subseruienti pastori, quandò panem ministrat: cuius ministratio cùm præcedere debeat, præposterum esset diaconum præcedere, siue, cum pane, siuè cum vino, & pastorem subsequi. Non quòd minoris sit sanguinis apud nos quàm carnis dignitas: aut illum consecrandi habeat potestatem diaconus, non similiter carnem. In hac re, vbi magna esset populi multitudo, si plures adsint diaconi, tam panem quàm vinum à pastore consecrata, distribuenda multitudini accipere, non magis apud nos, quàm apud priscos Patres, vlla religio prohibet. Decentiùs à pastoris sui vel diaconi manu, sacramentum suscipitur, quàm ex obambulante per mensam lance accipitur: & cauix, nostræ Synodi iudicio, longè decentiùs à diacono porrigitur, quàm ab assidentibus accipitur. In his omnibus Anglicana ecclesia sanctorum veterum Patrum se tuetur exemplo. Nihil quod sit nouum & insolens, sine vllo inuexit

vexit exemplo. Nullam nos videmus hîc sacrarum functionum confusionem. Tu, qui vides, plusquàm linceos oculos habeas oportet, qui videant quod non est.

ARTIC. 16.

QVùm Archidiaconos Apostolorum tempora ignorârint, & ipsum nomen notet in Diaconos & bona Ecclesiastica inspectionem, quo legitimè omnia in vsus sacros impendantur: Quùm Paulus etiam Timotheum moneat, nè cuiquam manus subitò imponat, nè aliorum peccatis communicet: me fugit quatenùs cum ordine & praxi Apostolorum conuenire possit, vt penès Archidiaconum sit ius examinis, & Episcopo ad ordinationem sistendi, præsertìm Pastores & Ministros verbi: Aut quomodò Episcopus in eiusmodi examine acquiescere possit, siuè doctrinam spectes, siuè mores.

RESP.

QVod ais Apostolorum tempora Archidiaconos ignorâsse, fatemur, si nomen ipsum spectes: sin autem rem & officium, negamus. Nam quemadmodum fieri potest vt Pastor opus habeat Diacono, ita fit vt Episcopus opus habeat Archidiacono; qui eum in suo munere adiuvet. Episcopis etiam opitulatores damus, si adiutore indigeant: omnes gradus Euangelici Ministerij opus illis habere possunt. Sed nomen tibi displicet Archidiaconi: nobis in nomine nihil videtur esse periculi. Tibi videtur odio papatus tollendum; nobis contrà commiseratione papatus tolerandum: non ad confirmandum vllum errorem, vt tui calumniantur, sed ad sanandum. Diaconum Episcopi posterior ætas vocauit Archidiaconum: non quia imperium aliquod in cæteros habuerit Diaconos: sed ad differentiam cõstituendam inter eum & alios Diaconos, qui inferioris gradus Pastoribus ministrabant. Si quidquid Apostolorum tempora ignorârunt, tibi tollendum videtur: quomodò seniores & Diaconos temporarios, quos non tantùm Apostolorum ignorârunt tempora, sed omnes, quotquot orthodoxæ ab illis temporibus fluxerunt Ecclesiæ, toleratis? O hypocritæ, qui festucam in oculis vestrorum fratrum conspicitis, & trabes in vestris non cernitis. Erras, si tantùm ad Ecclesiastica bona colligenda, distribuendaq; esse creatos arbitraris Diaconos, & Archidiaconos. Vsus perpetuus & vniuersalis omnium orthodoxarum Ecclesiarum, optimus est interpres Apostolicæ institutionis. Si quem Diaconum ab Apostolis, & viris Apostolicis, qui proximè successerunt illis in regimine Ecclesiæ, demonstraueris similem vestris temporarijs Diaconis, cui non etiam docendi partes fuerint aliquo modo traditæ, tibi cedam. Hæc fusiùs à nostris disputata sunt: & in lib. de diuersis Ministrorum gradibus, & mea eius defensione contra D. Bezam me satis apertè docuisse arbitror. In omnibus Ecclesijs, cùm semper Diaconi & Archidiaconi Episcopis & Presbyteris subseruijsse noscantur, illos amouere, & vestros surrogare, non potest non esse temerarium. Ratio cur tu Archidiaconos nostros reijcis, hæc est: quòd non videas, *quomodò cum Apostolorum ordine & praxi conuenire possit, vt penès Archidiaconum, sit ius examinis, & Episcopo ad ordinationem sistendi, præsertim Pastores & verbi Ministros: aut quomodo Episcopus in eiusmodi examine acquiescere possit, siuè doctrinam spectes, siuè mores, propter præceptum Pauli ad Timotheũ, quo admonetur, nè cui temerè manus imponat.* Sed quàm nihil ius officium vè Archidiaconi, illud præceptum minuat, aut tollat, vide. Præceps temeritas in re quauis vitatur, quandò sibi vni non fidit is, penès quem est regiminis potestas, sed adsciscit sibi viros graues, qui rem, in qua periculi aliquid est, & falli quis facilè potest, examinent, & explorent; atq; ad eum referant. Episcopus vnus est, qui nec nôsse omnes, nec videre, nec audire potest omnia: Diacono vno aut pluribus opus habet; non vt totum suæ functionis onus in illos reijciat, & in illorum siuè examine, siuè alia actione, totus acquiescat, ipse interim otiosus & securus sit, quisquis Archidiaconus fuerit: sed vbi de fide, & vigilantia Diaconi sui constabit, tutiùs ad ordinationem Ministrorum procedere possit. Ego non video causam, quare Episcopus in examine vigilantis Archidiaconi non possit acquiescere. Alexander Alexandrinus Episcopus certè Athanasio fidere mihi potuisse videtur, in ordinandorum examine: similiter Ignatius Antiochenus Episcopus Heroni.

Istam tamen prouinciam, non ita Archidiacono propriam facimus, vt eam in se recipere si velit, non possit, & debeat Episcopus; aut alijs quibusuis mandare, quandò suum diaconum suspectum habebit. Num tu putas ætate Apostolorum Episcopos sine Diaconos fuisse, aut in ordinatione Presbyterorum, vsos non fuisse operâ Diaconorum? Vndè id probabis? Quòd si Diaconi illorum temporum fuissent homines indocti, vestris annuis diaconis similes, ineptos illos examinandis Presbyteris crederem, nec satis dignos in quorum examine acquiescererent Episcopi: proindè rem illam prorsus alienam ab Apostolorum praxi. Sed quùm propemodùm eadem requirantur in Diacono, quæ in Episcopo, & non rarò successerint suis Episcopis, vt illi quos suprà nominaui; nihil absurdi facere, nec Apostolica consuetudine alienum, Episcopus videri debet, si tali Diacono examen ordinandi commiserit, in quo acquiescat. Addis.

NAm quod publicè interrogantur, qui adsunt: Quispiamnè intercedere velit? pro forma factum videri possit, in Episcopi viz. sacello, aut simili loco. Adde quòd vt plurimùm ii rogantur, qui tùm temporis ordinandum nec de facie nôrunt, nec fortassè de nomine nouerint vnquàm. Cui malo recentes Canones aliquatenùs prouidere videntur.

RESP.

CVm Momus in Veneris corpore nihil inueniret quod carpere posset, calumniatus est ipsius sandalium. Quùm ordinatio tam Presbyterorum nostrorum, quàm Diaconorum, huiusmodi sit, vt nec tu nec alius reprehendere possit, tu te confers nùnc ad Archidiaconi nomen & examen, nùnc ad sacellum Episcopi, nùnc ad eos qui interrogantur. Quæ omnia externa sunt, & ipsam ordinationem circumiacent; nec faciunt vt firma sit, aut nulla ordinatio illius qui sic ordinatur. Presbyteros veterem modum vocandi, quo olim Patres vsi sunt, restituere nemo nostra ætate potuit: vos ab eo tantum recessistis, quantum fieri potuit. Anglicana Ecclesia, quidquid tu calumnieris, formam veterem, & veram, &, vt ita dicam, essentialem retinuit: vt præmisso examine ordinetis, & manus imponat, qui solus illud ius & illam potestatem habet: nempè Episcopus. In qua re quanuis multis modis peccari possit: si tamen illa obseruentur, quæ in ordinatione necessariò sunt obseruanda, rata habetur ordinatio. Sed quorsum hæc tu commemoras, quibus recentiores Canones prospexerunt? Num idcirco non subscribendi causam habent nostri Schismatici, quia quæ tu culpas emendant nostri Canones?

ARTIC. 17.

IN rebus adiaphoris normam constituit Apostolus ædificationem. Quid porrò magis ædificet certiùs diiudicant ii, quorum manus Euangelii aratro admotæ perdurant.

RESP.

ANglicanæ Ecclesiæ paucorum Schismaticorum manus Euangelij aratro admotæ perdurant: scilicet qui malunt Euangelii Ministerium, & gregem suum deserere, quàm præpositis suis parêre. Omnium verò Episcoporum, & omnis Synodi, & Cleri Anglicani manus admotæ aratro non perdurant: hoc est, vno verbo, omnes desertores & Apostatæ facti sunt: proindè non rectè iudicant quid magis ædificet. Hoc tuum est iudicium de Episcopis, & Pastoribus Anglicanæ Ecclesiæ, de te (mi frater) tuísque melius meritis. Sed dicam tibi qui minimè sunt idonei iudices de rebus adiaphoris, quid ædificet, quid minùs in Ecclesia Christi. Homines inflati, & propriâ scientiâ tumidi, sui admiratores, & aliorum superbi contemptores, qui quæ ipsis probantur, quamuis ipsi priuati sint, probari omnibus æquum censent, minimè sunt idonei iudices, quid magis Ecclesiam Dei ædificet. Detrectare imperium, superiores non agnoscere, æqualem se maioribus æstimare, tantam excitatem animis mortaliũ adferunt, vt videre nequeãt quid magis in Ecclesia Dei edificet, quid minùs.

Quàm

Quàm sint Episcopi huic hominum generi in visi, notum est omnibus: quos miror te non annumerâsse ijs, quæ non ædificare censes. Sed sensum tuum satis intelligo. Qui autem sint idonei vt iudicent, quid ex rebus adiaphoris seruiat ædificationi Ecclesiæ, quid verò aduersetur, videndum est. In illis ego requiro humanitatem, & mansuetudinem, & moderationem, rerum humanarum experientiam, perturbationum & affectuum animi vacuitatem, cognitionem varietatis ingeniorum, temporum & locorum considerationem: & aliud decens esse in Regis palatij sacello, aliud in vili pago, aliud in vrbe regia, & Metropolitana Ecclesia, aliud in rusticana. Est vbi pictæ vestes, & aurum in sacris adferent cultui diuino decorum: est etiam vbi nullum. Dignitatis locorum, & personarum, in omnibus externis nemo negabit sapiens habendam esse rationem: modò in istis nulla constituatur religio; nec gratiorem illi cultũ, qui auro splendet, esse Deo credatur, illo, in quo libatur vitro. Turpe esset Regi in palatio magnificum, & splendidum videri, in Ecclesia verò parcum, & sordidum. Regina felicis recordationis Elizabetha sustulit omnibus templis cappas (quas vocant) auratas, oloseriças, phrigiatas, & vt tu eas vocas, acupictas, aliáq; ornamenta superflua: quibus superstitiosus populus se gratiorem Deo exhibere cultum credebat. Illas tamen consilio non malo, in sacello suo retinuit; & in nonnullis alijs locis retineri voluit. Idem & simile fuit ipsius, & Episcoporum, aliorumque piorum virorum iudicium. Sed tu manus eorum dices Euangelij aratro admotas non perdurâsse; proindè non vidisse quid magis ædificet. Sed qui sunt isti, quorum manus Euangelij aratro admotæ perdurant, & quid magis ædificet, certius dijudicant? Annon illi iam auditi, & confutati sunt, & Synodi iudicio damnati? Quàm autem deceat te eorum patrocinium suscipere, tu ipse Iudex esto, qui peregrinus hîc receptus es hac lege, vt Anglicanæ Ecclesiæ negotijs non te immisceres.

Idem ARTIC.

SI ad eam normam reuocentur auratæ, acupictæ, lineæ vestes, crux, & ante sacramentum genuflexio; otij denique in tot feriis infelices fructus, iisque similia; sic quidem papismum ædificari constabit: ædificatio autem quæ Dei sit, vix vsquàm se proferet vlla.

RESP.

SI te tibique similes, illorum quæ commemorâsti nihil ædificat, non idcircò sit consequens, illa nihil ædificare: non magis quàm si quis dicat morte & passione Christi nihil ædificari Mahumetanos, vel Iudæos, vel Atheos; & idcirco nihil ædificare. Quid ædificet, quid secùs, videndum est. Quædam sunt quæ naturâ sua ædificant, quouis tempore & loco adhibita, quædam tantùm ex occasione aliarum rerum, personarum, locorum, & temporum; non ex ipsius rei natura. Primi generis sunt Deum colere, iustitiam sectari, innocentiam defendere, fidem Christianam profiteri. Secundi generis sunt, quæcunque in vsum adsumpta, aliis aliquid boni adferre possunt, non natura sua, sed adiuncti accidentis causa, etiamsi nullum percipiatur: vt arte musica vti, tam voce quàm instrumentis musicis, ad Deum laudandum: & signo crucis Christianum se esse profiteri. Ecce illa hûc etiam quæ posuisti inferam, linea vestis, & auratæ, acupictæ vestes, vt supra dixi. Quæ nullo Dei verbo prohibentur, si ratione loci, temporis, & personarum assumantur, ædificant. Hac ratione id demonstratur. Quod retinetur vel assumitur publica anthoritate constitutum, nec malum natura sua est, vt demonstretur discrimen inter illa quæ natura sua impia sunt, & illa que in se nullam habent impietatem coniunctam, ædificat. Quæ tu odiosiùs exagitas huiusmodi sunt, ergò ædificant. Qui miscent illa quæ manifestam habent impietatem, nec possunt retineri citra numinis violationem, cum illis rebus quæ tolerabilem vsum habent, graue scandalum infirmis & ignorantibus dant; hoc qui vitant, & fugiunt, & rebus vtuntur, in quibus nullum est aut flagitium, aut sacrilegium, piè & Christianè hoc faciunt. Vos autem vestra morositate confunditis omnia, nec veras & iustas causas discessionis à papatu distinguitis,

ab illis propter quas nulla potuit iusta discessio fieri. Quòd si Gallicanæ Ecclesiæ oblata initio fuisset reformatio similis huic nostræ, quam tam superbè fastidis, & quantum potes calumniaris, Euangelium olim receptum fuisset in Gallia, & cruenta illa & atrocissima bella, & furiosas cædes, atq; alia innumera mala, quæ secuta sunt, nunquàm vidissemus. Sic nobiles Galli, Vidamius, Carnotensis, & alij palàm pluries nostris hominibus, quando hîc exulabant, testati sunt, deplorantes Ministrorum suorum morositatem. Quis pius veterum theologorum orthodoxorum lector, qui vestris nouis opinionibus, & antè nunquàm auditis non est infectus, crederet Christianos, quos tantoperè à signo crucis abhorrere videret? Rectè quidem signum crucis inter scandala numeras: sed vbiq; citra delectum apud vos reiectum, non illud quod apud vos iudicio & bono consilio est retentum. Quæ regio in terris Christi professa fidem ab Apostolorum temporibus, quæ crucis signo tanquàm trophæo quodam victoriæ Christi, non est vsa, & illo signo fidem suam in Dom. Iesum pro nostra salute crucifixum, non est professa? Vndè iste furor, vndè hæc audacia, quæ quod ab ipsis Apostolorum temporibus vbique vniuersus orbis Christianus comprobauit, audere improbare? Abusus multos & varios circa crucis signum, non ignorat Anglicana Ecclesia: quæ quandò templa repurgauit ab idolorum spurcitiâ, cruces etiam, quarum idololatricus & superstitiosus erat cultus, sustulit. Sed absit vt pium crucis vsum, cum abusu simul involverit. Hoc demùm est Papismum ædificare, verum & sanctum alicuius rei vsum ab abusu nolle discernere, & vtrúmq; eodem loco habere. Hoc non est offensiones tollere, sed grauiores suscitare. Qui verò illa ab inuicem segregat, Ecclesiam verè ædificat. Genuum flexio in receptione sacramenti Eucharistiæ tibi quoq; displicet: quam vt odiosam reddas, candore schismatico dicis fieri ante sacramentum: ac si nostri Canones iuberent, ante sacramenta genua flectere, & illa adorare. Hic est metus, qui à schismaticis nostris prætenditur; nè forte panis adoretur, vel adorari credatur. Ante sacramentum genua flectunt Papistæ: qui illud ostendunt, & in monstrantijs seruant ad illum vsum. Nostri Canones iubent genibus flexis sacramentum corporis & sanguinis Domini recipi à communicantibus; non vt panem adorent, quod hactenus nemo docuit, sed vt Christum adorent vitæ æternæ panem: qui seipsum tùnc manducandum & bibendum exhibet. Multò magis metuendum est, nè illum non adorent communicantes, qui in illa actione adorandus est, quàm nè panem adorent. Quod hypocritarum est proprium, quod non metuendum est, metuitis. Quamuis Papistæ panem adorent, panem tamen adorandum non docent: & cauent nè Sacrificuli ante consecrationem panem ostendant, nè à rudi plebe adoretur, quæ inter panem & panem non discernit. Post consecrationem verò, accidentia illa sine subiecto populum admonent non esse adoranda: & vos metuitis nè rectè institutus in re sacramentaria populus panem adoret. Fucus hic est quo turpitudinem nouæ inuentionis pingitis, & inobedientiæ Schismaticorum crimen iustificatis.

Postremò addis: *Otij deniq; in tot ferijs infelices fructus, ijsq; similia.* De ferijs iam diximus, quas nisi impias monstraueris, nihil dicis, quia illæ ipsæ feriæ, quas Deus ipse instituit, à prophanatione impiorum non fuêre immunes: nec ipse dies Dominicus liber est: nisi fortè & illum sublatum cupias, quia prophanatur ab hominibus prophanis.

Quam ædificationem Papismi in Ecclesia Anglicana constare intelligas, nescio: latius explicatum velim quod narras. Credit Anglicana Ecclesia festis natiuitatis Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Palmarum, Paschatis & Ascensionis, Pentecostes, & Trinitatis, populum Christianum ædificari, si festa illa piè celebrentur: hoc est, illo fine, quo sunt instituta: nempè vt beneficia redemptionis humanæ, historiaq; populo inculcentur, saltem semel in anno, & memoria celebretur. Et quisquis hoc iudicat esse papisticum, aut papismi ædificationem, peiorem arbitramur ipsis papistis. Obducto supercilio si quis excipiat, quotidiè id esse faciendum: respõdemus quo meliùs id quotidiè fiat, festa esse instituta: in quibus Christiani, officij sui admonentur. Humani ingenij imbecillitas magna est: quæ nisi subindè excitetur, facilè prolabitur in obliuionem rerum, quas iugi memoria deberet recolere. Simùl

omnium

omnium actionum historiæ Filij Dei, quas in carne gessit, vno die tradi non possunt. At Catechismi prima pars, & quæ veluti basis & fundamentum est reliquarum, est historiæ totius vitæ Seruatoris nostri notitia: quam nisi subindè inculces rudis populi auribus, ignarus illius, cætera quæ superstrues nunquàm capiet. Totum vestrum catechismum vno die vos non puto perdocere: finite (quæso) nos quoq; populo nostro, Christi heroica facta statis suis temporibus meditanda tradere.

Artic. 18.

Dies est Domini (inquit Dauid) & eiusdem nox est, vtriusq; conditoris. Vtrumq; Paganismus cum astris ipsis polluit, dùm Marti, Ioui, Veneri, Saturno ea omnia tribuit. Quem morem Philastrius Brixiensis Episcopus iampridem vt ab Ecclesia arceret, inter hæreses retulit: Augustinus autem ab ore & lingua Christianorum facessere iussit. Quibus etiam nominibus in Ecclesia Romana, vt in Iudaica, liturgicæ dierum notationes caruerunt. Quem certè morem seruatum cuperem.

Resp.

INania verba votaq; crepas: in quem finem statim videbimus. Philastrius Brixiensis Episcopus illis nominibus, qui tempore inualuerint, dies designare, nunquàm iudicauit hæresim: sed cum Paganis dies illos falsis Numinibus, more Gentilium, tribuere, contra fidem Christianam videri: Christianus enim non est qui hoc facit. Sed mutare illa nomina, & alia dare, nec ipse, nec Augustinus, nec Romana Ecclesia vnquàm potuere. Vsus prævaluit. Et tu id nobis vitio vertis? Nobis præmonstrato viam quam sequamur. Et nomina finge noua mensibus & diebus; & pro Ianuario, dicito *Tebeth*: & pro Februario, scribito *Sebat*; & pro Martio, *Adar*. Quòd si tui, vicinq;, cum quibus tibi sermo erit, intellexerint quos tu menses, quos dies significes, & imitari velint, spes nobis erit, nostris hominibus idem persuaderi posse. Sed solus sapere videberis: nemo intelliget, ridebunt omnes. Si Philastrio, si D. Augustino, si deniq; veteri Romanæ Ecclesiæ, quæ olim fuit, cum Christianis tantùm colloquendum fuisset, non etiam cum Gentilibus, poterant aboleri vetusta cum rebus ipsis vocabula, & noua, feriæ primæ, secundæ, tertiæ &c. inualuissent. Verùm Gentiles vicini, quam ipsis Christiani narrâssent ferism primam, secundam, tertiamue, nunquàm intellexissent: & nihilo minùs quàm anteâ illi suum diem Mercurii, Iouis, vel Saturni, istis suis dits assignâssent. Hodiè rerum vulgò perijt memoria, sola dierum significatio intelligitur: ignoratur Mars, ignoratur Venus. Quid sibi velit Ianus, quid februa, populus Christianus nescit. Sed ego non te ita puto insanire, vt mensium & dierum recepta vsu nomina mutanda esse nunc censeas. *Michalemesse* & *Christmesse* vrunt te prophanæ voces, infami illo missæ vocabulo pollutæ. Missæ vocabulum tibi, nostriq; schismaticis pollutum videtur. Quamplurimis principibus viris, tùm pijs, tum doctis, & primis Euangelij restauratoribus, qui pro Christi nominis confessione fortunarum suarum, & vitæ periculum subire non refugerunt, missæ vocabulum non displicuit. Missæ vocabulum polysemon est, & non tantùm pro sacrilegio Romanæ abhominationis accipitur, sed etiam pro sacra corporis & sanguinis Domini Synaxi. Lege confessionis Augustanæ caput de Missa, & disce indè huius vocis vsum. Illi subscripsit D. Caluinus, Bucerus, & alij, quorum memoria celebris est in Ecclesiis; & in professorum Augustanæ illius confessionis comprehendi numero, summo studio contendebant. Sed admissi non sunt morositate theologorum, qui verebantur nè infamia dogmatis de cœna Domini suos principes commacularent. In missæ vocabulo nullam pollutionem videbant. Vetus Bibliorum versio habet, *Qui recedere vult ab amico, occasiones quærit.* Istæ corrasæ & conquisitæ miseræ rationes vndiq; sunt, vt schismatis, & inobedientiæ, ac rebellionis suæ contra suos superiores causas iustas habuisse videantur.

Artic. 19.

HIc verò, & aliis in rebus quæ plura penitiùs excutienti occurrere possint, non agitur de tolerantia ad pacem fouendam, sed de approbatione & subscriptione.

RESP.

QVæ sint illæ aliæ res quæ penitiùs excutienti possunt occurrere, non dicis. Tantùm hac præteritione innuis plura esse quàm tu hîc tetigisti cõtra verbum Dei: actu illud quod subscriptione approbandum proponitur, farrago quædam sit errorum contra verbum Dei. *Non agitur de tolerantia* (inquis) *ad pacem fouendam.* Quam nobis, obsecro, tolerantiam commemoras? Ipsi scz. Ecclesiæ Anglicanæ institutiones hactenus tolerârunt, quos nimiùm patienter in Ecclesiæ perniciem Episcopi tolerauerunt. Isti tolerauerint Episcopos, vtpotè tyrannos ad fouendam pacem, non ipsos Episcopi: tolerauerint constitutiones Ecclesiasticas, quas opinantur esse contra Dei verbum conditas. Atq; pari ratione ab Episcopis regeri in te etiam poterit; Ergo & vos toleratis nos nostraque: nos verò non toleramus vos, apertè dissentientes à nobis, & impugnantes nostra: tanquàm apud vos ad amussim verbi Dei omnia exactè sint reformata, vt nihil sit quod tolerationem exigat. Vos cum Angelo illo qui in Apocalypsi grauiter reprehenditur, dicitis; *Diues sum, & ditatus sum, & nullius egeo.* Novum profectò tolerantiæ genus est, quod adfers, in quo qui tolerantur tolerant: vt iam tolerari, sit tolerare.

QVam voluntariâ quidem, & ex animo subscriptione, probare oporteat, nihil contineri in aliquot libris iam editis verbo Dei contrarium.

RESP.

QVæcunq; illa sint, quæ subscribenda proponuntur, verbo Dei non sunt contraria: id hactenùs neq; tu istis tuis obseruationibus, neq; illi, quorum suscepisti patrocinium, vllis suis scriptis, & responsionibus potuerunt docere: nisi apertè tergiuersari, & impudenter calumniari, docere sit. Iniquissimum esse fatemur, exigere vt quidquam subscriptione probetur quod verbo Dei aduersatur. Absit hoc ab Episcopis. Ego subscripsi, & multi preterea mecum, qui nec eruditione, nec pietate inferiores sunt illis, qui in hac re suis superioribus parêre detrectant. Sed sunt multa quæ nullo Dei verbo vetita sunt; & talia sunt, qualis est is, qui illis vtitur: de quibus Ecclesia leges & Canones condendi habet authoritatem. Episcopis enim non minùs graue esset quidquam contra verbum Dei obtrudere Ecclesijs, quàm calumniatoribus superiorum suorum.

GRaui certè iugo conscientiis impositò! quæ si vel paululum pungantur, nihil leue esse existimant. Porrò qui generalem subscriptionem requirit, nihil nè minimum quidem apicem excludit.

RESP.

NVllum conscientijs iugum Episcopi imponunt, quod ipsi vltrò non subeunt: sed illi quibus parêre in rebus licitis superioribus suis graue est, & quiduis suo ipsorum arbitrio permitti volunt, onus intolerabile imponunt suis superioribus. Sed vndè hæc tua intemperies, qui nôsti Geneuensem Ecclesiam, & omnes Gallicanas reformatas Ecclesias exigere similem ab omnibus Ministris generalem subscriptionem? Quod vobis permittitis, quo iure aliis denegatis? Iugum tamen conscientijs vos nullum creditis imponere: & iniuriam vobis fieri exclamaretis, si quis id vobis, quemadmodum tu nobis, exprobraret; cùm tamen si cui liberet in vestra curiosiùs inquirere, certus sum vos omnia vestra ex verbo Dei non posse defendere. Nos nobis conscij non sumus quidpiam subscriptione nostra probari, quod contra Dei verbum sit. Tu istis tuis bellis rationibus nihil probas: iam olim illis responsum est; tu nihil noui adfers. Qua in re præcisa sit subscriptio, quæ exigitur, non demonstras: quibus displicet, præcisam illam faciunt: quasi Episcopi diuina æquarent humanis, ac cœlum terræ miscerent. Non omnia quibus subscribitur, æqualia pariáue faciunt. Vnumquodq; retinet suam dignitatem in suo genere,

genere. Sacræ & Canonicæ ſcripturæ approbantur, tanquàm à Deo profectæ: vt ſint fidelibus Chriſtianis fidei regula: ſimiliter Anglicanæ Eccleſiæ fidei confeſſio. Quam licet credamus ex verbo Dei deſumptam; illi tamen eam non æquamus. Habemus conceptas publicas preces, & liturgiam, quâ meliorem, nec magis piam, nullam credimus vnquàm habuiſſe Eccleſiam. Sequuntur Canones nuper editi: quos etſi nihil continere credimus contra Dei verbum; non tamen eodem loco habemus, quo Canonicas literas, aut fidei confeſſionem. Illa mutari poſſunt; hæc immota manent: illa tempora & loco ſeruiunt; hæc æterna ſunt.

ARTIC. 20.

QVæ quàm ita ſint, deflendum eſt Eccleſiæ inflictum grauiſſimum vulnus: quo tot greges ſuis Paſtoribus deſtituuntur, alioqui ſedulis agri Dominici, & pacis Eccleſiæ cultoribus, eiuſmodi ſubſcriptionum & approbationum conſcientiâ deterritis.

RESP.

QVæ tu nobis narrâſti, ſicùt illa narrâſti, non ita ſe habent: tamen ab iſtis, quibus patrocinaris, vulnus inflictũ Eccleſiæ dolemus, & deploramus. Illud à pijs & doctis viris ſanandum, ſuſceptum eſt, & olim ſanatum fuiſſet, niſi tu, tuiq; ſimiles illud aluiſſent, & refricâſſent. Eccleſiæ Anglicanæ (quod putas) paſtoribus non deſtituuntur. Quibus Eccleſias deſerere potiùs quam ſuis præpoſitis, adeoq; ipſius Regis Maieſtati parêre, æquius viſum eſt, quo iure tu Paſtores ſedulos agri dominici & pacis Eccleſiæ cultores vocites, non intelligo. Per illos non ſtat, quo minùs deſtitutæ ſint Eccleſiæ: ſed gratia Deo, non eſt tanta piorum & doctorum virorum inopia, quin meliores ſurrogari potuerint. Conſcientiam allegare non ſufficit: ſunt qui ſine verbo Dei ſibi formant conſcientiam. Nihil hîc allegatum eſt, quo docueris ex verbo Dei informatas eſſe iſtorum hominum conſcientias. Epiſcopos & quotquot cum eis ſentiunt, aut nullam, aut nullo verbo Dei edoctam conſcientiam habere, affirmare, calumnia, & contumelia eſt. Schiſmaticorum excuſatio, omnium Epiſcoporum, & totius Anglicanæ Eccleſiæ, quædam eſt accuſatio.

IDq; eo magis mirum videtur, quod in eadem plerumq; Eccleſia, præcipui Doctores diuerſa ſentientes, in doctrinæ etiam fidei capitum interpretatione feruntur.

RESP.

ET Epiſcopi noſtri iſtos ferunt, ſicut & vos hactenus tulerunt: non enim eorum quenquam à communione fidelium eijciunt: ſed qui præſint Eccleſiæ, idoneos non eſſe arbitrantur homines morioſos, qui ſibi placent, intùs turgent, foris, qui non parendi præpoſitis in rebus adiaphoris, malum populo exemplum præbent.

ARTIC. 21.

INgraueſcit malum terribili illo excommunicationis fulmine quod nuperi iſti Canones vibrârunt in tam multos cuiuſvis ſtatus & generis huius regni incolas, vt iam inclamari poſſit: Hæc ſi ita habeant, Ecquis ſaluus eſſe poterit.

RESP.

CAnonem nullum citas, qui excommunicationis fulmen eiaculatur contra Dei verbum: in genere tantùm tragicum exclamas, & fictâ commiſeratione impiæ crudelitatis Synodũ Anglicanæ Eccleſiæ condemnas. Tibi demonſtrandum eſſet illorum Canonum ſaltem vnum aliquem communione fidelium priuare, quem verbũ Dei intra regnũ Dei retineri iubet. Malos regno Dei expellere, & fidelium cõmunione priuare, novũ non eſt. In quare nec numerus delinquentiũ, nec ſtatus generiſue conditio

Galat. 5. 21. Ephe. 5. 5.

conditio Synodum non magis mouere debuit, quàm Paulum quandò recensuit eos, qui excluduntur regno Dei: aut vosipsos, quoties Domini cœnam celebratis, & Pastor dicit: hanc regulam sequens; *Authoritate Dom. nostri Iesu Christi, ego excommunico omnes idololatras, blasphemos, Dei contemptores, hæreticos, & illos omnes qui seorsim sectas faciunt, aut sequuntur, & vnitatem Ecclesiæ discindunt; omnes periuros, & quotquot Parentibus, præpositis, ac superioribus suis parêre detrectant; omnes seditiosos, perduellionis reos, percussores, iurgiosos, adulteros, scortatores, auaros, latrones, fures, raptores, ebrietati & gulæ deditos, & quotquot vitæ turpitudine sunt aliis offendiculo: quibus denuntio vt ab hac sacra mensa abstineant, &c.* Confer (obsecro te) nostros Canones, quibus à mensa Domini iure decidisse denunciantur improbi, & vide nùm non contineantur sub aliquo horum vestrorum capitum. Quod vni priuato apud vos in sua Ecclesia licet, qua fronte prouinciali Anglicæ Ecclesiæ Synodo, nefas esse ducis? Sed omnia vestra benè & ritè apud vos fiunt; illa eadem apud nos à nobis malè. Subijcis eâdem imperitiâ, quâ quondàm cùm adhûc rudiores essent Domini discipuli, sicut legimus apud tres Euangelistas:

Hæc si ita habeant, Ecquis saluus esse poterit?

Agnosco ipsissima verba Discipulorũ Domini: agnosco & eandem ignorantiam. Vtinàm cum eadem simplicitate coniuncta esset: sed excusationi in te nullus est locus; qui antequàm rectè nostros Canones intelligas, eos, eorúmque authores damnare audes.

ARTIC. 22.

IAm verò, si ipso facto (vt Canones loquuntur) nempè quod aliquid vel tantillum in libris illis improbetur, tot Anglicanæ Ecclesiæ membra abscindantur.

RESP.

PErgis tu tibi similis esse, & eodem candore quo suprâ, ais: *si vel tantillum in libris illis improbetur.* Vbi, ex quo Canone hoc demonstrabis, vt si quis vel tantillum in libris illis improbet, ipso facto Ecclesiæ communione fuerit eiectus? A candore, nedùm Christiani viri, sed etiam honesti, alienum est verba inuertere, & odiosè per calumniam in alium sensum trahere, & interpretari. Leges ciuiles huius regni suspendio fures afficiunt, & furtum morte dignum iudicant. Quòd si quis tuo exemplo, vt hanc legem in odium verteret, declamatorio more diceret, crudele esse, & inhumanum, vt quis morte afficiatur, qui vel tantillum de alieno surripuerit, cùm tam legibus quàm Canonibus modus sit certus tributus, non quantitas, & in quæstione quomodò alienum surripuerit, non quantum, improbus calumniator fuerit legis, & sacri Canones in contumaciam & obstinationem peccantis animaduertunt potiùs, quàm in peccatum. Sed fortè illud, quòd ipso facto malos excommunicationis censuram incurrere Canones volunt, tibi non probatur. Omissis argumentis, immotum hoc apud orthodoxos est, in neminem sententiam excommunicationis proferri, qui facto suo priùs non sit excõmunicatus. Atqui certum est, secundùm etiam vestrã excommunicationis formam, rebelles & inobedientes suis præpositis eorumq; seriis mandatis excommunicari. Atqui vt intelligant quotquot Anglicanæ Ecclesiæ mandatis tenentur parêre, non leue sed serium præceptũ esse, quod Canone cauetur, eorumq; obligari conscientias, & in rebellium numero habendos, qui proteruè illos violauerint, illud *ipso facto* additum est. Addis

Tot Anglicana Ecclesiæ membra abscindantur.

RESP.

NOn abscinduntur nisi qui se voluntariâ & peruicace inobedientiâ abscindunt. Te miseret membrorum Anglicanæ Ecclesiæ; oblitus tuorum, quos eodem vinculo alligas, quoties apud vos cœna Domini celebratur. Ceterùm quandò addis:

EX consequenti graues & docti viri non pauci, qui quidem vbiuis, salua charitate, aliter in istis sentiunt, eodem telo petuntur, & vt minimum excommunicabiles pronunciantur.

RESP.

RESP.

QVod graues viros doctos attinet, qui Anglicanæ Ecclesiæ subiecti non sunt, Canones nostri ad illos non pertinent: sicut nec leges nostræ ciuiles. Liturgia nostra, libri nostri illos nihil tangunt, etiamsi contrarium sentiant: nos nostrumq; populum malo exemplo non offendunt: atque ita illi, Dei iudicio relinquuntur.

ARTIC. 23.

VTinàm vtinàm ergò tùm Reuerendi Patres, tùm fratres reliqui maturè prospiciant quorsùm res sit euasura: quorum omnium capitibus ex æquo cruenta illa Papistarum factio imminet: maturè (inquam) cogitent de Christiana inter Ecclesias omnes concordia, deq; sarcienda Christi tunica, iam iam plus satis discissa.

RESP.

QVis tulerit Gracchos de seditione querentes? Tu concordiam optas, qui te flabellum præbes schismatis, & schismaticis patrocinaris. Vtinàm tu, quorsùm res sit euasura, expenderes; istis tuis rationibus oleum huius dissidij incẽdio non adderes. Ego expectabam, vt tu dissentientes à suis Præpositis, & fratribus, ad concordiam & pacem hortareris: sed tu eos in suis opinionibus confirmas, & obstinatiores reddis: & ipsos Episcopos, atq; vniuersum Anglicanæ Ecclesiæ clerũ damnas, tanquàm schismatis authores. Hac viâ nunquàm pacem & concordiam inuenies. Malus concordiæ conciliator est, qui alteri se parti adiungit, eamq; quantum potest, tuetur, & defendit. Quid fieri æquum censes: vt pacem cum peruicacibus habeant Episcopi, & tota deniq synodus? An vt illis cedat, & ipsis pro sua libidine quiduis impunè in Ecclesia permittat? Latè patet negata subscriptio: & quæ fenestram petulantibus ingenijs aperiat quiduis audendi & nouandi in Ecclesia. An tantùm in istis, quæ notâsti, subscriptionem non vrgeri velles? Sed tu nullam iustam causam attulisti, quare id eis permitti debeat. Deindè nos certi sumus, vt maximè liceret, & integrum esset, eo contentos non fore: aliud vlterius petituros. Peruicacia cedendo non vincitur, sed alitur. Si tanto studio rationes, & argumenta, Canonibus probandis, & examinandis causis, ob quas à Synodo conditi sunt, conquæsiuisses, nullo præiudicio præoccupatus, aliud sentires, & aliud scriberes. Cùm autem sis imbutus opinionibus Geneuensibus, aliud loqui & scribere non potes, qnàm homines nostri, qui non aliundè suas conscientias formârunt, quàm ex illis eisdem lacunis. Si pacem & concordiam tantoperè expetis, author esto fratribus, vt depositâ falsâ conscientiâ non parendi suis Præpositis, meliorem assumant, quæ mandatis parêre superiorum discat. Hæc sola & vnica via est ad pacem & concordiam.

Et hæc sunt (obseruande frater) quæ ad tuas obseruationes respondenda mihi esse existimaui, vt qui ministerium in Ecclesia Anglicana susceperim, & illi Synodo interfuerim, cuius tu improbas Canones, illiq; te aduersarium constituis & aduersariorum patronum. Quandò in Ecclesijs vestræ reformationis vixi, & ministerio functus sum, nunquàm adeò peruersè de Ecclesia Anglicanâ iudicaui. Legeram tamen Doctorum huius Ecclesiæ libros, legeram leiturgiam latinè & gallicè versam, legeram & D. Caluini liberiorem, quàm oportebat, de illâ censuram: animaduerteram in moribus quidem peccari: sed quod Canones attinet, nihil notare potui, quod verbo Dei aduersetur. Si secundùm Canones viueretur, nullam meliùs reformatam esse Ecclesiam auderem affirmare. Quicquid hîc peccatur tùm publicè tùm priuatim, contrà Canones peccatur. Hæc mea responsio, defensio quædam mea est priuata, vt qui in hac re cum Anglicana Ecclesia vituperium feram. Si vera sunt quæ scribis, non sunt extra culpam. Nihil est quod mihi succenseas, quòd meam in ijs, quæ tu culpas, defendo innocentiam. Episcoporum miror leuitatem & patientiam, qui tàm leui animo hanc tuam tulerunt & dissimulârunt hactenus Censuram.

FINIS.

?

XUM

EXAMEN TRACTATVS DE EPISCOPATVVM TRIPLICI GENERE:

Ab

HADRIANO SARAVIA

æditum.

IEREMIÆ 6. CAP.

State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea; & inuenietis refrigerium animabus vestris.



M DC X.

Sereniſsimis Regibus, Illuſtriſsimis Principibus, Magnificis Proceribus & Magiſtratibus Populi Chriſtiani: Item Paſtoribus & Doctoribus Eccleſiarum Chriſti, quæ relicta tyrannide,& idololatria Romana,Euangelij doctrinam amplexæ ſunt, ADRIANVS SARAVIA, *ſalutem & fœlicitatem optat & precatur æternam.*

HOnoratus vis Dominus Glamius, quondam Regni Scotiæ Cancellarius, de deturbandis Epiſcopis gradu, quem ab Apoſtolorum temporibus in hunc vſq; diem vbiq; terrarum in Eccleſia tenuerunt, à D. Beza conſilium, vel (vt mihi videtur) potiùs ſuffragiũ petiuit; vt eius rei,quam animo perficere conſtituerat, illum probatorem haberet & authorem. Epiſtolarum autem ipſorum nactus exemplaria, mirari cœpi tam leuibus rationibus quenquam ad innouandam tanti momenti rem potuiſſe moueri. Quando illud argumentum contra eundem D. Bezam pertractaui,hanc quoq; diſputationẽ adieciſſem, ſi ad meas manus peruenisſent. Et vbi illas nactus ſum,non ſtatim contrà quidquam euulgandum exiſtimaui: ſed diſtuli in hunc vſq; diẽ,expectans opportunitatẽ,qua commodo Eccleſiarũ cum minima offenſione prodire in lucẽ poſſet. Quot reſtent per vniuerſam Europam adhûc Eccleſiæ reformandę,notum eſt. Cui rei remora maxima iniecta eſt ab ijs,qui præcipiti iudicio abrepti, Papatus odio priſcã omnem contempſêre antiquitatem. Ἀξιώματα ἱερὰ magnæ authoritatis ſemper olim apud orthodoxos fuerunt. At hodiè quicquid nobis vetuſtate aliqua cõmendari deberet,diſplicet,& innouatio placet. Non quòd veterem vllã conſuetudinem vrgeam, quæ ſacris literis aduerſetur,hæc ſcribo: ſed tantùm quòd quiduis nouandi ſtudiũ, citra delectum, quod in papatu receptũ eſt,probandum non ſit: cùm inter illa numerentur etiã ea, quæ naturæ lex omnes gentes docuit,adeóq; verbum Dei habent authorem. Me multorum incurrere odiũ certò ſcio,& dum vniuerſali Eccleſiæ datas offenſiones amoliri ſtudeo,nonnullos offendo. Sed leuiuſculum illud eſt,& contemnendum, dummodò grauiſſima ſcandala,quæ ſub Euangelij nomine,& reformandi Eccleſiarũ colore nata ſunt,tollantur. Cùm verò propter abuſus,quos temporũ iniquitas & Satanæ malitia inuexit,illa quóq; reijciuntur,quę tam verbo Dei,quàm ipſâ naturę lege,optimè cõſtituta olim fuêre,& vſu perpetuo,moribúſq; omniũ totius vniuerſi orbis Eccleſiarũ omnium temporũ confirmata ſunt: illud diſſimulari à me ſine impietate non poſſe arbitror. Cùm nobis tantùm placemus,nec aliorũ vllam rationẽ habemus,infirmos,qui adhûc ſub Romani Pontificis tyrannide degunt, offendimus,& à veritate Euangelica alienamus: malos verò peiores reddimus,ac magis in ſuis erroribus confirmamus. Cui erudito,& in verbi Dei lectione veterúmq; Patrũ verſato perſuaſerit D. Beza,primorũ Eccleſiæ Patrũ,vt Ignatij,Polycarpi,Irenæj,Cypriani,& aliorũ qui ſecuti ſunt,nempè,Ambroſij,Auguſtini,Baſilij magni,Gregorij Nazianzeni,Epiſcopatus fuiſſe ab hominibus inuentos,non à Deo inſtitutos? Illos verò qui in Romana Eccleſia cõſpiciuntur,eſſe à diabolo inuectos? Et hoc demùm eſſe reformare Chriſti Eccleſias,Epiſcopalẽ gradũ tollere, & nouos Presbyteros,ac Diaconos annuos, quos nullę ante hęc tẽpora Eccleſiæ agnouerũt,creare? opes Eccleſiarum diripere? & præter tenuia ſtipẽdia,in arbitrio

magiſtratuum & nobilium poſita, nihil relinquere? Dotare Eccleſias prædijs & prouentibus, eſſe ſuperſtitioſum,& papiſticum; illas bonis omnibus ſpoliare, eſſe religioſum & Euangelicum? Quantum in hac re vbiq; peccatum ſit,cõmemorare pudet,pigetq;. Hæc tamen non tango,quòd Dei ſeruis de terrenis opibus ablatis, & variè diſtractis,cum quoquam cõtendendum putẽ. Viderint ſacrilegiorum authores quomodo Deo id probare poterunt. Satis ſit ipſos quæ Deo piè cõſecrata erant non tradidiſſe,nec illa in prophanos vſus cõuertendi conſilium dediſſe. Illud quod reip. oppreſſæ coegit vendere extrema neceſſitas,iuſtã excuſationem habet. Homini priuato difficile eſt iudicare aut diſcernere quid in hac re publica neceſſitate,quid auara cupiditate factum ſit. Pauci emptores id nôſſe potuerunt. Fuit tẽpus,quando pleriſq; in locis bona pars cleri (vt de plebe nihil dicã) ab Euangelica doctrina non abhorruiſſet,ſi noſtri homines modum,quem Dei verbũ præſcribit & Chriſtianos decet,tenuiſſent. Sed cùm viderunt opibus inprimis quas poſſidebant Eccleſiaſtici bellum inferri,& omnia transformari, & mores profeſſioni non reſpondere,plurimorum animi à vera religione non modò alienati ſunt, ſed adeò exacerbati,vt quiduis potiùs paſſuri ſint,quàm vllã reformationem admiſſuri. Si moderatè ſe noſtri ann. 1577. in Belgio,vt oportebat verè Chriſtianos, geſſiſſent, fixa Euangelij prædicatio illîc manſiſſet. Quod vulnus tametſi ſpes non ſit ſanari poſſe,niſi longi tẽporis obliuione obducta cicatrice; huius tamẽ ſcandali tollendi, & emendãdi illa in quibus peccatum eſt,vobis,penes quos ſummum eſt in Chriſtiana R. P. imperium,poteſtas à Deo data eſt. Poteſtis enim maturo conſilio & prudenti moderatione abrogare,quę temerè ſine verbo Dei contra veteris Eccleſiæ mores introducta ſunt, & quæ Papatus odium veriùs quàm ſanum iudicium ſuppreſſit,reſtituere. At fortè mihi obij iet aliquis: Vrbs Geneua ſuo exemplo præluxit alijs Eccleſijs quæ ſecutæ ſunt. Fideles Chriſti ſerui, viri tam eruditione quàm pietate celebres,& admirandi,qui primi illic prædicatione Euangelij plantârunt reformatam Eccleſiã,reformationis,quam oppugnas,fuerunt authores. Illos autem habuiſſe Spiritum ſanctum ducem,non dubitamus. Hoc igitur vnum præiudicium meam cauſam grauat. Sed ad illud,cùm multa habeam quæ reſponderi poſſunt,hoc vnum quod dicturus ſum,quæſo animum aduortite. Primò reformationem mihi oppugnandam nullam ſuſcipio. Multas & varias fuiſſe reformationes factas varijs in locis ſcio; & quòd omnes idololatriam omnem ſuſtulerunt,& ſolius inuocationẽ nominis vnius Dei Patris & Filij,& Sp. ſancti reſtituerunt,& omnes pariter vnum verum Deum Patrem & Filium eius Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum cum Spiritu paracleto inuocant,non dubito à Sp. ſancto eſſe profectum. Interim nihil humanitùs authoribus reformationum accidiſſe, vt addiderint quod non oportebat additum,& omiſerint quod erat vtile & neceſſariũ, quis audeat affirmare? Sed vt illa quæ Sp. ſanctum habent authorem mouenda non ſunt: ita quæ fuerunt ab hominibus inuenta, ſunt emendãda. Ego in hoc meo libro,morum cenſuram, & Eccleſiaſticam diſcip'inam de Eccl ſia non tollo. Preſbyteros & Diaconos Eccleſiarum miniſtros non reijcio: ſed quales Apoſtoli tradiderunt Eccleſijs,& perpetuus vſus,ac vniuerſalis omnium totius orbis Eccl ſiarum, quæ orthodoxæ fuerunt,confirmauit,requiro. In duobus nonnullæ Eccleſiæ reformatæ hodiè peccant. Primum quòd nouum Presbyterorum & Diaconorũ genus in Eccleſiam inuehunt: alterum quòd Epiſcopalẽ gradum tollunt. In hac diſputatione (quod forſan aliqui mirabũtur) contra D. Bezam, D. Caluini ſententiã de Epiſcopis propugno. Ille ab eccleſię gubernatione epiſcopos remouẽdos cenſet: hic Apoſtolici regiminis formam nobis exhibuiſſe docet. Ita de Epiſcopis D. Beza diſſerit, ac ſi ignorauiſſet quod olim fuerit Eccleſię politeuma ſub Epiſcopis.

pis. Fingit nobis Episcopos qui nunquã in Ecclesijs Christi extiterunt. Magnus vir fuit D. Beza, qui multa prę clarè scripsit. Sed homo fuit, qui supra fundamentũ, quod immotum manere debet, auro & argento miscuit fœnũ & stipulam, à Domini spiritu suo tempore exurenda. Aurum & argentum à spiritu Christi est: fœnum & stipula ab homine; quæ vt pereant, leuis est iactura: nihil enim auro & argento detrahit. In vniuersum de omnibus reformationibus hoc tenendũ iudico; illis, vltra illa quæ verbo Dei aduersabantur, non fuisse progrediendum. Cætera, quæ Ecclesiarum vetus politeia receperat, mouenda non erant, ne necessaria discessio ab Ecclesia Romana quę nunc est, videatur ab ipsa prisca, quæ olim fuit, verè Catholica defectio. Exemplũ igitur petendũ est, primò ab ipso Dei verbo: & hoc cõtrouersum inter nos nõ est; deindè à veterũ orthodoxarum ecclesiarũ moribus: non vt reuocentur obsoleta tempore, minimè nunc necessaria (cuiusmodi fuerunt agapę, & si quid fuit huiusmodi) sed quæ inde perpetuò vbiq; obseruata fuerunt, retineantur, & ea quæ recepta sunt, exempla Patrum habeant, nihilq; sit quod non possit tũm verbo Dei, tum exemplo, & vsu veteris Ecclesiæ defendi. Sunt quidam iurisprudentiæ titulo freti, quos politicos vocant, qui nihil non sibi assumũt, quod ad theologos & Ecclesiarum antistites pertinet. Isti omnem religionẽ suæ ditionis libenter facerent, vt de illa statuant quidquid ipsis libuerit. Ad ius suarum ciuilium legum, quantum possunt, Ecclesiasticam administrationẽ trahunt: nihilq; præter nudam verbi Dei prædicationem, & sacramentorum administrationem pastorali curæ relinquunt. Extra controuersiã semper apud omnes gentes fuit, religionem non humanis legibus, sed diuinis oraculis esse constitutã, totámq; ab illis pendere. Proinde cõsulendos esse de religione, & illis omnibus quę ad eam pertinent, theologos, & sacrorum oraculorum interpretes. Summum quidem imperiũ in quauis repub. in omnes ordines tam Ecclesiasticorum quàm ciuilium hominum, authoritatẽ habere agnoscimus, & contra Romanum Papam docemus: non vt aliud de religione, quàm Deus in verbo suo mandauit, principes Reipub. statuere possint; sed vt videant ne Pastores Ecclesiarum suo abutantur officio, & ritè omnia, vt Deus mandauit in verbo suo, administrent. Quod si aliqua cõtrouersia oriatur, tam de ijs quæ ad doctrinæ puritatẽ, quàm ad regimen Ecclesiasticum pertinent, disceptatio ad illos pertinet, quibus Dominus ligandi atq; soluendi potestatem in Ecclesia sua dedit; quos Reges, & illi, penes quos summi imperij ius Deus esse voluit, simul conuenire iubebunt. Iudices rerũ Ecclesiasticarũ legitimos, reges & optimates populi Dei semper censuerũt esse præsulum ecclesiarũ synodos. Est enim suæ artis optimus quisq; disceptator, & iudex. In arte medica si quid peccetur, adhibentur medici: in controuersia iuris & legum, audiuntur iurisconsulti. De tela & panno, ceteróq; lanificio, inter textores si quæ contentio sit, in arte illa qui peritiores sunt, constituuntur censores; non fabri ærarij, aut sutores calciarij, qui in illo artificio non sunt exercitati. Idem fit in cæteris omnibus artibus, & opificijs, quando inter opifices lis nascitur, & eò progreditur: vt non nisi summi imperij authoritate finis contentioni queat imponi. Nihil quidquam in rebus huiusmodi minuitur summi imperij maiestas: multo minùs si consulantur de ijs quæ ad religionem spectant Pastores, & Doctores Ecclesiarum, quibus claues regni cœlorum Dominus noster tradidit. Quid, dicet aliquis, si Pastores ipsi, & Doctores sint corrupti, aut inter se nequeant conuenire? Prostibulorũ emendatio ab ipsis meretricibus & lenonibus nulla est expectanda. A prauis iudicio & moribus Ecclesiarũ præsulibus, quæ sperari potest purę doctrinę restitutio, aut reformatio morum? Si principes populi Dei in eodẽ sunt cũ suis ductoribus (seductoribus dicere volebã)

errore, & hanc curam ad se nihil pertinere iudicant, & toti pendent ab illorum iudicio, quos non posse errare credunt, deploratum illius Ecclesiæ statum Deo commendatum relinquo. Nostra memoria Tridentinum Conciliabulum orbi Christiano nihil boni attulit. Sed cum hoc hominum genere mihi res non est. Illos alloquor, quorum animos filij Dei Euangelij fulgor radiauit, & ad suam prouinciam pertinere nôrunt legis diuinæ ambarum tabularum custodiam: quorum Pastores & Doctores Christi sunt discipuli, quem solùm magistrum agnoscunt, & veritati cedere semper sunt parati. Quos si, vt homines sunt, sententias variare contingat, Principes saniori parti adhærebunt. Sin, permittente iusto suo iudicio Deo, malis fauerint, boni ad Deum suspirabunt, qui suorum, in huiusmodi calamitate, tutum semper fuit refugium. Religionis, & veri diuini cultus, iuris, legúmq;, principes reipub. Christianæ æquè ac belli, militiæq; peritos esse oportet: & quod illis in hac parte deest, à Theologis & iurisconsultis debent accipere, sicut illa, quæ ad bellum & militiam pertinent, discunt ab illis, qui tractent arma, & in arte militari sunt exercitati. Et eadem ratione, qua per iurisconsultos iura dant populis, & per duces ac capitaneos militiam regunt, ita etiam per sacrorum antistites religionem fouent, atque defendunt. Hoc tantùm interest, quòd regum ministri omnia ciuilia officia domi belliq́ue regis sui nomine peragunt: Pastores verò Ecclesiarum in sui ministerij actionibus cuncta solius Dei nomine administrant. De iure suo multa contra leges dispensare possunt, quos Deus summis præfecit imperijs: de ijs, quæ Deus in verbo suo mandauit, nemo. Nec ipsi religionis antistites quidquam eorum mouere possunt, quæ Deus hominibus sacrosancta esse voluit. Quamobrem principibus reip. Christianæ, sacrorum prima & præcipua cura esse debet. Fœlicitas reipub. pendet à bona constitutione Ecclesiæ. Sed vereor ne hæc mea commonefactio nimis sera ad plerosq; venerit, propter illos qui adeò altè imbiberunt errorem, vt facilius fuerit papatui abrenunciare, quàm quod ad rectam reformationem deest, recipere. Facilè quidem in genere liberum de humani ingenij peruersitate, & nostræ naturæ corruptione, sermonem admittimus: sed illam in nosmetipsis agnoscere non valemus. Hoc me consolatur, quòd nec meam priuatam, nec alius cuiusquam causam ago, sed communem catholicæ Ecclesiæ. Adductus præmio ad hunc laborem suscipiendum non sum, nec alicuius rei amore vel odio: tantùm priscorum Patrum antiquitatis contemptus me mouit. Scio me multorum malam inire gratiam, qui magni in Ecclesijs reformatis sunt nominis: sed pluris esse debet veritatis amor hominum odio, & inuidia. Illa nùnc sum ætate quæ morti proxima est, & rerum mundanarum dierúmq; fatur, illam expecto horam qua me Deus ad villicationis meæ reddendam rationem ex hac vita euocabit. Rogo itaque atque obsecro omnes reges, principes, magnates, & primores populi Dei, quos Deus ab Antichristi iugo sua gratia liberauit, vt attentiùs quæ in hoc libro contra clarissimũ virum D. Bezam disputo, expendere dignentur, & suis theologis, qui in nullius præterquàm vnius Christi Domini & Magistri nostri iurârunt verba, sepositis animi perturbationibus, examinanda tradere. Ipsos autem fratres meos & symmistas, in nomine Domini nostri Iesu Christi obtestor, ne contemptim ex præiudicio hæc habeant, & antequam perlegerint, & examinârint, damnent. Deum precor, vt vos ab omnibus malis conseruet, sapientia & fœlicitate ornet, vt ad ipsius gloriam, & vestrorum populorum vtilitatem, cuncta, quæ vestro subiecta sunt imperio, dirigatis.

HADRIANVS SARAVIA.

PROLO-

PROLOGVS.

SVnt aliquot anni elapsi, quod meam de diuersis Ministrorum Ecclesiæ gradibus dixi sententiam; & meæ defensioni ad responsionem clarissimi veri D. Bezæ, nihil decreueram addere: & nisi in meas incidisset manus tractatulus eiusdē D. Bezæ de triplici genere Episcoporum, illi disputationi hanc non addidissem. De quo etsi audiueram, & in Anglicum sermonem versas quasdam paginas legeram, confutatas à reuerendo viro doctoq; Theologo D. Iohanne Bridges, tum Decano Cathedralis Ecclesiæ Sarum, nunc Oxoniensi Episcopo; D. Bezæ esse opus, mihi persuadere non poteram. Mirabar anteà D. Bezam librum meum de diuersis Euangelij Ministrorum gradibus, contra se scriptum accepisse: sed nactus tractatuli exemplar latinum integrum, mirari desiui. Non ignorabam tamen à D. Beza, & à theologis, quos nobis Geneuensis schola peperit, me dissentire. Qui omnes cum gradum eminentiorē inter Pastores Ecclesiarum Christi credant, & doceant humanum esse inuentum, nihil à me actum esse puto: nisi etiam quantum Deus dederit, huius libri seu Epistolæ argumenta confutauero: minus enim me mouent, quàm illa quæ in sua responsione ad tractatum de diuersis Ministrorum Euangelij gradibus contra me scripsit. Sed cùm Bezæ nomen magnæ sit authoritatis, mihi ratio reddenda, cur ab eo dissentiendum iudicem. Non ignoro quàm varia sint de hac suscepta cum D. Beza disputatione iudicia. Alij laudant, alij culpant, alij damnant vtrumque; tam me qui ausus sum de diuersis Euangelij Ministrorum gradibus scribere, contrà quàm sentiunt nonnullæ reformatæ Ecclesiæ; quàm ipsum D. Bezam, qui sua responsione dignatus est hominis obscuri scriptum: reddiderítque celebrius, quod fortè vltrò per se erat periturum. Sua cuique sententia est. Res tamen digna videtur, in quam inquirant diligentiùs theologi. Hoc D. Bezæ consilium cùm passim videam plerisque placere, & receptum fuisse in Scotia (vt de Gallia nihil dicam, & plerisque alijs locis) cum pernicioso & pessimo exemplo, quod apud catholicam Ecclesiam nunquàm poterit excusari; mei officij esse iudicaui, hanc quóque disputationem euulgare: vt Ecclesiæ pernicioſum tam exemplum quàm consilium vitent: Et, si qui rectè restitutas Ecclesias volunt, ab ipso verbo Dei, & à priscis Patribus, & à perpetuo vniuersalis Ecclesiæ vsu (qui in hoc argumenti genere verus est verbi Dei interpres) exemplum petant. Mirum est, tam leuibus argumentis moueri Ecclesias ad supprimendos Episcopos potuisse: & eò fuisse progressum, vt in prima parte reformationis ponatur: & parum illæ reformatæ censeantur Ecclesiæ, quæ ab Episcopis administrantur. Nihil tamen ex verbo Dei adfertur, quod hactenùs legere potuerim, neque ex vsu veteris Ecclesiæ, vndè verisimilem aliquam quis coniecturam queat facere, Ecclesias vllas vnquàm extitisse sine Episcopis eminentioris gradus supra compresbyteros. Nostrum seculum nobis hunc errorem peperit: partum discipuli tuentur mordicùs. Turpe eis videtur dissentire à Magistris. Tanta est authoritas, tanta reuerentia Magistri, vt plus simplex vnius adsertio persuadeat, quàm omnium seculorum scriptores, eorúmque rationes & argumenta. Hoc præiudicium viam præcludit ad veritatem. Non temerè fuit, quòd verus Magister nos vetuit mortalem hic in terris nobis deligere Magistrum. Vnus est enim Magister noster in cælis: ab eo nos edoceri oportet. Causam tamen huius erroris non paruam esse fateor: & quisquis in Romanam Ecclesiam, &

Episcoporum, qui illic præsunt, ambitionem & auaritiam, tantùm oculos conuertet, facilè induci poterit, vt potiùs ab hominibus, quàm à Deo esse ordinatos iudicet. Sed cùm nihil sit tam sanctum, quod à prima sua origine non degeneret; non quid peccant homines, sed quid profiteantur, & quid eos præstare oporteret, est considerandum.

Quocirca sicut in hac re errorem, citra cuiusquam insectationem, demonstro: ita quantum possum, cum excuso: & diuinæ prouidentiæ permissione factum arbitror, vt grauissimi alioquin viri omnem Episcoporum ordinem sublatum cuperent, & tollendum censerent. Præstaret enim nullos in Ecclesia Christi esse Episcopos, quàm pro Episcopis habere Lupos: & illa monstra pati, quæ nobis Romana peperit Ecclesia.

Hic error ab omni ambitionis suspicione Doctores liberat, per quos Deus doctrinæ veritatem restituit: eos nemo accusare potest rerum nouandarum studio permotos fuisse, vt in dignitates & opes Episcoporum ipsi succederent. Sed postquàm innocentia & syncerus eorum candor, qui sibi nullas opes, nullos honores, nihil denique præter veræ pietatis restitutionem proposuerunt, luce clariùs, omnibus videre volentibus, apparuit, satis errori indultum puto: &, nebulis humanarum perturbationum discussis, absq; præiudicio ipsa res nobis examinanda est.

Comparationes nostri temporis Ecclesiarum ego nullas faciam. Odiosum hoc est. Singulæ Ecclesiæ peculiarem suam habent laudem: habent & suos nævos. Causa nulla est, cur potiùs reformationis exemplum, ab vna aliqua peti debeat, quàm ab alia orthodoxa Christi Ecclesia. Habent omnes Ecclesiæ suas scholas, habent & Academias, in quibus nulla in re inuenietur theologi eruditione & pietate alij alijs inferiores. Electio peculiaris authorum, & præiudicium, plus semper Ecclesiæ nocuit quàm profuit: vnus est enim Magister noster in cœlis, Dominus noster Iesus Christus. Si consensus in aliqua re Doctorum pondus habet, longè grauius illud esse debet quod omnium Ecclesiarum, omnium locorum & temporum secum consentiens adfert, quàm huius nostri postremi seculi, paucorum.

Vnde mecum satis mirari non possum D. Bezæ de hac re iudicium: qui (tanquàm nihil non ad exactam verbi Dei normam in sua Ecclesia sit reformatum,) omnibus author est, vt eam sequantur formam Ecclesiasticiregiminis, quam illa, non tam libera voluntate, quàm necessitate, recepit. Episcopus Geneuensis cum suo clero, vano timore perterriti, stationem suam deseruerunt. (Mala conscientia sæpè facit vt fugiat impius nemine persequente.) Sed suâ fugâ odium Euangelicæ prædicationi & inuidiam conflare se posse existimabant. Vnde accidit, vt in eorum vacua loca fideles Christi serui succederent. Quòd si Episcopus Geneuensis suscipere voluisset Filij Dei Euangelium (sicut illud receperant Scotiæ Episcopi) nunquàm suâ sede eiectus fuisset.

Hierarchiam, quæ se Domino Iesu Christo subiecisset (nisi valdè fallor) nec Pharellus nec Caluinus vnquàm sustulissent. D. Caluinus in tractatu de necessitate reformandæ Ecclesiæ, testatur, se paratum fuisse subijcere se Hierarchiæ Ecclesiasticæ, quæ Christo Domino subijci non detrectaret. Eius verba hæc sunt. Talem nobis Hierarchiam si exhibeant, in qua sic emineant Episcopi, vt Christo subesse non recusent, vt ab illo tanquàm vnico capite pendeant, & ad ipsum referantur; in qua sic inter se fraternam societatem colant, vt non alio modo quàm eius veritate sint colligati: tum verò nullo non anathemate dignos fateor, si qui erunt qui non eam reuereantur, summáque obedientia obseruent. *Hic audiuimus, quid de Episcopis, & Episcoporum Hierarchia, censuerit D. Caluinus. Ab eius sententia si D. Beza non recessisset, hac disputatione nihil opus esset. Imitandi rem quampiam exemplum alicundè malè capitur, vbi pares causæ nullæ concurrunt. Aperti reformationis Euangelicæ hostes erant pariter tam Episcopus Geneuensis quàm clerus. Episcoporum verò & Presbyterorum, qui*

Christi

Christi Euangelium receperunt, aut recipere parati sunt, longè diuersa est ratio.

Præterea, cur aliæ Ecclesiæ potiùs sibi Geneuam in reformando Ecclesiæ statu pro exemplo constituant, quod sequantur, quàm ipsa sibi alias priscorum temporum Ecclesias, causa nulla est: nisi dicere velimus à verbo Dei omnes aberrâsse, & ipsam solam singulari priuilegio illud fuisse sequutam. Nihil ego de cuiusquam laude detractum cupio, nec illius Ecclesiæ, nec Pastorum eius, modò præiudicium nullum indè adferatur veritati. Quandocunq; hominum eruditionem nobis ducem potiùs quàm ipsum verbum Dei, aut omnium Ecclesiarum consensum constituimus, non possumus non errare.

Consulti de reformatione fuerunt plures docti viri & Euangelicæ doctrinæ restauratores: eorum extant responsa: inter quos D. Caluinus non est postremus. Is vt quædam minùs liberè suâ censurâ notauit, ita nusquam ordinem Episcoporum abolendum iudicauit. In ijs præter fidem & vigilantiam, in credito ipsis munere, nihil desiderauit. Extant ipsius & aliorum plures & diuersæ de hac re Epistolæ, quibus abundè omnibus, qui veritatem scire desiderant, & non potiùs suffragium quàm cõsilium quærunt, est satisfactum. Sed cùm relictis omnibus alijs, tum Ecclesijs, tum Doctoribus, ad vnum aliquem recurritur, cuius super re controuersa nota iam antè est sententia: non tam doceri velle quid facto sit opus, quàm probari quod facere animo decretum est, satis est manifestum.

Non mihi displicet consultum fuisse D. Bezam, in re grauissima: sed vnius ipsius consilium Ecclesias sequi tanquàm diuinum quoddam oraculum, probare non possum. Ratio mea hæc est, quam inuictam arbitror, quia præcedentium seculorum Ecclesiastici ministerij nulla similis forma demonstrari potest, neq; ex verbo Dei doceri. Antiqui Patres erant interrogandi de semitis antiquis: mouendi enim à nobis non sunt termini, quos constituerunt Patres. Quamuis Ecclesiastica gubernatio recepto Euangelio, nonnihil (quantum per verbum Dei licet) ad Reip. statum inflectenda sit; cauendum tamen est, ne ipsius tollatur substantia. Cœlestis quidem doctrina vniuersalis est: & huiusmodi vt ab omnibus suscipi possit. Proinde non est tanquàm Lesbia quædã regula inflectenda ad hominum mores: vtpote; qui ad illam fixam & immotam reducendi sint.

Quæ relicta sunt in hominum arbitrio, locis, temporibus & hominibus aptanda, de ijs nihil absolutè præceptum fuit ab Apostolis. Gratiâ exempli. Ieiunium diuinæ institutionis est: modus verò tempúsque humanæ dispositionis. Per Episcopos & Prsbyteros, & Doctores & Diaconos, quicquid ad Ecclesiam pertinet, administrari, est iuris diuini. Qui autem cæteris eminere debeant cum authoritate, & quibus in locis Episcopos & Archiepiscopos constitui; item quẽ dignitatis locum in repub. Christiana tenere, quas opes possidere eos oporteat, humani est arbitrij. Ecclesiastico ordini suus debetur honos. Id minimè controuersum est. Quantus verò, & qualis, res, locus, tempus, & homines cum ratione constituent. Ad exemplum Pauli ita comparatos esse Ecclesiæ Christi ministros conuenit, vt externa quæcunq; illa sint, siue prospera, siue aduersa, non debeant respicere. Scio (*inquit Paulus*) & humiliari, scio & abundare: vbiq; & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. *Verum Christi seruum nec diuitiæ ad ministerium Euangelij allicere, nec paupertas debet deterrere. Ab externis istis caducisq; rebus, non est æstimanda functionis Ecclesiasticæ dignitas. Opes & honores, paupertas & contemptus, nihil authoritati (quam Deus Pastoribus Ecclesiæ suæ dedit) detrahunt, aut adijciunt. Sed nimium iniquus est, qui ferre potest vt paupertate ringantur, & despectui sint Ecclesiarum Pastores; non autem vt abundent & honorentur, sicut cæteri solent ciues, qui inter primores in Repub. vbi degunt, sub summo vnius aut plurium imperio accensentur.*

Fuit tempus, quando vniuersam Ecclesiam, & inprimis ordinem Ecclesiasticum,

opus

XUM

opus habere reformatione, ipsimet Pontificij clamabant. De ea hodiè merum est silentium. Quotquot hodiè sub Romano Pontifice degunt, & falsò de Catholico nomine gloriantur, ac si apud eos omnia reformata essent, securi sunt: nimirùm, qui mali sui sensum penitùs amiserunt. Pergunt enim hodie perfricta fronte, & obstinato animo defendere, quorum pudere deberet: & certè quondàm puduit. Nunc verò perindè ac si nulla in re, à verbo Dei deflexissent, nec à Maiorum sanctis institutis degenerâssent, efferuntur, & summa cum impudentia veritati insultant. Reformatio Tridentina ingentia mala secum traxit. Primùm bellis ciuilibus orbem Christianum impleuit: & superstitionibus irretitos animos in illis confirmauit. Verbo Dei omnem, quam potuit, authoritatem detraxit: & vnius mortalis in Ecclesia tyrannidem stabiliuit. Iactatur antiquitas: & indies obtruditur nouitas. Verè in hos dici potest, quod Tertullianus quondàm gentilibus sui temporis exprobrabat. Iactatis (inquit) antiquitatem, & nouè indies viuitis. Catholici volunt haberi, quorum mores & instituta ignorârunt Patres antiqui. Quis Veterum purpuratos Patres, tot Monachorum nostri æui legiones, Iesuitarum agmina, fraterculorum cohortes, pro Catholicis agnosceret? Catholicum illud est, quod indè à temporibus Apostolorum, Ecclesiæ fuit traditum, ac vsu & moribus post fuit confirmatum: & alios authores non habet quàm ipsos Apostolos, & cõsententẽ sibi Christi vniuersalẽ Ecclesiam. Errores varij, & hæreses quæ sequutæ sunt, ad primos suos authores facilè referri possunt, & doceri, eos non fuisse Apostolos. Nos aliena pericula cautiores reddere debent, si sapimus: ne quidquam recipiamus, quod ante nos non recepit Ecclesia: nec aspernemur, quod semper & vbiq; omnis probauit Ecclesia.

De verbo Dei, aut de eius authoritate, nulla inter nos est controuersia: quin eatenùs certissimæ regulæ parendum sit. Quisquis eius imminuere authoritatem audet, impius est. Sed id nos cogitare oportet, Veteres, qui proximè à temporibus Apostolorum præfuerunt Ecclesiæ, verbo Dei non fuisse destitutos: nec omnes pariter Ecclesias simùl à verbo Dei potuisse deficere. Si quis contrà contendat, atque adeò amore sui suæq; ætatis cæcus est, vt sibi nostra tantùm ætas sapere videatur: fruatur ille per me sapientia sua: ego aliud iudico, & admittendum primarum Ecclesiarum morem & vsum vniuersalem, interpretem obscurorum locorum, qui dubij sunt, & controuertuntur, arbitror. Multa in verbo Dei continentur, quibus temporis longitudo, varietas morum, hominum, locorúmque distantia, obscuritatem attulerunt. Ex moribus qui hodiè sunt, prisca iudicari non possunt. Ad eam rem historiæ necessaria est cognitio. Quam si quis contemnat huc illuc incertis agetur coniecturis; & facilè in errorem inducetur. D. Beza ab omnium sententia, qui eum præcesserunt, in hac controuersia recedit. In re tanti momenti, vni mortali fidere non est tutum. Priùs ex verbo Dei, eos qui contrà censent, a verbo Dei aberrâsse, magis apertis & perspicuis argumentis, quàm hactenùs ab ipso aut ab alio quopiam factum est, doceri oportuit. Nam hoc audeo affirmare, si vnus D. Beza Episcopos retineri Ecclesiæ iudicâsset vtile; nullæ ab eis abhorrerent reformatæ Ecclesiæ; quæ hodiè Episcopos nullos admittere, primum reformationis esse caput æstimant. Vnde opinioni non veritati imputandum est, quòd tum Genuæ, tùm alibi gradum videmus abolitum Episcoporum. Authoritas quidem verbi Dei obtenditur: sed nullum quo id doceatur profertur. Melius fecissent, quibus reformatio Ecclesiarum Christi cordi est, si ad ipsum Dei verbum, & primitiuæ Ecclesiæ morem recurrissent, & ad illa rem ipsam exegissent; quàm quòd, vnũ hominem secuti sunt. Si obscuriùs verbum Dei hanc controuersiam decidere cuiquam videatur, exempla primarum Ecclesiarum id clarum facient. Mos enim totius orbis, & omnium temporum Ecclesiarum, potior esse debet eo, qui est exigui populi, & parui temporis. Iob. 8. 9. Hesterni enim sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram. Ita nos fugisse

Romanæ

PROLOGVS.

Romanæ Eccleſiæ cultus Idololatricos & tyrannidem videri decet: vt nemo nos ab vniuerſalis Eccleſiæ moribus meritò defeciſſe iudicet.

Qui Epiſcoporum & Archiepiſcoporum gradus diſtinctos à Presbyteris, in regiminis Eccleſiaſtici poteſtate reijciunt; non tam Papam, & Romanam Eccleſiam, ambitionis & auaritiæ damnant, quàm totam antiquitatem Chriſtianam, grauiſsimi erroris, & craſſiſsimæ ignorantiæ inſimulant. Quod me attinet, ex verbo Dei defendere non poſſum: Epiſcopos & Metropolitanos (quales fuerunt Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Cyprianus, & Baſilius Magnus) humanæ inuentionis in Eccleſia Chriſti geſsiſſe Miniſterium, vel Epiſcopatum: hoc eſt, Paſtoralem curam ſuarum Diœceſeon aut prouinciarum, gradu eminentiorem ſupra compresbyteros & cooperatores in illo eodem ſuo Miniſterio, quatenùs excellebat, ab hominibus fuiſſe excogitatam. Nec puto hunc Epiſcopalem gradum aut reijci, aut impugnari, ſine magno totius vniuerſæ Eccleſiæ ſcandalo, poſſe. Et, vt ingenuè fatear quod ſentio: bonam cauſam produnt aduerſarijs, qui contrà diſputando, Patrum abutuntur teſtimonijs, eoſq; quod nunquam ſenſerunt, dixiſſe aut ſcripſiſſe contra Pontifices contendunt. Reddent omnes villicationis ſuæ Deo rationem.

Fundamentum quidem poſitum eſt, aliud poni non poteſt: quiſque autem vi- 1.Cor.3.cap.
deat quomodò ſuperædificet. *Sententiam igitur D. Bezæ examinemus, & quo Dei verbo fulta nitatur, expendamus: tum demùm quæſtiones, quæ fuerunt ei propoſitæ, commodiùs tractabuntur, quàm ſi proximè in hoc loco ſubijcerentur.*

TRIPLEX

TRIPLEX EPISCOPATVS.

D. Beza.

EPiſcopatus cogimur tres facere: vnum diuinum, alterum humanum, tertium ſatanicum.

Had. Saravia.

TAmetſi quod honeſtum eſt ab omni turpitudine naturâ valdè differat, actioneſq; fidelium Chriſtianorum, ab actionibus hypocritarum & palàm impiorum hominum diſtent, quantum cœlum diſtat à terra: tamen ipſarum formas rerum, quibus accidunt, in genere nihil mutant. Sunt rerum ſubſtantiæ & naturæ, quibus ſubſiſtunt: ſunt quædam functionum conditiones & honorum, quatum natura prauis probíſque eſſentialiter non mutatur actionibus. Gratiâ exempli. Homo improbus æquè homo eſt, atque ille qui virtutem colit. Lenis pater duro patre magis pater non eſt: nec illo iſte minùs. Similiter ſiue clemens, ſiue iniquus ſit Dominus; manet quod eſt. Eadem ratione ſeruus frugi & nequam, ſeruus eſt. Idem de Magiſtratu dicendum: quamdiù non id euertit, quod eſt. Non enim malus Prætor, aut malus Conſul, ceſſat propter improbitatẽ eſſe Prætor aut Conſul: quamdiù præturam aut conſulatũ non euertunt. Idem de Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Miniſtris, eſt cenſendum. Cogimur (inquit D. Beza) tres Epiſcopatus facere. Quid autem eum cogat, non dicit. Ante eum nemo certè tres Epiſcopatus (quod ſciam) fecit.

Magnam eſſe clariſſimi viri D. Bezæ authoritatem non inuideo: ſed non vt nobis aliquid noui fabricet, & quod nulli ante eum theologo in mentem venit, nobis obtrudat. Si de ipſis hominibus loqueretur, nihil dicerem. Fateor enim Epiſcoporum eſſe tres differentias: ſed eas accipio ab ipſorum hominum probitate aut improbitate: non autem à triplici differentia Epiſcopatus, qui vnus tantùm eſt, à quocunque adminiſtretur.

Ab Epiſcoporum pietate & impietate, ornari, aut prophanari varijs modis Epiſcopatus dici potest; ſicut & Chriſtianiſmus ab ipſis Chriſtianis. Sed idcircò multiplicari rerum ſpecies, nihil eſt neceſſe. Pius ab impio nihil ſpecie differt. Quanuis enim pietas vera differat à ſimulata, foris; hominum iudicio, hypocrita verus habetur Chriſtianus. Nota quidem impietas, apertum diſcrimen habet à pietate: ſed ea nec conditionem, ſicut nec hominis naturam mutat. Vt homo dicitur impius ab impietate: ſimiliter Epiſcopus impius dici debet, ſi verus Dei ſeruus non fuerit. Epiſcopatus qui regitur ab impio Preſbytero, eiuſdem naturæ eſt cum eo, quem pius adminiſtrat. Apoſtolatus Iudæ proditoris non fuit diuerſus ab eo quo fungebatur Petrus. Sacerdotio functus eſt eodem Caiaphas, quo Aaron. De Iuda Dominus præmonuerat eum eſſe Diabolum: & Caiaphas annuum emerat ſacerdotium: Apoſtolus tamen ille eodem Apoſtolatus genere fuit, quo cæteri Apoſtoli: ſicut & hic ſacerdos eodem ſacerdotij genere, quo Eleazar. Differentias tamen tres Sacerdotum in Iſraële, ego obſeruo. Prima eſt ſacerdotum Domini, qui altaria in Excelſis habebant, & Deo patrum ſuorum, vt in lege Moſes mandauerat, ſacrificabant. In qua re quanuis aberratio quædam loci ſuperſtitioſa eſſet, multum tamen hoc aberat à prophanatione Ieroboamica, & Idololatria Baalimitica: nam diuinæ ordinationis ſacerdotes illi erant. Secunda differentia erat ſacerdotum & ſacrificulorum Ieroboami, quos humanæ inuentionis dicere poſſumus, quòd à Rege politico inſtituti fuerint ex promiſcua plebe, Leuitis & Aaronica ſtirpe reiectis. Tertia differentia fuit Baalimitarum, qui Deos gentium colebant impio & prorſus idololatrico ritu. Sed differentiæ Epiſcoporum D. Bezæ nihil habent cum his commune: & hæc ſacerdotia toto differebant genere. Epiſcoporum verò in Chriſtiana Eccleſia vna eſt ratio: aberrationes quæ ſunt humanarum traditionem, eſſentiam illius vnius Miniſterij non tollunt, ſed contaminant. Et ſicut quandò accidit Domini ſacerdotem coniungere cum ſacro ſuo ſacerdotio prophanum ſacerdotium Idolorum, hoc non adimebat ipſi ſacrum ſacerdotium: ſic apud Chriſtianos, Miſſificandi Presbyteratus non tollit verum Presbyteratum, quem humana impietas illi coniunxit: ſicut pòſt demonſtrabimus. Interìm definitionem diuini Epiſcopatus, quem nobis tradit D. Beza, audiamus.

DIVINVS

DIVINVS EPISCOPATVS.

D. BEZA.

EPiscopatus diuinus, siue iure diuino institutus, nihil aliud declarat, quàm verum illorum munus, qui alio peculiari nomine vocantur Pastores, quos (inquit Apostolus Act. 20. 18.) Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ. Estque hoc vtrumque eorum proprium nomen in nouo Testamento, quo ab Apostolis, Prophetis, & Euangelistis (quæ functiones temporariæ fuerunt) apud Paulum distinguuntur, Eph. 4. 11: & à Diaconis, 1. Tim. 3. & ad Philip. 1. 1. Nam alioquin Presbyteri quoque passim dicuntur, & διακονίαν etiam Paulus suum Apostolatum vocat, Rom. 11. 13. Dicti autem sunt Episcopi respectu animarum sibi commissarum, quasi speculatores, & inspectores voces.

HAD. SARAVIA.

DEfinitionem hîc ego nullam inuenio, proprietatibus, ceû notis peculiaribus, distinguentem Episcopale officium ab alijs Euangelij ministerijs. Ex Act. 20. ca. quod adfertur: nempè Sp. sanctum Episcopos constituisse illos Presbyteros quos Epheso Paulus acciuerat, vt Ecclesiam regerent, nihil peculiare eis tribuit, quo distinguantur ab alijs Euangelii Ministris qui erant aut Apostoli, aut Prophetæ, aut Euangelistæ. Quamuis illis verbis fatear verum illorum munus significari: illud tamen nomen commune habebant cum Prophetis, & Euangelistis, atque etiam cum Apostolis: qui omnes erant à Deo constituti per Sp. sanctum, vt pascerent Ecclesiam Dei.

Quòd Pastoris & Episcopi nomen, eorum proprium facit in nouo Testamento, qui ab Apostolis, Prophetis & Euangelistis distinguntur, admitto: modò non intelligatur negatum Apostolis & Euangelistis. Nam Pastoris, & Episcopi, sicùt & Doctoris nomen synonymos dicitur de Apostolis, Prophetis, & Euangelistis, Episcopis, & Presbyteris. Proprium quatuor modis dicitur. Et Dei verbo pascere Ecclesiam, non esse vnius tantùm propriû ordinis Ministrorum Euangelij, extra controuersiâ est. Ad Petrum dictum est, *Pasce oues meas*. Ipse autem, alijq; Apostoli, non alia ratione pauerunt Ecclesiâ Christi, quàm pascunt Presbyteri & Episcopi. Nihil tamen prohibet eandẽ dictionẽ modò generaliter, modò specialiter acceptam significare genus & speciẽ: præsertim quandò differentiæ, quæ sumuntur, sunt maioris aut minoris facultatis donorum Sp. sancti, non substantiæ.

Temporarias fuisse functiones Apostolorum, & Prophetarum, & Euangelistarum, eatenùs agnosco cum D. Beza, quatenùs ad latitudinem prouinciæ, ac personalia, & peculiaria, & extraordinaria Sp. sancti dona, referuntur; non autem ad functionum essentiam. Locus ex 4. cap. ad Eph. citatus, tantùm distinctionem & diuersitatem graduum inter Ecclesiæ Christi ministros, notat: nullas singulis proprietates adsignat.

Quòd dicti sunt Episcopi respectu animarum sibi commissarum, quasi speculatores siuè inspectores quis eos diceret, concedo. Sed nec hoc ipsis ita est peculiare & proprium, vt non possit & debeat dici de Apostolis: qui & Presbyteri certè, vt erant, dicti similiter sunt. Quoniam in hac parte, meo iudicio, minùs dicit D. Beza quàm res postulat, paulò altiùs (ne quid desideretur) petito principio, definitionem aptiorem, quam spero D. Beza rejecturus ipse non est, adferam.

Episcopi græca vox est ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν: quæ Latinè reddi potest inspicere, inuisere, & visitare, & inspectorem, aut curatorem esse. Non enim simplicem rei inspectionem, aut otiosam contemplationẽ dictio significat, sed cum quadam cura & solicitudine. Nota Græca vox est: & apud Athenienses Suidas, & alij plures, aiunt fuisse Magistratum hoc nomine. Suidæ verba hæc sunt. Οἱ παρ' Ἀθηναίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑκάστοις πεμπόμενοι ἐπίσκοποι, ἢ φύλακες ἐκαλοῦντο, ὕς οἱ λάκωνες ἁρμόσας ἔλεγον. *Qui ab Athenienſibus in ſibi ſubiectas vrbes ſingula inſpecturi mittebantur, epiſcopi & cuſtodes vocabantur: quos Lacedæmonij harmoſtas (id eſt compoſitores) dicebant.*

Romani & hac Græca voce vsi sunt. Tullius in Epistolis ad Atticum lib. 7. scribit. *Vult* (inquit) *me Pompeius esse, quem tota hæc Campana & maritima ora habeant, ἐπίσκοπον: ad quem delectus, & negotij summa referatur.* Et in Pandectis de muneribus & honoribus, leg. vlt. hæc eadem vox inuenitur. *Episcopi qui præsunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ ciuitatum populis ad quotidianum victum vsui sunt, personalibus muneribus fun-*

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK.

gantur. Extat in Codice similis lex (sed fortè non debito loco collocata) in titulo de Episcopali audientia, qua Valentinianus Christianos constitui annonæ Episcopos voluit, qui prouiderent nè mercandi modum negotiatores excederent; rationem addens, *quia ipsis verus Dei cultus esset, pauperes & positos in necessitate adiuuare*. Dubium est, num Valentinianus præfectos annonæ voluerit esse Episcopos, qui Ecclesias regebant: an quosuis probos Christianos, exclusis gentilibus, quos nouerat esse duriores erga pauperes: & idcircò ad illam prouinciam obeundam minùs aptos. Ego suspicor ipsos Episcopos Ecclesiarum, interdùm hoc subijsse munus. Nam & in titulo de muneribus & honoribus eadem leg. vltima legitur, ab eo munere pontificem non fuisse exemptum. Sed hoc quicquid sit, certum est Latinis receptam vsu Græcam hanc vocem, & ab Apostolis vsurpatam, ad eos significandos quos præficiebant Ecclesijs. Quamobrem ab eis, & à lingua quæ ipsis fuit propria, vera significatio est petenda; & qua voce Hebraicè loquentes Episcopum significârunt, videndum.

Septuaginta interpretes vocibus istis ἐπισκοπή, & ἐπίσκοπος, in Biblijs sæpè vsi sunt. Notus est locus Act. pr. cap. 20. vers. Τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος. Ps. 109. *Episcopatum eius accipiat alter*. Hebraicè פקדתו יקח אחר: hæc qui Latinè reddet, dicet, *præfecturam eius accipiat alius*. פקדה *præfecturam & visitationem* significat Hebræis: & vtróq; modo Græcè passim redditur. Pro visitatione D. Petrus accipit, ἐπισκοπήν: 1. *Pet.* c. 2. v. 12. Ἵνα ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες, δοξάσωσι τὸν θεὸν ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς. *Vt ex bonis operibus quæ aspexerint, glorificent Deum in die visitationis*. Et *Iob.* cap. 10. v. 12. ופקדתך שמרה רוחי, Græcè ἡ δὲ ἐπισκοπή σὲ ἐφύλαξε μὲ τὸ πνεῦμα. *Et visitatio tua custodiuit spiritum meum*. Et Esa. cap. 10. v. 3. ומה־תעשו ליום פקדה, Græcè τί ποιήσουσιν ἐν ἡμέρᾳ τῆς ἐπισκοπῆς: *Quid facient in die visitationis?* Et alio loco, cap. 60. v. 17. idem Isa. ושמתי פקדתך שלום, *& ponam præfecturam tuam pacem*. Vox hæc deducta est à verbo satis noto פקד variæ significationis, à quo & nomen formatur פקיד: quod Episcopum Græcè, inspectorem, visitatorem, & præfectum, atque præpositum, Latinè verti inueniet, quisquis cum Hebraica origine versiones Græcas & Latinas conferre volet. Nehemiæ cap. 11. v. 9. Ioel filius Zechri פקיד Hebraicè, ἐπίσκοπος Græcè, *præpositus* Latinè dicitur. Eodem cap. Zabdiel ופקיד redditur Græcè ἐπίσκοπος, & Latinè *præpositus*. Longè plura possem adferre exempla, vnde qui Græcas & Hebraicas Literas nôrunt, etymon & proprietatem huius vocis intelligere possunt: quæ hûc redit, Episcopi vocabulo in vtróque Testamento, inspectorem, & præfectum, ac visitatorem, communiter significari, & Episcopatus inspectionem, & visitationem, & præfecturam. Inde dictus est Episcopus is, qui præpositus vel præfectus est Ecclesiæ: qui & inspector, ac visitator pari ratione etiam dici potest: quod duabus illis vocibus officium propriè notetur Episcopi. Sed nemini mirum esse debet quòd statim ab initio diuersis & distinctis præfecturis diuersa vocabula speciatim non fuerunt data.

Quùm itáque inisto Episcopi vocabulo nihil insit, quo quis secernat ab Apostolorum & Euangelistarum officio Præfecturam illam, de qua disputamus, Episcopi: ad ipsum munus est recurrendum, & ab eo vera definitio petenda.

Si veterum Patrum communis valeret sententia: nempè Episcopos Apostolico munere fungi, & Titum ac Timotheum veros fuisse Episcopos; concideret nuper nata quæstio de Episcoporum gradu. Nùnc autem cùm res sit tenebris sophismatum circumfusa, & nullus metus sit negare, quæ Patres esse luce clariora iudicârunt, melior & aptior diuini Episcopatus definitio, non ex humanis cogitationibus, sed ex ipso verbo Dei, & ipsis rebus, quas olim fuisse & permanere in Ecclesia constat, eruenda est. Quorsùm enim attinet nobis definire Episcopos & Presbyteros, qui nusquam vnquam in Ecclesia fuisse demonstrari possunt? Ad primos igitur Ecclesiæ Episcopos recurrendum est, & videndum quæ fuerit eorum functio: & ita facilè inueniemus diuinitùs institutos Episcopos.

Apostolos, Euangelistas, & eorum adiutores, Titum, Timotheum, Iohannem Marcum, & septem Asiaticarum Ecclesiarum Angelos, & quotquot in historijs & Patrum monumentis memorantur illam ætatẽ proximè fuisse secutos, quicunq; inspicere volet, & quæ fuerit eorũ functio secum animo pertractare, atque examinare; inueniet diuinitùs constitutũ Episcopatũ esse, cum prædicandi Euangelij, & mysteria celebrãdi, & gregẽ in officio continendi, Christi nomine & authoritate, præfecturam, quæ tam in & supra Ecclesiarum Pastores, quàm supra ipsos greges, generalem inspectionem, & curam habuit: quâ v-

tríque

trique prospiciebatur: vt Pastor erga suum gregem, & is vicissim erga Pastorem suis fungerentur officijs. Vndè diuinum Episcopum meo (iudicio) melius hoc modo definiemus, si dicamus, Eum esse præpositum, qui docendi Euangelij, celebrandique mysteria Christi, & certam aliquam particularem Ecclesiam gubernandi, in ijs quæ spectant ad pietatem, eique Ministros ordinandi, absolutam potestatem à Domino Apostolis traditam, ab Ecclesiæ præfectis accepit.

Hanc Episcopen fuisse à Domino institutam, & mandatam Apostolis, fixum & immotum est. Item eam communicatã fuisse Tito, Timotheo, Sostheni, & Syluano, ac alijs pluribus, quos tam Paulus, quàm ceteri Apostoli adiutores adsumpserunt, negari non potest.

Differentiæ igitur, quibus inter se tanquàm peculiaribus notis discriminantur, hæ sunt. Primùm, Apostoli & Euangelistæ proximè à Deo fuerunt missi, & vocati: successores verò eorum ab hominibus, & per homines. Illi iecerunt Ecclesiarum solidum & immotum fundamentum, nempè Dominum Iesum Christum; cui præter purum aurũ, & margaritas, ac lapides pretiosos, superstruere nihil potuerunt: vtpotè qui directorem habuerint Sp. sanctum, ne à veritate doctrinæ fidei aberrarent: isti verò ita superædificant, vt interdùm lignum, stipulamuè admisceant. Illi testes αὐτοπται Domini Iesu Christi fuerunt; & quod ipsi suis audiuerant auribus, & oculis viderant, manibúsq; contrectàrant de verbo vitæ, annunciàrunt: Isti accepta ab Apostolis & Prophetis, alijs tradiderunt. Latitudo prouinciæ; quòd Episcopis certa & definita prouincia sit tributa, non autẽ Apostolis, differentiam quoque facit. Apostoli omnium Ecclesiarum curam habebant: Episcopi tantùm quarundam.

Qui ex gentibus ad fidem conuersi in sacerdotes noui populi adsumpti fuerunt, sicut ab Esaia olim vaticinatum fuerat, quia Dominum in carne non viderant, testes αὐτοπται Domini nostri Iesu Christi esse non potuerunt: proindè ministerium eorum non fuit diuersum ab eo quod est Episcoporũ, qui per vniuersum terrarum orbem, ab illis temporibus in hunc vsque diem perpetua serie manârunt, & Ecclesiam gubernârunt. Singulos autem successisse singulis, origines & successiones omnium Ecclesiarum, & catalogi sibi succedentium Episcoporum testantur.

Et certè gradus distinctos inter Pastores ipsos, Dominum constituisse, Paulus ad Eph. adeò efficax testis est, quandò scripsit, *datos Ecclesiæ alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores*, vt negari non possit. Nemo enim non videt hîc recenseri gradus diuersos diuinitùs institutos. Nihil adfert, qui, vt vim huius argumẽti euadat, dicet, omnes illos gradus non esse perpetuos; & temporarios fuisse Apostolos, & Euangelistas, similiter & Prophetas. Non enim hac ratione efficitur, vt gradus isti diuina institutione dati non sint. Deindè, remanere gradus, quos fatentur aduersarij perpetuos, extra controuersiam est. Nam Pastorem gradu eminere supra nostri temporis Seniores, & Doctores, atque Diaconos, (quod sciam) nemo hactenùs negauit: sed Pastorem pastori præcipere, ferre non possunt. Tamen quandò aut Apostolus, aut Propheta, aut Euangelista præcepit inferiori Pastori, sicùt quandò Paulus mandata dedit Timotheo, aut Tito, & illi similiter Presbyteris quos creârant, Pastor tùnc Pastori præcepit, & Pastor pastore alius alio fuit superior.

At rursùs excipitur, illos quidem Pastores fuisse impares, & Apostolos superiores reliquis omnibus Ecclesiarum fuisse Pastoribus. Prophetas etiam & Euangelistas maiores fuisse Presbyteris & Episcopis: quos autem Apostoli creârunt & præfecerunt Ecclesijs, omnes esse pares. Falsum autem hoc esse mihi igitur demonstrandum est: quod vbi euicero, vanitas apparebit rationum, quibus D. Beza permotus, Episcoporum gradum in Christi Ecclesia abolendum disputat.

Demiror plurimùm quenquam diuersitatem graduum inter Ecclesiæ Pastores agnoscere temporibus fuisse Apostolorum diuinæ institutionis, & sequẽtibus seculis non item: sed eam esse aut humanæ, aut diabolicæ inuentionis: tanquàm optima illa politeia Ecclesiæ, quæ fuit in veteri populo, & viguit Apostolorum temporibus, fuitque ab eis confirmata vsu, simùl cum morte eorum interierit, naturámque mutauerit: & quæ priùs bona & vtilis erat, repentè facta sit mala & noxia. Quid absurdius dici & cogitari potest, quàm ipsos Apostolos & Euangelistas vnam gubernandæ Ecclesiæ rationem fuisse secutos, aliam posteris obseruandam tradidisse?

Dico igitur quod res est, Apostolos nobis reliquisse Pastores, quales fuerunt Titus & Timotheus, præfectos pluribus Ecclesijs: & præterea alios, qui singulis tantùm Ecclesijs sub directione alterius ministrabant, tanquàm subsidiarij eis. Et isti erant illis gradu inferiores, qui de ipsis iudicare poterant, & accusationem contra eos recipere, vel repellere. Huius ordinis vel gradus Presbyteri & Pastores fuerunt, quos creârunt Titus & Timotheus, & præficiebant Ecclesijs, quibus & ipsi quoq; præerant, earúmque curam gerebant. Ergo Apostoli nobis diuersos Pastorum gradus reliquerunt. At Titus & Timotheus (inquiunt) erant Euangelistæ. Nego. Id tantùm dicitur, nec vllo Scripturæ loco probatur. Nusquàm in toto nouo Testamento Titus aut Timotheus vocantur Euangelistæ. Quòd Apostolus iubet Timotheum facere opus Euangelistæ, non magis probat eum Euangelistam fuisse, qualem cogitant qui hæc ita disputant, quàm Apostolum alius locus 1. ad Cor. cap. 16. vbi ait Timotheum opus Domini operari, sicut ipse operabatur Paulus, qui erat Apostolus. Opus Apostoli & Euangelistæ operari omnes Episcopos, quotquot in sua vocatione fideles sunt, negari non potest. Vndè nemo rectè concludet, ipsos esse Apostolos aut Euangelistas immediatè à Deo vocatos, sicut fuerunt 12. Apostoli, & 70. Discipuli. Aliàs neque Euangelistæ, neque Apostoli nomen Tito, aut vlli Episcopo, negamus.

Primi Euangelistæ, sicùt & Apostoli & Prophetæ, fuerunt à Deo immediatè vocati: Titus verò & Timotheus ab hominibus, nempè à Paulo, eodem modo quo alij Episcopi, & Presbyteri, quos per impositionem manuum Presbyterij creârunt Apostoli. Vndè proprijs si Titus & Timotheus vocentur vocabulis, dicentur Pastores, Presbyteri, & Episcopi; sed gradu eminentiores supra fratres suos, qui cum eis erant eiusdem participes ministerij.

Si Paulus Timotheum creâsset Euangelistam, & non (sicut tota credit vetustas, cum plerisque qui in Epistolas ad Titum & Timotheum scripserunt) Episcopum, dixisse Paulum oportuisset, quandò dixit: *Ne negligè illud donum quod in te est, & datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij*; cum impositione manuum Euangelistæ muneris. Presbyterium mihi illo loco non significat Presbyterorum Collegium, sed munus Presbyterij, manibus Pauli Timotheo collatum. Sic enim doctissimi quique interpretes Græci, & Latini illum locum explicant.

Si tamen D. Bezæ aliud videtur, non admodùm repugnabo. Probauero ex illo loco, Presbyteros posse creare Euangelistam: qui etsi non per omnia illis donis Sp. sancti instructus erit, quibus claruerunt primi illi, quos ipse Dominus Euangelistas, & secundarios Apostolos creauerat; saltem illa authoritate præditus erit, quam formandis Ecclesijs, & constituendis Presbyteris, atque etiam iudicandis, habuit Timotheus. Atque ita habebo quod desidero, Concilia potuisse & posse creare Archiepiscopos, eisque Apostolicam regendarum Ecclesiarum authoritatem conferre.

Et profectò ita est. Quandò Apostolus ad Ecclesias scripsit se non ab hominibus, neque per homines fuisse missum, sed à Domino Iesu Christo addidit, satis apertè indicauit quosdam, non proximè à Deo, sed ab hominibus, nempè ab Ecclesia, aut ab ipsis Apostolis missos: à quorum Apostolatu, illâ notâ suum Apostolatũ distinguit. Deindè quid sibi vult, quòd plerúmq; in suis Epistolis, sibi vnum aut alterum adiunxit socium? In Epist. 1. ad Cor. Sosthenem; & in altera, sicùt & in alijs pluribus, vt ad Philip. & ad Colos. & ad Philemonem, Timotheum; & in vtráq; ad Thess. Syluanum cum Timotheo, collegas adsumpsit. Certè Apostolus Ecclesijs significare voluit, quos adsumpsisset in consortium Apostolicæ functionis. Quos, quandò fratres vocat, Collegas intelligit, & perindè est acsi dixisset, συμμάχους. Quod apertiùs innuitur alijs vrbis, vbi Paulus se & Timotheum seruos Iesu Christi vocat. Quo certè nomine serui ministerium vtriq; commune significauit. Qui ad temporarium aut extraordinarium ministerium vocãtur, aut ad ordinarium extraordinariè, non ab hominibus, sed proximè à Deo vocantur. Titus autem & Timotheus, alijq; plures conuersi ex gentibus ad fidem, fuerunt non proximè à Deo extra ordinem vocati, sed ab hominibus ordinati. Non fuit igitur eorum munus in Ecclesia aut temporale, aut extraordinariũ. Nemo præter 12. viros, & Paulum, & alios, quos ipse Dominus Apostolis Prophetas, aut Euangelistas adiunxerat, dicere potuit, quòd ministeriũ suũ tantùm à Deo non ab hominibus, neque per homines accepisset. Titi autem & Timothei ministerium, quantum

quantum regimen Ecclesiasticum attinet, verè Apostolicum, & (vt hodiè Ecclesiæ vsus & consuetudo dici obtinuit) Episcopale fuit: quanuis illud fuerit per homines eis collatum.

Quemadmodùm in magna domo multæ & variæ sunt præfecturæ, quarum aliæ alijs sunt subiectæ: similiter in Ecclesia, quæ domus est Dei, plures sunt præfecturæ. Quæ cùm aliæ sint maiores, maioribus non æquum est dedignari subijci, & parêre minores. Domus Dei, quæ sub Mose fuit, adeò præclarè in varias præfecturas, tam in ijs quæ ad diuinũ cultum spectabant, quàm ad ciuilem politeiam, distributa fuit, vt meliùs non potuerit.

Sententiæ nostræ aduersarij, Ecclesiæ noui Testamenti politeiam ad eam quæ fuit in populo Israelitico reuocant, vt nouum Presbyterorum genus stabiliant: cur obsecro non ferunt inter Ecclesiarum Pastores eam politeiam retineri, quæ olim fuit inter Dei sacerdotes, & fuisse temporibus Apostolorum negari non potest? Superiorem cæteris sacerdotibus cum authoritate & imperio fuisse summum sacerdotem, ab ipso Aarone vsq; ad Caiapham, translationémque sacerdotij, notum est. Et sub summo sacerdote extitisse, alios 24. principes præfectos 24. classibus sacerdotum, sacræ tradunt historiæ. Ex quo exemplo rectiùs Episcoporum regimen deducere licet, quàm nouos temporarios seniores, à senioribus veteris illius populi.

Summi sacerdotes suis consacerdotibus fuêrunt quod fuerat Aaron natis suis Nadab, Abihu, Eleazar, & Ithamar. Quanuis ille naturâ parens fuerit consacerdotibus natis, atq; ita eis naturæ iure superior: nemo tamen idcircò vnquàm posteâ excepit contra summos sacerdotes, quòd non essent ea potestate præditi supra consacerdotes, quâ fuerat Aaron supra suos natos, quia non erant consacerdotum patres, quod fuerat Aarõn; sicut hodiè quidam excipiunt contra Episcopos, & illorum authoritatẽ supra compresbyteros, quòd non sint Apostoli, & Euangelistæ proximè à Deo missi, nec Sp. sancti raris & eximijs donis illis ornati, quibus illi claruerunt.

Inter Leuitas autem & hunc inueniemus ordinem: quòd non tantùm sacerdotibus paruerint, sed etiam Leuitis, & Leuitas Leuitis fuisse præfectos, luce clariùs ex sacra historia docetur. Tertio cap. Num. in tres classes statim ab initio fuisse Leuitas distributos, pro numero familiarum, Gerson, Kehath, & Merari legimus: quæ rursum diuiduntur in alias familias & præfecturas; Gerson in duas, Libni & Simei; & Kehath in quatuor, Amram, Izar, Hebron, & Vziel. Gersonitarum omnium princips, & paterfamilias fuit Eliasaph filius Lael. Princeps autem Kehathitarum fuit Elizaphan filius Vziel. Et princeps principum Leuitarum fuit Eleazar sacerdos. Merari in duas quoque familias diuiditur, Maheli & Musi. Ithamar verò princeps fuit tum principis, tùm totius familiæ Merari. Horum omnium munus erat portare vasa, totámque suppellectilem tabernaculi; agere excubias circùm tabernaculum; adesse & adiuuare sacerdotes in mactandis victimis. Quibus ministerijs obeundis prorsùs fuissent inepti, nisi suos habuissent præfectos, & directores in operis & vigilijs. Mutandæ vices in ipso itinere, ferendo vasa tabernaculi, similiter & excubiarum erant, succedebant alij alijs: vt dementis fuerit, hæc sine præfectis potuisse ritè & ordine perfici, credere. Præfectos autem illos Leuitarum sacra scriptura vocat נשיאם id est principes, eodem prorsus nomine quo Eleazar sacerdos, נשיא הלוי נשיא Leuitarum principum princeps. Tempus quod intercurrit nter Mosem & Dauidem prætereo. 1. Paralip. c. 9. recensentur filij Israël, qui habitauerunt in Hierusalem: & v. 11. sacerdotes, & princeps domus Dei Architub, cum alijs principibus numerantur. Princeps Ianitorum Sallum dicitur, qui Leuita erat. Cantores similiter suos habebant principes.

Et cap. 15. v. 5. quandò sacerdotes & Leuitas cum reliquo Israële Dauid conuocâret, vt transferret Arcam Domini in tabernaculum, quod ipse parauerat; Vriel princeps Cantorum cum suis fratribus, alijque plures principes Leuitarum vocati à Rege leguntur. Eiusdem lib. cap. 23. 24. & 25. copiosè nobis proponunt, quomodo Rex Dauid totam Leuitarum, & Sacerdotum gentem distribuerit in præfecturas, & tribus 24. & cuíq; principem vnum attribuerit. Cap. 23. principes Leuitarum recensentur plures. Numerus eorum inuentus est 38000. ex quibus 24000. elegit ad vrgendum opus domus Iehouæ. Item præfectorum & iudicum quatuor millia, & quatuor millia Ianitorum, & quatuor millia Cantorũ constituit. Cap. 24. v. 5. præfecti illarũ 24 tribuum, in quas distributi erant sacerdotes, vocantur principes sanctuarij, vel sanctitatis, & principes Dei. Et 2. Paralip. c. 35. v. 8. principes domus Dei. Quo in loco, & principum Leuitarum fit similiter mentio.

Nehemiæ cap. 12. quandò numerantur sacerdotes & Leuitæ, qui redierant Hierusalem ex captiuitate Babylonica, 22. principes sacerdotum notantur. Nec ibi prætereuntur Leuitarum præpositi, ordóque à Dauide inter eos olim institutus. In nouo Testamento quoties legimus principes sacerdotum, summi sacerdotes non sunt intelligendi, qui vnus tantùm erat: sed illi 24. sacerdotum præpositi. Hi cum sua quisque classe, per vices sibi in Ministerio templi succedebant. Hunc ordinem perseuerâsse vsque ad sua tempora testatur Iosephus, Antiquitatum Iudaicarum lib. 7. cap. 15. Et in 1. cap. Euang. Lucæ, Zacharias ex vice Abiæ dicitur. Contra Apionem Iosephus lib. 2. narrat sacerdotum 4. *fuisse tribus, & singulas habuisse plusquam quinque millia hominum. Eodem lib. custodias templi describit: & ianuas templi non minùs quàm ducentos homines clausisse. Tantam multitudinè potuisse sine varijs & pluribus rectoribus ritè officium præstare, mihi non esset verisimile, etiamsi id prorsùs sacræ Literæ subticuissent, & ne litera quidem de principibus adscripta fuisset.

*Melius 24.

Externum illum Dei cultum admodùm operosum, optimo fuisse institutum & peractum ordine, omnibus constat. Quod certè quomodo fieri potuerit, in tanta ministrorum, apparatuum, & excubiarum multitudine ac varietate, nisi parendi atque imperandi, hinc indè, tùm inter ipsos sacerdotes, tùm etiam Leuitas, partibus distributis, ne cogitare quidem possum: tantum abest vt adsentiri queam illis, qui contra omnem rationem, & aperta sacrarum literarum testimonia adfirmare audent, sacerdotem non imperâsse sacerdoti, nec Leuitam Leuitæ.

In hac veteris populi Dei gubernatione Ecclesiastica, quam nemo negare potest optimè fuisse à Deo constitutam, diuersos gradus, tam inter ipsos sacerdotes, quàm inter Leuitas (nisi cœci velimus esse) videmus. Vndè ego diuini & naturæ iuris esse diuersitatem graduum, in quouis regimine tam Ecclesiastico, quàm ciuili, contendo.

Si quis dicat ordines gradusue istos, simul cum sacerdotio templóque accepisse finem. Respondeo, me illas easdem formas in ijsdem rebus non vrgere: sed genera earum in illis sacerdotij partibus, quæ Christiano populo remansêre; vt sunt, populum docere, eíque, in eis quæ censuram morum & externum Dei cultum, sacramentáque noui fœderis concernunt, præesse, requirere. Quæ sacerdotij partes quùm non sint abolitæ, sed tantùm translatæ, & mutatæ, inter Ecclesiarum Christi ministros, æque necessaria est ad disciplinæ conseruationem, in quauis gente, & diœcesi, vnius præfectura vigilque inspectio, vt rectè suo singuli fungantur munere; ac fuit olim inter sacerdotes ac Leuitas. Meliorem illâ, quam Deus ipse constituit inter sacerdotes & Leuitas gubernationis formam, nemo vnquàm inuenire poterit: est enim diuina: igitur retinenda.

In libro de diuersis Ministrorum gradibus, docui Deum in nouo Testamento diuersos gradus Ministrorum Euangelij non abrogâsse, sed confirmâsse, quandò Ecclesiæ suæ, & primarios 12. Apostolos, & 70. secundarios dedit, vt numero, ita & gradu distinctos. Vndè miror, tanto studio abolitionem huius ordinis conari, & hæc in dubium vocare, D. Bezam audere, quandò ait.

D. Beza.

Isti igitur vel singulares fuerunt: nempè si qua Ecclesia vnicum tantùm habuit Pastorem, vel plures: si plures habuit, eorúmque vnâ cum suis Presbyteris (quos συμπρεσβυτέρους adpellat Paulus) iunctorum collegium, ab altero illo communi nomine, ἐπισκοπίαν fuit adpellatum; 1. Tim. 4. 14.

Had. Saravia.

AB vniuersali omnium Ecclesiarum consensu & vsu, istis incertis dubijs, imò falsis coniecturis, tutum non est recedere. Isti (inquit D. Beza) diuinitùs instituti Episcopi fuêre vel singulares, vel plures. Singulos singulis Ecclesijs præfectos abundè exempla passim docent; plures verò vni Ecclesiæ præfectos fuisse Episcopos πρεσβυτέρους, debuit demonstrare vel ex verbo Dei, vel ex priscis scriptoribus. Qui vlteriùs D. Bezæ scriptis, aut alicuius scriptoris nostri temporis, quàm rationibus, aut verbo Dei docet, fidem habet, dignus est qui cum suo præceptore erret.

Septem Ecclesiæ in Asia singulæ singulos habuerunt Episcopos. Et omnes aliæ Ecclesiæ (quas fluxisse ab Apostolis extra controuersiam semper apud nos fuit) numerant suos Episcopos singulares: quibus alij singulis singuli successêre: nusquàm plures vni,

vel

vel vnus successisse legitur pluribus. Debuisset hoc loco D. Beza attulisse exemplũ alicuius vnius Ecclesiæ, cui plures præfuerunt Episcopi προεστῶτες paris dignitatis, & authoritatis. Quod quia hoc in loco non facit, ipse supplebo, quod ad confirmationem huius opinionis tùm ab ipso, tùm ab alijs allegari solet.

Apostolus in Epist. ad Philip. salutat omnes sanctos in Christo Iesu, qui erant Philippis, vnà cum Episcopis & Diaconis. Ecce (inquit) hìc plures vni Ecclesiæ præpositos audimus Episcopos. Sed ex vsu significationis vocabuli, qui tunc fuit, locus interpretandus est. Illic nihil Episcopus significat aliud, quàm Presbyter: & pro Episcopis, si Apostolus scripsisset, Presbyteris, idem significâsset. Et hæc est Patrum, quotquot in hunc locum scripserunt, sententia, non mea. Deinde non sequitur ex communi vocabulo dato diuersi gradus hominibus, ad quos scribi contingit, nullum præpositum inter eos fuisse cæteris gradu eminentiorem. Qui olìm ad Senatum Romanum, aut simùl ad Senatum populúmque Romanum scribebant, non Consules cæteris Senatoribus gradu celsiores, non Tribunos plebis excludebant, nec omnes authoritate & dignitate æquabant. Peruersè ex hoc scribendi genere argumentum duceretur, ad probandum Consulis supra cæteros senatores, & totam Rempub. nullum fuisse imperium. Modò tantundem D. Beza, & qui cum eo sentiunt, authoritatis in Ecclesia suæ diœceseos Episcopo relinquãt, quantum Consuli tribuebatur in R.P.R. facilè inter nos conueniet.

Præterea veterum quoque Patrum sententia est, Epaphroditum Philippensium fuisse Episcopum: idque Apostolum innuere, quandò eum dixit eorum Apostolum. Quem locum vt nobis eripiat D. Beza, secutus Oecumenium transtulit, *Legatum*, in versione sua noui Testamenti. Sed alia eulogia, quæ tribuit Apostolus ipsi Epaphrodito, arguunt nimis leuem hanc esse coniecturam. Qui enim primus dixit, Apostolum idcircò Epaphroditum à Paulo vocari, quia missus ad eum à Philippensibus fuerat, non negaret eorum fuisse προεστῶτα, quem Paulus συνεργὸν, καὶ συστρατιώτην suum nominat. Non tantùm propter Apostoli vocem Patres iudicârunt Epaphroditum Philippensium fuisse Episcopum. Plura concurrunt quibus suum iudicium confirmant. Theodoretus in hunc locum hæc de Epaphradito scripsit. *Multa de eo dixit, vt qui non solùm fratrem, sed etiam cooperatorem, & commilitonem eum appellauerit. Eum autem vocauit Apostolum, vtpote cui esset eorum cura credita: vt clarum sit sub eo fuisse eos, qui in principio dicti sunt Episcopi, vtpote qui Presbyterorum locum tenerent.* Commentarij, qui inter opera Hieronymi habentur, *commilitonem meum* interpretantur dici *propter honorem, quia & ipse acceperat in illis Apostolatus officium.* Chrysostomus, *Vestrum autem* (inquit) *Apostolum, aut certè vestrum, vel eum qui vos docuit, vobis mittimus.* Ambrosius Apostolum Epaphroditum dici censet, *quòd Paulus eum fecisset Apostolum, dum illum ad eorum exhortationem mittebat.*

Sed quomodocunque quis Apostoli vocem hoc loco accipiat, multa concurrere videmus, præter ea quæ in laudem Epaphroditi sunt scripta, quæ illius loci eum fuisse Episcopum arguunt, vt quòd (sicut diximus) cooperatorem, & commilitonem eum vocat Apostolus; deinde illa mutua vtrinq; cura & solicitudo, tam Philippensium de Epaphrodito, quàm ipsius Epaphroditi de Philippensibus, magnum argumentum continet huius rei. Ille angebatur desiderio suorum, hi de suo Apostolo erant soliciti. Hæc ipsos arcta quadam & mutua necessitudine sibi deuinctos fuisse, arguunt. Quamobrem ambiguitas significationis vocis Apostoli, nihil D. Bezæ causam iuuat: vt consensus Patrum in hac re, quòd plures Philippis esse non potuerint Episcopi; quíque vocantur Episcopi, esse illos qui postea vsu Ecclesiæ dicti sunt Presbyteri; & suum vnum habuisse Episcopum Epaphroditum; non præponderare debeat D. Bezæ, & omnium qui cum eo sentiunt, nouæ, & anteà inter orthodoxos nunquàm auditæ opinioni.

D. Beza.

SI plures habuit, eorúmque vnà cum Presbyteris, (quos συζυγίους appellat Paulus) iunctorum collegium, ab altero illo communi nomine, προεστῶτων fuit adpellatum. 1. Tim. 4. 14.

Had. Saravia.

SI plures habuit (inquit D. Beza.) Conditionalis coniunctio, si, nihil firmi statuit. Nam me aut alio quouis excipiente his verbis, At vna Ecclesia plures nullos vnquàm habuit

Episcopos, præter Apostolos & Euangelistas, eorúmque cooperatores, eósque subalternos; corruet quicquid conditioni suffultum nitebatur. In suis initijs (non nego) Ecclesia plures habuit paris dignitatis & authoritatis Episcopos: nempè 12. Christi Apostolos. Habuit etiam secundarios Apostolos, pares similiter inter se, quanuis essent 12. illis summis Apostolis inferiores. Quibus & tertios adiungo, eorum viz. cooperatores, ex gentibus adsumptos. Horum communi cura initio regebantur Ecclesiæ, quandiù plantabantur, & rigabantur.

Quanuis Apostoli, qui eiusdem gradus erant, inter se pares essent, multùm tamen distabant ab alijs, quos aut eis Dominus adiunxerat, aut ipsi adsumpserant. Philippus, & Barnabas non erant pares cum 12. Apostolis: minùs Sosthenes, aut Syluanus, Paulo, aut Bernabæ potuerunt æquari. Horum omnium diuinus fuit Episcopatus: ipsi diuini fuerunt Episcopi. His Episcopis, eorúmque Episcopatui sic conuenit definitio superiùs à me posita, pro tempore quo nondùm definita certis terminis eorum fuit procuratio, vt postquàm cuique distributa fuit sua prouincia, non desierit competere.

Quemadmodum Apostoli prima Ecclesiæ incunabula simul Hierosoymis communi cura & consilio educârunt; ita separati in varias mundi partes cum Euangelistis, prophetis, & Doctoribus, tam quos ipse Dominus eis adiunxerat, quàm quos ipsi ad fidem conuerterant, & adiutores acciuerant, vnà pariter nouas Ecclesias fundabant, & rigabant. Res nota est tam ex actis Apostolicis, quàm ex Epistolis Paulinis: Et omnium Veterum sententia est, tandem post varias peregrinationes plantatis Ecclesijs, Ephesum, partémque minoris Asiæ Timotheo, Cretam Tito, Alexandriam Marco, Antiochiam Euodio, Romam Lino commendatam fuisse. Ex successione horum in Apostolicis Ecclesijs, in qua vnus vni semper & vbique succesſit; certum est, nunquàm plures vni loco eiusdem gradus, & authoritatis præfuisse.

Quod sequitur, *eorúmque vnà cum suis Presbyteris (quos* πρεσβυτέρους *adpellat Paulus) iunctorum Collegium, &c.* non assequor veritatem. Certè nulla septem Ecclesiarum, ad quas Spiritus sanctus scribi in Apocalypsi iussit, plures habuit Episcopos; sicut nec aliæ quæ tùnc erant illa ætate per orbem diperſæ. Vnum Episcopum præsediſſe vnà cum pluribus Presbyteris vni Ecclesiæ, didici: quorum numerus erat, pro magnitudine diœceseos. Nam & hoc ex historijs notum est, Episcopos quosdam tantummodò vnum aut duos habuisse Presbyteros: sicut & hodiè adhùc in Græcorum & Orientalium Ecclesijs videre licet. Plures Episcopos, qui vnam rexerunt Ecclesiam, cum vnius anni Presbyteris, quæro, & totos hos 50. annos quæsiui, nec vsquàm inueni. Dictionem πρεσβυτέρους significare nuper inuentos Presbyteros, dici non sufficit. Doceri debet vbi gentium tales vnquàm fuerint Presbyteri, quo æuo desierint, & quis veterum Theologorum hanc vocem sit interpretatus, sicùt eam Beza interpretatur. Non licet D. Bezæ, nec cuiquam Theologo, nouas significationes tribuere vocabulis ad significandas nouas res. Hoc enim esset verbum Dei, tanquàm Lesbiam quandam regulam, aptare rebus, non res verbo. In defensione tractatus mei De diuersis Ministrorum gradibus, fusiùs hanc dictionem sum interpretatus, & quomodò variè ab interpretibus reddita sit: vt. valdè mirer quenquam ex dubiæ acceptionis vocabulis, nouum Ministerium in Ecclesiam fuisse ausum inuehere. Nihil opus est hîc repeti, quæ pluribus ibi, à me contra seniores temporarios disputata sunt.

Duo nobis collegia proponit D. Beza: Alterum est diuinorum Episcoporum, quos Pastores vocat, cui nomen nullum dat. Alterum est pastorum cum Prebyteris illis annuis: quod Presbyterium vocari ait, probátque loco Scripturæ 1. Tim. 4. 14. qui duas interpretationes admittit, sicùt ipsa dictio duo significat, nempè presbyterij ordinem, & Presbyterorum collegium. Illo autem loco, Presbyterij ordinem notari, doctissimi Theologi, inter quos D. Clauinus vnus est, authores sunt. Difficile esset D. Bezæ docere potiùs Presbyterorum ibi significari cœtum, quàm Presbyteratum: vt mirer ad probationem nouæ sententiæ, tam confidenter hunc & alios similes locos allegari.

Hoc quicquid est, didici collegia Presbyterorum etiam Presbyteria dici, & cœtus conuentúsque Episcoporum, Synodos. Sed plures Episcopos vnius Ecclesiæ, & seniores temporarios, & ad docendum ineptos, qui tantùm præsint regimini Ecclesiæ, nullos noui: nisi aut eos qui in Magistratu sunt constituti, si sint Christiani; aut qui doctrina, grauitate, moderatione,

moderatione, prudentia, supra reliquam plebem in Ecclesijs excellunt : quos aduocari & interesse conuentibus Ecclesiasticis mihi non displicet : quanuis tam insolens sit, & infrequens semper fuerit in Christiano populo, quàm fuit frequens & vsitatum in populo Iudaico. Excipio tamen res grauiores, quales fuêre ad summum imperium appellationes, generales synodi, & electiones Episcoporum; qui etsi à clero eligebantur, à nobilibus tamen ciuitatum, & à plebe postulabantur.

D. Beza.

EOrum munus fuit, sermoni ac precibus tùm publicè, tùm priuatim vacare, & Ecclesiam in communi regere, vt apparet plurimis Scripturæ locis.

Had. Saravia.

AD quos D. Beza referat hoc relatiuum *eorum* nescio, an ad solos Pastores, an simùl ad eos omnes, quos Scriptura vocat Presbyteros & Episcopos. Nam suos κυβερνήτας videtur complexus, quandò commune regimen tangit : quibus tamen sermonis ministerium non competit, & ipse nusquàm eis tribuit : nisi nouo modo, & valdè improprio, in sua responsione ad tractatum de diuersis Ministrorum gradibus : quæ diù post hanc tractationem scripta fuit. Vnicum cùm faciat Episcopatum diuinum, quique à Presbyteratu nihil differat, complecti munus suorum seniorum vnius anni in definitione Episcopatus, simul & eorum officium debuisse videtur. At nec ea, quæ superiùs est posita Episcoporum definitio, aptari potest istis nouis, siuè dicas Episcopis, siuè Presbyteris, siuè senioribus : nec hic descriptum est eorum munus : vtpotè qui nec sermonis ministerio vacare, nec pascere doctrinâ Ecclesiam Dei, dici possunt. Vndè consequi videtur hos Episcopos, vel Presbyteros in D. Bezæ definitione non contineri : sicut nec alibi vsquàm in verbo Dei. Munus esse Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ, sermoni, & precibus, tùm publicè, tum priuatim vacare, non nego : sed ei addo ; & sacra ministrare.

Quod regimen Ecclesiæ attinet, communi Presbyterorum, qui veri Presbyteri sunt, consilio, debere Episcopum regere Ecclesiam, fateor : sed in re communi, quæ ad omnes Presbyteros pertinet; & vbi res est perplexa, neque regula Ecclesiastica de illa extat. Aliâs in rebus notis, & de quibus tam in verbo Dei, quàm in Ecclesiasticis constitutionibus expressum est, quid fieri debeat, nec consilio, nec deliberatione opus est, sed exequendi potestate.

Olim quandò de omnibus, quæ in Ecclesiastico regimine incidere possunt, nullæ erant constitutæ regulæ ; magis consilio compresbyterorum habuerunt opus Episcopi, quàm habeant hodiè, si modò teneant Ecclesiasticas regulas. Nam ineptum & ab omni ratione alienum est, in deliberationem trahere rem minimè controuersam. Gratiâ exempli. Notum sit, aliquem scortatum esse, vel apertas inimicitias cum aliquo exercere; Pastoris partes sunt, etiam velint nolint Presbyteri, eum à cœnæ Dominicæ communione arcere, donec de eius constabit pœnitentia, & Ecclesiæ sit satisfactum.

Quid si seniores isti, sine quorum adsensu nihil in Ecclesia fieri à Pastore D. Beza vult, talem, imò cognitum esse verè hæreticum hominem, participem secum sacrorum mysteriorum esse velint ? Aequumnè erit eum à Presbyterorum pendere consilio & adsensu ? Id si Geneuæ non fit, alibi fieri potest, & fortè fit, & factum est. Malè in deliberationem vocantur, quæ aut verbo Dei expresso, aut regulis Ecclesiasticis sunt mandata, fieri debeant necnè. Nemo ignorat quod sit erga palàm improbos Pastoris apud nos officium : & qui ad sacram communionem sint admittendi, quique ab ea arcendi. Suo periculo recipit aut repellit quemquam à Dom. mensa Pastor. Facti sui Episcopo aut Archidiacono, in visitationibus rationem, si indignos admiserit, aut dignos prohibuerit, est redditurus. Fateor igitur Episcopos in commune debere Ecclesiam regere : sed in regiminis ratione ab illis multùm dissentio, qui quaslibet parœchias communi consensu plurium Presbyterorum regendas esse censent, quùm id indefinitè intelligi debeat.

Scio in primis Ecclesiæ initijs, ante Prouinciarum distributionem, Apostolos Ecclesiam Hierosolymitanam in commune gubernauisse : & postquàm dispersi fuerunt in varias mundi plagas, ita quemq; prouinciam suam curauisse, vt reliquas partes Ecclesiæ

non

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY,

non negligerent. Apostolatus circumcisionis obuenit Petro, & gentium, Paulo. Susceptam prouinciam vterque sedulò administrauit: sed non idcircò iudicauit ad se nihil pertinere illas, quæ coapostolis fuerant concreditæ. Ex eorum Epistolis apparet, non ab vno tantùm doctore fuisse fundatas Ecclesias. Quamuis enim omnes & singuli Apostoli legatione, nomine Domini nostri Iesu Christi, sint functi, & tantũ potuerint singuli, quantum vniuersi; fraternam tamen inter se societatem retinuerunt, & vnitatem spiritus seruârunt in vinculo pacis. Idem factitatum esse ab Episcopis, qui eis successerunt, sequentes ætates docuerunt. Ecclesia tantùm vna est: cuius in solidum pars à singulis tenetur Episcopis.

Est enim Ecclesiastica gubernatio, si homines spectes, & vniuersam Ecclesiam, eósque qui præsunt, Aristocratica: sin Dominum Iesum Christum, Monarchica. Sed discrimen est notandum inter vnius gentis, & populi, pluriumuè Ecclesiasticam vniuersitatem, qui sub vno aliquo degunt, quodcúnque illud sit, imperio; & singulas ciuitates, atque diœceses, & parœchias, quæ singulos suos habent Episcopos & Pastores. Vniuersitatis Ecclesiasticæ gubernatio gentis aut populi (saluo iure ciuilis imperij Christiani) est Aristocratica. Singularum autem partium procurationem similem esse, nihil opus est.

Nouos nullos canones Episcopus in sua diœcesi, nec Archiepiscopus, Patriarchauè in sua prouincia condere potest, nec olim conditos abrogare: opus est Synodo prouinciali, aut nationali: vt ab omnibus probetur, & communi omnium consilio & adsensu discernatur, quod ad omnes pertinet. Summa enim vniuersalis Ecclesiæ potestas, vt nemini vni sub Christo est tradita Episcopo, sed vniuersis Episcopis; sic etiam gentium & populorum singulæ Ecclesiæ gubernationem habent suam vniuersalem, non vnius totam arbitrio & potestati commissam, sed Episcoporum synodis, & generalibus Concilijs.

Episcoporum & Archiepiscoporum officium & munus est, videre, vt quæ tradita sunt ab Apostolis in verbo Dei, & à Patribus communi consensu ad ædificationem Ecclesiæ decreta, obseruentur. His veluti finibus terminatur omnis Episcoporum & Archiepiscoporum potestas: vt nedùm nihil contra verbum Dei, & Patrum regulas possint; sed si quidpiam præter canones, vel sine canonibus Ecclesiæ tentauerint, ipso iure sit irritum.

Solus Romanus Episcopus nouorum canonum edendorum, & abrogandorum veterum, sibi, suæque sedi, audet authoritatem arrogare. Zozimus tamen Papa 25. qu. 2. in alia fuisse sententia videtur. *Contra statuta Patrum* (inquit) *condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis potest authoritas. Apud nos enim inconuulsis radicibus viuat antiquitas; cui decreta Patrum seruare reuerentiam.* In hac sententia si omnes Episcopi Romani perseuerâssent, nunquàm Ecclesiam superstitionibus & idolatria impleuissent, nec eam tyrannide sua oppressissent.

Synodis & Concilijs Episcoporum eatenùs obedientia debetur, quatenùs Dominus suo spiritu illos direxit: & nihil ab eis constitutum fuit, quod verbo Dei aduersetur. Quicquid honestum, pium, & sanctum, & ad morum vitæ Christianæ sinceritatem conducit, à synodis est decretum, etiamsi expressè totidem verbis in sacris Literis non contineatur, omni obseruantia & religione est à pijs omnibus suscipiendum. Et quanuis singuli possint Episcopi, quod possunt vniuersi in muneris sui substantia: tamen eiusdem ministerij societas singulos obligat, vt vnius & eiusdem fidei consensum retineant, & in dubijs rebus, & medijs, fratrum sequantur sententiam: nisi ab illa societate extorres fieri velint, Christiq; Ecclesiam scindere.

Qui creantur ab Episcopis Presbyteri, non in hunc finem assumuntur, vt suos Episcopos regant: sed vt eis adiumento sint, in omni Ecclesiæ ministerio, quod soli obire non possunt. Communi itaque consilio Ecclesiam regunt, qui communi Patrum consensu æditas regulas, in suo munere sequuntur. Suo sensu, suóque vnius arbitrio Ecclesiam non regit, qui ex Episcopi & Archiepiscopi sui, immò totius gentis omnium Episcoporum sententia, & consensu id facit. Sed quisquis tumore superbiæ inflatus, suæ inuentionis admirator, & omnium Patrum, qui eum præcesserunt, contemptor, suo more, & nouo, & nunquam antè audito, Ecclesiam insolenter gubernat; etiamsi adstipulatores habuerit sexcentos sibi similes Presbyteros, communi coepiscoporum & compresbyterorum

rum consilio regere Ecclesiam dici non potest.

Commune consilium quo Ecclesia regi debet, est illud quod indè ab ipsis Prophetis sub lege, & ante legem, & ab ipsis Apostolis eorumque successoribus, semper in vsu fuit: non quod aliqua corrupta ætas, aut aliàs varijs modis perturbata nobis peperit. Hoc modo ab Apostolorum temporibus Communi consilio Patres gubernârunt Ecclesias: nempe Episcoporum concilijs, & synodis, regulisque ibidem communi consilio æditis.

Plures Episcopos eiusdem authoritatis, cum Presbyteris temporarijs præfectos vni ciuitati, vel diœcesi, vel paræciæ, ignorauit Antiquitas. Iterùm repeto. Ecclesiæ perpetuus vsus ductus à primis Apostolorum temporibus certissimus est interpres traditionum Apostolicarum. Quod de Ephesinis Episcopis & Philippensibus adferri solet, fœdus est error: qui natus est ex Episcopi nomine, quod tunc præposito Ecclesiæ, & ipsius adiutoribus Presbyteris commune fuit. Habuit Ephesiorum Ecclesia, habuit similiter & Philippensium post iacta fundamenta, quandò sua perfecta forma fuit Ecclesiæ data, suum vnum προεστῶτα. Absurdè censentur eiusdem fuisse gradus, quibus idem nomen dabatur. Quod quùm innumeris exemplis doceri possit, ea nunc breuitatis causâ prætereo.

Sed D. Beza negare non potest προεδρίαν, inter eiusdem muneris collegas esse necessariam. De perpetuitate Præsulis, & eius authoritate tota est controuersia. Semper & vbiq; fuisse perpetuam præsulis functionem, omnium seculorum exempla docent: authoritas verò in Epistolis ad Timotheum & Titum descripta est. Temporariam & vicissitudinariam esse factam præsidentiam, ei abrogata omni authoritate, nouum est, & Patribus incognitum: cuius rei authoribus reddenda est Deo, & hominibus ratio.

Quòd nonnulli hodiè disputant, quod antehâc nunquàm controuersum fuit, indignum nefariúmq; esse quemquam ab vno Episcopo Ecclesia eijci, & communione fidelium arceri, ab ignorantia pastoralis potestatis proficiscitur. Tametsi desiderem quicquid vitij hîc interuenire potest, temeritatémque omnem remoueri: eiusdem tamen esse authoritatis ligare & soluere, peccata remittere & retinere, sacramentorum participem facere, & ab illis interdicere, orthodoxorum communis sententia est. Et res per se adeò clara mihi videtur, vt mirer quenquam dubitare posse. Ne quis tamen hac potestate abutatur, caueri bonis legibus non impedio: & eum, qui fuerit ad cuiuspiam ignominiam sua potestate abusus, censuris Ecclesiasticis subijci, & grauiter puniri dignum iudico. Ad hanc rem pastoribus consiliarios dari vt cunctanter agant, neq; sententiam præcipitent, bonus disciplinæ ordo postulat. Sed hoc nec minuit nec detrahit quidquam de Pastorali authoritate. Hoc enim Pastor potest, quod iure potest. *Seniores annui, quibus nec sermonis ministerium est commissum, nec celebrandi mysteria potestatem habent, consilium dare possunt, & de excommunicatione sententiam dicere, sed non ipsi excommunicare.* Si bonum isti dent consilium, audiri; sin malum, contemni debere arbitror: vtpotè quòd pastoralis authoritas ipsis commissa non sit. Sed quorsum hæc disputo, quùm huius generis seniores nulli possint ab Apostolis fuisse creatos, ex verbo Dei doceri? Vtinam D. Beza plurimos illos Scripturæ locos inseruisset, quibus doceri putat diuinitùs institutos Episcopos in communi cum istis senioribus debere Ecclesiam regere. Quod me attinet, ego nullos hactenùs inuenire potui.

D. Beza.

EOsdem fuisse Magistratibus subiectos etiam prophanis, apparet non modò ex Christi summi Pontificis & Apostolorum exemplo, verùm etiam ex diuersis Pauli verbis, Rom. 13. 1. & ad Tit 3. 1.

Had. Saravia.

VTinàm cætera omnia tam apertè doceri ex verbo Dei possent, quàm quod hîc tangit D. Beza: summos etiam Pastores Eccesiæ Christi, subiectos esse Magistratuum imperio. Vellem addidisset, Christiano summo imperio quid debeant, qui Christi & Apostolorum exemplo, prophano magistratui debent fidelitatem & obedientiam. Quem locum, quam authoritatem in Consistorijs suis & synodis dent Christiano principi, qui cum senioribus laicis, nullo Dei verbo, nullo exemplo, nuper inuentis, Ecclesiastica tractât negotia. Vtinam tantum tribuerent Regi Christiano, qui laicus inter Christianos sibi subiectos

subiectos esse non potest, quantum istis annuis Presbyteris, qui nihil aliud quàm laici sunt; quos omnes Synodi illius farinæ nunquam efficere poterunt veros Presbyteros, vtpotè quos nulla vnquam cognouit nec probauit priscorum Patrum antiquitas. Veteris Testamenti seniores sub Mose fuerunt Magistratus & principes populi Dei: in nouo Testamento sub Domino Iesu Christo præter Apostolos, Euangelistas, & Prophetas, Pastores & Doctores, nullos legimus. Christiani tunc in illis primis initijs Rempub. nullam constituebant, erant enim alijs gentibus permixti. At vbi Ecclesia facta est Resp. illius principes in ea locum tenent, quem Deus in Israele ipsius magistratibus tribuit. Vtinam D. Beza exemplis, vsuq; veteris Ecclesiæ, diuinos suos Episcopos, sicubi vnquàm vlli extiterunt, in iam fundatis & constitutis Ecclesijs demonstraret: & qui, quas, & quamdiù, gubernauerint Ecclesias; & in quibus, & quandò desierint, & humana prudentia illis, præter expressum Dei verbum, alios surrogauerit. D. Iohannes, qui cæteris Apostolis diutiùs vixit, suam Apocalypsin misit septem Asiæ Episcopis: quos singulos non plures, singulis Ecclesijs fuisse præfectos, luce clarius est. In eorum numero Irenæũ Lugdunensem, Cyprianum Carthaginiensem, Cornelium Romanum, Basilium Magnum, Athanasium, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, aliósque illorum temporum Patres, qui fuerunt Ecclesiarum Christi Episcopi, & Metropolitani Archiepiscopi, accenseo. Patres illos quisquis sciens & prudens inter, nescio quos, humanitùs inuentos Episcopos reijcit, quos constat fuisse orthodoxos, & veros Christi seruos, ac pios Ecclesiarum illius temporis Pastores, à schismatis excusare se quomodò possit crimine, non video. Ab Ecclesiæ Romanæ erroribus ita recessisse decet, vt cum priscorum Patrum Ecclesijs retenta societas appareat. Sed audiamus, quem D. Beza nobis Episcopatum humanum sua definitione formauerit.

HVMANVS EPISCOPATVS.

D. Beza.

EPiscopatus humanus, id est, ex sola humana prudentia, præter expressum Dei verbum, in Ecclesiam introductus, est potestas quædam vni cuidam pastori, supra suos collegas attributa. Canonibus tamen certis ceu regulis aduersùs tyrannidem comparatis definita. Hoc Episcopatu qui fungebantur, dicti sunt Episcopi, suorum compresbyterorum totiúsque cleri respectu, quasi clero impositi inspectores.

Had. Saravia.

QVid vocet D. Beza humanam prudentiam, non satis adsequor. Quandoquidem homo totus corruptus est, & totus caro; ita ipsius prudentia non potest à carnis ingenio esse diuersa: & meritò carnis prudentia mors dicitur. Quæ cùm sit *inimica Deo, legi Dei non subijcitur, neque potest quidem.* D. Petrus Apostolus, quùm adhùc ψυχικὸς esset, nec caperet quæ Dei erant, humano affectu, aut si vis, humana quadam sapientia, Domino nostro plus sapere voluit, & eum ab ignominiosa morte deterrere: sed Dominus suum monitorem repulit, & grauiter increpuit, eum Satanam vocans, qui non saperet, *ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Hæc prudentia si nobis humanum Episcopatum peperit, quid differat à Satanico non video. Illa humana Petri sapientia, nihil differebat à satanica: nisi fortè authoris simplicitate, & ignorantia; quùm ea quæ est Satanæ aperta sit malitia. Est autem omnis sapientia, quæ desursùm à Deo non descendit, *terrena, animalis, & demoniaca.* Proindè trimembris hæc partitio potuisse videtur ad bimembrem reduci: & hic Episcopatus humanus cum satanico coniungi, vtpotè qui ab eo re nihil differat.

Rom. 8. 6. & 7.

Iac. 3. 15

Siquidem humana sapientia terrena, animalis, & demoniaca est, ab ea dissimilis ipsius effectus non est. *Arbor mala bonum fructum non producit.* Atque ità pleróque accepisse videmus, qui eum Episcopatum, quem D. Beza humanum facit, satanicum esse contendunt. Sed D. Bezæ cùm maior esset modestia, nec Patres omnes damnare auderet, eos excusandi gratiâ, hunc humanum Episcopatum inuenit. Sed tali defensore Patribus nihil opus est. Quàm seuerè Deus per Esaiam Prophetam interminetur eis omnibus, qui

Mat. 7. 18

mandata

mandata & traditiones hominum miscent cum verbo suo, vers. 13.14. & 15. cap. 29. testantur. In nouo Testamento Seruator ipse & Apostoli doctrinam ab hominibus inuentam, non minùs vitandam esse docent, quàm eam, quam Satan comminiscitur. Quemadmodum Satan homini noxias & falsas opiniones inspirat: ita etiam homo ipse commentatur ex se multas. In hac re Satan & caro sibi mutuas tradunt operas. Nihil, aut certè perparum interest, vter eorum caro an Satan aliquid inuenerit. Homo mendax est, sicut Satan est mendacij parens. Difficile est homini discernere, quandò à verbo Dei receditur, quid homo, quid Satan commentus fuerit. Vterque verbo Dei aperté aduersantur: aut id vbi apertè non audent, clàm insidiantur.

Deseri diuinitùs institutus Episcopatus, & alius ab hominibus inuentus surrogari, sine graui crimine non potuit. Grauem profectò Patribus iniuriam, totiq; vniuersali Ecclesiæ facit, qui hoc modo iudicat. Nisi fortè illud est, quod cogito: humanam prudentiam à D. Beza dici facultatem illam humani ingenij, quâ in rebus ciuilibus philosophi, & alij viri prudentes, quid rectum, quid prauum sit, viderunt; & præclarè multa scripserunt de virtute, & hominis officio: legésque condiderunt, quibus respub. & regna omnisque humana societas conseruatur & regitur. Si ita est; benè est: rei veritatem disputando aperiemus.

Iura gentium naturæque legem, Euangelij ministerium non tollit; sed vsum vtriusq; in verum finem, qui esse debet, dirigit: ne se more gentium, quæ verum ignorant Deum, in rebus naturâ sua bonis, Christiani polluant, rebúsque diuinis abutantur. Iura gentium, mentis lumen, & illa ipsa cuiúsque synteresis, diuinæ res sunt, etiam in hac vniuersali generis humani corruptione: quibus per Euangelij doctrinam restitutis, de singulis, quæ politicam Ecclesiæ gubernationem attinent, vitæque honestatem, præcepta tradi nihil opus fuit. Quod à Christianis ex illis fontibus hauritur, tanquàm humanum inuentum non est aspernandum, etiamsi expresè nusquàm in sacris codicibus sit scriptum. Est enim vero semper verum quod est consentaneum: falsum autem cum veritate diù stare non potest. Facilè diuinus sermo mendacium errorémque sibi contrarium retegit. Si Episcopalis gradus ex eorum est genere, quæ natura omnes gentes docuit, contrarium esse diuinis scripturis nunquam demonstrabitur: sed Dei institutis per omnia consentiens esse inuenietur. Atque ità per se speciem propriam non constituet, sed inter ea numerabitur, quæ Deum habent authorem.

Sed quàm sit apta definitio, hæc D. Bezæ descriptio, & quàm vera, examinemus. *Episcopatus humanus* (inquit D. Beza) *est potestas quædam vni cuidam Pastori supra suos collegas attributa: Canonibus tamen certis, ceu regulis aduersus tyrannidem comparatis definita.* Definitio hæc longè pluribus conuenit quàm definitum: nisi quis omnes Archidiaconos, & Decanos, præpositósque Ecclesiarum, in Episcoporum numerum referre velit. Presbyter canonicus alicuius Ecclesiæ Cathedralis habet Decanum superiorem, habet similiter & Episcopum. Vterque imperandi potestatem habet canonibus definitam, vterque tamen non est Episcopus. Quod sequitur postea; *Hoc Episcopatu qui fungebantur dicti sunt Episcopi, suorum compresbyterorum totiúsque cleri respectu, quasi clero impositi inspectores*, alienum est à Hieronymi sententia, à quo D. Beza suum humanum Episcopum sumpsisse videtur, qui primus dixit, Episcopos Presbyteris esse maiores magis consuetudine, quàm Dominicæ dispositionis veritate. Ait quidem vnum de Presbyteris electum qui cæteris superponeretur, sed addit; ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Ecclesiæ vtilitas in illa prælatione quæsita est, non vnius Episcopi supra compresbyteros potestas, nisi quatenùs bonæ gubernationis ordo, & Ecclesiæ ædificatio postulabat. Constat enim ex Hieronymo à Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Alexandriæ Presbyteros, vnum ex se electum in excelsiore gradu collocatum, Episcopum nominâsse, quomodò si exercitus imperatorem faciat, ad quem omnes Ecclesiæ cura pertineret. Hic audis, candide lector, Episcopum in excelsiore gradu collocatum supra Presbyteros, & ad eum totius Ecclesiæ curam fuisse delatam. Quod à D. Beza negari vehementer miror. Illud, Quasi clero impositi inspectores, quid sibi velit non intelligo: nec vndè id acceperit diuinare possum. Nunquàm à quoquam anteâ dictum scriptumuè audiui. Episcopi enim dicti sunt totius Ecclesiæ suæ diœceseos respectu. In qua licet Presbyteri etiam in parte gregis ipsis commissi censeantur,

antur, refertur tamen Episcopi nomen magis ad plebem, quàm ad clerum, qui in societatem adsumptus est inspectionis, & curæ pastoralis. Et quia non tam sibi quàm populo clerus eligit Episcopum, voluntatem Christiani principis, vel magnatum & plebis consensum, electionibus Episcoporum accedere semper oportuit. Quod frustrà fieret si nihil ad principem, nihil ad populum Episcopus pertineret. Isidorus lib. 7. Etymologiarum. cap. 12. quanuis nonnunquàm dictionum Græcarum non fuerit adsecutus etymon, verè tamen ex omnium sententia scripsit, quòd *Episcopi Græcè, Speculatores Latinè dicantur populi respectu. Nam* (inquit) *Speculator est præpositus in Ecclesia, ideò dictus, eò quòd speculetur & prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam.* Id Decretorum suorum libris inserui Gratianus, Dist. 21. cap. Cleros. Aug. de ciuit. Dei, Lib. 19. cap. 19. de Episcopis scribit. *Ad hoc speculatores, hoc est, populorum præpositos, esse constitutos in Ecclesijs, vt non parcant obiurgando peccata.* Idem Pater in Psal. 126. ait, *ideò altiorem locum positum esse Episcopis, vt ipsi superintendant, & tanquàm custodiant populum. Nam Græcè quod dicitur Episcopus, hoc Latinè superintentor interpretatur, quia superintendit.* Ambrosius in 1. ad Tim. cap. 4. habet. *Ad hoc enim creatur Dux populo, vt huius salutis solicitudinem gerat admonendo, docendo, & fructum habeat ordinatio: quam ad hoc vtique Deus instituit, vt prospiciat saluti plebis.* Optatus Mileuitanus Libr. 1. cont. Parmenianum, de Victore quodam Donatista, Romam misso, vt illic Episcopus esset, scribit: *Pastor sine grege, Episcopus sine populo.* Huius generis testimonia possunt innumera citari.

Præterea sunt & fuerunt olim Episcopatus adeò tenues, vt eorum Episcopi tantùm vnum aut alterum Presbyterum habuerint. Non enim Episcopatum metimur cleri numero, aut amplitudine ciuitatis aut diœceseos, magnitudineue diuitiarum: sed Episcopalis gradus authoritate, etiamsi vna tantùm parua includatur parœcia. Pro multitudine & paucitate populi adsumebant Episcopi Presbyteros cooperatores, & adiutores plures aut pauciores. D. Bezam ignorare hæc, miror; vnde obsecro didicit, Episcopos dici Presbyterorum & totius cleri respectu, potiùs quàm plebis? Ante eum nemo, quod sciam, ita sensit: nec tales vnquam fuerunt in Ecclesijs collectis ex gentibus constituti Episcopi. Hoc genus Episcoporum si demonstretur, ego similiter dicam nouum esse & alienum ab institutione Domini, & traditione Apostolorum.

Num. cap. 3.
1. Para. 23. 24.
1. Esd. 8.
2. Esd. 11. 12.

Res tamen ipsa nec absurda, nec humanitùs inuenta dici debet. Principes 24. Sacerdotum & Leuitarum, non tam populi respectu, quàm suorum fratrum, fuerunt à Dauide constituti, ad commune tabernaculi templique ministerium. Tanta multitudo vices obire, & ritè suo perfungi munere non potuit sine principe. Nulla vnquàm societas ciuilis vel Ecclesiastica, domesticaue consistere sine capite potuit. Hinc vbi diuina lex scripta defuit, illa, cum qua omnes homines nati sunt, semper docuit hominum societates & collegia suos habere præfectos. Ecclesiæ Collegiatæ & Cathedrales Decanos & Præpositos recipiunt, qui toti Collegio certis quibusdam canonibus præfecti sunt. Et hæc præfectura siuè episcope, collegarum respectu non populi censeri potest: sicut illa erat, quam in Israele inter Sacerdotes & Leuitas non humana inuentione, sed diuina institutione constat extitisse. Sed his viginti quatuor principibus sacerdotum nemo Episcopos Ecclesiarum Christi, de quibus nostra est controuersia, accensuit.

Postremò, nemo meo iudicio his D. Bezæ positionibus tutò adsentiri potest, nisi priùs doceatur quandò, & vbi, primùm defierit diuinus Episcopatus, surrogatúsque fuerit hic, qui dicitur humanus. Quomodo sensim errores irrepserint in Ecclesiam, & varij circa Dei cultum abusus, & quandò inceperint, & quibus authoribus, facilè demonstrari potest: sed à quibus iste humanus Episcopatus inuectus sit, & diuinus abrogatus, non inuenio. Hieronymus, qui de hac re aliquid dixisse videri vult, sibi non constat, & Episcoporum initia refert ad Apostolorum tempora, & ad vniuersale decretum, vndè consuetudo sit nata. Quòd si credimus ita rem habere, non debet sub reformationis prætextu à nobis abrogari, quod authores habet Apostolos, perpetuóque omnium Ecclesiarum totius orbis, inde ad nostra vsque tempora vsu est confirmatum.

D. Beza

D. BEZA.

HAnc functionem non fuisse ex Dei verbo introductam liquet ex eo, quòd ne voculam quidem in nouo Testamento reperire licet, ex qua tale quidpiam vel leuissimè liceat conijcere. Etsi enim dubium non est, quin omnia ordine fieri oporteat in domo Domini, ac proindè quin aliquis in cœtibus singulis præfuerit (quem videtur Ioannes in Apocalypsi Angelum appellare, Iustinus autem προεστῶτα vocat) tamen iste eo vno excepto quòd primus erat in cœtu actionum Ecclesiasticarum moderator, nullam in collegas potestatem habebat, nec munere aliquo superiori fungebatur.

HAD. SARAVIA.

VIde (candide lector) quid D. Bezæ largiar, functionem quam nobis suprà definiuit Episcoporum, nusquàm vllo verbo Dei, aut vllis Patrum scriptis vel synodis posse doceri, admitto: vtpotè quòd huius generis Episcopi nulli vnquàm in Ecclesia extiterint. Ego vicissìm accipio quod mihi dare cogitur, singulis cœtibus præfuisse aliquem, qui in Apocalypsi Angelus Ecclesiæ, & à Iustino προεστὼς vocatur. Sed Angelũ illum, vel præsulẽ tantùm fuisse primum actionum Ecclesiasticarum moderatorem, sine vlla in collegas potestate, qui nec superiori aliquo munere fuerit functus, ipse D. Beza docere debuit vel ex Apocalypsi, & Iustino Martyre, aut certè ex alijs Patribus, & vsu veteris Ecclesiæ.

Demiror, doleóq; tantum virũ, qui aliâs perspicacissimus creditur, non videre quod ante eũ omnes orthodoxi viderunt: nempè Timotheũ fuisse Episcopũ, & ad eũ scriptas Epistolas, institutiones cõtinere veri Episcopi. Quod D. Beza ait ne voculã quidem in nouo Testamento reperiri, qua probetur Episcoporum authoritas: ego nego. Profer Scripturas (inquiet). Nihil facilius esset, nisi eas aliò deflecteret. Proferam enim totas Epistolas Pauli ad Timotheum, & Titum scriptas, quę nobis omnes & singulas Episcopalis curę partes exhibent. Sed id D. Beza negabit: & Euangelistam in illis Epistolis institui, non Episcopum contendet. Quis igitur inter nos sedebit arbiter? Quis? Perpetuus omnium Ecclesiarum vsus: cui adsessores adiungam orthodoxos Patres. Æquum enim non est, D. Bezam disceptatorem esse & iudicem.

Vincentius Lyrinensis aduersùs hæreses regulam infallibilem nobis dat; quam si fuerimus amplexi, facilè quiescet omnis nostra disputatio. *In ipsa autem* (inquit) *Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim verè propriéque Catholicum (sicut ipsa vis nominis ratioq; declarat) quod omnia verè vniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demùm fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, & consensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò, si ab his nullatenùs sensibus recedamus, quos sanctos maiores ac Patres nostros celebrâsse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum, & magistrorum definitiones, sententi ipsq; sectemur, &c.* Hæc Lyrinensis. Has mihi, & omnibus qui veritatem Christianam retinere volunt, regulas esse obseruandas iudico: sicubi Labyrintho opinionum inuolutus quis tenetur, indè se huius Thesei fili ductu facilè extricabit.

Superiùs rationibus & verbi Dei authoritate docui, Titum & Timotheum vero nomine fuisse, & esse appellandos Episcopos & presbyteros; & eorum vocationem ordinariam fuisse nulla in re differentem ab eorum vocatione, quos varijs in locis Apostoli creârint Presbyteros. Neque mihi nunc aliud restat, quàm vt ab omnibus qui nos præcesserunt, habitos fuisse Episcopos, demonstrem: quorum verba quia citaui alibi, hic tantùm recitabo nomina. Iohannes Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecunemius, Hieronymus, Ambrosius, Eusebius Cæsarienſis, Augustinus, Epiphanius, & quotquot olim ex Patribus aliquid scripserunt.

Non Ephesinæ tantùm Ecclesiæ, sed totius Asiæ populis præfectum fuisse Timotheũ, hi veteres Patres aiunt: nè quis dicat eum Ephesi remansisse iussu Pauli, qui aliâs non ibi fuisset mansurus: quod tamen nemine monente facere debuisset, si loci illius Episcopus ordinarius fuisset. Huic certè D. Bezæ obiectioni facilis est responsio ex temporum illorum conditione, Timotheum, alioſq; Apostolorum adiutores nunquàm vni ita addictos esse potuisse Ecclesiæ, vt alias, quæ opus habebant eorum opera, negligerent. Vnius autem Ephesiorum Ecclesiæ prostasiæ Timotheum non alligamus: nec Iacobi E-

piſcopatum mœnibus & pomœrio vrbis Hieroſolymitanæ includimus: per vniuerſam enim Palæſtinam,& vltrà,latè patuit,ſicut nobis Eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ. Quod fecerunt Apoſtoli, & Patres ſunt vbiq; gentium imitati, quotieſcunq; in ſynodis conuenerint de communi ſalute Eccleſiarũ conſulturi. Perpetua Epiſcoporũ ſibi ſuccedentium ſeries, nobis ipſorum poſteris immota lex eſſe deberet. In Prouerb. Sp. ſanctus docet, *non eſſe mouendos terminos antiquos, quos patres noſtri poſuerunt.* Quod quia Romana facit Eccleſia, meritò ab ea deceſſimus: nec vllius idcircò defectionis argui poſſumus, qui terminos antiquos reponimus, reponendoſq; curamus, vnde amoti ſunt.

Si ex verbo Dei, quod ab Apoſtolis traditum fuit, manâſſe credendum eſt, malè D. Beza iudicat, ne voculam quidem in nouo Teſtamento reperiri, vndè vel leuiſſimè liceat conjicere Epiſcopalem gradum à Domino fuiſſe inſtitutum. Vnum tamen præfuiſſe in quauis Eccleſia ex verbo Dei docetur. Septem Aſiæ Eccleſiæ, ſeptem ſuos habuerunt Angelos, ſeptem ſtellarum fulgentium ſacramento in manu Domini adumbratos: ad quos reprehenſiones, comminationes, adhortationes, & conſolationes à Iohanne ſcribi iuſſit Sp. ſanctus. Præfuit igitur Eccleſiæ vnus aliquis. Benè eſt. Et ille vnus præſes, Angelus dicitur, & ſtellæ ſacramento in manu Domini ſignificabatur. *Tamen iſte* (inquit D. Beza) *eo vno excepto, quòd primus erat in cœtu actionum Eccleſiaſticarum moderator, nullam in collegas poteſtatem habebat, nec munere aliquo ſuperiori fungebatur.* Mirum hoc eſt, nec ſatis cum maieſtate ſacramenti ſtellarum, nec dignitate nominis (meo iudicio) congruit. Sed vndè didicit D. Beza hunc πρωτεῶτα in collegas nullam habuiſſe poteſtatem, nec munere aliquo ſuperiori functum fuiſſe? vnde hoc deducit? Docuiſſe id debuit, niſi fortè cuiquam id docuiſſe videatur, quandò nè voculam quidem extare in verbo Dei affirmat, vndè vel leuiſſimè id conjicere liceat. Meæ igitur partes ſunt ex ipſa Apocalypſi docere, hos Angelos imperium in collegas habuiſſe, & ſuperiori functos munere: vt appareat D. Bezam hallucinari, quandò ait nè voculam quidem in nouo Teſtamento reperiri, vndè Epiſcopalem gradum à Domino fuiſſe inſtitutum, liceat conjicere. Primùm quandò vnus vnius Eccleſię nominatur Angelus, ſpecialis legatio & nuntij ratio ſignificatur. Deindè in ſtellę ſacramento quis neget functionis excellentiam eminentiorem? Item ſi Miniſtri illiarum Eccleſiarum tantùm primi ordine non poteſtate fuiſſent inter collegas, malè tantùm ſeptem Angeli, & ſeptem tantùm ſtellæ numerantur, & ad ſolos ſeptem peculiaris ſermo dirigitur. Si non vnus Epheſi, ſed plures erant Angeli, cur vnum tantùm alloquitur Dominus? An ea quæ dicuntur vni, cæteris conueniebant omnibus? Quod vt in aliqua vna potuerit accidere Eccleſia, quis in reliquis omnibus idem vſu veniſſe audeat affirmare? Scio quidem ad ipſas Eccleſias multa pertinere quæ ad angelos ſcribuntur: ſed ipſos excludere & excuſare Paſtores, quibus non immeritò quod in Eccleſijs peccabatur, tribuitur, contextus non patitur. Quemadmodùm quod in militia ſæpè peccatur à milite, peccatum eſt ipſius ducis; ſimiliter gregis peccata imputantur Paſtoribus. Niſi iſtorum Angelorum præcipua quædam tam ſupra gregem, quàm compresbyteros, qui ſunt in parte gregis, fuiſſet authoritas; iniuriâ ſuſtineret vnus pro omnibus vituperium. Idem de laude dicendum eſt, qua commendantur Angeli.

Quando Epheſinæ Eccleſię Angelum alloquitur Dominus, & comminatur ſe citò venturum, & moturum candelabrum de loco ſuo, manifeſtè duo diſtincta ſignificantur: & idẽ Angelus & candelabrum eſſe nõ intelligitur. Stet igitur ipſius Dom. noſtri interpretatio. Septem ſtellas ſignificare ſeptem Angelos, & ſeptem candelabra ſeptem Eccleſias. Id vix notatione dignũ iudicarem, niſi reperiſſem quoſdam confundere hęc inter ſe, & in Angeli nomine intelligere Eccleſiã, vt Angelos excuſent in ijs quæ reprehenduntur: acſi propterea quòd ſtellæ dicantur in manu Domini, non fuerint homines qui peccare potuerint. Stellis comparantur & filij Iacob, quos ab inuidia, & funeſto fratris odio nemo excuſare poteſt. Præterea ego nuſquam Angeli nomine inueni in vllo bibliorũ codice intelligi Eccleſiã. Latiùs quidẽ patêre quę illic ſcribuntur agnoſco, quàm vt reſtringenda ſint ad ſeptem Eccleſias Aſiæ illorum temporũ, ſeptemq; earũ Paſtores: ſed ita vt veritatẽ literę tàm eorum quæ tribuuntur ſingulis Angelis, quàm ſingulis Eccleſijs integrã retineam. Si ſaltem primatũ illum, qualem ſeptem Angelorũ credit fuiſſe D. Beza perpetuum retinuiſſet, ſuum Epiſcopum diuinũ ipſa re nobis exhibuiſſet. Sed quùm neq; talẽ reliquerit, qualis ille fuit qui diuinus creditur, nobis tantùm verba pro farina D. Beza dare videtur.

Poſtremò

Postremò πρωτοστάτης fuisse Timotheum cùm non possit negari, & excellentiori munere functum Presbyteris, quos ipse Presbyter creabat; aliquid amplius quàm moderator inter collegas & compresbyteros fuerit, consequens est. Is cui impositio manuum Presbyterij commissa erat, & de Presbyteris iudicandi potestas, illis quoque maior, nisi vehementer fallor, erat. At erat Euangelista (inquient) quem gradu agnoscimus pastoribus superiorem. Ecquid præsules harum septem Ecclesiarum vetat quoque (postquàm ita vultis) Euangelistas esse, dici, & haberi? Quod Paulus Timotheo per impositionem manuum dedit, conferre aut ipse aut D. Iohannes illud ipsum septem illis Angelis non potuit, vt essent suis singulis Ecclesijs quod Timotheus aliquandò fuerat? Sed fortè dicent, ex eo quod Paulus & Iohannes potuerunt dedisse, nihil effici: demonstrandum esse septem illis Angelis eandem gratiam fuisse collatam quam acceperat Timotheus. Quid si respondeam aduersario, non fuisse datam potiùs esse docendum. Quid dicent? non est mihi ab aduersario expectandum, quod ab eo præstari non posse scio. Septem illæ vrbes, quas Iohannes nominat, amplissimæ erant Metropoles: & multa oppida, pagosque, sub sua ditione tenebant. Ecclesiæ verò fidelium, intra vniuscuiúsque vrbis mœnia, vnde nomen habebant, inclusæ non debent intelligi. Gratiâ exempli. Ephesiorum ciuitas tam latè se porrigebat, quàm latè vici intrà extráque mœnia, pagique patebant: adeò vt tantæ multitudini dispersæ nemo vnus suffecerit. Vndè illos Angelos septem illarum Ecclesiarum habuisse opus collegis coepiscopis, & compresbyteris certum est: inter quos si tantùm ordine fuissent primi, & moderatores actionum Ecclesiasticarum sine præcipua authoritate, vt neq; quenquam compellandi, aut vocandi in Consistorium, sine collegarum iussu, aut assensu, sicut Geneuæ fit, ius habuissent; nunquàm soli eorum, quæ peccabantur, aut rectè fiebant in Ecclesia, laudem & vituperium ferrent. Sed postquàm singulis imputatur quicquid benè aut malè in Ecclesijs gerebatur, in illis fuisse liberam aliquam & exortem supra cæteros potestatem, manifestum arbitror. Postremò, turpe effugium quæritur quoties Timotheus fuisse Episcopus allegatur, quandò respondetur quòd fuerit Euangelista, acsi simul stare non possent, eundem esse simul Euangelistam, & Episcopum. Omnium Patrum iudicio Iacobus, qui Apostolus erat, primus Hierosolymitanus fuit Episcopus. De Marco Euangelista (ni vehementer fallor) contra omnium Veterum sententiam, nullus Beza dicere poterit, illum non fuisse primum Alexandriæ Episcopum: & ab illo vsq; ad Heraclam, & Dionysium, Presbyteros Alexandriæ, vnum ex se electum in excelsiore gradu collocâsse, & Episcopum præter cæteros nominâsse; quomodò si exercitus Imperatorem faciat, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertinebat. Atqui Marcum, & qui illum proximè secuti sunt, fuisse diuinæ institutionis Episcopos, nemo, nisi perfrictæ frontis homo, negauerit. Næ audax & temerarius est Beza, qui tam confidenter audet affirmare, quod nusquàm didicit, quod nemo ante eum docuit. Omnium aliarum Ecclesiarum illius ætatis eundem fuisse morem, & consequenter etiam septem illarum Asiaticarum Ecclesiarum, qui fuit tunc temporis Alexandrinæ, nemo nisi tergiuersator impudens, negaturus est. At ille electus Episcopus erat in excelsiore gradu constitutus, & ad eum omnis Ecclesiæ cura pertinebat: vbi autem, & quandò fuerit D. Bezæ diuinus πρωτοστάτης, qui tantùm fuit ordine primus, & tantùm moderator actionum Ecclesiasticarum, sine precipua authoritate, demonstrâsse debuit. Quod quùm ab eo fieri nequeat, & tantùm mera verba crepet sine vlla demonstratione, dehinc desinat tùm ipse Beza, tùm quotquot ipsius sectantur placita, vniuerso orbi suos diuinos obtendere Episcopos, & abolitionem moliri verorum & Catholicorum Episcoporum. Expendat candidus lector has meas rationes, & iudicet.

D. Beza.

IDeóque, vt notat Hieronymus, author Epist. ad Hebræos ἡγούμενος nominat totum cœtum Presbyterorum, non vnum quempiam significans. Talis plerúmque fuit in ipso Apostolorum Collegio Petrus (magna certè inter pares alioquin Apostolos authoritate, & tamen vnus ex cœtu Apostolorum) missus in Samariam à Collegis cum Iohanne. Act. 8. 14 & in cœtu reddens suæ administrationis rationem ijs qui erant ex circumcisione. Act. 11. 2.

Had. Saravia.

HIeronymum citat D. Beza, cum quo non magis quàm mecum sentit, vt videbimus. Sed si luce clarius effecero ex hoc Scripturæ loco allegato, nihil minùs quàm quod

aut Hieronymus intendit, aut ipse D. Beza putat, consequi; me nihil idcircò dimoueri à mea sententia, vitio nemo vertet. Hieronymi mens est, ex hoc monstrare loco eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos: similiter, & ἡγουμένους vnius Ecclesiæ fuisse plures, qui in communi regebant Ecclesiam. Communia hæc nomina fuisse in primis Ecclesiarum initijs, ex locis à Hieronymo citatis, fateor doceri: sed præterea nihil Non enim similiter consequens est, omnes Episcopos, omnes Presbyteros, & omnes præpositos Ecclesiarum, fuisse eiusdem gradus, magis quàm nullum habuisse πρωτοστάτας, ordine primum. Atqui D. Beza fatetur, commune nomen, primũ ordine inter collegas non excludere, sed admittere diuinũ Episcopum moderatorem actionum Ecclesiasticarum. Verùm quomodò excludat primum authoritate, non docet: nec ego rationem video, cur hic potiùs quàm ille excludatur. Quod Petri attinet exemplum inter duodecim collegas, statim dicemus.

Lector modò tantùm attendat Ecclesiæ ordinẽ, qui tunc fuit, & inferiores, & superiores habuisse præfectos inueniet. Quibus omnibus cùm fuerit parendum, sententia, quæ vnum Episcopum gradu superiorem pluribus Presbyteris adstruit, hoc Apostoli præcepto non euertitur. Non enim vni tantùm πρωτοστάτῃ fuit Christianis parendum, sed etiam alijs Presbyteris, qui sub eo, & cum eo similiter Ecclesiam regebant. Quos quandò communi vno nomine ἡγουμένους aptè significauit Apostolus, gradus certè, quibus tunc alius alio eminebat, non sustulit. Agedùm qui erant illi præpositi ducesuè, quibus parère voluit Hebræos Apostolus? Nonnè eorum alij erant Apostoli, alij Prophetæ, alij Euangelistæ, alij Pastores & Doctores? Nùm inter hos, graduum discrimen hoc Apostoli præceptum tollit? Si ad solos Pastores, & Doctores, seniorésque, qui Hebræis præerant, præceptum restringitur, nec sic inter hos graduum differentiam negare D. Beza potest, qui hos tres gradus perpetuos in Ecclesia remanere credit. Si cum Pastoribus Ecclesiarum Presbyteros temporarios vnius anni vel duorum, qui vt doceant verbum Dei & sacramenta populo administrent, non ordinantur, præpositorum nomine D. Beza intelligit, illos certè Pastoribus æquauerit. Atqui non puto eò insaniæ adhùc ventum esse vt id affirmare quisquam audeat. Sin autem Beza suos Presbyteros annuos eiusdem gradus & authoritatis esse cum Pastoribus, demonstrari ex illo communi Præpositi vocabulo non censet, nobis iniquus est, quandò propter illud idem vocabulum diuersorum graduum Presbyteros vel præpositos vult vt intelligamus omnes æqualis authoritatis fuisse. Inter Ecclesiarum præpositos nouum Presbyterorum genus (ni fallor) Geneuensis schola numerat: quibus parendum esse traditio Apostolica docet: quos qui veri nominis Presbyteris & Pastoribus pares facit, mihi insanire videtur. Hinc contra Bezæ sententiam & ipsius sectatores manifestũ fit vocabulum Præpositi generalitate suæ significationis diuersorum graduum ministros Presbyterosuè complecti, & indè nihil contra nos efficere qui Episcopos excellentioris gradus esse supra Presbyteros affirmamus: quia omnes Presbyteros esse, si suo ministerio fungantur, præpositos (quemq; in suo ordine) agnoscimus & confitemur.

Deindè ad vnam Ecclesiam illa Epistola non est scripta. Catholica enim est, & ad vniuersam gentem Hebraicam destinata. Vndè hoc modo loqui & scribere debuit, ne si vsus esset singulari nomine vnum aliquem indicare videretur totius Hebraicæ gentis Episcopum, Petrum, viz. cui vni non tantùm parendum fuit, sed omnibus qui cum eo in gente illa laborabant. Si tamen ponamus singulas tunc Ecclesias, singulos habuisse Episcopos, gradu Presbyteris superiores: hoc Apostoli scribendi genus non magis aduersatur, quàm maritos singulos vnam tantùm habuisse vxorem, & mulieres vnum tantùm maritum, & seruos vnum Dominum, non plures, quandò plurali numero maritis præcipit suas diligere vxores, easq; maritis parère. Item seruos esse subiectos Dominis. Quemadmodùm absurdè ex multitudinis numero quis inferret maritos habuisse plures vxores, & seruos pluribus fuisse subiectos dominis: ita ex hoc Epist. ad Heb. loco malè colligitur singulas Ecclesias non singulos habuisse cæteris Presbyteris superiores præpositos. Huius formæ innumeros citare locos tum ex prophanis, tum ex sacris scriptoribus licet, ex quibus nunquàm plures notari intelliguntur pluralitatis numero: sed singula singulis aptanda.

Postremò, quæ causa nos magis mouet, vt ex plurali numero plures æquales intelligamus vni Ecclesiæ præfectos Presbyteros, æqualis authoritatis, quàm ex singulari singulos præcipuæ supra cæteros fuisse authoritatis? Apocalypsis singulis Ecclesijs singulos

tribuit

tribuit Angelos, quanuis plures in eis essent Presbyteri. Quòd D. Beza primum ordine in quouis cœtu negare non potest, accipio. Sed exemplum Petri in Apostolorum cœtu non magis probo, quàm si mihi Timotheum cum Tito, Syluano, & Sosthene compararet: scio enim illos omnes fuisse pares. Idem dico de Presbyteris eiusdem ordinis, absente Episcopo; inter quos olim seniorem ordinatione Presbyterum, sicut quandò conueniebant eiusdem prouinciæ Episcopi sine Metropolitano, præsidere consueuisse seniorem ordinatione Episcopum, à Patribus accepimus. Sed & hæc præsidentia posterioribus seculis dignitati vrbium data fuit. Primatum hunc ordinis non ignoro, nec Patres ignorauerunt. De eo non agimus: nec inferri potest ex æqualitate 12. Apostolorum inter quos primatum tenuit Petrus, non alium primatum fuisse relictum inter Pastores, quos præfecerũt Ecclesijs. Nam ex eo quòd 12. Apostoli cum Paulo fuêre inter se pares, non sequitur omnes Presbyteros fuisse aut esse pares Apostolis, & Euangelistis cæterisq; Apostolorum Euangelistarúmque adiutoribus. Quia sicut Dominus noster duos ordines & gradus creauit Apostolorum; similiter duo creati sunt ab Apostolis ordines & gradus Presbyterorum. Primarij Apostoli fuêre illi duodecim viri, secundarij 70. discipuli. Inter 70. illos, aut eorum aliquot, si præsedisset Petrus aut Paulus, non ibi tantùm ordine primus, sed etiam gradu & authoritate fuisset. Idem dico de Timotheo in cœtu Presbyterorum Ephesinorum, & de Tito inter Cretenses Episcopos. Ad hunc modum Patriarchas, & Archiepiscopos pares credimus: nec inter eos vllum primatum agnoscimus, nisi ordinis, & honoris, pro vrbium quibus præsidebant, dignitate. Atque ita deinceps æqualitatem inter Episcopos eiusdem gradus, & inter Presbyteros infimi gradus intelligimus, quæ inæqualitatem admisit in eis qui eminentioris fuerunt gradus. Duos gradus Presbyterorum creatos fuisse ab Apostolis, ex Timothei presbyterio docuimus. Repetitione nihil opus est.

D. Beza.

QVòd si talis Episcopalis potestas vnius cuiuspiam in cæteros tum extitisset, qualis postea fuit, certè vel inscriptum iam tùm fuisset ab Apostolis eorum nomen, literis vltrò citróque missis: quùm præsertim Paulus in Epist. ad Philippenses Presbyteros plurali numero, & Diaconos compellet: vel saltem fuisset eorum aliqua facta mentio. Quod cùm factum non sit, apparet inter istos ἰσομοίρους nullos fuisse gradu superiores suis collegis & coepiscopis: sed Ecclesias fuisse à suis Presbyteris pari & æquali inter compresbyteros potestate, administratas: eo tantùm cæteris præeunte, cuius pietatem & authoritatem collegium maximè probâsset.

Had. Saravia.

D. Beza putat nullam factam esse mentionem in toto nouo Testamento Episcopalis potestatis. Huius erroris causa est, quòd omnes veteris theologiæ definitiones contempserit, reiecerítque, ratus se ea ratione vno semel ictu omnia simul Hydræ capita (quod nullus Hercules potuit) amputare. Positiones Patrum hæ sunt, veræ, & olim indubitatæ, tam ex verbo Dei desumptæ, quàm vsu perpetuo vbíque terrarum in omnibus Ecclesijs confirmatæ. Apostolatum esse quendam Episcopatum, & Episcopatum esse quendam Apostolatum, & Apostolos fuisse Episcopos, & Episcopos esse Apostolos. Hoc D. Beza Catachresin & multiplicem homonymiam subesse putat: quâ seipsum, & alios fallat: ac si Patres ignorauerint quantum inter suum siuè Apostolatum, siuè Episcopatum dicas, & Apostolorum interesset discriminis: & in ijs quæ rebus adiacent (quanuis in re nulla differentia esset) plurimùm suum Apostolatum distare ab eo, quem gesserunt Apostoli. Sciuerunt enim se non proximè à Deo esse vocatos, sed per homines, & ab hominibus. Deindè, se non esse tanto donatos spiritu, vt fidei Canon eorum doctrina esset: nec se miraculorum edendorum, nec linguarum, nec Prophetiæ dona habere, erant ignari. Postremò suam Episcopen finitam terminis vnius diœceseos, & prouinciæ, quùm ea quæ fuit Apostolorum latissimè quantum potuit se extenderet, nouerant.

Vt res magis fiat clara exemplo. Natura regni regiáq; potestas, specie vna & eadem, in diuersis Regibus recipit ingens discrimen, tam ab ipsis regni auspicijs, quam à cæteris rebus innumeris, quæ regibus & regnis accidunt. Alius electione regnum fuerit adeptus, alius natiuitate, alius vi & armis. Præterea opes, diuitiæ, potentia, vires, fines latiores, & quicquid est huius generis, quæ Regem maiorem, & potentiorem

faciunt, aut etiam minorem & imbecilliorem, nihil ius & naturam regni mutant: tanti tamen sunt, vt cum paruis regibus comparati magni illi & potentissimi Monarchæ, soli Reges absolutè dicantur; & alij, addito regionis & regni sui nomine. Eodem modo venit Apostolatus Episcoporum, cum eo qui fuit 12 Apostolorum comparandus. Quamuis tanta Domini nostri illuxerit gratia in 12. illis viris, & Paulo, ad fundandas Ecclesias in vera & cœlesti doctrina, vt nemo illis debeat aut possit æquari; eam tamen communicârunt suis adiutoribus, quos vocant commilitones, & cooperatores suos in opere Domini.

Nam si Apostolica potestas nemini communicari potuisset, nunquàm partes suas mandâsset Apostolus Tito & Timotheo; nunquàm in Epistolis suis eorum nomina præfixisset, nisi eos tanquàm collegas adsumptos, cum illis ad Ecclesias scriberet; vt pleræque Paulinæ Epistolæ non tantùm debeant censeri Pauli, sed etiam Timothei, Sosthenis, & Syluani. Prior ad Cor. est Pauli & Sosthenis: altera Pauli & Timothei. Ad Philippenses scribunt Paulus & Timotheus serui Iesu Christi. Ad Colossenses Paulus etiam sibi Timotheum adiunxit. Epistolæ Thessalonicensibus scriptæ, Paulum, Syluanum, & Timotheum habent authores. Itaque quos adiutores & Collegas in Apostolica functione Apostoli adsumpserunt, proculdubiò etiam successores reliquerunt.

At (inquiet fortè D. Beza) nusquàm tamen dicuntur Apostoli. Si in consortium Apostolicæ functionis fuissent adsumpti, eodem nomine eos Paulus cohonestâsset: vtpotè qui ab omni laudis inuidia fuerit alienus, cuius commilitones suos potuit iudicare capaces. Respondeo. Quandò Paulus se Apostolum scribit, non tàm suum ministerium in se considerari voluit, quàm modum rationémque, quâ fuit ad illud proximè à Deo vocatus. Inter primarios Apostolos proximè à Domino missos eum censeri, ferre ipsius æmuli non poterant. Itáque quandò se dixit Apostolum, ad immediatam suam vocationem, eáque omnia quæ simul habuit adiuncta, respexit; quæ Timothei vocatio non habuit. Proindè ne eiusdem tantùm ordinis Paulus esse Doctor, cuius erat Timotheus, atque ita inter vtrumq; nullum esse discrimen crederetur, Apostoli nomine Timotheus ibi vocari non debuit. Paulus vt immediatè à Deo ad Apostolatum fuit vocatus: ita fuit ab eodem etiam edoctus: vt dicere potuerit: *Quæ accepi à Domino, ea tradidi vobis.* Timotheus verò sicut in consortium Apostolici muneris fuit ab hominibus adscitus; sic fuit quoque in veritate cœlestis doctrinæ ab eis institutus: nec dicere potuit, Timotheus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, &c. nec similiter, Quod accepi à Domino, id tradidi vobis.

Adiutores igitur quos Apostolus habuit, & passim συνεργὸς, & συνεργόνλας, & συστατιώτας, & κοινωνὸς vocat, quorum & nomina in Epistolis cum suo præfixit, significantur in societatem functionis Apostolicæ adsumpti: vt eis sese Ecclesiæ submitterent. Et hi sunt, quos Patres vocant primos Episcopos, & Apostolorum successores. Illi erant tùm ipsi Paulo, tùm Ecclesijs necessarij, quandiù vixit. Quid, obsecro, num simul cum eo ad superos translato cessauit illa necessitas? & Ecclesiæ, quæ in terris agente Apostolo, & curam earum habente, opus habuerunt Tito, Timotheo, & huius ordinis vel gradus alijs quamplurimis Doctoribus, repentè sibi sufficere potuerunt? Et quos necessariò adiutores, & cooperatores in munere Apostolico viui habuerunt Apostoli, non etiam necessariò reliquerunt morituri in eodem munere successores? Certè posterior ad Timotheum, quam Paulus breui moriturus scripsisse videtur, aliud testatur. Nam tunc (si vnquàm aliàs) maximè solicitus de Ecclesiarum salute erat: & alios ad se euocabat, alios ablegabat, quò iudicauit eorum auxilio Ecclesias opus habere.

Prior illa ad Tim. informationem continet veri Episcopi. Si præcepta quæ illic dantur Timotheo tantùm essent temporarij officij, & non potiùs perpetui, non magnoperè ad nos Epistola illa pertineret. Sed cùm propter Pastores scripta sit, vt haberent perfectam institutionem boni Pastoris, & Episcopi, faceßat noua glossa hactenùs ignota Patribus, illic Euangelistæ temporarium, quod ad nos non pertinet, munus describi, & non perpetuum Episcopi. Tota igitur illa Epistola de Episcopis, & propter Episcopos est scripta: Episcopos, inquam, superioris gradus cæteris, de quo est nostra disputatio. Desijt quidem Timotheus legari à Paulo, postquàm Paulus in cœlum receptus fuit: sed quam acceperat à Paulo, authoritate visitare Ecclesias, & regere secundùm illa præcepta Apo-

stolica

stolica, non destitit. Idem factitârunt alij, qui eandem cum eo sortiti erant vocationem. Quod indè ab illis temporibus cùm per continuas successiones fuerit vsque ad nostra tempora deductum, & ab omnibus totius orbis Ecclesijs receptum, non potest non esse Apostolicum. Falsum igitur est, Episcopalis potestatis vnius in cæteros, nullam in Apostolicis literis mentionem fieri.

Videmus igitur D. Bezæ illationem deductam ex adsumptione falsa, inanem esse. Conuulso fundamento corruit quicquid superstructũ fuerat. Aliundè fidem faciat suæ sententiæ D. Beza quam demonstratã putauit, oportet: viz. *Ecclesias fuisse à suis Presbyteris pari & æquali inter compresbyteros potestate administratas, eo tantùm cæteris præeunte, cuius pietatem & authoritatem collegium maximè probâsset.* Ego, vt ingenuè fatear, nec rationem, nec sensum D. Bezæ assequor, quandò nobis Pastores constituit, qui cum pari potestate præditis compresbyteris, ecclesias suas rexerunt. Primò, istos temporarios Presbyteros, qui verbi Dei ministri non sunt, veris & perpetuis Presbyteris, & verbi Dei ministris, æquales potestate facere, in verbi Dei ministerium quædã contumelia est. Deindè, cùm omnis ecclesiasticæ actionis authoritas, tùm in Sacramentorum administratione, tùm in ecclesiastica gubernatione pendeat à verbi Dei ministerio, quomodò istos Presbyteros, etiamsi perpetui essent, authoritate æquales cũ Pastoribus, & eorũ esse Collegas, intelligere possumus? Si verò accipiamus D. Bezã de celebribus alicuius vrbis Pastoribus loqui, cùm exclusos seniores suos temporarios ab Ecclesiæ gubernatione nolit, veris Presbyteris & Pastoribus, & imprimis ipsi Præsuli, quandò in tanta imparitate omnes pares esse vult, iniuriam facit. Postremò, ita loquitur, acsi in singulis illis collegijs diuinorum Episcoporum, nouus præses, quoties conuenerunt, fuerit eligendus: cùm constet singulas vrbes, & singulas prouincias, certos & perpetuos suos semper habuisse præsules; nisi fortè quandò mortuo Episcopo contigit vacare sedem. Si res esset, quemadmodum D. Beza putat, aliquod extaret exemplum: sed cùm nullo exemplo vel ex sacris historijs desumpto, vel ex vniuersa antiquitate, id docere queat: & constet paris authoritatis cum Timotheo non fuisse Presbyteros, quos creauit, & qui simul cum eo Ephesinam aut aliam quamuis rexerunt Ecclesiam, & Timotheus Euangelista fuisse non doceatur, qualis fuit Barnabas, aut Philippus, sed Presbyter impositione manuum Presbyterij à Paulo fuerit creatus; directè & verè contra D. Bezam concluditur, Ecclesias à Presbyteris, sub inspectione superioris authoritatis Presbyteri, id est, Episcopi, primis & optimis Ecclesiæ temporibus, nempè viuis adhuc Apostolis, aut iam in cœlum non ita nuper receptis, fuisse administratas. Non enim Timotheus esse desijt quod fuerat anteâ, & eandem habere Ecclesiarum curam, quam viuente Paulo habuerat. Episcopis autem nostris nos neque maiorem, neque minorem tribuimus, tam in Ecclesiam, quàm in Ecclesiæ Ministros, Presbyteros, Doctores, & Diaconos, potestatem, quàm Apostolus communicauit Tito, aut Timotheo. Quod probationem collegij Presbyterorum attinet; ab eo probari Episcopos & eligi debere, non negamus.

D. Beza.

EPiphanius contra Aërianos contrariam sententiam, id est, humanum Episcopatum, quasi diuinum defendens, tria profert argumenta in contrariam partem; duo quasi ex verbo Dei, tertium, ex illorum temporum historia.

Had. Saravia.

SI tunc in Ecclesia vigebat humanus Episcopatus, frustrâ pluribus in locis se torquet D. Beza, vt eum diuinum faciat: & interpretandis tùm Canonibus Conciliorum, tùm etiam Patrum orthodoxorum sententijs, quibus exors data demonstratur Episcopis authoritas, operam abutitur. Vixit Epiphanius cum Iohanne Chrysostomo, cum quo simultatem exercuit; & valdè senex imperante Arcadio domum nauigans, antequàm in Cyprum peruenire, in mari mortuus est.

D. Beza.

PRimus locus 1. Tim. cap. 5. v. 1. Πρεσβυτέρου μὴ ἐπιπλήξῃς. *Seniorem ne increpato.* Ex quo colligit aliquam fuisse Timothei authoritatem in Presbyteros, id est, Pastores Ephesinæ Ecclesiæ reliquos, potestatem. Atqui (quod tanti viri pace dictum sit) animaduertere illum oportuit, Presbyterum, id est, seniorem hîc dici, qui ætate

sit

sit prouectior, non qui Pastoris, Doctoris, vel Presbyteri munere fungatur; quod manifestissimè ostendit τῶ πλικίαν antithesis.

HAD. SARAVIA.

MIhi propositum non est, sicubi Patres hallucinantur, eos defendere: præsertim cùm tam à cæteris qui eadem ætate vixerunt, quàm à verbo Dei dissentiunt. Alij Patres alio modo hunc interpretantur locum, qui tamen satis per se clarus est. Sed ipse D. Beza similiter ad hunc eundem lapidem impingit, quando, Ambrosium huius loci enarratorem, intelligit locutum fuisse de Presbyteris officio, non ætate. Ambrosij verba hæc sunt. *Propter honorificentiam ætatis, maiorem natu cum mansuetudine ad bonum opus prouocandum, vt facilius suscipiat admonitionem. Potest enim vereri commonitus, ne postea corripiatur, quod turpe est seniori. Nam apud omnes vtique gentes honorabilis est senectus. Vnde & Synagoga, & postea Ecclesia, seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia.* Ex hoc vno malè intellecto vnius Ambrosij loco, seniores annui officio nuper nati sunt: quibus Pauli locus & Ambrosij interpretatio, non magis conueniunt, quàm Epiphanij in hunc locum expositio Presbyteris, quos Paulus vel Timotheus præfecerunt Ecclesijs. Mirum tamen est, quantoperè hic locus placeat, & quibus laudibus efferatur: tanquàm nouum nostri temporis seniorum genus Ambrosius postliminio restituendum Ecclesiæ iudicauerit: cùm tamen luce clarius sit, eum de prouectis ætate hominibus loqui, non de ijs qui Ecclesiastica ordinatione erant Presbyteri. Cedò quemuis iudicem, quem opinionis contrariæ non præoccupauit persuasio. Facilè quemuis in errorem impellit præiudicium, dum quis quod ipse opinatur, & nimis ardenter verum esse cupit, alios etiam, qui nihil minus cogitârunt, loqui putat.

D. BEZA.

ALter locus ex eiusdem epist. cap. 5. vers. 19. Paulus (inquit Epiphanius) non dixit alicui Presbytero: *Ne admittito accusationem contra Episcopum*, sed Timotheo qui erat Episcopus, *Aduersus Presbyterum ne admiseris accusationem*. Vndè consequi vult, Episcopi tribunali obnoxios fuisse Presbyteros, vt iudicis: ac proindè, vt superioris. Sed dupliciter hic fallitur. Primùm enim Timotheus non fuit Ephesinorum Episcopus. Et hoc falsum ex historia ipia facilè redargui potest. Comitem enim Pauli fuisse Timotheum, ac proindè non alicuius certi loci Episcopum designatum, & modò hûc, modò illûc constituendis Ecclesijs missum: Euangelistam denique, non Episcopum certi cuiuspiam gregis, negari non potest. *Rogaui* (inquit Apostolus) *vt permaneres Ephesi, quum proficiscerer in Macedoniam*, 1. Tim. 1. 3. Id verò quorsum? Nempè vt Ecclesiam ab Apostolo cœptam tueretur, tantisper dùm reuocaretur; quod altera Epistola facit. 2. Tim. 4. 9. *Studè venire ad me citò.*

HAD. SARAVIA.

QVòd comes Pauli fuerit Timotheus, & modò hûc, modò illûc constituendis Ecclesijs missus, Patres non ignorârunt: sed non iudicârunt indè consequi, eum non esse Episcopum: neque absurdum credebant eundem esse Euangelistam, & Episcopum. Non enim vnquàm comparârunt hæc inter se tanquàm ἀσύστατα. Hæc (inquam) nec Ambrosius, nec Hieronymus, nec Chrysostomus, nec Theodoretus, nec præter eos innumeri alij iudicârunt esse pugnantia. Solus Epiphanius in hoc errore (si dici debet error) non versatur. Habet enim secum quotquot eum præcesserunt, & qui tùnc simùl cum eo viuebant: quibus addo eos qui illa secula secuti sunt, vsque ad nostram ætatem, idem sentientes. Quapropter res disquisitione digna est: vt sciamus, vtrùm nos, an illi insaniant. Quæ adfert clarissimus vir D. Beza, fateor aliquam habere veri speciem: sed ideò nolim nec hîc nec alibi statim veri specie quempiã abduci à veritate, sed multùm & diù cunctari, & rem discutere penitùs, antequàm à communi & consentientium inter se Patrum recedatur sententia.

Hæc non videntur D. Bezæ simul stare, vt quis hûc illûc mittatur ad diuersas Ecclesias, & certi alicuius loci designatum esse Episcopum. Illis Patribus non idem est visum, qui non ignorârunt quod esset Episcopi officium, & Timotheum ad varias Ecclesias ab Apostolo fuisse missum. Sed contrà quàm nunc argumentamur, inferre solebant, eum, qui erat Apostolus, aut Euangelista, esse Episcopum. Hæc argumentatio absurda tùnc visa fuisset. D. Iacobus erat Apostolus, ergo non erat Episcopus: similiter, Timotheus erat Euangelista, ergo non erat Episcopus: Marcus erat Euangelista, ergo non fuit Alexandriæ Episcopus. Toto tempore quo Paulus fuit Corinthi, ipse fuit illius Ecclesiæ Episcopus. Vsu & experientia suorum temporum, in quibus Episcopi sibi inuicem laborantibus

rantibus Ecclesijs sæpè ferebant opem, Patres æstimârunt, quid principiorum Ecclesiæ fieri postulârit necessitas, & factum esse traditione acceperant. Quum fuerint distincta temporibus Ecclesiarum prima initia, diuersis diuersa facta esse temporibus inuenientur. Prius extruendæ fuerunt Ecclesiæ, quàm de conseruatione & incrementis earum cogitari potuit. Ad vtrumq; adiutores fuerunt Apostolis necessarij. Dùm prima iaciebantur fundamenta, mittendi crebrò iterùm atque iterùm modò ad eadem loca, modò ad diuersa fuerunt selecti viri, & eximijs S. sancti donis ornati, quò ipsi Apostoli ire non poterant. Fundatis iam per magnam prouinciam Ecclesijs, gratiâ exempli, per totam minorem Asiam, de illis conseruandis & vlteriùs ibidem propagandis, cura successit: quæ certè nemini meliùs mandari potuit quàm eis quorum operâ illis fundandis vsi fuerant priùs Apostoli. Quemadmodùm Dominus sibi adsciuit discipulos, quos institueret ad Ecclesiæ ministerium: ita Apostoli ex conuersis gentibus & Iudæis selegerunt quosdam formandos ad Ecclesiæ gubernationem, quos Ecclesijs non vnius tantùm vrbis, sed totius alicuius prouinciæ præficerent.

Qui primorum illorum temporum & proximè sequentium conditionem secum reputare volet, inuenìet Ecclesiarum, etiam sub Apostolis, quod gubernationem attinet, diuersam fuisse faciem. Alius fuit Ecclesiæ status Hierosolymis sub 12. Apostolorum regimine, alius sub solius Iacobi, & Presbyterorum administratione. Similiter alius fuit Ecclesiæ Corinthiacæ, vel Ephesinæ, sub Pauli Apostoli gubernatione status; alius constitutis iam vbique Episcopis. Tempus fuit quandò vni Ecclesiæ mancipari non poterant (nec æquum quidem erat) qui raris & eximijs Sp. sancti donis excellebant. Quemadmodùm nemo peculiarem populum sibi sed Christo congregabat; ita peculiarem Episcopum in illis initijs nemo sibi vindicabat, nisi fortè loci conditio ita postularet. Hierosolyma quamdiù stetit, propter peregrinos eò ex vniuerso orbe confluentes, necessariò Episcopum Iacobum, vnum ex numero 12. Apostolorum, sibi retinuit. Postquàm vni ciuitati vel Diœcesi vnus præfici potuit Episcopus, is non ita se illi vni Ecclesiæ addictum credidit, vt vicinos ad eum nihil pertinere iudicaret. Sicut hodiè transferri possunt Episcopi, si vel vtilitas Ecclesiæ, vel id postulet necessitas: ita tunc ad constituendas reformandasq; Ecclesias, limites suarum prouinciarum potuêre Apostolorum adiutores, & successores egredi. Rem hanc ita intellexêre Veteres. Epiphanius noster, postulantibus Ecclesiarum negotijs, citra vllam Ecclesiæ propriæ iacturam, ad varias Ecclesias peregrinatus est. Quis recenseat varia itinera ad diuersas Ecclesias vnius Osij Cordubæ Episcopi? Habuêre enim semper Episcopi Presbyteros, qui absentis vices supplere poterant. Gregorius Nazianzenus Sosimorum primùm factus est Episcopus. Deindè Nazianzenæ Ecclesiæ curam cum Patre ad tempus suscepit. Pòst persuasus est Constantinopolitanæ Ecclesiæ cathedram conscendere. Singulæ harum historiarum partes, si ignorarentur, sicut nos latent singula quæ ministerio Timothei & aliorum acciderunt; homines ignari, non Episcopos fuisse Osium & Nazianzenum, sed Euangelistas contenderent.

Negamus igitur, quod Patres omnes sua ætate negâssent, & negari non posse credit D. Beza; Timotheum idcircò non fuisse Ephesiorum Episcopum, quia comes Pauli fuerit, & Euangelista: similiter & Marcũ non fuisse Alexandriæ Episcopum, quia fuit Euangelista. Non enim sequitur, cum qui est certi cuiuspiam gregis Episcopus designatus, ad tempus mitti hûc atque illûc, constituendis & confirmandis Ecclesijs, non posse: nec eum, qui hûc & illûc confirmandis & constituendis Ecclesijs mittitur, non esse certi alicuius loci Episcopum. Nemo hodiè est Episcopus (nec fuit vnquàm) ita vni loco addictus, vt non potuerit & possit hûc atque illûc mitti, confirmandis, & constituendis Ecclesiijs; ac posteà redire ad suam Ecclesiam. Quòd Timotheus ad varia loca missus fuit, non fuit, nec esse potuit perpetuum: ipsius tamen ministerium erat perpetuum. Locum igitur & gregem habuit certum, ad quem se recepit, obita legatione particulari mandata sibi ab Apostolo. Nam mortuo Paulo, Timotheus ad diuersa loca mitti destitit: non tamen ipsius ministerium cum ea potestate, quam ei Apostolus per impositionem manuum contulerat, finem accepit. Vndè apparet veram esse Patrum sententiam, Timotheum fuisse Ephesiorum & totius Asiaticæ gentis Episcopum: & errare D. Bezam, ac falli, quandò Euangelistam Timotheum facit, & perpetuum comitem Pauli, qui per totum vitæ suæ curriculum semper missus modò

hûc

hûc, modò illûc fuerit: & Episcopum certo vni angusto loco, tanquàm adscriptum glebæ nobis proponit. Potest enim Episcopus dari vni prouinciæ, & vni toti regioni ac genti: ad quam certè in fide Christi rectè formandam, multo hûc illûc discursu erit opus, prout gens illa in vera pietate proficiet, & latè sparsa deget. Quùm tota Asiatica gens fuerit Timotheo commissa, certè illa ætate in vno loco diû hærere non potuit.

Quod additur, *Rogauite* (inquit Apostolus.) *vt permaneres Ephesi*, non arguit Timotheum non fuisse Episcopum tùm illius loci, tùm reliquæ Asiæ; sed ibi tunc non fuisse mansurum, nisi monuisset Apostolus: quòd & Ecclesiæ aliorum locorum eius ministerio etiam opus haberent. In Act. Apost. cap. 20. legimus totum illud iter Pauli in Macedoniam, & abitionem, & propter insidias Iudæorum reditionem, ac tandem indè Hierosolymam versùs, profectionem: in qua quùm festinaret, deflectere Ephesum, vti sperauerat, & Timotheo promiserat, non potuit. 1. Tim. cap. 3. vers. 14. legimus: *Hæc tibi scribo sperans fore, vt celeriùs ad te veniam. Quòd si tardiùs venero, vt noris, &c.* Quùm cuperet die Pentecostes esse Hierosolymis, metuebat in Asia detineri: vndè factum est vt accersiuerit Miletum ad se Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ. Vbi autem toto illo tempore itineris Pauli & capiuitatis fuerit Timotheus, diuinare licet eis qui Ephesi, & in Asia fuisse negant. Omnes qui nobis viciniores illis fuerunt temporibus, credunt Asiaticæ gentis Timotheum fuisse Episcopum, & ibi suum exercuisse ministerium. Quod secundam epistolam attinet: illa scripta fuit postremo Neronis anno, paulò ante Pauli mortem: & inter eam & priorem interceserunt ad minus anni quindecim. Vnde miror D. Bezam negare Timotheum Ephesiorum Episcopum fuisse, qui iudicet à tempore scriptæ prioris epistolæ, vsque ad posteriorem, Ephesi mansisse. Magnum ipsi hoc esse deberet argumentum, specialis illius loci Episcopatus.

D. Beza.

NVm verò Ephesios, Episcopo suo, non rogatâ saltem Ecclesiâ, spoliâsset Apostolus?

Had. Saravia.

EX nouis moribus & nuper natis, quandò non tantùm hoc loco, sed alijs pluribus D. Beza disputat: seipsum, & suum lectorem fallit. Alius fuit ecclesiarum status, & Euangelij ministrorum conditio, sub Apostolorum gubernatione, quàm est ille, quem in reformatis Ecclesijs hodiè Geneuæ, aut in Gallia, aut in Scotia conspicimus. Apostolum euocare ex sua Diœcesi, vel Prouincia Episcopum ad aliquod necessarium, & in communi admodùm vtile ministerium, non est Ecclesiam spoliare suo Episcopo. Apostolicæ authoritati se parêre æquum esse, Ephesiorum iudicauit Ecclesia. Non est primitiuarum Ecclesiarum charitati consentaneum, publicæ Ecclesiarum vtilitati vt præferrent suam priuatam. Neque hoc vnquàm fuit insolens, à suis Ecclesijs Episcopos abesse, vt alibi maius aliquod, & commune omnibus Ecclesijs bonum promoueant.

Quotquot Ecclesiæ Christi ordinantur ministri, quanuis certa ipsis sit tributa gregis portio, cui inuigilent, plus tamen tenentur vniuersali Ecclesiæ, quàm parti. Et hæc est Ecclesiarum nostri temporis calamitas, quòd plerique omnes studiosiores sunt alicuius vnius membri Ecclesiæ Catholicæ, quàm totius corporis. Quos priuatus amor non fascinat, pluris semper facient publicam Catholicæ Ecclesiæ ædificationem, quàm vnius partis. Notum est in Oecumenicis, & nationalibus synodis, detentos fuisse Episcopos à suis Ecclesijs, menses plures; imò annum: & ampliùs. Aetas Apostolorum postulabat, vt à locis suis Episcopi, quos ipsi instituerant, & probatos nôrant, interdùm abessent, maioris boni causâ. Quod certè nec hodiè cuiquam absurdum videtur, qui nouit quod sit veri Euangelici ministri officium. At Ecclesia debuisset rogari (inquiet.) Mihi non videtur. Potuit quidem: sed necessitas nulla fuit. Judicio Episcopi id relictum fuit, & ipsius Apostoli.

D. Beza.

CErtè quùm Hierosolymam postremò proficisceretur, Ephesum nunquàm rediturus, vel Timotheum ijs restituisset, vel ab Apostolo Ephesij repetijssent, de proximis tantis periculis eos commonefaciente: vel si alius in eius locum erat suffectus, in illa diuina ipsius concione illum esset peculiariter affatus. Atqui Presbyteros tantùm legimus accersitos communis officij monuisse.

Had.

HAD. SARAVIA.

MAlè sunt hæc à D. Beza discreta temporibus. Scribit enim acsi demùm post reuocatum Timotheum à Paulo, & eo petente Hierosolymam, Ephesini accersiti Miletum fuerint Presbyteri. Ex cap. 20. Act. & 1. ad Tim. cap. 3. veritas historiæ petenda est. Ephesi, in Macedoniam profecturus, Paulus Timotheum reliquerat. Eum posteà ad Paulum, non expectato ipsius reditu, se contulisse oportet, quùm numeretur inter comites, qui vsque in Asiam Apostolum comitati fuerunt. Vndè fit consequens, Mileti cum Paulo fuisse. Quod posteriorem ad Tim. Epistolam attinet, ego vehementer fallor, si non sit omnium, quas scripsit Apostolus paulò ante ipsius mortem, vltima. Quid nunc dicemus? Timotheus erat in eorum numero, qui Paulum vsque in Asiam comitati sunt: ibi igitur hæsit: etenim vlteriùs non legitur Paulum esse comitatus. Atque ita stat Patrum sententia, Timotheo gentem Asiaticam fuisse commissam.

Quod argumentatur D. Beza, quòd vel Timotheum Ephesijs restituisset, vel ab Apostolo eum repetiuissent: leuissimum est. Alterum enim fieri potuit: alterum factum est, etiamsi non sit adscriptum. Difficile est definire quid aliquis scriptor debuerit scribere, quid minimè, & indè argumentari. Videmus in ijsdem historijs à diuersis conscriptis, dictum ab vno scriptore quod ab alio fuit neglectum. Singula non fuisse persequutum D. Lucam certum est, & studuisse breuitati. Tamen hoc certum est, Timotheum non fuisse comitatum Paulum Hierosolymam, sed remansisse in Asia. Atqui Presbyteros (inquit D. Beza) tantùm legimus accersitos, & communis officij monuisse. Dico imbecillem hanc esse ratiocinandi rationem, vt quis inferat, Timotheum non fuisse Ephesijs Episcopum, vel non repetitum, vel non redditum. A non scripto contra verisimilem adsertionem, fallax est argumentatio: nisi quis probet omnia fuisse scripta particulatim, aut illud de quo agitur, non potuisse liquidò omitti. Neutrum D. Beza vnquàm probare poterit.

D. BEZA.

CAEterùm Ephesi commorante Euangelista Timotheo, viro tot tantisque virtutibus ornato, nemo mirabitur eius auspicijs, vt gradu cæteris Presbyteris superioris, & Apostolica authoritate illic ad tempus constituti, omnia administrata fuisse.

HAD. SARAVIA.

DOctor Beza, & qui cum eo sentiunt, quod ante eos nemo, ita Timotheum Euangelistam faciunt, vt non sit Episcopus: & Apostolica fuisse authoritate instructum, cùm non possint negare, Episcopalẽ eam esse negant: quòd ea cum Apostolis & Euangelistis, vt ipsi iudicant, interierit. Contrarium pluribus docui argumentis: quibus D. Beza quidẽ respondit, sed erroris non conuicit. Quàm ei fuit facile respondere, tam ei difficile fuit, & impossibile, contrarium docere. Timotheum non fuisse Euangelistam, qualem opinatur D. Beza, sed vt Patres crediderunt, Episcopum, qui extraordinariam nullam habuerit vocationem demonstraui. *Extraordinaria omnis vocatio ab ipso Deo proximè proficiscitur: at ea vocatio quæ fuit Titi & Timothei non processit immediate à Deo:* non fuit ergo extraordinaria. Ab ijs, quos Dominus miserat, & vocauerat extra ordinem, nata est in Ecclesia per successiones, ordinaria vocatio. Illa autem ab eis, quos ipsi primos creârunt Presbyteros, & præfecerunt Ecclesijs, incepit. Inter quos cùm Titus & Timotheus numerandi sint, non magis extraordinariam vocationem habuisse censeri debent reliquis Presbyteris, & Episcopis, quos Apostoli creârunt.

Quidquid potestatis ad gubernandam Ecclesiam Dominus Apostolis dedit, omnes orthodoxi Theologi, qui in hunc diem ab illis temporibus scripserunt, intelligunt datum Ecclesijs, & remansisse in Ecclesia penes Episcopos, quos vno fatentur ore Apostolorum esse successores. Nouum commentum est quod D. Beza hîc proponit, Timotheum fuisse Euangelistam, qui extraordinariam & temporariam habuerit potestatem. Inuentum hoc est, tyrannidis pontificiæ magis odio, quàm vero iudicio. Presbyter igitur & Episcopus ordinarius in Ecclesia fuit Timotheus, sed gradus superioris, & authoritatis Apostolicæ.

D. BEZA.

SEd age, aliquid amplius Epiphanio largiamur, & istas τὸ ἐγκύρειν fuisse partes concedamus. Negamus tamen propterea, nisi Euangelista fuisset Timotheus, potestatem cum aliquam in Ephesinum Presbyterium obtenturum fuisse.

HAD. SARAVIA.

QVidquid nobis largiri D. Bezam veritas cogit, libenter accipimus. Hoc enim Episcopalem authoritatem, quam adserimus, confirmat. Quod subindè repetit, Timotheum fuisse Euangelistam, & ni fuisset, in Ephesinum Presbyterium nullam potestatem obtenturum fuisse; nusquam probat. Postquàm tamen D. Beza ita vult, sciat, omnem Episcopum esse Euangelistam, qualis fuit Timotheus. Ambrosius in 4. cap. Epist. ad Ephes. ait. *In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est, princeps sacerdotum, & Propheta, & Euangelista, ad cetera adimplenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.* Nunquàm Patres Apostolum & Euangelistam esse ita diuersa ab Episcopi officio crediderunt, vt in eodem esse, & dici de eodem non possent. Has argumentationes Veteres negâssent bonas esse: Timotheus erat Euangelista, ergò non erat Episcopus.

Ambros. in Epist. ad Eph.

D. BEZA.

FActam enim fuisse impositionem manuum ipsius Presbyterij nomine, non ex alicuius Superioris authoritate, satis declarat ipse Paulus. 1. Tim. 4. 14.

HAD. SARAVIA.

HVnc Pauli locum 1. Tim. 1. 14. ex sententia D. Caluini, & magnorum Theologorum exposuimus: Et presbyterium illic pro functione Presbyteri accipi, non pro Collegio Presbyterorum diximus: & idem esse sensu cum eo, quod alio loco. 2. Tim. 1. 6. impositionem manuum suarum ipse vocat Apostolus. Locos hic ponam. 1. Tim. 4. 14. sic habet. *Ne negligito quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. Tim. 1. 6. *Propter hanc causam admoneo te vt exuscites donum Dei, quod in te est, per impositionem manuum mearum.* Hæc verba esse intelligenda de ordinatione Timothei ad Ecclesiæ ministerium, & de donis quæ tunc accepit, extra controuersiam est. Quod illud ministerium fuerit, hodiè controuertitur, non controuertebatur olim. Illud ministerium fuisse presbyterij gradus superioris, hoc est Episcopi, Veteres crediderunt. D. Beza vult esse Euangelistæ. Vtri credemus?

Quòd illud ministerium Euangelistæ fuerit, stare non potest cum opinione D. Bezæ, qui nomine Collegij Presbyterorum, factam fuisse impositionem manuum, non Superioris alicuius authoritate adfirmat. Non enim Presbyterium habuisse potestatem creandi Euangelistæ, aut conferendæ authoritatis, quam constat habuisse Timotheum, dicere potest: nisi fortè credat Presbyterium tunc fuisse maioris authoritatis, quàm sit hodiè: & negari nostris Presbyterijs, quod tunc illis erat datum: quod est absurdum. Superioris enim authoritate, nempè Apostoli, impositio manuum facta est, qua certè potestas Apostolica ipsi Timotheo ab Apostolo collata fuit.

Nescio vnde D. Beza habuerit Presbyterij nomine impositionem manuum fieri debere. Id certè ex hoc loco quem citat, minimè demonstratur. Si nullum aliud habet argumentum, nimis caduco nititur eius sententia fundamento. Ecclesias, hoc est, populum ipsum, & Presbyterorum Collegia coniunctim & separatim, sibi raros quosdam virtute & eruditione viros, in Presbyteros ordinari postulâsse, lego: fuisse autem ordinatos, aut nomine populi, aut nomine Presbyterij, in nullo veterum Theologorum inueni. Quanuis enim omnes cuiusuis gradus Pastores sint Ecclesiarũ ministri: omnia tamen quæ ab ipsis in Ecclesia fiunt, nomine & authoritate Domini nostri Iesu Christi, non Ecclesiæ, neque Presbyterij, faciunt, Quòd Dei verbum docent, quòd Sacramenta ministrant, quódque ab illis indignos arcent, quòd denique soluunt & ligant, omnia (inquam) hæc nomine & authoritate Dei agunt, non Ecclesiæ, aut Presbyterij. Quomodò autem ordinatio manuúmque impositio authoritate fiat Presbyterij, opus habet maiore disquisitione.

Quod

Quod Timotheum attinet, certum est ab Apostolo præmoneri, ne cui citò manus imponeret: quæ admonitio superflua tunc fuerit, si non authoritate propria, sed Presbyterij, manus imponebat. Veruntamen ne nullam videar Presbyterij facere authoritatem, partes Presbyterorum fuisse non nego, videre cum Episcopo, quinam essent ad presbyteratum idonei, mores & vitam eorum explorare, doctrinæ & eruditionis testimonium dare eis, & accipere de eis, qui ad functionem Presbyterij vocabantur. Sed hæc constituisse Presbyterum, nisi Episcopi ordinatio accessisset, apud veteres Theologos non legi. Nostri seculi scriptores nihil me mouent, nisi suos authores proferant, aut verbum Dei.

D. Beza.

Eiusdem autem Epiphanij hæ sunt rationes. Episcopi (inquit) generant Patres Ecclesiæ, Presbyteri verò filios: quoniam videlicet Episcopi Presbyteros, non Presbyteri Episcopos ordinabant. Sed quid hoc aliud est, quàm principium petere in disputando. Excipi enim potest, ac etiam debet, ius illud arrogâsse sibi Episcopos præter Dei verbum, & falsum esse Canonem illum, qui de hac re Apostolis tribuitur.

Had. Saravia.

Epiphanij verba hæc sunt. *Episcoporum ordo Patrum generator est, Patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum verò non potens generare Patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen Patres & Doctores. Et quomodo possibile erat Presbyterum constituere non habentem ius imponendi manus, ad ordinandum, aut dicere ipsum aqualem esse Episcopo?* Hoc Epiphanij argumentum petitionem esse principij D. Beza arbitratur: quòd ad fidem faciendam adhibeatur id de quo erat controuersia. Aiebat enim Aërius nullum esse discrimen inter Presbyterum & Episcopum, & eos esse pares. Hanc adsertionem oppugnat Epiphanius, & erroris arguit, ab effectis & actionibus proprijs Episcopo: & adsumit quod tunc apud omnes orthodoxos indubitatum erat: nempè solos Episcopos ius habere creandi Presbyteros; quo constituto, rectè concludit, Episcopos Presbyteris esse maiores. Hic nulla meo iudicio est petitio principij. Quanuis enim Aërius si in proposito pergeret, negaturus fuerit, ad solos Episcopos impositionem manuum Presbyterij pertinere, non indè efficitur petitionem esse principij: sed veram esse demonstrationem inæqualitatis inter Presbyterum & Episcopum. Ad solos pertinere Episcopos ius ordinandi Presbyteros, tunc temporis adeò firmum & certum erat, vt qui negâsset, ipsum verbum Dei, & catholicæ doctrinæ veritatem negare visus esset. Patrum rationes fuerunt huiusmodi, vt nemo sanus eas contemnere debeat. Prima hæc est. Presbyteros in nouo Testamento nusquàm legi ordinatos nisi ab ijs qui Apostolicum habuerunt donum, quales fuerunt ipsi Apostoli, & qui ab eis Apostolica potestate erant donati, vt Titus & Timotheus. Altera erat perpetuus omnium Ecclesiarum vsus, contra quem, nullum proferri poterat contrarium exemplum. Hæc duo ærea propugnacula tunc erant Aërio debellanda: vt nunc sunt omnibus ijs, qui cum Aërio sentiunt.

Excipi (inquit D. Beza) *potest, ac etiam debet, ius illud arrogâsse sibi Episcopos, præter Dei verbum.* Doleo (ita me Deus amet,) & deploro, à tanto viro tam leuitèr vniuersos damnari Patres. Hieronymus, cuius testimonio vnicè nititur D. Beza, Episcopos omni suspicione liberat, quandò ait *non arrogantia aut vsurpatione factum, sed vniuersali decreto, vt eligeretur vnus de Presbyteris, qui cæteris superponeretur, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret.* Quo autem verbo Dei fretus audeat D. Beza vsurpationis vel arrogantiæ damnare Episcopos, statim videbimus. De Canone, quem ait esse falsum, videndum est quid sit. Canon extat secundus eorum qui circumferuntur sub nomine Apostolorum, qui iubet Presbyterum ab vno Episcopo ordinari. Quanuis titulus & inscriptio Canonum falsa sit, non sequitur ideò falsos esse Canones, quos constat esse vetustissimos. Hunc verò quem tanquàm falsum reijcit, perpetuò & vbique obseruauit Ecclesia. Cur obsecro hodiè nobis displicet? Quem contrarium Canonem, aut quod ex tota antiquitate testimonium proferre poterit, quo doceat ad cœtum Presbyterorum pertinere Presbyteri ordinationem: eamq; sibi præter verbum Dei arrogâsse Episcopos?

A presbyterio fieri debere impositionem manuum, quòd D. Beza se demonstrâsse putat in ordinatione Timothei, fallitur. Locum suprà excussimus, & ex doctissimorum theologorum sententia docuimus, vocem *presbyterium* illic accipi, pro ipso presbyteratu. Et quod impositionem manuum attinet, illam fuisse Apostoli Pauli, non Collegij Presbyterorum, sextus vers. primi cap. posterioris Epist. ad Tim. apertè testatur. Si in creatione Presbyterorum, solæ partes aut præcipuæ fuissent Collegij Presbyterorum imponere manus, non ipsius ordinantis Episcopi, siuè Apostolus ille fuerit, siuè Euangelista, qualis erat Tim. (quem Episcopum dicimus;) in secundæ suæ epist. ad Tim. primo capite, Paulus non dixisset: Per impositionem manuum mearum, sed Presbyterorum. Qui certè locus ambiguitatem tollit 14. vers. 4. cap. prioris Epist. Idem docetur eiusdem Epist. cap. 5. vers. 22. vbi Timotheus prohibetur cuiquam citò manus imponere, nè fieret alienorum peccatorum particeps. Vanum hoc præceptum esset, si præcipuæ partes in creatione Ministrorum Ecclesiæ fuêrunt Presbyterij.

Non ignoro regulas Ecclesiasticas velle, Presbyteros, qui adstant Episcopo creanti Presbyterum, simul cum eo manus nouo Presbytero imponere. Sed id nulla necessitate, sed consensus tantùm testificandi gratiâ fit. Sunt plures impositionis manuum causæ. Paulo & Barnabæ in Act. cap. 13. impositas fuisse manus legimus ab alijs Prophetis, & Christi seruis, qui erant Antiochiæ. Quæ manuum impositio non fuit ordinantium, sed benè precantium. In Presbyteris verò, ei, qui in ipsorum adsumitur ordinem, impositio manuum est benè precantium signum, quod in Episcopo est ordinantis. Ita senserunt qui ante nos fuêrunt, nec causam video cur ab eis dissentire debeamus.

D. Beza.

Deindè quùm præcipuum Ecclesiasticarum functionum fundamentum sit electio, quæ ab ipsius cœtus suffragijs pendebat, non autem à manuum impositione, quæ certè Episcopos non creabat, sed creatos in possessionem mittebat, rectiùs dixerimus cum Apostolo, à Spiritu sancto, ipsorum filiorum suffragijs, creari Patres, quàm ab Episcopis.

Had. Saravia.

Quæ D. Beza de electione adfert non satis intelligo: mentẽ quidem ipsius video, sed partes orationis nequeo componere, vt cohærere videantur. Fundamentum functionum Ecclesiasticarum facit electionem, non impositionem manuum: & rectè quidem. Neminem enim noui qui impositionem manuum dixerit esse fundamentum functionis Ecclesiasticæ. Sed quomodò in possessionem creatos mittat, non adsequor: quasi per electionem creetur Presbyter, aut Episcopus, & non per manus impositionem. Non autem per electionem creari Presbyterum vel Episcopum, indè apparet, quòd examen morum & doctrinæ sequi debeat: & ipsa electio facta ab inferioribus nulla sit, nisi confirmetur ab eo cuius interest. Multa in electionibus interuenire possunt vitia, quæ nullas & inutiles eas reddunt. Quarè sicut admitto electionem esse fundamentum functionum Ecclesiasticarum, ita etiam nego esse creationem, quam subsequi oportet. Vt in rebus externis videmus sæpè iacta esse fundamenta, quibus nihil superstructum fuit; ità multorum factæ sunt & fieri possunt electiones, quibus nihil effectum est.

In Imperatorum & Regum electionibus, ab ijs qui illud ius habent, factis, verum est quod ait D. Beza: quia nemo est cui electores rationem reddere electionis teneantur, quique iure illam inualidam reddere possit. Illorum electio Regis, vera quædam est creatio: ita vt electus statim ab ipsa electione consequatur omnia regni iura. Quæ postea sequuntur solemnitates, nempe inaugurationes, iuramenta, stipulationes, & coronationes, parerga quædã sunt: quibus omnibus officia mutua inter Regem & populum declaranrur. Ad quæ tamen nihilominus anteà æquè tenebantur tam populus quàm ipse Rex, sicut posteaquam illa celebrata sunt. Papa sibi suis legibus omnia iura Papalia tribuit, statim ab ipso electionis tempore: quia superiorem ipse & electores Cardinales neminem agnoscunt, qui de electione & electo iudicare possit. Sed fuit tempus quandò ad electionem Papæ, Imperatoris requirebatur adsensus. Tunc se pro Papa vel Romano Episcopo gerere non poterat electus, antequàm electionem probâsset Imperator.

Ecclesiæ

Ecclesiæ ministerium donum est Sp. sancti: quod Deus aut per se confert hominibus, aut per homines. Duodecim Apostolos, & Paulum cum 70. illis discipulis, & quotquot per reuelationem prophetas Deus excitauit, ipse nullo intercedente homine seruos suos fecit. Cùm autem ministerio hominum vtitur, aliæ sunt partes eligentium, aliæ ordinantium. Nihil confert electio, nisi accedat ordinatio eius, cui ab Ecclesia ordinandi potestas concredita est. In electione septem virorum, quos mensis præfecerunt Apostoli, distincta fuit ordinatio ab electione. Multitudini quidem Apostoli electionem commiserunt, sed ordinationem vel constitutionem sibi reseruârunt. Quùm prudenti iudicio discreta Patres esse voluerint, nos illa miscere non conuenit. Alia est actio eligentis, alia creantis Presbyterum. Electio contra electi voluntatem accedere potest: in creatione vtriusque voluntatem adesse oportet.

Ordinatio autem est consecratio, vel sanctificatio hominis ad Dei & Domini nostri Ecclesiæ ministerium: in qua per impositionem manuum eorum, quibus talis actio competit, re ipsa actu potestas docendi, & sacramenta ministrandi traditur. In hac actione de fidelitate stipulatio, & solennis promissio intercedunt. Quorum quùm nihil in electione fiat, eâ creari Presbyteros non rectè meo iudicio dicitur. Nam hæc est causa ob quam Apostolus Timotheum prohibet, ne cui citò manus imponeret. Eligi vir malus potest, aut qui nolit fieri Presbyter: sed admittere sanctus Antistes neminem debet, qui ad ministerium Ecclesiasticum idoneus non est. Est igitur manus impositio potestatis Ecclesiasticæ realis traditio, & ministri ad sacram functionem consecratio. Leuitici sacerdotes suæ stirpis iure electi erant, sed non creati. Consecrationem solennem accedere oportuit eis, qui sacerdotio functuri erant. Cui rei multa intercedere poterant, quibus in Leuitas & sacerdotes consecrari impediebantur. Quantumuis quis sit à plebe expetitus, aut à patrono præsentatus, nec eum ordinare, nec Ecclesiæ curam ei committere tenetur Episcopus, nisi sit ad Ecclesiæ ministerium, qui electus est, idoneus. Vndè diuersas & distinctas esse actiones apparet. Sed cùm iurisdictionis & potestatis Ecclesiæ actus sit ordinatio, non potest exerceri ab eis, qui illam non habebant in Ecclesia potestatem. Eam autem non habebant presbyteri, nec vnquàm habuisse demonstrari vllo exemplo poterat. Quid restabat igitur quàm vt Epiphanius concluderet, Episcopum ordinandi Presbyteros potestate, suis Presbyteris esse maiorem?

D. Beza.

Tertia eius est ratio, qua citatum ex Paulo locum ad Philip. 1. cap. 1. vers. eludit, quòd nascente Ecclesia sic non potuerint ab initio vbique Episcopi constitui, sicut apparet ex Diaconorum electione. Sed quid hoc ad rem?

Had. Saravia.

PLurimùm certè. Neophyti non erant constituendi: tempore erat opus explorandis ingenijs. Vnus illa ætate adolescens Timotheus est inuentus honore presbyterij dignus: sed μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Subitò Paulus à baptismo factus est Apostolus: sed indè non est capiendum exemplum: nec ex singulari facto est constituenda lex. Est deforme in Christi Ecclesia cuiquam nomen & munus imponi, cuius ætas non est capax; & νεώτερον vocari πρεσβύτερον: & senioris nomen & functionem gerere, cuius genas prima nondum vestiuit lanugo.

Rara fuit auis Timotheus. Cui similem si quandò Deus dederit Ecclesiæ, vrgeátque necessitas, nec maturum ætatis tempus possit expectari, valeant Timothei priuilegia, modò in legem & consuetudinem non abeant. Scio allegari solere, ex 4. cap. lib. Sapientiæ: *Senectutem venerabilem esse, non diuturnam, neque annorum numero computatam, &c. & ætatem senectutis esse vitam immaculatam.* Sed quid hoc ad rem? Nihil author ille aliud significare voluit, quàm in sene non tam annorum numerum esse spectandum quàm vitæ præteritæ innocentiam, & rerum experientiâ. Quæ vbi in sene desunt, nulla est senectutis laus, nullum longæ vitæ pretium. Nunquam authoris mens fuit, vt senectutis honor deferatur passim adolescentulis, qui nuper tantùm excesserint ex ephebis, & vitæ cum laude institutæ nullum adhùc habere possunt testimonium, sicùt nec rerum vsum. Eam respexit ætatem, quam Paulus in Epist. ad Tim. notauit: in qua etsi anni nondùm adsint, qui senectutem adferunt, tamen in vita præterita sunt ea, quæ senectutis merentur laudem.

Quanuis annos in nouo Testamento nullos habeamus Ecclesiæ ministerio definitos, ratio annorum in veteri Testamento à Deo constituta manet. Sed Paulus non tantùm neophytos censet, qui ætate iuuenes adhùc sunt, sed nuper ad fidem conuersos, quicúnque illi essent, siuè Græci, siuè Iudæi: quos propter causas, quas subijcit, ad Ecclesiæ ministerium vocari prohibet: de quibus nunc nihil dicam. Quod de adolescentibus notaui, factum à me temerè, nolim quempiam æstimare. Grauiter in ea re passim peccari video, cum magno ministerij Euangelici probro.

Sed vt ad D. Bezam redeam, qui ad rem nihil pertinere iudicat, quòd initio non potuerint eligi vbique Episcopi: lectorem scire velim, Ambrosium, & alios plures cum Epiphanio in eadem fuisse sententia, & apertè fateri prima Ecclesiæ initia, non per omnia conuenire ordini, qui posteà in Ecclesijs constitutus fuit. Si potuissent statim initio creari Presbyteri & Episcopi, cur relinquitur in Creta Titus, & in Asia Timotheus? Tres annos Ephesi & in Asia plantauerat Ecclesias docendo Euangelium Apostolus, nec tamen ibi omnibus Ecclesijs Presbyteros dederat: quod proculdubiò ab eo factum esset, si idoneos vbique inuenisset ad eam functionem homines. In quem finem Timotheum in Asia, & in Creta Titum remanere voluerit, Epistolæ testantur. Si vbique Presbyteros Apostolus creâsset, illa cura nec Tito, nec Timotheo mandata fuissent.

D. Beza.

ET cui persuaserit Epiphanius sola hominum idoneorum inopiâ factum, vt in omnibus Ecclesijs non plures essent Episcopi? Quod enim de solis Alexandrinis non modò Hieronymus, sed idem Epiphanius aduersùs Miletianos his verbis testatur: τὸ γὰρ ἀπὸ τοῦ Μάρκου ἕως Ἡρακλᾶ καὶ Δημητρίου δύο μόνους ἰσχύειν, ἀπὸ δὲ τοῦ νῦν καὶ ἄλλους πόλεις. Quo iudicio sit factum ab Alexandrinis, ac cur non potiùs aliarum Ecclesiarum exemplum secuti non sint, ipsi viderint.

Had. Saravia.

TRansilit D. Beza scrobes, quandò à primis Ecclesiæ temporibus, ad tempora Epiphanij transcurrit. Nusquàm enim (quod sciam) sola hominum idoneorũ inopia factum Epiphanius aut Hyeronymus scripsit, vt in omnibus suæ ætatis Ecclesijs, non plures essent Episcopi. Prima Ecclesiarum tempora Epiphanius respexit. Nam perquam rarum fuit, vt duo essent in vna Ecclesia Episcopi, & tantùm extra ordinem id fuit concessum, quandò senio aut diuturno morbo, fungi suo munere non poterat Episcopus: sicut pluribus exemplis in meo tractatu de diuersis Ministrorum gradibus docui, nec D. Beza in sua responsione confutare potuit. Dicta scriptorum ex causis dicendi interpretanda sunt.

Epiphanius aduersùs Miletianos causam narrat cur Athanasius proximè non successerit in Episcopatu Alexandro, sed Theonas quidam; quùm tamen Alexandrinæ Ecclesiæ mos non admittebat, vt Episcopus sibi collegam adsumeret, qui ei succederet, sicut nonnullæ aliæ Ecclesiæ factitabant. Sed quàm hoc fuerit insolens & contra Ecclesiarum receptum morem, non hic repetam. Ego vehementer miror, D. Bezam ita scribere audere, & docere. Quo iudicio sit factum ab Alexandrinis, & cur non potiùs aliarum Ecclesiarum exemplum secuti non sint, ipsi viderint: acsi aliæ Ecclesiæ passim duos habuissent Episcopos: quod est falsissimum.

D. Beza.

DEnique hunc Episcopatum, quo qui fungitur, non ordine primus inter pares compresbyteros, sed gradu superior sit, & qui sit vnicus in sua diœcesi, non esse ex Dei verbo, sed ex consuetudine institutum, apertè inter Patres testatur Hieronymus, vt est iampridem ab aliis pluribus annotatum.

Had. Saravia.

SI pondus Hieronymi authoritas aliquod apud D. Bezam haberet, nunquàm Episcopalis gradus abolendi cuiquam author fuisset. Quid ab alijs fuerit ad notatum, non me latet; sed non tam quid Hieronymus dixerit, est expendendum, quàm quibus rationibus & argumentis, ex Dei verbo desumptis, inductus fuerit. Quippè qui nec cum verbo Dei, nec cum alijs Patribus, nec ipse sibi secum in hac re constet. Consuetudinem hanc à temporibus Apostolorum incepisse tradit: & eam inter Apostolicas traditiones numerat. Dicit enim *quòd à Marco Euangelista vsque ad Heraclam*

raclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. Atquì Marcum Euangelistam, non alterum illum Iohannem Marcum sectatorem Barnabæ & Pauli, sed Petri discipulum, temporibus ipsorum Apostolorum Alexandrinæ Ecclesiæ præsedisse, & anno Neronis imperij octauo, ex hac vita migrâsse, in Catalog. Script. Ecclesiast. Hieronymus author est: vt hæc consuetudo alios authores quàm Apostolos habere non potuerit. Et ad Nepotianum scribit: *quod Aaron & filios eius, hoc Episcopum & Presbyteros esse nouerimus. Vnus Dominus, vnum templum, vnum sit etiam ministerium.* Et ad Marcellum aduersùs Montanum scribit: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent: apud eos Episcopus tertius est.* Episcopos autem Hieronymus non vno in loco fatetur esse Apostolorum successores. Et ad Heliodorum de Episcopis ita habet. *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium, nè fortè veniat Angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moueat.* Idem alio loco: *Ecclesiæ salus* (inquit) *in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata quot sacerdotes* Quomodò hæc vera queant esse, si sola consuetudine, sine vlla Domini aut Apostolorum traditione in Ecclesiam Episcopi irrepserunt, relinquo cuiuis considerandum. Ecclesiæ salus pendere non potest ab humana inuentione. Meliùs Deus Ecclesiæ prospexit, quàm vt fulciri debuerit tam fragili fundamento. Hoc quod fuerunt Aaron, & filij eius in populo Dei, esse non possunt Episcopi in Ecclesia Dei sine diuina institutione. Apostolorum successores Episcopos facere non potuit consuetudo, sine diuina institutione. Stare in loco Pauli & tenere gradum Petri nemo potest, qui legitimè & ex diuina institutione Petro & Paulo non successit. Traditiones Apostolicæ ex sola consuetudine natæ dici non possunt.

D. Beza.

Sic enim ille ad Euagrium. *Apostolus* (inquit) *perspicuè docet eosdem esse Presbyteros & Episcopos. Quæris authoritatem? Audi testimonium. Philip. 1. 1. Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Quòd autem vnus pòst electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis factum est remedium, nè vnusquisque ad se trahens Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista ad Heraclam vsque & Dionysium Episcopos, Presbyteri vnum semper ex se electum in celsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.*

Had. Saravia.

IN Epist. ad Euagrium Hieronymus disputat aduersùs illos qui aiebant diaconum esse maiorem Presbytero. De Episcopo nulla erat controuersia quìn Diaconis esset superior. Vt igitur errorem conuincat, Presbyteros æquat Episcopis: & multis testimonijs probat eosdem vocari Presbyteros & Episcopos. Vndè certè concludi, eundem ordinem & idem esse ministerium, non negamus: sed non in eodem ministerio inter Presbyteros & Episcopos eundem in gubernatione gradum, quæ nostra est controuersia.

Primò Hieronymus in Presbyterorum numero Timotheum collocat: quòd Paulus ad eum scripsit. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est prophetiæ per impositionem manuũ presbyterij.* Deindè & ipsos Apostolos inter Presbyteros recenset, allegátq; Epistolas Petri, & Iohannis, quòd Petrus in 1. Epist. dicat: *Presbyteros in vobis precor cõpresbyter, & testis passionum Christi, &c.* Et Iohannes Euangelista in epist. 2. scribit: *Presbyter electæ Dominæ & filijs eius, quos ego diligo in veritate.* Et in 3. Epist. *Presbyter Caio charissimo, quem ego diligo in veritate.* His testimonijs fidenter aio, nihil doceri aliud quàm Presbyteri nomen esse commune omnibus Ecclesiæ Christi Pastoribus, ratione communis ministerij, cuiuscúnque gradus illi sunt: sed illud gradum non tollere, manifestum est: quia omnes illi qui Presbyteri fuisse docentur, fuerunt alij Apostoli, alij Prophetæ, alij Euangelistæ, alij Pastores & Doctores: quos nemo sanus negabit gradibus fuisse distinctos.

Fuisse Presbyterum & Episcopum Tiimotheum, per impositionem manuum creatum, demonstraui: at eundem authoritate cæteris Presbyteris Ephesinis superiorem fuisse concessum est: ipsi autem, sicut nec Apostolis, cùm gradus superior adimi non possit istis rationibus, miror quomodò cæteri Presbyteri & Episcopi, qui inter compresbyteros & coepiscopos authoritatis gradu, in eodem ministerio excellebant, in ordinem cogi intelligantur. Prætereà quomodo potuit sub Apostolis recipi vniuersaliter consuetudo

suetudo in Ecclesia, contraria Dominicæ institutioni? Nam in Alexandria non vnus quispiam Presbyterorum ordine primus, sed gradu superior constitutus fuit Episcopus, *quomodo si exercitus imperatorem faciat*. Marcum non inferioris in Ecclesia Alexandrina fuisse potestatis, quàm erat Timotheus in Ephesina, negabit nemo: qui verò eum sequutus est, & ex Presbyteris fuit electus, illam eandem retinuit potestatem viuentibus adhûc Apostolis.

Quæro nunc à Hieronymo aut ipsius defensore, quandò in Alexandrina Ecclesia Presbyteri sine huiusmodi Episcopo, in commune Ecclesiam gubernârint? Idem quæro de omnibus cæteris Ecclesijs, quarum habemus origines & Episcoporum successiones. Marcus Alexandrinæ Ecclesiæ primus fuit Episcopus. Qui seniores ante eum secundùm Domini institutionem, & non secundùm consuetudinem, quæ secuta creditur, in commune illam rexerunt Ecclesiam, vt Hieronymus verè dicere poterit: *Quòd autem vnus post electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis factum est remedium, &c?* Dicam quod sentio.

In commune gubernatas à Presbyteris aliquandò fuisse Ecclesias, audiuisse potuit à maioribus Hieronymus: sed quandiù hoc regiminis genus durauerit, & qui fuerint illi Presbyteri, vlterius non inquisiuit. Primi Presbyteri & Episcopi Ecclesiarum, qui eas in commune gubernârunt, fuêrunt ipsimet Apostoli, cum Euangelistis, & Prophetis, cæterisque adiutoribus, quos adsumebant, tantisper dùm fundabantur Ecclesiæ. Illis autem iam benè formatis, singulis singulos præfecerunt Ecclesijs Episcopos, cum Presbyteris pluribus aut paucioribus, prout multitudo fidelium postulabat. Cuius certum testimonium nobis exhibent Iohannis Apocalypsis, & Episcoporum census qui præfuêrunt Ecclesijs, ductus ab ipsis Apostolis, vsque ad tempora Patrum, qui eum in suis libris inseruerunt. In qua serie vnus vbiq; vni, non pluribus vnus, vel vni plures successisse memorantur.

Postremò, argumentando Hieronymus quærit, *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Qua interrogatione fatetur ordinationem esse propriam Episcopis, quam quùm Presbyteris non vendicet, eâ saltem fatetur Hieronymus Episcopos Presbyteris esse maiores. Sed quid? Quùm hanc consuetudinem inter Apostolicas traditiones constituat Hieronymus: quid dicemus? His enim verbis suam ad Euagrium claudit Epistolam: *Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron, & filii eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.* Hic mihi Hieronymus præuaricari videtur. Siquidem Episcopos & Presbyteros & Diaconos in Ecclesia sibi vendicare quod Aaron & filij eius atque Leuitæ fuerunt in veteri Testamẽto, ad traditiones referendum est Apostolicas, quomodò consuetudini id tribuitur, potiùs quàm Dominicæ institutioni? An quicquam tradidisse Apostolos Ecclesijs verisimile est, quod à Domino non acceperint? Nisi fortè quis dicat hos gradus inter Ecclesiarum ministros esse ex eorum genere de quibus Apostolus dixisset: *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus.* Sed ipse Hieronymus id responderi non patitur, qui consuetudinem opponit Dominicæ institutioni. Deindè Timothei creatio in Presbyterum cum prophetia, ita sentire vetat. Postremò, quùm varia in Ecclesiæ corpore officia Sp. sancti sint dona, illa dici non possunt humani arbitrij esse consilia. Quidquid igitur in hac re ab Apostolis fuit factitatum, à Domino debet intelligi institutum.

Verùm hoc mihi prætereundum non est, quod ait Hieronymus, *Presbyteros semper vnum ex se elegisse*; cùm præteritis collegis, sæpe à Presbyteris vel Diaconum vel etiam Laicum electos fuisse Episcopos memoriæ proditum sit. Ignatio in Antiochia successit ipsius Diaconus Heros: & in Ecclesia Alexandrina, Athanasius Diaconus Archiepiscopus factus est. Ex his omnibus colligat lector, quantum hic locus ex Hieronymo à D. Beza citatus valeat ad confirmationem nouæ huius opinionis.

D. Beza.

IDem in Epist. ad Tit. *Idem est Presbyter qui Episcopus, & antequàm Diaboli instinctu studia in religione fierent, & dicebatur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ. 1. Cor. 1. 3. communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquàm verò vnusquisque quos baptizauerat suos esse, non Christi putabat, in*

toto

toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus, cæteris superponeretur, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, vt schismatum semina tollerentur. Vt ergò Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine Episcopo sibi præposito subiectos esse: ita Episcopi nouerint se consuetudine magis quàm Dominicæ dispositionis veritate, Presbyteris esse maiores.

HAD. SARAVIA.

RESponsionem facilem ad hæc quæ ex commentarijs Hieronymi citantur, reddit superior disputatio. Tantummodò candidi lectoris defæcatum postulo iudicium. Vide, quod consuetudine irrepsisse in Ecclesiam, non institutione Domini, Hieronymus docere debuit, ab vniuersali decreto ait manâsse. Quæ duo quomodo sibi constent, iudicet æquus lector. Consuetudo ius quoddam est moribus introductum. Decretum est constitutio quædam, eius, aut eorum, penès quos est imperandi potestas. Consuetudo præter multitudinis consensum, & temporis diuturnitatem, nihil allegare potest. Decreta certos suos authores habent, quibus parendum est. Consuetudines, inter non scriptas leges numerantur. Decretorum ius scriptum est: vt hoc modo cuiuis ratiocinari liceat. Si consuetudine Episcopalis gradus introductus est, nullo igitur decreto: sin decreto, non consuetudine. Nisi fortè quis vtrúmque simùl coniungat, & dicat, decreto accessisse consuetudinem, aut consuetudinem fuisse confirmatam decreto. Prius illud locum habet, quandò perit decretorum memoria, simul & authorum, remanstque sola quæ ab eis consuetudo est nata. Alterum fit contra eos qui violare consuetudinis ius audent. Sed locum in hac disputatione nihil horum habet, in qua, prima Episcopalis excellentiæ supra Presbyteros causa quæritur. Agedùm vtrumque examinemus.

Hæc consuetudo aliquod initium habuit. Aut enim nata est cum Ecclesijs, aut Ecclesijs iam constitutis. Si simùl cum Ecclesijs cœpit, falsum illud erit quod adfirmatur de communi plurium Presbyterorum regimine: sin iam constitutis Ecclesijs, & à pluribus Presbyteris gubernari consuetis, mutatio facta est: id aut ambitione vnius efferentis se supra Collegas accidit, aut consensu & electione communi totius Collegij: Hieronymus non Episcoporum ambitioni, sed communi consensui Presbyterorum, constitutionem vnius Episcopi adscribit.

Verùm vlteriùs inquirendum est, nùm Presbyteri in excelsiori gradu collocârint Episcopum, contra aliquam Domini institutionem, qua Presbyteri in commune iubebantur gubernare Ecclesiam: an quùm nullum haberent definitum præceptum de hac re, quod melius & vtilius iudicârunt esse Ecclesijs, constituerint? Deindè, quo tempore illud decretum fuerit toto orbe factum, & quibus authoribus? Hieronymus decretum vel consuetudinem nobis proponere videtur alienam à Dominicæ institutionis veritate. Vndè satis apparet, quæ sit eius opinio si sibi constet. Ego nihil potuisse ab Apostolis constitui firmiter credo, quod esset à diuina institutione alienum. Si à Marco in Alexandria hæc consuetudo incepit & tunc *toto orbe decretum factum est, quando quisq; quos baptizabat suos esse putabat, & Diaboli instinctu studia in religione fiebant, vt diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*; certè temporibus Apostolorum id euenerit, oportet, eósque habuerit authores. Et qui sumus nos qui totius orbis decretum ab Apostolis factum, & sub eorum regimine receptum, reformationis nomine audemus conuellere? Illis temporibus Euodius Ecclesiæ Antiochiæ præfuit, cui Ignatius successit: & Anianus Alexandriæ Marco. In Asia septem Ecclesiæ septem habuêre Episcopos. Et in Hierosolymitana Ecclesia Iacobus frater Domini successorẽ habuit Simonem Cleophæ. Si cæteras inspiciamus Ecclesias, ab vno successio vbiq; capiet initium: vt verius nihil sit, quàm Apostolos fuisse authores huius ordinis. Commentum de primo ordine inter Presbyteros, qui moderator actionum Collegij sit, nulla neque authoritate, neque gradu, collegis superior, refellitur. Si D. Beza Hieronymo fidem habet, qui apertè testatur, electum Episcopum in celsiori gradu collocatum, & cæteris Presbyteris fuisse superpositum, ad quem omnis cura Ecclesiæ pertineret, concidit nouus iste ordinis primatus, & is qui est authoritatis gradus eminentioris constituitur.

Quid nunc de hac consuetudine & decreto, quæ Dominicæ dispositionis veritati opponuntur, dicemus? Fierinè potuit vt ætate Apostolorum, per vniuersum orbem dispersis Ecclesijs, vt quæ in Oriente apud Indos, aut in Meridie apud Aethiopas degebant,

quid

quid in Occidente, aut in Asia ageretur, ignorarent, huiusmodi aliquod decretum æderetur, vel eadem consuetudo contraria Dominicæ dispositionis veritati, tacentibus aut conniuentibus, si non authoribus irrepserit Apostolis? Mihi profectò nihil absurdius dici posse videtur. Ex totius mundi vniuersitate, totáque antiquitate, si saltem vnum exemplum proferri posset huius nouæ gubernationis Ecclesiasticæ formæ, quæ tamen creditur instituta iuxta Dominicæ institutionis veritatem, aliquid esset, & excusationem aliquam haberet nouitas. Itaq; quicquid in hac re tunc factum est, & vsitatum fuit, & ab illis temporibus per orbem vniuersum ab omnibus Ecclesijs receptum est, Apostolicum, Catholicum, & diuinum totum fuisse iudico: & pessimo exemplo cum magna omnium Christianorum offensione, & Ecclesiæ perturbatione, mutari & abrogari, quod tantæ antiquitati, & tam vniuersali omnium Ecclesiarum consensu innititur.

D. Beza.

Sed & Augustinus epist. 19. secundùm vocabula (inquit) quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior est.

Had. Saravia.

Hæc Augustini verba de vocabulorum vsu, qui tunc erat, & obtinuerat in Ecclesia, sunt intelligenda: non de re, quæ inter nos controuertitur. Nam cogitemus promiscua mansisse Presbyteri & Episcopi nomina Pastoribus Ecclesiarũ; nùm ideò sublata intelligitur graduum differentia? Potest enim sub communibus vocabulis remanere inæqualitas potestatis, & primi Presbyteri nomen honorificentius esse, quàm est Episcopi. Gandaui Scabini eliguntur qui ciuitatem regant, & ciuibus ius dicant. Is qui Consulis inter eos personam sustinet, nullo discreto à Collegis vocabulo discernitur, sed tantùm primus Scabinus nuncupatur. Ipsius interìm nihilo minor est authoritas, quàm si vocaretur aut Burgimagister, aut Maior, aut Consul: vt alijs in vrbibus solent, qui eundem dignitatis locum tenent. Ex Epistola satis apparet, Hieronymo Presbytero, qui se suspicabatur à minore se Episcopo contemni, Augustinum respondere, qui non ignorabat quam de seipso opinionem Hieronymus haberet. Sed omnium Ecclesiarum vsus & consuetudo, decretumuè, meo iudicio, malè diuinæ institutioni opponitur. Nihil mihi in verbis Hieronymi displiceret, si consuetudinem Ecclesiæ vniuersalem non opposuisset diuinæ institutionis veritati. Non enim puto vsum vniuersalem omnium locorum & temporum Ecclesiarum, dissentire posse ab institutis diuinis.

Sed de Episcopis quæ sit Augustini sententia, audiamus. *Nemo ignorat Episcopos Saluatorem instituisse* (inquit:) *Ipse enim priusquàm in cœlos ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinauit eos Episcopos, &c.* Hic videmus quomodò ex ordinatione Apostolorum, probet Augustinus ordinationem Episcoporum: quia idem est ordo, & tantùm amplitudine prouinciæ distinctus hic ab illo est. Idem Aug. exponens vers. Psal. 44. *Pro Patribus nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Quid est, pro Patribus nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli. Pro Apostolis filij nati sunt tibi; constituti sunt Episcopi: Hodiè enim Episcopi qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat; ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides eos per quos nata es: de plebe tua tibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Hæc Augustinus. Ipse etiam in libro de hæresibus, inter hæreses hanc Aërij opinionem recenset, quòd differentiam tolleret inter Episcopum & Presbyterum. Ex his quiuis videre potest, quæ sit de Episcopis Aug. sententia.

D. Beza.

Testatur quoque Chrysostomus in epist. 1. ad Tim. 3. Episcopos sola ordinatione (id est, vt loquitur apertiùs Theophylactus) sola consecrationis ceremonia, à Presbyteris differre.

Had. Saravia.

Verba Chrysostomi inserenda iudico, vt sensum eorum meliùs capiamus. Constat enim Chrysostomum magnum fuisse Episcopum: & primò Antiochenæ Ecclesiæ factum

factum fuisse Presbyterum, & posteâ Episcopum vrbis Imperatoriæ, quæ altera Roma dicebatur, & erat. Prouincia per totam Thraciam & vlteriùs latè patebat, quam ipse administrabat, non quiuis Presbyter: vt dementiæ fuerit simillimum, credere Chrysostomum in hac Ecclesiasticæ gubernationis authoritate, æquare quosuis Presbyteros cum Episcopis. De Ministerij parte, quæ in regimine versatur, nostra est controuersia, non autem de reliquis, in quibus pares omnes Presbyteros, cuiuscúnque aliàs sint gradus, esse non diffitemur. Sed ipsum Chrysostomum audiamus loquentem. *Postquàm* (inquit) de *Episcopis Apostolus dixit, eósque formauit, quidnam illos habere conueniat, à quo item abstinere necesse sit dictans, omisso interim Presbyterorum ordine, ad Diaconos transit. Cur id quæso? Quia scilicet inter Episcopum & Presbyterum interest fermè nihil. Quippè & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippè ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantùm plusquam Presbyteri habere videntur.* Hactenùs Chrysostomus: quem D. Beza mihi non satis bona fide citare videtur: qui non tantùm hoc loco, sed alijs pluribus credit, præoccupatus sua opinione, Patres loqui, quod ipse sentit. Chrysostomus dicit apertè sola ordinatione Episcopos esse superiores Presbyteris: atque hoc tantùm plusquàm Presbyteros habere: pro quibus D. Beza habet differre. Deindè vt hoc nihil esse persuadeat, ordinationem interpretatur *consecrationis cæremoniam* authore Theophylacto, cuius verba non refert, nec locum citat. Ego in Theophylacto nusquàm quod ait inuenire potui. Is in hunc locum idem quod Chrysostomus, paulùm mutatis verbis, habet. Est enim Theophylactus Epitomus Chrysostomi. Ipsius hæc verba sunt. *Quæ de Episcopis dixit, ea Presbyteris etiam conueniunt. Nam & ipsis docendi munus, & præfectura Ecclesiæ commissa est, sola electione inferiores.* Hic habemus electione Presbyteros Episcopis esse inferiores: vtrobiq; obscurè nec satis explicatè Græcæ dictionis proprietate reddita.

Græcis Theologis χειροτονία idem significat quod ἐπίθεσις τῶν χειρῶν: pro qua Latini ordinationis vocem vsurpant: quæ consecrationem ad Ecclesiæ ministerium significat, factam impositione manuum Episcopi. Nam quanuis suffragium significat extensione manuum signatum apud prophanos scriptores, Theologis pro ordinatione accipitur actiua: sicut in Act. Apost. 14. cap. 22. vers. videre licet, vbi χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους de Paulo & Barnaba dicitur, qui elegisse suffragijs suis Presbyteros dici non possunt. Itáque χειροτονήσαντες idem significat quod καταστήσαντες, sicut non malè vetus interpres transtulit.

Quòd Erasmus & Theodorus Beza, *Quumq; ipsis per suffragia creâssent Presbyteros*, transtulerunt, nihil me mouet. Nam etiamsi admittam suffragijs Ecclesiæ illos Presbyteros fuisse creatos, id indicari illo vocabulo, Græci Theologi non intellexerunt. Non enim vsquàm inuenitur χειροτονεῖν significare, per suffragia aliorum creare, vt duo intelligantur; quorum alij suffragium ferant, & eligant; alij sic electos creent, & constituant. χειροτονεῖν absolutè significat suffragium ferre, & refertur non ad eos qui præsident electioni, eamq; comprobant, sed ad eos qui suffragio suo eligunt, aut quidpiam scisciunt. Quandò autem refertur ad eos qui in authoritate sunt, & cum accusatiuo personæ passiuæ iungitur, tunc absolutè scisciere, creare, & constituere significat. Demost. Phil. 1. ἐπειδὰν δ' ἐπὶ χειροτονεῖτε τὰς γνώμας ἃ μὲν ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσαντες. Postquàm sententias rogaueritis, ijs quæ vobis placebunt constitutis, non decretis & epistolis, sed factis bellum cum Philippo geretis.

Certissimus interpres harum vocum χειροτονεῖν & χειροτονία est veterum & recentium Theologorũ perpetuus vsus. Patres politicas voces fecerũt Theologicas, & in suis scriptis & decretis eis catachresticως, pro actione illa & potestate vsi sunt, qua Presbyteros & Diaconos Episcopi creant. Quandò Chrysostomus dixit. τὴν γὰρ χειροτονίαν μόνην αὐτῶν ἀναβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους, nihil minùs cogitauit, quàm de Episcopalis consecrationis cæremonia loqui: sed consecrandi Presbyteros potestatem significauit, qua Episcopi præstant Presbyteris. Quam etiam Hieronymus in Epist. ad Euagrium apertè confitetur. *Quid enim* (inquit) *facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat Presbyter?* Hæc est, & semper fuit omnium orthodoxorum sententia, creationem Presbyterorum pertinere ad Episcopos. Qui eam contemnunt, viderint quo iure id faciant. Quod necessitas coegit, & manifesta Romanistarum impietas, lex non est.

D. Beza

D. Beza.

THeodoretus in eundem locum scribens: Eosdem vocabant (inquit) olim Presbyteros & Episcopos, Quod autem addit, eos qui nunc vocantur Episcopi, tunc nominatos fuisse Apostolos, quasi res ipsa iam tunc extaret, sed aliud tantùm nomen esset sortita, idque probare nititur, ex eo quòd Paulus Epaphroditum vocat Philippensium Apostolum, nullius est momenti.

Had. Saravia.

SI vnius Theodoreti hæc esset interpretatio, & illo meliores Authores nobis citaret D. Beza, eam parui quidem momenti, sed non nullius (propter Antiquitatis reuerentiam) dicerem. Qui suam interpretationem aliquid valere desiderat, aliorum ne despiciat. Qua mensura quis alijs mensus fuerit, eâdem remetietur ei. Sed ipsum Theodoretum audiamus: sic quanti momenti eius esse debeat authoritas, melius iudicare poterimus. In 3. cap. prioris ad Tim. ita scribit. *Eosdem olim vocabant Presbyteros, & Episcopos: eos autem qui nunc vocantur Episcopi, nominabant Apostolos. Procedente tempore nomen quidem Apostolatus reliquerunt ijs, qui vere erant Apostoli, Episcopatus autem appellationē imposuerunt iis, qui olim appellabantur Apostoli.* Ita Philippensium Apostolus erat Epaphroditus. *Vestrum enim* (inquit) *Apostolum, & adiutorem necessitatis mea.* Ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus fuerunt Apostoli. Multos eósque graues suæ sententiæ attipulatores Theodoretus habet. Chrysostomus in eundem locum: *Vestrum* (inquit) *vel eum qui vos docuit, vobis mittimus.* Commentarij, qui sub nomine Hieronymi circumferuntur, ita habent: *Quia & ipse acceperat in illis Apostolatus officium.* Et Ambrosius etiam idem scribit de Epaphrodito: *Erat enim eorum Apostolus, ab Apostolo factus, dum illum ad exhortationem eorum mittebat.* D. Caluinus in hunc locum ita scribit: *Præmittit Epaphroditum, ne interim dum rerum suarum certior fiebat, Pastore carerent, qui rectè compositum ordinem tueretur. Multis nominibus Epaphroditum ipsum commendat, quòd sit frater, & adiutor Euangelii, quòd sit commilito suus &c. Nomen autem Apostoli hîc generaliter, vt multis aliis locis, capitur pro quolibet Euangelista, &c. alium quidem sensum, pro legato Philippensium posse accipi. Sed prior sensus* (inquit) *melius meo iudicio conuenit.* Qui Centurias conscripsêre, ex communi Theologorum sententia Epaphroditum Philippensium dicunt Apostolum. Quid opus est pluribus? Sed fortè D. Beza dicet, hæc non arguere eum Philippensium fuisse Episcopum, sed maiorem Episcopo, nempe Euangelistam. Subiungit enim.

D. Beza.

ADiuncta tamen epitheta συνήργον καὶ συστρατιώτην, ostendunt non Episcopum fuisse, hoc Episcopatus genere, sed Euangelistam, nulli videlicet ciuitati, nedum διοικήσει addicti, ex eorum numero quibus vltrò citróque mittendis, suggerente sancto Spiritu, vtebantur Apostoli.

Had. Saravia.

NEgare Epaphroditum fuisse Episcopum D. Beza non audet, sed non hoc genere Episcopatus de quo controuertitur. Pulchrè. Episcopus igitur fuit, & superior illis Episcopis Philippensibus, ad quos remittebatur, à quibus tanquam Euangelista recipiendus erat. Id credo negârit nemo. Sed nulli ciuitati (inquit) nedùm διοικήσει, addictus erat. Hoc igitur inter nos manet controuersum, & mihi probandum esset, nisi superiùs id cumulatè feciſſem. Si cui tamen minùs sit satisfactum, cùm tuear communem omnium Patrum sententiam, aio à D. Beza testimonijs perspicuis contrarium esse euincendum. Bonæ fidei possessor sum, & tanquàm veterem possessionem, aquitam defendo sententiam. Quæro enim ab ipso D. Beza num non potuerit esse addictus Epaphroditus noster, qualis nobis præponitur συνεργὸς & συστρατιώτης Pauli, Euangelistaq; illi vni Philippensium ciuitati, prouinciæque adiacenti, cum illa authoritate, qua Euangelistas credit fuisse præditos? Tota Antiquitas, & quotquot fuêre ante nostram ætatem Theologi, crediderunt id non tantùm potuisse fiêri, sed factum fuisse: & de Marco negari non potest. Quid D. Beza? Negat vtrúnque. Nulla ratione id facit. Cui sanæ mentis probauerit in pluribus prouincijs, officio Euangelistæ potuisse fungi Epaphroditum, non autem Philippis, & adiacenti prouinciæ vel diœcesi? Sin autem concedit, quod negari non potest, creatum Episcopum de quo disputamus, aut creari potuisse, nobis dat. Vtri (candide lector) fidem potiùs adhibere debeas, an neganti Bezæ, an consentienti sibi Antiquitati,

Antiquitati, tuum eſto arbitrium. Timotheum, Titum, Epaphroditum, & Marcum Petri diſcipulum, omnes Eccleſiaſtici ſcriptores crediderunt fuiſſe Epiſcopos: crediderunt (inquam) fuiſſe etiam Presbyteros, & Euangeliſtas, & Apoſtolos. Nec adeò fuêre harum functionum ignari, vt qui diſtarent 12 Apoſtolorum Apoſtolatus ab Epiſcoporum Apoſtolatu ignorauerint, vt hodiè à nobis doceri debeant diſcrimina noua, quæ euertant communia veteribus Theologis axiomata.

D. Beza.

Nicenum quoque Concilium de gradibus Epiſcopatus diſſerens τὰ ἀρχαῖα τῶν profert; qua de re mox dicemus.

Had. Saravia.

VBi eò ventum erit, reſpondebo: & quæ fuerit Patrum mens, luce clariùs (Deo dante) faciam.

D. Beza.

QVòd autem non vno loco Cyprianus Epiſcopos vocat Apoſtolorum ſucceſſores, quorum ſit diuina & ſublimis authoritas, ſi ſic accipiatur, quaſi ex ipſo Dei mandato ſint iſti Epiſcopi in Eccleſia, quo olim Apoſtoli, res ipſa id refellit; quùm Epiſcopis ſingulis certa ſemper fuit portio attributa: Apoſtoli verò etſi non confuſè, tamen per orbem terrarum, prout docebat eos Spiritus ſanctus, miniſterio ſuo ſunt defuncti.

Had. Saravia.

NOn vnus Cyprianus Epiſcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, ſed veteres omnes Theologi (ex quibus non excludo Hieronymum) ſentiunt; quorum communis & conſentiens ſententia maius habet pondus, quàm vt à nobis poſſit aut debeat eleuari. Sicut olim in veteri Teſtamento vnum tantùm fuit ſacerdotium; ità in nouo vnum tantùm eſt Euangelij miniſterium, quocúnque illud cenſeatur nomine, ſiuè Apoſtolatus, ſiuè Epiſcopatus, ſiuè Presbyteratus. Et ex illo ipſo Dei mandato ſunt in Eccleſia Epiſcopi, quo fuerunt olim Apoſtoli. Nam illud Saluatoris noſtri, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis. Eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*; ad Apoſtolatum duodecim Apoſtolorum reſtringi non poteſt: vtpotè qui per ſe non potuerint docere omnes gentes, nec vſque ad finem ſeculi viuere. Ita mandatum illud eſt intelligendum datum fuiſſe Apoſtolis, vt cõprehendantur eorum ſucceſſores & adiutores, quos ſui fecêre, dum adhûc in terris viuebãt, Apoſtolatus participes. Valet enim illud Apoſtoli, & in æternum valebit: *Quomodò prædicabunt niſi mittantur*? Eadem vocatione, qua functus eſt ſacerdotio Aaron, Annas & Caiphas idem ſacerdotium adminiſtrârunt. Et eadem miſſione qua Apoſtoli omnes, tam duodecim quàm ſeptuaginta prædicârunt Euangelium, Titus & Timotheus ſerui fuerunt Domini noſtri Ieſu Chriſti, & omnes ab eo fuerunt miſſi. Hoc diſcrimen inter eos fuit, quòd illi proximè ab ipſo Domino erant miſſi, iſti per homines. Amplior aut ſtrictior legatio, quantitatis & menſuræ diſcrimen habet, non rei, aut naturæ.

Quo autem modo res ipſa refellat Epiſcopos non eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, audiamus. *Epiſcopis* (inquit) *ſingulis certa ſemper fuit portio attributa: Apoſtoli verò, etſi non confuſè, tamen per orbem terrarum prout docebat eos Spiritus ſanctus miniſterio ſuo ſunt defuncti.* Id ſcilicet Patres ignorârunt, nec viderunt illud tantum diſcrimen conſtituere, vt Epiſcopatus Apoſtolatus eſſe nequeat. Tantâ fiduciâ D. Bezã tam leuibus rationibus inductum, quod omnes priſci Patres, omnes deniq; qui floruerunt ante noſtra tempora theologi adfirmârunt, audere negare, ipſi fidẽ, quandò vera dicit, abrogat. Quæ, obſecro, hæc eſt oratio? quid momenti habet ad euertendum cõmunem omniũ Patrum ſententiam? Certa portio ſemper fuit ſingulis Epiſcopis attributa, Apoſtoli verò per orbẽ terrarũ miniſterio ſuo ſunt defuncti: ergò igitur Epiſcopi non ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Quomodò ex antecedente hoc conſequens deducitur? Propoſitio Bezæ, cui tota hæc cõfidentiſſima argumentatio nititur, hæc ſit oportet. Cui tantùm portio certa alicuius totius obuenit, dici non poteſt ſucceſſor eius qui anteà totũ poſſidebat. Quàm autem hoc ſit verum, cuiuis cogitandum relinquo. Secundùm hanc ſententiã: Qui in hæreditate quapiam ſuccedunt, niſi ex aſſe ſcripti ſunt hæredes, ſucceſſores defuncti parẽtis aut amici, qui totum poſſide-

bat, dici non poterunt. Atque ità Octauius, Iulij Cæsaris, in prædiorum & aliarum rerum possessione successor non fuerit: quia ex dodrante, non ex asse, ipsius hæres fuit: multò minùs quibus sextantem aut vnciolam tantùm legauit. Non fuerint similiter Alexandri Magni duces ei in imperio successores: vtpotè qui illud partiti sunt inter se, & partem tantùm deuictarum gentium, quas subiecerat imperio suo, tenuerunt. Et Constantini Magni tres filij, malè hactenùs dicti sunt patri successisse. Idem de postremis Constantinopolitanis Imperatoribus dicendum erit: similiter de Occidentis Germaniæ Imperio. Tres Caroli Magni nati nec Imperatores fuerunt, nec patris in imperio successores. Inceptè & impropriè scriptores, & omnes historici fuerunt de hac re locuti. Quid de Roboamo dicam, & de reliqua Dauidis stirpe, qui tantùm in Iuda regnârunt? Successisse Salomoni & Dauidi dici hac bella ratione non poterunt: quippè quibus tantùm certa portio regni fuerit attributa, nempe vna tribus: illi verò in omnes Israeliticas tribus regnum obtinuerant. Quod si hæc vera sunt, & benè cohærent, fateri nihil nos pigebit, successores Apostolorum Episcopos non posse dici.

Quid sibi vult quod D. Beza ait, *etsi non confusè?* Certum est omnes Apostolos, aut plures semper in vno loco hærere non potuisse, sed orbem terrarum inter se partitos esse. Apostolatus circumcisionis Petro contigit; gentium Paulo. Itáque alius Palæstinam, alius Mesopotamiam, alius Chaldæam, & alius Indos, alius Arabes, alius Scythas, alius Aegyptum, Libiam, Numidiam, & Mauritaniam, prout Spiritus sanctus impulit, petiuit. Quibus vt adiutores in Apostolica functione, Deus dedit, quidni & successores? Par vtrobique est ratio. Mandatum docendi Euangelij per orbem vniuersum, non singulis, sed vniuersis datum fuit: vt comparatus ad Episcopatum Apostolatus, rationem habeat quantitatis, non rei. Et quemadmodùm Cyprianus de Episcopatu dixit: *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidũ pars tenetur.* Etiam de Apostolatu idem dici potest. Apostolatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Rectè igitur Cyprianus Florentio, & Firmilianus eisdem verbis Cypriano scripsit, *Apostolis ordinatione vicaria Episcopos successisse.*

D. Beza.

QVòd si hoc etiam verum est, plures simul fuisse in ipsa Romana Ecclesia vno eodémque tempore Episcopos oportuit, Petrum & Paulum videlicet: quod tamen postea peculiare fuit habitum. Et certè plures in vno eodémque cœtu primi esse eodem tempore non possunt.

Had. Saravia.

D. Bezam omnem sophisticen angue peius odisse non dubito: imprudens tamen in eam hîc prolabitur: quandò eodem tempore duos Romæ esse primos non potuisse disputat; cùm Roma duos primos senatores eodem tempore habuerit Consules, & apud Ciceronem, aliósque scriptores, decem primos, sex primos, & quinque primos legamus. In oratione pro S. Roscio legimus: *Decurionum decretum fit, vt decem primi proficiscantur ad Syllam.* Et De nat. deorum. *Id quoque L. Alenius fecit, cùm chirographum sex primorum imitatus est.* In Verrem Act. 5. *Ita Agyrio magistratus, & quinq; primi accitu eius euocantur.* Quid pluribus opus est in re manifesta? Quid vetat dicere Apostolos fuisse 12 primos Euangelij præcones, & 70 discipulos fuisse 70 secundos Apostolos? Extra ordinem eandem Ecclesiam, quandò necessitas postulabat, duos habuisse Episcopos, legimus.

Plures in vna Ecclesia ad tempus esse Apostolos, nihil habet absurdi, quia ipsi sunt singularum, & omnium Ecclesiarum fundatores. Coniunctim enim & diuisim omnes illos 12 viros, quibus Paulus accessit, Euangelij præcones; & resurrectionis suæ, eorúmque quæ fecerat, & docuerat Dominus, testes suos esse voluit. Cœlestis Hierusalem fundamenta duodecim habere in Apocalypsi legitur, in quibus 12 Apostolorum nomina inscripta sunt. Cura omnium & singularum Ecclesiarum ad eos pertinuit: eiúque quantum eorum se facultas extendere potuit, incumbendum fuit. Ita enim sortiti sunt diuersas prouincias, vt sibi inuicem mutuas tradiderint, & communicârint operas. Et profectò dum vixerunt, ita vnam curabant partem, vt cæteras non negligerent. Idem factitâsse veteres orthodoxos Episcopos, eorum testantur epistolæ.

Et quandò Episcopi Apostolorum dicuntur successores, ad omnes Apostolos id refertur magis quàm ad singulos. Romanæ iactantiæ est, quòd se Petri & Pauli successorem, vnus

vnus Romanus Episcopus, potiùs quàm Thomæ, aut Iacobi, & Iohannis, aut Andreæ gloriatur. Hunc Romanæ Ecclesiæ errorem, frustrà D. Beza adlegare videtur contrà eos qui cum veteribus credunt, omnes Catholicos Episcopos successores Petri aut Pauli, æquè atque Romanus vllus vnquàm fuit, aut cogitari potuit Episcopus. Petri successorem, quidam Euodium in Antiochena faciunt Ecclesia, vtpotè qui ab eo ibi fuerit ordinatus Episcopus; sed Ignatius illorum temporum proximus, in Epist. ad Antiochenos, non à Petro, sed ab Apostolis constitutum fuisse Episcopum scribit. *Mementote* (inquit) *beatissimi Euodij, Pastoris vestri, qui vobis primus ab Apostolis ordinatus est Antistes.* Nolim tamen de hac re multùm contendere. Gregorius Magnus ad Eulogium Alexandrinum scripsit: *Pro ipso principatu sola Apostolorum principis sedes in authoritate connaluit, quæ in tribus locis vnius est, &c. Cùm ergo vnius & vna sit sedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego boni de vobis audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate.* Hæc Gregorius ille in commendationem Romanæ, & Antiochenæ, & Alexandrinæ Ecclesiarum. Qua certè laude priuari non debent aliæ Ecclesiæ, quas fundâsse, & in quibus Episcopos Petrus constituisse, negari non potest, etiamsi nusquàm scriptum sit. Omnes præcipuæ primæ Ecclesiæ Episcopos ab Apostolis acceperunt, etiamsi ignoretur à quibus. Qui tamen non maioris fuerunt authoritatis, illis, quos Titus aut Timotheus Ecclesijs præfecerunt. Sed vt Patriarchæ, Antiochenus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, de certis Apostolis gloriari potuerunt: ita Constantinopolitanus, Cyprius, & Carthaginensis, & alij plures non potuerunt. Hos tamen, non minùs quàm illos, Patres crediderunt successores esse Apostolorum.

D. Beza.

QVod Episcopi nomen etiam de Apostolatu dicitur, Act. 1. 20. nihil ad rem facit, nisi quis simili ratione Diaconos etiam velit Apostolos fuisse: quoniam suum Apostolatum Paulus διακονίαν appellat.

Had. Saravia.

NIhil noui D. Beza adfert, quod Patres ignorauerint, non tamen indè consequens esse iudicârunt, vt ij, quos Diaconos dicimus, essent Apostoli, aut Apostolorum successores: sicut crediderunt de Episcopis, & quòd Apostolatus esset episcopê, non diaconia; hoc est, Presbyterorum & Episcoporum subsidiarium, & pauperum ministerium. Quarè cogitare D. Beza debuit, Patres aliquid vidisse in Episcopatu & Apostolatu simile, cur Episcopatus dici deberet Apostolatus, & Apostoli Episcopi, & contrà Episcopi Apostoli: nihil autem in Diaconorum ministerio, cur Diaconi dicerentur Apostoli. Tamen eo sensu quo διακονίαν Apostolatum suum vocauit Paulus, nempè propter dictionis etymon, non negamus, quin qui erant Apostoli, aut Prophetæ, aut Euangelistæ, aut Episcopi, aut Presbyteri, aut Doctores, potuerint dici Diaconi. Ego certè nec ignorantiæ nec incogitantiæ Patres habere possim suspectos, nec mihi persuadere, D. Bezam hîc plus videre quàm ipsi viderunt.

D. Beza.

SEd etiam in illud inquirendum est, quod videri possit Hieronymus sensisse, tùm nimirùm cœpisse istum Episcopatum, quùm schismata in Ecclesia exorta sunt. Hoc certè ita se non habere, colligi ex ipso Paulo potest, qui Corinthijs hac ipsa de re ex professo scribens, non modò non meminit istius remedij, verùm etiam quasi hoc ipsum euenturum prospiciens, Sosthenem sibi in Epistolæ inscriptione adiungit: vt suo ipsius exemplo doceret, quantoperè sit in Ecclesiasticis cœtibus fugiendus iste principatus: quùm ipsi Apostoli, quos non tantùm ordine primos, sed etiam gradu supremos secundùm Christum fuisse constat, ministerium in communi administrauerint.

Had. Saravia.

DOm. Beza palàm præuaricatur, & Hieronymi sententiam quam defendit, & contra me adlegauit, oppugnat. Vndè lector, quod esse debeat sententiæ Hieronymi pondus, & quæ sit totius argumenti D. Bezæ, qui ea prudens abutitur fallacia, videre potest. Clara sunt Hieronymi verba, hunc Episcopatum, quo gradu superior eligitur Episcopus, acsi Imperatorem eligeret exercitus, cœpisse à Marci temporibus; quem primum à Petro fuisse ordinatum Alexandriæ Episcopum ferunt. Nunc rem non ita habere, docere D. Beza vult. Sed ipsius orationem quæso paululùm animaduertite, & vndè nos velit contrarium sensum verbis Hieronymi concipere. *Paulus* (inquit) *qui Corinthijs ex professo de hac re scripsit, non meminit huius remedij.* Quid tum inde?

Quia huius ibi remedij Paulus non meminit, inferríne potest, non fuisse, aut non esse illud remedium bonum, & præcauendo schismatis malo conueniens? Inferam & ego pari ratione Pastorum æqualitatem, & seniores temporarios multò minùs esse remedium aduersùs schismata, quia Paulus illius remedij non meminit. Vides (candide lector) quid ex Paulo possit colligi.

Quid autem D. Paulus præuiderit audere affirmare, nempè ideò sibi adiunxisse Sosthenem, vt suo exemplo doceret, quantoperè sit in Ecclesiasticis cœtibus fugiendus iste principatus, temerarium arbitror. Apost. in 1. Epist. ad Cor. Sosthenem sibi iunxit: in altera, Timotheum adsumpsit: in cæteris etiam Syluanum eadem prorsùs de causa, nisi vehementer fallor: nempè vt eos Ecclesijs commendaret, & nôssent quos ipse in societatem Apostolicæ functionis adsumpsisset. Hanc probati quique Ecclesiastici scriptores causam reddunt: eam quam D. Beza nobis adfert, ignorârunt.

Quod principatum attinet, vt non quemuis admittimus in Ecclesia: ita non quemuis reijcimus. Et in primordijs Ecclesiarum, eas in commune tam Apostolos, quàm Euangelistas, & Prophetas administrâsse non negamus: sed ea regiminis ratio, sicut initio erat necessaria; ita nec fuit, nec esse potuit perpetua, nisi quantum Ecclesiæ tunc postulauit vsus, & adhûc hodiè postulat vnitas. Ni olim ita semper fuisset, quorsùm Patres celebrâssent Synodos, & generalia Concila? Quisquis ordinatur Episcopus, aut Presbyter, Ecclesiæ Catholicæ minister ordinatur; non tantùm particularis loci, qui ipsius committitur curæ. Hinc apud Veteres, Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi fugati suis locis, sui ordinis vbique retinebant honorem, & adsumebantur sine noua ordinatione ad ministerium, si qua eorum opus habebat ministerio Ecclesia. Sed hæc communis cura sic semper fuit attemperata, vt sortitionem certarum prouinciarum non perturbârit.

D. Beza.

ITaque nec idem Paulus solus Apostolicâ suâ, sed Presbyterij totius authoritate vult incestuosum excommunicari: neque dubitat Petrus sese compresbyterum vocare.

Had. Saravia.

VIde, obsecro te (candide lector) ac tecum hanc ratiocinandi formam examina, & falsam inuenies. Paulus noluit sua solius Apostolica authoritate, sed totius Presbyterij incestuosum excommunicari. Quid hinc efficitur? Ergò nulli in Ecclesijs esse debent superioris gradus supra compresbyteros Episcopi? Id non magis consequitur, quàm si quis inferret, Paulum ipsum gradu non fuisse superiorem Presbyteris Corinthiorum, si tunc aliqui fuêre illi addicti Ecclesiæ. Alterum argumentum est: Petrus sese compresbyterum vocat: ergò nulli in Ecclesia debent esse Episcopi fratribus suis superiores. Si quid indè efficere liceret, esset, Petrum non fuisse authoritate maiorē eis, quos vocat compresbyteros. Tu iudica, lector, num hæc cohæreant: & sese consequantur. Nihil addam. Aliquandò bonus dormitat Homerus, & quod volumus facilè credimus. Magis similem veri speciem habuisset argumentatio, si intulisset, Episcopum sua solius authoritate sine Presbyterij assensu, non debere quemquam excommunicare. Et ex Petri verbis, Episcopum non dedignari oportere, se compresbyterum eis agnoscere, qui inferioris gradus sunt Presbyteri; præterea nihil. Nihil enim magis hæc ratio arguit æqualitatem inter Pastores, quàm si dux aut Imperator exercitus vocet suos milites commilitones: quis indè, nisi iudicij inops, inferat, Imperatorem suis militibus non esse potestate maiorem.

Sed est præterea in superiori Enthymemate magnus error: quem haud me dissimulare decet. Paulus (inquit) incestuosum noluit sua solius authoritate Apostolica, sed totius Presbyterij, excommunicari. Vbi id obsecro D. Beza legit? aut vndè infert? Verba Pauli hæc sunt. *Ego quidem vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui hoc perpetrauit, congregatis vobis in nomine Domini nostri Iesu Christi, tradere, eum (inquam) qui talis est, Satanæ, ad interitum carnis, vt spiritus seruetur in die illo Domini nostri, &c.* Quid hic scribitur, vndè colligere queamus, Presbyterij authoritatem, præter suam, vel cum sua, Apostolum voluisse intercedere? Ait quidē *congregatis vobis*: sed quibus vobis? Vndè sciam innui Presbyteros potiùs

potiùs quàm Corinthios? Nusquàm anteà Presbyterorum meminit. Sanctificatos in Christo Iesu, & vocatos sanctos, id est, Corinthiacam Ecclesiám, hactenùs fuerat adlocutus. Cur obsecro (*congregatis vobis*) non potiùs accipiam de Ecclesia, quàm de Presbyteris? Prætereà quomodò significat (*congregatis vobis*) idem quod vestra intercedente authoritate? Solius Domini potestatem commemorat, non suam, neque Corinthiorum. Obedientiam Corinthiorum Paulus experiri voluit. Nimis supini in ea re fuerant: & contempserant Pauli, de vitanda improborum fratrum societate, præcepta. Culpa præteritæ negligentiæ non poterat aliter eluì. Quòd paruerint, in altera Epistola laudantur: quùm tamen traditus Satanæ incestuosus non fuerit: vtpotè qui aut mentem etenuerint Pauli, aut eam didicerint ab eis qui Epistolam attulerant: nempè quòd pœnitentem Paulus præsens nunquam fuisset traditurus Satanæ. Quare hic notetur error, qui quod Paulus toti scripsit & mandauit Ecclesiæ, ad Presbyteros restringit: quùm tunc nullos adhùc Corinthij proprios habuerint, præter eos quos mittebant Apostoli, & sibi per vices succedebant, sicùt pluribus alibi demonstraui. Multò certiùs dicitur, Paulum sua solius voluisse authoritate excommunicari incestuosum, in plena congregatione, vt duobus consuleret, tùm publicè toti Ecclesiæ, tùm priuatim peccatori. Partes Apostoli in illa actione fuerunt authoritatis, Ecclesiæ verò Corinthiacæ, obedientiæ. Præcipiebat Apostolus nomine Christi, parebat Ecclesia amore Christi. Ministerij Ecclesiastici opera perficiuntur in Ecclesia solius Christi Domini nostri nomine & authoritate, non Presbyterij vel totius Ecclesiæ. Præcones Euangelij legatione funguntur nomine Christi. Qui baptizat, in nomine Christi baptizat. Qui in Ecclesiam peccatorem recipit, aut extra Ecclesiam reijcit, nomine & authoritate solius Domini id facit. Quandò id toti Ecclesiæ tribuitur, synecdoche est, qua toti tribuitur quod est solius partis, & quia fit in Ecclesia, & ab Ecclesiæ ministris, qui vnum corpus sunt in Christo cum Ecclesia. Cui cùm dati sint, habet in ministris & Pastoribus suis, quicquid Dominus in eos contulit.

D. Beza.

Immò tantum abest, vt hoc fuerit idoneum prohibendo schismati remedium, vt contrà nulla de re acriùs quàm de isto principatu sit in Ecclesia certatum. Quod nunquàm euenisset, si omnis ista supra collegas eminentia prohibita fuisset, aut potiùs nunquam ab hominibus inuecta.

Had. Saravia.

VErba hæc sunt, quibus imperiti rerum capi possunt, non item ij qui naturam rerum propiùs inspicere volent. Primò D. Beza suum iudicium præfert totius orbis iudicio. Quotquot ante nostram ætatem fuerunt, iudicârunt Episcoporum ordinem, vitandi gratiâ schismatis, fuisse, & esse optimum remedium. Cur non idem similiter D. Bezæ videatur, causa hæc est: quia de principatu acriter in Ecclesia certatum fuit. Honorum contentionem fateor grande esse malum: sed grauius malum est ἀναρχία, & omnis principatus dissolutio. Quisquis hanc imitari volet rationem argumentandi, euertet omne ciuile imperium, & quicquid excellet aliqua in re, tollet. Quidni & improbo cuiuis similiter contra omne ciuile imperium ita liceat argumentari? Nulla de re acriùs, quàm de principatu ab ipso orbe condito inter mortales fuit certatum. Omnia bella hunc finem sibi constitutum habent, aut imperium vetus defendere, aut nouum acquirere, aut vtrúmque. Et hæc videri potest sola humani generis calamitas, ab ipsis nata hominibus, euertendis & delendis hominibus. Pernicioſum meo iudicio est huius generis κυρίας δόξας adolescentes imbibere.

Nullâ de re (inquit) acriùs, quàm de principatu in Ecclesia certatum est. Quid si negem? & demonstrem longè acriùs de dogmatibus esse certatum, quàm de principatu? Quas inimicitias, quàm orbi vniuerso exitiales, quæ odia pepererit, & pariat hodiè de religione opinionum diuersitas, nihil opus est recenseam. Res nimis omnibus est cognita: Temporaria est de imperio concertatio, & inter paucos: de doctrina perpetua, & inter multos. Num idcircò doctrinam Euangelicam, aut iuris prudentiam, aut medendi artem, aut philosophiam, quia inter doctos acerrimæ sunt disputationes, rectè quis in inuidiam vocabit? Nihil est in rerum vniuersitate, quod disputationi hominum non sit expositum. Et vanitas huius vitæ, meritò iusto Dei iudicio molestiam hanc patitur, quæ eam accersit. Ipsæ res tamen subsistunt, retinéntque naturam suam:

quidquid homines contrà disputent. Circumferat cogitando D. Beza per totius orbis Episcopatus animum, & mihi Episcopos omnes, & Superintendentes, cuiuscunque religionis illi sint, intueatur, tam eos qui sunt hodiè, quàm qui fuerunt olim (Romanos Episcopos excipio) & pro vno, quem de Episcopatu contendisse inueniet, occurrent sexcenti, quibus de Episcopatu cum nemine lis fuit. Falsum igitur est, nulla de re acriùs, quàm de isto principatu in Ecclesia fuisse certatum. De eo tamen fuisse certatum non inficior. Sed malè propter duarum sedium ambitiosas digladiationes, reliqui omnes damnantur in vniuersum Episcopatus. An ignorat D. Beza multos, vt Episcopatum susciperent, fuisse coactos? Inter carnales Ecclesiarum Presbyteros, nunquàm litium & iurgiorum causæ deerunt: quibus si hanc causam eripias, aliam inuenient.

Sed quorsum hæc commemorat D. Beza? Num de ministeriolis in hac æqualitate, quam sibi constituit, nusquàm concertatum intellexit? Sicut inter magnos de rebus magnis magna nascuntur bella; sic inter infimi ordinis mortales de re quauis sunt dissidia. Reges de regnis belligerantur: & ij, quibus ea deest potentia, de fundis, & stillicidijs, apud iudices altercantur. Quæ vt quis semel tollat, si Regum & principum imperia, & priuatorum discretas possessiones abolendas censeat, ipsi D. Bezæ cum Anabaptistis insanire videbitur. Eadem prorsùs hic est ratio. Habet ciuilis societas suum imperium, quo continetur: habet similiter Ecclesiastica suum.

Fieri potest vt D. Bezæ in libera Repub. viuenti, vnius imperium tyrannicum videatur: & alijs qui Monarchici Imperij percipiunt fructum, sola placet Monarchia. Cauendum tamen est Theologis, ne ad formam ciuilis imperij, sub quo degunt, trahant gubernationem Ecclesiasticam. Cuius cùm perfectum reliquerint exemplar Apostoli & Euangelistæ; Patres, qui proximè illorum tempora, imò illis etiam vixêre temporibus, quale illud fuerit, non ignorârunt. Quarè quicquid dicat D. Beza, tutiùs eis creditur, eorúmque insistitur vestigijs, quàm opinioni nouæ.

Addit D. Beza, *quod nunquàm euenisset, si omnis ista supra collegas eminentia prohibita, aut potiùs nunquàm ab hominibus introducta.* Hæ rationes, si ego eas adsequor, planè sunt indignæ viro tantæ eruditionis. Optat omnem eminentiam supra collegas prohibitam, aut ab hominibus non fuisse introductam. Ratio. Quia si non fuisset ista supra collegas eminentia, nunquàm tam acriter de principatu in Ecclesia certatum esset. Propemodùm idem mihi videtur dicere, quod apud Tullium legitur. *Si non P. Scipio Corneliam filiam Tiberio Graccho collocâsset, atque ex eo duos Gracchos procreâsset, tantæ seditiones natæ non essent.* Et cuiusmodi est illa conquestio: *Vtinam ne in nemore Pelio securibus cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.* Tunc enim Paris nunquàm Mycænas nauigâsset, nec indè Menelai abduxisset coniugem: vnde bellum natum est, quo Ilium perijt, & Troianum Imperium euersum est. Optat D. Beza omnem eminentiam inter collegas prohiberi, quod certè non potest fieri, nec vnquàm factum est. Adeò multiplex & varia est excellentia, vt eam tollere, aut æquare conari quæ inæqualia sunt, sit insanire. Alius eminet varia eruditione, alius rerum experientiâ, alius eloquentiâ, alius virtute, alius generis splendore, alius diuitiarum copiâ. Quibus omnibus, non secùs quàm imperio & principatu homines abutuntur, & nihilo inclementiùs de illis decertant, quàm de imperio. Quòd alterum crus obligâsset Cæsar candida fascia, quidam dixerunt nihil referre qua parte regium insigne gestaret. Ita, quid refert quo nomine quis supra collegas efferatur?

Quandò Deus membra sui corporis, hoc est, Ecclesiæ, diuersis distinxit donis: pro eorũ dignitate, ipse honorauit, & honorari illa voluit. Alia est dignitas oculi, alia oris, & linguæ, alia manuum: quorum omnium vt sit cõmunis vsus & vtilitas, non est tamen par omnium dignitas. Errat quisquis excellentiam inter collegas ab hominibus putat introductam. Eius author Deus est, qui inæqualiter sua dona dispertit: & alijs quinque talenta, aliis tantùm duo, alijs verò vnum tantùm dat. Et tam in veteri Testamento, quàm in nouo, inter eiusdem ministerij collegas, gradus diuersos honoris & imperij Deum constituisse, luce clarius in summo Pontifice Iudæorum, & 24. principibus sacerdotum, apparet. Quandò autem Dominus noster Ecclesiæ suæ *alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores*, quis non videt differentes à Deo institutos gradus, inter eiusdem Euangelici ministerij ministros, quocunque communi, siuè Episcoporum, siuè Presbyterorum nomine vocentur? Epistolæ primæ ad Cor. cap. 12. fœdum & pernicio-

sum

cioſum hunc errorem iugulat. Inter ipſos etiam Spiritus Angelicos, qui omnes in miniſterium mittuntur, propter eos qui hæreditatem percipient ſalutis, Deus diuerſos eſſe gradus ordineſuè voluit. Alij enim Angeli, alij Archãgeli, alij Throni, alij Dominationes, alij Principatus, alij Poteſtates in ſacris literis vocantur. Angeli ferunt ſibi dari Archangelũ, nec moleſtè ferunt ab eiuſdem naturę ſortiſq; ſpiritu, ſibi mandata in nomine Dei dari. Et humanum aut ſatanicum creditur inuentum, Presbyteros habere Archipresbyterum, & Epiſcopos Archiepiſcopum? Et Presbyteris ipſis Presbyterum, & Epiſcopis Epiſcopum cum canonica authoritate præfici, iniquum cenſet, & Dominicæ inſtitutioni contrarium? Non fuiſſe Presbyteros Petrum & Iohannem, nec Titum & Timotheum oporteret.

Quiſquis poſtulat inter Apoſtolos, qui eiuſdem gradus & ordinis erant, Archiapoſtolum, & inter Euangeliſtas Archieuangeliſtam dari, nugatur, & ſeipſum aliósque fallit ignorantiâ ſubſtantiæ Euangelici miniſterij, quod vnum tantùm eſt. Nec enim Apoſtoli & Euangeliſtæ vocabula ſunt diuerſorum miniſteriorum: ſed ſunt graduum, & excellentiæ donorum Sp. ſancti nomina, quibus Deus ornauit Euangelicum miniſterium. Eſſentia miniſterij Euangelici (vt iam pluries dixi,) ſita eſt in verbi Dei prædicatione, in ſacramentorum celebratione, & in Eccleſiæ regimine. Trium harum partium poſtrema graduum differentias admittit: in eáque Euangelij miniſter, Euangelij miniſtrum ex inſtitutione diuina excellit, & ſemper excelluit.

D. Beza.

QVæ cùm ita ſe habeant, concludimus Epiſcopatum humanum non ordinis ſed ſuperioritatis, humanitùs fuiſſe introductum. Et vt loquitur Hieronymus ad Tit. 1. paulatim, adeóque vt ipſe quidem ſentit, vt diſſentionum plantaria euellerentur, ad vnum, communem ſolicitudinem eſſe delatam. Et quod idem eodem loco dixit, decretum id fuiſſe in toto orbe, non aliter quàm de tacita paulatim inuecta conſuetudine intelligendum eſt. Suntq; de hoc Epiſcopatu accipienda, quæcúnque nondum inuecto ſatanico Epiſcopatu, de Epiſcoporum ſiuè πρεσβυτων, vt loquitur Iuſtinus, authoritate, apud Ignatium & alios vetuſtiores Scriptores habentur.

Had. Saravia.

QVæ ſuperiùs à D. Beza dicta ſunt, ita ſe habeant necnè, tuum, lector, eſto iudicium. Mihi quidem nihil attuliſſe videtur, quibus vel veriſimilia demonſtrentur eſſe quæ nobis propoſuit. Quod Hieronymum attinet, non mihi probatur interpretatio quæ dictionum ſignificationes transfert, vt ſignificent quod nuſquàm alibi. Quiſquis hanc ſumet licentiam, quiduis in quem volet ſenſum mutabit: & ex ſcriptis, non ſenſum deſumet, ſed eis adferet. Quid hæ voces *conſuetudo*, & *decretum*, ſignificent, notum eſt. Sermonis inops non fuit Hieronymus, vt his vocibus cogeretur abuti, quùm proprijs abundaret, quibus ſenſum ſuum exprimeret. Mihi nunquàm perſuadebit D. Beza, decretum toto factum orbe, ſignificare tacitam conſuetudinem paulatim inuectam.

Quùm hodiè nulla ſit Eccleſia in toto terrarum orbe, nec fuerit vnquàm, quæ non habuerit Epiſcopos, quos defendimus; (exceptis Eccleſijs nuper reformatis) cui ſanæ mentis perſuaderi poteſt, conſuetudinem tantum valuiſſe, ipſis temporibus Apoſtolorum, vt nuſquàm demonſtrari poſſint diuini illi, quos nobis format D. Beza, Epiſcopi? Quod Ignatium attinet, ipſe viderat Apoſtolos, viderat ſuum prædeceſſorem Euodium. Polycarpus tunc temporis viuebat, & plures alij ab ipſis Apoſtolis, & viris Apoſtolicis inſtituti, qui nouerant quos Epiſcopos, & qua auhoritate Eccleſijs præfecerant Apoſtoli. Stetur eorum iudicio & ſcriptis. Cedò Ignatium Iudicem. Ex ipſius Epiſtolis diuinus nobis definiatur Epiſcopus.

Sed quicquid Iuſtinus, & Ignatius, alijque vetuſtiores Scriptores habent de πρεσβυτων authoritate, D. Beza intelligi vult de humano Epiſcopatu. Caluinus tamen ipſius magiſter, & quem vnũ ſupra cæteros omnes admiratur Theologum, in quarto ſuarũ Inſtitutionum libro, vult nos diuinæ inſtitutionis imaginem in veteris Eccleſiæ forma, quæ ſub Epiſcopis fuit, recognoſcere: Næ nimiùm ſibi fidit D. Beza, qui nobis diuinum Epiſcopatum excogitauit, qui nuſquàm gentiũ demonſtrari poteſt fuiſſe. Si Euodij diuinus non fuit Epiſcopatus, nec Ignatij, nec Polycarpi, nec Aniani, nec Irenæi, nec deniq; vllius, qui ex priſca poteſt antiquitate nominari, inter Ideas Platonicas, hoc eſt, inter ſpecioſa ſomnia numeretur diuinus iſte D. Bezæ Epiſcopatus: & ille, quem ſuperiùs definiuimus, qui ab ipſis Apoſtolis incœpit, & ab eis fuit Eccleſiæ traditus, & vbique & ſemper ab Apoſtolorum tem-

poribus, in omnibus totius orbis terrarum Ecclesijs fuisse receptus demonstratur, nobis esto diuinus, & Apostolicus. Maius scandalum quàm multi putent, in hac re datum est mundo. Videant illi per quos datur, & defenditur.

SATANICVS EPISCOPATVS.

THEOD. BEZA.

EPiscopatus satanicus ita etiam à nobis describitur, vt sicut sensim Episcopatus ille diuinitùs institutus, in humanum, de quo secundo loco egimus, degenerauit; ita diabolicus iste, contra quem nunc laboramus, ex humani Episcopatus adsumptione propagatus sit.

HAD. SARAVIA.

QVemadmodùm D. Beza nobis humanum Episcopatum descripsit nouo modo qui nusquã est, ita similiter & hunc satanicum describit. Quisquis hodiè scribit, & publicè Ecclesiam Dei docet, si nec ipse falli, nec fallere quenquam velit, nullius esto nouæ author opinionis: nec quicquam dicat, quod ante eum nemo probatus scriptor. Suæ sententiæ semper, aut expressum Dei verbum fundamentum habeat: aut in deductionibus ex verbo Dei, alios probatos authores idem sentientes. Qui credit se videre quod ante eum nemo vidit, nimis ingenio suo fidit. Suprà docuimus in Ecclesia humanum Episcopatum, quem D. Beza nobis definiuit, non extare: & si quis est ab hominibus in Ecclesiam inuectus Episcopatus, eum à satanico nihil differre. Quemadmodùm enim in veteri Testamento, sacerdotium homines nullum constituere potuerunt: ita nec in nouo Testamento, ministerium Euangelij nouum, quod nomen suum retinere tuerìq; possit. Sacerdotium ab hominibus olim inuentum, apud Deum non fuit sacerdotium: similiter nec ministerium Euangelicum censeri debet ministerium, si sit inuentum ab hominibus. Si Episcopatus veterum Patrum fuit ab hominibus inuentus, non fuit certè Christianus Episcopatus, nec Euangelicum ministerium: & ab eo tempore, quo diuinitùs institutus Episcopatus in Ecclesia interijt, & in eius locum humanus successit, ministerium in Ecclesia nullum fuit. Quod cùm sit falsum, & hæreticum, tollantur quæ malè adserta sunt.

In populo veteri varia genera sacerdotum legimus. Aliud fuit ex institutione diuina; quale fuit Aaronicum, quod Tabernaculo vel Templo ministrabat: aliud ex humana inuentione; cuiusmodi erat Ieroboamicum sacerdotium: aliud satanicum; quod Baalim, & Idolorum, ac falsorum numinum cultui dedicatum erat. Duo postrema sacerdotij genera erant impia, nec erant sacerdotia, nisi sola hominum opinione, qui Moloch, Astaroth, Baalim, & cœlestia sydera pro numinibus colebant, quùm numina non essent. Qui autem decreto Ieroboami ex quouis populi ordine, etiam vilissimo, eligebantur, verè sacerdotes esse non poterant: quippè qui ab homine, non à Deo essent instituti. Solius enim Dei est, sibi constituere sacerdotes. Prius igitur sacerdotij genus fuit diuinum, secundum humanum, & tertium satanicum. Quid autem humanum sacerdotium distet à satanico, iudicare quemuis facilè posse reor. Sacerdotium diuinum varijs modis contaminari potuit, quoties sacerdotes ex Aaronis stirpe nati, & vero Dei cultuj mancipati, in colendi modo, & in loco, in quo Deus coli volebat, aberrabant: vel quandò duobus simul dominis, se seruire posse, nempè Deo, & dæmonibus, credebant. Quanuis enim sacerdotes generis Aaronici eo ritu ordinati, quem præceperat Deus, sæpè in ratione colendi errauerint; vt qui in excelsis immolabant, & qui prophanum plurium deorum cultum cum verè diuino admiscebant, quorum alij superstitiosi, alij impij erant: eorum tamen sacerdotium, nec humanum, nec satanicum idcircò dici debuit. Quanuis ambo peccarent, & alij alijs grauiùs: idem tamen manebat sacerdotium.

Sed illud quod ab hominibus erat inuentum, & non à Deo constitutum, sacrilegium fuit, non sacerdotium: & hoc poterat dici vel humanum, vel satanicum. Diuinitùs instituti sacerdotij tanta fuit vis, vt quanuis multis modis contaminari potuerit, tolli verò sine interitu religionis, quo Israel Dei populus esse totaliter desineret, nunquàm potuerit.

Mutari

Mutari verò sacerdotium diuinum in humanum aut satanicum, sine ipsius abolitione non potuit. Prophanatio illud non sustulit. Hoc quidem modo se sacerdotium in populo Israëlitico habuit.

Nunc quod ministerium Euangelicum attinet: illud similiter est huiusmodi, vt nulla hominibus sit potestas, illud aut mutandi, aut nouum instituendi. Vbi autem illud degenerauit, & mutatum fuerit in humanum, aut in satanicum; cessauerit esse Christi ministerium. Deprauari quidem potest, & varijs hominum, diabolique inuentionibus corrumpi, vt tamen maneat. Multùm hæc duo differunt: in aliud quippiam rem mutari, & rem deprauari. Mutari secundùm essentiam res non potest, vt maneat quod antè fuit. Vitiari potest, vt tamen maneat. Et quanuis sine mutatione rem non contingat vitiari, illa non semper est essentialis, sed tantùm accidentaria. Atque ità multis sacerdotium Aaronicum modis olim deprauatum fuit: sed in humanum aut satanicum nunquam transiuit. Idem hodiè de ministerio Euangelico, hoc est, de Episcopatu, & Presbyteratu, dicendum est. Vir bonus potest fieri malus, & sanus æger, sine interitu. Christianismus externus multis modis vitiari potest, & prophanari, vt tamen maneat eius exterior forma.

Primitiuam Christi Ecclesiam, quæ Apostolorum secuta est ætatẽ, quidam prophani homines credunt ab Antichristi præcursoribus hæreticis vbique terrarum non tantùm deformatam, sed etiam totaliter euersam: atque ita vastatam, vt hodiè Romana Ecclesia (quæ primas in orbe terrarum inter cæteras omnes sibi tenere videtur) nihil aliud sit, quàm quædam Sodoma, atque Gomorrha, Babylon, & Aegyptus, veriùs quàm Ecclesia: vsq; adeò vt omnis religio & diuinus cultus, qui illic est, nihil aliud, quàm execratio blasphema, & veri numinis sit ludibrium: ibiq; omnem legitimam vocationem, ordinem & missionem ministrorum, simul cum doctrina interijsse, atque ita vniuersalem quandam apostasiam à fide somniant: & loco Pauli 2. ad Thess. cap. 2. *non venturum esse Dominum nisi defectio primùm venerit*, abutuntur, cum de defectione à Romano imperio Apostolum fuisse locutum magis sit verisimile. Quamdiu enim illud floruit, Romanus Papa nõ potuit emergere. Hæc opinio, propter innumeras superstitiones, & à veritate Euangelica aberrationes, quæ irrepserunt in Ecclesiam Dei, speciem quandam veri habere videtur; sed quandò res nõ rectè accipitur, quid veri, quid falsi in ea insit, non facilè percipitur à sacrarum literarũ imperitis, qui à rebus ipsis contaminationes illarũ nequeunt discernere. Vndè factum est vt varias Anabaptistarum, aliorumq; sectas nobis homines fanatici peperierint, quæ non tam ab idololatria Romanæ Ecclesiæ discesserunt, quàm ab ipsa verè catholica, & Apostolica Ecclesia totaliter defecerunt. Et pleriq; quibus Anabaptistici furores non probantur, ab antiquitate longiùs quàm oportet recesserunt. Huius peccati prima causa est ignorantia misericordiæ Dei erga suam Ecclesiam, & eos omnes super quos ipsius nomen inuocatum est, censentúrque in fœdere Dei; quod non ab hominum meritis, sed à gratuita ipsius Dei gratia dependet. Altera causa est humani ingenij hypocrisis, quæ sibi in peccatis alienis notandis blanditur: & in illorum insectatione dum acquiescit, à proprijs peccatis non resipiscit. In censura scelerum & flagitiorum alienorum satyrica carpendi libido plerúmq; potiùs nascitur, quàm propria ex alieno peccato impietas agnoscitur. Et hinc prauum in malos odium tantùm generatur, non commiseratio. Multi sunt quos, improbum Papæ papatúsque abripuit odium in malam rem, & prophanum omnis religionis contemptum. Omne peccatum, & inprimis illud quod vniuersale est, & gentes plurimas, atque totas nationes peruasit, piorum mentes monere debet communis prauitatis generis humani, à qua quum nemo sit immunis, suum peccatum in alijs agnoscere debent. Extant in veteri Testamento confessiones peccatorũm, quibus ante Dei tribunal prisci Patres seipsos accusant, & non tantùm suos, sed maiorum recensent errores, & peccata, tanquàm ipsorum essent. Quisquis in populo aliquo censetur, ad se pertinere iudicare debet, quidquid calamitatem toti populo adfert. Vnus Achan in Iosua sacrilegium committit, & totus populus plectitur. Vnus Dauid populum numerare iubet, & de populo virorum 70. millia perierunt peste. Ob vnius incestum debuerat tota Corinthiaca Ecclesia luxisse. Nam seriò resipiscere apud Deum non censetur, cui alienum peccatum non dolet. Censores rigidos inuenire est, quique seuerè in illa peccata animaduertent, quibus ipsi sunt astricti. Pharisæorum & hypocritarum pro-

prium

prium est, ex alienæ vitæ censura, iustitiæ captare laudem. Qui peccatum alienum in seipso damnat, potiùs quàm in alio, sine simulatione, ex animo, verè resipiscere à peccato censendus est: & hic, vt seuerior est in se, ita æquior est in alios. Tempora & loca diuersa, peccandi mortalibus diuersas occasiones ministrant, immunitatem nunquàm adferunt. Temporibus Pharisæorum, idola in populo Iudaico nulla legimus: illa ætas nullos coluit Baalim, quos miserè ipsorum patres deperierant; non tamen melior ætate Seruatoris nostri Christi erat religionis status, quàm fuerat olim sub Patribus ante captiuitatẽ Babylonicam. Externum quendam splendorem religio tunc habebat: quæ foris patebant mundata erant, cùm intùs laterent fœdissima quæq; peccata. Mores Ecclesiæ vniuersalis quam ex gentibus Deus sibi collegit, cum gentis Israëliticæ leuitate & inconstantia comparari possunt: nihil enim accidit in Ecclesia, cuius exemplum non extet in Israële, & Iuda. Idem vtrobique est Deus, apud quem nullus est personarum respectus: idem misericordiæ Pater, & peccatorum vindex, qui iudicia temperauit misericordiâ. Non enim pluris nunc facit Ecclesiam, quàm olim veterem Synagogam: nec minoris fecit tunc veterem populum, quàm facit hodiè nouum. Defectiones à Deo plures illic legimus, quæ merebantur extremum gentis exitium: sed ipse semper populi sui misertus est, nec vniuersum suum populum vnquàm reiecit, vt vna Ecclesia esse desierit. Scissa videri potuit Ecclesia in duas, quandò decem tribus sub Ieroboamo defecerunt à Iuda: & certè, quod homines attinet, improbi diuisi sunt, manſit interim inter bonos vnitas. Quæcunque illa fuit diuisio, manserunt vtrobique; vnius fœderis Dei symbola, & testimonia. In externo Dei cultu facta est mutatio; sed quæ non effecit, vt populus Dei Israel non esset, sicut erat Iuda. Idem dicendum de Græca & Latina Ecclesia. Quid si vnaquæque tribus sibi peculiares quosdam finxisset cultus, & retinuisset legem Mosis, & circumcisionem: num idcircò Ecclesia vna esse desijsset? Disputant hodiè qui sese ab inuicem separârunt, apud quos sit Ecclesia, quibúsque eam ad suam factionem trahentibus, qui illam sibi peculiariter ita vendicant, vt apud alios esse negent, vt Donatistæ olim, & hodiè nostri Anabaptistæ. Sed in hac re primas tenent Romanistæ, qui nullo non anathemate fulminant in omnes, quotquot ab ipsis dissentiunt: siue Græci sint, siue Barbari: extra Romanam Ecclesiam qui sunt, censentur ab omni salutis spe excluſi. Status & conditio Israelis & Iudæ post schisma Ieroboamicum docebit nos, quàm sint multorum Theologorum de hac re cogitationes inanes. Quod si in illo schismate summi Pontifices Hierosolymitani ea mente fuissent, quâ sunt hodie Romani Episcopi, quas execrationes non euomuissent in decem tribus Israeliticas, eorúmque Regem? Quæ autem fuerit Dei clementia erga duas illas populi sui Ecclesias, consideratione dignum puto. Non enim peiore, aut meliore loco fuerunt, quàm sunt hodie Latinorum, & Græcorum, ex gentibus collectæ Ecclesiæ. De illis colligere possumus, quæ sit conditio Ecclesiarum nostri seculi, quæ sese ab inuicem segregant, retento tamen fundamento quod est Christus. Quamdiû fœdus Dei cum veteri populo perseuerauit, tamdiû populus Dei fuit. Idem de nostri æui Ecclesijs sentiendum puto. Merita populi in hac re non tam spectanda sunt, quàm Dei clementia. Ecce, probra veteris populi ex Prophetis recensebo, vt intelligamus quàm fuerit sceleratus & impius. Incipiam ab Esaia. 1. Cap. 3. vers. vbi Dominus queritur de multiplici defectione populi sui: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi verò preuaricati sunt contra me. Cognouit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui; Israel non cognouit, populus meus non intellexit.* 4. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini malorum, filiis corruptoribus: dereliquerunt Iehouam, irasci fecerunt Sanctum Israel, alienauerunt se retrorsum, &c.* 5. *Propter quid percutiemini? adhùc addetis peruersitatem, omne caput ad infirmitatem, & omne cor infirmum.* 6. *A planta pedis vsque ad verticem, non in eo perfectio: sed vulnus, & liuor, & plaga purulenta: non sunt constricta, neque alligata, nec emollita oleo. Et v.* 10. *Audite verbum Iehouæ principes Sodomorum, auribus percipite legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.* 11. *Vt quid mihi multitudinem victimarum vestrarum? &c.* Reijcit Dominus & abominatur omnem illum externum cultum, quem ipse in lege sua præceperat. Et vers. 21. *Quomodo facta est meritrix, ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia morabatur in ea; nunc autem homicidæ.* 22. *Argentum tuum versum est in scorias, vinum tuum mistum est aquâ.* 23. *Principes tui declinantes, & socij furum, omnes diligunt munera, & sequuntur retributiones: pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.* Cap. 5.

vers.

vers. 7. *Vinea autem Iehouæ exercituum domus Israel est, & vir Iehuda plantatio lætitiarum eius; expectauit autem iudicium, & ecce plaga lepræ; iustitiam, & ecce clamor.* Quid amplius de Latinorum & Græcorum Ecclesijs dici potest? Illæ tamen veteris populi impietates nunquam effecerunt sacerdotium satanicum. Quanuis prophanæ fuerint hostiæ & sacrificia, quæ ab impijs sacerdotibus offerebantur, vtpotè contaminatæ spurcitiâ ipsorum sacerdotum, hoc nec sacerdotium ipsis ademit, nec satanicum effecit: non enim illa flagitia opera erant actionesuè sacerdotij, sed impiorum hominum. Lege (candide lector,) totum 16 caput Ezechielis, contra Hierusalem, & ipsius abominationes. *Habitatio tua, & cognatio tua de terra Chananæa; pater tuus est Amorrhæus, & mater Chittæa:* quasi diceret Dominus: Tu non ab Abrahamo, Isaaco, & Israele ducere genus videris: sed ab illis impijs nationibus, quas deleui propter te, vt illorum vrbes & prædia possideres. Et sequentibus versibus, immensa beneficia, quæ ipsi Iudæ contulerat à prima sua origine, refert, & exprobrat; quibus turpissimè in idolorum cultu fuerant abusi. 16. vers. *Accepisti de vestimentis tuis, feciſtique tibi excelsa discoloria, & fornicata es in eis. Non futura sunt, neque erit populus, qui talia faciat. Tulisti præterea vasa gloriæ tuæ de auro meo, & de argento meo, quæ dederam tibi, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es cum eis, &c.* Sed præterire non possum, quod subijcit de natis istorum impiorum hominum. *Tulisti insuper* (inquit) *filios tuos, & filias tuas, quos generâsti mihi, & immolâsti illos eis ad consumendum: nunquid parũ est tibi de fornicationibus tuis? & immolâsti filios meos, dedistiq; eos, vt transire faceres eos consecrans illis.* Hic notari velim duo: idololatras Iudæos Deo generâsse natos; quos vt suos dicit, ita pro suis agnoscit, & grauiter tulit immolatos, & consecratos fuisse falsis numinibus. Vnde consequens esse reor infantes quoque Papistarum, & Græcorum, in filijs Dei numerari, & in fœdere Dei censeri. Atque sicut impietas totius Iudaicæ gentis sacerdotumque, sacerdotium satanicum non fecit: ita impietas Paparum, & Episcoporum, Presbyteratum & Episcopatum, qui apud illos est, non reddit satanicum. Prosequitur Deus in illo eodem capite, quæ & quanta fuerit populi sui scortandi cum aliarum gentium idolis libido, demonstrare: nempè Aegyptiorum, Assyriorum prostibula, & lupanaria vbique exædificâsse, & inexplebilem illorum fuisse libidinem, adeò vt cùm meretrices & adulteræ soleant ab amatoribus munera accipere, vltrò contra communem consuetudinem, muneribus pellexisse ad se, & inuitâsse idololatras, qui ipsam omne genus superstitionum docerent; superâsse omnes vicinas gentes, nullum populum ad idololatriam vnquam fœdiùs contaminatum fuisse. Et tandem ita concludit his verbis. *Propterea, meretrix, audi verbum Domini, &c.* vsque ad finem cap. vbi grauem vltionem prædicit futuram: idque ab illis ipsis, quibus placere se studuerat. Comparatione scelerum iustificat Samariam & Sodomam, quòd præ illis corruptior esset in omnibus vijs suis: *Soror autem tua* (inquit) *maior Someron ipsa est, & filiæ eius, quæ habitat ad sinistram tuam: soror autem minor te, quæ habitat à dextris tuis, est Sidon, & villæ eius.* Et quid amplius de Romana Ecclesia dicere possumus? Quo statu Hierusalem tunc erat ex toto illo cap. videmus. Despexerat illa iuramentum, vt irritum faceret Dei pactum. Perfidia tamen illa non fuit tanti, vt Deus irritum faceret pactum suum, & ingratum populum abijceret, & non alio loco haberet quàm cæteras gentes. Permanebat fœdus cum illa gente, & qui ex ea nascebantur pro suis Deus agnoscebat. Idem iudico de Papistico populo qui Christi est; & nouo veteríque Testamento, hoc est, fundamento Apostolorum & Prophetarum, atque baptismo, à Mahumetanis, & à Iudæis, & gentibus distinguitur. Quæ apud Hoseam leguntur, præterire non debeo, vbi Dominus iubet prophetam amare mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Iehouah filios Israel: ipsi autem respiciunt ad Deos alienos, & amant lagenas vuarum. Propheta Dei personam in tertio & primo cap. iubetur repræsentare, & meretrices, & adulteras vxores ducere, & ex illis filios & filias procreare: vt significaret ingrato populo miserum & deploratum ipsius statum, qui cùm vnicè à Deo diligeretur, vt à marito solet vxor, scortari tamen nihil puderet cum idolis & falsis numinibus. Ex illis, sicut sibi tunc procreabat filios Deus: ita hodiè cum meretricibus, Græcâ & Romanâ Ecclesiâ. Sed quemadmodum tunc temporis Deus iubebat pios suos cultores contestari contra matrem adulteram; similiter hodiè pijs omnibus Christianis faciendum est contra Romanã Ecclesiam: in qua omnia illa inueniuntur, quæ Deus quondàm per Prophetas suos Iudæ & Israeli exprobauit. De nomine sponsæ Christi,

sti, & matris Ecclesiæ, frustrà gloriatur, quæ, Christo contempto, fœdiùs omni idololatriæ genere se contaminauit Iudâ & Israele. Mitto diuos & diuas, mitto aurum & argentum, ligna & saxa; sacrilegum βδέλυγμα Missæ, vincit omnem quæ ab orbe condito excogitari potuit idololatriam. Meritò in Iohannis Apocalypsi Romana Ecclesia comparatur purpuratæ meretrici, tenenti poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus & immunditiâ scortationis suæ; cum qua scortati sunt Reges terræ, & cuius scortationis vino inebriati sunt incolæ terræ. In Christi Ecclesia hæc fieri non magis absurdum est, quàm illa quæ apud Prophetas de Hierosolyma & Israele legimus. Extra Dei templum, hoc est, extra Ecclesiam, non est quærendus homo ille peccati, filius perditionis, qui in ipsis Ecclesiæ visceribus sæuit, & mysterium operatur summæ impietatis. Ecclesia Dei, quæ hic in terris militat, malis pariter cum bonis permixta est. Granum non est sine palea; in illa latet, & quantitate superatur ab illa, adeò vt vix appareat. Parabolæ Seruatoris zizaniorum & tritici; verriculi capientis malos æquè ac bonos pisces; decem virginum, quarum quinque sapientes & quinque fatuæ, nos docent in Ecclesijs visibilibus veram electorum Ecclesiam latere, & pro temporum ratione, modò frequentiorem, modò rariorem apparere. Credebat Elias se solum esse relictum, cùm Deus in illo populo 7000. virorum sibi seruâsset. Idem quod Eliæ accidit, nostris temporibus multis Ecclesijs euenire posse, nemo sanus negare potest. Quod priuilegium singulare Romana Synagoga sibi vendicat, nimia vetustate obsoletum est; fœtet. Petrus morte sua scil. Romanæ vrbi meritus fuerat in vera fide stabilitatem, & constantiam immotam, quod Iesus Christus terrenæ Hierusalem dare noluit. Sed ad rem. Quamdiù fœdus Dei cum aliquo populo permanet, tandiù apud illum, ministerium, quocúnque illud voces nomine, siuè Episcopatus, siuè Presbyteratus, permanet. Varia prophanatio illud quidem vitiat, sed non tollit, nec satanicum facit: hoc est, vt Satanam habeat authorem, non Dominum Iesum Christum.

D. Beza.

Fœdæ & intolerabilis istius corruptionis manifestissima & διαφισβήτητα τεκμήρια sunt, quòd alij quidem ex istiusmodi Episcoporum genere, à Presbyterijs prorsùs sese segregârunt: adeò vt nihil habeant cum Presbyteris commune. Alii verò Presbyteria prorsùs aboleuerunt; quòd totam administrationem Ecclesiasticam, ac inprimis electionem, depositionem, excommunicationem, iura Ecclesiis erepta, sibi, & nescio quibus officialibus, vindicârunt: vt iam non tantùm superiores, sed tanquàm soli clero dominentur, contra expressum Petri interdictum, &c.

Had. Saravia.

Ἀναμφισβήτητα τεκμήρια hæc examinemus paululùm quæ illa sint, & quid Episcopatui adferant mali. Humanus ille Episcopatus, quem sibi D. Beza finxit, nullus vnquam in Ecclesia fuit. Et ille qui in Ecclesia Romana hodiè conspicitur, non magis Satanicus dici potest, quàm baptismus, qui ibi administratur. Actiones propriæ ministerij ipsius sequuntur naturam. Segregârunt (inquit) se Episcopi prorsùs à Presbyterijs, adeò vt nihil habeant cum Presbyteris commune. Vellem distinctiùs à D. Beza, & explicatiùs adnotatum quod ait. Vt enim non nego alieniores Episcopos à suis Presbyterijs (quæ Capitula dicuntur) esse factos, quàm prisci temporis annis fuerunt; tamen quod Hyperbolicè D. Beza exaggerat, quando ait prorsùs nihil habere commune cum suis Presbyterijs, plus dicit quàm res est: id enim nunquàm probare poterit. Sed sicut in Episcopatus humani descriptione ignorantiam suam prodidit, fingendo nobis Episcoporum genus quod nunquàm fuit; similiter hoc loco ostendit se ignorare capitulorum iura, & instituta, nec vndè sint profecta. Quid si dicam, Capitula se segregasse ab Episcopis, ita tamen vt multa remanserint communia? Temeritatis & audaciæ notam nunquam eluet, qui scribere audet contra illud, quod perspectum non habet. Astu Satanæ à Romano Episcopo hoc factum est, quò suam tyrannidem stabiliret: dissociauit enim multis & varijs modis clerum à suis Episcopis, totamque veterem Ecclesiæ politiam, qua prisci Patres vsi sunt, dissoluit; sibique omnes, & singulos, vsurpationibus, exemptionibus, & priuilegijs obnoxios reddidit, atque subiectos. In quare eò progressus est, vt plus possit in singulis Episcopatibus, ipsis locorum proprijs Episcopis. Sed hoc non effecit ipsorum Episcopatum, quem profitentur, Satanicum. Quid enim si rursus vniantur Capitula cum suis Episcopis? & quemadmodum Papa sine suis Cardinalibus, hoc est, sine illorum consilio,

filio,& assensu,nihil seriæ rei decernit:similiter Episcopi & Archiepiscopi nihil cõstituant sine consilio & assensu suorum Capitulorũ,Cleriq;, desinentnè esse illorũ Episcopatus satanici?Fac omnes illos viuere cõiunctissimos,& omnia habere cõmunia, quid aliud futuri sunt quàm coniuratio quædam prophetarũ contra Dominum Iesum Christum ? Quanuis Papa Romanus sui presbyterij esset obseruãtissimus,non idcircò minùs erit Antichristus. Quomodò hæc facta sunt,& quo authore,quomodò Episcopi à Presbyterijs se segregauerint,& Collegia Presbyterorum se ab ordinaria Episcopi sui iurisdictione exemerint, D. Beza præterit,& tenebris rem inuolutam relinquit : sicut quando ait,quòd Episcopi totã administrationem Ecclesiasticam, ac inprimis electionem , depositionem , excommunicationem , iura Ecclesijs erepta sibi , & nescio quibus Officialibus vendicârunt, vt iam non tantùm superiores, sed tanquam soli,clero dominentur, contra expressum Pétri interdictum. Hic nihil recensèt quod ad Episcopatum pertineat eorum, qui sub Romano Papa sunt Episcopi. Quid si temporibus Apostolorum quispiam gessisset Episcopatum, tanquam clero imperitans, & domini instar, non serui Christi, & ministri Ecclesiæ , totam Ecclesiæ gubernationem ad se pertraxisset (non enim nuper tantùm regnauit inter Ecclesiæ primores ambitio tyrannisuè, quod in hac re nunc peccatur , potuit tunc accidere) num ipsius Episcopatus fuisset satanicus ? Quid si hodiè inter illos, qui se reformatissimos credunt, aliquis existat qui authoritate sua omnia gubernet, nihilq; rectè factum credatur, nisi quod ille fecerit. Quid ? Num dicet D. Beza illius ministerium satanicum? Ipse homo propter tyrannidem satanicam,satanicus esse poterit , vt tamen ministerium quod profitetur,sit sanctum.

Morbos & ægritudines lethales Romanæ Ecclesiæ D. Beza enumerat : sed definitionem nullam Episcopatus satanici nobis dat. Corruptiones istæ Episcopatus sunt fœdæ. Fateor. Addo esse satanicas, & satanicos ipsos esse Episcopos; sed Episcopatus eorum non mihi est idcircò satanicus. Absit. Dum D. Beza nimis occupatur in recensendis languoribus Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, Episcopatum eorum præterit. Qui quis sit (iudice piæ memoriæ D. Caluino) statim dicturi sumus. Interim cur satanicum vocet Episcopatum episcoporum Romanensium,satis causæ non video. Si papatum, vel ipsum vicariatum, quem sibi vni Romanus vendicat Episcopus, satanicum diceret, quia non aliunde quàm ab ipso,omnia illa quæ hîc recensentur profecta sunt; nihil contradicerem: sed ipse in vniuersum omnes Episcopos, & Archiepiscopos complexus est. Satanicum dicit, opinor, Episcopatum, pari ratione,qua diuinum & humanum priùs dixerat Episcopatum, ab authoribus : nempè, quòd Satan sit author istius generis Episcopatus. Quod si ita esset, ministerium apud Romanenses ita interijsset, vt nec Ecclesia, nec vllum sacramentum illic esset.

Vicariatum illum vniuersalem hîc in terris Domini nostri Iesu Christi, inuentum Diaboli esse scio : sed eam dignitatem non omnes sibi vendicant Episcopi : quos dum suo imperio Papa subiecit, eorum quidem ministerium contaminauit, sed non sustulit : nec quod naturam attinet, mutauit. Impietatem Episcoporum non excuso,qui potiùs parent Antichristo, quàm Domino Iesu Christo : sed functionem separo ab hominum peccatis; de quibus quanuis dici possit, quòd in suo munere versantur, vel diuino, vel humano, vel diabolico more, munera tamen nemo verè dixerit ideò humana vel diabolica. Regum imperium diuinum est institutum : in quo se gerere rex potest tribus modis : vel vt diuinus quidam vir, vel vt homo labilis, multis obnoxius peccatis, vel vt diabolus. Horum nihil ipsi imperio est tribuendum : sed hominis virtuti, aut vitio. Apostolatus diuina quædam est functio: in qua Petrus interdùm vt vir Dei se gessit,quandò Dominũ confessus est Christum esse filium Dei viui : vt homo,& Adamo natus, quandò Dominum suum à passione & ignominiosa morte deterrere voluit : & in Iudæorum gratiam plusquàm oportebat, simulauit. Iudas verò vt diabolus in Apostolatu suo se habuit: qui & sacrilegus fuit, & Domini sui proditor, & sui ipsius denique parricida. Nemo tamen (quod sciam) idcircò Apostolâtum diuisit, in diuinum, humanum, & diabolicum.

Episcopatus Apostolatus quidam est : quem alij tanquàm fidi serui Dei administrare possunt in quibus nihil desideres. Alij vt homines multa peccare possunt, partìm imbecillitate, & peruersitate humani ingenij : quandò victi huius vitæ illecebris non præstant eam virtutem, quam tanti muneris sanctitas postulat. Alij verò tanquàm impij & despe-

rati homines, nihil præstabunt quod decet Episcopum : sed Dei, & sui obliti, in flagitiorum cœno sese prouoluunt : exhibentq; sese lupos gregi Dominico, non Pastores : referunt diabolum potiùs quàm hominem. Et in hoc genere non vno modo peccatur. Habet hic hypocrisis, & simulata foris sanctitas locum. Sunt qui apud vulgus religiosuli cupiunt videri, cùm acerrimi sunt veritatis doctrinæ & veræ pietatis hostes, duplo nequiores illis, quorum palàm flagitiosa vita est. Valdè errat qui hæc functioni Episcopali tribuit, & ab hominum vitijs ipsas functiones metitur & definit. Pessimus mortalium, Caiapha deterior, & Iuda nequior, & Balaamo corruptior, sanctissimũ diuinumq; munus obire potest. Annuo sacerdotio, eóque plerúmque fauore aulico, pretióque comparato, Annas & Caiaphas functi sunt ; & quanuis homines diabolici essent, sanctum nihilominùs fuit, manstitque eorum sacerdotium, donec Christi morte fuit finitum, & per Euangelij prædicationem sublatum.

Si vel idololatriâ, vel corruptissimis Pontificum moribus, diuinitùs institutum ministerium, in humanum aut diabolicum degenerare potuisset, sacerdotium Aaronicum olim degenerâsset. Quid fecerit Manasses, quid Achaz, & alij prætereâ Reges Iudæ, quid Vrias sacerdos, quomodò ipse & alij plures consenserint impietati Regum suorum, & templum Domini prophanis idolorum cultibus, & aris polluerint, Regum & Paralip. libri testantur. Quæ cùm essent aliena à sacerdotio quod Deus instituerat, commisceri cum eo non potuerunt, nec ab illa impietate describi. Prophanatum quidem fuit templum, fuit & sacerdotium : sed non sublatum est, nec factum satanicum.

Sacerdotium autem idolorum fuit satanicum, & contaminabat diuinum Vriæ sacerdotium, sed non adimebat. Eodem modo in Pàpatu prophanata sunt omnia diuina instituta : sed omnia non sunt sublata, nec facta diabolica. Sublata quidem est cœna Domini, & in eius locum abominandum idolum substitutum : superstitiones ineptæ, ridiculæ, vanæ irrepserunt, & cultus externus totus pompaticus factus est. Prætereà consecrationes campanarum, altarium, vestium, chrismatis, olei, imaginum, inuectæ sunt : ea tamen non tollunt, quod ipsi fatentur in Episcopo esse longè maximum, & inprimis ad ipsius pertinere curã, & in ordinatione sua Deo vouet : nempè curam & custodiam gregis sibi commissi. Solenni enim sacramento Episcopi se Deo & Ecclesiæ obstringunt, se præstaturos omne boni Pastoris officium, orationi & doctrinæ verbi Dei, ac sacramentorum administrationi, & correctioni ac emendationi morum incumbendo : hoc autem esse diuinum institutum negari non potest. Quidquid Papæ iurent Episcopi, quod in verba Dei & sacros iurant Canones, maius est, & ei præferendum, exigendumq; ad illam regulam.

Fœlicis recordationis magnorum Dei seruorum Lutheri & Caluini (vt cæteros taceam) non alia de Episcopis papisticis fuit sententia : quò magis miror vnde hæc D. Bezæ inciderit opinio. Sufficerit hoc tempore vnum citâsse D. Caluinum in Epist. illa ad veterem amicum factum Episcopum : cuius titulus statìm totam hanc D. Bezæ opinionem iugulat; qui est *de Christiani hominis officio in sacerdotijs papalis Ecclesiæ vel administrandis vel abiiciendis*. Si sacerdotia papistica sunt satanica, quomodò administrari queant ab homine Christiano, ego non video. Sed vidit vir acerrimi iudicij, in illis sacerdotijs duo quædam coniungi ; quorum alterum ad Domini nostri institutionem pertinet, alterum inuentio est Antichristi; & hac abiecta, remanere institutionẽ Dei : in qua Deum colere, & Ecclesiæ operam dare, quùm homo Christianus possit, non censuit vtrúmque abijciendum, si alterum liquidò retineri possit.

Satanicus Episcopatus si fuisset, qui in Ecclesia Romana suscipitur, illa, quæ totâ Epistolâ agit D. Caluinus, nullum haberent locum. Duo enim illic pertractat. Primum, quod sit pij & Christiani Episcopi officium ; alterum, quæ sit difficultas, & quot impedimenta occurrunt in Papatu, illius obeundi. Et inter disputandum, hæc & huius generis plurima habet: *Quoniam institutum Domini est, vt eligantur qui Ecclesijs præsint Pastores, hoc obtentu allectus es in eam, quam obtines, dignitatem; qualisq; tandem sit, aut quocúnque vocetur nomine, non vt satrapiam inuaderes, sed vt Ecclesiæ administrationem obires, arripis conditionem: inuocato Dei nomine, iuras in probi sancticq; Pastoris munus. Ea quæ sunt dignitatis pro Episcopo geris, & quò populum habeas obsequentem, nomen libenter præfers. Totum populum in te quasi viæ directorem inclinare, reiectaque ad tuam prouidentiam religionis cura, & securum esse pateris. Ita Deo & hominibus adstrictus, nihil tuà referre nugaris, si omnia pessum eant, quorum*

ita

in te procurationem suscepisti. Equidem si me interroges, quo te loco & ordine habeam; quiduis potius esse te, quàm Episcopum respondebo, in quo ne obscurissimam quidem lineam extare conspicer, quæ Episcopum, aliqua saltem ex parte, figuret: non propterea debere desinis, quod es, Deo teste & hominibus, aut verius, Deo simul & hominibus, sacramento pollicitus; quod expectari à te hominum opinione vides: denique quod tuo nomine profiteris. Quod profectò ipsum te sacrilegii reum agit: quandoquidem ore Domini, in sanctos Ecclesiæ vsus consecratum, ita peruersè abs te & improbè prophanatur. Hæc D. Caluinus, & plura huius generis, quæ ad hominem satanico fungentem Episcopatu rectè dici non possunt.

Si quidem hæc quæ recenset D. Beza Episcopatum constituerent, & illud esse officium Episcopi Romana Ecclesia definiret, ego cum D. Beza sentirem. Sed tantum abest, vt ipsimet Papistæ pleráque omnia damnent (sicut statim dicturi sumus) & aliena esse ab officio Episcopi clament. Vide quo tandem illam suam Epistolam D. Caluinus claudat dilemmate: *Omninò sanè aut tibi, quod ab Episcopo requiri audis, præstandum est, aut Episcopi sedes deserenda.* Quod si Romanæ Ecclesiæ Episcopatus satanicus est, nihil in eo esse potest, quod ab homine Christiano præstari debeat.

Vt liberè dicam quod sentio, nimis calidus & vehemens in aduersarios D. Beza fertur. Hic ardor plus adfert detrimenti Ecclesiæ Christi, quàm adiumenti. Tamen ipsius rationes expendamus. *Alii* (inquit) *à Presbyteriis prorsus sese segregârunt, adeò vt nihil habeant cum Presbyteris commune.* Age: factùm malè. Ergo Episcopatus est satanicus. Hieronymus notauit quandò ait, *ad vnum totius Ecclesiæ curam fuisse translatam:* non quòd intellexerit Episcopum posse totam suam diœcesin solum administrare sine Presbyteris: sed quòd generalis inspectio vni Episcopo commissa esset. Num putat D. Beza functionem Episcopalem dependere à Presbyterio? Multi olim fuêre, & sunt adhûc hodiè Episcopi, qui nullum, vel qui vnum tantùm habent secum in parœcia, vel diœcesi sua, Presbyterum: quòd præsint tantùm paruo populo, in loco obscuro & exiguo. Fateor quidem hoc esse rarum, & quòd ad minus Episcopus habere duos Presbyteros deberet, vt collegium constitueret. Sed paruos istos Episcopatus, qui fuerunt olim satis frequentes, & sunt adhûc hodiè plerisque in locis, D. Beza nullo loco habet.

Episcopatus nulla necessitate Presbyterio, hoc est, collegio multorum Presbyterorum coniungitur: vt consequens sit satanicum fore, si Presbyterum nullum habeat Episcopus. Sed vbi numeroso Presbyterio opus est, nec potest vnus solus cum vno aut altero Presbytero regendæ Ecclesiæ sufficere, Episcopus malè facit, si Presbyterium nullum habuerit: Deóque reddet rationem negligentiæ suæ, & contemptus fratrum suorum.

Alii Presbyteria prorsùs aboleuerunt, &c. Vellem id demonstrari, vbi, & quomodò, & quicquid peccatum est (vt scio grauissimè peccari) faterer: sed indè non posse deduci, quod intendit D. Beza, demonstrarem: quòd in hac re non quid fiat, sed quid Ecclesiasticæ regulæ, quas sibi Pontificij constituerunt, præcipiant, spectandum sit.

Quæ D. Beza tangit de tota Ecclesiæ administratione, de electione, depositione, excommunicatione, & ereptis Ecclesiarum iuribus, latiùs patent, quàm vt quicquam ad ea responderi possit. Sunt multa his titulis comprehensa, in quibus cum eo sentio, & fortè quædam etiam in quibus ab eo dissentio. Nam etiamsi contra Petri interdictum quis clero dominetur, quod tunc temporibus Apostolorum potuit, & hodiè in reformatis Ecclesijs euenire potest, aliud nihil consequetur, quàm improbum illum esse Episcopum, non autem ipsum Episcopatum, contra quem peccat: vtpotè qui eo abutatur ad tyrannidem.

D. Beza.

QVòd contra expressam Christi præceptionem, temporalia dominia inuaserunt: quòd τῶν βιωτικῶν, & reipublicæ negotiis, non modò interesse, sed etiam præesse velint, contra expressam Pauli prohibitionem. 2. Tim. 2. & 1. Cor. 6. ipsius vsque adeò Christi, Luc. 12. 14. exemplum.

Had. Saravia.

SI qui Episcopi inuaserunt dominia temporalia, sicut aliquot Alexandrinos Episcopos quòdam feciſſe constat: & in qua re nec modum nec ius vllum seruauit Romanus Episcopus, vsurpationem ego non defendo. Sed si D. Beza nefarium putat in republica Christiana Episcopum nobilia feuda possidere sub regibus, ei ego non adsentior.

Nec id locis illis, quos notauit, probatur. Paulus iudicia de rebus ad victum pertinentibus, non tam Pastoribus Ecclesiæ adimit, quàm permittit : imò fidelibus ad illos ea deferre præcepit, vbi deest Christianus magistratus. Ad quẽ, obsecro, potissimùm recurrant fideles iniuriâ affecti à fratribus, quàm ad suum Pastorem, si nemo alius adsit, qui inter fratres arbiter esse velit? Quùm Paulus infimum quemuis potiùs litem inter fratres velit decidere, quàm vt infidelis iudicis adeant tribunal, multò magis ad Pastores rem deferendam intelligit. Argumenta quæ Paulus adfert id efficiunt. 1. Cor. 6. c. 4. vers. βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια ἐὰν ἔχητε, τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τούτους καθίζετε : πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω. & vers. præced. οὐκ οἴδατε ὅτι οἱ ἅγιοι τὸν κοσμον κρινοῦσι; καὶ εἰ ἐν ὑμῖν κρίνεται ὁ κοσμος, ἀνάξιοι ἐστε κριτηρίων ἐλαχίστων ; οὐκ οἴδατε ὅτι ἀγγέλους κρινοῦμεν, μήτι γε βιωτικά; Hæ rationes euincunt Christianum Episcopum posse dirimendis litibus Christianorum vacare.

Et hic mos erat temporibus Augustini, vt ipsemet testatur in libro de opere Monachorum. Quare hîc ipsius verba subijciam. *Dominum Iesum, in cuius nomine securus hæc dico, testẽ inuoco super animam meã, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multò mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum, liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotiis secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis : quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non vtiq; suo, sed eius qui in eo loquebatur, arbitrio : quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus. Aliter enim se habebat Apostolatus eius discursus. Nec dixit, Secularia igitur iudicia si habueritis, ad nos deferte, aut nos constituite ad iudicandum, sed eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia : hos* (inquit) *collocate : ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quispiam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles. Sapientes ergò, qui in locis consistebant, fideles, & sanctos, non qui hûc, atque illûc propter Euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit. Vnde nunquàm de illo scriptum est, quòd aliquando talibus vacauerit, à quibus nos excusare non possumus, etiamsi contemptibiles simus : quia & hos collocari voluit si sapientes defuissent, potiùs quàm vt negotia Christianorum deferrentur in forum. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus, pro spe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia. Serui enim sumus eius Ecclesiæ, & maximè inferioribus membris, quantalibet in eodem corpore membra sumus.* Hæc August. Ex quibus verbis quid in hac re permissum esse Episcopo, imò quod eius esse officium Augustinus iudicauerit, videre possumus.

Hæc non eò adfero quòd commendem papisticum morem litigandi de quauis re pecuniaria, apud officiales Episcoporum, cùm adsint Christiani magistratus, qui meliùs huiusmodi lites dirimere possunt : sed vt ostendam hoc non esse satanicum, si fiat eo modo ab ipso Episcopo, quo factitatum olim fuit à Patribus. Et quod alterum locum attinet ex 2. Tim. 2. c. 4. vers. *Nemo qui militat, implicatur huius vitæ negotiis.* Sensus huius loci est, abstinendum esse ab omnibus quę remorantur & impediunt Christianam militiam, quemadmodùm D. Caluinus doctè interpretatus est. *Paulus* (inquit) *perstat in similitudine, quam à militia sumpserat. Quanquàm propriè loquendo, metaphoricè priùs dixit Christi militem; nunc verò comparatione prophanæ militiæ cum spirituali, & Christiana. hoc sensu. Ea est militaris disciplinæ ratio, vt simulatque miles imperatori nomen dedit, relicta domo, & negotiis omnibus, non nisi de bello cogitet : ita vt Christo penitùs addicti simus, omnibus huius seculi impedimentis solutos esse oportet. Per negotia vitæ intelligit familiæ administrandæ curam, & ordinarias occupationes, vt agriculturam suam rustici, mercatores sua mercimonia, tabernásque deserunt, donec stipendio suo sunt perfuncti. Nunc applicanda est comparatio ad rem præsentem : quòd quisque vult sub Christo militare, debet relictis omnibus mundi tricis, & auocamentis, se illi totum, suáque studia addicere.* Hæc D. Caluinus in hunc locum. Cui addo, lites præcidere, & dirimere inter fratres, vbi apud Christianum Magistratum recurrere non licuit, ab Episcopi militia non esse alienum. Ad boni Episcopi officium pertinet conari omnibus modis, vt lites & iurgia sopiantur, & charitas Christiana foueatur inter eos qui ipsius curæ commissi sunt. Et sub Christiano Magistratu, nihil quod non deceat Episcopum, committitur, sicubi Eirenarchæ ipsis officium imponitur, vt inter vicinos, pacis & concordiæ sint conciliatores, & publicis interfint cum authoritate publica iudicijs. Et hoc ipsorum etiam est, non tantùm deterrere homines à calumnijs, &

oppressionibus

oppressionibus iniquis, viduarum, orphanorum, & pauperum, sed illis obuiàm ire, & in calamitate constitutis opem ferre. Quis non dicat, sapienter à summis Magistratibus fieri, quòd adsidere iudicibus prouinciarum Episcopos volunt tanquàm patronos innocentiæ & æquitatis: vt videant qua æquitate transigantur iudicia? Tantum abest vt satanicum hoc iudicem, vt nihil magis Christianum in Christiana Republica constitui posse putem. Præsidium oppressis, & solatium atque perfugium miseris apud priscos Episcopos olim semper fuit, & esse oportet. Quod si nihilo tenerior ipsis sit commiserationis & clementiæ sensus, quàm mundanis hominibus, & causâ pauperum, & viduarum, & orphanorum, non magis moueantur quàm stipites, ferent ipsi iudicium. Summus Magistratus apud Dei tribunal liber erit.

Quod ex 12. cap. 14. vers. Lucæ adfertur, Dominum respondisse cuidam è turba, qui eum interpellabat, vt iuberet fratrem ipsius partiri secum hæreditatem, se iudicem non esse constitutum, nihil aduersatur superiori sententiæ, si pugnantes hinc inde rationes attemperentur. Argumenta Pauli quibus Corinthijs persuadere voluit, vt potiùs abiectissimum quemuis arbitrũ acciperent, quàm vt ad infideles iudices fratres pertraherent, hùc contra Domini factũ adferri possunt: & præterea quæ dixi in hac re pertinere ad officium Episcopi. Viderinè potuit ab ipsius Domini officio alienũ, qui in hunc mundum venerat, vt homines reconciliaret Deo, & hominum inter se mutua charitate, firmáque amicitiâ animos coniungeret, dissidentes fratres ad concordiam reducere? Absurdum profectò videre posset, quòd rogatus id negauerit, nisi grauissimas causas negandi quod petebatur, Dominus habuisset. Quod quidam Veterum dixit, omnem Christi actionem nostram esse instructionem, vt in plerisque verum est, ità in quamplurimis exceptionem patitur, nisi pares subsint causæ. Prima itaque huius officij negati causa fuit communis error, qui de regno Christi habebatur, quem nec ex Apostolorum suorum animis Dominus poterat euellere: nempè qui alterum ciuilem Magistratum Mosen, & alterum terrenum Regem Dauidem fore Christum, sibi in suis cogitationibus formabant, qui iudex esset futurus terrenarum rerum, vt Moses & Dauid fuerant. Hanc opinionem Dominus confirmare nullis suis factis voluit. Altera causa est, quòd Dominus hic interpellatur non vt arbiter, sed vt iudex. Arbitrari ex consensu partium priuatis semper licuit, nec vnquàm id magistratus ad sui iniuriam interpretatus est fieri: sed iubere, ad legitimum iudicem pertinet. Atqui Dominus rogatur vt dicat fratri, vt diuideret hæreditatem cum fratre suo: hoc est, vt authoritate sua imperaret ei, qui videtur detinuisse partem hæreditatis, quæ fratri suo accidebat. Eam igitur quia recuperare vult mandato Domini, qui Magistratus non erat, intercedente, meritò repellitur. Aliàs non apta fuisset Domini responsio: *Quis me constituit iudicem, aut partitorem inter vos?* Respondere enim potuissent: Nos, Domine, te elegimus, & constituimus arbitrum, & plenam huius tibi potestatem facimus. Sed id responderi non potuit: ab vna enim tantùm parte interpellabatur Dominus. Arbiter constituitur ex consensu partium: ab altera tantùm imploratur iudicis auxilium. Magistratus igitur partes Dominus inuadere noluit. Pater enim eum in hac vita tantùm doctorem constituerat: & ipse priuatam elegerat vitam.

Hoc exemplo docentur Episcopi (quicunque illi sunt) non esse vsurpandam ciuilem authoritatem: & potestatem Ecclesiasticam, quæ ab Apostolis ad ipsos est deuoluta, nullum ciuile imperium ipsis dare: proindè damnari vsurpatam tyrannidem Romani Episcopi, & clientum ipsius, quæ ciuile totius orbis imperium ad se pertraxit: & iudicem imperatorum & regum, partitorémque totius orbis terrarum, seipsam constituit. Hanc vsurpationem fateor esse satanicam, sicut & vicariatum, qui hoc tribuere Romano Episcopo ius creditur. Veruntamen hinc non sequitur Episcopos non posse ex consensu partium litigantium constitui arbitros, nec posse à summo Magistratu, cui subsunt, & parere tenentur, constitui rerum temporalium, ciuiliúmque causarum iudices. *Quis me constituit iudicem?* (inquit Dominus.) Si iudex igitur constitutus fuisset, non hoc vtique respondisset: sed parti afflictæ opem tulisset. Nihil igitur istè locus arguit contra Episcopos legitimè constitutos rerum ciuilium iudices, vel arbitros.

Deindè non hoc statuimus esse necessarium, aut in Republica Christiana cum Episco-

patu coniunctum: sed vbi cum vtilitate publica fit, & vsus ita obtinuit. Ideircò conscientias sauciare, & disputare, esse contra diuinum institutum, meo iudicio est temerarium: quia nusquàm inuenietur prohibitum. Sed vt ad vsurpationem redeam: fateor (inquam) eam esse satanicam: sed ita vt Episcopatus eorum, qui sub Pontificia tyrannide degunt, vt sunt omnes Germaniæ, & Galliæ, & Hispaniæ Episcopatus; non putem esse satanicos. Homines, & Episcopi possunt esse diaboli, vt ministerium, in se consideratum, non sit quod sunt ipsi. Cum sacerdotio Asmonæi regnum coniunxerunt: parricidijs inter se diabolico quodam furore perciti, grassati sunt, regnādi causâ. Nemo tamen satanicum idcircò iudicauit illorum esse sacerdotium. Annas & Caiaphas crucifigendum Dominum nostrum Iesum Christum Pontio Pilato tradiderunt: Pontifices tamen fuisse, verbum Dei adeò apertè testatur, vt negari non possit.

D. Beza.

Qvòd vsibus sacris dicata, in luxu & pompa contra conscientiam, & omnem pudorem, consumant.

Had. Saravia.

NOn probo, quod neminem Principem Christianum decet, multò minùs Episcopis licet. Sed nec hoc facit, vt Episcopatus sit satanicus: quia luxus, & quicquid luxum comitatur, pars nulla sunt Episcopatus; sicut nec ipsius sunt actiones, aut effectus, sed perditorum hominum. Si quis dicat hoc argumentandi genus esse Anabaptisticum, & ex hæresi natum, iniuriam nemini fecerit (nulla tamen infamia nomen Bezæ aspergere volo.) Sed quia hoc enthymema hoc pacto resoluendum est: Qui sacris vsibus dicata, luxu & pompa consumunt, funguntur munere satanico. Hac constituta propositione, adsumere quiuis poterit, Reges ac Principes, æquè ac Episcopos, sacris vsibus dicata in luxu & pompa consumere; ergo eorum regna & principatus sunt satanica: nisi fortè ratio aliqua sit, cur potiùs luxus ille reddat Episcopatum satanicum, quàm ciuilem principatum. Ego cum rudioribus nullam video causam. Si tamen aliqua est, adiectam oportuit: ne quis impingat ad huius generis axiomata, quæ in animis lectorum impressionem seditiosam relinquunt. Quid obsecro? si sacris vsibus dicatis moderatè & sobriè (vti decet) Episcopi fuerint vsi: num rectè sese habebit Episcopatus, & desierit esse satanicus?

D. Beza.

Qvòd Spiritum sanctum certis locis cum personis alligauerunt, quasi qui alicuius loci celebrioris est Episcopus, sit necessarijs donis supra cæteros ornatus, aut qui hodiè maximè est idoneus, sit talis quoque semper futurus.

Had. Saravia.

HOc esse satanicum, & totum præterea Papatum, & vicariatum Episcopi Rom. fateor: est enim mendacium à mendacij patre profectum. Sed hoc tantùm vni isti tribuitur vicario Christi, qui nec parem, nec priorem patitur. Hoc nihil ad cæteros Patriarchas, aliosuè Episcopos pertinet. Sed papatus non est propriè Episcopatus: sed opinione aliquid ipso Episcopatu maius. Vltra hanc hypothesin, qui latiùs extendet thesin, vereor ne non tantùm thronos Patriarcharum euertat, sed solijs Regum & Principum successiones hæreditarias excutiat. Hûc enim indè facilis est transitus, si tantùm mutes nomina.

D. Beza.

Qvòd denique, vt sunt ipsi inter se, suis illis thronis ac gradibus distincti, secundùm imperij Romani formam, sunt illa bestiæ (teste etiam ipso Papa Anacleto, Epist. 2.) imago, quæ describitur Apocalyps. 17.

Had. Saravia.

VEllem latiùs & distinctiùs ista declarari. Patriarchæ illi magni quatuor, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, vt alios innumeros per vniuersum orbem dispersos præteream, tam qui olim fuerunt, quàm qui adhûc hodiè supersunt, nullis fuerunt generalium Conciliorum decretis, quæ veteres Patres probârunt, Romano Episcopo subiecti. Primi loci honoris prærogatiua

tiua potestatẽ imperiumuè in collegas nullum dabat. Quod veterem hierarchiam Ecclesiasticam attinet; in illa nihil est, etiamsi Dionysianam accipiamus, quod veteris Romani imperij formam repræsentet. In Cardinalium senatu cum capite suo Papa, vmbra quædam perobscura veteris imperij remanet, qua Roma subsistit: sed nos eam non defendimus.

Populare quidem, vel potiùs puerile est, quod de Metropolitanis, & Diœcesibus, & Parœcijs adfertur, cùm æquè Persicum, Babylonicum, Turcicum, vel Abissinum referat, ac Romanum imperium. Distributio illa prouinciarum politica fuit, nec in se quicquam mali aut monstrosi habuit, quod Deo displicuit. Per blasphemiæ nomina, bestiæ & ipsius imagini communia, falsa & impia dogmata, persequutiones fidelium, veritatis odium, perpetuum cum sanctis bellum, D. Iohannes significare voluit. Illa si quis colligat, & inter se comparet, videbit conuenire omnia cum ijs, quæ de priore bestia, & ipsius dicuntur imagine. Proedria Hierosolymitani, Antiocheni, Alexandrini, Romaniq; Episcoporum, non ita illis propria fuit, quin pluribus communis Metropolitanis esset. Episcopus Carthaginensis 80. annis ante Conc. Nicenum latissimam obibat prouinciam, sicut ex ipsius Cypriani epistolis, alijsq; Veterum scriptis apparet. Præter Africam habebat Numidiam, & Mauritaniam, prouincias consociatas. Ille primatus ante Cypriani & Agrippini tempora fuerat, nè quis putet tùnc incepisse. Nam eius si origo quæratur, inuenietur eadem fuisse cum ea quæ fuit Hierosolymitani & Antiocheni.

In Cypro primatum tenebat Constantiæ Episcopus; in Gallia Arelatensis: atq; in cæteris magnis nationibus vbiquè Metropolitanus aliquis Patriarcha semper fuit: in quem olim nullum imperium Romanus habuit Episcopus. Pacem & concordiam mutuam fouebant inter se illi Episcopi, tanquàm fratres, & paris authoritatis collegæ. Ab antiquo distributæ ecclesiæ Episcopis fuerant magna ex parte pro ratione ciuilis imperij, (non tamen vt putat D. Beza ad eius imitationem) quòd Ecclesiarum conseruatio, & doctrinæ propagatio, populiq; fidelis commoditas ita postularet. Neque quicquam ad hanc rem contulit Rom. Episcopus.

Per hos maximarum vrbium Episcopos consociabantur ecclesiæ, atque vnitas membrorum corporis Christi conseruabatur. In his thronis distinctis, qui trecentis illis prioribus annis sederunt, cùm fuerint omnes Christi martyres; per 24. seniores & 24. thronos in Apocalypsi significatos fuisse, magis piè & Christianè credendum est, quàm aut viam præparâsse Antichristo, aut in Apocalypseos imagine bestiæ describi. Quòd Pontificia tyrannis secuta est, non magis optimæ & sanctissimæ politiæ tribui debet, quàm Asmonæorum tyrannis Aaronico sacerdotio.

D. Beza.

HAnc pseudoepiscopalem hierarchiam quam vocant, quæ tandem in Antichristianum primatum euasit, prædixit Apostolus, Act. 20.29. & cap. 3. Ioh. vers. 9. manifestè liquet, iam tùm Satanam cœpisse istius sui imperij fundamenta iacere.

Had. Saravia.

NIsi quis vim facere velit verbis Pauli, & Iohannis, ad primatum Romanum loci citati referri non possunt. Peruersissimum docendi genus est, quamuis Scripturam contra suum sensum quolibet trahere. Quæ hæc esse potest argumentatio? Diotrephes ambiebat primatum: ergo primatus in Ecclesia nullus esse debet inter eiusdem ordinis collegas. Vel ista? Pseudoepiscopalis hierarchia in Antichristianum primatum euasit: ergo nulla debet esse hierarchia, & ea quæ est, tollenda est. Nullũ est nec fuit vnquàm tam necessarium legitimumque imperium, quod quiuis hac argumentandi ratione non euertat.

Similiter Paulus prædixit Ephesinis Episcopis, ex ipsis egressuros lupos, non parcentes gregi: ergo prædixit pseudoepiscopalem hanc hierarchiam in Antichristianum Romanum primatum degeneraturam. Hanc, inquit. Quam amabô? Eamnè de qua inter nos controuertitur? Si illam intelligit; nimis temerarius est, nimis toti antiquitati sanctissimisq; Patribus iniurius est. Et certè illi, quos in Act. 20. cap. Apostolus adloquitur, & è quibus lupos exorituros prædixit, diuinæ institutionis erant Episcopi, vt si omnis ille ordo aboleri debeat, à quo malum aliquod euenturum metuitur, nec ille diuinus Episcopatus subsistere poterit.

Ex tot Patriarchis, quia vnus est inuentus Romanus Episcopus, qui primatum, quem ipsius maiores, consuetudine & ecclesiarum consensu, Conciliorumq; approbatione habuerant, fastidiuit: & alium priscis Patribus incognitum, nempè vicariatum Christi vniuersalem, sibi vni, prætextu successionis Petri, impotentissima dominandi libidine, arrogauit: immeritò sanctissimi Patres, quos fuisse Archiepiscopos, & Metropolitanos ac Patriarchas constat, sicùt & ij qui hodiè adhûc varijs in locis per vniuersum orbem dispersi sunt, & Archipiescoporum & Patriarcharum fungũtur officio, infamia Romanæ ambitionis & superbiæ aspergũtur: a quibus illud metuere, quod episcopo Romano accidit, est insanire.

Oriens adhûc habet suos Patriarchas, habẽt & Abissini suum: & sicubi in orbe terrarum Christiani nominis est aliqua gens, illa suos episcopos, & Archiepiscopos habet, vt semper habuit. Et vndè hæc singularitas, vt differre nos ab omnibus alijs Christianis velimus, & plus sapere videri?

De hac hierarchia non ita sentit D. Caluinus, qui in Tractatu de necessitate reformãdæ Ecclesiæ scribit. *Talem* (inquit) *nobis hierarchiam si exhibeant, in qua sic emineant episcopi, vt Christo subesse non recusent, vt ab illo tanquàm vnico capite pendeant, & ad ipsum referantur, in qua sic fraternam societatem colant, vt non alio modo quàm eius veritate sint colligati: tùm verò nullo non anathemate dignos fateor, si qui erunt, qui non eam reuerenter summaq; obedientia obseruent.* Idem Caluinus Institut. lib. 4. cap. 4. sect. 4. longè modestiùs de hac eadem re scribit. Eius verba hic etiam subijcio. *Quòd autem singulæ* (inquit) *prouinciæ vnum habeant inter episcopos Archiepiscopum: quod item in Nicena Synodo constituti sunt Patriarchæ, qui essent ordine & dignitate Archiepiscopis superiores, id ad disciplinæ cõseruationẽ pertinebat. Quanquàm in hac disputatione præteriri non potest, quod rarissimi erat vsus. Ob hanc igitur causam potissimùm instituti sunt illi gradus, vt si quid in ecclesia qualibet incideret, quod non posset bene à paucis expediri, ad Synodum prouincialem referretur. Si magnitudo aut difficultas causæ maiorem quoq; discussionem postularet, adhibebantur Patriarchæ vnà cum Synodis: à quibus non erat prouocatio, nisi ad vniuersale Concilium. Gubernationem sic constitutam nonnulli hierarchiam vocàrunt nomine (vt mihi videtur) improprio: certè Scripturis inusitato. Cauere enim voluit Sp. sanctus ne quis principatum aut dominationem somniaret, quùm de gubernatione ecclesiæ agitur. Verùm si rem omisso vocabulo intuemur, reperiemus veteres episcopos, non aliam regendæ ecclesiæ formam voluisse fingere ab ea quã Deus verbo suo præscripsit.* Si D. Beza se intra hos Magistri sui moderationis fines continuisset, nunquàm hanc nouam Episcopatuum distinctionem commentus esset, quæ, præterquam toti antiquitati, sanctissimisq; Patribus iniuriosa est, catholicam & apostolicam, hoc est, veram & legitimam ecclesiæ Christi gubernationem euertit.

D. Beza.

Ex ipsius autẽ Concilij Niceni (alioquin quod ad doctrinam attinet, meritò vbiq; recepti) historiâ constat, quàm fœdæ iam tum fuerint de regendis inter episcopos finibus dissentiones: quarum fontes tantum abfuit vt obstruerentur, vt etiam ἀρχαῖα ἔθη Metropolitanos & Patriarchas confirmârint, adeoq; iam ghlcenti horrendo Papatui Romano aditum aperuerint, illiq; super septem montes sedenti meretrici solium substrauerint.

Had. Saravia.

Quod vna manu D. Beza ædificat, altera destruit. Concilij Niceni fidem recipit, gubernationem ecclesiasticã reijcit. ἀρχαῖα ἔθη displicent, πάτρια placẽt. Vetus mos Metropolitanos & Patriarchas confirmat, & nouus mos abrogat. Quod trecentos 18. Patres mouit, nos non tangit. Vtris tamẽ potiùs credendũ? Verbo Dei (inquies) Cedò quodnã? Nullum hactenùs audiuimus, quo nos moueri oportuerit. Ecclesiam dari postulo, quæ non fuerit sub aliquo Metropolitano, & Patriarcha. Ecclesiæ, quas in remotissimis orbis partibus Deus habuit, apud Scythas & Indos, & Aethiopas (qui hodiè Abissini dicuntur, & de Conciljs nostris Græcis & Latinis nihil audierunt) suos tamen semper tùm Episcopos, tùm Archiepiscopos &, Patriarchas habuerunt.

Ἀρχαῖα ἔθη tanti Patres æstimârunt, vt nihil contrà statuendum sibi iudicarent. Et nos contemnere & contrà facere audemus? Hoc pacto malè bona causa defenditur. Suprà demonstraui gradus diuersos tam in veteri quàm in nouo Testamento fuisse à Deo institutos. D. Beza credit, Patres inopiâ testimoniorum diuinorum ad consuetudinem confugisse: quasi aliud verbum Dei doceat, aliud vniuersalis omnium locorum, & temporum ecclesiæ consuetudo tradat. Sed neque inopiâ diuinorum testimoniorũ, ad veterẽ con-

consuetudinem Patres confugerunt, neque consuetudini plus tribuerunt, quàm erat æquum. Nulla tunc erat controuersia de Episcoporum & Archiepiscoporum authoritate: verùm illa esset humanæ institutionis, vel diuinæ. Nemo sanus illa ætate dubitabat Episcopos & Archiepiscopos successores esse Apostolorum, & functionem eorum esse diuini iuris: sed qui præesse cæteris deberent, & cui potissimùm subessent Patriarchæ, ambigebatur: de qua re cùm in verbo Dei nihil esset scriptum, ad consuetudinem sibi recurrendum esse Patres iudicârunt, iuxta regulam, quam de hac re à maioribus acceperant, & D. August. scriptam posteris reliquit. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis est institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur.* Quid enim aliud Niceni Patres fecissent? Secundùm Dei verbum, Ecclesiarum vetus consuetudo authoritatem obtinebat: & Apostolica, vt erat, credebatur traditio, vt à diuersorum graduum Pastoribus regerentur Ecclesiæ. Nihil igitur censuerunt innouandum, sed obseruandum quod à Patribus traditione acceperant.

Quanuis quasuis suas superstitiones, & idolomanias, sub nomine traditionis defendant Papistæ, referantque eas ad Apostolos; non tamen idcircò negandum est, traditione non scripta nihil fuisse relictum Ecclesijs. Sed hoc certissimum est, non posse aduersari scriptæ traditioni, quod vsu tantùm & consuetudine in omnibus Ecclesijs ab Apostolis acceptum obtinuit. Contraria docuisse Apostolos, & aliud scripto, aliud sermone tradidisse, est planè absurdum. Non scriptæ consuetudines vniuersales, vbique apud omnes Ecclesias receptæ, admittendæ sunt, quatenùs verbo Dei scripto nihil aduersantur. Meo iudicio non rectè Papistis negatur traditionum non scriptarum authoritas: quùm eam vbique probent Veteres, & contra hæreticos ab ea ducant argumẽta. Aug. *Sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

Quod D. Beza putat horendo papatui iam tunc gliscenti, Patres Nicenos suo decreto aditum aperuisse, cogitatio ipsius est, quæ nulla verisimili est fulta ratione. Mihi contrarium videtur longè probabilius: nempè fregisse tunc, & in perpetuum damnâsse ambitionem Romanorum Episcoporum, sicut apparet ex 4. Concilio Africano: in quo retusa fuit, & falsi conuicta, Bonifacij, & legatorum ipsius arrogantia, qui pro Nicæni Concilij decretis obtrudebant Sardicensis. Quamdiù Canones Niceni, & Concilium Africanum quartum extabunt, inuicta stabunt argumenta contra Romanæ vsurpationis tyrannidem. Quam sibi tunc vendicare tentabat Romanus Episcopus dominationem in Africanas Ecclesias, Patres viderunt esse contrariam verbo Dei: sed non eam, de qua inter nos controuertitur, finibus suis terminatam. Si D. Beza, & qui cum eo sentiunt, plus vident omnibus Patribus, & docere possunt esse contra Dei verbum, quod tunc nemo Patrum vidit, nec ante eos quisquam viderat; verbo Dei cedere tùm Patres, tum Concilia æquum est: sed hactenùs nullum adlatum fuit Dei verbum, quo vel tenuiter id persuadeatur. In hoc Tractatu nihil sine verbo Dei, eóque expresso, consultus à tanto viro, de re tanti momenti proferre D. Beza debuit. Verùm nihil adfert præterquàm quod sæpiùs inculcat contra Dei verbum, contra diuinam ordinationem esse introductum eum, quem opinatur esse humanum, Episcopatum, cum eo quem excogitauit esse satanicum. Quid enim habet momenti ad huius rei fidem faciendam quod sequitur; & quicquid præterea est huius generis?

D. Beza.

Sed absit vt ista, quantumuis vetustis magnisque authoribus nitantur, diuinis illis & Apostolicis scriptis præiudicent, ad quorum normam ipsas quoque Synodos exigi oportere, nemo sanæ mentis ambigit.

Had. Saravia.

Quanuis quicquid D. Beza scribit contra satanicum Episcopatum, ad nos nihil pertineat, qui talem nullum defendimus; tamen quod res est, subticere non possumus: nempe verba tantùm, non argumenta D. Bezam adferre, & Pontificios in suo errore confirmare, quandò, non solidioribus argumentis, quod adsumit, demonstrat. Præstaret D. Bezam ad Apostolicorum scriptorum normam exegisse vetustorum & magnorum authorum, adeóque ipsorum Conciliorum sententiam de Episcopis, & Archiepiscopis; & cum illis pugnare docuisse, quàm id esse faciendum intonare. Scimus humana omnia Apostolicis & Propheticis scriptis cedere debere: sed hoc dicere nihil iuuat, nisi id de quo quæritur, esse huiusmodi apertiùs demonstretur.

D. Beza

D. Beza.

ANalogiam autem illam inter Leuiticum & Christianum sacerdotium à nonnullis etiam vetustioribus huic probandæ satanicæ ἀναγωγῆς, ac tandem etiam tyrannidi probatam, quid attinet refutare?

Had. Saravia.

HOc pacto se D. Beza facilè omni molestia liberat: sed hoc non est sua docere, & aliena refutare. Euangelicum ministerium successisse Aaronico sacerdotio, & eo abrogato, & sublatis sacrificijs, quæ mortem & passionem Domini adumbrabant, remansisse sacerdotij partes, quæ ad doctrinam, & sacramenta, populique regimen in rebus diuinis referebantur, negari non posse puto. Nam Deus per Esaiam olim prædixerat se adsumpturum ex gentibus sacerdotes & Leuitas. Quòd si nulla esset analogia inter vtrúmque ministerium, nomina sacerdotum & Leuitarum, noui Testamenti ministris non conuenirent: proindè nec politeiæ Ecclesiasticæ ratio, quæ fuit inter eos. Sed cùm Domini mors ea tantùm abrogauerit, quæ ipsum, & ipsius æternum sacrificium adumbrabant, mutatis his quæ gentium immensa multitudo mutanda esse docuit, mansit politeia ratioque gubernationis Ecclesiasticæ, quæ quondàm in illo populo Dei fuit, & quam Deus inter sacerdotes & Leuitas constituit. Illa autem cùm fuerit diuina, ea quæ ad illius exemplar est formata, quantum ego videre possum, dicenda non est humana, aut satanica.

D. Beza.

SVmmum certè Pontificem fuisse Christi ipsius typum constat, cuius alteram nunc imaginem gerere ipsos Episcopos, si istos concesserimus, oportebit. Consequetur, quia sub Christum nullus est, tot esse Christi imagines quot sunt Episcopi.

Had. Saravia.

SVmmus Pontifex olim in Dei populo ita fuit ipsius Christi typus, vt cæteri omnes sacerdotes illud ipsum etiam essent, quod erat summus sacerdos. In priscis illis sacerdotibus Dominus velata facie à Patribus conspiciebatur: *nunc nos omnes reiecta facie gloriam Domini vt in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu.* Hodiè typis & imaginibus Dominus non repræsentatur: vt omnes Christiani quandam Christi imaginem exprimere tenentur; ita & inprimis Pastores, & Ecclesiæ doctores, quos præter cæteros sui fecit participes sacerdotij. Quatenùs enim legati & nuntij sunt Iesu Christi summi Pontificis nostri Episcopi, eatenùs ipsius personam repræsentant. Qui eos audit, Dominum audit, qui ipsos reijcit, Christum reijcit. Episcopum autem imaginem habere Christi, apud plures vetustos Patres legimus. Aug. in Quæst. vet. Test. *Dei imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi.* Quod & in Epist. Ignatij legitur. Quid absurdi cogitet D. Beza in hac re esse, si tot dicantur esse imagines Christi quot sunt Episcopi, non video. Tot enim sunt imagines Dei, quot sunt reges, imò quot sunt viri, homine suè Christiani.

2. Cor. 3. 18.

Miror D. Bezam ita scribere acsi summus sacerdos solus figuram Domini nostri repræsentâsset, non autem cæteri omnes sacerdotes; quùm vnicum tantùm fuerit Leuiticum sacerdotium: omnes enim sacerdotes erant id quod summus sacerdos. Quòd solus semel in anno summus sacerdos Sanctum Sanctorum ingrediebatur, præcipui honoris fuit, non alterius sacerdotij. Poterant enim alij sacerdotes ipsius in ea re supplere vices: si fortè quo casu, vt legali immunditia, aut morbo impeditus, illas partes obire non potuisset.

D. Beza.

AT contrà nullus Episcopus fuerit Christi imago, cùm Episcopi non sint Catholicæ Ecclesiæ, sed suæ particularis capita; imò ne capita quidem sunt, siquidem Episcopis Archiepiscopi Metropolitani, & istis rursùm Patriarchæ præficiuntur; & hi rursùs Papæ subsunt: vero scil. Christi, non typo, sed antitypo.

Had. Saravia.

VTinam D. Beza ab hoc argumentandi genere abstineret, quo bonam causam apud veritatis Euangelicæ aduersarios plus lædit quàm iuuat. Theologi Pontificij cũ risu hæc excipient, qui non tantùm in Episcopis, sed in quibusuis suis Presbyteris imaginem Christi

Christi constituunt. Ecquæ necessitas cogit vt Episcopus gerat imaginem Christi, eum esse Catholicæ Ecclesiæ Episcopum? Si papisticum dogma confutare vult D. Beza, necesse est ei vt demonstret neminē posse dici habere imaginem Christi, nisi Catholicæ Ecclesiæ sit vniuersalis Episcopus. Et pari ratione vt rex imaginem Dei referat, oportere cū esse totius orbis Dominum. His rationibus probare D. Beza poterit, sub Mose infimi gradus sacerdotes non gessisse figuram Mediatoris. Habebant enim singuli præter vicariū summi sacerdotis, & ipsum summum sacerdotem, suos suarum familiarum principes: quibus omnibus parebant, & erant subiecti. In sacris historijs duos præcipuos sacerdotes legimus: quorum alter summus erat sacerdos, alter veluti eius suffraganeus, & vicarius: qui, si fortè summus sacerdos, morbo aut alio quouis impedimento detentus, quæ ipsius erant officij præstare nequiret, vicem eius suppleret. Hinc Sadochus & Abiathar simul coniunguntur: & abrogato sacerdotio Abiathari, qui Adoniam fuerat secutus, patri Ahimelech successit. Argumentatiunculæ istæ parùm mihi videntur appositæ ad probandum satanicum Episcopatum. *Iere.* 52. 24. 2. *Sam.* 15. 24. 1. *Paral.* 24 6

D. Beza.

SVblato enim in cœlos vnico illo nostro capite, cui in æternum viuenti minimè sit quærendus successor, quis non videt sacerdotum legalium vicibus, Presbyteria, qualia nempe iure diuino instituta esse diximus, Leuitas verò Diaconis respondere?

Had. Saravia.

VIcarium & successorem alium à Spiritu sancto quærendum esse, qui succedat in terris Domino Iesu Christo, non adserimus. Benè inter nos de hac re conuenit: sed sacerdotum legalium vicibus Presbyteria, quæ D. Beza nobis proposuit, tanquàm iure diuino instituta, respondere, & Leuitas Diaconis annuis, quos hodiè in quibusdam Ecclesijs reformatis videmus, adsentiri nondùm ei possumus, nisi aut ipse D. Beza, aut alij melioribus & firmioribus id ostenderint argumentis. Demiror D. Bezam audere hoc modo loqui & dicere de hoc nouo Presbyterorū & Diaconorum genere, quod ante hæc tempora nemo vnquàm vidit: *Sacerdotum legalium vicibus, quis non videt Presbyteria, qualia nempè iure diuino instituta esse diximus; Leuitas verò Diaconis respondere?* Quid hoc aliud est quàm horrendę cœcitatis totam Antiquitatē damnare? Hæc loquendi forma est de re loquentis, adeò manifesta vt qui neget, eadē ratione neget solem esse lucidum. Nam hoc ei fidenter dico, hoc Presbyterorū & Diaconorum nouum genus fuisse hactenus omnibus, quæ nos præcesserunt retrò seculis, incognitum: vtpotè quorum nec historiæ Ecclesiasticæ, nec Patrum monumenta, nec Conciliorum, & Synodorum decreta, vllam faciant mentionem. Multò certiùs (meo iudicio) dici posset: Quis non videt veterem Ecclesiæ ordinem, quo vnus Archiepiscopus in vna prouincia cum suis Episcopis suffraganeis præsunt suis compresbyteris, vicibus sacerdotum legalium, & Diaconos Leuitis respondere? Comparationi huic diutiùs immorari nolo. Hactenùs in hac tota enarratione peccatorum Romanæ Ecclesiæ, ne linea quidem est, quæ nobis satanicum Episcopatum describat. Qui quanuis possit facilè, ex ijs quæ dixi, colligi quis sit, tamen maioris perspicuitatis gratiâ, eum definiam ab ipsius proprietatibus, & causis, atque effectibus, si priùs quid Episcopatus sit Episcoporum Romanensium, qui sub Papa degunt, ex ipsorū scriptis describsero: vt comparetur cum illo, qui est reuerâ satanicus. Sic apparebit quid rectè, quid secùs, à D. Beza dictum sit.

Profectò si mores responderent Episcopatui, quem ipsimet Papistæ describunt & profitentur, nihil esset illis Episcopis sanctius, nihil religiosius. Impius ille esset, quisquis tam fidos Christi seruos, tam vigiles Ecclesiæ custodes, tam pios veri numinis cultores, non omni obseruantia coleret. Sed quantum lux differt à tenebris, tantum eorum vita distat ab illa sanctitate, quam profitentur, & ab Episcopis ipsorum Canones exigunt. 36. Dist. cap. Si quis. *Hæc sunt Pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo Scripturas diuinas, & sæpiùs meditando; aut populum doceat. Sed illa doceat quæ à Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. Est & aliud opus quod facit Moses. Ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? orat; & donec ille orat, vincit populus eius. Si laxauerit, & dimiserit manus, populus eius vincitur & fugatur. Oret ergo & sacerdos Ecclesiæ indesinenter vt vincat populus qui sub ipso est, hostes inuisibles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes*

impugnantes eos, qui volunt piè viuere in Christo. Et 7. Q. 1. Sicut vir Episcopus. *Episcopum vero oportet opportunè & importunè, atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eamq; prudenter regere & amare, vt à vitijs se abstineat, & salutem consequi possit æternam. Et illa cum tanta reuerentia eius doctrinā debet suscipere, eumque amare & diligere, vt legatum Dei, & præconem veritatis.* Quid pluribus detinebo lectorem? Legant præterea qui volent distinct. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. Et indè desumatur quis & qualis sit Episcopatus, quem in Romana Ecclesia Romanenses profitentur. Et hanc aut similem aliquam definitionem facilè colliget, aut ego vehementer fallor. Episcopum esse virum Dei, à vitijs alienum, domus suæ bonum moderatorem, seruum Christi, fidei doctorem, veritatis propugnatorem, totiúsque Ecclesiæ tam cleri, quàm populi, vigilem custodem, mysteriorum Dei dispensatorem, viduarum & orphanorum patrem, pauperum & miserorum refugium, oppressorum præsidium, bonorum defensorem, & patronum, vitiorum castigatorem & emendatorem. Talem nobis proponunt & describunt Papistæ Episcopum. Et hæc omnia Deo vouent & Christo, & Ecclesiæ solenni sacramento iurant. At (inquies) nihil minùs præstant. Scio. Sunt enim ex eo hominum genere, qui dicunt & non faciunt. Sed ex moribus nunquàm definienda est functio. Specto qualem Episcopatum profiteantur, non qualem gerant. Specto quid Deo Episcopi iurent, non quid præstent. Quod iurant & vouent, ad officium pertinet Episcopi. Quod præstant, ad apostasiam, & abominationem Antichristi.

Quod disputatum est à me; mala quæ in diuinis ordinationibus diabolus inuexit, aut hominum improbitate & malitia irrepserunt, non efficere, vt aut prorsùs desinant diuina esse, aut in diabolicas inuentiones mutata sint; immotum maneat oportet: vt sunt imperia, & principatus, & coniugium, rerum possessiones discretæ, & id genus instituta, quibus humana vita regitur. Extra controuersiam autem est, ordinationes ministrorum Ecclesiæ esse diuinam institutionem, quocúnq; nomine censeantur: & quanuis Romana Ecclesia neque catholica Ecclesia sit, quam credimus, neque sanum illius membrum; Ecclesiæ tamen nomen retinere, & esse, non magis negari potest, quàm olim decem tribubus Israeliticis, quæ Ieroboami defectionem à vero Dei cultu sequutæ sunt: & Iudæ etiam, quandò Dei cultus etiam apud eos corruptus fuit, & Hierosolymis prophanis & impijs dæmoniorum cultibus fœdata fuerunt omnia. Quæ sicut meritò adulteris mulieribus à Prophetis comparantur, quæ relicto veri mariti thoro, scortabantur cum varijs amatoribus: ita Romana Ecclesia meritò audit, quòd meretrix sit Babylonica. Ex qua tamen cùm Deus filios sibi procreet, nullo modo id fieri posset, si ministerium Ecclesiasticum aut nullum ibi esset, aut esset diabolicum. Incipiam igitur ab electione Episcoporum, vt videamus in quem finem eligantur, quid intendant, quidue sibi propositum habeant electores: Num ad aliquod diaboli ministerium, quo sacrilegis flagitijs se & alios impient, ordinentur: quid electus Deo spondeat, & Ecclesiæ promittat. Episcoporum electio hodiè fit à Capitulis Ecclesiarum Cathedralium; in qua re videri potest recessum esse à priscis Ecclesiarum consuetudinibus: & libertatem eligendi Pastores interijsse. Sed considerandum est in eligendi ratione, & modo, quædam mutari posse, vt tamen maneat legitima electio: nimirùm quandò res tempúsque id postulant. Propter diuersorum temporum & populorum mores, mutatio quæ accidit, necessaria fuit. Quid enim opus est vt popularium electionum grauissimas turbas, & cruentas cædes commemorem? Quid ambitiosorum factiones quibus ciuilem Magistratum suam potestatem interponere opus fuit? Itáque res ad clerum delata fuit, vt eligerent non quem vellent, sed quem Nobilitas cum plebe postulâssent: & quem omnes, vel maior pars Episcoporū prouinciæ, cum Metropolitano probâssent. Postulandi autem & nominandi ius, tam electus ipse quàm populus cum Nobilitate, magnis & iustis de causis, transtulerunt ad Reges, vt nemo iure queri possit in Episcoporū electionibus Ecclesiam suo iure esse priuatam. Primùm, quòd iure diuino Regum interfit videre, qui Pastores & Episcopi præficiantur regni sui populis; deindè, prædijs, villis, & feudis mobilibus, alijsque varijs prouentibus, cùm Reges dotârint Ecclesias, iura Patroni obtinuerunt. Præterea, cùm Reges populi Dei summos sacerdotes propter eorum facinora mouerint sacerdotio, & alios surrogârint, idem ius Christianos Reges habere, contra Dei verbum non est. Si contingat prorsus indignum, in Episcopum à Rege nominari eligendum, sicut & olim fieri poterat

à plebe,

à plebe & nobilitate; constantiam quam tunc in Clero,& in Episcopis,& Metropolitano requisiuissem, nunc etiam requiro. Semper enim firmum hoc manere debet parendum esse potiùs Deo,quàm hominibus,quandocúnq; quod nefarium,& à Deo vetitũ est,iubẽt. Quòd si scientes & prudentes contra conscientiæ suæ testimonium elegerint indignum, facti sui Deo reddituri sunt rationem. Hoc non faciet vt Episcopatus, ad quem indignus electus est, sit diabolicus: est enim homo malus ad rem bonam electus,atque idcirco electores peccant, quòd hominem malum ad rem bonam, ad quam non est aptus, eligunt. Valent electiones Episcoporum malorum sub Christo regnante in cœlis, quę valuerunt in malis sacerdotibus Christo viuente in terris.

Tres eligendi modos probatos,& legitimos Ecclesia semper habuit. Primus fuit Spiritus sancti,secundus suffragiorum,tertius compromissi. Quisquis horum trium modorum aliquo eligitur,legitimè electus habetur.Sed nulla fuit vnquàm,nec futura est tam exacta eligendi forma,cui alicundè non possit aliquod interuenire vitium: sed quandiù id quod agitur non euertitur ab ijs, ad quos est ordinaria eligendi potestas legibus aut moribus ac consuetudine deuoluta, rata est habenda electio.

In electione autem Episcoporum, nihil est in ipsa rei natura, quod Episcopatum reddat diabolicum. Sed aliud interuenit maius & grauius, quòd Romanus Papa contra veteres Canones,& omnium veterum Ecclesiarum morem,prouisiones earum suæ sedi asserit, pleno iure pertinere: quod quàm non sit Catholicum,ipsum Pontificale Romanũ, & Catholicæ vniuersalis Ecclesiæ veteres Canones testantur. De qua re aliquid nobis hic dicendum quoque est, ne fortè quis putet hoc,diabolicum reddere Episcopatum Romanensium. Canones citare esset superfluum. Satis est rubricam Pontificalis fateri, quòd olim aliud fuit ius: vbi ait,*Prouisiones & electionum confirmationes omnium Ecclesiarum, hodie pleno iure pertinere ad sedem Apostolicam.* Vndè obsecro hodiè illud plenum ius, quod ignorârunt veteres Romani Papæ? Leo epist.89. in qua tamen primatum Petri insolenter iactitat, atque ad authoritatem suæ sedis trahit, hoc ignorauit. *Non enim* (inquit) *ordinationes vestrarum Ecclesiarum nobis defendimus, quod potest forsitan ad deprauandos vestræ sanctitatis animos Hilarius pro suo more mentiri, sed vobis per vestrã solicitudinẽ vendicamus,ne quid vlteriùs liceat nouitati.* Zozimus verò Papa Romanus ait, nouum vllum ius condere contra statuta Patrum, aut mutare aliquid, authoritatem Romanæ sedis non posse.Ipsius hæc sunt verba. *Contra statuta Patrũ condere aliquid vel mutare, ne huius quidem sedis potest authoritas: apud nos enim inconuulsis radicibus viuat antiquitas, cui decreta Patrũ sanxêre reuerentiam.* Vndè igitur illud plenum ius hodiè habet sedes Romana? Quis dedit? Si illud ad diabolicum Episcopatum D. Beza referat, nihil habeo quod contradicam. Sed vnus tantùm est,qui illud ius sibi arrogat. Omnibus alijs Episcõpis & Archiepiscopis, qui illam tyrannidẽ patiuntur,quod ille vnus peccat,fraudi esse iniquũ est.Præuidit Papa Romanus Gregorius Magnus,ex vniuersalis Episcopi nomine,id aliquandò euenturũ,vt non tantùm Archiepiscopi,& Patriarchæ,sed etiã cæteri omnes Episcopi suũ amitterẽt honorem & authoritatẽ: idcircò bonus ille Pater nunquàm passus est se vniuersalem Papã dici. Iudicauit honorem illum ad se nihil pertinere, in quo fratres suos videbat suum perdere. Nam cæteris subtrahitur,quod vni plus quàm ratio postulat,præbetur.Hinc videmus factũ,quòd omnium Ecclesiarũ iura ad se pertraxerit Rom.Papa,& ingerat se omnibus negotijs Ecclesiasticis singularũ Ecclesiarum,acsi ipse esset proprius illius diœceseos Episcopus. Presbyteros quoslibet à iurisdictione & obedientia Dioceſani,& Metropolitani locorum vbi degunt,absoluit,& non patitur suis ordinarijs esse subiectos,& eis potestatem dat obeundi Pastoris partes,in aliena parœchia,cuius ipsi nulla sunt pars,inuitis etiam locorũ Episcopis & Archiepiscopis. Hinc exẽptæ omni iurisdictione Ecclesiastica & ciuili cateruæ Monachorũ, & Cœnobitarũ,cum cohortibus Iesuitarũ,omnes diœceses & prouincias totius orbis Christiani propemodùm occupârunt.Quàm fuerit hoc Pattibus incognitũ,& quàm non sit Catholicũ,velim eos qui tantoperè de Catholico gloriãtur nomine attentiùs apud se perpẽdere.Hac Papæ Romani vsurpatione cõtaminari Episcopatũ Romanensium Episcoporum videri non miror.Nicenum Conciliũ confirmationem electionum per singulas prouincias, pertinere ad Metropolitanum voluit. Decretum Capituli ad Metropolitanum olim sufficiebat: nunc mandato Apostolico est opus.Et cùm olim iurâsse Metropolitano satis esset, electus Episcopus Romano Papæ iuramentum præstat, fitque ipsius mancipium antequàm ordinetur: & illi adeò se strictè obligat, vt mi-

rum sit Reges homini, qui huiusmodi sacramento alteri devinctus est, fidere audere. Duo hic sunt, quæ fateor à Romano Papa vsurpata, & ad suum Papatum pertinere pleno iure contendit. Qui si Episcopatus esset, faterer diabolicum: sed est cogitatione erronea Episcopatu quiddã maius: quod tamen nemo qui Episcopus non est capere potest. Nihil tamen horũ ordinationẽ ita cõtaminare potest, vt aut nulla sit, aut diabolica sit, reddatq; Episcopatum diabolicũ. Quemadmodùm in baptismo, qui administratur in Rom. Ecclesia, multa scimus esse addita superflua, & superstitiosa, quæ ab essentia baptismi sunt aliena: non tamen impediunt baptismũ, aut tollunt vt non sit baptismus, aut faciunt vt sit diabolicus. Omnes orthodoxi verum agnoscunt, & confitentur esse baptismũ collatum in Romana Ecclesia ab illius Ecclesiæ ministris. Idem dico de Imperatoribus & regibus Christianis, qui varijs superstitionibus ab Episcopis & Romano Papa initiantur, & in sua coronatione iurant Papæ, se fore ipsius protectores, & impotentissimæ tyrannidis ipsius, ac spurcissimæ idololatriæ defensores, regnum ipsis non adimere, aut efficere vt illud à diabolo sit, & non à Deo munus diuinum. Ratio hæc est: quia non sua, papisticæ Ecclesię Ministri siuè in baptismo, siuè in regum coronatione, siue in ordinatione Presbyterorũ & Episcoporum, conferunt: sed quæ propria sunt Domini nostri Iesu Christi, qui per indignos & impios ministros, sua munera & impertiri, & confirmare nouit miseris hominibus. In regnis nihil est, quod sibi vel Papa, vel Episcopus iure vẽdicare possit: totum Dei donũ est: cui facerent Reges iniuriam, si se Dei & Apostolicæ sedis gratiâ Reges inscriberent: sicut hodiè nouo more Episcopi faciunt, quandò se dicunt Episcopos, Dei & Apostolicę sedis gratiâ. Ministerium enim Ecclesiasticum est Christi donum, non Papæ, vel alicuius mortalis. Tenentur enim qui illo modo initiantur, Deo & Ecclesiæ præstare omne boni & veri Pastoris officium. Stipulatio enim nulla fit diabolici Episcopatus, sed diuini, & à Domino instituti.

Nunc quid sit papatus, & quid dicatur Christi vicariatus, audiamus: ac simul eãdem operâ quid sit satanicus Episcopatus, (si Episcopatus dici debet) intelligemus. Animi non est ingenui, falsis criminationibus aduersarium lacessere, & in odium ac inuidiam vocare. Quare ipsorum vtar verbis, eaque proferam quæ profiteri nihil pudet, & propugnare. *Papa* (inquiunt) *dictus est quasi admirabilis. Ipse est stupor mundi. Ipse est vicarius Christi & Dei, cuius est terra & plenitudo eius. Ipse est caput, & sponsus vniuersalis Ecclesiæ, quatenus vicarius est capitis & sponsi, quantum ad exteriorem gubernationem: licet non secundùm interiorem influxum gratiæ. Quòd Petri vicarius interdùm dicitur, fit impropriè: quòd eandem vicariam gerit, quam gessit Petrus. Nam Papa est Dei vicarius expresse, & immediatè, non mediante lumine rationis, sicut sunt principes. Solus enim habet summum gradum, & plenitudinem potestatis in spiritualibus & temporalibus, æqualiter Petro Apostolo. Hanc potestatem non habet ab vniuersali Ecclesia, vel communitate Christiana: quia hanc potestatem nulla Concilia instituêr. ut, authoritate à Deo accepta, vt eam conferrent Papæ. Fuit enim solùm à Christo instituta, immediatè quidem in persona beati Petri: in alijs autẽ Petri successionibus, mediante electione Ecclesiæ, vel eorum qui vicẽ obtinent Ecclesiæ. Vndè authoritas Concilij generalis non est immediatè à Deo: sed à Papa. Potestas iurisdictionis spiritualium & temporalium sita est in clauibus, quos Christus immediatè promisit Petro, dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum. Ipse est regula fidei: quippè qui errare in fide non possit. Iura omnia diuina & humana in scrinio pectoris sui clausa tenet. Concilia, quæcúnque illa sint, tam generalia, quàm prouincialia, nullius sunt authoritatis, nisi confirmentur à Papa. De iis dispensare potest, sicut etiam de omnibus, quæ sunt iuris positiui. Et ex causa etiam potest iuri diuino & naturæ, in multis derogare. Omnes alij Episcopi & Archiepiscopi, suam iurisdictionẽ ab eo habent: & ipsi cooperantur Papæ, vt principali.* Et quanuis potestas imperatoria & regia sit proximè à Deo: pudor nõ fuit nec est dicere, id esse mediante Papa: *quódque detur ab eo in ministerium & respectu Papæ sit delegata.* Bellarminus & alij, hæc multis modis pingere conantur: sed cùm non instituam confutationem horum errorum, sed tantùm demonstrationem, pergam. *Iurant* (inquiunt) *Christiani Imperatores, & Reges omnes, fidelitatem, & obedientiam Papæ: qui eis potestatem concedit, non vt homo, sed vt vicarius Dei. Et quanuis potestates sint distinctæ, & ad distinctos fines ordinatæ, minor maiori subalternatur ad instar lunæ & solis. Quantum aurũ præstat plumbo, & luna distat à sole magnitudine, & splendore: tantum imperator est Papâ inferior: vtpotè qui imperatori confert quicquid habet potestatis, quemadmodùm Sol Lunæ lumen communicat.* Et de donatione Constantini, & aliorum regum aiunt: *quòd sit substracti aut detenti quædam restitutio, potiùs*

quàm

quàm donatio: iuxta illud Dauidis, 1. Paral. vlt. Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi. Nec huius crassissimæ, & impudentissimæ hæreseos infamiam abstergit Bellarmini distinctio: *Papam quidem non habere potestatem temporalem directè, sed indirectè.* Dolo & fraude plena est hęc distinctio. Quid enim aliud sibi vult quod aiunt, *Ab omni principe & iudice spirituali, & tẽporali etiam, qui in temporalibus superiorem non agnoscat, appellari posse ad Papam, à Papa verò ad neminem*: quàm omnes Reges & Principes ipsius esse vasallos? Mitto pedũ oscula, mitto stratoris officium, quæ tanquàm iure debita Papæ à summis mundi Monarchis exigunt. Ipse verò Papa à nemine iudicari potest, nec à Cæsare, nec à Concilijs: vtpotè qui sit summus omnium Christianorũ iudex, Dei solius reseruatus iudicio. Qui quanvis moribus suis Ecclesiam perturbet, sitq; magno scandalo in multorũ perniciem, adeò vt myriades animarum secum in æternæ damnationis barathrũ cruciandas trahat, dici ei non possit, Cur id facis? Sed huius fortè pudet. Subjiciam mitiora, & dicam: Vt Papæ parendum non sit iniqua iubenti, modestaq; reprehensione ei resistere liceat, vt Paulus restitit Petro: non est ab vllo tamen condẽnandus. Et hæc tanta potestas ad omnes se mortales extendit directè, aut indirectè, imò ad ipsos purgatorios ignes extinguendos, si videatur ipsius clementiæ. Subjiciuntur & Angeli ipsius imperio. Et ante ipsum diẽ iudicij, quemadmodũ æterno maledictionis anathemate memoriã eorũ subjicere, quos improbat; ita inter diuos referre, quoscúnq; probauerit, sibi ius arrogat. Quid dicam amplius? Deus esse numẽnq; acclamatur, non à rudi tantùm vulgo, sed à viris doctissimis: & ipse se Deum palàm profiteri non erubescit. 96. Dist. euidenter. Et hæc credere est de necessitate salutis.

Hic habemus Synopsin vicariatus Pontificis Romani, papatusvè: quem Episcopatum verè satanicum D. Beza verè & piè dixerit, atque definierit esse vsurpatam potestatẽ diuinam in vniuersam Christi Ecclesiam, & singulas eius partes, iura diuina & humana sibi subjiciens, & veram pietatẽ, sacramentáq; diuina, atque in Domino Iesu Christo fiduciam euertens. Hunc vicariatũ verbum Dei non docet, nec vlli Patres vnquàm agnouerunt. Si Episcopatus Episcoporum, & Archiepiscoporum Romanensium, hac definitione contineretur, satanicum posse dici confiterer. Sed cùm nemo eorum audeat sibi hunc arrogare Episcopatum, sitque proprius vni Romano Episcopo, non debet eorum Episcopatus simul cum illo miscери. Episcoporum peccatum est, quòd eum Episcopatum non gerant, quem Deo vouerunt: quod si facerent, de Episcopatu lis nulla ipsis moueri posset. At Episcopus Romanus, vt maximè suum vicariatũ quouis fuco hypocrisis pingat, ornétq; & se præstet verũ Papã, tanto erit sceleratior, & magis impius. Quantò enim magis sedulũ obseruatorẽ se sui papatus exhibebit, eò atrocius bellũ pijs Christi cultoribus, atque adeò ipsi Christo inferet. Hæc tamẽ tanta impietas non delet in eo nomẽ Episcopi. Nam hunc sacrilegũ, & impium vicariatum, Satan coniungit cum vero, & Christiano Episcopatu.

Nemo enim huius abominandi vicariatus capax est, qui non sit Episcopus. Si eligi contingat in Papam, qui Episcopus non est, priùs eum in Episcopum ordinari oportebit. In qua ordinatione more aliorum Episcoporum solenni se adstringet sacramento ad omne boni Pastoris, & verè Christiani Episcopi, officiũ. Idem de horrẽdo illo missificandi sacerdotio iudicandũ est: cuius nemo capax est nisi Presbyter. Sacrificandi munus coniunxerũt cum presbyterio, tanquàm vnum sit ministeriũ: à quo tamẽ presbyteriũ non est definiendum. Duo enim quædã execranda sacrilegia totũ Romanæ Ecclesię ministerium cõtaminant. Alterum est, sacrificandi verum corpus & sanguinem Domini pro viuis & defunctis officiũ: Alterum vicariatus vniuersalis Ecclesiæ portentum. Hæc quidẽ tam ipsum Episcopatum, quàm Presbyteratum polluunt: sed illud non tollunt, nec totum faciunt satanicum. Et hæc est versutia & malitia Satanæ, quem Deus in rebus humanis, Christianorũ peccatis demerentibus, hoc modo ludere permittit. Nã hæc abominatio fit in Ecclesia, nõ extra Ecclesiam: non à Turcis, aut à gentibus, sed ab ipsis Episcopis, qui hanc abominationem desolationis operantur, & in templo Dei collocant. Atque ita sedet verè in vero Dei templo, id est, in Ecclesia, impius ille, qui sese effert aduersùs quicquid dicitur Deus, aut quod colitur.

Hic interdùm nonnulli hærent, qui hæc posse accidere Christi Ecclesiæ, cuius tanta laus est in verbo Dei, non capiunt. Erroris causa, quòd non discernant visibilem ab inuisibili Ecclesia: & eam quæ inuisibilis est, in visibili latẽre non cogitant. Sed quisquis, quid huic, quid illi sit proprium, expendet, errare desinet. Ad inuisibilem Ecclesiam tantùm boni, & electi à Deo propter Christũ & in Christo pertinent: visibilis autẽ semper habebit,

bebit, & habuit bonos permixtos malis,& frumentũ cum ſua palea.Sunt in regno cœlorũ decem virgines,quarũ quinq; ſunt fatuæ,& quinq; prudentes.Euangelij rete capit bonos ſimul ac malos piſces,non ante diẽ iudicij ſeparandos.In eodẽ grege ſunt hœdi & oues.

Non hodiè alia eſt conditio Eccleſiæ in hac re,quàm fuit olim: habuit enim veteris populi Eccleſia eaſdem promiſſiones,quas nunc habemus. Eaſdem abominationes quoque perpetrârunt ſacerdotes & ſummi Pontifices in Iuda,quas hodiè perpetrãt Epiſcopi Romanenſes cum ſuo Papa in Romana Eccleſia.Ezech.cap.8.nobis in templo Dei non abſimilem abominationẽ deſcribit ſui temporis in Iuda,ei quam conſpicimus in Eccleſia Romana. Locum hîc ſubijciam. *Fili hominis,leua nunc oculos tuos ad viam Aquilonis. Et ecce ab Aquilone iuxta portã altaris erat idolum illud zeli in introitu.Et dixit ad me.Fili hominis,nunquid vides tu quid illi faciunt: abominationes magnas quas hîc facit domus Iſrael,vt diſcedam à Sanctuario meo? Sed verte te rurſum,& videbis abominationes maiores. Duxit igitur me ad oſtium atrii,& vidi,& eccè erat foramen vnum in pariete: Et dixit ad me: Fili hominis fode,quaſo,parietẽ: & perforaui parietem: & eccè oſtium vnum. Et dixit ad me, ingredere,& vide abominationes peſſimas, quas ipſi hîc faciunt.Ingreſſus igitur ſum, & vidi; & eccè omnis ſimilitudo reptilium,& animaliũ abominabilium,atque vniuerſa idola domus Iſrael, & Iazania filius Saphan ſtabat in medio eorum,qui ſtabant coram illis idolis,& vnuſquiſq; habuit thuribulũ ſuum in manu ſua,&c.* Huius generis plura ex Prophetis citari poſſunt: quibus prophanatio diuini cultus,& fœdiſſima idololatria vtriúſq; populi,qua ſe à Deo auerterãt, reprehẽditur. Duces in omnibus his ſpurcitijs & abominationibus ſe præbuerũt populo ſacerdotes,quos inprimis Prophetę taxãt.& reprehendũt.Quid fecerit Vrias,& quomodo cõſenſerit impietati regis Achaz notũ eſt.Aduerſati plerúmq; ſẽper Dei ſeruos Prophetas,ſacerdotes ſunt.

Sicut olim Satan ſemper contra Deum ad euertendum verum ipſius cultum,ipſis ſacerdotibus eſt vſus: ita Epiſcopis, & Eccleſiæ Paſtoribus armatur, ad labefactandam ipſam Chriſti Eccleſiam. Sed quemadmodùm ſatanicum idcircò non potuit dici ſacerdotiũ Leuiticum; ita nec Epiſcopatus Romanenſiũ Epiſcoporum ſatanicus dici debet.Sacer enim eſt in ſe, ſicut & ſacerdotium apud Iudæos naturâ ſuâ manebat ſanctum. Nam quæ ipſi ſacerdotes & Epiſcopi,ſuadente Diabolo,contra Dei cultum faciunt,opera non ſunt propria ſacerdotij vel Epiſcopatus,quem profitentur,& Deo & Eccleſiæ iurârunt;ſed hominum impiorũ,ſacerdotium & Epiſcopatum prophanantium. Artium & functionũ natura, quarum fines actiones ſunt, definienda eſt ab ipſis actionibus, arti & functioni proprijs; non ab ijs, quibus in arte,ignorantiâ,errorevè,vel malitiâ etiam aberratur. Malè nomen datur arti ab errore,aut impietate,qua in artẽ peccatur. Bonæ artis functioníſq; actiones bonæ ſunt: ſin ars functiovè turpis eſt,non poſſunt honeſtæ eius eſſe actiones. Paraſitica, Daniſtica. Piratica, ſimiles habent ſibi actiones, in quibus, quò peritior quis erit artifex, & in ſua functione magis ſedulus, eò futurus eſt homo nequior. Res naturâ ſuâ bonæ vitiari facilè poſſunt,ſed quæ prauæ naturâ ſunt, nunquâm quis bonas fecerit. Functiones Epiſcopi ſimul & Presbyteri naturâ ſuâ bonæ ſunt,& à Domino Ieſu inſtitutæ;ſic ſunt earum actiones: quæ ſunt,docere pœnitentiam, & ſalutem, ac remiſſionẽ peccatorum per Chriſtum;ſacramenta diuina celebrare, fideles in vero Dei cultu inſtituere, ad virtutem adhortari,à vitijs deterrere, ipſos denique; ad Deũ,& ad vitam æternã deducere. Hæc præſtare,ſuum eſſe munus fatebuntur Pontificij, & in eum finem ſe creatos eſſe Presbyteros & Epiſcopos. Quòd in his, errore, ignorantiâ, malitiáque labuntur,functionem illorum non tollit,vt nulla ſit,aut vt ſatanica ſit; ſed facit,vt vitiata ſit.

Quoties ad mentẽ reuoco,quæ de Domini Ieſu Chriſto mea fides fuit, quandò Babylonicæ meretricis cultor eram, quanuis tunc multis mea mens teneretur implicita erroribus,non poſſum dicere fuiſſe nullam.Quod tunc credidi,quod tunc docui,ex parte aurũ fuit,quod plurimum ſtipulæ & fœni permixtum habuit.Bernardus multa ſcripſit,& noſtrâ memoriâ D.Eraſmus,alijq; plures diuerſis tẽporibus,in denſiſſimis papatus tenebris:quæ non niſi à Chriſtiano pectore.& diuini amoris imflammato ardore potuerunt proficiſci. Multa tùm ab Epiſcopis, tùm à Presbyteris in papatu ſæpè fiunt, & facta ſunt, ex quibus ægrum,& à calce ad verticẽ languidum Eccleſiæ illius corpus,ſpirare adhùc cognoſcitur.

Plurimũ intereſt inter Epiſcopos, Presbyteróſq; Romanæ Eccleſiæ, atq; ipſum Papam. Actiones & functiones Epiſcoporum & Presbyterorum ſanari poſſunt; Papæ, papatúſq; non poſſunt. Impotentiſſimæ illius tyrannidis actiones iſtæ ſunt: Nouos articulos fidei condere,decretales Epiſtolas ſcribere: in quibus quanuis nonnulla bona ſint, non rectè à

Papa

Papa, nec legitimè ſcribuntur, quoties fidelium conſcientijs, omnibúſque Chriſti Eccleſijs, tanquam leges, imponuntur: ſibique legumlationis in vniuerſali Eccleſia, illarum promulgatione, ius arrogat. Deindè Papalia facinora hæc ſunt: Orbem terrarum inter Reges partiri, & ſuam cuiq; partem, in qua dominetur, tradere; Reges & Imperatores ſolijs deijcere, nouos ſua creare authoritate; ſubditos à ſacramento fidelitatis abſoluere, & contra ſuos naturales Dominos armare: Regna & totas gentes interdicti, & anathematis ſententiâ ferire, & prædæ vicinorum exponere; exemptiones ab Ordinariorum obedientia dare: plenarias indulgentias à pœnâ & culpâ largiri; ius diuinum & naturale relaxare; animas ex igne purgatorio liberare; Angelis denique ipſis imperare, &c. Quicquid prætereà papalium actionum inuenitur, huius eſt generis, vt non poſſit non pugnare cum Dei verbo. Atqui iſtæ omnes actiones ab ipſiuſmet Papæ, & aliorum Epiſcopatu, quem ipſi profitentur, ſunt alienæ.

Qui miniſterium Epiſcoporum & Presbyterorum in Romana Eccleſia ſatanicũ credit, facilè in Anabaptiſticos furores incidet: nec ibi Eccleſiã, nec baptiſmum, nec vllum Dei verbum relinquet. Nihil enim quod Chriſti eſt, ſatanicum miniſterium miniſtrare poteſt. Quare prudenter in illa Eccleſia ſeparandũ eſt quod Chriſti eſt, ab ijs quæ aut Satan, aut homo inuexit: niſi miſericordiæ Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti fidelitati iniuriam facere velimus. Nam Papiſtis intelligendum eſt etiam cõpetere, quod Apoſtolus de incredulis Iudæis ſcripſit: *Num incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* Totus enim ille populus in ſua iſta apoſtaſia non minùs ad Dei fœdus pertinet, quàm decem tribus Iſrael, & ipſe etiam Iuda, qui Deum patrum ſuorum dereliquerunt olim, cum regibus & cum ſacerdotibus ſuis pertinuerunt. Cum fœdere autem coniuncta manent Dei verbum, myſteria, & miniſterium. Quæ omnia, quanuis pro conditione & ſtatu Eccleſiæ ſe habent, dici non poſſunt eſſe nulla. Quanuis igitur vicariatus Papæ, ſiue papatus actiones omnes ſint impiæ, & iniquæ, ſicut & ſacerdotij: quòd verum & naturale corpus & ſanguinem Chriſti credit ſe pro peccatis viuorum & mortuorum offerre: tamen cùm verbum Dei, vetus & nouum Teſtamentum apud Pontificios maneat, & Paſtoris officium, & filiorum Dei teſſaram, & externum ſymbolum ibi videamus, populum eſſe Chriſtianum negare non poſſumus. Si apud Papiſtas nihil præter vicariatum Papæ, & miſſificandi officium conſpiceretur, totúmque miniſterium Eccleſiæ illis duabus partibus contineretur, actum de illa Eccleſia eſſet; nec alio loco habenda eſſet, quàm Mahumetica colluuies.

Non rectè mihi definiuiſſe videtur D. Beza humanum quem nobis propoſuit Epiſcopatum, nec etiam ſatanicum, nec ſegregâſſe ab inuicem, quę diſtincta eſſe oportet. Ingens diſcrimen inter ea quæ Chriſti ſunt, & ea quæ ſunt Antichriſti: ſiue ab hominibus ea fuerint inuenta, ſiue ab ipſo Satana. Proinde ſimul non ſunt inuoluenda. Ex hac indiſtincta D. Bezæ diſtinctione, ſunt qui ſchiſmatis cauſam acceperunt: & de humano Epiſcopatu idem iudicâruut quod de ſatanico. Et profectò ſi poſitiones D. Bezæ, tanquàm Dei verbum eſſent, immotas eſſe voluerimus, idem conſequitur. Non enim aliud dici de hominum inuentionibus, quemcúnque ipſi præſtituerint eis ſpecioſum finem, quàm de ſatanicis. Valet enim illud Pauli, æternumq; valebit: *Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt.* Humanus igitur D. Bezæ Epiſcopatus ab hominibus excogitatus, nec miniſtros creandi poteſtatem, nec Eccleſiam regendi, nec aliud denique quidpiam peragendi, quod Paſtorem decet, habuit. Quod cùm non minùs abſurdum ſit ijs quę ex ſatanico Epiſcopatu deduximus, repudiatis quæ de vtróque D. Beza, & ante eum nemo excogitauit, Quæſtiones ab honoratiſſimo D. Glamio propoſitas, cum D. Bezæ Reſponſionibus conferemus.

PRIMA QVÆSTIO.

D. Beza.

QVùm in ſingulis Eccleſiis ſinguli Paſtores ac miniſtri conſtituti fuerint, quúmq; par & æqualis omnium in Eccleſia Chriſti miniſtrorum poteſtas videatur: quæritur, ſitne Epiſcoporum munus in Eccleſia neceſſarium, qui miniſtros, quùm res poſtulabit, ad comitia vocari, ad miniſterium admitti, & iſtis de cauſis ab officio remoueri curabunt? An potiùs omnes Miniſtri æquali poteſtate fungentes, nulliúſque ſuperioris Epiſcopi imperio obnoxii, viros idoneos in doctrina, cum conſenſu patroni ius patronatus habentis, & ipſius populi, eligere, corrigere, & ab officio remouere debeant? Vt autem retineantur eiuſmodi Epiſcopi, mouere nos duo poſſunt. Vnũ, populi ipſius mores & contumacia, qui vix, ac ne vix quidẽ, in officio contineri poteſt, niſi eiuſmodi Epiſco-

porum, qui vniuersas Ecclesias percurrant, & inuisant, authoritate coerceatur. Alterum, leges Regni longo vsu & inueterata consuetudine receptæ; vt quoties de rebus ad Reip. salutem pertinentibus in publicis regni comitiis agitur, nihil sine Episcopis constitui potest, quùm ipsi tertium ordinem, & regni statum efficiant; quem aut mutare, aut prorsus tollere, Reipub. admodùm esset periculosum.

HAD. SARAVIA.

IN quæstione proposita sunt multa, quæ ex præiudicio cõcepta dicuntur, tanquàm sint extra controuersiam posita: quæ nullo tamen Dei verbo docentur, sed sola voluntate humana sine vllo documento adsumuntur. Quale hoc est quod ait: *Quumque par & æqualis omnium in Ecclesia Christi ministrorum potestas videatur.* Quærendum enim fuit, num omnes Euãgelij Doctores & Ministri semper fuerint ex institutione diuina æquales. Deindè, cùm constet diuersos fuisse gradus olim à Domino institutos, qui alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores: quo Domini præcepto reduci hodiè debeant ad æqualitatem?

Fixum enim & immotum hoc semper ex Dei verbo stabit: Seruatorem nostrum duos diuersos ministrorum Euangelij gradus constituisse: & velint nolint aduersarij, duodecim viri primarij fuerunt Apostoli, & 70. discipuli secundarij, duodecim illis inferiores. Et quod Apostolos attinet, duos similiter gradus creâsse Presbyterorum. Presbyter fuit Timotheus, & Presbyteri similiter erant, quos tum Apostoli, tum ipse Timotheus singulis Ecclesijs præficiebant. Eos autem non fuisse omnes paris cum Timotheo authoritatis, demonstratione nihil opus habet.

Duæ tantùm retinendi Episcopos causæ adferuntur, cùm longè sint plures, istíque multò grauiores. Prima est, diuina institutio, altera Apostolica traditio, tertia omniũ totius orbis vniuersi cõsuetudo Ecclesiarũ quibus quarta additur, cõtinendis ipsis Pastoribus singularũ Ecclesiarum in officio: & ad vnum, quantum fieri potest, veluti corpus, contra schismata, & alienationes animorũ colligendis, reuocãdísq; per parœcias & diœceses dispersis necessaria disciplina. Quanti sunt momenti causæ, quas D. Caluinus attigit, in medio relinquo.

Prætereà ius suum hîc patronis eripitur: & duo simul coniunguntur, qui ab inuicem dissentire possunt, & impeditam creationem ministrorum reddere: nisi alteri parti priuilegium tribuatur, vt potior sit consensus alterius partis, dissentiente altera: nempè vel patrono, vel populo. Si quis electus à Presbyterio temerè fuerit, nec à populo nec à patrono nisi iustis de causis allegatis reijci possit, Presbiteros qui elegerunt, iudices esse non est æquum, de causis intercedentium. At Synodis (inquiet) deferetur iudicium. Interìm patronus iure suo eligendi & præsentandi excidit. Quod quo animo laturi sint, & an perpetuò pati patroni possint, nescio. Non quòd probem illud patronatus ius, quale hodiè est, hoc noto: sed propter rei perplexitatem.

Vetus patroni ius est, ob certas causas data authoritas eligẽdi & præsentandi Episcopo futurum Pastorem alicuius parœciæ, vel clericum alicuius Ecclesiæ, vt eum instituat, si inuenerit idoneum; aut reijciat, si fuerit ineptus. Hoc tollitur & inuertitur, si electio tribuitur Presbyteris. Sed quod aufertur, compensatur, quandò in correctione & deiectione ministri, populi & patroni consensus requiritur: quod anteà nunquàm patrono aut populo fuisse datum lego. Sed audiamus quid D. Beza sit ad hanc quæstionem responsurus.

D. BEZA.

QVùm perdiderit Ecclesiam, adeóque Christiana omnia Regna Satanicus Episcopatus, cuius caput Antichristus est Romanus: curandum est omnibus inprimis pijs Principibus, vt eum semel aboleant, si Ecclesiam restitutam, sibíque consultum volunt. Humanus autem Episcopatus, paulatim sternente sibi viam ad maiora satana, in Ecclesiam præter Dei verbum inuectus, tolerabilis quidem esset, modò veteres puri canones, impediendæ oligarchiæ constituti, in vsum reuocarentur.

HAD. SARAVIA.

QVàm turpiter hallucinetur D. Beza in humano, & in satanico Episcopatu, diximus. Consilium tamen, quod dat de eijciendo satanico Episcopatu, non improbo. Id curandum esse pijs principibus, extra controuersiam est: modò nõ sequantur in hac re D. Bezæ errorem, nec id faciant ea ratione quam proponit. Si igitur Ecclesiam restitutam, & sibi consultum pij Reges cupiant, se regnáque sua liberent tyrãnide pontificia, quæ verus satanicus est Episcopatus. *Humanus Episcopatus* (inquit D. Beza) *sternente paulatim sibi viã ad maiora satana, in Ecclesiam Dei inuectus, tolerabilis quidem esset, modo veteres canones impediendæ*

dienda oligarchiæ in vsum reuocarentur. Quid? Tolerabile cuiquam Theologo videri potest, quod præter Dei verbum, sternente sibi viam ad maiora satana, in Ecclesiã Christi inuectũ est? Nihil moror, si reuocari possent in vsum canones impediendæ oligarchiæ æditi, vt etiã impediri certò posset reuerâ oligarchia. *Non sunt facienda mala, vt veniant bona.*

Magis theologicum est hoc, & verbo Dei magis consentaneum, quod dicam: Tanti momenti Ecclesiasticum hoc esse ministerium, quale est Episcopatus, vt in Ecclesiam præter Dei verbum inuehi, non sit, nec fuerit vnquàm tolerabile. In humanis & ciuilibus rebus præter Dei verbum, multa permittuntur libera: in Ecclesiasticis non item: nisi vbi nos verbum Dei destituit, nostroq; arbitrio rem permittit. Sed longè cõtractior ea potestas hîc est; quàm illic. Quantò Pastorum potestas præcipiendi angustior est quàm Regum, tantò minùs sine Dei verbo & præter Dei verbum possunt. Sed Euangelicum ministerium inter ea non numeratur, de quibus dicere licet: *Præceptum Domini non habeo.* Tanti momenti res ministerium Ecclesiæ est, vt Paulus dixerit: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Si quis Episcopatus humanum est inuentum, ministerium legitimum Ecclesiæ non est.

Sed quos nobis narrat D. Beza Canones impediendæ oligarchiæ constitutos? Canones regulæ sunt, secundùm quas Episcopi se, vitam suam, & omnem, qua præditi sint, authoritatem, & iudicia sua, quæ emergunt in sua diœcesi, dirigere, & controuersias grauiores, & quidquid ad totam prouinciam pertinet, appellationesq; ad Archiepiscopos & Synodos totius prouinciæ referre debent. In hoc ordine, quam oligarchiam impediant canones, ego videre nequeo. Quid vocat D. Beza oligarchiam? Paucorum Episcoporum potestatem in compresbyteros? Canones non ad plures paucos Episcopos, sed vbique ad vnum Episcopum vel Archiepiscopum, omnia remittunt: quibus tamen præter aut contra Canones nihil permittunt. Qui vbi deficiunt, ad Synodos recurrendum est. Hoc enim Episcopus in sua diœcesi, & Archiepiscopus in sua prouincia potest, quod per Canones potest. Ipsorum arbitrio nihil est relictum. Tantùm compellantur ad obseruandos Canones, qui ipsis præscripti sunt, & diuinos habebimus Episcopos.

Sed obsecro, quis iste metus est oligarchiæ, quem nobis passim D. Beza inijcit? Oligarchia est paucorum quorundam indiuidua potestas. Quæ oligarchia Episcoporum, eiecto Papa & Papatu, timenda est? Timendum scilicet, ne pauci Episcopi tyrannidem in ecclesiam inuehèrent sub regio imperio constituti. Si imperatores Romæ domicilium fixissent, nunquàm Papæ emersissent. Vellem aliquod exemplum demonstrari, quo doceatur, quomodo tres quatuorue Episcopi conuenerint, vt simùl in totius alicuius regni vel gentis Ecclesias, earumque ministros dominationem obtinerent. Singulorum Archiepiscoporum potestas legibus finita, in singulis prouincijs, malè vocatur oligarchia. Quiuis Rex in suo regno facilè, imò & ipse clerus, si Rex permittat, Episcoporum & Archiepiscoporum authoritatem luxuriantem comprimet.

Sicubi oligarchia vel ochlocratia metuenda est, in hoc nouo regiminis, & nuper inuenti, genere metuenda est. Fieri enim non potest quin in multitudinis æqualitate non aut multitudo regat, cuius potior pars vincit plerùmq; meliorem; aut non excellant duo vel tres, vel eruditione & eloquentia, vel diuitijs & generis nobilitate, populi procerumue fauore; qui cæteros omnes trahent quò libet. Vidimus in Rom. Repub. libera, & senatu frequentissimo, quatuor vno eodemque tempore, præter cæteros excelluisse, & senatum aut flexisse aut coegisse, quò libuit. Tullius eloquentiâ suâ facilè princeps senatus erat. Pompeius & Cæsar armis & vi formidabiles fuêre senatui. Crassus diuitijs. Qui si inter se concordes esse potuissent, facilè totius orbis imperium soli rexissent.

D. Beza

Sed præterquàm quod mundi statu immutato infinitæ operæ istud fuerit, tot seculorum experientia demonstrat, nisi hæc quoq; radix extirpetur, futurum vt iidem rursùm fructus pullulent.

Had. Saravia

Facilius longè esset, Ecclesiæq; Christi vtilius, ad veteres sanctos Canones Episcopatum & Presbyteratum reuocare, quàm nouos, qui nunquàm vsquàm extitisse demonstrari possint, formare. Si ad millesimum viueret D. Beza, & quotquot cum eo sentiunt, annum, & illud totum tempus meditationi darent ad constituendum Ecclesiasticum ordinem, nullum meliorem neque perfectiorem iuuenient eo, qui Patrum decretis,

ex verbo Dei deductis, iam olim constitutus est. Nam pleraque omnia, quæ vetustiores Patres de hac re sanciuerunt, directè ex verbo Dei, & præsertim ex Epistolis ad Tim. & Tit. deriuata sunt: nec sine magno probro & scandalo reijci, aut à D. Beza, aut quoquam alio potuerunt.

Infinitæ operæ (inquit D. Beza) *id fuerit, mundi statu immutato.* Immutatio mundi nihil mutat in ministerio Ecclesiæ Christi. Ita prudenter Deus noster illud attemperauit, vt quauis ætate, in quauis gente, & sub quauis summi imperij forma, citra illius iniuriam stare possit. Et quod operam attinet restituendis veteribus canonibus necessariam: absit vt infinitam dicam, cùm paucorum mensium spatio, quidquid apud Veteres in vsu fuit, traditum ab Apostolis facilè possit colligi. Sed vetera displicent, & noua placent. Quod D. Beza iactat, *tot seculorum experientiam demonstrare, vt idem fructus rursùm pullulent, nisi hæc quoque radix*, id est humanus Episcopatus, *extirpetur, caueri non posse*, inania verba sunt. Papatus non occasione Archiepiscopatus aut Episcopatus originem traxit, vt suspicatur D. Beza, sed occasione illius Episcopatus, in quo esse creditur Petri successio; & errore quo Petrus & caput vniuersalis Ecclesiæ, & Apostolus vniuersalis, cæterisque collegis gradu superior æstimatur: atque illius imperialis vrbis desertione sine Rectore, qui Paparum retunderet ferociam & ambitionem. Experientiam vnum aut duo exempla non magis faciunt, quàm ver vna hirundo. Si Archiepiscopatus vel Episcopatus esset Papatus, & non ille & illius vrbis Archiepiscopatus, iam plures Papatus in Ecclesia emersissent in alijs pluribus locis. Sed nulli apparent ex tanto Archiepiscoporum, qui toto orbe dispersi sunt, numero. Non est igitur Achiepiscopatus causa Papatus. Eædem causæ eosdem gignunt effectus.

Qui Episcopatum audet dicere radicem esse Papatus, eadem ratione Apostolatum, & pastorale munus quoque, tanti mali radicem fuisse dixerit. Sublatis enim Ecclesiæ Pastoribus, sustuleris quoque Episcopos, & Archiepiscopos, & ipsos denique omnes Papas. Mali vera radix vicariatus vniuersalis Papæ, fuit vrbis ambitio, & doctrinæ Christianæ corruptio. Veram doctrinam qui restituet, & qui vrbem deprimet, vicariatum abrogauerit, & mali radicem sustulerit. Sed hoc proprium passim est D. Bezæ, vt argumentetur ab eo quod non est causa, tanquàm sit causa.

D. Beza.

Denique cùm totiès Dominus istam inter suos ipsius discipulos de maioritate controuersiam sic decliderit, vt nullum ei locum reliquerit.

Had. Saravia.

DOminum sustulisse ambitionem, & retudisse mundani cogitationes principatus in suis discipulis, fateor. Sed graduum inæqualitatem, & membrorum in corpore suo, quod est Ecclesia, diuersitatem, qua excellunt alijs alia membra: nego. Locos itaq; Scripturæ citabo in quibus Dominus suorum discipulorum errorem reprehendit, & modestiam atque humanitatem docuit. Matth. 20. vocatis ad se discipulis ait: *Scitis quòd Principes gentium dominentur illis & qui magni sunt, potestatem exercent in eas. Non ita inter vos: sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, sit vester seruus. Sicùt filius hominis non venit, vt sibi ministraretur sed vt ipse ministraret, vtq; daret animam suam redemptionem pro multis.* Marcus hæc refert his verbis: *Scitis quòd qui videntur imperare gentibus, dominium exercent aduersùs illas: & qui magnates sunt inter eas, potestatem exercent in illas. Verùm non sic erit inter vos; sed quicunque voluerit ex vobis fieri magnus inter vos, erit minister vester; & quicunque voluerit inter vos esse primus, erit omnium seruus. Nam & filius hominis, &c.* Lucas verò nonnihil variat à Marco & Matheo, ita tamen vt idem sensus reddatur. *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui princeps est, sicùt qui ministrat.* Ex his verbis quæro, nùm cuiquam sano videri possit D. Iesum sustulisse, aut prohibuisse primatum aut principatum? & non potiùs docuisse quid eum deceat, qui in Ecclesia primus & princeps futurus erat: & primatum in Ecclesia Christi non esse dominationem regiam vel ciuilem, sicùt falsò sibi persuadebant Apostoli, sed esse ministerium, quandò seipsum &, suum ministerium pro exemplari profert imitandum? Apostoli putabant Domini Regnum mundanum futurum, quale fuerat Dauidis

Dauidis & Salomonis, & ſe Regi futuros proximos. Hanc falſam opinionem retundit Dominus: & ipſos ita futuros in Eccleſia principes & primos, ſicut ipſe inter eos primus erat & princeps, qui venerat vt miniſtraret, non vt ipſi miniſtraretur, præmonet. Et quemadmodùm principatus ſuus non erat dominatio, ſed miniſterium; ità illorum primatum & principatum, de quo diſceptabant, nihil fore aliud quàm miniſterium, docet. Sed quid? Num hæc impediunt in Euangelico miniſterio graduum differentiam, quo minùs alij fuerint Apoſtoli, alij Prophetæ, alij Euangeliſtæ, alij Paſtores & Doctores? Dona Sp. ſancti diuerſa & inæqualia inæqualitatem conſtituunt membrorum in eodem corpore. Aliud officium eſt capitis, aliud oculi, aliud manuum, aliud pedum. Nec quicquam verbis Domini magis aduerſatur, Paſtorem præpoſitum eſſe paſtori in gubernatione Eccleſiæ, quàm paſtorem ſuo gregi. Certum hoc eſt, Apoſtolos præfectos fuiſſe tam Eccleſiarum presbyteris, & epiſcopis, quàm populis. Præfectura igitur illa, qua Miniſter Euangelij Miniſtro præcipit, non fuit prohibita.

Sed videte acumen. *Fatemur* (inquit) *diuerſos ordines, graduſvè; ſed oſtende inter eiuſdem ordinis graduſvè collegas aliquem qui cæteris præpolleat authoritate; hoc eſt, inter Apoſtolos Archiapoſtolum, & inter Euangeliſtas Archieuangeliſtam.* Si vſquàm gentium monſtrari poteſt inter collegas eiuſdem gradus ordinisque, poteſtatis in cæteros excellentia, facile id erit mihi inter Apoſtolos & Euangeliſtas quoque inuenire. Sed ſi quod quæritur nuſquàm eſt, nec fuit, nec eſſe cogitari poteſt; ignoſcant mihi ſi inter Eccleſiæ rectores, qui eiuſdem gradus & ordinis ſunt, id quod nuſquàm eſt, nec fuit vnquàm, oſtendere nequeam. Si in arte Mathematica quis ſibi inter æquales lineas inæqualem dari poſtularet, ridiculum ſe ipſis pueris præberet. Omnes mihi Patriarchæ, omnes Archiepiſcopi, omnes Epiſcopi, quique in ſuo gradu & ordine non minùs pares ſunt, quàm Apoſtoli, Euangeliſtæ, Prophetæ, Paſtores & Doctores, in ſuo quique gradu & ordine fuerunt inter ſe pares. Sic igitur Dominus inter ſuos Apoſtolos maioritatis controuerſiam decidit, vt ordines graduſvè in gubernatione Eccleſiaſtica non ſuſtulerit. Fuerunt Apoſtoli gradu ſuperiores Euangeliſtis, & Prophetis; Euangeliſtæ verò Paſtoribus, & Doctoribus. Vndè luce clarius apparet, illis Chriſti verbis, graduum excellentiam non fuiſſe inter Euangelij miniſtros inhibitam.

D. Beza.

QVùm vt doctrinæ, ſic etiam Eccleſiaſticæ ἀντιξίας norma ſit nobis ex ipſis Apoſtolicis ſcriptis petenda, & tùm quidem floruiſſe conſtat Eccleſias, quùm omnis iſta vnius hominis poteſtas in cæteros nondum extaret.

Had. Saravia.

HIc ſiſtendum eſt paululùm. Recipio quod ait D. Beza, tam Eccleſiaſticæ ἐντιξίας, quàm doctrinæ normam, ex Apoſtolicis ſcriptis eſſe deſumendam. Et adſumo: Apoſtolica ſcripta factaque conſtituerunt ἰσαλλήλους in Eccleſiæ gubernatione, quos ipſi obſeruârunt, & obſeruando tradiderunt, quandò creârunt Presbyteros per impoſitionem manuum, quos alijs Presbyteris præfecerunt: eſt igitur hæc graduum differentia petita vndè debuit, nempè ex verbo Dei. Et negari non poteſt hunc ordinem fuiſſe ſub Apoſtolis ἄτακτον: quocircà vt hodiè ſit ἄτακτος fieri non poteſt. Quòd autem Titus & Timotheus dicuntur Euangeliſtæ, commentum eſt, effugiumq; . Tales Euangeliſtæ cùm ab hominibus creari poſſint, Epiſcopos noſtros eſſe Euangeliſtas, qualis fuit Timotheus, nihil prohibet. Deindè ſi ſcriptorum Apoſtolicorum norma ſequenda eſt, nouus presbyterorum & diaconorum ordo temporariorum deſinet, qui nec ſcriptis Apoſtolicis, nec vllo Eccleſiarum vſu doceri poteſt.

Prætereà quandò vnius hominis, hoc eſt, Romani Papæ ignorabatur in Eccleſia poteſtas, fateor floruiſſe Eccleſias. At omnes Eccleſiæ tunc habebant in illo ſuo flore Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores, qui diuerſos gradus conſtituebant. Poſteà verò eorum loco, Epiſcopos & Archiepiſcopos: ſunt igitur diuerſi gradus retinendi. Quod erat in Italia Cornelius, erat in Africa, & Mauritania, & Numidia Cyprianus; erat in Alexandria Dionyſius, erat & in Antiochia Babylas: quos Chriſti Martyres probro afficit, quiſquis commentitios fuiſſe, & ab hominibus inuentos Epiſcopos, adfirmare audet. Qui ſi viuerent, vndè hic nouus ordo Presbyterorum temporariorum potuiſſet

issent vllius verbi Dei prætextu in Ecclesiam inuehi, mirarentur: & Episcoporum diuinum ordinem vbique per vniuersum terrarum orbem receptum, in odium & inuidiam vocari, nunquàm probarent. Sed pergat D. Beza.

D. Beza.

ILla verò paulatim crescente, omnia fuisse paulatim labefactata.

Had. Saravia.

NEgari non potest horrendam rerum diuinarum confusionem, ab Episcopi Romani tyrannide in Ecclesiam fuisse inuectam: sed ea calamitas, quanuis sub isto Episcopo longè fuerit maior, quàm vbi nihil iuris habuit; cõmunis tamẽ fuit, & omnes Christi ecclesias pervasit. Non enim temporum iniquitas, & Satanæ malitia apud illos qui fuêre à Romano Episcopo alieniissimi, quieuerunt: vt à ratione sit alienum, contaminationes aliarum Ecclesiarum tyrannidi Romanæ adscribere. Sunt Armeniorum, Georgianorum, Abissinorum Ecclesiæ, vt alias multas Orientis & Aegypti præteream Ecclesias: quas omnes alias magis, alias minùs esse superstitionibus & erroribus deformatas, D. Beza non negabit. Has non potest dici libefactâsse Romanus Papa. At (inquit) habuerunt Episcopos & Archiepiscopos. Indè scil. calamitas: Res ipsa docet & docebit, olim subsistitisse, & hodiè subsistere ministerio Episcoporum & Archiepiscoporum Ecclesias: qui si sublati olim fuissent, nullas Oriens hodiè haberet Ecclesias.

D. Beza.

QVùm denique eiusdem illius oligarchiæ reliquiæ vbi penitùs extirpatæ non sunt, opus Domini manifestè remorentur: existimamus istud quoque humanum commentum semel profligandum, ac tum demum benè consultum Ecclesiis fore, quùm ex scriptis Apostolicis instaurabuntur.

Had. Saravia.

OLigarchiam vbique Episcoporum regimen D. Beza vocat. Quàm propriè, iudicent alij. Quum in vna diœcesi vnus tantùm sit rector Episcopus, & in prouincia vnus Archiepiscopus, qui sine legibus, aut præter leges, vel sine Synodo aut Presbyterio, hoc est, Decano & Capitulo, nihil possunt: quod à me pluries dictũ est, repeto propter calumniã: quomodò potest hæc gubernandi ratio dici oligarchia? Dùm oligarchiam vitare vult D. Beza, ipse ad eam, omnem Ecclesiæ gubernationem, quantum potest, traducit. Nam oligarchia ea, quæ in vitio est constituta, summi imperij forma quædam est, quam pauci quidam, qui vel sensũ, vel viribus, vel factione plus cæteris valent, sine legibus, contra ius & æquitatem administrant: & aristocratiæ ex aduerso constituitur, tanquàm tyrannis æquo regimini: in quam, aut in ochlocratiam hæc noua regiminis forma necessariò tandem prolabetur. Rei natura satis præ se fert, quò inclinet.

Vbi autem oligarchiæ reliquiæ non penitùs extirpatæ opus Domini manifestè remorentur, D. Beza non dicit: sed non est obscurum, quid & quos innuat. Videat ne temerè Christi seruos iudicet. Omnes stabimus ante tribunal Christi, reddituri administrationis nostræ rationem. Et qui sint opus Domini remorati, vtrùm Angliæ Episcopi, an D. Beza hoc suo scripto, & pluribus huius generis, manifestum, tempus faciet, & Dominus in vltimo examine iudicabit.

Episcopatus Euodij, Ignatij, Polycarpi, Aniani, Irenæi, Cypriani, & aliorum qui secuti sunt, humanum commentum & profligandum, D. Beza, clara & aperta voce, audiente orbe vniuerso, vocat: sed cum qua ædificatione Ecclesiæ, & quanto Doctorum omnium partis aduersæ scandalo, & quantâ operis Domini remorâ, vtinam videre posset. Quod D. Augustinum non puduit, nempè Retractationum opus posteris relinquere, D. Beza imitaretur. Humanum commentum quod D. Beza vocat, diuinum est institutum. Id veriùs quis dixerit de nouo presbyterorum genere, cuius nullum proferri potest exemplum, nec vllum Dei verbum.

Quod autem sequitur: *Sed tum demum benè consultum Ecclesijs fore, quùm ex scriptis Apostolicis instaurabuntur:* non ambigitur inter nos. Quod si ad hanc regulam noui presbyteri reuocentur, qui inepti sunt ad docendum, nec eliguntur vt doceant, aut sacramenta ministrent, sed tantùm in annum præsint censuræ, humanum commentum esse apparebit:

eo

eo tantùm nomine plausibile, quòd sit profectum ab hominibus, in quos tantum errorem cadere nemo suspicatus est.

D. Beza.

INstauratio verò hæc in eo posita nobis quidem videtur, vt inprimis regnum totum in regiones, & hæ rursùm regiones in parœcias tum vrbanas tum rusticas distribuantur: vt quàm frequentissimis, & quàm maximè commodis locis Pastores legitimè à sui Presbyterij cœtu propositi Regiæ Christianæ Maiestati, vel ab ipsa deputatis probati, à sua denique, cui præficiendi sunt, plebe præeunte promulgatione recepti, collocentur. tum vt in singulis parœcijs idonei adsessores Pastori adiungantur, qui & ipsi vigilent, & minoris momenti offendiculis medeantur, grauioribus ad Presbyterium referendis.

Had. Saravia.

QVod sit D. Bezæ consilium non satis adsequor. Regnum Scotiæ (ni fallor) vt omnia alia regna, in prouincias & regiones, & in parœchias tùm vrbanas tùm rusticas distributum erat, quandò hæc scripsit: vt fiat quod factum est, consilio nihil est opus: nisi quod priùs fuit factum, mutandum sit. Displicuit superiùs D. Bezæ Ecclesiarum & Episcoporum distributio facta secundùm Romani imperij prouinciarum diuisionem in parœchias, diœceses, & Metropoles. Quid nunc hic aliud facit? Antichristiana scilicet fuerit illa distributio Ecclesiarum, quæ à Patribus facta est, & hæc erit Christiana? Sed fuisse iam Ecclesiæ constitutæ videntur, quarum Presbyterij cœtus electos legitimè pastores Regiæ maiestati proponerent probandos, & plebi præeunte promulgatione recipiendos.

Maiorem difficultatem D. Beza præterit de locis, quorum incolæ animos auersos habent ab Euangelio, & ab Euangelij Ministro. Hanc difficultatem ego similiter prætereo, & hæc omnia directè fieri: verùm de ordinatione Pastoris nihil audio. Præmissis his omnibus, quæ hic narrantur, & quempiam aliqua in parœchia rustica vel vrbana isto modo esse collocatum, nùm ordinatio in Presbyterum vel pastorẽ est censenda? Proferat exemplum ex antiquitate D. Beza, quo facilitatũ à Patribus audiamus, quodhic narrat, & pro ordinatione habitũ. Perpetua priscorũ Patrũ omniũ locorum & temporũ consuetudo, infallibilis est interpres traditionum Apostolicarum. Regius assensus, populi receptio, Presbyterij electio, meo iudicio, & omnium Theologorum, qui præcesserunt nos, non est Presbyterij ordinatio, nec cheirotonia, nec constitutio, nec manuum impositio, quam Paulus legitur mandâsse Timotheo & Tito: & vsque ad hæc nostra tempora propria fuit Episcopis. Qui sumus omnes nos, qui quod vbique, semper, ab omnibus fuit obseruatum Ecclesijs, mutare audemus sine expresso Dei verbo? Proferatur vel vnum exemplum ex tota antiquitate Ministri hoc ritu instituti, quem nobis hic præscribit D. Beza. Sit licet Presbyterij electio, sint cætera omnia: ordinatio legitima nulla est sine Episcopo, quandò haberi potest. Sicubi Presbyter Presbyterum ordinat, vbi orthodoxus Episcopus haberi non potest, lex non est, sed necessitas.

Adsessores Pastori adiungi D. Beza seniores temporarios vult, qui & ipsi vigilent. Ferendum hoc esset, si non Presbyteros illos Ecclesiæ ministros ex diuina institutione constitutos diceret. Quod κυβερνήσεις & πρεσβύτεροι græcas voces ad significandum hoc nouum seniorum genus, quod nunquam ante hæc tempora significârunt, adfert, nihil est. Nam nec D. Bezæ nec cuiquam licet nouas significationes, nusquam antè auditas, dictionibus noui testamenti adfingere. Proferat fide dignos authores qui locos Scripturæ, quibus abutitur ad nouum Presbyterorum genus significandum, fuerint interpretati, vt ipse eos accipi vult, & cedemus.

D. Beza.

ITem vt Presbyteria ex pastoribus parœciarum tùm vrbanarum tùm rusticarum, & sufficiente hominum spectatæ tùm pietatis, tùm probitatis, legitimè itidem, vti dictum est electorum numero compositis, locis itidem maximè opportunis constituantur, quæ certo loco & tempore conueniant, & ex legibus in vniuersali Synodo primùm præscriptis, & deinceps authoritate Maiestatis regiæ sanctis Ecclesiastica negotia suæ ditionis dijudicent.

Had. Saravia.

QVòd nonnullis in locis hic ordo receptus fuit, iniquitati temporum tribuendum est, non perfectioni ordinis. Nam hoc audeo dicere, si per totam Germaniam, & Heluetiam, nec ipsam excipio Genevam, Episcopi Euangelij predicationem admittere voluissent

voluiſſent,& reformare quæ reformationẽ poſtulabant, iuriſdictionem Eccleſiaſticam ipſis non fuiſſe ablatam, nec auferendam. Et qui huius conſilij author tùnc extitiſſet, iniquus & improbus tùm ab ipſo Luthero, Philippo, Bucero, imò & Caluino habitus fuiſſet. Nihil hîc aliud dico, quàm totam hanc Eccleſiaſtici regiminis mutationem, vbi non cogit, ſicùt nulla cogebat in Scotia neceſſitas, ipſa nouitate ſui debere eſſe ſuſpectam.

Ea tantùm in vera & Chriſtiana, liberáque reformatione ſunt mutãda, in quibus aberratum fuit à regula, nobis in verbo Dei præſcripta. Nihil noui eſt introducendum, cuius ex antiquitate non poſſit demonſtrari exemplum. Nobiſcum non eſt natus Chriſtianiſmus, nec ſoli nos ſumus, nec primi Chriſtiani, vt nobiſcum ſit quoque Chriſtiana nata ſapientia. Proferat huius ſui Presbyterij exemplum D. Beza. Quod cùm impoſſibile ſciam ei fore, ſi præceps & temerarium dicam mihi videri fuiſſe ipſius conſilium, nullo iure mihi, nec ipſe, nec alius quiſpiam ſuccenſere deberet.

Sufficientem ſpectatæ tùm pietatis tùm probitatis numerum virorum Paſtoribus adiungendum D. Beza cenſet. Specioſa quidem hæc oratio eſt: ſed Apoſtolus præter pietatem & probitatem plura in Presbyteris requirit. Quandoquidem in partem Paſtoralis regiminis viri iſti aſſumuntur, ab illis virtutibus, quas paſtorale munus requirit, haùd alienos eſſe conuenit. Quorum an tam facilis tanta ſit copia in quibuſuis parœcijs tam vrbanis quàm ruſticis, vt ſufficiens numerus inueniri poſſit quotãnis renouandus, candido lectori rerum humanarum perito, iudicandum relinquo. Penitiùs introſpecta hæc D. Bezæ decreta, præter fallacem externam recti ſpeciem, nihil ſolidi habere inuenientur. Presbyter eſt Epiſcopus, & contrà: nec inter Presbyterum & Epiſcopum Euangelicum gradus diſcrimen vllum eſſe D. Beza patitur. Obſecro, an non Presbyter æquè Paſtor eſt ſicùt Epiſcopus. Quem Presbyterum vel Epiſcopum noui teſtamenti nobis dabit D. Beza qui Paſtor non ſit? Niſi miſcere velit omnia D. Beza, gradus diuerſitatem inter iſtos Presbyteros admittat oportet. Presbyter qui paſtor eſt gradu ſuperior eſt eo, qui paſtor non eſt.

D. Beza.

IN hoc cœtu ſit ordine primus, non poteſtate ſuperior, communibus ſuffragijs delectus qui maximè idoneus videbitur: idque citra certi loci delectum, & non niſi ad certum tempus: quo elapſo vel alius deligatur, vel idem nouo cœtus conſenſu, ad tempus iterùm confirmetur. Sitque eius munus de communibus negotijs ad cœtum referre, ſententias rogare, & ex Presbyterij ſententia pronunciare, nulla ei in collegas attributa poteſtate: quibus potius ipſe inprimis ſubijciatur; ſua etiam via, quùm opus erit, dijudicandus.

Had. Saravia.

ET hæc confidenter tantùm dici, non autem ex verbo Dei, & Patrum teſtimonijs doceri, mihi non eſt ſatis. Huius præſidentiæ quæro vel ex verbo Dei, vel ex Patribus exemplum. Contra enim hanc vniuerſalis Synodi formam hoc modo argumentor. Synodi forma, quæ neque ex verbo Dei, neque Patrum exemplo doceri poteſt, commentitia eſt, & reijcienda: ea verò quam hîc nobis proponit D. Beza eſt huiuſmodi: reijcienda igitur. Quod enim omnes noſtros latuit maiores, ab Apoſtolis fuiſſe traditum, aut diuinum eſſe inſtitutum, non eſt credendum.

In Synedrio Iudæorum, quandò nullus Rex aut iudex regnabat, ordinatione Dei ſummus ſacerdos vnus, & idem ſemper præſedit, dignitate & authoritate cæteris ſuperior. Similiter 24. Principes ſacerdotum non tantùm fuerunt primi ordine ſuis collegis, ſed authoritate maiores illis, & tanquàm inſpectores eorum omnium, quæ ad ſacrum templi miniſterium ſpectabant, vt curarent omnia ritè & ſecundum Dei legem fieri. In omni cœtu cui præfuerunt Apoſtoli, ipſi non tantùm ordine primi erant, ſed etiam poteſtate. Idem dico, de Tito in Creta, & de Timotheo in Epheſo. Si quis Synodos allegauerit, in quibus ipſos Apoſtolos conueniſſe legimus, & neminẽ vnum eminentioris authoritatis ſupra cæteros præſediſſe illis cœtibus, fatebor fuiſſe inter 12. Apoſtolos ordinis primatum, non gradus: & Iacobum in illa Synodo, quæ Hieroſolymis ſub Apoſtolis prima coacta fuit, primum tantùm fuiſſe ordine. Idem de Patriarchis dico, qui ſimul in generali aliquo Concilio conuenirent, primatum ordinis inter illos, non poteſtatis graduſvè fore. Sed in Synodo ab Apoſtolo Mileti conuocata, ipſe Paulus qui ibi præfuit, non tantùm ordine fuit primus, ſed (quod pius negabit nemo) authoritate & gradu. Parem

præſentiæ

præsentiæ rationem habent Synodi, quas conuocant Patriarchæ & Metropolitani in suis prouincijs. Apostolicam authoritatem interijsse & finem accepisse, ridiculum, ne dicam impium, est dicere.

Valeat igitur hæc D. Bezæ præsidentia. Ignoscat mihi lector, si rursum hîc septem Ecclesiarum Asiæ Episcopos citauero, quos sub Iohanne Apostolo vixisse certum est. Illæ Ecclesiæ habuerunt Presbyteria sua, quibus perpetuò septem illi angeli præfuerunt: in quibus non tantùm ordine fuisse primos, sed gradu & authoritate, reprehensiones & obiurgationes Dominicæ luce clariùs demonstrant. Præses siuè primus tunc vnius tantùm consessus vel synodi vel conuentus non eligebatur, in secundo idem denuò aut alius eligendus. Hæc tam anxia cura, & tam accurata vitandæ ambitionis & tyrannidis prouidentia, tunc ignorabatur. Celauerat eam Spiritus sanctus Patribus illius seculi, reuelandam scilicet nostro tempore. Sed vanitatem huius commenti operæpretium erit retegere.

In hoc cœtu (inquit) *sit ordine primus, non potestate superior.* D. Beza in Presbyterorum cœtu admittit ordine primum, non potestate. Veretur enim ne veritati aut æquitati rerum, quæ communibus suffragijs decidendæ sunt, authoritas primi præiudicium adferat. Sed metus ille vanus est, quum in omni conuentu, vbi suffragijs res est finienda, cesset vbique præsidis potestas, quæcúnque aliàs illa sit. Episcopi & Archiepiscopi habent leges, sine quibus nihil possunt: & in synodis & Capitulis quibus præsident, acturi de re in arbitrio posita conuentus, eorum potestas silet: suffragiis res terminatur: causis illis exceptis, in quibus leges eis permittunt sistere compresbyterorum vel collegarum voluntatem, si videbitur iniquior. Consulis fuit apud Romanos non paruum imperium: tamen in senatu consulebat, non imperabat. Sed age, hic noster præses nullius potestatis in illo cœtu Presbyterorum, quomodò sine potestate aliqua præcipua præter eam quæ est ordinis, moderator esse potest actionum quæ illic tractabuntur? In suffragijs ferendis, si quis sit loquacior, quàm par est, & rixosior, sitque qui clamoribus vincere velit: quæ sunt futuræ huius præsidis sine potestate partes? Idem quæro de actore & reo importunè litigantibus. Imperabit (inquies) silentium, iubebitque paucis sine contentione sententiam dicere. Rectè. Sed quid, consultis priùs, an inconsultis collegis? Alterum, potestatem aliquam arguit, quam cæteri omnes non habent: alterum, absurdum est & ineptum. Nisi fortè citra præsidis iniuriam singuli & omnes idem possint, si lubeat. Ignoscat ingenij mei imbecillitati D. Beza, si moderatorem & præsidem alicuius cœtus intelligere nequeam, etiam vbi pluralitas suffragiorum non præsidis valeat authoritas, sine exorte quadam supra cæteros authoritate.

Meliùs quodam alio in loco D. Beza contra me disputans scripsit: *Essentiale fuit* (inquit) *in eo de quo hîc agimus, quod ex Dei ordinatione perpetua necesse fuit, est, & erit, vt in Presbyterio quispiam & loco, & dignitate primus, actioni gubernandæ præsit, cum eo quod ipsi diuinitùs attributum est iure.* Ibi ego tria noto, locum, dignitatem, & ius diuinitùs præsidi attributum: quæ aliquid amplius denotant, quàm primum tantùm esse ordine. Si D. Beza quod illud sit diuinitùs attributum præsidi ius exposuisset, reiecto, quod ei displicet, potestatis vocabulo, inter nos fortè facilè de Episcopi inter compresbyteros, & Archiepiscopi inter collegas iure, authoritatevè conueniisset: & tantùm remansisset quæstio de perpetuitate præsidentiæ. In legitimo præside est totius Collegij conuentusvè potestas, aut legibus aut suffragijs declarata. Et id tantùm possunt Episcopi & Archiepiscopi quod præsides: nempe quod synodorum legibus possunt, & suffragijs ipsis est datum aut commissum. Itáque quomodò non potestate superior, sed tantùm ordine primus præses dicatur, alij iudicent.

Præterea, quomodò multitudo vnius Presbyterij ministrorum Ecclesiæ & seniorum, in vnum corpus collecta manere possit, vbi soluto conuentu cessat præsidis authoritas, equidem non video. Illud D. Bezę mihi magis placet, quod eodem libro contra me ait. *Et certè verum est, multitudinem etiã non admodùm numerosam facillimè nimiùm sæpè in partes dissilire cõsueuisse, nisi vinculo quodã quasi in vnum coalescat.* Accidũt quotidie multa quæ ad totũ illius multitudinis corpus pertinẽt: fieri enim non potest, quin de re quapiã agitata in synodo sit diligentiùs inquirendũ. Non rarò rumores spargũtur falsi de innocente, vehementẽ tamen qui adferãt suspicionẽ. Incidẽt accusationes, quę iniquæ sint an iustæ, ve-

ræ an falsæ, tantillo tempore quo conuentus celebratur, cognoſci non poterit. Statim dimiſſo cœtu Paſtor alicuius Eccleſiæ, in graue peccatum labi poterit, aut per calumniam diffamari: de qua re quæſtio habenda eſſet. Sed noua cenſura teſtes nullos audiendos cenſet contra negantem crimen; quòd hoc ſit iuriſdictionis. Quàm autem id rectè fiat, & quàm ex præſcripto verbi Dei, ipſi viderint. Sed ſeniorculi noſtri Miniſtrum Euangelij tempore medio inter duas ſynodos, grauatum fortè calumniâ, vel verâ famâ, ſuſpendent à ſuo miniſterio. Quæ certè actio cenſuræ, velint nolint, iuriſdictionis eſt, quam nemo exercere poteſt, niſi ſuperior, qui vel Paſtor ſit legitimus, vel magiſtratus. Multi prætereà caſus incidere poſſunt in iſta anarchia, vt qui diſperſi ſunt rurſus conuenire oporteat. Quis conuocabit cœtum? Quis literas recipiet? Quis de re dubia inquiret? Multa huius generis extra tempus conuentus eueniunt, quæ certum aliquem deſignari poſtulant, ad quem horum cura pertineat. Non ignoro quid fiat. Ego Presbyterorum cœtibus & ſynodis omnis generis interfui, in quibus ſemper deſideraui, quod ab Apoſtolis fuit traditum, & à Patribus perpetuo vſu fuit confirmatum, & humanæ prudentiæ communis ſenſus docet, perpetuum Epiſcopum.

Videmus in rebus ciuilibus vrbium Scabinos ſibi vnum aliquem præficere, quem vocant aut Maiorem, aut Burgimagiſtrum, non vt primus tantùm ſit ſine poteſtate vno die: in annum ad minus prorogatur authoritas, ne Reipub. inutilis, & vanus ſit magiſtratus. Artifices habent ſua quoque collegia, & ſuos conuentus: qui & vnum quempiam habent ſibi præpoſitum, ſed non in diem vnum aut alterum. Noua prorſùs eſt hæc præſidentiæ forma, & contra omnem boni & vtilis regiminis rationem eſt excogitata. Niſi fortè & Spiritu Domini omnes Veteres deſtitutos, & cunctos mortales, ſenſu omni priuatos, dicere velimus, & eos ſolos ſapere, qui nobis hanc nuper excuderunt gubernationis formam.

Sed vide quam prætereà cautionem neceſſariam D. Beza putet. *Nulla ei (inquit) in collegas attributa poteſtate, quibus ipſe inprimis ſubyciatur, ſua etiam via, quum opus erit, diiudicandus.* Videri vult aduerſùs tyrannidem Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum, ac etiam ſingularum Eccleſiarum Paſtorum & Miniſtrorum, nouum nobis canonem præmonſtrare, ignotum Patribus. Sed nota eſt omnibus Archiepiſcoporum qui præſident Concilijs poteſtas, & poſſe, ſi cauſa ſit, Concilia de eis iudicare. Archiepiſcopalis poteſtas, legibus non eos eximit. Hoc ius vnus Romanus Epiſcopus ſibi vendicat. Non enim minùs Archiepiſcopo metuendum eſt Canonum & Synodi iudicium, quàm eſt Paſtoribus Geneuenſibus Presbyterij ſui cenſura. Archiepiſcopus ſua poteſtate Suffraganeis, & Epiſcopis Presbyteris nocere non poteſt, quandiù hi & illi nihil contra regulas Eccleſiaſticas peccant. D. Beza perindè ſcribit, ac ſi Epiſcopis & Archiepiſcopis in collegas & compresbyteros, quiduis iubendi aut prohibendi eſſet poteſtas, & ſoli ſoluti legibus regnarent, & dominarentur populo, & Clero. Quod verum certè non eſt. Aequè enim regulis Eccleſiaſticis ſubijciuntur, ac infimi gradus Presbyteri. Non quòd negem doctrinæ & morum reformationem ad Epiſcopos pertinere, hæc dico: ſed quòd tota eorum poteſtas legibus definita ſit. A quibus ſi vel Epiſcopum vel Archiepiſcopum aberrare contingat, libera eſt vel ad vniuerſale Concilium appellatio, vel ad ipſum Principem, & ſummæ poteſtatis Magiſtratum, ſub quo viuitur.

Dum contra vel ambitionem vel tyrannidem vnius temporarij præſidis, vtpote paucorum dierum, cautum cupit D. Beza, quæ tamen nulla in tam paruo tempore eſſe poteſt, malè conſulit eutaxiæ, authoritatíque eius, quem moderatorem eſſe omnium quæ illíc agenda ſunt, eſſe oportet, & rerum tractandarum poſtulat grauitas. Mandatorum enim nullum eſſe poteſt pondus contempti præſidis. Incidunt ſæpe tempora, & nonnunquam negotiorum eſt tanta difficultas, & cum ingenijs adeò pertinacibus eſt colluctandum, vt niſi magna ſit præſidis authoritas, magnáque reuerentia, nihil ad bonum finem poſſit perduci. Mallem modeſtiam & ſubmiſsionem doceri ſub legitimo præſide, quàm eius poteſtatem contra leges præſidentiæ accidi. Cogitare D. Beza debuit, multos in ſynodis cõuenire authoritate aliunde præditos, & benè animatos, potiùs ſua defendendi, quàm parendi ſynodi decretis. Præſés autem vnus eſt, quem facilè contemnent,

contemnent, qui nemini parêre fuerunt assueti. Deus in sua lege aliud iudicauit, & summi sacerdotis vel iudicis summam voluit esse, & perpetuam reuerentiam, quandò morte dignum iudicauit eum qui per contumaciam non paruisset decreto sacerdotis, vel iudicis. Quid igitur velles? Nihil noui: sed eum præsidem synodis & Concilijs præfici, quem olim sanctorum Patrum decreuerunt Canones, cum illa potestate, quæ ab ijsdem Patribus similiter definita, & vsitata fuit.

Ita D. Beza de Archiepiscopis, & de Episcopis, & eorum authoritate, similiter de præsidentia in conuentibus Ecclesiasticis scribit, & disputat, vt qui aut nesciat, aut certè se scire dissimulat quid sit Episcopatus, quæve eius sit authoritas, & quæ olim antiquitùs apud Patres orthodoxos præsidis in synodis & Concilijs fuerit authoritas. Sciat igitur lector Episcopos nullam in compresbyteros habere potestatem, nisi canonicam, nec eis vllam deberi obedientiam, præterquàm canonicam. Quòd si cuius nimis teneras radit aures hæc vox Canonica, eam tollat, & substituat Euangelicam.

D. Beza.

IN hoc cœtu nihil nisi ad conscientiam pertinens, idque ex puro Dei verbo, & Ecclesiasticæ disciplinæ ab eodem petitæ, sanctis legibus disceptetur, authoritate magistratus ciuilis ne tantillum quidem delibatâ.

Had. Saravia.

LEges hic audimus ex Dei verbo petitas, & Dei verbum, ne quis putet Presbyteria legibus soluta. Sed quid dixerim scio: & qui adsessores eligantur verbi Dei ministris, scio. Rari illi sunt seniores, qui tantum profecerunt in verbo Dei, vt secundùm illud lites dirimere possint. Quæ autem sint leges consistoriales ex verbo Dei petitæ, prorsus ignorant. Taceo de bona parte Pastorum, quæ gradus affinitatis & consanguinitatis vetitos, aut permissos, ignorant. Si qui fortè studiosi sint obseruationis suorum synodalium, contraria suffragia seniorum vincent: perindè enim pleríque eorum ac si nulla essent, de re proposita iudicant. Ego diuersarum Ecclesiarum synodales constitutiones habeo: & quid ex illis iudicari possit, non ignoro: nempè prorsus nihil, quod sit alicuius momenti.

Quòd nihil, nisi quod ad conscientiam pertinet, tractari in Prebyterijs D. Beza patitur, si rectè capiatur, non improbo. Sed si quicquid ad conscientiam pertinet, adsumant Presbyteria & synodi, latè hoc patet, & indefinitum est. Vereor ne nihil relinquant ciuili Magistratui. Præter hæreses; sacrilegia, rapinæ, furta, & pauperum, viduarum, orphanorum, & peregrinorum oppressiones violentæ, latentes & manifestæ insidiæ, doli, proditiones, parricidia, cædes, vsuræ, adulteria, blasphemiæ, periuria, pertinent ad conscientiam. Vix enim quicquam in Repub. peccatur, quod non ad conscientiam pertineat. In his omnibus videndum est, quæ sint Pastorum partes, & quæ Magistratuum. Ad pœnitentiam, & vitæ emendationem, quosuis peccatores adhortari, Pastorum indubitatum munus est. Sed quatenùs in iudicium Presbyterij vel synodi vocari possint publica peccata, maiorem habet difficultatem, quàm vt hic potuerit à D. Beza tractari.

Sed ne tantillum quidem authoritatem Magistratus ciuilis delibari D. Beza patitur. Et rectè quidem: nec hoc agimus. Verùm obliquè Episcopos ipse notare videtur, quasi Magistratus ciuilem potestatem inuaserint, ac suæ Ecclesiasticæ gubernationi admiscuerint. Quod certè in Anglia verum non est. Nam sine graui periculo Episcopi, quod ad ciuilem Magistratum pertinet, pertrahere ad suum tribunal non possunt.

Fuit quoddam tempus, quandò Episcopi, omnes ferè ciuiles causas ad cognitionem iurisdictionis suæ, hoc colore pertraxerant, quòd Deus offenderetur, & conscientiæ læderentur. Quod si corrigi in pleno papatus vigore, & densissimis errorum tenebris potuit, multò faciliùs id caueri hodiè poterit.

Intereà num nihil tractetur in Consistorijs & Synodis clàm à paucis, quandò palàm non audent, quod ad ciuilem Magistratum pertinet, ipse D. Beza viderit. Quod tamen si quandò accidat, (quam quæso) pœnam constituunt temerarijs ausibus synodales leges? Lege caueri potuit, & satis cautum puto, ne cui Episcopo in Scotia impunè liceret Magistratus ciuilis inuadere iurisdictionem, vt idcirco non fuerint abolendi Episcopi.

D. Beza.

Sit autem omnis istius ordinis Regia maiestas, & ordinarius ab ea constitutus magistratus, custos, ac etiam aduersùs seditiosè tumultuantes vindex. Quod si cui videbitur hæc subita vtriusque illius Episcopatus abolitio, nouis tumultibus occasionem præbitura: etsi non videmus qua conscientia possint Episcopi bona Ecclesiæ sic sibi vendicare, vel etiam sese dicere Episcopos, & instar Principum huius seculi viuere: tamen pacis publicæ retinendæ causâ poterit Regia maiestas ijs qui nunc sunt Episcopi, suos saluos reditus quandiù vixerint, relinquere: modò rectiùs compositum ordinem Ecclesiæ non perturbent, & ijs defunctis alij non subrogentur.

Had. Saravia.

QVandò D. Beza dicit se non videre, qua conscientia possint Episcopi bona Ecclesiæ sibi vendicare, & Episcopos se dicere, & instar Principum huius seculi viuere, nimis præcipiti iudicio multos fidos Christi seruos malæ conscientiæ damnat. Anglicana Ecclesia retinet Episcopos, quos bonâ conscientiâ simul & esse Episcopos, & inter proceres Regni tenere locum posse, multi graues, D. Beza nihil inferiores, iudicârunt Theologi.

Duo hoc loco tanguntur, re & naturâ distincta: nempè Episcoporum Ecclesiastica functio, & externus Magnatum splendor. Quæ simul consistere non posse D. Beza putat. Alij Theologi in alia sunt sententia: modò Episcopi eam moderationem adhibeant, quæ grauitatem Prælati retineat. Quanuis cum Ecclesiæ ministerio ciuilis nulla iurisdictio sit coniuncta, sicut apertè Domini verba docent, prohibita malè indè colligitur, si conferatur ab eis quibus concredita est, & eam dandi delegandivè habeant potestatem: idq; postulet regni aut Reip. necessitas, aut inuitet magna vtilitas.

Ciuile imperium, & regalia, Episcopos nomine feudi ab imperatoribus & regibus accipere, quatenùs tum Reip. tùm Ecclesiæ interest, licere, alibi fusiùs disputaui, eóſq; turpiter abuti verbis Seruatoris nostri, qui æstu quodã deijciendi Pontificis Romani abrepti, inconsulto iudicio, quidnis, quod aliquam speciem argumenti contra Pontificem habet, arripiunt, existimo. Quandò, & vbi D. Bezæ placet, ipse distinguere nouit inter ciuem & Pastorem: & quædam vt ciui & subiecto posse regem mandare Pastori, quæ nullo ei iure tanquam Pastori debentur, admittit. Cur obsecro hîc non valet illa distinctio? In Christiana repub. deteriore conditione cæteris ciuibus iniquum est Pastores Ecclesiarum haberi. Qui Reip. oneribus subijciuntur vt alij subiecti, commodis & honoribus priuari non est æquum.

Feuda nobilia, quibus iurisdictio ciuilis est coniuncta, cuiuis subiecto possunt accidere: eorum verò possessione, vbi Pastoribus Ecclesiarum plusquàm cæteris Christianis sit interdictum, & quo Domini præcepto, doceri vellem. Fieri potest vt Ecclesiæ ministro hæreditario iure feudum, morte parentis, aut alicuius cognati, obueniat. Eiúsne capax non erit quia Prebyter, aut Episcopus est? Scio quid varium, nec sibi constans feudorum ius olim constituerit de Clericis: sed legum illarum vis & ratio tempore interiit, & contrarii mores & consuetudines valent; vt nihil impediat Pastorem Ecclesiæ hæreditario iure deuolutum feudum accipere. Quæ æquitas, aut quæ ratio Presbyterum, vel Episcopum à successione legitima excludit?

Quod si hæreditate feudum deuolutum ad se Pastor possidere potest, eodem iure feudum acquirere emptione, legatione, & donatione potest. Quod si prius illud contra Christi præceptum non est, nec posterius; quùm par sit vtriúsque ratio. Bona autem Ecclesiastica quùm possideantur ab Episcopis, eodem iure quo reliqui ciues suos agros & possessiones, potiùs quærendum est, qua conscientia illis possint spoliari bonis, antequàm esse malæ fidei possessores conuincantur, nec posse bonâ conscientiâ illa retinere doceantur.

Responsio Protestantium de actis Colloquii Ratisbonæ habiti, longè moderatior fuit. *Non impedimus* (inquiunt) *quo minùs Episcopi possideant opes, & imperia attributa ab imperatoribus & principibus: sed tamen rogamus vt consideretur quanta detrimenta Ecclesiæ, quæ clades sequutæ sunt ex opulentia & imperiis Pontificum Romanorum & Episcoporum.* Clades & detrimenta quæ Respublica Christiana imperiorum ciuilium causâ pertulit, si quis æquus iudex, & diligens historiarum lector esse velit, omnia Româ

profecta

profecta inuenientur. Subiecti Episcopi, qui agnoscunt quid à D. Iesu Christo acceperint, quid à Rege suo; & ita Cæsari reddunt, quod est Cæsaris, vt Deo quoque reddant, quæ Dei sunt; plus præsidij Regibus & Reip. adferre possunt, quàm detrimenti.

Quicquid de ciuili imperio sit, illud ego separo ab Episcopali munere: cum quo nec coniungendum, nec coniunctum retinendum diutiùs censeo, quàm Reip. & Ecclesiæ vtile & necessarium inuenietur; sicut alibi pluribus me demonstratum puto. Verùm absum ab illorum sententia, qui hæc ἀσύστατα putant naturâ suâ. Nemini ego religionem inijciendam censeo, nec ipsis Episcopis, quò minùs bonâ conscientiâ, quæ sine dolo malo, fraudeve Ecclesijs olim data, aut acquisita fuêre, possint retinere: nec ipsis Regibus, quo minùs possint in ciuilibus negotijs vti suorum Episcoporum operâ: modò ea adhibeatur cautio, vt vtráque retineatur persona cum ædificatione Ecclesiæ, & vtilitate Reipublicæ, & ita geratur principatus, vt non negligatur Episcopatus. Si tamen id planè est impossibile (quod non puto) vt quis simul ciuile in Republica imperium, & Ecclesiasticam administrationem sustineat, & vtramq; rectè & ordine procuret, Episcopalis non est ideò abolendus gradus: retineri enim, abiecto ciuili imperio, nihil impedit Ecclesiæ ministerium. Vtinam nullus vnquàm principatus ciuilis coniunctus fuisset Episcopatibus: quandoquidem eius inuidiâ periclitatur ordo pulcherrimus, & Ecclesiæ inprimis necessarius. Moderatiùs dederunt pij & docti viri, qui D. Bezam præcesserunt, & ante eum in vinea Domini laborârunt, de hac re consilium: à quorum sententia quùm suo ingenio fretus ipse liberè discedat, eadem libertate cuiuis etiam ab eo dissentire licere iudico.

Extat libellus Imperatori Carolo quinto postulanti in Comitijs Regenspurgi exhibitus per Martinum Bucerum: in quo inter alia, & hæc habentur de Episcopis. *Tamen quia planè impossibile, vt quis simul summum in Repub. imperium, & Ecclesiasticam administrationem sustineat, & vtramq; recte & ordine procuret, necesse erit, vt Ecclesijs ordinentur, qui nihil quàm Episcopale munus obeant. Atque hi, quo fideliùs toti curæ animarum, & procurationi religionis incumbant, ab omni cura seculari, vt scilicet Scriptura & sacri Canones præcipiunt, liberandi erunt, nedùm à cura illa omnium difficillima, & negotiosissima summi imperii. Ne verò administrationes istæ Ecclesiarum & politeiæ commisceantur, sed Ecclesijs munus Episcopale plenum & integrum maneat, oportebit illos qui administrationi Episcopalis muneris præficiuntur, verè Canonica electione & ordinatione, ad quam & populi suffragium, & testimonium requiritur, constitui. Quanquàm autem vtile sit, eos qui principatus Episcopatuum in eum modum regent, & quasi politeiæ summiq; imperii Episcopi erunt, suam quoque curam & authoritatem conferre, tùm ad constituendos Episcopos spiritualis procurationis, canonica electione & ordinatione semper obseruata; tùm ad adiuuandum eos, qui constituti fuerint, quo munus suum spirituale ritè obeant: aduigilare deniq; vt inspectiones Ecclesiarum accuratè fiant, ac synodi suis temporibus, atque cum fructu celebrentur: Attamen illis qui ad spirituale Ecclesiæ regimen, & proprium Episcopi munus deputabantur, administratio religionis & Episcopalis functio tota libera relinquenda erit, vt hæc exequantur secundùm institutum Domini, & vt in sacris canonibus præscribitur. Nihilo plus in hac re, imperio eorum, qui Episcopales principatus gerent, obnoxii, quàm salvo munere Episcopali, & salua potestate verè Ecclesiastica atque spirituali, licere potest, & Ecclesijs commodum est.* Hæc ibidem. Separatur quidem hoc consilio à principatu Episcopatus, sed non tollitur.

Ciuile imperium, quod in Episcopis vtilitatis aut necessitatis publicæ causâ ferendum iudico, non est summum nec regium, nec ita absolutum, vt superiorem nullum agnoscat, & quod cum simplicitate Episcoporum consistere nequeat: quos subiectos legibus & Concilijs esse oportet.

Patrum memoriâ Episcopus Traiectensis Carolo Imperatori, & ipsius hæredibus principatum ciuilem illius tractus tradidit: sed Episcopatum, & quicquid ad functionem pertinebat Ecclesiasticam, cum fundis & agris, eáque iurisdictione quam vsus eorum postulat, retinuit. Atque id sub Papa, ipsóque approbante, factum est. Multò igitur faciliùs id poterit fieri ab orthodoxis; vbi id fieri res, tempus, locúsque postulabunt.

Et quod me attinet, iterum dico, optarem (si vota valerent quæ facta sunt infecta reddere) nullum vnquàm ciuilem principatum adiunctum fuisse Episcopatui. Sed postquàm cum vtilitate Reipublicæ Christianæ id factum constat, nec facilè mutari

potest, religionem nemini inijciendam æstimo contra salutem Reipub. quin idem liquidò possit simul & Episcopus & Princeps esse, quandocunq; & vbicunque salus Reipub. id exiget. Vereor ab vtraque parte cupiditatem aliena possidendi, libidinémq; dominandi: quæ tam in retinendo, quàm in repetendo esse potest. Sed quemadmodùm meum iudicium de hac re nemini obtrudo, ita præceps & temerarium aliorum minimè probo.

Archiepiscopi Electores nec Reges sunt, nec Imperatores. Præsunt Clero & suæ prouinciæ, secundùm Canonicas leges; & ab eorum sententia est libera prouocatio, etiam infimi gradus Presbytero. Capitulorum regulæ testimonio sunt cuiuis, qui intelligit, aut intelligere vult, quàm non sit Archiepiscoporum potestas regia, vel absoluta. In negotijs ciuilibus & temporalibus, legibus imperij vel regni, sub quo degunt, subijciuntur. D. Bucerus malè rem accepit, quando dixit summum Episcoporum imperium, cùm nullum sit, nec fuerit vnquàm, nisi in vno Romano Episcopo: cæteri omnes in rebus ciuilibus subijciuntur legibus politicis Reipublicæ regni vè in quo viuunt. Et in rebus Ecclesiasticis eos parere oportet canonibus. Quòd vnus vtriq; functioni impar creditur, imò ne quidem alteri earum functionum mortalem vnum sufficere, fatebor; si omnia & singula quæ vel Episcopus in Ecclesia non admodùm parua, vel Princeps in Republica, ademptis adiutoribus, per se solus in propria persona exequi debeat, quæ tam ab Episcopo, quàm à Principe requiruntur. Ipsi Apostoli prouinciam, quam eis Dominus imposuerat, subire nunquàm potuissent, si subsidiarios & auxiliatores nullos habere licuisset. Quod Apostolis indultum scimus, non est negatum Episcopis & Archiepiscopis; quando vel duplicem personam sustinent, vel vnam tantùm, maiorem tamen quàm vnus queat perferre.

Si nemo vir Dei simul cum sacerdotio ciuilia negotia administrâsset, aliquid dixisse D. Bucerus videri posset. Duplicem prouinciam cùm Deus mandauerit nonnunquàm fidis suis seruis, numerari inter res non possunt, quæ simul nequeant consistere. Per politicos, quæ ad politeiam pertinent, & per Ecclesiasticos, ea quæ ad Ecclesiam, vnus & idem Pontifex administrare poterit. Non tamen hæc scribo, quòd velim eos, quibus tantum est impositum onus, torpere otio & ignauia, & totos in delicijs viuere, sed gnauiter præstare, quod ab ipsis eorum vocatio postulat; & partes, quas obire non possunt, mandare alijs, de quorum probitate & scientia certi sunt, & eis tutò fidere possunt, quantum hominibus fas est; inspectione sibi retenta in eos omnes, quos in partem ministerij sui asciuerunt, vtpotè qui Deo rationem omnium sint reddituri. Non alia ratione reor melius occurri posse multorum ambitioni, quàm hoc modo. Quod cùm diuina sapientia præuiderit, vnum tantùm summum Pontificem Israelitico populo dedit: qui quod per se non potuit exequi, per vicarios perfecit.

Non sine maximo Euangelicæ prædicationis probro, cupidissimè deprædandis opibus Ecclesiasticis occasionem ex Euangelij prædicatione arripi videmus. Romanistæ, quíque cordatiores, nobis apertè exprobrant, non tam Ecclesiæ reformationem, quàm opum Ecclesiasticarum direptionem peti. Ecquid aliud iudicare possunt, quùm conuersa studia maiorum videant in posteris? Illi quò religiosiores erant, eò locupletandis Ecclesijs erant ardentiores: isti religionem credunt diripere quicquid maiores dederunt; vt is sit religiosior, qui ex Ecclesiæ opibus fit locupletior. Religio Patrum nostrorum (inquiunt) docebat liberalitatem; hæc vestra rapacitatem. Vtrobique Dei iusta iudicia video: vtrobique hominis peccatum. Sed hoc est illo grauius, quòd honestius est dare quàm accipere. Fallebantur qui quæstum crediderunt pietatem, & Deum posse placari muneribus arbitrati sunt: sed turpiùs errant, qui prædam putant pietatem, & Deum delectari direptionibus, furtis, & sacrilegijs.

Non videt D. Beza qua conscientia possunt Episcopi bona Ecclesiæ sic sibi vendicare, vel etiam sese dicere Episcopos, & instar Principum huius seculi viuere. Sed alij non infimæ notæ Theologi non vident, quo iure Episcopis, qui Euangelium Christi recipiunt, possit iurisdictio, & opes quas possident auferri. Legatur historia Confessionis Augustanæ. Ibi Philippus Melanchō his verbis de hac re scribit. *Hoc male habet quosdã immoderatiores, reddi iurisdictionem, restitui πολιτείαν Ecclesiasticam: hoc interpretantur restitutionẽ dominationis Pontificiæ.* In Epistola quadam ad Martinũ Lutherum ita scribit: *Non credis quanto in odio sim Noricis, & nescio quibus aliis, propter restitutam Episcopis iurisdictionem.*

Responsio

Responsio Protestẽtium de Actis Colloquij Ratisbonensis, habẽt hæc verba, quæ hîc subijcio. *De ordinatione maximè probamus veterem Ecclesiæ consuetudinem, vt ordinandi priùs explorentur, erudiantur, & publico testimonio reliquorum piorum & doctorum, qui præsunt Ecclesijs, admittantur ad ministerium: vt nùnc fit in nostris Ecclesijs. Hanc difficillimam curam, & necessariam Ecclesiæ, suscipere Episcopos, facta reformatione, optandum est. Et nostros audimus disertè, ita tribuisse Episcopis illis ordinationem, si procedat reformatio.* D. Beza vehementior mihi videtur esse, quàm par est. Aliorum Theologorum mihi magis probatur môderatio. Caluinus in Epistola ad Ducem Sommersettensem Angliæ Protectorem, de reformanda Ecclesia, de triplici genere Episcopatus nullam mentionem facit: nec vsquàm abolendos Episcopos censet: sed quod illorum postulat munus, vrget. Hieronymi Zanchij consilium de hac eadem re in fine huius libri subijciam. Consulti similiter plures fuerunt alij per Heluetiam grauissimi theologi: quorum literæ adhûc extant, & adseruantur, quibus vno consensu suadent retinendos Episcopos. Eorum consilium tutiùs Scotia meo iudicio, quàm vnius D. Bezæ sequuta fuisset: si non potiùs suffragium, quàm consilium à D. Beza de abolendo Episcoporum ordine quæsitum fuisset.

D. Beza.

Quod ad populi peruicaciam attinet, alijs frenis ea coerceri multò meliùs poterit, quàm pseudoepiscopali authoritate: concionibus videlicet verbi diuini, censuris Ecclesiasticis, & magistratuum regionum imperio, aduersùs manifestos publici status, siuè Ecclesiastici, siuè ciuilis, perturbatores.

Had. Saravia.

Pseudoepiscopaletm authoritaem nullam vrgeo, nec defendo. Vbi eam quam improbat Episcoporum authoritatem, D. Beza vel humanam vel diabolicam esse docuerit, ego quoque eam pseudoepiscopalem, & ab Apostolorum temporibus, quotquot fuerunt Episcopi, omnes fuisse pseudoepiscopos dicere audebo: antè nunquàm. Rectè quidem opponit D. Beza pseudoepiscopalem authoritatem verbo Dei, & censuris Ecclesiasticis. Sed quam vocat pseudoepiscopalem authoritatem, mihi huiusmodi non est: proindè malè opponitur concionibus verbi diuini, & censuris Ecclesiasticis. Sunt hæc iure diuino coniuncta in Episcopo, verbi Dei prædicatio, & censuræ Ecclesiasticæ authoritas.

D. Beza.

Inspectio Ecclesiarum sine magno sumptu, & vllo Episcopali fastu commodissimè fiet statis temporibus, ab iis quos singula Presbyteria delegerint, sub regiæ Maiestatis authoritate, nec erit semper necessaria, si Presbyteria suo munere rectè fungantur.

Had. Saravia.

Inspectionem Ecclesiarum non ab Episcopo fieri, sed à delegatis Presbyteriorum, nouo more nunquàm antè vsitato in Christi Ecclesia, oportere D. Beza censet. Sublatis Episcopis, inspectionem Ecclesiarum aliquibus committendam consequens est. Sed cur potiùs delegatis Presbyteriorum quàm Synodorum, illam prouinciam committi velit, non intelligo. Quidquid tamen sit, huius rei exemplum requiro; quod nullum proferri cùm possit, nouitatis in Ecclesia omnem repudio authorem. Sine fastu, & magno sumptu, ab Episcopis fieri Ecclesiarum inspectionem non posse, D. Beza videtur innuere; quasi delegati à Presbyterijs, & delegantes Presbyteri, à fastu sint futuri liberi, & suis sumptibus inspiciendi Ecclesias munus sint suscepturi.

Quod ipse non putat inspectionem fore semper necessariam, si Presbyteria suo munere rectè fungantur, perindè est ac si quis diceret, nec ipsa Presbyteria fore necessaria, si Christiani, vt decet, viuant. Humana omnia in lapsum sunt prona, & ipsa Presbyteria (vt Ecclesias præteream) corrumpi, & inspectione, atque graui habere opus animaduersione possunt. Inspectionem Ecclesiarum relinquendam puto eis, quos ad eam rem (necessitatem semper loci temporisvè excipio) non vnus, vel pauci Doctores paruæ alicuius Reipub. idoneos cẽset, nempè eos quos Presbyteria elegerint: sed eis quos Synodi & Concilia omnia omnium Ecclesiarum, quotquot fuerunt ab ipsis Apostolorum temporibus vsque ad hæc nouissima tempora, probârunt.

Hic optimus ordo fuit & est: vbi Episcopus totius diœceseos curam & inspectionem habuit; Metropolitanus verò totius prouinciæ; Patriarcha, vel totius alicuius gẽtis primæ

ſedis Epiſcopus, controuerſiarum & litium Eccleſiaſticarum ſupremus iudex fuit. Quem, ſi contra Dei verbum & regulas Eccleſiaſticas ſe gerebat, Epiſcoporum ſynodus iudicabat. Nimis meo iudicio ſapit, quiſquis in hac re plus Patribus ſe videre credit.

D. Beza.

MAnifeſto cum abuſu, & contra Dei verbum introducta eſt iſta Epiſcoporum ſeſſio, cum ſuffragij iure in publicis Regni ſtatibus, imò vt nobis videtur, prorſus abolenda

Had. Saravia.

MAnifeſto cum abuſu (inquit D. Beza) & contra Dei verbum, cùm neutrum doceat. Verbum Dei vbique docet in veteri populo Dei, & optimè, nempè diuinitùs, inſtituta Repub, inter proceres, ſacerdotes pari iure primum dignitatis gradum tenuiſſe. Cur eundem in Chriſtiano populo pauci quidam Antiſtites religionis Chriſtianæ non debeant retinere, ego nullam cauſam video.

Exemplum Chriſti & Apoſtolorum hoc tempore ſub Magiſtratu Chriſtiano alienum eſt, quòd olim illi priuati vixerint, & in medio eorum, qui nec Chriſtum, nec Chriſti religionem cognoſcebant, & hoſtes erant plerùmque acerrimi veritatis Euangelicæ. Quòd ſi pars Chriſtianæ Reipub: alicubi fuiſſent, proculdubiò illud ipſum admiſiſſent, quod D. Beza improbat in Epiſcopis. Verbum Dei non minùs ciuiles actiones huius humanæ vitæ dirigit, quàm Eccleſiaſticas in ſpem futuræ immortalitatis. Tamen ſi tempora Seruatoris noſtri, & Apoſtolorum, & gentium incredulitatē quis reuocet, aut ſimilē aliquem rerum ſtatum conſtituat, per me valebit exemplum, & argumentum quod indè ducitur: pariq; ratione Eccleſiarum Paſtores deſtinabit ad metalla, ad gladios, ad beſtias, & ad alia varia ſuppliciorum genera. Si temporibus Apoſtolorum vniuerſalis conuerſio gentium extitiſſet, quæ fuit poſteris temporibus, ipſi à publicis comitijs ſtatuum non fuiſſent excluſi, inter quos ciues fuiſſent

Paſtores Eccleſiarum pars ſunt Chriſtianæ Reipub. in qua viuunt: ad quos cura publicæ ſalutis non minùs pertinet, quàm ad cæteros inferioris ſortis ciues: & quid conducturum, quid nociturum Reipub. quid æquum, quid iniquum ſit, ſcire præter cæteros, negari non poteſt. Quod Dei verbum, quæ ratio, quæ æquitas, prohibet Eccleſiarum Paſtores & Epiſcopos adeſſe comitijs, in quibus de communi ſalute deliberatur, quæ tam ad eos pertinet, quàm ad alios omnes qui conueniunt? De Repub. vbi opifices & mercatores ſententiam dicunt; Paſtores eorum, qui & plus vident, & rerum peritiores ſunt, ſilere, quis niſi mentis, & omnis iudicij inops, æquum iudicabit? Geneuenſis Reſpub. ſenatum habet compoſitum ex ducentis viris: ibi nulla lex, nullum verbum Dei, D. Bezam & alios Presbyteros & Paſtores ſedere, & ius habere ſuffragij, prohibet. At in ſtatibus regni Epiſcopum ſedere cum iure ſuffragij, contra Dei verbum; & manifeſtus eſt abuſus: ſcilicet.

Quemadmodùm Dominus ratione vocationis Apoſtolicæ, vel miniſterij Euangelici, ſeruis ſuis ius nullum dedit, immiſcendi ſe ciuilibus negotijs; ita non ademit, nec inhibuit ius vllum ciuilis poteſtatis, quod aliundè legibus, conſuetudine, vel more gentis, eis accidere poſſet. Sed Dei verbum quùm nullum citet D. Beza, quid tamen probationis loco adferat, audiamus.

D. Beza.

NEc enim ad Epiſcopale munus pertinet merè ciuilium negotiorum adminiſtratio.

Had. Saravia.

NVſquàm ego legi, nec vnquàm dictum à quoquam Theologo audiui (ſi Epiſcopum Romanum excipiamus) ad Epiſcopale munus pertinere ciuilium negotiorum adminiſtrationem. Extra controuerſiam hoc eſt. Sed amabò quid indè conſequitur? In comitijs ordinum nefas eſſe Epiſcopum ſedere, & ſuffragij ius habere? Eadem ratione ego excludam ab ordinum comitijs omnes honeſtiſſimos quoſque ciues, qui ex opificijs aut mercimonijs viuunt. Non enim magis ad munus fabri aut mercatoris pertinet merè ciuilium rerum adminiſtratio, quàm ad Epiſcopale munus. At ſunt ciues. Sic ſunt Eccleſiarū Paſtores

Pastores & Episcopi, ad quos consilia de pace, de bello, de tributis, de vectigalibus, de lege noua ferenda, aut vetere abroganda, æquè pertinent, atque ad mercatores & artifices.

Veros Ecclesiarum Christi Pastores, vt Reipub. ciues, vel regni subiectos, plusquàm cæteros cura publicæ salutis tangere, & habere solicitos debet. Quod me attinet, nihil meâ interest comitijs Reipub. Pastores Ecclesiarum admitti, vel excludi. Propriam causam nullam ago, nec vllum meum ius defendo. Hoc confidenter audeo dicere. Si excludantur publicis comitijs Episcopi Pastoresvè Ecclesiarum, non tam ipsis iniuriam, quàm Reipub. fieri. Videte quam exceptionem nobis D. Beza subijciat.

D. Beza.

QVia tamen in eiusmodi consilijs, quædam sæpè incidunt ad Ecclesiarum statum & ordinem suè sanciendum, siuè tuendum pertinentia, cuius custodes non euersores pios Magistratus esse oportet, vt sanctorum Regum exempla docent, expedit omninò vt quoties Regni comitia indicuntur, primis qui tùm extiterint Presbyteris id indicetur, qui suorum Presbyteriorum nomine & ipsi adsint: non tamen vt iudices sessuri, sed de solis Ecclesiæ rebus apud Regni status, prout in mandatis à suis Presbyterijs habuerint, acturi: nisi extra ordinem visum fuerit statibus, de alijs quoque negotijs os Domini interrogare.

Had. Saravia

QVi sint futuri primi Presbyteri, finitis Synodis & colloquijs, ego non capio. Superiùs enim & alijs plerisque in locis præsidis authoritatem D. Beza terminat tempore Synodi. Atqui notos quosdam primos Prsebyteros constitui oportebit, ad quos Rex (cuius solius est conuocare ordines) diriget suas literas. Quid alibi fiat non ignoro. Si quandò summus Magistratus, ordinesvè quidpiam significatum volunt Pastoribus, dirigunt suas literas non aliquibus primis Presbyteris, qui nulli sunt, sed vrbium & oppidorum præcipuorum verbi ministris: vt cæteris eadem significent, qui simul conueniant, & mandatis summi Magistratus satisfaciant.

In comitijs quia sæpè quædam incidunt, quæ ad Ecclesiarum statum & ordinem pertinent, interesse quidem Pastoribus D. Beza permittit, sed eis suffragij ius adimit. Sed id facit sine verbo Dei, aut vllo veteris populi exemplo. Non intelligo quid sibi velit D. Beza, quandò vt iudices sedere in Regni comitijs Pastores Ecclesiarum non vult. In Regni comitijs, quæ vulgò Parliamenta vocant, nemo ibi sedet vt iudex, nisi vnus, penes quem summum est imperium; siuè Rex, siuè Regina sit. In comitijs Reipub. optimatum vel populi, alia est ratio: ibi omnes sunt iudices,

Proceres Regni, & vrbium, & oppidorum, reliquorumque municipiorum legati, adsunt in comitijs, tanquàm consiliarij: qui de rebus ibidem propositis sententiam dicunt. Maiestatis regiæ est decernere, atque sancire. Nemo ibi vt iudex sententiam dicit, nisi decidendum regia Maiestas quidpiam toti Parliamento commiserit. Quòd si Pastores, nomine collegarum, habeant quædam in mandatis Parliamento proponenda, id faciant oportet eo ordine, qui more maiorum receptus est: de qua re ipsi non erunt iudices, sed quibus prouincia illa mandata est. Sed quid impedit, quò minùs in cæteris, quæ pertinent ad communem salutem, & ipsi audiantur, & idem pondus eorum habeat sententia, quod cæteris tribuitur ciuibus.

Rationem D. Bezæ ego non assequor. Addit enim: *nisi extra ordinem visum fuerit statibus, de alijs quoque negotiis, os Domini interrogare.* Permittit D. Beza statibus, vt extra ordinem os Domini interrogent de rebus ciuilibus, cur obsecro non secundùm ordinem? Quo verbo Dei, aut quo exemplo nos docebit D. Beza, extra ordinē aliquādò status posse interrogare os Domini; id est, Pastores suos consulere, & audire eorum sententiam, non autem semper, & ex ordine constituto? Si Pastores os Domini sunt, vt esse debent, quomodò eos in Ecclesia Sanctorum, hoc est, in Concilijs publicis Christianorū, tacere iubet? An nescit D. Beza comitia Christianorum esse Ecclesiam sanctorum, & cœtum Principum dici congregationem deorum, inter quos Deus ipse præsidet?

Sicubi tamen nostra secula in consilijsque Reipub. quorundam optimatum, populivè, Episcopos adhiberi consilijs non ferunt, prudenter faciunt, quandò religione sunt deuincti Principi, qui ipsis bellum inferre potest: & ita in aliqua Repub. versantur, & ipsius sunt partes, vel membra quoque alterius Reip. sint, cui meliùs consultum cupi-

unt

unt, quàm ſuo Principi, cui ſubſunt, populovè, cui præſunt, & cum quo viuunt. Certum illud eſt, neminem poſſe duobus dominis ſeruire. Nota eſt Papæ Romani potentia, & contra veterum Patrum morem omnes Epiſcopos ſacramento ipſi teneri: vt nemo Rex tutò ipſis fidere poſſit. Tantum tamen valuit religio, vt contempto periculo, cuius frequentem habent experientiam, ad intima conſilia, & ſacratiſſima, hoc genus hominum adhibeant. Malunt enim hoc, quodcunque eſt, ſubire periculum, quàm religionem contempſiſſe videri.

Imperatores & reges Chriſtiani optimo conſilio, naturæ quodam ductu, in concilijs Reipub: æſtimârunt adiungendos proceribus regni & imperij, Epiſcopos. Galliæ regnum ſuos iſotimous (quos Pares vocant) bis ſenos pari numero, ex vtroque ordine habet: ſex, quos ſeculares Principes, & ſex, quos dicunt Eccleſiaſticos. Romanum imperium noſtri ſeculi ſimiliter bis ternos habet iſotimous: quorum tres ſunt Eccleſiaſtici, & tres ſeculares. Idem fit in alijs Chriſtianorum regnis: Paſtoribus Eccleſiarum inter ordines, honoris locus datus vbique eſt. Hunc ordinem optimè diuinitùs, & lege ipſa naturæ inducente, inſtitutum, tanquàm Papiſticum D. Beza diſſoluit. Multa nos malè docet odium Papæ.

Quid dicemus de ijs, qui nihil vnquàm de Papa audierunt? Abiſſinorum ſimiliter & Moſchouitarum imperatores, religionis Antiſtites in præcipuo honore haberi, & inter optimates cenſeri, tùm Eccleſiæ tùm Reip. intereſſe iudicant. Sic ſemper omnes gentes iudicârunt de ſuis Pontificibus.

Omnium gentium exempla ſi nihil nos mouent, nec quicquam perſuadent, ſaltem ſacræ nos hiſtoriæ populi Dei mouere deberent. Ab eis longè certius conſilium peti poteſt quàm à D. Beza. Peruersè (meo iudicio) errat, quiſquis Epiſcopos apud Chriſtianos reges, & principes in Chriſtiana Rep. eodem eſſe loco indignum iudicat, quo fuerunt olim apud Dauidem Dei ſacerdotes, & ſacerdotum principes in populo Iudaico: præſertim vbi diffidentiæ nullus eſt relictus locus, nec cuiquã, præterquàm ſuo Principi, & Reip. obligantur.

D. Beza.

QVod ſi quem etiam ex Paſtoribus, ſeû Presbyteris, quòd prudentiâ, ſeu rerum vſu valere exiſtimetur, cenſuerit regia Maieſtas in conſilium adhibendum; nihil obſtiterit, quò minùs is aduocetur: non tamen tanquàm Paſtor, aut Presbyter, ſed tanquàm ciuis.

Had. Saravia.

SVprà D. Beza conceſſit ſtatibus, vt extra ordinem de cæteris rebus os Domini, ſi videatur, interrogent: hoc eſt, vt Paſtores ſuos, quatenùs Paſtores ſunt (nam ea ratione tantùm os Domini cenſentur) de rebus ciuilibus conſulant. Hic verò, tanquàm ſui oblitus, id Regi negat: & adhiberi in conſilium ita vult eum qui Paſtor eſt, vt non quatenùs Paſtor eſt, ſed quatenùs eſt ciuis id faciat. Quàm hæc D. Bezæ placita ſecum conſentiant, & an vlla ſit ratio, cur potiùs Paſtor Eccleſiæ poſſit à rege in conſilium adhiberi tanquam ciuis, quàm ſedere in regni comitijs cum eodem ſuffragij iure, quod cæteris ciuibus commune eſt: ſimiliter, quare potiùs ſit integrum ſtatibus os Domini, ſi videbitur, extra ordinem interrogare, quam regi Paſtorem, tanquàm Paſtorem conſulere, ſani lectoris eſto iudicium. Cum expreſſo Dei verbo, & exemplis populi Dei, hæc decreta D. Bezæ pugnare certum eſt. Dominus per Malachiam Prophetam ait. *Labia ſacerdotis cuſtodire ſcientiam, & legem requirendam ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Inter regni primores, & conſiliarios, pij reges Iudæ ſemper habuêre aliquot ſacerdotes, & Prophetas. Apud Dauidem magnæ Abiathar & Sadochus ſacerdotes, & Nathan propheta, fuerunt authoritatis. Et inter principes Salamonis numerantur Azarias, Sadocus, Abiathar & Zabud filius Nathan, ſacerdotes. Quid Ioiada ſacerdos fecerit ſub Ioa rege Iudæ: quàm fidus Conſiliarius, & ſubiectus vtilis fuerit regi ſuo, ſacra teſtatur hiſtoria. Sed his, & huius generis exemplis, nihil noſtra mouetur ætas. Ruinæ placent: & optimæ politeiæ diſſolutio, propter Papæ odium, grata eſt. Vtinam mala conſilia ſuis tantùm nocerent authoribus.

Sed mihi non improbatur, quòd de ſeueritate ſua nonnihil remittit D. Beza. Ipſe poſitâ inter ciuem & Paſtorem diſtinctione, & quòd propter functionem Eccleſiaſticam non

non desinit esse ciuis, qui Pastor est, consequens esse videt, ab eo boni ciuis, siuè ipsam patriam, siuè regem, quod lege naturæ,& iure gentium, Principi patriæque debetur posse repetere. Sed ne quid stet quod antè fuit, extra ordinem id fieri vult, non lege, neque ordinario iure. Sed quod verbum Dei Patrum morem prohibet, & nouum D.Bezæ commentum indulget? Si contra Dei verbum est Episcoporum in comitijs regni sessio cum suffragij iure, quomodò regiæ Maiestati permittit secundùm Dei verbum, in consilium adhibere Pastores Ecclesiarum? An hic locum non habet, quod suprà posuit; ad Episcopale munus merè ciuilium negotiorum administrationem non pertinere? Sed audiamus, quid præterea addat.

D. Beza.

PAstores quoque, & multò minùs Presbyteros, vel Diaconos alioquin laicos, iniquum esset propter Ecclesiasticam functionem, eo gradu mouere, quem vt ciues, vel in Repub. vel in comitijs obtinent.

Had. Saravia.

PApæ! quid audio? Pastoresne propter Ecclesiasticam functionem eo gradu mouere quem vt ciues vel in Repub. vel comitijs obtinent, iniquum est? Presbyteros istos annuos, & diaconos laicos non curo. Errat quisquis eos inter Ecclesiæ ministros numerat. Sed quomodò æquũ esse potest Episcopos à comitijs amoueri? Ipsa veritatis vis D.Bezæ extorquet, vt quod negauit Episcopis, det Pastoribus. Sed Episcopos odit, & Pastores amat. Quòd si Episcopos Pastores esse Ecclesiarum crederet, idem de vtrisque sentiret. Neque enim Episcopi in vllis regni comitijs admittuntur, quia sunt Episcopi: sed quia sunt ciues, Regi & Reip. aliundè deuincti. At fieri potest (inquit) vt Pastor iure id natiuitatis habeat, vtpotè genere patritius. Sed si quis iure generis sui propter Ecclesiasticam functionem priuandus non est; quæ ratio, quæ æquitas, quod Dei verbum adimet homini ius, quod ipse,& ipsius antecessores aut donatione, aut legibus, iure obtinuerunt?

Episcoporum ius rerum ciuilium, aut donatum fuit, aut alia quapiam ratione acquisitum. Feuda, regaliaque, quibus Episcopi gaudent, aut liberaliter eleemosynæ nomine data sunt à Principibus; aut interdùm empta; aut ab ipsis Episcopis, qui ea possidebant, antequàm fierent Episcopi, Ecclesijs fuerunt addita, & relicta. Quæ si cum Ecclesiastica functione consistere non possunt, sicut D.Beza superiùs visus est dicere, renunciare illi iuri oportet eum qui Ecclesiæ ministerium suscipit. Quod si nullum Dei verbum id Pastoribus imponit, iniquus est qui in Episcopis id requirit, quod datur Pastoribus.

Olim vni Leuiticæ tribui, ministerium Ecclesiæ fuit impositum. Hodiè omnes Christiani sunt de tribu Leui, & ad regale pertinent sacerdotium. Nullus ordo excluditur à Christiano sacerdotio, non patritius, non equestris, non plebeius: modò liber, & honestus, nullaque ciuili infamiâ sit contaminatus, habeatque illa dona, quæ Apostolica traditio in Presbyteris & Episcopis postulat; Ecclesiæ Presbyter & Episcopus ordinari potest. Ministerij Euangelici tanta est dignitas, vt proceres & magnates regio sanguine nati, si Christiani sunt, illud, tanquam sua nobilitate indignum, despicere non debeant.

D. Beza.

SEd regiæ Maiestati cæteriſque Principibus ac Dominis magnoperè cauendum est, ne Pastores suos in aulicos gubernatores transformet, magno Ecclesiæ damno: sicut in aula Constantini docuit Eusebij Nicomediensis exemplum.

Had. Saravia.

VVlgò dici solet: *Exeat aulà qui volet esse pius*. Vtinam contrà dici posset: Adeat aulam qui volet esse pius: tùnc locum nullum haberet hæc D. Bezæ admonitio. Eam tamen eatenùs valere cupio, vt admoneantur qui regum aulis sunt necessarij, Presbyteri, vel Episcopi, cauendos esse corruptos mores aulicos, sesèque in aula Regum versari, meminerint; vt tanquàm periti animarum medici, vitiorum aulicorum morbis medeantur, non vt illis ipsi inficiantur. Esse in aulis regum pietati locum, Ioseph apud Pharaonem AEgyptium; Abdias apud Achabum; Daniel cum socijs apud Nabuchodonosorem Babylonium; Mardocheus, Esdras, & Nehemias apud Persarum reges; locupletes testes sunt. Salutari iubentur à Paulo qui ex Cæsaris erant domo.

Quod

Quod de Eusebio Nicomediensi adfertur, ad rem propositam nihil habet momenti. Nescio vbi legerit D. Beza in aulicum gubernatorẽ Eusebium fuisse transformatum. Aula non eum prauis moribus corrupit: sed ipse sua hæresi aulam infecit: qua in re Arrius, qui Episcopus non fuit, nec in aula notus, longè plus nocuit. Id Episcopatus vitium non fuit, sed hominis: à quo pestis illa potuit adferri, etiamsi Episcopus non fuisset.

D. Beza.

QVod ius patronatus attinet, ne quis id sibi ademptum conqueratur, tolerari id quidem posse arbitramur. Sed non nisi certis conditionibus, nempè vt qui prorsus Presbyterij suffragijs electus fuerit, ab eo qui ius patronatus habet, regiæ Maiestati, aut ab illa delegatis offeratur. Accedente denique regis consensu, functionem suam aggrediatur.

Had. Saravia.

IVs patronatus, quo plerique turpissimè, & nimis sacrilegè abutuntur, reformari nemo bonus impedit. Pudet pigetque referre sacrilegam quorundam patronorum auaritiam, impietatemque eorum qui audent emere, quod illi prostituunt.

Cæterùm quod sit hoc D. Bezæ consilium, qua ratione, quauè æquitate fultum, quò veteris Ecclesiæ exemplo depromptum, iudicet æquus lector. Ius patronatus tolerari posse ait. Ei libens assentior: sed quod conditiones attinet, quæ illud totum tollunt, non probo. Presbyterum (inquit) eliget: patronus verò electum à Presbyterio regiæ Maiestati, aut ab illa delegatis offeret. Quod quæso hoc ius est? Ridicula prorsus hæc patroni potestas est. Si patrono proponendi potestatem Presbyterio eum quem eligerent, aut ei negatiui suffragij ius daret, nonnihil hoc esset: sed seruum Presbyterij, & nuncium facit patronum, qui Regi, aut ab eo delegatis offerat electum.

Certè vnde sit natum patroni ius, & quod illud sit, non videtur meminisse D. Beza. Cum Episcopali gradu ius patronatus coniunctum est: vt qui illum tollat, hoc retinere non possit. Quod quidem (quanuis dissimulet) re ipsa facit, quandò præter nomen nihil patrono relinquit, electionem Presbyterio tribuens: præcipuum enim quod patronus in hoc iure habet, electio est. Post Romani imperij in Occidente à barbaris gentibus factam deuastationem, hoc ius natum est. Possidebant anteà agros, & prædia sua Ecclesiæ, sed alio iure, nempè veteri Romano. Ab Episcopis & ipso populo, hoc ius patronatus manauit, qui benefactoribus Ecclesiarum hanc rependerunt gratiam, vt qui suis sumptibus ædificâsset Ecclesiam, eámque dotâsset agris, & alijs prouentibus, vnde Ministri viuerent, patronus illius Ecclesiæ esset, & ius haberet eligendi eiusdem Pastorem. Hinc videre licet, hoc ius esse Ecclesiasticum, & ab Episcopis profectum. Ad Episcopi curam res Ecclesiasticæ pertinent. Sed non eò processit ius patronatus, vt præficere potuerit Ecclesiæ Pastorem. Hoc alteri Episcopus dare non potuit, nec à se alienare. Pluribus alijs nominibus nuncupatur patronus, vndè conditio & dignitas ipsius intelligitur: vt sunt Aduocatus, Vicedominus, Custos, Defensor, & Protector Ecclesiæ. Hoc ius patronatus dicitur similiter, Aduocatio, Vicedominatus, Defensio, & Guardia. Hoc ius hominem dignatur hoc honore, vt Ecclesiâ Pastore destitutâ, nominet Episcopo intra certum tempus, virum idoneum, qui præsit illi: sed vlteriùs progredi nec debet, nec potest.

Quid autem fiet vbi Rex ipse patronus est? Presbyterium (inquit) eliget, & Regi offeret electum, aut ab eo delegatis? In quem finem? nimirùm vt confirmet electionem Presbyterij. Et hic suo iure priuatur Rex. Quid prætereà? Nemo hic surrogatur in locum Episcopi, qui pastoralem electo tradat illius loci prouinciam. Quam cùm nec Presbyterium, nec ipse Rex habeat, eam alteri communicare non possunt. Si æconomiam curæ pastoralis D. Beza intellexisset, nunquàm eius dissoluendæ author fuisset: si quid peccatur in ea, emendaret; ipsam non tolleret. Adeò pastoralem vigilantiam accuratè distributam Patres ab Apostolis acceperunt, vt nulla pars Ecclesiæ vnquàm Pastore destituatur. Non enim vnus tantùm Pastor singulis præfectus est Ecclesijs, sed ordine optimo plures. Primùm totius prouinciæ Pastor est Metropolitanus; deindè diœceseos Episcopus: postremò parœciæ rector, aut vicarius. Vocabula non muto: quia non propterea societatem communionemque Romanæ Ecclesiæ deseruimus. Rectore sublato, Metropolitanus, & Diœcesanus manent. Si autem altera sedes, aut vtraque vacent, ad Capitula deuoluitur cura. Quòd si & hæc Capituli vox nimiùm teneras radit aures, sublatam putet,

&

& substitutam Presbyterium: Presbyterium dico verum, & legitimum, quod est compositum ex veri nominis Presbyteris. Si mihi D. Beza obijciat hominum socordiam, improbitatem, auaritiam, nihil agit. De reformatione disputamus, quæ pios, & vigilantes dabit Presbyteros, & Episcopos. Putatnè D. Beza se hoc ordine, qui hodiè hi: in Anglia obseruatur, & quem in Scotia suo consilio sustulit, meliorem posse excogitare? Nunquam faciet, etiamsi secum sexcentos alios Bezas assumpserit. Quidquid allegabit, mores erunt; non leges, quæ bonæ & sanctæ sunt: secundùm quas si viueretur, nihil haberet, quod contrà obijceret.. Nihil est hoc ordine magis diuinum, nec magis Apostolicum. Ipse D. Caluinus, ad cuius nomen semper assurgere solet, sicut superiùs semel atque iterùm notaui, ita sensit, quandò in sua Institutione scripsit, priùs locutus de ordine & ministerio Ecclesiæ, prout in verbo Dei traditur, hoc quod sequitur. *Hactenus* (inquit) *de ordine gubernandæ Ecclesiæ, vt nobis ex puro Dei verbo traditus est, & de Ministeriis, vt sunt à Christo instituta, disseruimus. Nunc quò ista omnia clariùs, & familiariùs patefiant, ac meliùs etiam in animis nostris figantur, vtile erit in iis rebus veteris Ecclesiæ formam recognoscere, quæ nobis diuinæ institutionis imaginem quandam oculis repræsentabit. Tametsi enim multos canones ediderunt illorum temporum Episcopi, quibus plus viderentur exprimere, quàm sacris literis expressum esset, ea tamen cautione totam suam œconomiam composuerunt ad vnicam illam verbi Dei normam, vt facile videas nihil ferè hac parte habuisse à verbo Dei alienum.* Hæc Caluinus. Ille ordo, & distincti illi gradus, quos vbique odiosissimè traducit D. Beza, imaginem nobis repræsentant diuinæ institutionis: & tota illa œconomia composita est ad vnicam illam verbi Dei normam, nec in hac parte quicquam habuit à verbo Dei alienum. Iste ordo, quem nobis proponit, extraordinarius est, & incertus, sine vllo præcedentium temporum exemplo.

Pastoralem curam alicuius loci cuiquam committere nemo potest, qui ipse illius loci Pastor non est. Quod quis non habet in sua potestate, alteri vt communicet impossibile est. Episcopus in parœcia, quæ ad ipsius curam non pertinet, instituere Pastorem non valet: quod tamen in sua diœcesi aliquandò potest: nimirùm qui verus omnium parœciarum suæ diœceseos sit Pastor, & communicet alteri quod ipse habet. Apostoli in collectas & fundatas à se Ecclesias Pastoralem habuerunt authoritatem, quam ipsi alijs, quos in societatem Apostolicæ functionis assumebant, conferebant: & illi freti eâ, singularibus Ecclesijs constituebant Presbyteros: & quod habebant, & ab Apostolis acceperant, eis communicabant, vt Pastoris munus obirent. Nunquàm satis fuit aliquem electum aut expetitum esse ad Ecclesiæ ministerium, vel à plebe vel à Presbyterio (si quod fuisset,) nisi accessisset Apostoli, aut viri Apostolici ordinatio & institutio. Confirmantur hæc historijs Actorum Apostolorum, & mandatis Pauli, datis Timotheo & Tito de hac re. Vitia quæ interuenerunt, inprimis in Romana Ecclesia, nihil moror: rem in sua essentia considero: quæ vt vitiari potuit, auferri non debuit. Itáque hunc morem creandi Presbyteros, & præficiendi Pastores Ecclesijs tam veterem, ab Apostolis traditum, & tanto consensu, tam vniuersali, per vniuersum orbem receptum & vsurpatum, tanquàm superstitiosum & papisticum antiquare, minimè nostræ reformationis authores decuit.

Semel sublatâ Episcopalis gradus pastorali curâ, ad incredibiles & inexplicabiles angustias & perplexitates omnis Ecclesiæ veteris optimus ordo deducitur. In isto, quem D. Beza proponit, ordine, vide quot vitia concurrant. Primò nec patrono, nec Episcopo, relinquitur locus. Deindè istud Presbyterium non constat ex veris Presbyteris, qui suum nomen queant, aut Dei verbo, aut veterum Patrum vllo exemplo tueri. Postremò, pastoralem loci curam, ad quam alium eligunt, cùm ipsi nullam habeant, alteri tradere nequeunt. Ministri enim verbi Dei non sunt, quorum ministerio nititur omnis Ecclesiasticæ potestatis functio. Istorum Presbyterorum munus aliud non est, quàm consiliariorum, & testium in omnibus, quæ fiunt à verbi Dei Ministro. Accedit ad hæc: quòd vestræ Synodi constant ex singularum Ecclesiarum Ministris: quorum nemo vnus habet ius in vicini parœciam: quare non video quomodò iure alium possit alieno in loco collocare Pastorẽ vel Ministrum. Nec ratio vlla est

cur siue plures, siue pauci sint, vicino debeant imperare, potiùs quàm vnus aliquis. Ita fit vt multitudinem Ecclesiarum in vnum veluti corpus externum & conspicuum nemo recolligat; sicut fit sub Episcoporum,& Metropolitanorum, ac Patriarcharum pastorali gubernatione. Non enim quia vniuersalis nullus esse potest in terris Episcopus idcircò singularum gentium, & prouinciarum, ac diœceseum, qui (quantum commodè se potest vnius hominis cura extendere) pluribus inuigilent Ecclesijs,Episcopi & Metropolitani,ac Patriarchæ nulli constituendi sunt, qui totam fraternitatem tam plebis quàm Pastorũ,simul contineant. Quemadmodùm inepta esset ratiocinatio si quis contenderet, quia nemo vnus mortalis vniuersum terrarum orbem sub sua ditione tenere potest,etiam neminem in Asiam, Africam, & Europam, aut earum quasdã partes,imperium posse habere: ita temerè faciunt quotquot propter eam, quam sibi vni vendicat Romanus Episcopus vniuersalem potestatem, cæteros omnes Patriarchas & Metropolitanos damnant: acsi par esset ratio orbis vniuersi & singularum eius partium: aut etiam quia ipse suam potestatem in immensum extendit,ad iustum modũ & intra verbi Dei terminos non posset coerceri. Qui bonam causam malè defendit, idem facit quod is qui præuaricatur.

Ergo (inquiet aliquis) tu omnes Ecclesias damnas, quæ Dei cultum secundùm Dei verbum restitutum sequuntur: & legitimo ministerio priuas. Absit. Ego illud reformo: & vt quod extraordinarium est, ordinarium reddam, laboro. Non enim puto vllas Ecclesias reformatas, nec ipsam Geneuam hanc ordinandi Ministri sequi rationem; vt partes, quæ fuerint Episcoporum, tribuat summo Magistratui, & ab eo delegatis. Nam licet Ecclesiæ cura pertineat ad illos, & tam Ecclesiæ quàm Pastores subsint ciuili imperio: Pastores tamen Ecclesiæ ipsi non sunt, quibus claues regni cælorum commissæ sunt, vt populo Christiano sacra ministrent, & sacrorum antistites creent. Hæc vt ritè & secundùm Dei verbum fiant, videre debent: & mandare vt tam Episcopi,quàm Presbyteri eligantur, & ordinentur ab ijs, ad quos illud officium pertinet. Quandò D. Beza hoc consilium dedit Regno Scotiæ, Ecclesiæ sub fidelibus Episcopis ordinarium & legitimum habebant ministerium (sicut, sit gratia Deo, Anglicana hodiè habet Ecclesia) optimo ordine constitutum, quo meliorem posse inueniri diffido. Quod ordinarium semper & vbique in omnibus Ecclesijs fuit ab ipsis Apostolorum temporibus, præferri debet ordini extraordinario, quem extrema necessitas in persecutionibus expressit.

Differentia constituenda est inter ordinariam Ecclesiæ Ministrorum ordinationem, & extraordinariam: & inter bonam, & vitiatam, ac etiam nullam. Non enim quia extraordinaria est alicuius Presbyteri ordinatio, idcirco nulla erit: nec etiam si vitiatam quis alleget ordinariam ordinationem, effecerit esse nullam: vitij natura examinanda veniet. Gratiâ exempli. Ordinatio Presbyteri facta est ab Episcopo orthodoxo secundùm Ecclesiasticos canones, vt hic fit in Anglia, ordinaria & legitima est. Illa verò quæ fit à Romanistis Episcopis,& alijs hæreticis,& sciismaticis,etiamsi sit ordinaria,habet sua vitia: sed non idcircò est nulla. Quæ fit à merè Laicis nulla est; vel etiam illa quæ fit ab ipsis Episcopis,præteritis illis, quibus in ordinatione traditur potestas Ecclesiastica, recipiturque à Ministro. Porrò illæ ordinationes quæ fiunt in necessitate, vbi fidelis Episcopi copia nulla datur, & à Presbyteris obseruantur ea quæ in creatione Ministri sunt obseruanda, pro vera ordinatione habenda est: sed extraordinaria erit, quòd facta sit, necessitate ita cogente, contra omnium Ecclesiarum, quæ nos præcesserunt morem, quæ semper & vbique partes illas mandârunt Episcopis. Extrema necessitas Episcopalem potestatem dat Presbytero. Extremam voco, quandò aut Episcopus nullus est, aut eorum qui sunt, impius est vsus. Noti iuris est,vacante sede,ad Presbyterium Episcopi, hoc est, ad Presbyteros deuolui,quod erat antè solius Episcopi. Et quæ ratio, quod verbum Dei ordinationem Ministrorum excipit, quando Episcopum habere non datur? Et in hoc dissentio à D. Beza,quòd ordinationem extraordinariam, ad quam extrema necessitas coegit Ecclesias, ordinariam facere conatur; vt eam aboleat quæ ante nostra tempora semper, & vbique ab Apostolorum temporibus ordinaria fuit. Exemplis tamen præteritorum temporum, primitiuæ Ecclesiæ ordinationem extraordinariam tueri non est facile: quia similis defectio à veritate Christianæ doctrinæ, qualis hodiè in Romana

Ecclesia

Ecclesia conspicitur, priscis temporibus nulla fuit. Sed quod maius est, veteris populi Dei in Babylonẽ abducti conditio nobis exempla suppeditat, quæ tutò sequi licebit.

Euerso templo sacerdotium non simùl interijt: tamen sacerdotes ordinari non poterant, ritu in lege Dei præscripto. Non enim satis erat prognatum esse sacerdotum genere. Aetas, & corporis integritas omnium membrorum, & vestes atque ornamenta sacerdotalia cum certis sacrificijs requirebantur ad ineundum sacerdotium: nihil autem eorum ibi tunc haberi poterant: illas tamen partes sui sacerdotij in captiuitate obiuerunt sacerdotes, quas temporis & loci conditio patiebatur: nec de templo dependebant, & omnibus sacrificijs & ceremonijs erant præstantiores: nempè docere legem populum, & disciplinâ morum in officio continere. In perturbatione & confusione omnium rerum diuinarum, tùm in doctrina, tùm moribus, quam Romanus Papa introduxit, meminisse nos oportet, omnes Christianos esse tribus Leuiticæ, & familiæ Aaronis, & fas illis qui ad ministerium Euangelicum allecti sunt, esse in hoc rerum statu, quod quondam Aaronici generis sacerdotibus; & cum ordinaria & consueta ordinatione, vti non liceat, si cætera quæ aliàs requiruntur in Presbytero & Ecclesiæ Pastore adsint, ad extraordinariam ordinationem confugere.

Certum enim est, & à nemine vnquàm Theologo negatum, vocationem ad Ecclesiæ ministeriũ, quodcunque illud est, procedere à Sp. sancto, quandò sua dona, tanquam quædam talenta, suis seruis impertitur. Prophetiæ donum Prophetam facit: donum linguarum & variæ doctrinæ, Doctorem, & interpretem. Sed quia nemo sui ipsius idoneus est iudex, & nonnunquàm cæco sui amore quidam credunt se esse, quod non sunt, & habere quod non habẽt; Presbyteri, si Episcopi desunt, de hac re iudicare, eámq; probare debẽt.

Quandocunque in Ecclesia eò creuit impietas vt sine sacrilegio retineri cõmunio cum illa non possit, vtpotè quandò Episcopi, & Archiepiscopi, aliique ordinarij Pastores & Doctores facti sunt cæci cæcorũ duces, & lupi rapaces, quos sine in Deum impietate, & damnationis æternę periculo sequi nemo potest: illa necessitas facit, vt veræ Christianę doctrinæ magistri, qui aliàs tantùm Presbyteri & Doctoris gradum tenebant, cum clauibus scientiæ claues Pastoralis authoritatis, ad ædificationem eorum, quos sua prædicatione ex Romana captiuitate in libertatem filiorum Dei restituerunt, habeant. Populus Christianus non aliam suis Pastoribus, quibuscunque censeantur nominibus, debet obedientiam, quàm ipse præcepit, qui cæcos cæcorum duces sequi vetuit, & cauendos lupos qui sub blando Pastorum & ouium nomine latitant, mandauit. Si quid hic fieri insolens & perturbatum putent, sibi imputent, qui causas dederunt.

Nihil tamen habent quod querantur in hac re Romanistæ, quùm de medio eorum veræ Christianæ doctrinæ restauratores, viros eisdem ordinibus & titulis, tam in Academijs quàm in Ecclesijs ornatos, quibus alij Doctores & Pastores in Ecclesia Romana ornati solent, Deus excitauerit. Tantùm in hoc diuersi ab illis fuerunt: quòd ad crassissimos & impios errores, more aliorum, conniuere sibi nefas esse duxerunt. Quamuis ordinatio ordinaria fiat ab ijs qui in superiori gradu sunt constituti, interdum etiam accidit, legitimè fieri ab inferioribus ordinibus. In populo Israelitico inferiores consecrabant summum suum Pontificem: & in Christi Ecclesia Episcopi Suffraganei Archiepiscopum. In Romana Ecclesia Ostiensis Episcopus consecrat Papam, qui superiorem nullum agnoscit mortalem. Guilielmus Altissiodorensis in Summæ suæ lib. 4. habet. Aliud est quod ex dispensatiua necessitate fit: aliud quod ex dignitate officij. Archiepiscopus enim consecrat Episcopum ex dignitate officij sui, &c. Quando verò Episcopus consecrat Archiepiscopum, dispensatio necessitatis est. Etiam similiter cùm Dominus Papa non habeat superiorem vel parem, de necessitate inferior consecrat eum. Vndè si non essent in mundo nisi tantùm tres simplices sacerdotes, oporteret quod aliquis illorum consecraret alium in Episcopum, & alium in Archiepiscopum, &c. Altissiodorensis. In Babylonica Romanæ Ecclesiæ religionis perturbatione, Episcopi & Archiepiscopi illius ab orthodoxis nullo loco sunt habendi. Quamobrem ad dispensationem necessitatis currere fidi Euangelij Filii Dei Doctores in Ministrorũ Ecclesiæ ordinatione potuerunt, & debuerũt.

Sed ad hanc extraordinariam Ministrorum Ecclesiæ creationem, Ecclesia Anglicana confugere nihil opus habet, sicut nec Scotica, quamdiũ fuit per suos Episcopos & Archiepiscopos gubernata, habuit.

Sed quia phanatici homines ad extraordinariam vocationem confugere solent, lectorem admonitum volo, me maximum discrimen constituere inter extraordinariam à Deo vocationem, & extraordinariam ordinationem, quæ fit ab hominibus. Illam prorsùs repudio, hanc in necessitate admitto. De ea pij promissionem Christi habent in Euangelio, modò constet vera in filium Dei fide aggregatos esse : de illa non habent.

Ante ordinationem legitima vocatio est necessaria, vel quæ fit proximè à Deo, vel per homines, quibus illa potestas data est. Sed illi vocationi, quæ proximè à Deo processit, humana ordinatio nulla necessitate additur. Potest enim sine illa, qui ita vocatus est, vocationem suam exercere. Exemplum Pauli id clarum facit. Quòd interdum additur, fit vt populo quid valeat diuina vocatio declaretur. Ceremoniæ quæ huiusmodi vocationi adhibentur, nihil aliud præstant, quàm quòd significant id quod à Deo iam antè datum fuit. Saul & Dauid in Regni auspicijs nihil à populo acceperunt potestatis : omnem enim priùs acceperant ab illo, qui ait, Per me Reges regnant. Populi partes fuerunt, se subditos profiteri ei, quem Deus ipsis Regem dederat. Id in Aaronici sacerdotij consecratione, & in Apostolorum vocatione videre quoque possumus. Illa maiestatem sacerdotij multis ceremonijs ostendebat : hæc nihil præter simplicem vocationẽ habebat. Electionem & vocationẽ ad Ecclesiæ ministerium; legitimè fieri in Ecclesia per homines, ex perpetuo priscarum Ecclesiarum vsu, ducto ab ipsis Apostolorum temporibus, manifestum est. Sed quia in illa electione multa interuenire possunt, quibus vitietur, suspensa manet, donec accedat ordinatio. Qua in ordinatione non mittitur vocatus (vt D. Beza opinatur) in possessionem muneris per electionem accepti: sed reipsa accipit, & recipit ab Episcopo potestatem exequendi illud munus, ad quod fuerat antè vocatus. Prætereo Episcoporum electionem, & vocationẽ, quæ fit à Presbyteris; de ordinatione & vocatione Presbyterorum loquor, qui sub Episcopis præsunt singulis parochijs, quarũ Episcopus quoque Pastor est : vtrumq; olim ad Episcopum pertinebat. Quod patroni hodie eligendi, & præsentandi ad ministeriũ Ecclesiæ, virum ad illud munus idoneum habent, manauit ab Episcopis Qui vbi desunt, aut ipsis creditã prouinciam negligunt, ius illud redit ad Episcopũ. Quod si etiã deficiant Episcopi, ad Presbyteros, & ad populũ tota cura deuoluitur. Quorum vocatio extraordinaria censeri non debet. Sola ordinatio quæ fit à Presbytero, est extraordinariæ necessitatis. Si nullos contingat inueniri Presbyteros, & persecutio aut alius quiuis casus sustulerit omnes, nec ad alias orthodoxas Ecclesias confugere liceat, faciant fideles quod in promptu est : sua sibi quisque fide viuat : & cõmunibus precibus ac sacrarum literarũ lectione societatẽ fraternã retineant, soliciti seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis, tantisper donec ipsis Deus de Pastore legitimo prouiderit. Nemo interea temporis, non legitimè vocatus, sibi claues Ecclesiæ vendicet, & pastoralem curam inuadat.

Nullus fidelium cœtus adeò paruus est, in vera fide consociatus, qui in illa extrema necessitate si constituatur, non habeat tantum potestatis in rebus Ecclesiasticis, quantum theologi disputant à Domino vniuersali Ecclesiæ, ad sui ædificationem tam in doctrina fidei, quàm disciplina morum esse datum, & relictum. Theologorum communis sententia est, clauium nomine omnem significari potestatem Ecclesiasticam, & eas datas non tantùm personis, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ. Sed in hoc plerique errare videntur, quòd Ecclesiã multitudine definiunt, cùm Dominus minimo, qui esse potest, fidelium numero, nempè duorum, vel trium promissiones suas dederit : ne fortè cuiquam propter paucitatem suboriatur diffidentia. Tantum enim duobus vel tribus permissum est, quantum bis vel ter millibus. *Vbi enim duo vel tres* (ait Dominus) *coacti in meo nomine fuerint, illic sum in medio eorum.* Et ibidem etiam. *Si duo ex vobis consenserint in terris, quæcunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Ampliores promissiones nullum generale & œcumenicum Concilium sibi factas allegare potest : sed illæ respondent fidei eorum qui congregantur, non multitudini. Quicquid Dominus promisit vniuersali Ecclesiæ, promisit & singulis. Non tamen idcircò habent quod glorientur de paucitate contra vniuersitatem hæretici & schismatici, quos non fides, sed error & ignorantia congregat. Illa demùm vera fides est, quam vbique & semper vniuersalis tenuit Ecclesia. Sed ad quàm paucos reditura sit aliquandò, Iohannes in sua Apocalypsi declarat : quandò Antichristo duos tantum testes oppositũ iri prædixit, penes quos claudendi cœli, & plagis percutiẽdi terrã erit potestas.

Sed

Sed vt redeat vnde digressa videri potest oratio : Quandoquidem Deus non alligauit ordinarijs Ecclesiæ Episcopis fidem, eáque omnia quæ eam comitantur & sequuntur; extraordinariam Ministrorum ordinationem ita in necessitate admitto, vt ad ordinariam redeundum sit.

SECVNDA QVÆSTIO.

POst reformatam religionem, consuetudine receptum est, vt Episcopi, & ex Ministris, Pastoribus, & Senioribus, tot, quot ijdem Episcopi iusserint, vnum in locum conueniant, cum præcipuis Baronibus, & Nobilibus religionem veram profitentibus; & de doctrina, & de moribus inquisituri. Nunc verò cùm Princeps veræ religionis studiosus sit : quæritur an eiusmodi conuentus cogi possit sine iussu vel consensu Principis? An denique Nobilibus, alijsque pietatis studiosis, & senioribus, qui apud nos quotannis ex populo, atq; adeò ex ipsa nobilitate, eliguntur, sine mandato regis ad eiusmodi comitia venire liceat, vel expediat. Quandoquidem Nobilium & Laicorum conuentus, alijs videtur sub Principe pio non necessarius, quum sola consuetudine, nulla verò certa lege sub Principe religionem impugnante, paucos ante annos receptus fuerit, quo plus authoritatis eiusmodi comitia haberent. Quùm præterea periculum videatur, ne si Nobiles tam frequẽtes, & frequenter sine consensu Regis conueniant, alijs de rebus, quàm ad religionem pertinentibus aliquandò deliberent. Alii verò nullo modo reiiciendos arbitrantur; quin potiùs valdè necessarius videtur hic conuentus, vt nimirùm Nobiles religionem omni studio & conatu promouentes, in comitiis tanquàm μεσσάται, & adiutores Ministris adsint, ac de iplorum vita, moribus populi, & id genus aliis, testimonium perhibeant. Alioquin futurum, si Princeps parùm pius posteà regnauerit, vt neque Ministri turò conuenire, neque decreta sua executioni mandare, sine Nobilium consensu & auxilio possint.

HAD. SARAVIA.

SI liberè quod sentio de hac quæstione loqui fas est, periculi plena mihi videtur : vt à Cancellario regni profectam satis mirari nequeam. Aliud quid dicam? Expendant rerum ciuilium periti, an homo peregrinus, rerum regni illius ignarus, super his quęstionibus debuerit consuli; & an consultus respondere potuerit, quod tùm ad regni, tùm ad Ecclesiæ salutem maximè esset vtile. Interim notet lector, quales Episcopos Scotica Ecclesia habuerit, & quales eiecerit : & quomodò iure id esse factum, apud vniuersalem Ecclesiam possit defendi. Est enim omnibus, qui particularem aliquam reformationem coacti sunt instituere, Deo & vniuersali Ecclesiæ facti sui reddenda ratio.

Quod hic nescio quid difficultatis futuræ mouetur, si contingeret parùm pium Principem regnare, vlcus est, quod hoc loco tangere nolo. Hoc tantùm dico : Maiores nostros priscis temporibus non fuisse ab Apostolis edoctos, aduersùs Reges à Christi religione alienos, huius generis quærere præsidia.

D. BEZA.

SYnodi multis de causis in Ecclesia sunt necessariæ, tùm ad retinendum consensum, tùm ad remedia, communibus occurrentibus malis, communi consilio quærenda; tùm etiam vt iis consulatur, qui particularium illorum Presbyteriorum iudicio non acquieuerunt, & sibi iniuriam factam putant. Sunt autem hæ synodi, vel totius gentis, vel vnius alicuius regionis, seu prouinciæ, siuè diœceseos (vt loqui cœptum est ex prouinciarum Romanarum descriptione) in plura Presbyteria distributæ. Statas esse prouinciales synodos necesse est, pluribus de causis. Videntur autem, nisi aliæ causæ vrgeant, semestres potiùs quàm trimestres constituendæ, ne frustrà discurrendo tempus teratur.

HAD. SARAVIA.

DE necessitate Synodorum facilè cum D. Beza sentio. Sed quæ futura est Synodorum nostri temporis authoritas, si nihil ponderis apud nos habeant veterum Patrum synodi? Qua nos authoritate priscorum contemnimus decreta, posteri contemnent nostra : atque ita tandem collabetur tota Ecclesiastica politeia.

D. BEZA.

VItandæ verò ambitionis causâ, commodius fuerit, vt non eodem semper prouinciæ cuiusque loco cogantur: sed quoties vna synodus semestris dimittetur, de alterius secuturæ loco, communi consensu statuatur. His synodis commodum fuerit interesse ex singulis prouinciæ Presbyteriis binos, communibus suffragiis delectos, & cum certis mandatis missos : vnum videlicet Pastorem, alterum verò Presbyterum, vel Diaconum.

HAD. SARAVIA.

QVatenùs hæc vsitata doceri possunt fuisse Patribus, ea admitto: quidquid præter priscum morem mutatum, aut additum est, non probo. Nos posse quicquam melius constituere, quàm veteres Patres primorum temporum Ecclesiæ, diffido. Et quanuis Laicos, iuris legumq; peritos, non excluſos cupiam synodis; Presbyteri, & Diaconi, quos nobis narrat D. Beza, sunt ad eam rem plerúmque ineptiut taceam vero nomine non esse, nec debere dici presbyteros, vel Diaconos. Synodis statuas adstare nolo, sed homines rerũ Ecclesiasticarũ peritos. Sed quibus ex causis nascatur ambitio, & quomodo vitanda sit, non satis exacto iudicio D. Beza videtur expendisse. Nam vnius perpetui loci, sicut & Præsulis certa designatio celebrandis synodis, omnem ambitionem loci, sicut & præsidentiæ tollit: incerta verò alit in illis qui indè captant honorem.

D. BEZA.

NEc de sessione vel priore vel posteriore velimus disceptari: sed prout quisque inciderit, sine vlla contentione sedere: & prout sederit aliquis, sententiam dici. Rogabit autem sententias, totámque actionem moderabitur, qui in prima sessione, præsidente initio primario loci Pastore, communibus suffragijs ad hoc vnum fuerit delectus. Quod munus cum synodo terminabitur.

HAD. SARAVIA.

DE sessione, quenquam contendere nolo: veterum tamen in hac re præfero Patrum iudicium, & morem, qui Dei & naturæ legem secuti sunt. Cano capiti iuuenem non assurgere, turpe est. Quem D. Beza vocet primarium loci Pastorem, non satis intelligo in hac Pastorum æqualitate: nisi fortè eum innuat, qui illâ hebdomadâ præsidet. Munus præsidentiæ necessitas extorquet: sed quo verbo Dei doceri possit terminandum tempore synodi, vt eadem authoritate, qua præses eligitur moderator actionum synodi, non possit eligi perpetuus præses, & totius diœceseos vel prouinciæ Episcopus, vel Archiepiscopus, qui videat & curet ab omnibus regulas Ecclesiasticas obseruari, ego non video. Si diuinus est Episcopus, qui eligitur moderator actionum Ecclesiasticarum ad quindecim dies, quo verbo Dei docebit D. Beza humanum esse Episcopum, qui præses eligetur quamdiù viuet? Quod verbum Dei præsidentiæ definiuit tempus? Quo Patrum exemplo huius generis præsidem, præsidentiamvè docebit? Ex eodem fonte vereor ne temporaria hæc præsidentia nata sit, ex quo trium annorum Abbates, Præpositi, Priores, Guardiani, alijque Monachorum & Cœnobitarum præfecti manârunt: nempe ex hypocrisi, & pari superbiâ, & ambitione, quæ perpetuum in alijs esse non patitur honorem, cuius se cupit, & sperat fore participem.

D. BEZA.

AD harum synodorum cognitionem, nullæ, nisi suapte naturâ spirituales, & ad illam prouinciam, in qua synodus cogetur, pertinentes, controuersiæ referrentur, ibi absque prouocatione ex Dei verbo, & præscriptis legibus sine vllo fori strepitu decidendæ.

HAD. SARAVIA.

RECTÈ D. Beza consulere videtur, quandò ad synodos nullas causas referri vult, nisi merè spirituales: sed mihi non satisfacit, quando, quæ sint spirituales causæ non definit. Et cùm quædam causæ sint mixtæ, hoc est, non merè spirituales, quare illas excludat, non dicit. Cur potiùs quæstio de adulterio, de scortatione, merè spiritualis censeri debeat, quàm de parricidio, non video. Quæstiones de legitimis & incestuosis, aut alijs illegitimis nuptijs, huiusmodi sunt, vt non sint expectandæ synodi. Si quæ causæ suapte naturâ spirituales censendæ sunt, in Deum blasphemiæ, & hæreses, & prophani superstitiosiq; cultus diuini, in eo erunt numero. At earum cognitio ad ciuilem quoque magistratum pertinet. Pastoralis cura spiritualis est, respicitque animarum salutem: cui quidquid aduersatur, ad illam curam spectat. Et profectò ita est. Nullum enim est peccatum, quod censuræ Ecclesiasticæ non subijciatur, si Pastor eâ Christianè, vt oportet, secundùm verbum Dei nouerit vti. Sed hoc nomine Papa sibi imperium in ipsos Reges vsurpauit, & in ipsorum regna.

Causæ igitur propriæ à Synodis decidendæ, quæ Ecclesiasticæ dicuntur, sunt illæ omnes: primùm

primùm, quæ pertinent ad puritatem doctrinæ tùm propagandam, tùm retinendam, quatenùs id Pastorum ministerio perficitur: deindè, vt ea quæ ad Dei cultum, & morum honestatem, & pacem Christianam conducunt, pertractentur; vt præterea emendentur mores, & in futurum caueatur, quantum censuris Ecclesiæ datum est. Morum disciplina latè patet.

Quod si vel à Rege in regno, vel à summo Magistratu in Rep. proponantur, quæ ad salutem tam Ecclesiæ, quàm Reipub. pertinent, quæcunque illa sint, Episcopos & Presbyteros posse liberè, quæ sentiunt, dicere, & decernere, nihil prohibet; etiamsi res proposita suapte naturâ politica sit; sicut in Toletanis synodis interdùm factum legimus. Quemadmodùm causæ Ecclesiasticæ ad cognitionem Regũ, & summorum Magistratuum quoque pertinent: ita de rebus politicis sententiam in synodis rogatos iussosvè Pastores & Episcopos dicere, non dubito posse, & debere.

Sed non capio sensum D. Bezæ, nec rationem inuenio, cur in synodis prouincialibus absque prouocatione, & fori strepitu, controuersias decidi velit. Quod fori strepitum attinet: si intelligat iuris legumque calumnias, & vanas exceptiones, & dilationes, quas hominum adinuenit vafricies, idem ego sentio: sed si formam iuris essentialem procedendi in foro ciuili abrogatam cupit in iudicijs Ecclesiasticis, ego ab eo dissentio: sicùt & quod prouocationem tollit. Quùm D. Beza non ignoret prouinciales synodos errare posse, & sæpè olim errâsse, miror ab eis nolle prouocari. Sed ad delegatos aut ordinarios Ecclesiasticarum causarum iudices referri omnem litigiosam particularem causam, meo iudicio, præstaret, & iudicium instituì formâ iuris, ac sic terminari, quàm in synodo agitari.

Postremò, quid possit decidi ex nouis præscriptis legibus ego non video. Quùm olim latæ leges Ecclesiasticæ in vniuersum contemnantur, & quæ nuper latæ sunt, aut ferri possunt, paucæ sint; illis quicquam, quod sit alicuius momenti, posse decidi, non videtur.

D. Beza.

Si quæ tamen in prouinciali synodo grauior controuersia inciderit, in qua sibi factam iniuriam quis conquerendum putet, poterit in vniuersali synodo (quùm aliam cogere visum erit) querelam suam dijudicandam proponere.

Had. Saravia.

Quid? Si causa sit huiusmodi, vt de fama, & ordine suo periclitetur reus: infamiamnè & damnum sustinere criminis obiecti innocentem æquum est, donec vniuersalis conueniat synodus? Sed qui priscum ordinem iudiciorum Ecclesiasticorum tollit, in hæc, & plura absurda incidere necesse est. Malè meo iudicio D. Beza superiùs tribuit prouinciali synodo, quod tantùm vniuersali erat dandum.

D. Beza.

Cæterùm cùm leges omnes Ecclesiasticas à Regia Christiana Maiestate sanciri inprimis oporteat; consequitur non nisi illius iussu & auspicijs conuocandas synodos. Nec tamen erit subindè petendum à Rege nouum ad eam rem mandatum, lege de statis synodorum ordinariarum temporibus à Regia Maiestate semel sancita. Quod si quæ iusta oborta fuerit suspicio, ne in istiusmodi cœtibus de rebus alijs quàm de meræ Ecclesiasticis disceptetur, integrum erit Regiæ Maiestati quemcunque volet ex suis committere, qui Synodorum cœtibus præsentiâ suâ cohonestet, nec tamen interfit vt iudex, nisi quid inciderit, in quo interponi Magistratus ciuilis nomen oporteat.

Had. Saravia.

Quare nolit vt iudices in synodis sedere delegatos à Maiestate Regia D. Beza, qui seniores nuper inuentos, homines Laicos, rerum Ecclesiasticarum imperitos constituit iudices, & morum censores, ego nullam rationem video. Nam seniores populi Dei quorùm tam crebra in verbo Dei fit mentio, erant proceres & optimates, qui in Dei populo fungebantur ciuili Magistratu: quorum sine consilio (vt ait Ambrosius) in vetere synagoga nihil agebatur. Sed hoc cuiquam mirum, immò absurdum videbitur, sententiæ dictionem negari in synodis delegatis à Rege, ad quem approbatio aut reiectio eorum, quæ in synodis communi consensu definita decretavè erunt, spectat. Nihil in synodo præter præsentiam, Regi aut ipsius delegatis D. Beza videtur concedere. Sed qua ratione

minùs tribuendum sit vetis Ecclesiæ & Reip. senioribus, hoc est, summis Magistratibus, eorumque delegatis, quàm nuper inuentis temporarijs senioribus, ego (iterùm dico) causam nullam video.

Absurditatem spectate, quæso, nostri temporis, quæ Pastores, eorumque administrationem subijcit iudicio seniorum, qui merè laici & priuati sunt; tanquàm sint morum & ministerij Ecclesiastici legitimi censores, & Regibus, summisque Magistratibus negant de causis Ecclesiasticis iudicãdi potestatẽ. Pios & doctos viros delegatos siuè à rege, siuè à summo quouis alio Magistratu, dicendi liberè sententiam de controuersijs ibidem propositis potestatem habere iudico: modò Pastoribus & Episcopis sua libertas maneat: & fraus doluſvè absit. Omnem vim & insidias abesse quàm longissimè à synodis oportet. Regia ibi dominatio silet. Dei sermo & Sp. sanctus solus authoritatem primam ibi obtinent.

Si priscorum temporum exempla valent, inueniemus Imperatores, Regesque, ac delegatos ab eis proceres, interfuisse Concilijs cum pleno suffragij iure. Præfuit Concilio Chalcedonensi Martianus cum nobilium senatu & iudicibus; sicut manifestè apparet ex ipsius Concilij actionibus: ad quas lectores remitto. In Concilio Toletano tertio Rex Riccaredus sententiam dixit, & subscripsit. Proceres cum Episcopis ibidem Nicenæ Synodi symbolo, aliarúmque trium, subscripserunt. In secunda Hispalensi synodo Sisibutus Rex, & Sualenes inueniuntur. In concilio verò Toletano quarto Sesenandus cum nobilibus: & in quinto & sexto Suintilla Rex, & optimates cum authoritate sedent. Nihil minuit regiam authoritatem, quòd demisse precibus se commendat Episcoporum.

In Concilio Toletano octauo Recessiunthus cum nobilibus non tantùm tanquàm spectator aderat, sed vt præcipuus actor & moderator eorum omnium, quæ tùnc illic acta & decreta sunt: sicùt ex ipsius apparet oratione, quâ inter cætera Synodum his verbis allocutus est. *In cõmune iam vobis cunctis, & diuini cultus Ministris, idoneis ex Aularegiare electoribus decenter electis, diuini nominis adiuratione constrictis, adijcio consensionis meæ verum purúmque promissum: & quodcunque iustitiæ & pietati salutariq; discretioni vicinum decernere seu adimplere cum sancto consensu elegeritis, omnia fauente Deo perficiam, & aduersùs omnimodam controuersiarum querelam principali authoritate muniam, ac defendam, &c.* Illustres autẽ illi viri Palatini, qui Concilio interfuerunt, simùl cum Episcopis subscripserunt. Si particulariùs omnium synodorum acta essent conscripta, plura aliarum gentium possent similia proferri exempla.

Sicùt enim in veteri populo Israelitico nobiles & magnates erant, & dicebantur verè populi seniores: ita fuit etiam eadem vox *senior* apud Italos, Gallos, & Hispanos, accepta eodem sensu. Quo authore gentes Francicæ, Longobardæ, & Gotticæ, quos latinè Dominos dicimus, & Nobiles, vocârint *seniores*, ego nescio. Sed factum constat: & vsque in hunc diem paulùm immutata dictio *Senior* Gallis, Hispanis, & Italis, significat *Dominũ*. Quemadmodùm nullàm causam D. Beza adfert, cur Ecclesiarum Pastores, qui ciues & subiecti sunt, cum alijs ordinibus eiusdem regni & Reip. ius suffragij in comitijs regni habere non debeant: ita nec hîc quicquam attulit, cur nobiles delecti, aut delegati à rege in synodis cum suffragij iure sedere non possint.

Exceptionem D. Beza addit, qua excusari posse videtur, quandò ait: *Nisi quid inciderit, in quo interponi Magistratus ciuilis nomen oporteat.* Sed obsecro: Si tunc potest ciuilis Magistratus vt iudex in consessu illo sedere, quidni in cæteris actionibus, in quibus aut de doctrina, aut de moribus agetur? Quùm autem custos aut vindex diuinorum mandatorum vtriusque tabulæ ab omnibus theologis ciuilis Magistratus censeatur; de qua re potest in synodis incidere disceptatio, quæ ad ipsum non pertineat? Summum intelligo Magistratum, ipsiúsque delegatum, qui synodo interest: non quemuis inferiorem, & subalternum. De religione, eisque omnibus quæ ad ipsam referuntur, Antistites religionis iudicare conuenit, non quosuis ciuiles Magistratus. Sed cùm ad curam regis summíque Magistratus pertineat ipsa quoque religio, quanuis ei non secùs quàm ipsi Antistites subijciatur, videre tamen debet, ne ij, quibus illa procuratio mandata est, aut religionem negligant, aut per errorem, vel ignorantiam corrumpant. Quas igitur partes si quandò Rex, vel summus quiuis alius Magistratus mandauarit rerum Ecclesiasticarum peritis, non video cur in synodo spectatores tantùm sedere debeant, vt sua tantùm præsentia

Episcoporum

Episcoporum synodum cohonestet; modò in se non adsumant, quod proprium Dominus esse voluit Ecclesiæ Ministris.

D. Beza.

VNiuersalis totius gentis synodus nisi magnis de causis cogi non debet: quæ quùm temporibus statis minimè occurrant, efficitur illas quoque statas esse minimè oportere: sed quoties in aliqua prouincia quidpiam tanti momenti, siue in doctrina, siuè in administratione Ecclesiæ incidisse videbitur, & non nisi communi consensu decidi commodè possit, alias prouincias curabit, ea de re in semestribus illis synodis commonefaciendas: vel omnium, vel maioris tantùm partis consensu adeatur regia Maiestas, quæ ad Ecclesiarum postulationem nulla interiecta vel difficultate vel mora, (quid enim potiùs quàm Ecclesiarum pacem pium Principem curare oportet?) tempus & locum agendæ vniuersali synodo indicat: prout postulare necessitatem iudicauerint Ecclesiæ. In vniuersali autem synodo, idem qui in prouincialibus seruatur ordo, seruari posse videtur: siue in ipsius Regiæ Maiestatis præsentia, sicùt in aliquot synodis vniuersalibus Imperatores Romani adfuerunt; siue in spectabilium Dominorum à communi Magistratu delegatorum conspectu. Deindè quod in eiusmodi synodo communi consensu probatum fuerit, ipsius Regiæ Maiestatis authoritate expressa confirmabitur, eorundum piorum Imperatorum exemplo.

Had. Saravia.

NOn mihi probatur quòd Regem D. Beza vult, nulla interiecta difficultate vel mora, tempus & locum agendæ vniuersali synodo indicere: prout postulare necessitatem Ecclesiæ iudicauerint. Fieri potest vt impedimenta maiora Rex habeat, quam nota sint Ecclesiarum Pastoribus. Vbicunque Ecclesiam & Rempub. idem populus constituit, non potest esse vtile Ecclesiæ, quod incommodum est Reip. nec turbari pax potest Ecclesiæ, quin simùl pax concutiatur Reip. Quarè nihil contra pij Principis officium committet Rex, qui ob grauiores causas ijs, quibus mouentur Ecclesiarum Pastores, in tempus & locum magis opportuna distulerit synodum vniuersalem.

TERTIA QVÆSTIO.

AQuo, hoc est, an à Rege, an ab Episcopis eiusmodi comitia Ecclesiastica cogi, quùm coguntur, quibus de rebus leges ferre possunt?

Had. Saravia.

NIsi enim intelligat omnes Pastores esse Episcopos, ab Episcopis, quos sustulit, comitia Ecclesiastica indici non possunt. Sed res nota est: priscis temporibus vniuersalia Concilia & synodos ab Imperatoribus & Regibus indici consueuisse.

D. Beza.

AD huius quæstionis priorem partem responsum est. Ad alteram partem quod attinet, respondemus. Primùm quod ad conscientiam attinet, vllas ferre leges ne angelis quidem licere: sed ijs, quæ à Domino prolatæ sunt, stare Ecclesiam oportere: quùm noua iam nulla sit nobis expectanda reuelatio: omni consilio Dei, quod ad nostram salutem attinet, plenissimè & absolutissimè patefacto. Ad disciplinam quoque siue διατύπωσιν quod attinet, eius quidem substantiam ex verbo Dei petendam, & inuiolabiliter conseruandam, tanquàm alteram doctrinæ Christianæ partem, arbitramur. Sed duo supersunt: de quibus leges poni in Ecclesia possunt, ac etiam debent. Primum enim omnium, quùm singula non sint diserte totidemque verbis in scriptis Propheticis, & Apostolicis tradita, idcircò in controuersijs tùm de doctrina, tùm de Ecclesiasticæ disciplinæ substantia, munus est synodorum rectis perspicuisque capitibus, quasi regulis quibusdam, illarum decisionem comprehendere, sicut est in illis orthodoxis synodis, tùm œcumenicis, tùm particularibus vtiliter aduersùs hæreticorum blasphemias, & ἀτοπίαν petulantiam factitatum. Et quùm in Presbyterijs multæ quæstiones occurrant, præsertim cùm de coniugijs agitur, certæ sunt (quoad fieri potest) de ijs leges, non quidem ponendæ, sed ex Scripturarum collatione erutæ, describendæ, ex quarum præscripto decidantur. Neque quùm hoc fit, adijcitur, aut detrahitur quicquam Dei verbo, si quidem id ritè fiat: sed hoc est potiùs verbum Dei interpretari, & quid ex quo consequatur, demonstrare. Deindè quùm salua & immutabili manente tùm doctrinæ, tùm Ecclesiasticæ disciplinæ substantia, variari tamen externas ordinis circumstantias necesse sit, (nec enim eadem permanet personarum & locorum ratio) sicuti agapas Apostolicas sublatas, & decreta de sanguine & suffocato antiquata videmus: illud quoque Ecclesiarum gubernatoribus prouidendum est, vt quoad fieri poterit, quo loco, quo tempore, quid fieri in Ecclesia expediat, omnes intelligant: sic tamen, vt doctrina ipsa (sub qua sacramentorum institutionem intelligimus) intacta prorsus maneat, qualis est à Deo instituta. Deindè ne in istius ordinis statuendis legibus quicquam aut ineptum aut inutile, multò verò minùs quicquam statuatur, aut ex veteribus ritibus retineatur, vel superstitione iam contaminatum, vel quod facilè possit aditum superstitioni præbere.

Denique

Denique summa simplicitatis in istis omnibus ratio habeatur: nec multitudine Canonum oneretur Ecclesia. Hos autem Canones (vt antiqui vocârunt) in synodis communibus necesse est præscribi vitandæ rerum diuersitatis: quoniam in eadem gente variari etiam temporis præsertim circumstantia potest. Sed quicquid in illis synodis statutum fuerit, Regiæ Christianæ Maiestatis, tanquàm Ecclesiarum secundùm deum custodis, ac vindicis authoritate sanciri oportet, vt à pijs imperatoribus ac regibus factum legimus.

HAD. SARAVIA.

POstquàm de synodis sæpiùs facta est mentio, dicam quid ego de eis sentiam. Conuenire Pastores & Doctores Ecclesiarum, quas dicimus reformatas, in hac rerum perturbatione nihil impedio: vt de rebus ad Ecclesiam pertinentibus deliberent, & constituant quod expedire ipsis ad ædificationem Ecclesiæ videbitur. Tamen ego illos cœtus non habeo pro Synodis, quales fuerunt, quas celebrauit Antiquitas; & catachresticôs, non propriè appello synodos: & mallem dicere cœtus vel conuentus, quàm synodos. quanuis græcæ & latinæ dictionis eadem sit significatio: idque propter differentiam. Ratio mea hæc est: quia nullas synodos lego sine Episcopis & Archiepiscopis. In istis itaque synodis requiro priscum Patrum morem, & eas personas, sine quibus nullæ ante nostra tempora fuerunt congregatæ synodi. Addo, nihil admittendum in perfecta reformatione tam doctrinæ quàm politeiæ Ecclesiasticæ, quod nouum esse, possit verè ab aduersarijs nobis obijci; vt suspectum omne illud mihi sit, cuius non habemus exemplum. In perfecta restauratione collapsi aut vitiati Christianismi, nihil est inuehendum, nec in doctrina, nec in ritibus & politeia, quod non sit catholicum: hoc est, priscarum & orthodoxarum Ecclesiarum vsu & moribus, olim receptum & vsitatum: vt restituisse, quod mala consuetudo & improbitas hominum aboleuerat, & emendâsse, quod malitia temporum, & verbi Dei ignorantia corruperat, defendere liquidò queamus. Noua autem, ante nos nostraque tempora nunquàm visa, nec cognita, in Ecclesiam introduxisse, excusari non potest, nisi fortè factum allegetur, in extrema necessitate.

Vitandæ innouationis infamiæ gratiâ, mallem à nostris Ecclesijs ex veterum Patrũ synodis colligi quidquid his temporibus & locis est commodum, quàm nouos videri à nobis vllos confictos esse Canones. Nihil enim hodiè dici aut inueniri à nobis potest vtile & necessarium Ecclesiæ, quod dictum & inuentum olim à Patribus non fuerit priùs. Ex violatione & contemptu veterum Canonum, Romanæ Ecclesiæ manârunt abusus: ad quorum normam si reuocari posset, cessaret quod inter nos & illam est dissidium.

Attentum lectorem prudentemque requiro, vbi D. Beza in ordine constituendo, adhiberi vult cautionem hanc. *Ne in istius ordinis statuendis legibus quicquam aut ineptum, aut inutile; multò verò minùs quicquam statuatur, aut ex veteribus ritibus retineatur, vel superstitione iam contaminatum, vel quod facilè possit aditum superstitioni præbere.* Multos enim impegisse ad hunc lapidem noui, dùm sui arbitrij esse volunt in rebus adiaphoris improbare, aut admittere, retinere aut abijcere, quod ipsis videbitur, contra synodi sententiam: suumque sensum præferre iudicio synodi. Non est idem de eadem re omnium iudicium. Accidit vt ineptum & inutile videatur alicui, quod pium, vtile & necessarium visum erit Synodo. Magna est hodiè multorum in hac re temeritas & audacia. Liturgia Anglicanæ Ecclesiæ quorundam iudicio multa continet inepta, inutilia, & superstitiosa: quùm tamen in ea nihil esse huiusmodi, & omnia verbo Dei consentire (vtpotè quæ indè desumpta sint) facilè queat demonstrari. Bona tamen hæc admonitio est: nec aliud desidero, quàm candidum iudicium de rebus à prioribus synodis decretis, quæ verbo Dei redargui non possunt. Illis si nulla habeatur reuerentia, idem iudicium erit apud posteros de nostris synodis: eâdem audâciaqua maiores contempsimus, minores nostri damnabunt nos, nostraque. Atque ita cum magno scandalo, tanquàm nihil firmi sit in Christi doctrina, hûc atque illûc in contrarias partes varijs acta procellis fluctuabit Ecclesia.

Sed quandò D. Beza non vult quicquam retineri ex veteribus ritibus quod superstitione iam fuerit contaminatum, vel quod facilè possit aditum superstitioni præbere: dico id vitari non posse, quia nihil est in veteribus Ecclesiæ ritibus quod superstitione non fuerit contaminatum. Omnia quæ ad verum Dei cultum syncerè instituta sunt, vel à Deo ipso, homines in superstitionem vertere possunt. Oratione Dominica, & Psalmorũ cantu superstitiosè olim, & hodie qui superstitiosi sunt, abusi sunt, & abutuntur. Quòd si quis vitanda sibi esse constituat omnia, quibus superstitiosè sunt abusi homines, nec ipsas diuinas

retinere

retinere poterit constitutiones. Proinde natura rei inspicienda est, non eius vsus, vel abusus. Quamobrem aliam regulam huius loco substituam. Quandocunque ritus superstitione contaminati retinentur, quorum vsus bonus esse potest, admonendos esse populos de vero eorum vsu. Item in abolendis superstitionibus, delectum habendum superstitionum, & quàm sint noxiæ, & quid populus ferre possit, videndum. Multa sunt condonanda tempori, multa hominum infirmorum imbecillitati. Omnium fidem ad eandem exigere mensuram, quùm ea inæqualis sit, valde iniquum, & à charitate Christiana est alienum. Ita vna pars curanda est, vt aliæ grauiùs non lædantur.

QVÆSTIO QVARTA.

DEbeantnè excommunicari Papistæ eodem modo, quo apostatæ, an verò leuiori pœna puniendi sunt?

D. Beza.

IN homines quanuis non vano per se Baptismo Ecclesiæ insitos, nunquàm tamen in puræ Ecclesiæ communionem ingressos, non videmus, quomodò stringi possit excommunicatio. Imò patère illis semper fores ad audiendum verbum Dei, adeoque hùc illos allici studiosè oportere arbitramur. *Si fortè resipiscant* (inquit Apostolus) *elapsi è Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur*, 2. Tim. 2. 26 Quod si qui pertinaciâ manifestâ peccare iudicabuntur, referendum id omne ad Christianum Magistratum censemus. Magistratum verò Christianum decere arbitramur maxima lenitate in religionis negotio erga subditos suos vti: exceptis solis perturbatoribus peruicacibus, & scientèr blasphemis.

QVINTA QVÆSTIO.

QVibus de causis aliquem excommunicare liceat? Verbi gratiâ: Si quis homicidium patrârit, asserens se id vel necessitate, vel vim vi repellendo fecisse, (cáque de re paratus est iudicium subire, neque adhûc à Rege, aut occisi proximo quouis accusatur) licetnè Ecclesiæ de homicidio inquirere, sitnè dolo malo, an casu, vel necessitate factum: & homicidam cogere vt secundùm delicti qualitatem, publicam in Ecclesia pœnitentiam in sacco & cinere agat, aut recusantem excommunicatione feriat, eique aquâ & igni interdicat.

D. Beza.

NEmo seriò resipiscens excommunicari, sed excõmunicatus potiùs vbi resipuerit, recipi debet. Grauissimam quoque oportet esse causam excommunicationis. Extremis tantùm malis extrema remedia sunt adhibenda. Suspendi tamen à cœna Domini (cuiusmodi homines olim vocabant abstentos) cognitâ causâ possunt, quibus necessaria hæc medicina putatur: vel vt sint alijs exemplo propter offendiculi magnitudinem, vel quòd eorum resipiscentia probatione indigeat. Quod autem attinet ad propositam quæstionem: Si Magistratus officij admonitus ad eiusmodi crimina conniueat, & tamen probabile sit non temerè quempiam accusari: arbitramur fas esse illum ad Presbyterium euocare, ibique, prout causa requisierit, ad agnitionem peccati hominem cohortari: quod si inficiatus fuerit, iudicio diuino esse relinquendum, neque Presbyterio longiùs in auditione testium progrediendum.

Had. Saravia.

QVod confessionem attinet publici criminis, ex qua capitis discrimen, qui peccauit, possit incurrere, graue est ad eam quenquam hortari: nisi fortè de quo, Magistratus iusto iudicio, quis damnatus sit; aut qui in iudicium vocatus est vehementi suspicione laboret, testibusvè conuincatur. Sed non omnia publica crimina capite puniuntur. Stuprum, quod simplicem vocant scortationem, & quod grauius est, adulteriũ; præterea vsuræ, iurgia, inimicitiæ, contumeliæ, maledicta, detractiones, & huius generis plurima, inter Christianos inueniuntur: in quæ quùm leges ciuiles multis in locis aut non animaduertant, aut admodùm leuiter puniant, ea Ecclesiæ censura negligere certè non debet.

Nonnunquàm accidit, vt Principis clementiâ ob certas causas criminibus detur venia: & ibi pœnitenti, confitentique cùm nullum emineat periculum, ad seriam pœnitentiam peccator omnibus modis vocandus est. Nam quanuis legibus ciuilibus satisfactum sit, non est hominibus læsis, conscientiæque peccatoris satisfactũ. Furi aut parricidæ, quanuis

uis vitàm dederit Principis clementia, obligatus esse non desinit Ecclesiæ, & omnibus eis qui ab eo læsi sunt. Quare ad seriam pœnitentiam & cohortanduseſt, & Ecclesiæ censuris, si repugnet, cogendus. Qua in re tametsi veterum Patrum nimiam non probem seueritatem, in nimiam lenitatem ne incidamus, cauendum est.

Quòd negantem crimen, de quo accusatus in Consistorio quispiam erit, Dei relinquendum iudicio, neque in auditione testium esse progrediendum. D Beza arbitretur: si eum rectè capio, cum doctrina Euangelica non consentit. Math. 18. cap. testes adhiberi vult Dominus in iudicijs Ecclesiasticis: & Paulus 2. Cor. 13. cap. scribit, quod ore duorum aut trium testatum fuerit, futurum firmum. In 1. ad Tim. quinto cap. accusationes admitti non vult contra Presbyterum, nec alium quemuis, sine testimonio duorum vel trium. In confessis, testibus nihil opus est. Si contra crimen negantem ad auditionem testium non est progrediendum, & accusatio sine testibus nulla est audienda, malè aut saltem frustrà hæc, quæ in nouo Testamento de testibus legimus, fuerunt scripta. Cùm itaque sua iudicia Ecclesia habeat, eam etiam habere auditionem & examinationem testium, consequens est.

SEXTA QVÆSTIO.

QVùm superiori seculo magnæ facultates, eleemosynæ nomine à Principibus alijsque multis concessæ sint Episcopis, monasterijs, & huiusmodi; quumque tantæ opes videantur potiùs obesse quàm prodesse Episcopis, & monasteria in Rep. & Ecclesia sint inutilia; Quæritur quid de eiusmodi bonis, quæ semel Ecclesiæ consecrata fuerunt, fieri debeat? Nam quùm Episcopi, & Ministri ex decimis satis habeant, vndè commodè, & honestè viuere possint, an Princeps potest cum consensu statuum Regni reliquam partem auferre: vt vel in suos, vel in publicos vlus conuertere illi liberum sit: præsertim cùm eiusmodi bona non tam in decimis, quàm in prædijs rusticis, aut vrbanis consistant? Quæ quidem quæstio quùm potiùs ciuilis, quàm Ecclesiastica esse videatur, constitueram tibi hac in re non esse molestus. Sed quia complures pij, ac eruditi apud nos existimant, has res quæ semel pijs vsibus destinatæ fuerunt, non posse in prophanos vlus, etiam publicos, conterri non potui hoc quoque argumentum silentio apud te præterire.

D. Beza.

AD facultates Ecclesiasticas quod attinet, primùm omnium vehementer cauendum arbitramur, ne quis sese sacrarum facultatum contactu contaminet. Etenim si eiusmodi sacrilegia, etiam inter Idololatras, Dominus insignibus pœnis vltus est, quid in eos censebimus decretum iri, qui Ecclesias ipsas spoliârint, & vero eius cultui consecrata prophanauerint? Deindè in ipsius nomine diuini, & sacri eius Euangelij blasphemiam hoc redundare constat: quasi videlicet non veritatis studio, sed direptorum bonorum Ecclesiæ causâ Papismus sit profligatus: & veteribus prædonibus noui alij succesſerint. Sicût autem copia Ecclesiam obruit: ita verendum est, ne inopia prorsùs eam affligat: quùm in vero Ministerio tuendo non minùs hodiè parci sordidique sint pleríque, quàm olim prodigi Reges ac Principes ipsi fuêre. Tenendum igitur modum hac in re necessariò arbitramur. Is autem, nostro iudicio, optimus erit, si in omnibus Ecclesijs, tùm quis sit sumptus quotidianus necessariò faciendus dispiciatur, tùm ad extraordinaria multa, quorum inire certa ratio non potest, aliquid reseruetur: & quidem hoc non parcè, non tenuiter, quùm Dei beneficio abundet Ecclesia: sed benignè, ac liberaliter supputetur. Erit ergò parœchiarum, & Pastorum iucundus is numerus, qui populis admodùm sufficiat, & honestum cuique stipendium decernendum. Presbyteris quoque, qui Pastoribus adiunguntur, prospiciendum erit, vt suum munus commodè tueri possint. Iniquum etiam fuerit mortuorum Pastorum viduas, & liberos ad egestatem redigi. Ecclesiæ quoque non minimæ sunt partes. Scholæ, & Academiæ, illius videlicet seminaria. Ptochotrophijs, Nosocomijs Xenodochijs prospiciendum est. Habenda quoque publicorum sacrorum ædificiorum ratio, vt sarta tecta conseruentur, ac noua, si sit opus, extruantur. Postremò (vt antè dixi) quùm abundent Ecclesiæ, constituendum erit quod in ærarium sanctum quotannis inferatur, vndè quod ingruentibus belli vel famis necessitatibus sufficiat, peti possit.

Hæc omnia vbi bona fide & liberali supputatione in vnam summam collecta fuerint, iisque quotannis per Oeconomos viros bonos & idoneos, & qui poterunt ordine & sine litium molestia colligere, fuerit commodè prospectum: quod superesse deprehendetur, non quidem cum alijs publicis redditibus confundendum (alterius enim hæc naturæ sunt, quanquàm non optimis semper artibus ab auaris sacerdotibus quæsita) sed seorsim seponendum. Et tamen si publica regni necessitas id postulat, in eius vsũ sumi, consumíque fas esse arbitramur: præsertim si populus eo subsidio subleuatur.

Had. Saravia.

AD sextam quæstionem H. D. Glamij aptè responderi non potest, nisi quædam priùs discutiantur, & extra controuersiam constituantur. Primum est: Nùm omnes illæ

illæ opes, quas hodiè in Romana Ecclesia conspicimus, sint eiusdem naturæ, id est, sacræ? Deindè, num omnes sint à Principibus, aliisque pijs Christianis datæ, nomine eleemosynæ? Postremò, num omnia, quæ eleemosynæ nomine data fuerunt olim Ecclesijs Monasterijsque, iure dari recipivè potuerint? Sacrum, cuius direptio & vsurpatio definitur sacrilegium, dicitur quidquid in pios vsus est consecratum. Pius rerum vsus vocatur, quo cultus Dei conseruatur, & pauperes releuantur. Sed in cultu diuino magnus interuenit error: quòd non rarò diuini cultus, & numen ipsum opinione hominum æstimentur, potiùs quàm rei veritate. Vndè in tanta religionis confusione, quæ in Romana conspicitur Ecclesia, diligenter discernendum est sacrum à prophano, non tantùm in dogmatibus, & ipsis ritibus, ceremonijsque, sed in omnibus quæ cum eis coniuncta sunt: vt sic vitetur sacrilegium, & omnis sacrilegij infamia: ne cui sub reformandæ religionis colore fiat iniuria.

Videndum igitur est quo nomine Ecclesiastici Monachivè quidpiam possideant, possederintvè, & in quem finem & vsum. Certum enim est non omnia quæ possident Ecclesiastici & Monachi, esse eiusdem conditionis. Quædam enim tanquàm ordinarij Ecclesiarum Pastores & Doctores, eodem iure quo cæteri Ecclesiastici, Ecclesijs & sacellis dicata possident; cuius generis sunt decimæ, & oblationes: quædam tanquàm pauperes, qui religione peculiari se paupertati adstrinxerunt, eleemosynæ nomine, cum eorum, qui verè pauperes sunt, iniuriâ: quædam quæ superstitioni & idololatriæ deuota sunt, tanquam merces & honorarium superstitiosorum cultuum: quædam etiam iure exemptionis acquisita vel Monasterijs, vel Collegijs Ecclesiasticis. Hæc profectò diuersam habent naturam.

Quanuis ea omnia sacra esse velit Romanus Episcopus, dispensationémque eorum sibi suis legibus vendicet, id tantùm valet, quamdiù error, & veritatis ignorantia regnant, legésque ciuiles id ratum habent. Quæ, vbi cessant, res ad suam naturam redeunt: quam vnius Papæ voluntas mutare non valet. Hæc omnia eleemosynæ nomen, nisi admodùm largè extensa significatione vocabuli, non admittunt. Eleemosyna propriè egenis commiserationis intuitu propter Deum impenditur; nec mercedis, aut iusti stipendij nomen habet. Tametsi quæ in Ecclesiæ vsus data, aut empta sunt, Deum respiciant, cultúmque ipsius, sicut eleemosyna: omnia tamen id nomen non nisi catachrestícως ferre possunt, quo dato, manebit posita bonorum distinctio.

Constat omnes facultates, & opes Ecclesiasticas à Principibus, aliisque multis, donatas non fuisse Episcopis, & monasterijs eleemosynæ nomine: sed pleráſq; possessiones emptas, & additas Ecclesijs, & monasterijs, ab ipsis Episcopis, & Abbatibus, & Monachis. Quo modo magnæ possessiones, vt sunt feuda nobilia, quæ regalia iura habent, empta, eleemosynæ dici queant, ego non video: nisi fortè quia ex pecunia prouenerint, quam pauperibus erogatam oportuit, etiam eleemosynæ retinere nomen debeant.

Fuit quondam tempus, quandò Episcopi, alijque qui censebantur in clero, facultates Ecclesiasticas attingere non audebant, vt inde quidquam in vsum suum conuerterent, quamdiù ipsis satis erat aliundè, & ex proprio patrimonio, vnde viuerent, habebant. Itáque tam Episcopi, quàm alij Ecclesiastici, quod dare & relinquere pauperibus debebant, addebant Ecclesiarum ærario. Sed & hoc eleemosynæ nomen habuit, sicut ea quæ monasterijs adferebant, qui sese monastico vitæ generi addicebant. Monachi vero quondam duriter viuebant, & parcè, & ex labore manuum: sicut ferebant, & adhûc hodie ferunt omnia Monachorum & Cœnobitarum instituta. Sacrilegium reputabatur Monachum aliunde, quàm ex labore manuum, viuere. Ex parsimonia & bona œconomia factum est, vt Monachis multum pecuniæ superfuerit, tùm ex prouentitibus agrorum, tum ex mercede laboris. Id totum olim egenis impendere liberaliter solebant. Sed posteâ meliùs comparandis agris & fundis (quos adiunxerunt ijs, quos habebant ex donatione) impendere visum est. Acquirendi enim Monachis & Clericis tantum fuit studium, vt nisi Regum & Imperatorum leges modum præscripsissent, soli tandem omnem agrum, vbi degebant, videantur fuisse occupaturi. Quomodò autem quæ fuerunt empta numeratâ pecuniâ inter eleemosynas numerari debeant, ego non video: nisi (vt dixi) quia ex illa pecunia empta sunt, quæ pauperibus eroganda fuerat.

Ad postremam quæstionẽ dico, negari non posse multa donata fuisse Ecclesiæ in super-

ſtitioſum vſum, & prorſus idololatricum: nempè ad celebrandas miſſas in honorem quorundam Sanctorum, aliósque cultus ſuperſtitioſos: vt ad liberandas animas è pœnis Purgatorij, & quicquid prætereà eſt huius generis, quæ non tam eleemoſynæ nomine data fuerunt, quàm propter cultum idololatricum mercedis & ſtipendij miſſificantibus, aliiſque idolorum cultoribus. Hæc certè miſceri non debent cum donationibus, quæ ad diuini cultus inſtitutionem & miniſterij Eccleſiaſtici vſum Deo ſemel rectè factæ ſunt. Quanuis non adeò purus extiterit cultus ille, vt eſſe debuit: tamen nec in re, nec in fine fuit aberratum. Proindè nullo iure ea ſibi fiſcus vendicare poteſt.

Sed & hîc quæritur: num quiduis Eccleſijs, & Eccleſiarum miniſtris, hoc nomine olim potuerit, & hodiè poſſit rectè & legitimè dari? Gratiâ exempli: Num Conſtantinus, aut alius quiſpiam beato Petro, vel Syluestro, ac Romanæ ſedi potuerit dare illa omnia, aut partem eorum, quæ donatio (quam Conſtantini eſſe volunt Romani Epiſcopi) continet? Ad hanc quæſtionem hoc tantùm nunc in genere reſpondebo, legitimam eſſe non poſſe donationem, quæ tam donantis facultate, quàm accipientis conditione maior eſt. Dare regnum, ipſo Rege quiddam maius eſt: & cum conditione Epiſcopi regia Maieſtas conſiſtere non poteſt. Quanuis à rege, ſubiectus regis imperio, Epiſcopus poſſit haberi inter regni proceres, eíque prouincia ciuilis committi; regis perſonam ſuſtinere non poteſt, nec ſummum imperium ſuo ipſius adminiſtrare nomine. Subiectus & ciuis Epiſcopus, qui ciuile habet imperium, paret neceſſitati legum, & ſui Magiſtratus voluntati, nec in eius eſt arbitrio conditionis ſuæ mutatio. Regnum inuitus nemo ſuſcipere cogitur. Si caſus incidat, quo qui eſt Epiſcopus rex fieri cogatur, deſinat eſſe Epiſcopus: non quòd naturâ ſuâ hæc ſint aſyllata, ſed Eccleſiæ vſu & ipſarum rerum ac temporum conditione. Olim idem rex & ſacerdos erat, non item hodiè.

Ecquæ ratio (iniquies) ciuiles dignitates infra regiam Epiſcopis permittit, & regiam negat? Cur non æquè Rex ſimul & Epiſcopus idem eſſe poteſt, ſicut Dux, Marchio, Gomes, & Baro? Reſpondeo; quòd horum nihil aduerſetur ſummæ Eccleſiaſticæ gubernationi, quæ ſub Chriſto, vt eſt Monarchica: ita inter homines eſt Ariſtocratica: & quòd Epiſcopus diuinis humaniſque ſubiectus eſt canonibus. Synodi, & Concilia ſunt ſupra Epiſcopos, non ſupra reges: & Epiſcopum deponere poſſunt, non regem. Regia poteſtas legibus eſt ſoluta; Epiſcopalis vndique legibus eſt aſtricta. Ab Epiſcopo appellare licere debet: à rege non licet. Si quis ducatus ſummum habet imperium, & reipſa ſit regnum, par eſt vtrobíque ratio; talis potentia non admittit Epiſcopalem conditionem.

Quod ſi iure natiuitatis, qui Epiſcopus eſt, vocetur ad regnum, vtpotè qui Patre rege ſit natus, aut ſanguine defuncto regi proximus; deponet Epiſcopatum, vt regnum ſuſcipiat. Vtrúmque ſimul nemo Chriſtianus præter Romanum Papam coniunxit. Vulgo quæ adferuntur, prætereo cauſas. In Epiſcopo qui regio eſt ſubiectus imperio, vel qui in Rep. eſt ciuis, ſi cum Epiſcopali dignitate ciuilem à rege, republicavè adminiſtrationem habet, non ipſius ſpecto voluntatem, ſed alienam, legúmque quibus ſubiectus eſt: nempè regis & reip. eámque coniunctam cum Eccleſiæ, & regni, vel reip. neceſſitate vel vtilitate. Regis nemini ſubiecta eſt voluntas: vtpotè qui plenè ſit ſui arbitrij: quod de Epiſcopo degente ſub regis imperio dici non poteſt.

Reſponderi nunc poteſt liquidiùs ad ſextam quæſtionem. Quæcúnque data fuerunt idololatriæ, & vanæ ſuperſtitioni conſeruandæ, & ornandæ, ea legibus abrogata cedunt fiſco, etiam nemine loquente: ſuntque in regis ſummíque magiſtratus diſpoſitione, quocunque illa monaſterijs aut Eccleſijs fuerunt acquiſita nomine. Sed quum illa in triplici ſint differentia, & iura parœciarum monachi poſſederint, quatenus Eccleſiarum erant Paſtores, ea potuerunt à Paſtoribus & Eccleſijs repeti. Illa verò quæ eleemoſynæ nomine tanquàm pauperes poſſidebant, pauperibus reſtitui debebant. Empta quæ fuêre ab ipſis diſſoluta ſocietate, diuiſa poterant eis vtenda, aut poſſidenda relinqui.

De Epiſcopis verò quod dicitur, opes eis magis obeſſe quàm prodeſſe, præiudicium eſt, mihi non iniuriâ ſuſpectum. Id velim diſputari non à paucis quibuſdam, qui illis opibus inhiant, ſed in Concilio libero ab ijs, quorum nihil intereſt; ſint Epiſcopi opulenti necne: & ad quos nec detrimentum, nec emolumentum inde aliquod accedet. Et inuento, quòd opes ſint Epiſcopis magis noxiæ, quàm cæteris Chriſtianis; & quòd

non

non bene illis vtantur, neque legibus effici possit, vt Episcopi inter magnas opes, sicut alij Christiani, moderatè viuant, eísque vtantur vti Episcopos decet: si adeò desperata (inquam) in Episcopis res est, vt remedium aliud nequeat adhiberi, ad illos vsus eas conuertere oporteret, ad quos ab optimis Episcopis olim impendi solebant, & rei natura postulat: Nemo inde fiat ditior.

Quis autem vsus Ecclesiasticæ pecuniæ esse debeat, sacri docent Canones. De ea nihil melius constitui potest, quàm iam olim fuit constitutum. Sic sacrilegij vitari poterit omnis suspicio, & non malitiâ abolitionem Episcoporum, propter prædam & opum Ecclesiasticarum spolia, fuisse quæsitam, sed tantùm errore & veritatis ignorantiâ. Si huius seculi infœlicitas Ecclesiæ Christi Episcopos inuidet diuites, ferant saltem pauperes. Externa bona, & honores ciuiles, tam Ecclesiæ vtilitati, quàm Reip. seruire debent: & eatenùs dari negariqúe posse Episcopis existimo. In qua re defæcatum omni perturbatione animi requiro iudicium.

Sed ciuilem hanc totam esse controuersiam, si conscientiæ religionem secludas, facilè patior: vt tota Theologica est illa, quæ est de Episcopali gradu supra compresbyteros. Quapropter pluribus hoc loco eam non pertractabo. In hac re nihil cupidè, nihil auarè, nihil temerè faciendum. Bonâ conscientiâ, & iuris legumque peritorum iudicio in primis opus est. Ab omni sacrilegij etiam suspicione pios Dei cultores quàm longissimè abesse oportet. Noti sunt sacrilegorum casus.

Quandò mecum reputo illustrium virorum tam memoriæ nostræ, quàm patrum nostrorum casus, vereor ne quia licentiùs quàm æquum erat, se gesserunt in hac re, id ipsis calamitatem attulerit: & pecunia quæ ex direptione opum Ecclesiasticarum ad ipsos peruenit, aurum eis Tolosanum fuerit.

Sed silentio præterire non possum, quòd Romanus Episcopus sibi nescio quod ius in omnes Ecclesiasticas opes vendicat: vt solus quidlibet in eas possit: tanquàm ipse summam potestatem in eas habeat. Et cùm ipse omnium sacrilegorum sit princeps, & primus sacrilegiorum author, reges tamen, & quosuis alios summos magistratus iure, quod ipsis debetur, excludit, sibiq; vendicat: & eos sacrilegij damnat; si quid aliud, quàm ipsi videtur, de possessionibus Ecclesiasticis, non priùs accepta ab eo potestate, constituerint, vt si tributa censumque exigant ab Ecclesiæ agris, quem cæteri subditi ciuésque persoluunt, & vacantes in Commendam dederint, aut ipsi eorum fructus perceperint. Agri, possessionésq; in rep. bene constituta legatæ, & donatæ Ecclesijs, emptæve ad vsum ministerij Ecclesiastici, naturam eandem retinent, quæ est aliorum ciuium agrorum; legibusque & conditionibus subijciuntur, quibus ante legationem, donationem, emptionemve subijciebantur. Legari, donari, vendi, emivè immunitas, quę prætenditur, non potuit ab ijs qui eam non habebant: Ecclesiastici autem sibi eam adsumere nulla diuina lege potuerunt. Quod imperatores, & reges aliíque summi magistratus immunitates dedêre tam personis Ecclesiasticis, quàm fundis Ecclesiæ, gratia, non ius fuit. *Agri Ecclesiæ* (inquit Ambrosius) *soluunt tributum.* Sunt igitur communi ciuium iuri agri Ecclesiæ subiecti: sed excepta illa subiectione omnis eorum fructus sacer est.

Christianam igitur D. Bezæ admonitionem amplector; sed consilium non probo: nouum enim est, & ante nostra tempora, inauditum: vt quæ sacris vsibus deputata sunt, Magistratus dispenset, & stipendia, tanquàm ex suo ærario ministris Ecclesiæ eroget. Si faciunt agri, & alia quæ vocant temporalia, Pastoribus Ecclesiarum inuidiam, & molestum est eos videre earum opum possessores, quibus circumfluunt pontificij Episcopi, & Pastores; ego cum Ambrosio dicerem: *Non faciant de agris inuidiam. Tollant eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego.* Nihil tamen impedio, quòd res, tempus, locus postulabunt, decerni: ita tamen vt separatæ maneant opes Ecclesiasticæ à vulgaribus, in eásque nihil iuris sibi vendicet fiscus, earúmque dispensatio permittatur Ecclesiarum ministris. Si fraus, si direptio, aut alienatio, aut iniqua distributio metuitur, interesse, aut etiam præesse auditioni rationum Magistratus aut eorum delegati poterunt. Facilius semper erit summo magistratui emendandum curare, quidquid ab Ecclesiarum Pastoribus peccabitur, quàm ipsis Pastoribus, idem si fiat, à magistratu eorúmque legatis impetrare ab eis emendationem.

Hoc mihi melius consilium videtur, vbi vetus mos retineri non potest, si ab ipsis

Epiſcopis, & Presbyteris, eorúmque miniſtris, totius alicuius aut vrbis, aut comitatus, diœceſeoſvè, omnes redditus Eccleſiaſtici colligantur, qui aſſem conſtituant diſtribuendum cuique pro neceſſitate, dignitate, & meritis. Sed cùm in hac re multæ occurrant difficultates, cuique Paſtori, cuiuſcunque gradus eſſet, ſuæ paroeciæ iura & decimas, & alias fidelium oblationes relinquere facilius eſt, quàm quicquam in ea re mutare. Academijs, Ptochotrophijs, Noſocomijs, Xenodochijs ſingulis per ſe, ſimiliter multò melius eſt agros, fundos, & prouentus ſuos attribui, quàm ſumptus ex communi aliquo Eccleſiæ theſauro deſumi. Quiſquis animo ſyncero, nullis præiudicijs grauato, incommoda penſitabit, quæ accidere poſſunt ex hac innouatione quam D. Beza proponit, ſuadétque, plus mali quàm boni indè euenturum eſſe facilè præuidebit. Sed dum volumus alieni ab omni auaritia & cupiditate videri, & eius odio grauare aduerſarios, poſteritati malè conſulimus. Alio modo in regno res adminiſtrantur, alio modo in parua rep. & malè ex vnius paruæ vrbis moribus vniuerſalis lex regnis deducitur. Quid multis opus eſt? Malus ſutor eſt, qui cuiuis pedi eundem aſſuit calceum.

Quiſquis verè Chriſtianam reformationē deſiderat, non me, non D. Bezam, non alium quenquam, nouam reformationem reformandæ Eccleſiæ proferentem conſulat. Gubernationem Eccleſiaſticam & diſcrimen, graduumque diuerſitatem inter Euangelij miniſtros, vſum & diſpenſationem facultatum Eccleſiaſticarum ad verbi Dei normam, & vetuſtos ſanctiſſimóſque veterum Patrum canones reuocet: & facilè omnis de hac re controuerſia conticeſcet. Sed de vera ratione reformandæ Eccleſiæ, quod inter cæteros, qui illud argumentum tractárunt, fuerit doctiſſimi ſimul ac modeſtiſſimi viri D. Hieronymi Zanchij iudicium, hîc inſerendum iudicaui opportunum. Conſultus enim piæ memoriæ Doctor Zanchius de ratione reformandæ Eccleſiæ, his Theſibus reſpondit: quas (niſi valdè fallor) nemo aduerſarius negaturus eſt eſſe æquiſſimas. Ad eas, tanquàm ad certas regulas, ſi quæ hactenùs diſputata ſunt exigantur, apud quem ſtet huius controuerſiæ veritas, facilè apparebit.

Hieronymi Zanchij de vera reformandarum Eccleſiarum *ratione; vel, ſi mauis, de regula Concilij, Theſes Analyticæ.*

1 OMnes homines cupiunt viuere, idque fœliciter, atque æternùm. Omnes igitur (niſi prorſus Epicurei & perditi ſunt) deſiderio tenentur viæ, qua ad æternam beatámque vitam peruenire poſſit, cognoſcendæ.

2 Omnes homines poſt Adæ peccatum, vtut ingenio, prudentiâ, & rerum humanarum cognitione præditi ſint: in ijs tamen quæ ad Deum, ideóque tum ad æternam vitam, tum ad viam, qua ad æternam vitam peruenitur, cognoſcendam pertinent, cœci ſunt: iuxta illud Apoſtoli: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei*: & mendaces, iuxta illud Dauidis: *Omnis homo mendax.* Nihil igitur vel veri vel recti de via æternæ vitæ, ſeu de religione, homines à ſua tantùm ſapientia & prudentia ducti definire poſſunt.

3 Solus Deus quæ ſit hæc certa ad vitam æternam via non ſolùm nouit, ſed etiam verbo ſuo, partìm per Prophetas; partìm per ſuum Filium hominem factum; partìm denique per Apoſtolos mundo reuelauit, ac patefecit. Ex ſolo igitur Dei verbo per Prophetas, Chriſtum, & Apoſtolos hominibus prædicato, hæc via, id eſt, vera religio, diſci poteſt, ac debet.

4 Certum Dei verbum eſſe illud quod in Scripturis canonicis continetur, hoc eſt, quicquid ibi nomine Dei vel narratur, vel mandatur, vel permittitur, aut ad mandata, promiſſiones, & Euangelium pertinet, apud Chriſtianos omnes extra controuerſiam eſt. Sentire igitur atque definire de religione iuxta verbum Dei Scripturis canonicis contentum, res eſt tutiſſima & ſecuriſſima.

5 Quicquid porrò eſt in Eccleſijs tam Romana, quàm alijs, illud vel eſt ſecundùm verbum Dei in iis Scripturis canonicis contentum ac declaratum; vel eſt contra Dei verbum; vel neque contra, neque ſecundùm verbum Dei, ſed ἀδιάφορον. Hinc tria conſequuntur. Primum quidem: Quicquid igitur agnoſcitur eſſe ſecundùm verbum Dei in Scripturis canonicis contentum, ſi in Eccleſiis tam Romana quàm aliis locum habet, retinendum

retinendum eſt: ſi verò exulat, poſtliminio reuocandum eſt. Alterum: Contrà, quicquid agnoſcitur contra verbum Dei, ſi non obtinet in Eccleſia, non eſt introducendum: ſi verò obtinet, illud prorſus eſt tollendum. Tertium: Quicquid verò agnoſcitur eſt neque ſecundùm, neque contra verbum Dei, nimirùm ἀδιάφορον: primo loco declarandum eſt illud eſſe ἀδιάφορον: hoc eſt, tale quod ad ſalutem neceſſarium per ſe non eſt: ac proinde quo nullius conſcientia per ſe obſtringi poteſt, aut debet. Deinde ſeruanda eſt regula Apoſtoli: vt ſcilicet nihil in Eccleſia vel retineatur, vel introducatur, quod non faciat ad ædificationem, ad ordinem, aut ad decorum. Ceremoniæ igitur & omnia ἀδιάφορα libera ſunt Eccleſiis ſingulis permittenda: vt quæque Eccleſia ea vel retineat, quæ magis iudicauerit fore ſuo populo ad ædificationem, ad ordinem, ad decorum. Sed ita tamen permittenda ſunt libera, vt, quoad eius fieri poteſt, antiquiora ſemper potiùs retineantur quàm noua introducantur: idque tum propter honorem Antiquitatis, tum quia in Eccleſia Dei, quo quid antiquius, eo etiam eſt verius, ideóque & melius: iuxta regulam Tertulliani.

Extra ſcripturas canonicas aliquam aliam doctrinam eſſe verbum Dei, ac proinde quæ 6
in ea doctrina mandantur, eſſe ad ſalutem neceſſaria, demonſtrari nullo modo poteſt. Aliquid autem tanquam ad ſalutem neceſſarium in Eccleſiam introducere, vel introductum retinere, de quo certus non ſis an ſit ſecundùm verbum Dei, necne, peccatum eſt: iuxta illud Apoſtoli: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Nihil igitur quod ex ſacris literis teſtimonium non habeat, tanquam ad ſalutem neceſſarium in Eccleſiam eſt introducendum, vel introductum retinendum: quemadmodùm non ſolùm ſacræ literæ, ſed etiam Patres ipſi docent. Etſi enim multa alia tam Prophetæ, quàm Chriſtus & Apoſtoli prædicârunt, præter ea quæ in ſacris literis continentur; omnia tamen quæ ad ſalutem prorſus neceſſaria ſunt, ea in ſacris literis abundè tractantur: quemadmodùm tum ipſæ ſacræ literę docent, tum ipſi Patres teſtificantur.

Scripturæ Canonicæ ſunt quidem multis in locis obſcuræ: illarumque obſcuritas ali- 7
quandò in verbis ipſis eſt, aliquandò in rebus, aliquandò in vtriſque ſimul; qua de cauſa tum linguarum, tum hiſtoriarum cognitio, ad intelligentiam ſcripturarum neceſſaria eſt: nihil tamen, eorum præſertim quæ ad ſalutem vel creditu, vel factu neceſſaria ſunt, ita alicubi ſcripturarum obſcurum eſt, quin idem alibi in eiſdem ſcripturis planiſſimè & perſpicuè ſcriptum inueniatur: ſicut etiam Auguſtinus diligenter obſeruauit: & in libris de doctrina Chriſtana ſapienter docuit. Nihil igitur tanquam ad ſalutem neceſſarium de religione eſt definiendum, & populis proponendum, quod non habeat certum aliquod & perſpicuum in ſcripturis canonicis teſtimonium: id quod omnes quoque Patres docuerunt. Eſt enim ea verè vox orthodoxi hominis apud Theodoretum in Α' τρίτῳ aduerſus hæreticum: Ἐγὼ γὰρ μόνῃ πείθομαι τῇ θείᾳ γραφῇ. Quare ex locis ſcripturarum obſcuris erui dogma nullum poteſt, aut debet, niſi alijs clarioribus ſcripturarum locis illa priùs illuſtrentur, ac confirmentur.

Quæcunque extra ſcripturas vel in Patribus, vel in Concilijs, vel in Pontificum de- 8
cretis leguntur, illa ſunt verbo Dei vel conſona vel diſſona, vel neque conſona neque diſſona. Quæ igitur ſunt conſona, ea retinenda ſunt: quæ autem diſſona, ea reijcienda ſunt: quæ verò neque conſona neque diſſona, in illis retinenda & ſeruanda eſt regula de adiaphoris: nimirum, vt primùm liberum ſit Eccleſijs ea vel admittere, vel non admittere. Deindè ſi admittant, ea tantùm admittant quæ ad ædificationem, aut ad ordinem, aut ad decorum in Eccleſia faciunt. Poſtremò, declarent illorum obſeruatione non ita obligari Chriſtianorum conſcientias, atque obſeruatione mandatorum Dei. Solo enim Dei verbo Chriſtianorum conſcientias per ſe & ſemper obſtringi.

Liberæ quidem debent eſſe Eccleſiæ in rebus adiaphoris: hoc eſt, in ijs quæ nullum 9
habent teſtimonium in verbo Dei. Illa tamen quæ iam indè ab initio naſcentis Eccleſiæ omnium Eccleſiarum conſenſu in Catholica Eccleſia vel ſemper, vel ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον obtinuiſſe ex probatis & antiquis ſcriptoribus certò cognoſcuntur: iſta, inquam, ſine iuſtis & neceſſarijs cauſis ex verbo Dei deſumptis, atque, ſi facultas detur, in generali & Chriſtiano Concilio explicatis, & ab eo approbatis, reijcere, atque ex Eccleſia profligare, Chriſtiani, & Dei timentis hominis, non eſt.

Contrà, Illa etiam quæ licèt neque ſuapte naturâ mala ſint, neque inutiliter in Eccleſia diù obtinuerint: tamen poſteâ longo abuſu in ſuperſtitiones & idololatrias verſâ ſunt: iſta (inquam) nolle vel penitùs exemplo Ezechiæ & Ioſiæ tollere, vel ſaltem, exemplo aliorum piorum regum, ita emendare & repurgare vt omnis idololatria & ſuperſtitio, & omnis ſuperſtitionis & idololatriæ occaſio tollatur; pertinacia eſt nullo modò probanda.

Summa. Concilia coguntur, vt reformentur Eccleſiæ. Eccleſiæ ſunt reformandæ ad formam omnium optimam.

Melior Eccleſiæ forma inueniri aut excogitari non poteſt eâ, iuxta quam Chriſtus per ſe & per ſuos Apoſtolos Eccleſiam initio conſtituit, ac conformauit. Qualis fuerit illa veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ forma tempore Chriſti & Apoſtolorum, liquidò & certò apparet ex libris Euangeliſtarum & Apoſtolorum: probabiliter autem ex reliquis poſt Apoſtolos antiquiſſimis Eccleſiaſticis ſcriptoribus. Ad illam igitur inprimis Eccleſiæ formam quæ in ſacris literis, præſertim in noui Teſtamenti libris, traditur; deindè ad illam etiam quæ in antiquiſſimis ſcriptoribus conſpicitur, quoad eius fieri poteſt, hoc eſt, quatenùs iſta non pugnat cũ illa, Eccleſiæ vniuerſæ in doctrina, in cultu, ac ceremonijs, & diſciplina reformandę ſunt, ita vt omnia ad prima principia & ad primos fontes reducantur: ſeu ita vt profligatis omnibus nouis Apoſtoliſque & Apoſtolicis Patribus, inauditis ac incognitis doctrinis, ac cultibus, vetera omnia, vetus ſcilicet doctrina, vetus cultus, veteres ceremoniæ, vetúſque diſciplina in Eccleſiam poſtliminio reuocentur. Sic Dominus per Ieſaiam cap. 1. promittens reformationem totius Eccleſiæ, & totius ciuitatis Hieroſolymæ docuit, dicens: *Excoquam ad purum ſcoriam tuam: & auferam omne ſtannum tuum: & reſtituam iudices tuos, ſicut fuerunt priùs, & ſeniores tuos ſicut antiquitùs. Poſthàc vocaberis ciuitas iuſtitiæ, vrbs fidelis.* Sunt igitur omnia ſtanna nouarum doctrinarum & nouorum cultuum tollenda, & reſtituenda eſt doctrina illa, & cultus ille, & diſciplina illa, quæ fuit ab initio, tempore ſcilicet Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum. Idem Dominus per Ieremiam ſic mandat, dicens: *Hæc dicit Dominus. State in viis, & circumſpicite, atque interrogate ſemitas antiquas, vbinam illa via bona ſit: in ea ambulate, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* Dominus etiam Ieſus Matth. 19. reformaturus matrimonium, Iehudæos ad primam matrimonij inſtitutionem reuocauit, dicens: (*A principio autem non fuit ſic.*) Innumera certè ſunt in Eccleſia, quæ à principio non fuerunt ſic: tempore ſcilicet Apoſtolorum. Sunt igitur ad formam veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ, omnes Eccleſiæ reformãdæ: & omnia tam cultus & diſciplina, quàm dogmata, non ad Lesbiam regulam humani iudicij, ſed lapidem Lydium diuini verbi examinanda.

Habes hic etiam (opt. Knolle) paucis comprehenſam ſententiam meam de prima vera Eccleſiarum reformandarum ratione: nempè de regula, ad quam omnia quæ in Concilio tractanda ſunt, examinari debeant. De altera verò, de legitima Concilij celebrandi forma, de cognitorum genere, deque cognoſcendi via, & ratione, iudicij mei explicationem in aliud tempus differo. Multa quidem ſicut de priore, ita etiam de hac poſteriore amicè inter illum Epiſcopum, & me vltrò citróque diſputata fuerunt: ex quibus facilè ſicut ego illius, ita ille meam intelligere potuit ſententiam. Cæterùm meam de forma Concilij tam breui ſcripto complecti, atque explicare, quo etiam meum de regula, ad quam omnia examinanda ſint, iudicium complexus ſum, propter temporis breuitatem non potui. In aliud igitur tempus vt differam, æquitas, vt vides, poſtulat. Vale, & munuſculum hoc meum animo te, hoc eſt, nobili & pio viro, digno, accipe.

En candide lector, tu audis docti & moderati viri de reformandæ Eccleſiæ ratione ſententiam paucis theſibus comprehenſam: quas etſi non videram anteâ, tamen in tota mea cum clariſſimo viro D. Theodoro Beza diſputatione, de Miniſtrorum Euangelij diuerſis gradibus, me fuiſſe ſequutum arbitror. Si tunc quandò meum Tractatum edidi hæ Theſes in meas manus veniſſent, eas alicubi inſeruiſſem, & confirmandis meis argumentis, etiam ipſius authoris verbis, ſicut ſum rationibus, vſus eſſem. Sed quia in vniuerſum generaliùs hæc poſita videntur, fieri poteſt, quandò particulariùs deſcendetur ad rem controuerſam, vt vtráque pars ea ſibi vendicet: & ita dubium remaneat iudicium, vtra pars has regulas ſequatur. Explicatiùs igitur quaſdam theſes percurram & præſenti argumento aptabo.

Quatuor

Quatuor priores theſes nihil continent quod inter nos controuerſum ſit. Quinta videtur ad rem propiùs accedere. Tametſi regulas illas nemo noſtrûm poſſit negare, in adſumptione ambiguus hærebit lector, qui in lectione veterum Patrum exercitatus non eſt: vel qui eorum conſenſum in aliqua re non tanti facit, vt debet. Sed qui vniuerſalis omnium locorum & temporum, vſque ad hanc ætatem, vſum, & ſenſum Eccleſiæ certum interpretem habet, ſequiturque, facilè intelliget diuerſos gradus Presbyterorum & Epiſcoporum in gubernatione Eccleſiaſtica eſſe ſecundùm Dei verbum, & ſemper fuiſſe; Proindè vbi vigent, non eſſe abolendos, & vbicunque temporum iniquitas eos aboleuit, aut non tulit, eſſe reſtituendos.

Summa eorum quæ hîc & alibi fuſiùs diſputaui, hæc eſt: Quòd melior nulla Eccleſiæ forma inueniri, aut excogitari poteſt illâ, iuxta quam Deus per Moſen in veteri teſtamento, & Chriſtus per ſe, & per ſuos Apoſtolos, Eccleſiam in nouo teſtamento conſtituit ac conformauit, ſicut in 12. habetur theſi. Sed liquidò & certò apparet ex ſacris libris, ſacerdotum & Leuitarum fuiſſe diuerſos gradus: & ex Apoſtolicis ſcripturis, & reliquis poſt Apoſtolos antiquiſſimis Eccleſiaſticis ſcriptoribus, Eccleſiam à prima ſua origine habuiſſe Apoſtolorum diuerſos gradus ab ipſo Domino inſtitutos, quibus & tertij adſcripti ſunt ab hominibus, & per homines miſſos: ſicut etiam Presbyteros & Epiſcopos inferioris & ſuperioris ordinis: ad illam igitur formam Eccleſia reformanda eſt.

Et quod nouos ſeniores, & temporarios attinet, ſeptimam theſim ſequor: quæ docet ex obſcuris ſcripturæ locis, qui nuſquàm planiſſimè & perſpicuè inueniuntur expoſiti, nihil populo proponendum vel definiendum, tanquàm ad ſalutem neceſſarium. Certum & perſpicuum ex ſcripturis canonicis hactenùs nullum fuit allatum teſtimonium, quo demonſtratur Apoſtolos, aut eorum proximos ſucceſſores inſtituiſſe Presbyteros in Eccleſia temporarios, qui verbi Dei Miniſtri non eſſent, quorum munus tantùm eſſet gubernare Eccleſiam. Non ſunt igitur habendi veri & Apoſtolici Presbyteri.

Porrò opes & poſſeſſiones agrorũ cum iure quod ad eas pertinet, ſimiliter dignitatis & honoris locum, quem in bene conſtituta Repub. Chriſtiana tenere conuenit Epiſcopos, inter adiaphora repoſui: eaque quæ neque verbo Dei prohibentur, neque expreſſè mandantur: modò quod iuris diuini & naturalis eſt retineatur: & ſacrorum præfectis ſuus reddatur honor. *Qui enim bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt: maximè qui in verbo laborant*. Quod de hac re nouum & vetus teſtamentum præcipiunt, naturæ lex docet. Et hæc omnia quanuis contra reuerendum virum Theodorum Bezam (qui inter primos noſtri ſeculi Eccleſiaſticos ſcriptores habetur) diſputata ſint; nihil ipſius ſcriptis detractum cupio, vbi verè & piè orthodoxam & catholicam Eccleſiæ Chriſti doctrinam propugnat. Dixit ille ſuam de hac re liberè, tanquàm in Eccleſiæ quodam vniuerſali Concilio, ſententiam. Dico & ego eadem libertate meam. Iudicent Eccleſiæ, & omnes quorum intereſt. Concilia generalia liberè poſſe conuenire cùm nulla aut exigua admodùm ſit ſpes, dicere de nouis controuerſijs ſuam ſententiam, liberum eſſe cuiuis æquum eſt, qui de ijs cognitionem aliquam habet. Vt olim à Patribus deciſas & definitas quæſtiones in dubium reuocare, temeritatis, & non tolerandæ audaciæ eſt: ita eas, quæ temporum occaſione natæ ſunt, diligenter examinare, nec temerè nouitati aſſentiri, ad ſtudium & officium boni Chriſtiani pertinet. Prudentum Regum, & ſummorum Magiſtratuum, & Principum eſt, conſenſum Theologorum veterum & recentium in dogmatibus videre, & contra omnium ſeculorum & locorum Eccleſiarum morem nihil ſub reformationis nomine recipere. Pleniùs & pluribus alibi hæc à me pertractata cùm ſint, plura hoc tempore non addam: præterquàm hoc vnum, me coram Deo in mea conſcientia non alio habere loco quàm ſchiſmaticorum illos omnes, qui in parte reformationis Eccleſiarum ponunt, nullos habere Epiſcopos qui authoritatis gradu ſupra veros compresbyteros emineant, vbi liquidò poſſunt haberi. Prætereâ cum D. Caluino, nullo non anathemate dignos cenſere, quotquot illi hierarchiæ quæ ſe Domino Ieſu Chriſto ſubmittit, ſubijci nolunt,

DE IMPERANDI AVTHORITATE, ET CHRISTIANA OBEDIENTIA, Libri Quatuor.

Authore

HADRIANO SARAVIA.

D. Paulus Apoſt. ad Rom. cap. 13.

Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ.



MDCX.

XUM

OMNIBVS PACIS ET TRANQVILLITATIS PVBLICÆ AMATORIBVS HA-

drianus Saravia S. P. D.

SAlomon in ſuo Eccleſiaſte inter cæteras mundi vanitates numerat & hanc, quòd faciendi libros plures nullus ſit finis; & taxat ſcripturientium morbum, qui nihil ſe ſcire arbitrantur, niſi quod ſciunt, illos ſcire alij ſciant. Si hodiè qui fuit olim morbus, aut nullus aut minor eſſet, mirarer, cùm ingraueſcente mundi ætate, vanitas humani ingenij ſenectæ delirio ſit facta fœcundior: vt hodiè non tantùm docti quæ ſciunt ſcribant, ſed etiam indocti quæ neſciunt. Magnæ nugæ magnis ornatæ titulis, mundo proponuntur; quas vbi quis legerit, pro ſperato theſauro inuenit carbones: ſed ferendum hoc, ſi non rarò ſub lapide ſcorpionem, & in herba latentem anguem. Verè hoc dictum eſt:

Scribimus indocti doctiq; poëmata paſſim.

Ne in eandem incurrerem reprehenſionem, bonorum authorum lectione contentus, viuere apud me aliquando ſtatueram; atque ita ſilentio quod mihi vitæ eſt reliquum tranſigere, & iudicium meum de aliorum ſcriptis mihi ſeruare: conſcius imbecillitatis humanæ cogitabam, idem mihi euenire poſſe, quod in alijs reprehenditur: idque adeò quòd magni nominis viros allucinatos interdum in ſcriptis ſuis fuiſſe conſtet. Deindè nihil ego mihi ad ſcribendum relictum eſſe rebar, cuius eſſet aliquod operæpretium: quidquid enim dici poteſt, iam olim dictum elegantiùs fuiſſe quàm à me præſtari poſſit. Quæ autem cauſæ me mouerint vt mutarem ſententiam, nihil attinet dicere: maluiſſem mihi magis plauſibilem ſcribendi materiam, ab omni inuidia & odio remotã dari. Scio enim quomodo excepta ſit mea Tractatio de diuerſis miniſtrorum Euangelij gradibus; nihil tamen eſt cuius me pudeat pigeatq;: vnum tantùm me malè habet, quòd in controuerſiis difficile ſit refutando omnium iudicijs ſatisfacere; & excogitare, qua in re quis hæreat, quidue moueat magis. Nam vt mihi videar conuicisſe aduerſarij errorem, & argumentando id effeciſſe; idem vt cuiuis videatur, cuius perſpecta mens non eſt, nec eſſe poteſt, haud eſt facile. Sed poſtquàm in hanc arenam pertractus ſum, nec mutare conſilium poſſum; Deum teſtor me ad publicam Eccleſiæ ædificationem ea euulgare, quæ vera & ſcitu neceſſaria iudico, ſine cuiuſquam inſectatione; propter contrariam ſententiam, liberum cuique ſuum relinquens iudicium. Mihi nullam fidem vlteriùs haberi poſtulo, quàm veris aut magis veriſimilibus documentis rem comtroverſam demonſtro: quod eo poſſum commodiùs, ac ſine periculo veritatis; quòd nominis mei nulla ſit authoritas, quæ præiudicium veritati adferat. Nullus enim noui dogmatis author ſum: nec noui quidquam adfero, quod ante me à viris doctiſſimis non fuerit dictum. Scio enim multo plures mecum ſentire, quàm cum ijs, quibus aduerſari audeo. Hodiè authoritas

regum

regum in quæstionem vocatur; & disputatur à multis, populi Ordinúmve potestatem superiorem esse regia: idque rationibus philosophicis & humanis, non Christianis, nec ex philosophia cælesti desumptis: & quod dolendum est, non sine magno populi Christiani offendiculo. Romanarum & Græcarum rerum historiæ, philosophorum atque oratorum lectio, tum propter styli elegantiam, tum etiam ob præclaras, & in speciem verisimiles rationes, iuuenum & aliorum quorundam, qui ea tantùm legunt, & non iudicant, priscorum morum legumq; ingenerat admirationem & desiderium: vsque adeò vt ad eorum normam recudendas censeant cùm cæteras omnes respublicas, tum in primis eas in quibus viuunt. Quando legunt Spartanorum Reges paruisse Ephoris, statim æquum censent, vt etiam hodiè nobilibus ac populo subijciantur reges, eorúmque obediant legibus & mandatis; sin recusent, & in tyrannos degenerent, vi & armis ad officium cogi oportere. Libri tam à nostris, quàm à Pontificijs de hoc argumento scripti, circumferuntur, quibus populum nobilésque ad arma vocant, quandocunque in tyrannos degenerare reges videbuntur. Quæ doctrina cùm sit contraria vitæ Christianæ præceptis, quæ Christus & Apostoli tradiderunt Ecclesiæ, & perniciem sit allatura regnis & rebusp. confutandam esse duxi. Vtinam feroculi isti scriptores, qui hinc inde classicum canunt, & subiectos contra suos reges armant, in prima collocarentur acie, primi manus cum hoste conserturi; & quam fortes sunt calamo & atramento, tam reipsa ferro, cum sui sanguinis & vitæ periculo sint in prælio. Vtinam domo, vmbra, & otio ad castra & belli miseriàs, non modo oculis videndas, sed etiam sentiendas extraherentur; quod ratio nequit, doceret experientia. Si tam facilè bellum geri & finiri posset, quàm facile suscipitur, bene esset. Sed bellum nihil differt ab incendio. quod extingui non potest vbi semel flamma inualuit, nisi subtracto ignis fomite & materia: quæ si perpetuò noua iniiciatur, perpetuum quoque incendium futurum est: paruæ quæ erant belli initio causæ, bellando crescunt; nec finis futurus est, antequàm pars altera alteram oppresserit, aut vtráque perierit, aut facultas bellandi vtrique amplius nulla restabit. Videte amentiam eorum, qui hodiè contra tyrannos scripsisse videri volunt, & à populo posse regnis expelli reges contendunt, & quàm male rerum statum, qui hodiè inter Christianos est, considerent; putà quàm contrarijs sententijs de religione sit distractus: & cùm inter tyrannidis præcipuas notas, impietatem & hæresim constituant, tyrannum à subditis regem habitum iri, quibus malè ac religione sentire iudicabitur: atque ita Pontificij suos ciues ad arma vocaturi sunt (vt vocant) contra regem quem hæreticum esse putant: & vicissim quidam ex nostris idem facient, contra Principem, qui pontificiæ Romanæ idololatriæ addictus, Euangelicam doctrinam admittere recusat. Porrò rem eò nunc deductam videmus, vt quemcunque dederis Principem, alteri parti subditorum suorum futurus sit tyrannus. Fateor quidem longè diuersis moueri causis, qui contra tyrannos scribunt, aut se scribere credunt: sed hoc nihil peccatum eorum minuit. Alij Romani Pontificis tyrannidis odio, in odium suorum Principum, qui tyrannum illum defendunt, ipsiusq; iugum subiectis imponunt, inciderunt: alij verò vt illius vnius mortalis impiam tyrannidem propugnent, legitimos & veros reges, quos vocant tyrannos, ferre nolunt: quippè quòd tyrannus alium tyrannum non patiatur. Isti tamen in suo Papa probant, quod in regibus displicet: qua autem fronte contra tyrannos scribant, qui teterrimi tyranni impotentissimam dominationem defendunt, ipsi viderint. Deus certè rem aliquando in iudicium vocabit. Sed inter hos & illos, aliud discrimen est: quòd veri Christianæ doctrinæ cultores suis Principibus, cuiuscunque sint religionis, fidi esse possunt; non item pontificius, qui per omnia Pontificis doctrinæ consentiat. Necessariò enim sua superstitione sui Principis hostis efficitur. Si doctrina hæc noua, philosophica & ethnica, verius quàm Christiana, locum obtineat, quis bellorum ciuilium, proditionum

tionum & rebellionum vnquam futurus est finis? Intolerabilis est impietas, testimonijs sacrarum literarum abuti, ad tam pestilentis erroris confirmationem, cùm nullæ gentium leges, nulla philosophorum instituta, perfectiorem, arctioremq; obedientiam subditis præcipiant, Euangelicâ doctrinâ. Patres, domini, Reges, natos, seruos, subditos, qui habent rectè Christi præceptis institutos: habebunt etiam semper fidos, & obsequentes, & ad omnia mandata semper paratos, ac dicto audientes, quamdiu nihil quod sit iniquũ & impium mandabunt. Sicubi in hac re peccatur, id nullo Christianæ doctrinæ vitio accidit; sed hominum, qui veritati non parent, & Christum ore confitentur, factis autem negãt. Inter cæteras quibus hodiè ab Ecclesiæ & veritatis inimicis, veri Christiani grauantur calumnias, hæc postrema non est, quòd nescio cuius libertatis prætextu, minùs dicto audientes sint suis magistratibus ciues, & parentibus nati, vbi vera Euangely doctrina est recepta, quàm apud eos qui adhuc papisticis erroribus immersi sunt. Cui calumniæ vtinam quorundam scripta nullam occasionẽ dedissent: rei veritas moribus vtrinq; probanda est. Si quid in hac re apud nos peccatur, totũ improbitati, non publicæ Ecclesiæ Christi doctrinæ imputandum est. Ab hac iniuria vt sese pij omnes vindicẽt, & tota vita & moribus contrarium vniuersõ orbi testatum faciant, sintq; pacis cultores, iniuriam accipere paratiores, quàm cuiquã inferre, & Christiani hominis præcipuam virtutem meminerint esse sitam in tolerantia, & submissione animi propter Deum; hæc scribo. Quum enim Deus conseruator sit humani generis, & societati colendæ hominẽ creauerit, virtutes eas, in primis coli vult, quibus ea conseruatur, deditq; potissimùm in nostra esse potestate. Quandoquidem duabus rebus constat humana societas, nempè imperio & obedientiâ; parere & subesse in cuiusuis situm est potestate; imperare verò solius est Dei, eorumq; quibus illam potestatem commisit. Quod multis præcipit facile est, & cuique obuium: quod paucis dedit, difficile & arduum: obedire & alterius imperio subesse, naturâ suâ facilius est, minusq; habet periculi quàm imperare: nescio tamen quomodo fit, vt obedientiam vulgò plerique omnes refugiant, tanquam ignobilem; & ad imperium adspirent, splendore externo, vulgiq; errore, non reipsa obedientiæ virtutem æstimantes: qui si scirent quanto sit plus mali in imperio, quàm in obedientia, aliud sentirent. Hoc autem meum opus eis dedico, ad quos pertinet superioribus parere, & se obsequentes præbere: quibus persuasum esse cupio, bello ciuili & rebellione contra principes etiam tyrannos, nihil esse pernicioſius, nihil periculosius, siue præsentem, siue futuram vitam respicias in qua quisque recipiet, quod in hac præsenti vita boni vel mali gesserit. Quod si id persuasero: Dei gloriam, & Ecclesiæ salutem promouisse, & regnis ac rebuspublicis multùm profuisse gaudebo, Deóq; gratias habebo, qui meo labori benedixerit: sin minùs, nec sic inutilem me nauâsse operam credam, qui apud impios testimonium relinquam doctrinæ Ecclesiæ Christi; quam ab hac infamiæ nota vindico, quòd seditiosa, summisq; imperijs sit inimica. Interea temporis candidum lectorem rogatum cupio, ne de his quatuor libris præcipitet sententiam, antequàm reliquos tres legerit. Si fortè opinionem, quam concepit ex lectione eorum, qui hoc argumentum tractârunt, nequeat adhuc deponere, plenius ex tractatione status & gubernationis optimatum, & popularis libertatis, veritas apparebit. Quod aduersarij constituunt regimen facilè admitto; sed argumenta refello, quibus monarchicam potestatem funditùs tollunt, rationibus & exemplis vsi, quibus id minimè demonstratur. Quæ vera sunt, & quibus aristocratia aut democratia stabilitur, ego non destruo; summa imperia in illis quoque gubernationum formis veneror: verùm ferendum non est vt cum rebusp. monarchiæ commisceantur, aut cum magno Ecclesiæ Christi scandalo, & omnium rerum perturbatione deleantur. Vale.

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK

PROLOGVS.

IN ſeptem libros digeſſi rationes imperandi varias, quibus officium obedientiæ ſubditos alieno imperio doceo, & argumenta depello, quæ homini animos inflare, & ad rebellandum eminentiori poteſtati excitare ſolent. Exordium capio à familia, & viri ac fœminæ coniunctione, quia inde omne imperium manauit: & formam quandam refert, vbi vir aut mulier cœlebs, aut vidua præeſt, triplicis monarchiæ, paternæ, regiæ, herilis. Inde tranſeo ad collegia & ſocietates, quæ imperandi parendique quibuſdam conſtant pactis, & legibus, ſine vllo ciuili publico imperio: atque ſic finem impono primo libro. Qui ſequitur, continet originem primam imperatorum, & diſtributione facta ſpecierum reip. toto libro de multiplici monarchia diſſero; & quis fuerit primus in orbe tyrannus, qui auitam & naturalem imperandi rationem perturbauit: & naturâ, Deo authore, non arte, aut hominum conſilio & iuuentione, imperia comparata eſſe ad ſalutem & conſeruationem humani generis: qui ſecùs iudicant, nunquam eam animi promptitudinem, ad parendum Magiſtratibus adferent, quam diuina inſtituta à pietatis cultoribus exigunt. In publico imperio conſtitutis, præcepta nulla trado; ſed priuatis & ſubditis cuiuſcunque ſint ordinis & dignitatis: quoniam officij alterius conſideratio ſegniores reddit homines, & ad proprium præſtandum tardiores. Et hæc eſt naturæ noſtræ prauitas, vt dum in alienis officijs enarrandis ſeſe occupat, illáque præſtari ab alijs æquum iudicat, ſuum negligat, nec reddere quod debet quicquam ſit curæ. Iniqui aliorum cenſores omnes ſumus, noſtri ipſorum cœci. Ad reges alio ſermonis genere opus eſſet: non enim ignorant quanta ſit ipſorum in ſubditos poteſtas, quæ ſint iura regia; & quæ debeat eſſe populi in ſuos reges obſeruantia. Populo hæc ſcribo, & eis qui hæc diſputãda populis non ſine detrimẽto propoſuerunt; eaque omnia duobus libris amoliri ſtudeo, quæ remorantur fidem & obedientiam regibus debitam. Tres reſtant libri, quos quàm potero breui editurus ſum: quintus de optimatum tractabit regimine; ſextus de ſtatu populari; poſtremus de poteſtate & adminiſtratione Eccleſiaſtica, quæ fuit ante datam legem, & ſub Moſe toto legis tempore; & ſub Domino noſtro Ieſu Chriſto, ab Euangelij promulgatione, vſque ad finẽ ſeculi, quando Dominus venturus eſt iudicatum viuos & mortuos. Sed nolim plura lectorem à me expectare, quàm finis quem mihi propoſui poſtulat: non enim ex profeſſo politeias tracto, nec ea quæ ad politeias pertinent, Philoſophorum & iuriſconſultorum quæ ſunt partes. Propoſiti operis ſcopus eſt, demonſtratis imperandi varijs generibus, docere eos quos alieno Deus ſubiecit imperio, debitum quibuſcunq; ſuperioribus parendo exhibere honorem.

Qui plura deſiderat, habet veteres & recentes politicorum Scriptores, à quibus quæ in his libris deſunt petere poteſt.

INDEX

INDEX CAPITVM.

PRIMI LIBRI.

CAP. 1.

Animi impotentia & feritas, falsò creditur ingenuæ libertatis amor.

CAP. 2. *Colendæ societati tanta est imperandi parendique necessitas, vt nec inter duos diu constare possit, nisi alter imperet, alter pareat.*

CAP. 3. *Homines naturâ non nascuntur liberi.*

CAP. 4. *De mariti potestate & officio.*

CAP. 5. *De patris potestate & officio.*

CAP. 6. *De potestate & officio eorum, qui loco parentum sunt, & sub patre familiâs præcipiendi habent potestatem.*

CAP. 7. *De collegiis & societatibus, & eorum qui præfecti sunt authoritate.*

CAP. 8. *Quæ sit vxoris conditio & officium, quatenus imperio mariti parere teneatur.*

CAP. 9. *Imparitas coniugum ordinem coniugii perturbat.*

CAP. 10. *Naturæ lege nati parentibus subiecti sunt.*

CAP. 11. *Quibus modis minuatur patria potestas.*

CAP. 12. *Quæ nati, qui magistratu fungitur, debeat esse erga parentem priuatum reuerentia.*

CAP. 13. *Natis nec nubendum, nec ducenda vxor clam parentibus & inuitis.*

CAP. 14. *Coniugium insciis & inuitis parentibus contractum, firmum publicis legibus, patria authoritas non rescindit.*

CAP. 15. *Publicæ leges priuatæ authoritati parentum derogant.*

CAP. 16. *Culpatur natorum inobedientia, & parentum morositas circa nuptias.*

CAP. 17. *Contra eos, qui parentum authoritatem in nuptiarum negotio eleuant, disputatio.*

CAP. 18. *Coniugium non liberat natos ab officiis debitis parentibus.*

CAP. 19. *Natis cauenda parentum iusta offensio. Vota, preces, & consilia parentum sunt natis veluti quædam diuina oracula.*

CAP. 20. *Nati seruire, & necessaria parentibus ministare, lege Dei & naturæ obligantur.*

CAP. 21. *Exempla pietatis natorum in parentes.*

CAP. 22. *Natis parentes sacrosancti & inuiolabiles sunt.*

CAP. 23. *Exempla barbaræ crudelitatis natorum in parentes.*

CAP. 24. *Iusta patri causa esse potest inferendæ nato necis; ipsi verò, vel vt tantùm pulset parentem, nulla.*

CAP. 25. *Filius vocare in ius patrem sine impietate non potest.*

CAP. 26. *Contra patrem filius non est temerè audiendus.*

CAP. 27. *De tutoribus & eorum potestate.*

CAP. 28. *De pueritiæ & primæ adolescentiæ formatoribus.*

CAP. 29. *De seruitute & herili imperio.*

CAP. 30. *Vnde primùm seruitus nata sit.*

CAP. 31. *Quod sit seruorum officium.*

CAP. 32. *Sublata seruitute corporum remansisse seruilia quædam onera.*

CAP. 33. *De famulis, liberis, & mercenariis.*

CAP. 34. *Oeconomis in magnis familiis & architectis operum parendum esse.*

CAP. 35. *Legibus & censuris collegiorum, & societatum mercatorum, & artificum parendum.*

CAP. 36. *De Academiis & collegiis literatorum, qui liberales scientias & disciplinas profitentur, eorúmque priuilegiis.*

CAP. 37. *De Collegiis, & societatibus Prophetarum, Sacerdotum, Leuitarum, Apostolorum, & Episcoporum Ecclesiæ Christi.*

CAP. 38. *In corpora & fortunas Christianorum Episcopi nullam habent potestatem, nisi quam à ciuili magistratu acceperunt.*

CAP. 39. *De collegiis Presbyterorum, qui canonici olim Decani vocabantur.*

CAP. 40. *De collegiis monachorum & cœnobitarum.*

CAP. 41. *Priscos monachos nullis peculiaribus regulis aut institutis fuisse adstrictos.*

CAP. 42. *Nostri temporis monachorum mores & instituta.*

CAP. 43. *Quibus gradibus monachi desciuerint à priscorum vitæ sanctitate.*

INDEX CAPITVM.

CAP. 44. *Obedientiâ & communis vtilitatis studio partas esse & conseruatas Monachorum & Cœnobitarum opes.*
CAP. 45. *Transitus ad sequentem librum.*

SECVNDI LIBRI.

CAP. 1. *Homines multis necessitudinum vinculis deuinciuntur, sed illud perpetuum quod imperio constat.*
CAP. 2. *Imperii partes & sunt plures, & variæ formæ; sed quæcunque est, summa potestate habet opus.*
CAP. 3. *Quæsit & quanta suprema potestas, quódque omnes alias quæ sunt in eadem rep. sub se contineat, & quòd legibus exempta leges ferat, & cum maiestate coniuncta sit.*
CAP. 4. *Quibus modis hæc potestas acquiratur, & à quo conferatur.*
CAP. 5. *Deus regna dat bonis & malis citra vllum discrimen sexus, ætatis, aut conditionis.*
CAP. 6. *Summum imperium diuersitatem accipit ab ijs quibus committitur; vnde tres legitimi imperii constituuntur differentiæ.*
CAP. 7. *Summum imperium vni committi non minùs tutò posse quàm paucis Principibus, aut populo vniuerso. Illudq; non esse metiendum extensione locorum & regionum.*
CAP. 8. *Misceri non posse tres imperiorum formas.*
CAP. 9. *Quatuor sunt imperii monarchici differentiæ.*
CAP. 10. *De prima imperiorum origine falsæ opinionis confutatio.*
CAP. 11. *Ex sacra historia docetur vera imperii origo, & quòd non hominum fuerit inuentio, sed Dei & naturæ constitutio; & prima imperia fuisse paterna.*
CAP. 12. *Paterno imperio successisse regium non electione populi, sed hereditaria successione.*
CAP. 13. *De iis qui summum imperium proximè à Deo acceperunt, nominatim ab ipso Deo vocati, in quos populum vllam habuisse potestatem dici nulla ratione potest.*
CAP. 14. *Gentes nihilo plus potestatis in suos habere reges, quàm populum Dei.*
CAP. 15. *Reges interdum certis legibus eliguntur, in quos non transfertur imperium, sed tantùm communicatur, manentque maioris potestatis subiecti imperio.*
CAP. 16. *Populus Romanus iudicauit reges esse solutos legibus, quando decretum quo summum imperium tradebat imperatori, legem vocauit regiam.*
CAP. 17. *Notum esse debet penes quem sit summa reip. potestas: summum imperium nullis potest legibus tradi quæ illud tollant.*
CAP. 18. *Quòd herile imperium sit iustum, & seruitus sub eo non sit naturâ suâ iniusta.*
CAP. 19. *Discrimen inter dominationem regiam & herilem.*
CAP. 20. *Regia dominatio suam quandam similiter adfert seruitutem.*
CAP. 21. *Quid tyranni vocabulum significet.*
CAP. 22. *Tyrannidis mala definitio refellitur.*
CAP. 23. *Alia definitio mala tyranni confutatur.*
CAP. 24. *Quis verus tyrannus, & quid sit tyrannis, & quot eius partes.*
CAP. 25. *Primus ad tyrannidem gradus est supra cæteros excellendi amor.*
CAP. 26. *Regnandi gratiâ iuris violatio secundus ad tyrannidem gradus.*
CAP. 27. *Quæ sit tyrannorum crudelitas.*
CAP. 28. *Tyrannorum luxus & libido.*
CAP. 29. *Tyranni prodigi sunt & auari.*
CAP. 30. *Tyranni sunt in Deum impii.*
CAP. 31. *Vnde primùm nata sit tyrannis, & quis primus in orbe fuerit tyrannus.*
CAP. 32. *Tyranni puniendis hominum peccatis sunt mundo necessarii.*
CAP. 33. *Magnum est inter tyrannos discrimen.*
CAP. 34. *Quædam tyrannides vbi transeunt in legitimum principatum, nefarium est violare tyrannos.*
CAP. 35. *Sunt tyrannides quæ mutari in legitimum statum nequeunt.*
CAP. 36. *Impius regibus etiam est obediendum, nisi quidpiam iubeant quod diuinis aduersetur mandatis.*
CAP. 37. *Tyrannides quædam ab impietate in Deum natæ sunt, & cum ea sic coniunctæ, vt eis parere nemo queat, quin fiat impietatis particeps.*

CAP. 38.

INDEX CAPITVM.

CAP. 38. *Quibus sub Ottomanico imperio viuere datur sine impietate, ab eo deficere, aut eum prodere non licet. Iure Scanderbeius ab Amurathe defecit, eíque bellum intulit.*

CAP. 39. *Fidem suam Romano Episcopo nemo obligare potest, quòd sine impietate quis ei subiici aut tanquam Episcopo, aut tanquam Principi nequeat.*

CAP. 40. *Christianorum principũ & Episcoporum qui ciuilẽ potestatem exercent, imperio parere, nihil habet impietatis. Papæ Romani, Mahumetis, Caliparũ, Iohannis Leidani alia est ratio.*

CAP. 41. *Tametsi perpetua sit Ottomanici imperii iniuria in Christianos, non tamen fœdera cum eo inita violare, Christianis est integrum.*

CAP. 42. *Diuersa contrariaque religio non est iusta vicinis belli inferendi causa.*

CAP. 43. *Necare tyrannum priuatis non licet, nisi mandet is, cui per leges in tyrannum ius est.*

CAP. 44. *Tyrannorum cades, plerúmq; sunt reip. funestæ, & hoc nomine plures reip. vtiles principes fuisse sublatos, quàm pernicioſos, exempla docent.*

CAP. 45. *Apostolica doctrina iubet quosuis Christianos cuiuscúnque sint gradus, aut ordinis, tyrannicis potestatibus parere.*

CAP. 46. *Refellitur depravatio loci Paulini capitis decimi tertii Epistolæ ad Romanos.*

CAP. 47. *Rationes aduersæ partis confutantur.*

CAP. 48. *Aliud argumentum quo Apostolica præcepta eluduntur, refellitur.*

CAP. 49. *Excommunicatio priuat tantùm hominem externa visibiliq; societate quam fideles Christiani habent inter se, manentibus cæteris societatis humanæ vinculis.*

CAP. 50. *Quòd Episcopus Romanus reges excommunicandi ius, & ab eorum obedientia subiectos absoluendi vsurpat, aperta tyrannis est.*

CAP. 51. *Soluenda sunt tributa regibus, eosq; fraudare, grauius est peccatum vulgari furto, quo priuati damno afficiuntur.*

CAP. 52. *Constitutionibus ciuilis magistratus de rebus Ecclesiasticis, Ecclesiarum Pastores & reliqua plebs obedire tenentur.*

CAP. 53. *Compendiosa disputatio contra eos, qui rebus mediis ad ornatum & ordinem decorum, & Ecclesiasticis constitutionibus magistratuum obsequi detrectant.*

CAP. 54. *Exempla obedientiæ: & duris imperiis, quæ nihil continent impietatis, esse obtemperandum.*

CAP. 55. *Non est temerè de regibus & principibus iudicandum: nec curiosius priuatis hominibus in eorum facta consiliáque inquirendum: temperandum est à conuitiis & maledictis in principes ac magistratus, & modeste, quicquid peccant, ab iis, quorum hoc munus est, reprehendendum.*

TERTII LIBRI.

CAP. 1. *Ab episcopali benedictione, & iureiurando regũ demonstrare quidam volunt, reges iure successionis hæreditariæ, aut electionis, non cõsequi plenum ius regni, nisi ea etiã accedant.*

CAP. 2. *Ad rationes & argumenta superioris capitis respondetur, docetúrque; imperatores & reges plenum ius imperij, vel regni, consequi ab ipsa electione, & natiuitate, etiamsi nec coronentur ab Episcopis, nec quicquam iurent.*

CAP. 3. *Quamuis in mutuis pactis inter partes contrahatur obligatio, non est necesse vtram q; partem iurare.*

CAP. 4. *Ex iure pontificio probatur, coronationem nullum conferre ius quod ante coronationem non habebatur.*

CAP. 5. *Sententia Nicolai Cusani.*

CAP. 6. *Henricus quintus in sua coronatione Papæ iurare noluit, & quid causæ sit cur imperatorum electioni Papæ non tantum tribuunt iuris, quantum sua.*

CAP. 7. *Ante coronationem adiri regni possessionem ex recepto vsu, multis docetur exemplis.*

CAP. 8. *Regum quorundam iuramenta duo continent, quorum alterum ad regum officium, etiamsi nihil iurent, pertinet; alterum est, quo derogatur regiæ potentiæ.*

CAP. 9. *Reges non esse dominos regnorum suorum, sed tantùm curatores, ex verbo Dei falsum esse conuincitur; & liberis votis reges electos, aut natos à populo expeti, falsum.*

CAP. 10. *Episcoporum consecratio nihil regibus dat authoritatis, & fabula est à S. Remigio Clodoueum fuisse vnctum: ex formula tamen consecrationis nihil aliud efficitur, quàm iure reges esse antequam consecrentur.*

INDEX CAPITVM.

CAP. 11. *Potestas regia in regnis hæreditariis est à sola generatione.*

CAP. 12. *Ementita & conficta iuramenti formula, & fabula de ampulla, & cœlesti liquore confutantur: & ius sacrandi reges, quod Rhemenses Episcopi prætendunt, nullum esse demonstratur.*

CAP. 13. *Coronatio Episcopalis falsò adseritur tollere de regno controuersiam.*

CAP. 14. *Prestigiæ Pontificiorum Episcoporum in coronatione regis permutatione gladiorum, quando rex abiecto seculari militiæ gladio, ab Episcopo cingitur Ecclesiastico.*

CAP. 15. *Rex quidem à subiectis recipitur, sed non confirmatur : si naturâ qui imperet non sit idoneus, procuratio regni agnatis committetur.*

CAP. 16. *Sponso regem electum, aut natum coronatum marito ineptè comparari; & hæresim esse affirmare, regem illum esse tyrannum & inuasorem, qui possessionem regni suscipit absque Episcopali consecratione, & iureiurando. Nazianzeni authoritas retorquetur in Romanum Episcopum, & impudenter Henrici primi, & Ottonis exempla adferri, reprehenditur.*

CAP. 17. *Cur Episcopalem coronationem tanti faciant Romanistæ Episcopi. Falsæ adsertiones de iure Romani Episcopi in exauthorandis regibus refelluntur.*

CAP. 18. *Contraria positio, quâ regum authoritas supra Episcopos adseritur.*

CAP. 19. *Loca sacrarum literarum, quæ aduersarii citant confirmando suo errori, probant contrariam positionem.*

CAP. 20. *Vetus Israelitica Ecclesia nullos vnquam reges excommunicauit, & quæ ex sacris historiis testimonia proferuntur, vt ius excommunicandi reges probetur, aliena sunt; & sententiã contrariam confirmant esse manifestè veram.*

CAP. 21. *Ahiæ vaticinium contra familiam Ieroboami: Quod Asa Maachan auiæ sacerdotium abroganit, & Azarias sacerdos Oziam templo eiecerit, & in Athaliam Ioiada coniurauerit, excommunicandi aut reges exauthorandi non docet Ecclesiã, vel sacerdotes habere potestatẽ.*

CAP. 22. *Quod ignis cœlitùs missus milites Ochoziæ consumpsit, & Elias Baal sacerdotes interfecit, & Eliseum in Prophetam, Iehu in regem Israelis, & Hazaelẽ in regem Syriæ vnxit, non probat reges constitui, aut destitui posse ab Episcopis.*

CAP. 23. *Testimoniis Prophetarũ impudenter abutuntur Pontificii, vt probent prædictum fuisse olim Ecclesiam noui Testamenti reges regnis spoliandi potestatem habituram.*

CAP. 24. *Ex locis quibusdam noui Testamenti frustrà Romanistæ eandem potestatem probare conantur.*

CAP. 25. *Potestas Apostolorũ tantùm fuit spiritualis, quemadmodũ Christi regnũ est spirituale.*

CAP. 26. *Numerianus, & Theodosius non fuerunt excommunicati.*

CAP. 27. *Arcadius ab Innocentio non fuit excommunicatus : si quod quidam narrant de Leone Isauro, & Gregorio secundo verum est, Gregorius ab impietate in Deum, & perfidia in Dominum suum non potest excusari.*

CAP. 28. *Zacharias non deposuit Childericum, nec regnum Francorum ad Pipinum transtulit.*

CAP. 29. *Leo non trastulit à Græcis imperium ad Francos : si tentatum id ab eo est, sicut quidam volunt, nullo iure id fecisse potuit.*

CAP. 30. *Bellarmini duæ potissimùm rationes, quibus ius Romani Papæ in reges & eorum regna se docere putat.*

CAP. 31. *Responsio ad Bellarmini rationes exponitur. Nazianzeni sententia, qui suam Episcopalem authoritatẽ supra regiam potestatem non extulit eo sensu, qui allegatur à Bellarmino.*

CAP. 32. *Falsum est potestatem ciuilem esse tantùm terrenam & humanam, quum cœlestis & diuina non minus sit quàm Ecclesiastica.*

CAP. 33. *In Christiana rep. idem est finis ciuilis potestatis, qui est Ecclesiasticæ.*

CAP. 34. *Legibus diuinis ciuilis potestas æquè nititur, atque Ecclesiastica.*

CAP. 35. *Ciuilis potestas est reip. instar animæ, sicut est Ecclesiastica.*

CAP. 36. *Rex imago Dei est sicut Episcopus Christi: & tanto excellentius Christi gloriæ imaginem refert, quo Christi gloria iudicis, & mundi rectoris, maior quàm mediatoris.*

CAP. 37. *Sacerdotii præcipua pars relicta regibus.*

CAP. 38. *Iudicium de moribus Ecclesiasticæ potestatis est, in quo tamen si quis sit læsus, ad regem ipsiúsque delegatos recurrere poterit, & ab eo restitui.*

CAP. 39. *Confutatio capitis, Vnam sanctam Ecclesiam. Extra. de maioritate, & obedientia, vbi Bonifacius octauus seipsum suámque pontificiam dignitatem effert supra omnem aliam quæ in terris in aliquo habetur pretio.*

CAP. 40.

INDEX CAPITVM.

CAP. 40. *Benedictio Episcopalis non arguit Regem Episcopum esse maiorem.*

CAP. 41. *Quæ facta scriptaque sunt à Romanis Pontificibus, testimonia non sunt idonea, probando iuri de quo controuertitur. Henricus quartus primus fuit Imperator quem Papæ ausi sunt excommunicare, & imperio spoliare.*

CAP. 42. *Compendium historiæ Henrici quarti qui primus fuit quem Episcopi Romani regno deiecere ausi sunt.*

CAP. 43. *Henrici quarti filium Henricum quintum, patri surrogârunt Episcopi, & contra patrem excitârunt.*

CAP. 44. *Historia Friderici primi, & quæ fuerint ipsius hæreses.*

CAP. 45. *Malos reges & tyrannos excommunicatos subiectus populus non semper deseruit, nec deserendos iudicauit: multo minùs bonos, qui tantùm odio & impotenti tyrannide Romani Episcopi fuerant excommunicati.*

CAP. 46. *Primis Ecclesiæ temporibus Imperatores nec reges quantumuis mali, & impii, tyranníque ab Episcopis non leguntur societate Christianorum eiecti.*

CAP. 47. *Quando Episcopi Romani reges excommunicandi sumere cœperunt audaciam.*

CAP. 48. *Excommunicatione vtendum ad Ecclesiæ ædificationem: quòd si ex ea plus mali quàm boni expectatur, est eâ supersedendum.*

CAP. 49 *Gregorius septimus sibi non constat in excommunicatione, coactúsque est incendia fulminum suorum nonnihil restinguere.*

CAP. 50. *Quòd reges excommunicare, aut alios penes quos residet summum reipublicæ imperium, verbo Dei aduersetur.*

LIBRI QVARTI.

CAP. 1. *Sacramenti religio, qua Rex Poloniæ in sua coronatione se astringit, periculi plena.*

CAP. 2. *Quis sit status regni Polonici.*

CAP. 3. *Apud quos ex pactis conuentis, quæ mutuo ac solo consensu inter partes contrahuntur, nascatur obligatio: & quòd inter regem & populum quæ est obligatio, non nascatur ex partium mutuo, sólóque consensu.*

CAP. 4. *Quibus est regis creandi potestas, iisdem non competit ius exauthorandi, etiamsi violentur essentiales conditiones, ob quas Rex eligitur.*

CAP. 5. *Alia noua potestate opus est electoribus ad deponendum iam creatum regem.*

CAP. 6. *Nihil stipulandum à regibus in eorum coronatione, nisi tantùm ea quæ lege Dei & iure gentium tenentur obseruare.*

CAP. 7. *Contractus & conuentionis inter regem & populum, quæ sint conditiones essentiales.*

CAP. 8. *Aduersariorum Regiæ potentiæ argumenta referuntur ad duo summaria capita: primum refellit rationes quibus probare conantur reges esse subiectos legibus; alterum, quibus procerum populíq; potestas supra reges adseritur.*

CAP. 9. *Quo sensu teneatur Rex legibus, quibus regnat, atiàs ab omnibus legibus ciuilibus solutus.*

CAP. 10. *Reges potestatem iudicibus facere possunt, vt de prædiolis, & de rebus ad fiscum regium pertinentibus iudicent, secundùm leges & regni iura, sed non de parricidio, aut alio quouis crimine, si quod commiserint.*

CAP. 11. *Tametsi Reges legibus soluti sunt, tamen secundùm leges viuunt.*

CAP. 12. *Argumentantur, reges Persarum & Medorum sua decreta non potuisse reuocare, & subiectos fuisse suis legibus, similitur reges Anglorum teneri decretis suorum Parliamentorum.*

CAP. 13. *Maior est regum authoritas in subiectum populum, quàm fuit olim Romanorum Cæsarum, in populum Romanum.*

CAP. 14. *Absurdum est adserere, leges latas esse coërcendis regibus: leges & priuilegia quibus accisa est regum potentia, profecta sunt ab ipsis regibus.*

CAP. 15. *Quòd Episcopus Romanus olim vixit subiectus canonibus Ecclesiæ, & quòd Imperatoriæ leges cedunt sacris canonibus, non arguit reges subiectos esse legibus ciuilibus.*

CAP. 16. *Mala populi definitio reiicitur, & bona confirmatur: & quæ sit liberi populi potestas in rep. quæ autem in regno sub regum imperio, declaratur.*

CAP. 17. *Deum cuiq; populo sui regendi potestatem fecisse, & inde natam esse imperiorum diuersitatem, est falsum.*

INDEX CAPITVM.

CAP. 18. *Deus populo Israelitico sui regendi nunquam liberam potestatem fecit.*

CAP. 19. *Depravata ex historijs sacris & aliis scriptoribus testimonia, in falsum sensum detorta, vt demonstretur reges accipere à populo leges, confutantur.*

CAP. 20. *Quòd Imperator, caterique Reges & Principes in sua inauguratione iurant se secundùm leges regnaturos, interpretandum non est reges à populo leges accipere.*

CAP. 21. *Reges olim multis propositis legibus absolutè regnârunt.*

CAP. 22. *Non est magis metuenda vnius regis tyrannis, quàm populi, aut optimatum.*

CAP. 23. *Formula iuramenti regis Arragonum.*

CAP. 24. *Refellitur argumentum quo docere conantur populi authoritatem esse maiorem, quàm sit regis, quia magistratus creati sunt propter populum, non populus propter magistratum.*

CAP. 25. *Falsum est quod quidam disputant, reges à Deo electos, à populo debuisse constitui, vt quod habeant potestatis, secundùm Deum populo acceptum ferrent.*

CAP. 26. *Regnum Israeliticum non fuit populi, sed Dei. In suos ergo reges nihil habebant potestatis, nec populo illud acceptum ferre poterant.*

CAP. 27. *Confutatur opinio eorum qui putant regnum Iudæ stirpi quidem fuisse hæreditarium, sed personæ electiuum.*

CAP. 28. *Ex historiis sacris quæ adferuntur exempla coniurationum in reges, non probant id esse iure factum.*

CAP. 29. *Argumentum sumptum ex iure Cæsareo de duobus promittendi reis refutatur.*

CAP. 30. *Populo non imputatur quod peccant reges, nec propter eorum peccata puniuntur, nisi digni sint, qui simul cum suo rege affligantur.*

CAP. 31. *Distributio subditorum in tria genera admittitur; & quòd de priuatis hominibus concedunt aduersarii, probatur conuenire etiam subalternis magistratibus.*

CAP. 32. *Lex feudorum quæ vassallum eximit ab officiis debitis Domino, propter ab eo in ipsum commissam feloniam, ostenditur non habere locum inter regem & subditos.*

CAP. 33. *Principes qui superiorem agnoscunt dominum, tamen potestatem habent & imperium non delegatum, sed proprium, possunt se & suos contra iniuriam & vim à Domino illatam defendere, sed non eum vltrò lacessere.*

CAP. 34. *A rege non appellatur, quia superior in regno ipso rege nemo est.*

CAP. 35. *Quamuis Episcopus Romanus subesse debeat decretis Conciliorum, & possit à Cõcilio deponi, non tamen inde sequitur eandem populum habere potestatem in suum regem.*

CAP. 36. *Eodem iure subsunt populi regibus, quo nati suis parentibus, liberti patronis, serui dominis.*

CAP. 37. *Non eadem est multitudinis potestas in regem, quæ regis in multitudinem.*

CAP. 38. *Tyranni nullo iure necari aut eiici à populo possunt.*

CAP. 39. *Non eadem est ratio tyranni, & latronis publici, aut hominis furiosi.*

CAP. 40. *Sententia Philosophorum, & quorundam Scholasticorum, asserentium licitè & meritoriè tyrannum occidi per quemcunq; subditum, condemnata fuit in Cõcilio Constantiensi.*

CAP. 41. *Arma Principum Protestantium Galliæ sumpta fuere ad regis sui defensionem.*

CAP. 42. *Nulla est causa, cur tantoperè vnius metuatur tyrannis, qui sibi suo nocet exemplo, & exitium accersit.*

DE

DE IMPERANDI AVTHORITATE, ET CHRISTIANA OBEDIENTIA,

Liber Primus.

CAPVT I.

Animi impotentia & feritas, falsò creditur ingenuæ libertatis amor.

CVM à me instituatur disputatio de imperandi authoritate & obedientia, ab amore libertatis, qui fallaci quadam specie honesti pugnat (quamuis diuersè) cum vtrisque, mihi exordiendum est. Ipse enim est, qui omnem rerum à Deo constitutum ordinem euertit, ac res humanas vbique perturbat. Quàm autem sit pestilens, pauci mihi animaduertisse videntur.

Vulgò defendi libertas, & summis laudibus efferri solet, tanquàm in ea sita sit humanæ vitæ prima fœlicitas: cùm tamen ipsa plerumque nihil aliud sit quàm animi indomiti fera & superba quædam peruicatia, alieno imperio subijci, ac parere detrectantis: quæ non aliundè nascitur, quàm ex illo fonte omnium malorum, sui ipsius admiratione, qua primus parens à Deo defecit, & ad Satanam transijt. Ex tædio diuini imperij profecta est generis nostri calamitas: molestum enim erat primis parentibus parere Deo, eique subijci. Volebant ipsimet esse dij, & subiecti nemini. Non contenti cognitione rerum quam Deus ipsis summam dederat, scire voluerunt, quod eos latere Deus volebat: & illi sciendi cupiditati coniuncta appetito quædam fuit principatus: vt ipsi quidem principes essent omnium animantium, nulli interim, nec ipsi quidem rerum creatori & Domino subiecti. Sunt enim illa duo indiuiduo nexu simul cõiuncta. Scientia inani lethalique superbiæ tumore, nisi reuerentiæ & dilectionis Dei ἀλεξατήριον adsit, animos inflat. Hinc fit vt rarò viri singulari præditi eruditione, vel qui eam de seipsis habent opinionem, inueniantur, qui sint humiles, nec altos gerant animos.

Cicero intellexit veri sciendi cupiditati adiunctam esse appetitionem quandam principatus. Sed in ea latentem malitiam non perspexit, quandò animo à natura benè informato tribuit, quod in homine est deterrimum; nempè [a] *vt nemini parere animus bene à natura informatus velit, nisi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis causâ iuste & legitimè imperanti.* Quibus verbis morbum animi simulac detexit, subitò rursus retexit. Quod nemini parere velit animus principatus appetens, rectè quidem: quod verò subiungit, id esse animi benè informati à natura, meo quidem iudicio malè. Exceptio addita, nempè nisi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis causâ imperanti, morbum prodit; & cur pareat, homo indicat, qui aliàs non esset pariturus, nisi præmium obedientiæ esset propositum vtilitas.

[a] Cic. offic. 1.

Principatus appetitio, & alieni imperij detrectatio, à praua animi constitutione, non ab vlla virtutis informatione proficiscitur. Suum spectare commodum in præstando officio, potiùs quàm honestum, nihil aliud est, quàm quædam versuta malitia.

Nos verò diuinis præceptis docemur, lubenti animo etiam iniustè & illegitimè imperantibus, cum damno & detrimento proprio, esse parendum; & duris parentibus à natis; iniquis dominis, à seruis; regibus & tyrannis à subiectis, deberi obedientiam.

Libertatis studium (si cui rem propiùs intueri lubeat, & latentes animi recessus excutere) potiùs à belluina quadam feritate & ferocia, quæ cicurari, & ad vsum & arbitrium alterius inflecti se non patitur, quàm à vero mentis iudicio prouenire inueniet. Quod in cæteris videmus animantibus, accidit hominibus. Leones, tygrides, pardos, lupos, & onagros

onagros, ad manſuetudinem formare eò difficilius eſt, quo naturâ efferatiores ſunt: & contrà, quæ minus habent feritatis, vt ſunt equi, boues, capræ, oues, & canes, facilè cicurantur, & nobiſcum viuunt, magnumque ſui cum ſua ipſorum vtilitate præbent vſum. Sic homines quibus benignius & manſuetius ineſt ingenium, faciliùs flectuntur vt pareant, & aliorum inſeruiant commodis.

Homines verò feri & agreſtes, atque ab omni humanitate alieni, citiùs franguntur, quàm flecti aut domari poſſint. Non enim intelligunt Dei prouidentia mundum regi; & conſtituiſſe, vt alij præſint, alij ſubſint: non illi quidem qui nobis maximè probantur, & videntur digni qui imperent; ſed quos ipſe dederit, quicunque illi ſint: proindè æquum eſſe, eorum ſubeſſe dominio; Deoque, & neceſſitati quam imponit hominibus, parere: ſed cœco propriæ voluntatis feruntur impetu, & belluino more in proprium ruunt exitium.

In ſchola Chriſti qui benè inſtitutus eſt, quam ipſi Deus perſonam impoſuerit, ſpectabit, non quid lubeat, arrideatque magis animo ſuo: & ſibi traditas partes, in hac mundi ſcena, cum timore Domini quàm poterit ſcitiſſimè peraget.

Quemadmodum autem feritas aliena eſt ab hominis natura, ita humanitas ei peculiaris eſt virtus. Ea in ſe manſuetudinem & benignitatem complectitur: quibus qui præditus eſt, facilè ſe accommodabit rebus maximè contrarijs, imperio vel ſeruituti. Quandoquidem Rector vniuerſi, ſeruituti omnia ſubiecit, non iudicabit ſeruitutem rem eſſe indignam homine.

Cœlum, æthera, maria, & tellus, quicquid prætereà in ipſis mouetur, homini famulantur. His etiam inferioribus rebus, ſol, & luna, & reliqua omnia aſtra, non ſibi lucent. Imò & ipſi Angeli in miniſterium miſſi dicuntur electorum Dei. Et quod his omnibus maius eſt, æternus Dei filius patri ſuo æqualis, habitum ſerui induit, & in mundum venit, vt ſeruiret, non vt ei inſeruiretur: & homo ſuperbit, atque indignum arbitratur cuiquam vt inſeruiat? Alium nos habere animum diuus Paulus vult quando Philippenſes adhortatur,

a Phil. 2. *a vt is affectus eſſet in illis, qui fuit in Chriſto Ieſu: qui cum eſſet in forma Dei, & non duxiſſet rapinam parem eſſe cum Deo: Ipſe tamen ſe exinaniuit formâ ſerui acceptâ, ſimilis hominibus factus.* Primatum & excellentiam diſcipulorum ſuorum, Dominus ſitam eſſe vult in ea demiſſione animi, quæ ſeruorum eſt: vt is qui præeſt, inſtar ſerui ſe gerat; credatque ſe ſeruum eſſe eorum omnium, quibus præfectus eſt.

At (inquiet aliquis) inter huius vitæ ærumnas ſeruitus numeratur, eſtque quædam peccati pœna, ſicut morbi & egeſtas, & res huiuſmodi; quas vt auerſatur citra peccatũ animus, ita piè à Deo eas deprecari poteſt; & poſtulare contraria, nempè bonam corporis valetudinem, vires, ac mediocres opes. Idem itaque de ſeruitute & libertate ſentiendum eſt. Atque ita Tullij ſtabit ſententia, *animum benè à natura informatum nemini velle, &c.* Commodum enim interpretem verborum Ciceronis libens admitto: nam ſi ſenſit hominem naturâ malle liberum eſſe, quàm ſeruire, abſurdè nihil dixit.

Sed mens gentilium immerſa erroribus, humilitatis Chriſtianæ ignara fuit, & affectum animi expreſſit, quem honeſtum credidit, & à peccato vacuum: cùm tamen illud, quod nemini parere velle, &c. ſignificat, iniquum ſit, in eo quem Deus, & naturæ lex, gentiumque iura ſeruire iubent. Quemadmodum etiam nolle ægrotare, aut pauperem eſſe, aut mortem pati, quando aut Deus, aut conditio rerum humanarum id poſtulat, in vitio eſt: ſimiliter auerſari ſeruitutem, cui leges, Deuſque hominem ſubijciunt, excuſari non poteſt.

In eo bonorum genere, quo diuitiæ, honores, forma, & valetudo continentur, quibus nemo fit melior, libertas reponitur: ſicut & ſeruitus inter mala cenſetur, quæ deteriorem hominem non reddunt; vt ſunt rerum inopia, & varij corporis morbi: in quibus naturâ turpitudo nulla ineſt, ſicut nec in illis honeſtas. Quæ omnia ſunt huiuſmodi, vt abſolutè & propter ſe, eorum nihil aut expetere aut fugere bono viro liceat. Quod ſi fit, id nemo à bona animi informatione proficiſci rectè dixerit. Prauum enim eſt & iniquum, mortem, aliaſque incommoditates propter defenſionem patriæ, pati recuſare; aut nolle eis ſeruire, quorum ſeruituti nos natura, aut leges, iuraque gentium addicunt.

Solam virtutem expetere propter ſe, & vitia fugere docent Philoſophi. Chriſtianis verò,

verò, Dei voluntas in omnibus rebus, viuendi regula est. Tametsi delectum rerum non tollam, & seruitute libertas sit potior, vtrumque tamen sequitur naturam eorum, qui eis aut benè aut malè vtuntur. Libertas præclaris actionibus expeditior est, nisi quis ea abutatur: sed subijci atque seruire præstat, quàm malè libertate abuti.

Quando de re quapiam incidit disputatio, illa aut consideratur qualis est naturâ suâ, aut cum omnibus quæ eam circumstant, eiq; adiacent: quæ plerumque sunt huiusmodi, totam vt rei naturam mutent: gratiâ exempli, si de vita & morte disserendum est, eáque inter se comparentur, quis dubitat vitam anteferendam morti? Sed si turpem vitam cum pulchra morte composuero, hæc profectò illi præponenda erit. Salomon viuentibus mortuos præfert: & diuites miseri, & pauperes felices ac beati, hac ratione prædicantur à Domino. Nos similiter de libertate & seruitute hic disputamus, quatenus in hac mortalitate, homines ea rectè vtuntur, aut malè abutuntur: libertatem quærunt, aut defendunt, cum sua & aliorum aut vtilitate, aut pernicie.

Et quamuis hæc multùm inter se distent, seruire ac subiectum alieno esse imperio, & dominum esse atque imperare, quia hoc præclarius sit, illud abiectius; vtrum tamen conditioni mortali sit melius, Dei iudicium est. Quicquid hominis sensus iudicet, longè tutius ac facilius est seruire atque subesse, quàm regem agere aut dominum. Ille sapiens mundi rector, qui cuncta prudenter disponit, nouit, quibus, & quando seruitus sit libertate vtilior. Commutandam libertatem cum seruitute vltrò non censeo, nec libertatem quam quis habet, tueri prohibeo, eáque vti. Tantùm doceo quamcunque conditionem fortiter ferendam, quantumuis duram & difficilem, quam Deus dederit, ne nos blandum libertatis nomen fallat, & ad repugnandum Deo inducat: vt nouerimus æquum esse seruire, cùm omnes quotquot Deus alieno imperio subiecit, etiamsi sint qui imperẽt magis digni, tum in primis qui neque libertate rectè vti, nec sibi, aliísve imperare norunt.

Historia Romana, Græcorumque scripta, plerunque nescio quem falsæ libertatis amorem, lectoribus ingenerant: ac si soli fœlices illi sint, qui corporis fruuntur libertate, & regibus non viuunt subiecti, cæteri verò omnes miseri. Sed quicunque volet statum vniuersum vrbis Romanæ, indè à primis regibus vsque ad imperatorum tempora examinare, facilè videbit, quo tempore fuerit fœlicior. Idem dico de rebus Græcis, & varijs reipub. formis, quæ apud eos fuerunt.

Primò, istorum iudicio iniquum fuerit vnius vrbis libertatem, seruitutem, aut exitium, omnibus vicinis, atque orbi vniuerso adferre. Athenienſium libertas vicinorum fuit seruitus. Romanorum verò, omnium gentium. Quod ad liberos populos Romæ & Athenarum attinet, nihilo melior fuit eorum conditio, quàm aliorum populorum, qui vixêre sub Regibus. Quid enim isti patiuntur, quod Romanis & Athenienſibus non fuerit commune sub Consulibus, sub Dictatoribus, sub Decemuiris, sub Tribunis, & postremò sub imperatoribus? Si secum reputent, sub qua regiminis forma vniuersus populus fœliciùs vixerit, (summa enim lex habetur populi salus) inuenient rem Romanam nutantem fulsisse, lapsam restituisse, stantem conseruâsse, vnius imperium.

Comparentur similiter Græciæ liberæ ciuitates & regna, (nam singula hîc non est narrandi locus) & inueniemus eas falsò libertatis titulo, conciuisse sibi & alijs ingentes calamitates: cùm tamen libertas pro qua tantoperè dimicabant, aut nulla esset, aut certè non ea, quæ credebatur; nec tanti, vt propterea cœlum terræ misceri debuerit. Quorum motuum hic plerumque finis fuit, vt nimio libertatis studio eam amiserint, perieritque libertate malè quæsita de fensáve libertas.

Iudaica gens detrectans subire iugum Regis Babyloniæ, se, & templum vniuerso orbe celeberrimum, perdidit: & tandem contra Romanos obstinatè dum pro libertate pugnat, in hunc vsque diem eam amisit. Quid alias gentes & respub. commemorem? quæ dum subijci alieno imperio recusârunt, funditùs perierunt; malueruntq; homines (quæ summa creditur esse laus) perire liberi, quàm viuere serui.

Res humanæ supremi reguntur numinis prouidentia: quæ benè administrari non possunt, nisi sint qui imperent, & qui obediant. Vtris horum nos Deus destinârit, videre non est difficile ei, quem animi perturbatio nulla excœcauit. Aut enim potestate Deus aliquem suprà alios extulit; aut potestati alterius subiecit: nemo porrò est qui non videat, quæ sunt huius, aut illius partes.

CAPVT

CAPVT II.

Colendæ societati tanta est imperandi parendiq; necessitas; vt nec inter duos diu constare possit, nisi alter imperet, alter pareat.

DE imperandi tamen iure, & subiectione, magnæ sunt controuersiæ, quæ non tantùm ex improbitate nascuntur eorum, qui malè imperant; sed etiam contumacia multorum, quos dicto obedientes esse conuenit. Vnde & imperandi & parendi variæ natæ sunt leges in ipsos coniuges, inter liberos & parentes, seruos & dominos, atque inter Reges & populos; quæ sint imperij & obedientiæ veluti quidam termini & fines. Quæ res fuit ignorata patribus, & ideo prisci reiminis formas nobis perturbauit. Quod vbi cum reipub. commodo fit, benè est; sin minùs, non mirum, discerptum imperium fieri inualidum ad benè & vtiliter imperandum.

Sed de hac re non est eadem omnium philosophantium, & iurisconsultorum sententia. Cum autem conscientias informare Christianas me profitear, non tam quod iurisconsulti, philosophique de hac re decernunt, sequendum est mihi, quàm quod Dei lex. Prophetarumque, & Apostolorum scripta nos docent, simul cum ijs quæ Deus ita in hominum intimis præcordijs inseuit, vt deleri nequeant. Inuicta est naturæ vis, quæ nunquam ita potuit supprimi, quin alicunde erumperet. Itaque audiamus quid de imperandi potestate & obedientiâ natura omnes gentes docuit, & sacræ tradiderunt literæ.

Apostolus Paulus in omnibus ferè Epistolis iubet fideles *Principatibus & potestatibus supereminentibus esse subiectos.* Idem quoque inter homines priuatos obedientiam & subiectionem desiderat, scribens ad Ephesios: *Subiecti* (inquit) *estote alij aliis, cum timore Dei: vxores propriis viris subiectæ estote.* Iubet natos obedire parentibus, & seruos dominis; & ne hîc quis obedientiam finem capere credat, in Epistolis ad Thessalonicenses & ad Hebræos, eis qui præsunt in Ecclesia, & Verbum Dei docent, parendum esse præcipit. Si qui præterea sunt, quorum mandatis diuinus sermo, aut ipsa ratio vult vt obediatur, sub potestatis imperandi vocabulo complector.

Hue adferre omnes scripturæ locos, quibus singulis hominum ordinibus subiectio & obedientia mandatur, id & nimis prolixum & superfluum esset. Extra controuersiam est, imperio & obedientia stare omnem hominum societatem. *Tanta* (inquit Cicero) *rebus in omnibus est imperij necessitas, vt sine eo nec domus vlla, nec ciuitas, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus possit.* Verè hoc quidem à Cicerone dictum est, sed frustrà, nisi omnes etiam intelligant obedire maximum esse bonum; & vt Xenophontis verbis vtar, καὶ ἐν πόλει, καὶ ἐν στρατίᾳ, καὶ ἐν οἴκῳ. Quod vt clariùs appareat, à prima mundi origine rem repetam, primaque imperandi potestate; ac sic per gradus vsque ad summa imperia ascendam. Sed priùs in genera sua & partes rem vniuersam partiar, & oculis lectoris subijciam.

Prima igitur hæc esto sectio: Potestatum aliam esse priuatam, aliam publicam, aliam ciuilem, aliam Ecclesiasticam. De publica nihil hoc libro dicam. Vbi eò ventum erit, nos ei suas partes dabimus. Incipiendum enim ab ea est, quam priuatam nuncupo, & ex aduerso constituo illi quæ propria est Magistratuum.

Colendæ societati ab initio Deus hominem condidit: quod & testatus est, quando dixit, *non esse bonum hominem esse solum.* Et inde constat, quòd ferus atque inhumanus sit oportet, qui spreta hominum consuetudine, solus vitam in aliqua degit erêmo, sibique tantùm viuit: quod vitæ genus olim temerè nonnulli tanquam diuinum admirati sunt, & adhuc hodie non pauci admirantur. Hominis quidem causâ cuncta creata sunt, ipse verò, vt erga Deum pietatem, & cum proximo societatem colat; hoc est, vt Deum inprimis totâ mente ac totis viribus; proximum verò, non secus quàm seipsum sincero amore complectatur ac diligat.

Cùm autem inter cæteras animantes quas Deus creauerat, nulla esset cum qua societatem homo coleret, sociam ex ipsius latere formatam ei in coniugem dedit: qua cùm nihil magis intimum dari potuerit, societatem tamen nec inter illos duos perpetuò constare posse iudicauit, nisi præcipiendi potestas alteri daretur, & parendi necessitas alteri imponeretur. Coniunctione illa, quæ inter maritum & vxorem est, nulla potest cogi-

tari

tari arctior aut maior: (duo enim vna caro sunt, os ex ossibus, & caro ex carne:) tamen inæqualitatem inter eos Deus esse voluit, vt alter capitis, altera corporis vicem obiret. Aristoteles omnium Philosophorum princeps, imperandi, obediendique rationem non arte aut ingenio comparatam esse, sed naturâ indicat. Et nos mortales omnes naturâ cum parendi necessitate nasci videmus: nempè educandi, regendiq; alieno, non suo ipsorum arbitrio; eorum videlicet à quibus in lucem editi sunt, aut si illi desint officio, ab alumnis & nutritoribus: qui hoc ipso acquirunt imperium in eos aut quos genuerunt, aut quos desertos educarunt.

CAP. III.

Homines naturà non nascuntur liberi.

QVo autem sensu dicatur omnium rerum natura parens, aut ipse Deus, omnes homines æquales genuisse, non satis assequor. Ante hominis quidem casum in illa primæ creationis fœlicitate, libera videri potuit mulier, vt potè quæ nullum mariti perferebat coactum imperium, nec pertulisset; sicut nec liberi, qui in illo statu fuissent procreati: paruissent tamen alterius imperio; illa viri, hi parentum; nimirùm naturâ inferiores. Posteà seruilis quædam conditio sub imperio mariti, pœna peccati facta est mulieri.

Naturæ lege filiusfamiliàs in patris est potestate: cui etsi sponte pareat, libérque dicatur, tamen quatenus sui iuris non est, sed patris subiectus arbitrio, non multum differt à seruo. Quocircà imperij potestas, non hominum consilio & consensu, sed à Deo & naturæ quadam lege profecta est: vt ea veluti quodam spiritu omnis hominum societas, quæ vnum corpus ex pluribus conficit, regeretur.

CAP. IIII.

De mariti potestate & officio.

FAmiliæ itáque regimen à potestate patrisfamiliàs in vxorem & liberos totum pendet: & quamuis patria potestas hodie valdè imminuta sit, & longè minor illâ quæ fuit olim, tamẽ non est nulla. Hoc vnum manet immotum, connubij legem apud omnes gentes ius imperandi dare maritis, & subiectionem præcipere fœminis: & nascendi ordinem docere homines nasci alienæ potestati subditos.

Mariti autem in vxorem officium, ius, & potestatem, hoc loco tantùm paucis percurram. Familiæ ordinem, coniugum vitio sæpe perturbari videmus: idque non tantùm vnius, sed non rarò amborum. Estq; familiæ status persimilis ei qui in anarchia populi, discordiáq; ciuili conspicitur: cui malo mariti prudentiam mederi, atque obuiàm ire decet: quem ab vxore consilio & moderatione vinci turpe est: vt dignior sit qui ab vxore regatur, quàm qui vxorem regat. Multis modis maritalem dignitatem viri perdunt, quos omnes recensere non est præsentis loci. Eum qui authoritatem mariti retinere cupit, bonis præditum esse oportet moribus. Cùm enim caput sit constitutus vxoris, & imbecillior sexus directione opus habeat, prudenter se atque clementer erga vxorem gerere debet; authorq; ei esse bonorum consiliorum, vt imperium quod in eam accepit, vtrique sit vtile: & quemadmodum, vt marito auxilium & solatium adferat, creata est, ita foueatur ametúrq; à marito. Caro enim ipsius est. Contra naturam autem est, vt quisquam suum corpus carnémque oderit: alienum non minùs marito, odisse vxorem, quàm seipsum, dicit D. Paulus. Christi erga Ecclesiam amorem, qui seipsum morti pro ea obtulit, proponit exemplum maritalis amoris. Inter amores magnum discrimen est: alius maritalis & castus, alius meretricius & lasciuus. Castus amor mariti in vxorem si fuerit, quam virginem pudicam accepit, in officio facilè continebit. Quando enim intelliget amari se ob virtutem, non ob formam, propter honestatem, non voluptatem: animum suum studiúmq; facilè transferet ad familiæ curam, cæteráq; matrisfamiliàs honestæq; matronæ officia. Qui petulantiùs se cum vxore gerunt, quique meretricijs amoribus, obscœnis moribus, & spurcis sermonibus delectantur, sanctitatem nuptialis thori contaminant, vxorémq; propriam adulterant: & quam castam à parentibus accepère, sæpe reddunt adulteram. Ecquid ergo mirum si pereat authoritas, vbi nulla est grauitas?

CAP. V.

De Patris poteſtate & officio.

PAtriæ poteſtati grauiſſima quædam onera Deus impoſuit, curas & ſollicitudines maximas circa educationem, & inſtitutionem natorum. Apoſtolicus Canon apud Timotheum affirmat, eum qui huius rei fuerit negligens abnegaſſe fidem. Apoſtoli verba hæc ſunt: *Si quis ſuis, & maximè domeſticis non proſpicit, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.*

Præter alimenta, liberos ipſi parentes docere & inſtituere tenentur, aut curare vt ab alijs doceantur aut liberales diſciplinas, aut artem aliquam vitæ vtilem quâ ſibi & neceſſarijs honeſtè victum comparent, teneantque rectè viuendi rationem. Innatum hoc eſt omnibus, quorum reprobum non eſt ingenium, magis vt ſtudeant liberis quàm ſibi: parentes theſaurizare, ædificare, agros, fundos, & nouas poſſeſſiones acquirere videmus, non tam ſui quàm natorum cauſâ. Et in ſacris literis loco diuini beneficij numeratur, quando Deus Regi parenti dat poſt ſe filium & nepotes per multa ſecula regni hæredes, & ſucceſſores relinquere. De cæteris qui in aliqua rep. alicuius ſunt nominis, idem iudicandum: omnes optant natis auitos, aut quos ipſi geſſêre, vel etiam maiores, ſi poſſint contingere, honores. Qui in merhanicis exercentur laboribus, aut in agricultura, idem faciunt, & ſtudent quàm optima poſſunt conditione filios relinquere. Degenerant ab humanitate quotquot animo ita comparati non ſunt. Quandocunque hic non tam in re, quàm in exceſſu & modo peccatur, leuiùs peccatur, quàm vbi natorum nulla eſt cura.

Tanta eſt huius paterni officij neceſſitas ſapientum iudicio, vt Solon natos non debere alimenta parentibus egenis iudicauerit, à quibus nullam artē eſſent edocti, qua ſibi victū acquirerent. Quod etiam in leges duodecim tabularum à Romanis poſteà fuit relatum.

Sed non hic finitur patris matriſve familiâs officium: morum prima eſſe cura debet, quæ pars tanto negligentiùs curatur, quanto cultus corporis pluris fit quam animi, & maior illius quàm huius eſt ſenſus. Sed vtinam ſolâ peccaretur negligentiâ, & liberis parentes verbo & exemplo principes & authores non eſſent ad impietatem & flagitia. Conniuere ad liberorum peccata paternę & maternæ eſt indulgentiæ, impellere verò diabolicæ malitiæ; de qua in præſentia nihil aliud dicam.

Deus in lege ſua iubet vt parentes doceant natos & nepotes ſuos legem: & hoc nomine commendat Abrahamum, quod eum id eſſe facturū præuidebat. Apoſtoli ſedulò in ſuis Epiſtolis parentes abdortantur, vt in timore Domini & pietate natos inſtituāt. Magna eſt primæ inſtitutionis vis ad vtrumuis, ad bonum aut ad malum. Quid de pueritiæ & primæ adoleſcentiæ diſciplina dicam? fuit quondam eius apud priſcas nationes magna cura priuatim & publicè, quæ hodiè à Chriſtianis nihili penditur. Mollis tamen educatio plures perdidit, quàm ſeuera. Duros & implacabiles parentes eſſe natis, diuus Paulus vetat, ne nati deſpondeant animum: ſed clementiæ ſeueritas nihil aduerſatur. Sunt interdum adeò auſtero & agreſti ingenio parentes, vt quicquid agant nati, nihil placeat: alij iure aut iniuria ſemel offenſi natis, fiunt implacabiles: & præſertim ij quorum indulgentia peccandi in ſeſe cauſam dedit. Magno iudicio & animi moderatione patribus opus eſt, ne aut nimia ſeueritate natorum animos alienent a ſe, atque ad deſperationem adigant: aut nimiâ indulgentiâ laſciuiant & quiduis audeant.

Pro paterna ſua authoritate, in officio cōtinere natos, corrigere, & punire quod ab eis peccatur, ad patrem ſpectat. Seueritas quorundam Romanorum in hac re laudari digna eſt, qui patrijs affectibus prætulere ſalutem reip. Peccata natorum imputantur parentibus, ſi ſegniùs perfuncti fuerint officio, Heli cum tota ſua familia pœnas Deo dedit, quia indulgentior quàm par erat, ad flagitia natorum nimiùm conniuerat. Dauid iudicij diuini vltionem non euaſit, qui nec in ſtuprum, nec in fraternum parricidium animaduerterat. Dignum ergo præmium prauæ leniratis tulit. Tanto enim ſeueriùs vindicaſſe debebant ſcelera natorum, quanto maior ipſorum erat poteſtas: vterque ſummum in rep. Iſraelis gerebat imperium. Non excuſantur priuati quamuis coercitionis modum eis leges præſcribant. Si quod ſit facinus adeò enorme, vt ipſi illud punire aut emendare nequeant, adeant magiſtratus, & eorum implorent auxilium.

Olim

Olim patres familiàs in vxorem & natos, sicut & in seruos, plenã habebant vitæ necisq; potestatem; tollendi aut exponẽdi recèns natum infantem, & pro arbitratu exhæredandi & abdicandi adultos. Leges duodecim tabularũ vendendi natos parentibus faciunt potestatem: idque tertiò repeti posse, si se toties redemissent, Aulus Gellius in Noctibus Atticis testatur. Apud Moschouitas & Tartaros idem hodie mos est, & patri quater distrahere filium licere aiunt. Hæc quidem patriæ potestatis esse fateor, sed non humanitatis. Naturæ namque lex natis prospicere docet, non ex eis quæstum facere. Si parentes extrema laborent necessitate famis, aut alterius calamitatis, opem ferre natos etiam venditione sui æquum est: non ter quatérve, sed quoties postulabit necessitas. Quod definiuêre leges, non necessitati, verùm paternæ auaritiæ modum imposuêre. Sed contrarius vsus confirmatus legibus & tẽpore, huius patriæ potestatis obliuionẽ apud nos induxit: & nostra ætate, non patris, sed tyranni, ea crederetur esse potestas: priscis tamen seculis, aliter est visum. Non disputo vtrùm illi an nos meliùs iudicemus: tempora mutata sunt, & nos ac nostri mores cum illis: vt hodiè fortè non expediat, quod tunc necessariũ fuit.

Quidam in sua repub. restituendam patriam potestatem, quæ priscis fuit seculis, censet: cuius rationes & argumenta quamuis refutare haud mihi sit propositum, quod optandum est potiùs quàm quod sperandum scribit. Mores & tempora, parentúmq; iniquitas ac duritia, de hac re æquiores ferre leges quàm quæ hodie in vsu sunt, non patiuntur. Diuinus legislator Moses, qui dirigente supremo Numine suas leges scripsit, pleraque indulsit duræ ceruicis populo, quæ non probauit: idem si nostris legumlatoribus vsu veniat, non est mirandum. Vtinam duo tantùm possint obtineri, primum vt in parentem omni actione interdicerentur nati: alterum vt parentibus inopiâ laborantibus, in natos ingratos iusta daretur actio, pro facultatibus ipsorum & parentis dignitate, repetendi educationis præmium. Eorum enim omnium quibus gaudent in vita nati, fructum suo iure genitores repetere possunt: vtpotè qui authores ipsis sint, & vitæ, & eorum omnium quæ in vita suauia sunt: quorum indignus est, qui authorem vitæ negligit suæ. Proinde legibus ad officium natos in parentes ingratos cogi, æquissimum est. Quæ legum æquitas neget parenti ius in liberos, quod patronis conceditur in libertos? Deuinctus patrono libertus iure ciuili est; parentibus verò nati, Dei & naturæ legibus. Non est necessaria, sicut nascenti seculo fuit, plena vitæ necisque parenti in natos potestas. Errat qui eam verbo Dei niti credit: quum rebellem & contumacem natum magistratui sisti lex Dei iubeat, & ipsorum sententiâ damnari. Quod Romani priuata authoritate, domi suæ filios aut morte, aut exilio damnarunt, reliquis gentibus legem non facit. Priuatis hominibus ius gladij Deus nusquam dedit: nec consultum arbitror eum à magistratu dari. Nimiùm vehementes sunt in vtramque partem parentum affectus. Nescit amor læsus, nescit tenere modum. Si tamen inter verberandum ob iustam causam, parens lethale vulnus fortè nato aut seruo inflixerit, an pœnâ teneatur parricidij, non est meum definire. Parricidium esse audeo dicere: de pœna pro ratione facti statuere est magistratuum.

Cæterùm cùm domesticum imperium disciplinam contineat ciuitati vtilem & necessariam, cauere leges debent, ne eneruetur patrumfamiliàs in domesticos authoritas. Interest reipublicæ in patrisfamiliàs obedientia domesticos erudiri. Quales erga parentes domi liberos reliquamq; familiã leges esse sinunt, tales inuenient publicè ciues. Qui puer rectè ad parendum patrifamiliàs fuerit informatus, patriæ ciuitatisq; patribus grandior & sui iuris factus, debitum promptiùs reddet honorem: assuetus parere mandatis patrisfamiliàs, magistratuũ legibus facilè obsequentem se præbebit. At ille qui iussa parentũ à puero nihili facere assueuerit, eum vix vnquàm frugi ciuem reipub. futurũ sperandum est.

CAP. VI.

De potestate & officio eorum qui parentum loco sunt, & sub patrefamiliàs præcipiendi habent potestatem.

PArentum vocabulo seruorum dominos, & quarumuis artium magistros, ac etiam pupillorum tutores, notũ est intelligi: quod ipsos non aliter affectos esse oporteat erga eos, quos aut in disciplinam assumunt, aut quorum tutelam suscipiunt, aut famulitio vtuntur, quàm parentes erga eos, quos genuerunt, seruatis cuiusque proprio iure ac dignitate. Idcirco enim pa-

terna in eos transfertur authoritas, vt paternum quoque animum erga eos accipiant, erga quos defungi patris officio ipsos oportet.

Et quamuis in possessionibus numerantur serui, & ad dominorum referantur vtilitatem, tamen & dominus quid seruo conducat videre debet, ac inter hominem & iumentum ponere discrimen: homine indignum est, eum in hominem esse crudelem. Seruitute non tantùm dominis, sed etiam ipsis seruis leges consultum cupiunt, vt indè vtilitatem ipsi quóque aliquam percipiant.

Quamuis familia non necessariò has omnes habeat partes, aliquas tamen retineat oportet. Qui enim neque pater, neque maritus, neque dominus est, paterfamiliâs dici non potest.

In magnis familijs œconomus authoritate patris-familiâs imperat, præéstque rebus, & distinctis partium officijs, omnia & singula dirigit, totámque familiam gubernat. Et vbi seruorum vsus est, ille qui dicitur Atriensis, conseruis imperat, & quæ opus sunt facto ipsis mandat. His non secus parendum est quàm ipsi patrifamiliâs, quamdiù ex ipsius sententia rem familiarem administrant.

Authoritatem Naucleri in magna naui, & Architecti in ædificijs omissam nolo: habent enim & ipsi potestatem præcipiendi operis quibus vtuntur: alter nautis & remigibus, alter diuersorũ operum artificibus operariísque. Qui si mandata exequi detrectent, & non fideliter versentur in officio, nec nauis seruari, & ad portum incolumis deduci poterit: similiter nec ædes aliæque substructiones benè exædificari vt oportet. In paruis iuxtà ac magnis, ratio officij omnibus iubendo parendóque semper habenda est.

CAP. VII.

De collegiis & societatibus, & eorum qui præfecti sunt authoritate.

EGressus familias, vlteriùs ad societates & collegia hominum qui se in vnum referunt, & vnum veluti corpus efficiunt, me transfero. Quæ tametsi non sint ciuitates, sicut nec familiæ, gubernationis tamen formam obtinent domesticâ digniorem: vtpotè quæ domibus ac familijs partes sint ciuitatis maiores, in quas interdum solent distribui. Ciuitatum aliæ in tribus & centurias decuriásque distribuuntur; aliæ in societates & collegia artificum mercatorúmque; aliæ vtróque modo; aliæ in vicos & pagos & regiones: qui omnes suos quosdam præfectos habent. Sed eas tantùm societates in considerationem voco, quarum magistri inter ciuiles magistratus non numerantur; & quamuis primas inter suos teneant, & imperandi quædam sit eis data potestas, priuati tamen in republica censentur.

Scientiarum & artium liberalium collegia, & professorum earundem societates, his accensere possumus: instituta enim legésque habent quibus reguntur: nec præpositos aspernantur, patiuntúrque sibi præfici, non rarò eruditione aliísque virtutibus minorem,

Sub lege Prophetarum legimus collegia, & totius societatis rectores. Samuel deposito magistratu, Prophetarum princeps & rector dum vixit permansit. Elias & Elisæus Prophetarum filijs præfecti leguntur: vnde facile est colligere, quis inter Prophetas ordo regiminis fuerit.

Et Apostolorum & Euangelistarum ac Episcoporum supra Presbyteros authoritas, in Ecclesiæ gubernatione similis fuit, quamdiu priuati vixere in republica. De quare pluribus suo loco dicemus: tantùm hoc notari velim, inter priuatos diuersas regiminis formas à Deo & natura esse institutas.

Sententia profectò quorundam Theologorum mihi non probatur: quibus eminentior in gubernatione Ecclesiastica potestas, aut tyrannica, aut certè ab hominibus inuenta videtur: quasi Prophetarum & sacerdotum regimen, Dei spiritum non habuerit authorem; & aliarum societatum quibus vtus præest, naturæ lumen.

CAP.

CAP. VIII.

Quæ sit vxoris conditio & officium, quatenus imperio mariti parere teneatur.

POstquam de ijs qui potestate eminent, & præcipiendi iure, locuti sumus; priuatorum, quibus non tantùm Deus lege sua obedire mandauit, sed etiam natura omnes gentes docuit, de honore & obseruantia quæ ipsis debentur, dicendum est. Non enim est omnium qui præsunt par authoritas, nec eorum qui subsunt eadem conditio: vnde dissimilem consequi subiectionem necesse est.

Ab obedientia vxoris erga virum suum incipiam: ab ea enim exorsi sumus. Nam quamuis ipsa socia mariti sit, formatam tamen esse diximus, vt sub imperio mariti degat. Obsequentem & morigeram vxorem se viro suo præbere teneri, vt demonstrem mihi laborandum non est: sed quàm latè pateat mariti in vxorem imperium, & quatenus ei mulier se submittere teneatur.

Quando quæritur, quibus in rebus marito parere debeat vxor, responderi à quibusdam solet, in omnibus quæ Deus non vetuit. Quæ sanè exceptio, vbique & semper & in omnibus valet. Neminem tam impium esse reor, qui supra Dei legem, authoritatem hominis asserat: vt hac exceptione opus nihil esse videatur; sed hac responsione mariti potestas latiùs extenditur, quàm forsan cogitent, qui ita respondent. Nam nisi planè seruilem constituamus vxoris conditionem, sicut apud eos, quos Aristoteles vocat barbaros, fuisse constat; contra mariti mandatum excipere vxor interdum potest, & detrectare illud exequi, cui tamen parendo, nihil in diuinas leges committeret.

Bonæ leges mariti potestatem intra certos fines coarctârunt, ne quiduis ei liceat pro arbitrio in coniugem iniuriæ obnoxiam. Gratiâ exempli, si maritus vendere velit vxoris dotem, aut eorum quippiam, cuius per leges (nisi vxor consentiat) maritus non habet alienandi potestatem, consensum marito, si videatur, negare potest: & contra mariti voluntatem vti legum beneficio. Præterea si crudeliter tractetur præter dignitatem à marito, iniuriâque non toleranda quotidiè afficiatur, ad legum præsidium si confugiat, nihil contra officium facere, nec in Deum peccare æstimanda est: tamen bonâ conscientiâ quaslibet iniurias mariti (quibus ipsa tantùm læditur) perferre ac pati potest. Vbi autem leges viris in vxores quiduis permittunt, ibi tyrannicum mariti imperium perferant oportet: iniuriam propriam vlcisci, aut in maritum vllum exercere imperium, mulieri lex Dei non permittit. Nec enim seruos, nec parentes, nec fratres, nec natos, nec amicos in virum armare, eique inferre vim, concessum est.

Apud Malachiam Deus reprehendit virorũ in vxores crudelitatem, & incontinentiam, qui nouas vxores superinducebant prioribus, quas in adolescentia duxerant: quod matrimonij genus, tametsi temporis excusaret ignorantia, prauaque consuetudo, culpâ tamen non vacabat, & scortationis quædam erat species: secundæ illę coniuges, nihil aliud quàm priorum erant pellices. Peccatum Deus in maritos animaduertit: discedendi verò à maritis propter hanc iniuriam, mulieribus potestatem non facit. Præcipit quidem Deus vt amittant à sese vxores: sicut olim per Mosen duritiæ cordis ipsorum lege indultum fuerat, potiùs quàm miserias tam insigni excruciarent iniuriâ; minus hoc malum fore, quàm eas apud se retinere: abire tamen non mandat, nec à mariti iugo liberat. Quantumuis igitur mulier indignis tractetur modis, & sine vlla necessitate à marito ad vilissima detrudatur officia; & (quod grauissimè honestam matronam vrit) si maritus coràm ante oculos pellicem in vxoris thalamum inducat, ac in ijsdem ædibus cum vxore habeat; sua authoritate fas ei non est, cum marito diuortium facere.

Duo tantùm aduersùs has iniurias remedia noui: nempe aut bonas leges, aut patientiam. De violato thoro apud æquos iudices mulier queri potest, sicut & de cæteris mariti iniurijs, quæ legibus vindicantur: qui si desint officio, quamdiu maritus vxorem apud se retinere vult; præter tolerantiam Christianam, remedium nullum superest. Malæ leges non sunt quæ seruitutem de repub. tollunt, (quam tamen verbum Dei nusquam prohibuit:) quare iniquæ esse non possunt, quæ tyrannidem maritorum in vxores frænant, & licentiam cohibent, quam Moses quondam maritis indulsit. Reipub. interest ciues re sua bene vti: & leges quæ id cauent, sunt æquissimæ.

Nam etsi Deus mariti subiecit mulierem imperio, non idcirco iniurijs virorum impunitatem dedit, vt in vxores ipsis impunè crudelitatem exercere liceat. Mariti quidem (vt dixi) officium est, coniugem comparem, & thori sociam æstimare, ac tanquàm propriam carnem diligere, & ferendo illius sexus imbecillitatem, honorem qui debetur, inferiori vasculo habere. Quod si non faciat, sed contrà immitis ac durus fuerit maritus, & patriæ leges in virorum iniurias vxoribus factas non animaduertant, ferendum est patienter mariti iugum: habebunt quidem Deum vltorem, sed interim subiectæ manebunt maritis: nec se ab ea seruitute eximent, cui Deus mulieres in peccati pœnam subiecit. Coniugij vinculum nulla de causa nisi scortationis licet marito dissoluere: multo minùs vxori, cui maritus adulter esse nunquam poterit. Si sit improbus, vtpote scortator, & vxorem vltrò deserat, aut ei sit vitæ periculum ab ipsius crudelitate, nulla ratio cogit permanere cum marito huiusmodi. Nihil enim interest vxorem quis abigat an deserat: abigit qui mortem minatur, & cupit occidere.

Hinc videmus quàm misera sit vxoris conditio sub mariti iugo: fœlices virgines & viduæ, quæ à maritis viuunt liberæ. Maritatis sub mariti dominio permanendi, eique parendi necessitatem Deus imposuit. In quamcunque calamitatem maritus inciderit, siue in exilium, siue in seruitutem, comitari, eique ministrare, ad officium vxoris pertinet: quæ vt thori sic quoque cæteris in rebus sit socia. Sed si maritus latro, si pirata, si hostis fiat patriæ, eum non sequetur: si particeps cogatur fieri sceleris, innupta tamen manebit, tempus expectans, quo Deus eum aut è viuis tollat, aut ad sanam mentem reducat: sin marito cohabitare datur, vt immunis ipsa sit à crimine, eum non debet deserere. Coniugum peccata non dirimunt coniugium: adulterium hoc tantùm peculiare habet.

CAP. IX.

Imparitas coniugum ordinem coniugii perturbat.

SVbiectionis conditio perturbatur, quando impares iunguntur connubio: rectè vulgò dicitur, Si vis nubere, nube pari. Quare inæqualitas vitãda est, quæ ordinem subiectionis & superioritatis euertit: vt quando adolescens anum vxorẽ ducit quæ aut mater, aut forsan auia ipsi esse posset: cui reuerentia ætatis imperare non patitur. Similiter quando nobiles & opulentæ matronæ famulis nubunt, aut homini plebeio: quibus generis dignitas, & opum magnitudo maritis esse subiectas, & honorem qui maritis debetur reddere non permittunt. Imperare autem viro, atque supra eum se efferre, coniugij leges non sinunt: haud tamen est facile impotenti sexui parere & subijci ei, cui nuper aut imperare poterat, aut etiam consueuerat.

Connubia tamen huiusmodi inhibere consultum non est: propter mala quæ indè possunt nasci, grauiora his quæ ex imparitate proueniunt. Meminerint mulieres quæcunque illæ sint, ipsis maritos tanquam dominos, exemplo sanctarum matronarum, esse omni honore & obseruantia colendos: & in hunc finem se creatas & datas esse, vt viris adiumentum & solatium afferant, vt sub eorum imperio viuant, familiam curent, natos educent, & rem familiarem conseruent, ne quid depereat, eamque sua sollicitudine, solertia, ac labore augeant: in veste, auro, gemmis & cætero corporis ornatu, sumptum vitent & fastum: & matremfamiliâs ornatam esse benè, persuasum habeant, quæ morata est benè. Virtus, sedulitas, cura domus, modestia, fides, taciturnitas, tolerantia, vigilantia, longè præstant dote & formâ. Mulier quæ vinosa est, rixosa, sumptuosa, superba, garrula, maledica, vaga, nunquam domi suæ, semper alibi, aut in alienis ædibus, aut in publico, vel adultera est, vel adulteros venatur. Grauius viro nihil in vita contingere potest vxore malis prædita moribus: ipsa est morte amarior. Plura de vxoris officio erga maritum non addam. Ex eis quæ dixi demonstratum arbitror quæ sit vxoris conditio sub imperio mariti.

CAP. X.

CAP. X.

Naturæ lege nati parentibus subiecti sunt.

NVnc videamus de natis, quos Deus lege sua, ipsáque naturæ ratione hominibus ingenita, subiecit genitoribus. Ordine nascendi dixi natos nasci subditos potestati eorum qui procreârunt aut educârunt: & obedientiæ ac subiectionis prima rudimenta, à teneris annis disci sub parentum ac patrisfamiliâs potestate ac disciplina. Nam in benè constituta familia liberi æquè ac serui imperio patris matrisve familiâs parent: & quamuis causa & ratio sit dispar. vtrisque tamen subiectio est communis.

Sed quia reipub. interest parentes non abuti patria potestate, leges ciuiles non vbíque neque semper eandem potestatem in natos tribuunt parentibus. Quibus equidem nihil derogatum cupio, quamdiu nihil diuinæ legi aduersantur. Quod vbi fit, sciant liberi, à iure quod Dei lex & ipsa ratio parentibus dedit, humanis legibus se non eximi. Ciuiles leges multa concedunt temporibus, & immedicabili morum corruptioni, quæ non probant nec mandant.

Vt autem natorum officium erga parentes omnes meliùs intelligant, eorum varij status, ætates, & conditiones inspiciendæ sunt. Tametsi Dei & naturæ lege omnem parentibus honorem & subiectionem debeant nati, sitque paternum ius in liberos maius quàm hodie vulgò credatur: illud tamen multis modis minuitur, aut etiam totum amittitur.

Prima conditio est eorum qui viuunt parentum subiecti imperio: altera est eorum qui in potestate parentum non sunt, quorum eadem non est omnium conditio.

Quamdiu filiusfamiliâs sub parentis potestate est constitutus, nec de se nec de suis rebus aliud quicquam potest constituere, quàm quod parenti videtur: vtpotè qui sui iuris non sit, sed totus pendeat ab arbitrio patris sui. Quibus tametsi duris esse non liceat, eorũ tamen dura sunt perferenda imperia. Duritiam parentum sibi vtilem seueritatem interpretari liberos æquum est: & licentiam ac lenitatem pluribus exitio esse quàm seueritatem. Quicquid mandatur, quod constat non esse flagitium; iustum, vtile, & necessarium, aut ipsis, aut toti familiæ cogitent.

Quibus contigêre parentes quales à bonis optari possunt; nempe clementes, æqui, ac faciles, duplici iure illis parendum est: primò quia parentes sunt, quibus, quales quales sint, obedientia & submissio debetur; deinde quòd lenitate & paternâ beneuolentiâ id mereantur, & digni sunt omni obsequio & obseruantia: parentum abuti bonitate ad contumaciam, grauissimum peccatum est.

Quotquot in parentes delinquunt, quacunque in re id fiat, nec honorem ipsis debitum reddunt, hominum si fortè euadant iudicium, Dei nunquam euadere poterunt. Natos ita statuere apud se oportet, quòd seipsos, & omnia sua, vitam denique ipsam, debeant vitæ suæ authoribus: nec fas ipsis esse, seipsos parentibus subtrahere. Salomon in Prouerbijs ait, *Qui suffuratur quippiam à patre, vel à matre, & dicit hoc non esse peccatũ, grassatori socius est.* Parentes compilare, latrocinio Salomon comparat. Chariorem nullam possessionem liberis parentes habent: quiduis sibi potiùs eripi mallent, quàm quos genuerunt & educârunt liberos. Quocirca plagij & raptus apud Deum crimen incurrit, quisquis se subducit eripitque parentibus.

Denique mœrore parentes afficere, non leue peccatum est. Nihil enim grauius patri vel matri potest accidere, quàm ab illis accipere dolorem, à quibus solatium se accepturos esse sperabant. Salomon de hac impietate natorum ait, *Qui affligit patrem & fugat matrem, ignominiosus erit & infœlix.* Contumaces parentum contemptores Deus in lege sua ad necem duci mandauit. Quid multis opus est? nulla gens vnquam tam barbara aut fera fuit, quæ omni officio ac pietate colendos esse parentes ignorauerit. Quid autem interuenire possit vt horum nihil natus debeat patri, aut saltem non omnia, videndum est.

CAP. XI.

Quibus modis minuatur aut amittatur patria potestas.

EMancipationes ignorantur vulgò, vbi ex iure scripto Romanorum non viuitur. Multi emancipant. & emancipantur, qui quid valeat emancipatio nesciunt. Plebi Romanæ quondam res satis nota fuit: sed vnius ciuitatis leges ad vniuersum orbem non pertinent. Emancipatos intelligimus eos, qui patria

potestate exempti sunt, & sui iuris aut alterius sunt facti: quocunque modo id acciderit. Qua in re locorum mores & leges sequendæ sunt. Hæc libertas plerunque datur ætati, nec expectatur patris voluntas. Et valet ad legitimas actiones, & fidem contractuum firmitatémque, non vt quidquam iuri naturæ aut diuinæ legi detrahatur, sed ne dubia & incerta personæ conditio fallat ignaros.

Primò, qui recèns natos infantes abijciunt feris deuorandos, aut à quouis tollendos, omne ius paternum simul abijciunt. Nihil enim genuisse promerentur, nisi natos educauerint. Qui rem suam sponte aut abijcit, aut derelinquit cuiuis tollendam, iuri suo renuntiat. Mitto dicere quàm hoc sit crudele & inhumanum. Tametsi vix in parentum numero habendi sunt, qui natos abiecêre, velim tamen agnitos à natis obseruari, & in parentes impios pietatem exercere, si sese offerat occasio: atque ita impiam crudelitatem parentum vera vlcisci pietate.

Qui filios vendunt, aut dant adoptandos, omnem patriam potestatem in alios transferunt; & quamuis naturâ parentes esse non desinant, ius imperandi natis posteà nullum retinent. Idem iudicium, de eo qui captus in bello in seruum vænijt, aut propter malefacta ad metalla damnatus est; hos tamen si fortè contingat libertati restitui, redit erga parentem obligatio, nimirùm amoto impedimento, quod non sinebat honorem debitum reddere parenti.

Similiter qui natos suos ad aliquot annos obligant seruituros magistris, qui eos in arte & opificio instituant; tantisper dum seruiunt, interquiescit ipsorum authoritas: vtpotè quæ sit collata in magistrum.

Si parens filium sui arbitrij esse, & sibi viuere, ac sua sibi habere seruaréque aliquando voluerit, vel sciens & prudens permiserit, etiamsi emancipationis leges iuráque ignoret, emancipasse censetur. Æquum enim est, vt quorum curam deseruêre parentes, sibi consulant: & eorum sit, quod labore suo atque industria acquisierint: & quod emptione, venditione, aut alio quouis contractus genere, cum quoquam transegerint, firmum ratumque sit: eorumque vota, pacta, conuenta, promissaque reuocandi parentes non habeant potestatem: sed quamadmodum viduæ aut repudiatæ vota, viuo patre ipsius, lege Dei manent immota; ita quicquid contractum est ab emancipatis, infirmari à parentibus non debet. Idem censendum est de ijs qui sub tutoribus degunt, finito tempore quod leges patrisque suprema voluntas tutelæ definiunt. Principis mandato aut reipub. filiusfamiliâs parentum obedientiæ subtrahitur, quando aut ad militiam, aut ad aliud reipub. munus eligitur: & vbi emancipationis iura valent, ei militiæ priuilegijs vti concessum est, & de peculio castrensi disponere, pro suo arbitrio.

Quod si vltrò, nullo Magistratus mandato compulsus, contra sui voluntatem patris, aliquò militatum abiuerit, huius iniuriæ Deus vltor futurus est: tanto grauius hoc peccatum est, quanto patri matríve magis ipsius opera auxilióque est opus.

Aliud quoddam ab his restat emancipationis genus frequens in Romana Ecclesia, vbi parentes vt quosdam ditent, liberos in cœnobia, tanquam in ergastula aut perpetuos carceres, conijciunt, & seruituti mancipant, vnde nunquam manumitti poterunt: quorum crudelitas nihilo clementior est illorum, qui recèns natos aut necant aut exponunt, aut quondam Molocho immolabant. Hoc tantùm interest, quòd illi subita morte miserios ab omni huius vitæ calamitate liberabant, isti viuos mille mortes obire cogunt.

Qui autem in illa barathra sese vel superstitione, vel desperatione præcipites dant, non tantùm parentibus, sed etiam Magistratibus, ac toti denique reipublicæ in qua degunt, iniuriam faciunt: dum religionis prætextu parentibus debitum honorem, Magistratibus fidem & subiectionem negant. De hac emancipatione qua iura diuina pariter & humana violantur, nihil amplius hoc loco dicam.

CAP. XII.

Quæ nati, qui magistratu fungitur, debeat esse erga parentem priuatum reuerentia.

SEd quia interdum accidit filios supra parentum conditionem ad magnos honores euehi, de eis quoque videndum est, an patriæ potestati subsint. Indignum enim videtur eum qui Magistratum in repub. gerit, subesse priuato. Patrem inferiorem esse suo filio publicum officium gerenti, qui aut maiestatem

tem populi, aut personam Principis sui repræsentat, certum est. Hunc honorem bonus pater nunquam inuidebit nato. Narratur in historijs, quendam iugulasse filium, veritus ne ipso maior euaderet: sed talis astorgia pessimi ingenij, & adeò reprobati est testimonium.

Tametsi filij Iacob Iosepho fratri inuiderent honorem, quem Deus ipsi per somnium præmonstrabat, pater tamen id molestè non ferebat: sed posteà summo beneficij loco duxit, filij honores posse intueri, & sub eius Magistratu viuere. Non dubium est, quin Saul creatus rex, alio loco fuerit apud patrem, quàm quando eum misit quæsitum asinas.

Valerius Maximus de Institutis antiquis, *maxima diligentia Romanos veteres hunc morem retinuisse memorat, ne quis se inter Consulem & proximum lictorem, quamuis officij causa vnà progrederetur, interponeret: filio duntaxat, & ei puero, ante patrem Consulem ambulandi ius erat. Qui mos adeò pertinaciter retentus est, vt Quintus Fabius Maximus quinquies Consul, vir etiam pridem summæ authoritatis, à filio Consule inuitatus vt inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitum turbâ, ad quorum colloquium descendebant, elideretur, id facere noluerit. Idem à Senatu legatus missus ad filium Consulem Suessam, postquam animaduertit eum ad officiũ suum extra mœnia oppidi processisse, indignatus quoque quòd ex lictoribus nemo se equo descendere iussisset, plenus iræ sedere perseuerauit; quod cum filius sensisset, proximo lictori vt sibi appareret imperauit: cuius voci Fabius continuò obsecutus, Non ego (inquit) fili, summum imperium tuum contempsi, sed experiri volui, num scires Consulem agere: nec ignoro quid patriæ veneratione debeatur, verùm publica instituta priuata pietate potiora iudico.* Hæc Valerius. Hæc natorum conditio quæ eos supra parentes euehit, & illa quæuis, quæ ab obedientia & subiectione paterna eos eximit, non impedit parentibus debiti honoris reddi priuatim officia.

In Principe populi, qui patrem habet, duo sunt consideranda: alia sunt quæ ad publicum Magistratus officium spectant, alia quæ ipsius domus & familiæ sunt propria. Quando tempus incidit, in quo vtrique satisfieri non potest, iura priuata cedunt publicis. Apud A. Gellium elegans narratur historia de Tauro philosopho, quam hic inserere non pigebit. *Cum philosophus Cretæ Præsidem, eiusdemq; patrem, qui visendi & cognoscendi hominem gratiâ Athenas venerat, domi suæ excepisset, & post mutuam salutationem sellam, quæ in promptu erat, apponi iussisset, patrem Præsidis ad sedendum inuitauit: At ille, sedeat hic potius (inquit) qui Rom. populi magistratus est: interea sedeto tu, respondet Taurus, dum inquirimus vtrùm te qui pater es, an filium tuum qui magistratu fungitur, sedere priorem conueniat. Eorum verborum, quæ Taurus super ea re fecit, hæc fuit sententia: In publicis locis, atque muneribus, atque actionibus, patrum iura cum filiorum qui in magistratu sunt potestatibus collata, interquiescere paululùm & conniuere: sed cum extra rempub. in domesticare atque vita sedeatur, ambuletur, in conuiuio quoque familiari discumbatur, tum intra filium & patrem priuatum publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. Hoc igitur (inquit) quòd ad me venisti, quòd colloquimur, nunc priuata actio est.* Huius philosophi sententia naturæ & sacris literis est consentanea, & Christiano homine non indigna. Nam publici honores priuata erga parentes officia non impediunt: si quid sit in rebus domesticis quod authoritati publicæ aduersetur, ad tempus cedere debet, non penitus interire. Filius enim qui publicos honores est assecutus, filius esse non desinit: proinde eadem officia debet parenti, quæ priuatus antè debebat.

Summa honoris qui debetur parentibus, huc redit, vt eos nati omni honore & obseruantia colant, obediant, eisque necessaria ministrent, secundùm quod res tempusque postulabunt, & conditio patris natique ferent: præterea vt parentes sacrosancti sint & inuiolabiles liberis. Inter emancipatum & eum qui est in potestate patris hoc interest, quòd hic absque patris consensu nec de se, nec de rebus suis, potest disponere: ille verò potest, vt ab eo facta transacta cum quopiam pater mutare nequeat. Non tamen idcircò à parentibus debitis officijs liberatur, æquè enim ac ille, qui in patris est potestate, parentes consilio, auxilio, omni denique re, qua opus habent, iuuare tenetur: atque inprimis cauere ne quid committat quod parentibus iustum dolorem adferat, & vnde iure queant offendi. Nihil clàm, ipsis inuitis, in vlla re faciant, atque in ea maximè, quæ longè est grauissima, matrimonij.

CAP.

CAP. XIII.

Natis nec nubendum nec ducenda vxor clam parentibus & inuitis.

IN nuptijs hodie nati emancipantur, paternam relinquunt domum, nouam affinitatem contrahunt. Ad parentis officium pertinet videre ne quid nati hic temerè faciant, & cum quibus ineantur nuptiæ, ex qua familia, quibus conditionibus. In qua re longè plus natis parentes sapiunt, & acutiùs vident: nôrunt multa quæ natos latent, non euulganda. Quamobrem filiosfamiliâs quicunque illi sint, emancipati æquè ac ij qui non sunt emancipati, non minùs sollicitos esse oportet de parentum iudicio & voluntate, quàm de ducenda vxore. Implicantur enim cum tota familia natorum nuptijs. Sibi quidem vxores ducunt, sed parentibus nurus, fratribus & sororibus fratriam & glorim, patruis & auunculis adfinem.

Quare omnis præpropera festinatio vitanda est: priùs consulto est opus cum ijs quos quoque res tangit, si possit fieri commodè. Tantò turpiùs hic peccatur, quantò familia est illustrior & magis ampla. Cùm Cyaxares Cyro vnicam natam cum Medorum regno pro dote offerret, his verbis respondisse apud Xenophontem legimus; ἀλλ' ὦ Κυαξάρη, τόδε γένος ἐπαινῶ καὶ τὴν παῖδα καὶ δῶρα: βέλτιον δὲ ἔσται σὺν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ, καὶ τῇ τῆς μητρὸς ταῦτά σοι συναινέσει. Genus, puellam, & dona (inquit) ô Cyaxare laudo probóque: sed volo ex patris matrisque sententia, hæc tibi assentiri. Sapiens profectò & modesta hæc Cyri fuit responsio: & dignum est exemplum, quod omnes & inprimis Christianorum nati imitentur, si quo modo adire parentes, & eorum audire consilium queant. Emancipatus erat Cyrus, & multarum gentium victor, & imperij Babylonici domitor, qui multa prælia, multa fœdera cum diuersis nationibus inierat inconsultis parentibus: vbi ad nuptias ventum est nihil audet, nisi priùs intelligat parentum sententiam.

Morum hinc inde corruptio multas & perplexas de iungendis matrimonijs, & de diuortijs ac repudijs peperit quæstiones. Sed eas omnes prætereo, quæ nihil ad filiorum obedientiam, & parentum authoritatem spectant.

CAP. XIIII.

Coniugium inscijs & inuitis parentibus contractum, firmum publicis legibus, patria authoritas non rescindit.

QVæri solet num sponsalia & matrimonia inscijs aut inuitis parentibus contracta, rescindi possint patria authoritate. Variant super hac re Theologorum sententiæ: sed paucis responderi posse videtur, Patriam authoritatem legibus esse subiectam; & vbi leges coniugia in arbitrio parentum relinquunt, posse rescindi: at vbi totam potestatem faciunt contrahentibus, velint nolint parentes, ratas esse nuptias.

Quando res est arbitrij parentum, de consensu eorum alia nascitur quæstio. Iustinianus vult iussum parentum præcedere; alij sufficere putant, si accesserit consensus, & ratum habeant quod intelligunt natos promisisse. Ex legibus de votis vxorum & viginum, quæ sub maritorum & parentum viuebant custodia, & viduarum ac repudiatarum, hæc controuersia potest decidi: Nuptiarum sponsiones a coniugibus futuris factæ, naturam sequuntur votorum. Moses iubente Deo hanc legem tulit: *Mulier cùm votum vouerit, & adstrinxerit se obligatione in domo patris sui in pueritia sua; & audiuerit pater eius votum ipsius & obligationem qua adstrinxit animam suam, & tacuerit illi pater eius, tum firma erunt omnia vota illius.* Vnde facilè intelligitur, absque patris consensu firmas non esse eius quæ in potestate patris est nuptiales promissiones, si cognitas statim illo ipso die in quo ad ipsius peruenêre aures reuocârit; sin tacuerit, silentium & conniuentiam in hoc negotio, lex Dei consensum interpretatur. Non igitur necesse est iussum aut consensum parentis præcedere. Viduæ verò & repudiatæ alia fuit ratio, earum vota non pendebant à patris voluntate. Vnde apparet manifestum à Deo constitutum fuisse discrimen inter eos qui sub parentum viuebant potestate.

Sed

Sed (vt diximus) multis modis sui iuris nati fiunt, eximunturque patria potestate. Quibusdam videtur iniquum moribus & legibus, contra voluntatem parentum natos, postquam ad ætatem adultam peruenerunt, pro emancipatis haberi; & quod de se & suis rebus transigunt, ita esse firmum, vt pater ea mutare non possit. Respondeo, Iniquius esse leges & consuetudines receptas in rebus huius generis priuata authoritate violari. De legum & harum consuetudinum æquitate vel iniquitate non est huius loci disputare.

Sunt alij qui cæteris in rebus omnibus tolerabilem iudicant emancipationem, in solo connubio hærent. Absurdum tamen est hominem liberum, qui cæteris in rebus omnibus, vt sibi videtur, potest cum quouis contrahere, in coniugij negotio pendere à patris voluntate.

Quod de Cyro attulimus, rem gestam imitandam quidem, non vniuersalem legem omnium gentium, cui ciuiles leges derogare non possunt, citauimus. Quod si Cyrus in illas statim consensisset nuptias, atque adeò inuitis parentibus, Xenophon non dicit, nec quisquam ex historia illa efficere id poterit, nullas futuras fuisse nuptias: imò contrarium verisimiliùs licet coniectare, Cyaxarem, qui imperitus non erat legum & morum Persarum & Medorum, iudicasse, rem totam fuisse arbitrij & potestatis Cyri. Nec Xenophon eo consilio rem narrat, quòd crediderit, filios familiàs non potuisse contrahere nuptias inscijs atque inuitis parentibus: sed quid deceat natos, & quantâ sint obseruantiâ colendi parentes, illo exemplo docere voluit. Leges Athenienſium de hac re notæ sunt, quibus filijsfamiliàs ducere vxores ciues, etiam inuitis parentibus, non tantùm licebat, sed si eas vitiassent, cogebantur. Quæ lex à lege Dei desumpta videri potest, qua mandatur, vt qui Israelitidem stupràsset, eam perpetuam vxorem acciperet, si patri puellæ ita videretur. Patris viri nulla fit ibi mentio, an ipsius pater nuptijs illis potuerit intercedere, quod à legislatore prætermissum non esset, si eadem maris & fœminæ fuisset ratio: fœminæ (inquam) in potestate & custodia patris, atque emancipati filij. Norint itaque parentes; emancipatorum vota, promissa, pacta, conuenta, contractusque matrimoniales, se non debere nec posse facere irrita.

Qui consensum parentum tantopere vrgent, nimis Romanorum legibus addicti sunt; quibus certum est non teneri qui illo iure non reguntur, & quæ emancipatos non adstringunt. Verba Iustiniani hæc sunt: *Consensum habeant parentum (inquit) in quorum sunt potestate. Nam hoc fieri debere ciuilis & naturalis ratio suadet in tantum, vt iussus parentis debeat præcedere.* Sed nulla in Romano iure lex est quæ emancipatorum nuptias in parentum arbitrio constituat.

Dilacerato Romano imperio, & prouincijs in regna mutatis, patria potestas, & emancipationes ab ea, iure scripto comprehensæ, interierunt apud pleraſque nationes, quæ peculiaria sua iura prætulerunt, & iuri Pontificio cesserunt. Vbi illæ Romanorum propriæ leges in vsu sunt, vigéntque, inscijs parentibus contractæ nuptiæ robur nullum habent: rescindi possunt à parentibus, apud eos qui ius Pontificiũ non admiserunt in hac re.

Quod Iustinianus addidit, non tantùm ciuilem, sed naturalem rationem id postulare, vnde non tantùm ciuilem æquitatem, sed naturæ legem consensum parentum in nuptijs natorũ exigere, videri potest sensisse; totum ad eos referendum est, qui in parentum sunt potestate. Perabsurdum enim fuisset & iniquum, filium familiàs qui præter paternam domum nullam habebat, vxorem inconsulto patre in eam adducere.

Quod ex corruptione doctrinæ Pontificiæ natum esse contenditur, vt clàm & inuitis parentibus contractæ nuptiæ ab ijs qui adhuc in eorũ sunt potestate, improbentur, & tamẽ habeãtur ratæ: inde nihil aliud concluditur, quàm emendandas illas esse leges authoritate publica, si mutari reipublicæ interfit; non vt quod leges, & gentis receptus mos confirmauit, siue errore, siue ignorantiâ, authoritate priuatâ dissoluatur.

CAP. XV

Publicæ leges priuatæ authoritati parentum derogant.

Vòd si quis adhuc instet, contendátque præceptum de honorandis parentibus esse Dei & naturæ, proinde nullis humanis legibus posse abrogari: atque ita natos manere in potestate parentũ, & reuocari posse promissa clam facta de nuptijs: Respondetur, Præter ea quæ iam de emancipatione natorum ex verbo Dei

Dei allegata ſunt, mandatum de honorandis parentibus aſtringere quidem natos, ſed non obligare parentem ad omnem honorem qui ei haberi poteſt ſemper à nato exigendum: de ſuo iure poſſunt multa remittere. In exigendo & exhibendo officio vtrinque quia ſæpe peccatur, leges modum menſuramque authoritati paternæ & filiali obedientiæ præſcribunt.

Si tamen plus minúſve quàm æquum eſt ſtatuant, conſcientia apud Dei tribunal non ideò abſoluitur: tantùm apud ciues cum quibus viuitur, nulla culpa imputatur; & quod ſecundùm illas leges factum eſt, robur habet: quamuis Deo & conſcientiæ non ſit ſatisfactũ. Non rarò ciuiles leges ad multa conniuẽt quæ bona non ſunt, & libertatẽ conceſſam Dei & naturæ lege, reſtringunt: quibus quando nihil mandatur quod peccatum eſt, parere oportet. Fit interdum vt iubendo iura magiſtratusque peccent, vbi parendo à ſubditis nihil peccatur: nimirùm quando cum nulla impietate aut ſcelere obedientia coniuncta eſt. Quocirca cum parentes nullo diuino præcepto vrgeantur irritas facere nuptias, quas illis inſcijs aut inuitis contraxerunt nati, ferant oportet quod publicæ leges probant. Legum magiſtratuumq; (qui locum parentum obtinent) non minor eſt authoritas confirmandis nuptijs, quàm genitorum infirmandis.

Rectè Auguſtinus monet, vbi ait: *Quia omnis domus initium ſiue particula debet eſſe ciuitatis; omne autem initium ad aliquem ſui generis finem, & omnis pars ad vniuerſi, cuius pars eſt, integritatem refertur; ſatis apparet eſſe conſequens, vt ad pacem ciuicam pax domeſtica referatur. i. vt ordinata imperandi obediendiq; concordia cohabitantium referatur ad ordinatam imperandi obediendiq; concordiam ciuium: ita fit vt ex lege ciuitatis præcepta ſumere patremfamilias oporteat, quibus domum ſuam ſic regat, vt ſit paci accommodata ciuitatis.*

Hæc à me non dicuntur quòd probem paternam authoritatem violari: ſed propter eos qui has nuptias dirimendas temerè cenſent; dirimerentque, ſi auderent: idque freti authoritate & ſcriptis doctorum virorum, quorum ſenſum non aſſequuntur. Docent enim quid fieri debeat: non vt priuata authoritate quod ratum eſt publicis legibus infringatur; ſed vt Chriſtiani magiſtratus leges reforment, & verbum Dei ſequantur, ac vetuſtos Patrum Canones, & priſcas Romanorum aliarumque gentium bonas leges: quibus matrimoniales contractus natorum, qui emancipati non erant, à parentum pendebant arbitrio.

CAP. XVI.

Culpatur natorum inobedientia, & parentum moroſitas circa nuptias.

VTrinque hic grauiter peccatur: primò à natis, qui aut clàm & inuitis parentibus nubunt, aut vxores ducunt: nec ſeriò, nec obediendi animo, ſed pro more parentes quidem conſulunt, vt perſuadeant, & conſenſum extorqueant: quem ſi conſequantur, benè res habet: ſin minùs, pergunt in nuptijs quas ſibi delegerunt. Iſtorum alij apertè contemnunt patriam authoritatem, alij habent lubribrio. Parentum quoque in hac re non paruum eſt peccatum. Alij ſunt ita iniqui in ſuos natos & moroſi, vt nihil probare poſſint, quod à natis erit profectum: & quantumuis ſit honeſtum & vtile quod petunt, auerſantur: & hinc quia nati nihil parentibus ſuorum conſiliorum audent credere, faciunt omnia furtim & clam parentibus. Aliorum tanta eſt auaritia & tenacitas, vt propter nuptiarum ſumptus, aliaque onera, nunquam virgines quas domi habent grandes elocaturi ſint, nec conſenſuri vt nati vxores ducant: nunquam ſatis eſt adulta ætas, tempus differunt, & ſemper aliquid quod cauſentur, & ſit in mora, habent.

Quòd Theologi quidam volunt hanc iniuriam ad communes reipub. deferri patres, aut ad agnatos, faciliùs dicitur quàm perſuadetur. Virginem retinet pudor, adoleſcentem modeſtia, aut reuerentia erga maiores. Faciunt igitur magis in procliui quod eſt, clàm nubunt, & clàm vxores ducunt. Et quamuis hîc ipſos magis pudere deberet, quàm illic; ita tamen humanum ingenium comparatum eſt, vt earum rerum pudeat, quarum nullus eſt pudor; & non pudeat earum, quarum maximè pudere oporteret, quia furtim fit: & pudor hoc habet, vt magis re præſenti moueatur quàm futura. Atque hoc pacto fit vtrinque peccando, vt vtrique poſteà vapulent ad inuicem, & ſibi mutuò pœnas dent. Sed vbi in alterutrum

alterutrum peccatum incidendum est : satius est natos parentum morositatem & duritiam pati, quàm ipsos suo honore fraudare. Quocirca quicquid illud sit quod leges tolerant, ab officio natos non excusat, vt leuius apud Deum eorum peccatum sit.

CAP. XVII.

Contra eos, qui parentum authoritatem in nuptiarum negotio eleuant, disputatio.

SEd quia sunt quidam qui parentum authoritatem in nuptiarum negotio eleuant, & eos consilio natorum relinquendas contendunt, citra delectum vllúmve discrimen ætatis, locorum, & legum, eorum audire argumenta operæpretium arbitror.

Connubij vinculum (aiunt) est coniugum mutuus amor, quem cùm parentum nemo natorum animis indere queant, tota res est permittenda futuris conjugibus.

Libertas in sponsionibus matrimonialibus est necessaria : eam autem parentum timor & reuerentia aut tollit, aut certè minuit. Parentum enim voluntas præcedens vel iussus (vt Iustinianus loquitur) vim libertati nuptiarum contrariam natis affert. Suam igitur authoritatem nuptijs non debent interponere parentes, nec natis alias obtrudere coniuges, quàm quas vltrò ipsi sibi expetunt.

Parentum & natorum diuersum est ingenium : quæque ætas suos habet mores. Adolescentia primáq; iuuentus amore ducitur. Senectus lucro & vtilitate omnia metitur. Hinc videmus pleráque connubia inauspicata, quæ coacta veriùs quàm contracta parentum fuerunt authoritate. Longè fœliciora illa sunt quæ verus amor colligat, quàm quæ diuitiarum conciliat cupiditas.

In prima coniugij institutione sancitum fuit, vt propter intimam illam coniunctionem, quæ inter virum & vxorem intercedit, *vir relinquat patrem & matrem, adhæreatq; vxori suæ.* Non igitur ad contumeliam sui factum parentes accipere conuenit, si natus eos deserat, vt cum ea quam sibi delegerit vxore viuat. Istæ sunt ferè rationes quæ allegantur ab ijs qui parentum authoritatem in contrahendo matrimonio flocci non faciunt.

Eas autem confutare haud erit difficile, si primùm quædam præmiserimus : Nos nec auaritiam, nec morositatem, nec iniquitatem parentum probare; si parentes natos coegerint promittere quod nolebant & animo auersabantur, nuptias iure esse inualidas. Sed improbitas quorundam parentum iuri cæterorum nec potest, nec debet derogare. Boni parentes coniuges à natis expetitas non negabunt, nisi causa adsit. Commendatio virtutum, aut puellæ nobilis, familiæq; vnde orta est, similiter & iuuenis cuiuspiam, vim nemo rectè interpretabitur. Si pater matérve natæ natóve indicent, quem sponsum sponsámve illis optent, quem sibi generum, & quam nurum, cogere dicendi non sunt.

Quòd amorem ingenerare non possunt natis, quid hoc ad rem; quamdiu tantùm suadent & hortantur, nec cogunt accipere quos non diligunt? Si ament qui amari digni sunt & commodi coniuges, à nuptijs non prohibent. Præterea non quiuis amor idoneus iungendis connubijs est. Alius enim maritalis & vxorius amor est; alius est lasciuus, impudicus, & meretricius. Ille ratione & iudicio constat, hic ardore libidinis succenditur : ille honestus est & constans, hic turpis & mobilis. Vtro horum moueantur nati, explorare parentis est; vt hunc restinguant, illum foueant.

Metus & reuerentia parentum ad hoc si valeat, vt petulantiam frænet, lasciuiam coërceat, & impudicitiam tollat, laudem meretur; castis nuptijs ea nihil officit, quas aut ipsimet eligunt nati, aut suadentur à parentibus. Si fortè aliquibus adeò iniqui sunt parentes, vt terrore & minis extorqueant consensum à natis in nuptijs, à quibus eorum abhorret animus alibi defixus, quid dicam? parentes illi malè faciunt, nec bene natis suis consulunt. Sed numerentur mihi tales nuptiæ, & numerus earum conferatur cum numero, ad quas liber consensus coniugum simul & parentum occurrit; hoc frequens, illud rarum inuenietur. Indulgentiâ vulgò magis peccatur à parentibus, quàm nimia seueritate.

Voluntas iusúsq; parentis præcedens cogẽdi habet vim apud natos. Esto : modò coactio illa non procedat à parente, sed à nato obsequente patri, & nihil non deferẽte patriæ voluntati. Qui ita cõparati sunt, facilè amabũt quos amari parentes volunt. Apud natos qui erga parentes ea sunt prediti pietate, quam naturæ ratio postulat, voluntas parentum vim

ſemper,& pondus habuit præcepti: ſed libertatem quæ in nuptijs requiritur non adimit.

Erga natos ea debet parentũ eſſe lenitas,vt ipſis familiariter indicare audeant,illa quem procum diligat, & ille quam vxorem expetit. In qua re quoniã iudicio facilè fallitur adoleſcentia,parentibus obtemperare,& eis pluſquàm ſibi credere,Chriſtianæ eſt modeſtiæ.

Sed amor (iniquies) morbus eſt, qui, vt canit Ouidius, nullis eſt medicabilis herbis. Salubribus tamen poſſe curari monitis certum eſt. Quæ tamen ſi apud animum ægrotum nihil valebunt, paternæ indulgentiæ author eſſem, incommodis iudicatis, languori dare concupitas nuptias, nati natæve periculo. Longè enim præſtat vt ſeſe poſteà damnent ſtultitiæ & temeritatis, quàm vt ætatem tranſigant in iurgijs cum ingrato coniuge, & parentes perpetuò culpent, ac deteſtentur tanquàm authores ſuæ miſeriæ. Tamen illi morbo nimiùm indulgere, præmoneo non vacare periculo. Furioſus & cœcus eſt, qui ſine diſcrimine impotentes animi in quoſuis abripit, etiam ſanguine proximos,æquè ac in alienos. Non igitur magis excuſationem ineundis nuptijs contra voluntatem parentum idoneam affert, quàm ſtupris & inceſtibus.

Parentum & natorum diuerſa ſunt ingenia. Diuerſitas illa facit, vt de re grauiſſima, cuius mutandi poſteà nulla futura eſt poteſtas, conſulendi ſint parentes, qui longo rerum vſu plus natis in hac re ſapiunt; nec turpius eſt moueri vtilitate, quàm voluptate. Pecunia gratior eſt ſeni, forma iuueni: hic voluptate ſua trahitur, ille vtilitate mouetur: vtrum præſtat? vtróuis horum modo contractæ nuptiæ, ſi hæreant ſibi, nec vlteriùs ad præſtantius bonum reſpiciant, æquè pariter in vitio ſunt. Auari parentis affectus praui ſunt: at natorum inuitis parentibus nupturientium libido non eſt bona. Si alterum hic cedere alteri, æquum eſt: an non hoc æquius eſt, natum ad mores ſui patris ſe accommodare, quàm hunc ſtultæ filij cupiditati obtemperare? Si auaritiâ parentum potiùs quàm amore coniugum, contracta quædam connubia inauſpicata conſpiciuntur, ſciant non minùs luctuoſa eſſe ea, quæ petulantiâ & libidine natorum conglutinantur. Malè ex aduerſo verus amor hic conſtituitur diuitiarum cupiditati, tanquam neceſſe ſit furtiuas nuptias, & quæ contra parentum voluntatem contrahuntur connubia, ex vero naſci amore; & quarum parentes authores ſunt, ex auaritia. Vero amore fœlices nuptias colligari non ignoro: is ſolus eſt matrimonij Herculanus nodus: ſed amori vero falſoq; dijudicando adoleſcentia eſt inepta.

Ex citato Geneſis loco, nihil minùs efficitur, quàm parentibus inconſultis poſſe natos inire nuptias. Imò quoniam tam arctum & indiſſolubile matrimonij eſt vinculum, maturo conſilio antè opus eſt, ne temerè patrem matrémve deſeruiſſe videantur. Quum propagatâ ſobole deducenda ſit veluti colonia ex paterna domo, patrisfamiliâs intereſt noſſe quomodò, & vbi: aliâs aufugiſſe aut eiectus eſſe paterna domo filiusfamiliâs cenſeri poterit, veriùs quàm dimiſſus. Si quid hinc colligi poteſt, emancipatio quædam viri æquè ac fœminæ per coniugium ſignificari videtur. Non me multùm mouent quæ de patria poteſtate & emancipationibus ex Romanorum legibus in contrarium adferri poſſunt. Romanæ ciuitatis leges non ſunt iuris diuini, nec omnium aliarum gentium. Fateor tamen apud Iſraelitas in paterna domo remanſiſſe cum ſuis coniugibus filios familiâs, vtilitatis communis causâ, ex beneuolentia & mutuo conſenſu, non patris authoritate retinentis natum & nati vxorem ac liberos ſub ſuo imperio.

CAP. XVIII.

Coniugium non liberat natos ab officiis debitis parentibus.

Sed hoc quicquid eſt, non idcirco intelliguntur nati coniugio ab officijs parenti debitis abſolui, aut ipſo inconſulto, poſſe bonâ conſcientiâ vxorem ducere, quando parens commodè adiri poteſt, & is eſt qui filij aliquam curam habeat. Quòd ſi parens ſit in Hiſpania, filius in Germania aut in Moſcouia, obſcurus vterque, remoram iniicere nuptiis, aut ſcrupum conſcientijs, ſi conſenſus parentis haberi nequeat, tutum non arbitror. Sunt interdum parentes & nati illis locorum ſpatijs ab inuicem diſſiti, quæ aut adire non eſt facile, aut ad quæ rarò aut nunquam vltrò citróque commeant nuntij: & obſcuritas perſonarum facit, vt inueniri non facilè poſſint, vt ipſis reddantur literæ. Adde quòd neuter literas nouit, & per tertium aliquem ſcribendum

dum est, quem semper ad manum non habent. Quod denique potest esse parentis absentis iudicium de ignoto coniugio, cuius probandi aut improbandi causas nullas habere poterit? Hæc noto propter morositatem quorundam Ministrorum, & imperititam, qui præter omnem rationem à quouis hominum genere de consensu parentum certi esse volunt: nec eorum quæ obstant rationem habent. Personæ illustri est facile, quod plebeio est impossibile. Conditio personarum, locus, & id genus plura, in considerationem venire debent. Pastori prudentiâ & iudicio omnibus in rebus opus est. Quemadmodum non sunt temerè comprobandæ nuptiæ quæ aut contra aut præter voluntatem parentum incuntur: ita non sunt remorandæ, vbi facilè non potest intelligi, aut longa expectationis mora impedimentum est allatura. De hac obedientiæ parte satis, si non plus satis, à me dictum esto. Omnes particulatim persequi immensi esset operis & superflui; præcipuas attigisse satis est, ex quibus reliquæ facilè queant intelligi.

CAP. XIX.

Natis cauenda parentum iusta offensio. Vota, preces, & consilia parentum sunt natis veluti quædam diuina oracula.

EST in re quauis natis offensio vitanda parentum: nec quicquam contra eorum voluntatem committendum, vnde meritò succensere & eis irasci possint: sed potiùs omni ope nitendum est, vt quibus possunt officijs parentum promereantur gratiam: ne rebelles diris execrationibus deuoueant, sed benè precentur pijs. Facilè Deus exaudit iustas parentum preces de natis in vtramque partem; siue officiorum multitudine ac pietate benè meritis fausta & fœlicia optent, siue iniuria & contumelia affecti imprecentur mala; plerúmque vota parentum natis oracula sunt.

Salomon pijs patris matrísque monitis attentas præbere aures liberos præcipit. Inest enim pijs parentibus circa natos propheticus quidam spiritus. Deus enim qui parentes in hac vita suo dignatur nomine, & natis esse vult quod est ipse, sollicitos de natorum salute donat suo spiritu: vt præuideant quæ mala eis impendeant, & quæ bona sint euentura. Quamobrem qui sapiunt, salubria præcepta & consilia parentum, tanquam quædam diuinitùs ad eos missa oracula, obseruabunt.

Quæ Salomon de hac re tam studiosè inculcat, tantùm teneris annis dicta non debent accipi, sed cuiuis ætati, etiam virili: quæ vt præstet robore & viribus corporis, fortè etiam rerum cognitione & scientia; ei tamen fidere contra pij patris sententiam tutum non est. Sera pœnitentia ferè sequi solet bonorum consiliorum contemptum, sed certo certius id euenit, si fuerint à parente profecta. *Stultus contemnit correctionem patris sui; sed qui obseruat increpationem, efficietur astutus.*

CAP. XX.

Nati seruire, & necessaria parentibus ministrare, lege Dei & naturæ obligantur.

NVnc ad illam alteram partem officij natorum venio, quam in ministerio diximus esse positam, vt nati seruiant & ministrent parentibus, si contingat eos seruitio, opera, & auxilio ipsorum opus habere. Huius quoque honoris debiti parentibus, pro varia conditione & statu tam parentum quàm natorũ, plures sunt partes: quarum vnam tantùm pertractabo, eam nempe quæ vicem educationis rependit parentibus egenis. Cuius officij sensus inesse dicitur ciconijs. Quo grauius eorum peccatum conuincitur, qui parentes negligunt. Nihil enim olim tristius accidere credebatur ei qui præmatura morte ante parentes abripiebatur, quàm quòd educationis præmium nullum adhuc reddidisset parentibus, nec esset redditurus. Hinc Homerus,

——— ὐδὲ τοκεῦσι
θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δὲ οἱ αἰών.

Nec enim charis parentibus præmia educationis reddiderat, breuis æui factus.

Principum ac Magnatum filij, eorúmque omnium qui egenos senes parentes nunquam sunt habituri, eadem lege erga parentes tenentur qua cæteri. Reddi enim honor parentibus multis modis potest. Quamobrem operam in primis natos dare oportet, vt quacunque

cunque ratione parentibus omni officio ac pietate ſatisfaciant. Quamuis paria ſe parentibus redditurum nemo ſperare debeat, animi tamen gratitudo, ſtudium, & voluntas opere teſtanda eſt.

Turpiter in hac pietatis parte paſſim peccatur. Par coniugum re tenues, ſuis laboribus multos liberos liberè videmus educare, & eò perducere, vt queant ſibi vitæ neceſſaria conquirere; quorum tamen nemo, nec ſimul omnes, inopes parentes alere dignantur: aut certè ſi fit, perquàm ægrè & difficulter, ſordidè & parcè fit, vt eos pudere debeat.

Quid dicam de ijs qui ſeruorum & ancillarum loco parentibus abutuntur ad miniſteria domeſtica, quibus ipſi miniſtrare & ſeruire deberent? Et quæ maior eſt crudelitas & ingratitudo, accidit interdum parentes negligi à natis, in quos omne patrimonium, & illud non exiguum, contulerunt, vnde lautè viuere & honeſtè potuerant, confidentes ſe curarum expertem vitam cum natis victuros. Sed beneficij immemores nati, eſurire & rebus neceſſarijs indigere parentes patiuntur: aut ad pauperes in ptochodochia relegant: nec quicquam penſi habent, indignum eſſe in ptochodochia aut gerotrophia quamuis honeſta, parentes amandari à natis, quibus abundè eſt vt ipſi eos alant. Fraudare enim hoc eſt egenos, quibus aliunde non poteſt eſſe proſpectum; & probroſum eſt diuiti filio, ſinere vt ipſius parens cenſeatur inter pauperes.

Hiſtoria narratur cuiuſdam opulenti ciuis, qui in vergente ætate omnem ſuam ſubſtantiam filio hæredi dederat, confiſus humaniter ſe à filio tractatum iri, quamdiu viueret. Sed citò filium tædium patris cepit, & vt ſenex in quodã gerotrophio reciperetur effecit: cui cùm per filium quem habebat impuberem linteamina miſiſſet, vnum tantùm ſenex retinuit, & alterum nepotulo reddidit, inquiens: Tu mi fili linteamen accipe, ac penes te in arca adſeruato, quod patri tuo mittas quando ſenex ad hoc detrudetur gerotrophium. Quod iubebatur puer fecit: & interrogatus à patre cur alterum linteamen retuliſſet, ac ſeruaret, reſpondit, ſic auum iuſſiſſe, vt illud (inquit) tibi pater per filium meum mittam, quando ſenex factus in gerotrophio viues. *Turpe eſt apud Chriſtianos, quorum pietas illuſtrior aliarum gentium eſſe conuenit, naturæ iura violari, & pauperi parenti in diuitem filium ingratum, & immemorem accepti à parentibus beneficij, actionem nullam dari.

Solon legem tulit, vt infames eſſent, qui parentes non nutriuiſſent. Qua lege tamen teneri noluit meretrice procreatos, cóſque quos non docuiſſent artem parentes, qua ſibi victum quærerent. Eadem lex aut ſimilis in duodecim tabularum legibus inuenitur his verbis: *Filius arte careas patris incuriâ, eidem neceſſaria vitæ ne præſtato: alioqui parentes educare cogitor.* Conſilium ſapientum qui harum legum fuere authores, fuit, ad liberos in artibus inſtituendos inducere parentes, & neglecti officij punire culpam, negata in natos actione quos nullam docuiſſent artem. Nam ſic cogitabant, qui nullam artem didiciſſet, vix habiturum vnde ſeipſum aleret: nihil propterea debere patri, qui fructum nullo iure videbatur poſſe perere ab arbore, quam non ſeuerat. Hoc pacto puniendam patris negligentiam duxerunt reipub. vtile.

Sed quod legibus, & magiſtratibus pro imperio licet, filijs quibus in patrem matrémve nulla eſt poteſtas, nefas eſt. Non eſt natorum animaduertere in parentes, ſi quid peccauerint. Plurimum intereſt inter ciuilem iuſtitiam, & eam quam Dominus à nobis exigit. Benefaciendum eſt etiam inimicis, quid verò parentibus? Quamobrem ſi ſuo officio exactè vt debebant non fuerunt perfuncti parentes, non idcircò filij abſoluuntur, ne ſimiliter præſtent ſuum. In lege ſua Deus natos honorare parentes iubet nulla exceptione addita, ſicut Solon & duodecim tabularum leges fecerunt. Quocirca natos meminiſſe oportet, naſcendi vtrumque parentem dediſſe ipſis initia: ſe illius beneficij & primæ educationis debitores perpetuò futuros parentibus. Faſtidia decem menſium, puerperij cruciatus, anxia in educando parentum ſollicitudo animo grato & memori nunquam excident. Quicquid nati conferent in parentes, erit infra meritum compenſatio.

Præmium tamen Deus vitam longæuam promittit, ſuorum parentum cultoribus, ne quem pigeat etiam in malos parentes fuiſſe pium: & vt nouerint nullum parentis in ipſos eſſe peccatum, quod remorari eos debeat ab officijs pietatis. Quemadmodum quod humanæ naturæ debetur, nulla iniuria minuit, quin debeatur etiam iurato hoſti, quatenus homo eſt; ita pietatis officia manent tam diu debita parentibus, quamdiu parentes ſunt.

Diſcrimen

Discrimen tamen non tollo inter bonum & malum parentem, sed vno illo quod modò dixi nomine, malum parentem honorandum asserо, quia parens est.

Ille verò qui bonus & clemens fuit,& qui ab incunabulis natorum benè mereri de eis nunquàm destitit,pluribus est nominibus colendus.Qui secus sentit aut facit,viuere haud dignus est. Nati igitur qui in longam senectutem vitam prorogare desiderant, vitæ suæ authores quales sunt, omni obseruantia ac pietate colant. Piè veréque dictum hoc est, ἰκαρὰς βιώσεις γηροβόσκων τὰς γονεῖς.

Nullas ego excusationes hîc admitto. Dies noctésq; laborandum est natis, vt esurientem patrem cibent,& mendicando potiùs stipem colligant si cætera desint,& hoc tantùm supersit, quàm vt parentes fame, ac rerum necessariarum inopià perire sinant.

CAP. XXI.

Exempla pietatis natorum in parentes.

APud Sophoclem extat insigne exemplum pietatis. Antigone patrem cœcum,regno pulsum, mendicum, in exilio sequi maluit, & mendicare, quàm in opulentia & aulicis delicijs deserto patre Thebis viuere.

Sed exempla quæ Valerius Maximus narrat, maiorem habent admirationem cum stupore. Historiam referam ijsdem ac totidem quibus ipse verbis: *Ingenui sanguinis mulierem Prætor apud tribunal suum capitali crimine damnatam,Triumuiro in carcere necandam tradiderat: quam receptam,is, qui custodiæ præerat, misericordiâ motus, non protinus strangulauit. Aditum quoque ad eam filiæ,sed diligenter excussæ,ne quid cibi inferret, dedit: existimans futurum,vt inedià consumeretur. Cum autem iam dies plures intercederent,secum ipse quærens quidnam esset, quo tamdiu sustentaretur,curiosiùs obseruatâ filiâ, animaduertit illam exerto vbere famem matris lactis sui subsidio lenientem. Quæ tam admirabilis spectaculi nouitas,ab ipso ad Triumuirum, à Triumuiro ad Prætorem, à Prætore ad Consulum iudicium perlata,remissionem pœnæ mulieri impetrauit. Quò non penetrat, aut quid non excogitat pietas, quæ in carcere seruandæ genitricis nouam rationem inuenit? Quid enim tam inusitatum, quid tam inauditum, quàm matrem vberibus natæ alitam? putauerit aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset. Idem prædicatum de pietate eius existimatur, quæ patrem suum Cimona, consimili fortuna affectum,pariq; custodiæ traditum, iam vltimæ senectutis velut infantem, pectori suo admotum aluit. Hærent ac stupent hominum oculi, cùm huius facti pictam imaginem vident: casusq; antiqui conditionem præsentis spectaculi admiratione reuocant, in illis mutis membrorum lineamentis,viua ac spirantia corpora intueri credentes. Quod necesse est animo quoque euenire aliquanto efficaciore pictura literarum vetera pro recentibus admonet recordari.* Hæc Valerius. His plura ducerem adijcienda, nisi hæc pauca sufficerent, & prolixitas vitanda esset. In hac officij parte ad quam naturâ ducimur præstandam parentibus, satis immoratus sum: de ea me similiter aliquid dicere conuenit, quæ inuiolatos & sacrosanctos parentes natis reddit.

CAP. XXII.

Natis parentes sacrosancti & inuiolabiles sunt.

DEus in lege quam Israëlitico populo dedit, mortis supplicium decreuit eis qui numinis ipsius maiestatem maledicto læsissent: eâdemq; pœnâ quisquis Regi vel parenti maledixisset,iubetur affici Quare graue crimẽ sit oportet,quod pari supplicio vlcisci Deus voluit, quo læsam suam maiestatem puniendam censuit.Nimirũ quia rex & pater imaginem referunt Dei: sũntq; quodam modo subiectis & natis in hac vita quod ipse est.

Sapienter hoc vt alia pleraq; Cicero dixit in oratione pro Roscio Amerino. *Quum sit pietas virtutum fundamentum,patrem filius vt Deum vereri debet & colere: neque enim multò secus parens liberis est. Quòd si audiatur, filium patri causam necis præstitisse, quis id ferendum putet? Portentum atque monstrum est certissimum,esse aliquem humana specie ac figura,qui tantum immanitate bestias vicerit, vt propter quos hanc suauissimam lucem aspexerit, eos indignissimè luce priuarit: Quum etiam feras inter sese partus educatio, & natura ipsa conciliet.*

Tamen prætextus quæritur ad excusandas cædes, & alias iniurias parentibus illatas, quando disputatur si parens fiat hostis patriæ, aut tyrannus, aut alterius parentis interfector,

fector, aut in Deum blasphemus, & idololatra, posse à filio publica authoritate necari.

Si fortè contingat filium esse regem, aut fungi summo magistratu, & de læsa maiestate, aut aliquo quouis publico crimine patrem postulari; (potest enim tàm in natum quàm in rempub. multis modis peccare) quæritur quod tunc sit nati officium. Inferiores iudices qui sub summo magistratu ius dicunt, ciuilibus in causis parentum suorum non sunt idonei iudices. Summus verò magistratus in publico crimine quid? Quamuis exempla ius nullum faciant, ab eis tamen incipiam.

Cædes matris ab Oreste perpetrata doctorum hominum exercuit ingenia, factum partim excusantium, partim accusantium. De Aegisto nulla controuersia: iure cæsus omnibus visus est. Clytemnestræ verò cædes quamuis excusabatur à multis, ab ipsius Orestis conscientiâ excusari non potuit: sed hominem in furorem egit.

Historia narratur de Carnaba filio Triopæ tyranni Perrhæbeorum, cuius tanta fertur fuisse crudelitas, vt eam ferre filius nequiret. Vt igitur populum tyrannide liberaret, patrem interfecit, & tyrannocloniæ præmium accepit de interfecto parente. Alius quiuis gloriari de hoc facinore potuit, filius non debuit. Nam hoc confesso, tyranni cædem mereri laudem, publicus error in filij conscientia locum non capiet. Vnde coactus est ad expiationis confugere solatia. Sed tantam superstitionis vim non esse reor, vt quietum parricidæ animum queat reddere, quin subinde iudicium remordeat conscientiæ, & mentem exagitet.

Sacra historia de rege Asa refert, quòd Maachæ matri sacerdotium abrogauerit, lucum succiderit, & idolum comminuerit: grauius tamen nihil in eam designauit. Sunt qui id accidisse putant inopia zeli, iudicántq; mortis supplicio debuisse affici: nimirùm quæ post legem quam rex consensu populi tulerat, in sacerdotio perseueraſſet: atque Asam non vacare culpa, qui eam non occidi iusserit. Verùm an natus matrem morte debuerit punire, non mihi satis liquet.

In Deuteronomio lex quidem nec fratrem fratri, nec maritum vxori, nec parentes natis parcere sinit, si ad idololatriam hortatores fieri contingeret: sed & deferre, & primos esse, qui in impios iaciant lapides, iubet. A natis autem deferri parentes, & lapidibus mactari, atque paterno aut materno suas fœdare manus sanguine, lex Dei nusquam præcipit.

In Exodo quando Moses Leuitas armari iubet, ad expiandam idolatriam impiorum sanguine, atque ita vnumquemq; suas consecrare manus cæde natorum, fratrum, & amicorum, non addidit parentum: cum tamen in promiscua multitudine, pleróque æquè parentes habuisse impiatos cultu vituli, sit verisimile, ac fratres aut natos. Sed portentum fuisset natos in parentes desæuire: contra quos exeruisse manum ad pulsandum, aut conuitium protulisse, parricidium est. Natis parentes sacrosanctos esse atque inuiolabiles Deo placuit.

CAP. XXIII.

Exempla barbaræ crudelitatis natorum in parentes.

GAndaui in ponte proximo arci, quæ dicitur vulgo Comitis, statuæ æneæ duæ visuntur, altera obligatis oculis, ac poplitibus flexis, carnificis expectare manum videtur: altera astat tanquam carnifex, qui gladio sit percussurus: de quibus per manus à maioribus tradita huius rei gestæ historia narratur. Olim patrem & filium ob maleficia capite damnatos, diu in custodia fuisse seruatos: quòd nemo carnifex inueniretur, qui eos necaret. Itaque magistratui visum fuisse, alterum eorum seruare ad obeundum carnificis munus: satis supplicij fore rati, si aut pater natum, aut natus parentem percuteret. Primò hæc conditio parenti oblata est: sed paternus amor vitam nece filij redimere noluit: ad filium itur, cui & vita promittitur, si genitorem gladio ferire velit. Hic conditionem accepit (& horrendum dictu) patrem qui eum genuerat capite truncauit; ac vita priuauit eum qui ipsi vitæ author fuerat: & quod paternus animus in filium designare non tulit, nati crudelitas in patrem perpetrauit. Vnde monumentum erectum est in æternam tam tetri facinoris detestationem, cum hac inscriptione, Amor descendit, non ascendit. Barbarum exemplum barbaro seculo editum credi posset, nisi monumentum in facti detestationem erexissent.

Mecum

Mecum satis mirari non potui Iudicum illius ætatis iudicium: quæ ratio aut quæ æquitas persuaserit, vt impio & crudeli facinore, quod ipsi minimè probabant, publicum crimen puniendum ducerent. Nam quod patri propositum fuit, nimis durum & ferum erat; quod nato, iniquum & impium. At criminum atrocitas magna erat, (inquiet aliquis) & fieri potuit, ad illa patrem ducem & authorem se præbuisse filio. Esto: non idcircò erant vindicanda portentoso facinore. Quæ potuit esse mens, quis sensus populi, qui hæc spectare sustinuit? fœdati enim sunt hoc spectaculo omnium spectatorum oculi. Publica crimina publicè in exemplum ad terrorem puniuntur: & hæc bona creditur esse ciuitatis disciplina: quæ in exemplo nulla est. Sed ordo naturæ ac lex violatur, quando in sumendo de crimine supplicio, impunitas crimini datur, & vitæ donatio fit præmium impiæ filij in patrem immanitatis.

Quando legi, apud Venetos proscripti patris filium, quoque exulem, attulisse caput, & præmium lege decretum postulasse, & à magistratu abstulisse, mirari destiti vetus Gandauense monumentum: cuius non insolens nostrâ ætate profertur crudelius exemplum, nulla statua posterorum memoriæ transmittendum. Ibi vterque in custodia, nec spes salutis vlla, nisi in alterutrius morte: hîc vterque liber & extra vitæ periculum, nisi à filio parẽti qui nihil minùs suspicabatur, fuissent positæ insidiæ, & nece patris non vita, sed patria empta esset, cui orbis vniuersus ad habitandum & viuendum cum patre patebat. Tantíne Venetiæ vt perfido genitoris parricidio, à nato fuerint redimendæ? aut pecunia tanti æstimari potuit, vt eius gratiâ filius mactaret patrem? huius facti infamia amplissimũ Senatum Venetorum infamat, & monstri turpitudo pulchritudinẽ ciuitatis deformat.

Monstra sacrificijs expiare mos apud priscas gentes fuit: quòd malum semper aliquod locis vbi nascebantur portendi arbitrarentur: ecquid hoc portento monstrosius terra vnquam tulit? & nihil mali reipublicæ allaturum timetur? Væ terræ quæ monstra huiusmodi in suis alit visceribus. Nihil moror legem communem toti ferè Italiæ, quæ ne proscripti sibi fidere audeant, & coire in perniciem reipublicæ, amplissima præmia proponit ipsis etiam exulibus, qui caput afferunt exulis. Vtilem legem fateor reipublicæ, si modò excipiantur iura naturæ. Sin ea mens legis fuit, vt nati parentum exulum insidientur vitæ, præmiúmque referant de interfecto parente, quasi nihil interfit, quem exulem exul, aut alius quiuis neci dedat, patrem aut alium quemuis; iniquam non dicam legẽ, sed barbaram & impiam, Scythicis nationibus & Amaricanis magis dignam quàm Venetis aut Italis. Præposterè impietate procuratur pietas. Qui proditor patris est, ciuitati fidus ciuis erit, scilicet, & pius in patriam, qui in patrem fuerit impius?

Dum patris carnifex liber in vrbe obambulat, & in oculos incurrit aliorum ciuium, fierine potest vt quisquam sit, qui non statim cogitet, hic est ille qui parentem interemit suum lucri causâ: qui si saperet, lucem & conspectum fugeret omnium, quos tam tetri facinoris nosset conscios. Quomodo animos hominum occursu tam ominosæ impietatis perculsos affici credendum est? Aut enim detestantur tetrum facinus, aut contemnunt, aut leue putant. Qui initio abhorrent, facilè propter quotidianam frequentiam tempore desinunt: & incipiunt ad immanitatem cædis occallescere, & nihil differre ab ijs qui contemnunt, & leue ducunt necare patrem: quia non tantùm impunè id fieri, sed præmio honorari vident, atque ita per omnium animos impietas peruadit: & simul eodem omnes implicantur crimine. Nihilo enim melior est qui in scelus consentit, illudque calculo suo probat, eo qui designat.

Multa occurrunt in historijs & poetarum fabulis huius feritatis exempla: & natos crudeliter in parentes desæuijsse, sicut & contrà, parentes in natos, nouum id hodiè non est. Verùm quando Solon Athenienſi populo leges olim scripsit, contra eos qui parentes necassent nullam legem tulit: quòd aut tantum scelus in hominem cadere non crederet, aut tantum nullum pôtuerit excogitare supplicium, quo dignè tanta expiaretur impietas.

Neminem vnquam audiui adeò corrupti iudicij, qui hæc quæ narraui facinora probaret: nihil tamen in eis inest, quod, si in alijs quibusuis consideretur, turpe sit. Venia datur crimini vtilitatis publicæ causâ; & qui damnatus erat, fit lictor, ac magistratus authoritate hominem publico iudicio damnatum percutit. Nihil hic est à quo mens humana abhorreat. At vbi audit ignosci filio vt iugulet patrem, & nece patris natum redimere aut vitam, aut patriam, mens horret, ac secum indignatur in ipsam peccari naturæ legem.

CAP. XXIIII.

Iusta patri causa esse potest inferendæ nato necis ; ipsi verò, vel vt tantùm pulset parentem, nulla.



Ametsi enim multis modis mens hominis corrupta sit, pietatis tamen tanta est gratia, vt non possit non placere & commendari omnibus: & contrà tanta est in impietate turpitudo, vt in odiũ apud omnes incurrat. Quod si pater ob illas quas diximus causas, filium morte affeciſſet, durus quidem pater, sed nihil absurdè facere æstimaretur. Occidendi natum patri iusta causa esse aliquando potest, nato verò vt patrem vel tantùm attingat, nulla. Præclarè quidam dixit, Nullum tantum scelus à patre admitti posse, quod sit parricidio vindicandum.

Brutus filium securi percuti iussit, quòd cum alijs quibusdam adolescentibus de reuocando Tarquinio cogitasset. Hæc patris seueritas libertatis patriæ vindex laudatur: quia reipub. salutem prætulit priuato affectui. Quid si filius Consul patrem in consimili crimine deprehendisset? eandémne laudem de necato patre referret? Pater tamen patriæ proditor non minùs supplicio quouis alio ciue dignus est: sed filius non est idoneus patris sui iudex nec carnifex: quia nulla est tanta impietas, nullum tantum scelus quod sit patricidio vindicandum. Quid igitur faceret? deponeret magistratum in libero populo, & de reo sumeretur supplicium ab alio magis idoneo iudice. Quòd si natus rex esset, tractabit parentem vt à filio patrem tractari æquum est.

Irene regnandi libidine accensa filium Constantinum crudeliter oppressit: cui tamen ob reuerentiam materno nomini debitam anteà pepercerat. Hæc pietas ei fuisse exitio videri potest: sed apud Deum & omnes pios, fælicior fuit qui indigna passus est à matre, quàm si eadem designasset in matrem

Execranda fuit, & erit in omne æuum, Antipatri memoria, qui matrem per materna verba vitam deprecantem immaniter occidit. Eadem Neronem comitatur infamia. Nemo excusare potest natos Ludouici pij, qui patrem priuarunt imperio, & in monasterium detruserunt. At multa malè administrabat: sed nati non erant parentis idonei iudices: minùs illius consilij authores. Henricum quintum omnis damnabit posteritas, qui patri imperium ademit, & funesto bello cum est persecutus. Turpitudinem huius impietatis non eluet, ipsi iniecta religio ab Episcopis, nec apud Dei tribunal excusabit.

CAP. XXV.

Filius vocare in ius patrem sine impietate non potest.



Lia quæstio mouetur, vtrùm nati non contra quod ipsos decet faciant, quando parentes in ius vocant. Morum corruptio, & parentum in natos iniquitas fecit, vt legibus permissa sit actio in parentes. Contra tamen reuerentiam, quæ à natis coram Deo in conscientiæ iudicio debetur parentibus, id mihi fieri videtur. Quàm multa sunt iniqua quæ iudicari nequeunt ab hominibus. Non enim semper conueniunt ciuiles constitutiones cum legibus conscientiæ, nec possunt. Quemadmodum Deus iudex est inter natos & parentes, ita quoque sunt leges: sed non quicquid Deus legesque vindicant, cuiuis licet iure persequi. Multa leges concedunt, quæ non mandant. Aliud conscientiæ religio suadet apud Dei tribunal, aliud iura in foro ciuili permittunt. In debitorem est iusta creditoris actio: damnum tamen pati, iacturamque facere debiti præstat, quàm apud infidelem magistratum fratrem in ius trahere, aut aliàs opprimere. Sic dico natos debere potiùs iniuriam parentum ferre, ac dissimulare, quàm vllam actionem in illos intentare. Nam aut iusta causa erit, aut iniusta: si iusta, parenti palàm inuritur ignominia, quando ipsius apud iudicem detegitur quam tectam oportuit improbitas, quæ, quo maior, eò turpior, grauiorque est, qua parens afficitur contumelia. Sin fuerit iniusta, tunc manifesta in parentem committitur impietas, etiam legibus vindicanda.

Rectè quidam & sapienter inter patrem & filium futurus iudex, sic priùs iuuenem allocutus est: Si (inquit) iniustam litis causam contra patrem sustines, meritò condemnaberis: sin iustam, & sic quoque condemnaberis, quia contra patrem agis. Nota est Noahi & trium filiorum ipsius historia, Semi, Hami, & Iapheti. Hamus patrem irrisit, & turpitudinem,

dinem, quam texisse debuit, fratribus cum lubibrio indicauit. Semus & Iaphetus eam pallio pudenter contexerunt. Quam ob rem illi in posteris mala imprecatus est pater, & his fausta & fœlicia omnia exoptauit.

Quid igitur fiet in hac corruptione morum, & quorundam parentum astorgia, qui quauis tigride in natos inclementiores sunt? Num æquum est natos à parentibus impunè iniuria affici? In lege sua Deus vetuit primogenitum magis dilectæ vxoris, seniori ex altera coniuge minùs gratæ præferri. Legibus ergò parentum iniquitas potest coërceri: & frustrà natis cautum esset, nisi ipsis fas sit ad leges confugere.

Respondeo: si iniuriam contingat esse tantam, & tam atrocem, vt tolerari non debeat, intercedi ab agnatis malim, & contra parentes defensionem & patrocinium natorum suscipi, quàm aut ordinem naturæ perturbari, aut reuerentiam quæ debetur parentibus violari. Lex Dei quæ officium parenti præcipit, vetatque inter natos personæ delectum, non iubet natos in iudicium trahere parentes, & cum eis publicè iudicio experiri. Successionis ea lex est, quæ & legitimas habet exceptiones, referturque ad fratrem, qui defuncto patre hæreditatis partem adire vellet maximo natu iure debitam.

Historiæ velim Christianos meminisse, quam de Manlio adolescente Romano narrat Valerius Maximus: *qui audito diem dictum patri à tribuno plebis Pomponio, quòd eum rustico gra uatum opere publicis vsibus subtraheret, vrbem petijt, & se in Pomponij domum prima luce direxit: qui existimans in hoc eum venisse, vt patris crimina à quo plus iusto asperè tractabatur deferret, excedere omnes iussit cubiculo, quo licentiùs remotis arbitris indicium perageret. Nactus occasionem opportunam proposito suo iuuenis, gladium quem tectum attulerat distrinxit, tribunúmque minis & terrore compulsum iurare coegit, à patris eius accusatione recessurum: eóque effectum est ne Torquatus causam diceret. Commendabilis* (inquit Valerius) *est pietas, quæ mansuetis parentibus præstatur: sed Manlius, quo horridiorem patrem habuit, hoc periculo eius laudabilius subuenit, qui ad eum diligendum, nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat.* Videre gentiles quid natum in parentem deceat: & obseruantiam filij in durum patrem, non laudare non potuerunt. Turpe est Christianis pietate vinci à gentili.

CAP. XXVI.

Contra patrem filius non est temerè audiendus.

QVandoquidem publica crimina puniri reipub. interest, quæritur an filius patris delator audiendus sit: conscius enim natus esse potest furti, adulterij, cædis, latrocinij, quæ pater suus patrarit. Paulus ad Romanos non tantùm morte dignos censet, qui crimina morte punienda committunt, sed eos etiam qui consentiunt. Celare enim, & silentio tegere, quæ Deus ipse & ciuilia iura morte plectunt, facinorosum est. Domus Achan simul cum patre perijt, vtpote particeps sacrilegij quod texerant silentio.

Respondeo: consentire sceleri eum, qui cùm illud impedire potest, non impedit: non autem qui tantùm conscius est, cui & displicet, liberterque obsisteret, si in se situm esset. Familiam Achan debuisse ipsum accusare, non inde colligitur, quòd pari suplicio cum eo fuit affecta. Totus Israel ignarus perpetrati sacrilegij, idcirco quoque in discrimen venit. Tamè aut parens in scelere perseuerat, aut abstinet, factíque pœnitet. Si perseuerat, nec à sceleré queat detereri, admonendi erunt prudenter quorum interest, & ad quos iniuria pertinet: quando autem in solum Deum peccatur, pro parentis peccato, assiduis precibus Deum obsecrabit.

Quando verò in patriam, & principem atrocia molitur, à quibus deduci nequit, quum & patriæ & principi communi omnium parenti, non minor debeatur pietas, quàm genitori, prædicet natus se prodituru eum (si tutò possit) qui si pergat, etiam prodet. Nam erga principem patriamque pietas, plus in se ponderis habet, quàm priuata eius qui genuit caritas. Vitæ initium parens semel dedit, quam patria continuò alit, & princeps defendit. Sin desistat à crimine parens, durum est leges exigere vt filius paterni criminis fiat index, mortisque causam adferat vitæ suæ autori.

Omnis parentis sui accusator aut index suspectus esse debet: nec facilè fides ei habenda, ne lucri spem aut aliam commoditatem ex morte patris conceperit. Sæpè vitam parentum obstare sibi, nati persuasum habent, & longior vita molesta est. His rationibus & exemplis quâ sint obseruantiâ ac pietate colendi parentes discere possumus.

CAP.

CAP. XXVII.

De tutoribus & eorum poteſtate.

TVtores in parentum ſubeunt locum: ſed tantùm vtilitatis causâ pupillorum, non ſuâ. Tutoris enim officium eſt omnia referre ad vtilitatem pupilli, & cauere ne damnum capiat, & ipſius res deterior fiat. Excipio feudorum dominos, legeſque quibus tutela vaſſalli cum omnibus emolumentis datur domino feudi, donec ad ætatem maturam pupillus aduenerit. Quæ tutela honoris eſt, non oneris, & in defuncti parentis iura ſuccedit.

Tametſi in pupillum & pupilli rem non ſit par authoritas quæ fuit parentis: arbitrio tamẽ tutoris pupillus regitur, eique reuerentiam & obedientiam debet, quam leges & regionis conſuetudo præſcribunt. Imperium tutoris & poteſtas in pupillum, & in ipſius bona, locorum legibus ac moribus terminata eſt.

CAP. XXVIII.

De pueritiæ & primæ adoleſcentiæ formatoribus.

QVi pueros mercede docent literas, & ad virtutem formant, niſi obſequentes eos habeant, operam ludunt: quod obtinere ſolo amore, (vt quidam volunt) amoto metu, haud eſt poſſibile. Prima ætas ſic comparata eſt, vt quod ipſi in præſens iucundum videtur, præferat rebus in futurum vtilibus: vtpotè quòd illius ſenſum habeat, harum ſit prorſus ignara.

Inde cædendi diſcipulos apud omnes gentes ab antiquis tẽporibus mos obtinuit. Quo iure vti præceptores nolim, vlteriùs quàm parentibus eſt gratum. Scire enim eos oportet, nullam poteſtatem ipſos habere in libera corpora, niſi quam à parentibus accipiunt. Quòd ſi diſciplina ſcholæ ipſorum id non fert, & multitudinis quàm vnius aut paucorum potior ſit habenda ratio, parentibus puerorum indicent. Fieri enim non poteſt vt ſimul pueri degant, quin multa peccent, quæ impunita præteriri non debent. Si parentes nihil non indulgeri ſuis natis velint, eos domi ſuo more inſtituant, bonæ aut malæ educationis percepturi poſteà præmium. Lenitas parentum & nimia indulgentia pluribus exitio fuit, quàm ſeueritas: quòd licentiâ vulgò deteriores omnes ſumus. Duros tamen eſſe parentes in natos non probo: ſed eos vitupero, qui ad natorum peccata non modò conniuent, ſed arrident applauduntque nequitijs, in quas ſeueriter eſſet animaduertendum. Cœcus plerunque parentum amor eſt, nec ſatis idoneus ad virtutem formandis natis: & qui deligitur ad eam rem, aut iuuenis eſt, qui regi magis adhuc dignus eſt, quàm regere. Ardua res eſt inter delicias domeſticas, & maternas blanditias, ac ſeruorum adulationes, eneruatum mollitie animum ad ſolidam aliquam formare virtutem.

Quiſquis igitur natos rectè tum in moribus tum in literis inſtitui deſiderat, deligat ſcholam à ſuis remotam ædibus, cui vir pietate & eruditione clarus præſit, qui & imbecillitatem ætatis ferre, & meliorem reddere norit: aut talem domi ſuæ habere curet, quem ipſe totaque familia eo loco habeant, vt puer aliorum exemplo, ad præceptoris ſui reuerentiam inducatur: cui tanquam alteri parenti libenter ſe ſubijciat. Ei, ſi poſſit fieri, alij duo, aut tres ætate pares addantur, vt æmulatio diligentiam excitet, & ſocietas tædium ſolitudinis leuet.

Hic pueris præcepta nulla obedientiæ trado, quam à parentibus & præceptoribus inſtitutione potiùs diſcere conuenit, quàm ſcriptis præceptis. Idcirco eos potiſſimùm alloquor, in quorum pueri ſunt poteſtate. Sed de hac re hoc loco ſatis.

CAP. XXIX.

De ſeruitute & herili imperio.

QVemadmodum naturæ lege parentibus ſubiecti liberi naſcuntur, ita ſerui iure gentium dominis mancipantur. Obligationis vinculum quod natos parentibus adſtringit, libertati non aduerſatur. Illud quod dominis ſeruos obligat, coactum eſt, & legibus introductum. Sed quia eſt naturæ conſentaneum in hac mortalitate, & pleriſque vtile ac neceſſarium, fortiter ferendum ſeruilis conditionis onus ijs, quibus eſt iure impoſitum.

Varijs

Varijs modis seruus quis fieri potest, & sui corporis amittere potestatem: quos omnes recensere breuitatis causá nolo. Quisquis seruus est, iure gentium seipsum contra receptas leges, quæ seruituti eum addicunt, in libertatem asserere non potest: à legibus quæ nata est seruitus, non nisi legibus soluitur. Publicas infringere leges religio bonæ conscientiæ non permittit. Cuiusque possessiones constant legibus, quas si priuata authoritate frangere liceat, incertum erit quidquid quis possidet. Quocirca quamuis in bello captus vim patiatur, fugere tamen ab eo cui vænijt, aut ab eo qui in bello seruauit, vitamque dedit, quando eripere potuit, iniquū est. Postliminij leges non tollo, sed conscientias Christianas informo, & quid apud Deum liceat doceo.

CAP. XXX.

Vnde primùm seruitus nata sit.

VNde primùm nata sit seruitus quæri solet. Aristoteles disputat quosdam naturâ nasci seruos, & iurisconsulti æstimant, naturâ omnes nasci liberos. Ille naturâ comparatam seruitutem, hi ex iure gentium habuisse originem arbitrantur: ambo quidem verbis, nihil sensu & re discrepant. Ius gentium naturæ quædam lex est: quamuis ego multis in locis eam latiùs extendo, & distinguo, quòd ius gentium à naturæ lege natum sit; itaque vt causam ab effectu, vel à genere speciem, ab inuicem illa segrego.

Vocabula hæc, natura & libertas, alio atque alio significatu accipiuntur. Natura speciem & formam humanæ naturæ, & ipsius partes, & ea quæ eam ἰδιωδῶς (hoc est essentialiter) comitantur, designat: & est communis omnibus & singulis hominibus, secundùm quam nec liber, nec seruus, nec musicus, nec grammaticus, nec poëta, nec orator, nec faber, nec sutor quis náscitur, sed homo. Eadem nascendi lex est omnibus, qua homines nascuntur. Rex, subiectus, dominus, seruus, infans recèns natus, decrepitus senex, stultus, sapiens, fœmina, mas, pariter æquè sunt homines, nec quisquam alijs præstat, aut inferior est, quatenus homines sunt. Hoc modo libertatis vocabulo nihil aliud significatur, quàm similis naturæ humanæ in omnibus conditio. Sed dictio natura quoque proprietatem singularem vnius alicuius indiuidui significat, cuiusmodi est constitutio propria corporis & animi Socratis, aut Aristotelis; & propensio insita aut ad liberales scientias, aut ad artes mechanicas, cum ijs quæ consilio casúve cuiuis homini interuenire possunt, & naturâ capax est. Gratiâ exempli, homo naturâ dicitur animal disciplinarum capax, vnde quidam dicuntur naturâ poëtæ, pictores, aut aliud quidpiam quò suopte ingenio feruntur. Hoc sensu Aristoteles dixit quosdam naturâ seruos esse, hoc est seruili ingenio, & aptiores ad seruiendum quàm imperandum. Quotquot natura sibi inutiles imbecillitate ingenij, nisi aliorum regantur arbitrio, genuit, naturâ serui sunt, & ad seruiendum nati.

Prætereà qui libertate priuari meruerunt, & digni sunt, quocunque modo id euenerit, peccato suo aut alieno, ad quos pertinebant, aut à quibus procreati sunt; iure gentium seruī dicuntur.

Statim à diluuio post restaurationem generis humani, imprecatio Patriarchæ Noah contra Canaan, seruitutem futuram denunciauit. Abraham ingentem seruorum multitudinem domi habuisse oportet, quando trecentos vernas armatos ad insequendos reges eduxit. Lex circumcisionis, Iosephi venditio, bella quæ cómemorantur in sacra historia, abductos homines in seruitutem testantur. Quocirca aut absurda est eorum opinio, qui simul cum bellis natam seruitutem censent, & Latinis dictos esse seruos, quòd à cæde seruarentur.

CAP. XXXI.

Quod sit seruorum officium.

DE seruorum autem subiectione & obedientia præcepta multa extant tum in veteri tum in nouo Testamento: ex quibus quod sit officium serui discere possumus. Pluribus enim locis Paulus seruos adhortatur vt dominis iniquis & crudelibus pareant bonâ fide, tanquàm Deo inspectore & iudice; à quo mercedem sunt accepturi, si fortiter tulerint conditionem seruilem, quam ipsis Dominus imposuit.

impoſuit. Idem facit Apoſtolus Petrus. Proinde à domino fugere, eumque ſeruitio fraudare, homini Chriſtiano non licet. Oneſimum ad ipſius dominum Paulus remiſit.

Singulas ſeruilis officij enumerare partes nimis prolixum eſſet. Quidquid filius obedientiæ debet patri, debet etiam domino ſeruus: & quanto dignitate inferior eſt, tanto ſubmiſſiùs obedire, nullumque detrectare miniſterium. Ad domini nutum & voluntatem ſeruum ſemper vbique paratum eſſe oportet. Ipſe & quæ ſunt ipſius omnia ad dominum pertinent: nec ſui corporis habet vllam poteſtatem. Si quid clam domino eoque inuito poſſidet, furtum eſt. Quod ſupra demenſum lucratur, ipſius non eſt, niſi quatenus domini beneuolentiâ id conceditur.

Furorem domini vitare, & intentatam mortem fugere fas eſt: vi autem repellere illatam à domino vim, & percutientem referire, minimè: quia ipſe poſſeſſio domini ſui eſt. Contra dominum ſuum quicquam moliri, aut dominum accuſare perpetrati alicuius criminis, aut flagitia quæ fortè commiſit, palàm facere non licet. Leg. Si quis. Cod. de his qui accuſare poſſunt. Arcadius & Honorius Augg. Lege prohibent ſeruos dominorum delatores audiri. *Sed ſi quis eius exiſtimationem, caput, atque fortunas peteret, cuius familiaritati vel dominio inhæſerit, ante exhibitionem teſtium, atque examinationem iudicii, in ipſa expoſitione criminum atque accuſationis exordio, vltore gladio ferietur. Vocem enim funeſtam* (dicit lex) *potiùs amputari oportet, quàm audiri.*

Idē ſentit Tullius in oratione pro Deiotaro, aitque in ea re omnia vitæ ſalutiſque communis atque etiam humanitatis iura violari. *Seruum ſollicitare verbis, ſpe præmiiſque corrumpere, adducere domum, contra dominum armare, eſſe omnibus familiis bellum nefarium indicere: nulli parietes dominorum ſalutem, nullæ leges, nulla iura cuſtodient. Vbi enim quod intus eſt, atque domorum, impunè euolare poteſt, contráque dominos pugnare, fit in dominatu ſeruitus, & in ſeruitute dominatus.* Et ibi tragicum exclamat à Caſtore contra Deiotarum id fieri, O tempora, ô mores! Prætereà ibidem narrat factum Cn. Domitij, qui quondam diem dixerat ad populum Marco Scauro: & cùm ipſius ſeruus ad eum clàm domum veniſſet delaturus criminia domini, eum apprehendi iuſſit, & ad dominum deduci. Idem Tullius hunc morem fuiſſe maiorum teſtatur, vt in dominum de ſeruis quæri non liceret. *Non* (inquit) *quia non poſſet verum inueniri, ſed quia videbatur indignum eſſe, & domini morte ipſa triſtius.*

Sed ſi in maieſtatem Principis, aut in reipub. perniciem herus aliquid meditetur, quod cladem magnam ſi allaturum, nec ab eo deducere dominum poſſit, indicabit eis quorum intereſt. Non enim fidem domino ſeruus nec adiutorium in tanto ſcelere debet. Quæ autē perpetrata ſunt, nec iam impediri poſſunt ne fiant, & vbi res extra periculum eſt, non eſt ſerui dominum ſuum deferre; nec ſi detulerit, ſtatim eſt audiendus.

Fides ſeruorum in dominos, vt dignè laudatur ab hiſtoricis, ita nunquàm ſatis laudari poſſe videtur. Vnde quis ſenſus ſit, & quod iudicium hominum de hac honeſti parte, diſci poteſt. Perfidiam in ſeruili ingenio nemo miratur; fidem verò omnes ſuſpiciunt.

CAPVT. XXXII.

Sublata ſeruitute corporum, remanſiſſe ſeruilia quædam onera.

SEd ſeruitus apud nos, & pleraque alia Europæ regna, ſublata eſt, & vulgò quid ſit ignoretur. Nec eius vlla eſt ampliùs memoria; niſi quòd in agris & colonis quædam adhuc veſtigia ſeruitutis ſuperſunt: non paria quidem illa vbique; nam hic plura, illic pauciora inuenias, pro dominorum voluntate, qui olim agros ſolos opera & labore ſeruorum coluerunt: & in eorum manumiſſione, ſeruitia & commoda ſibi quædam ſuiſque poſteris reſeruarunt. Cuius rei ignari putant crudelem & inhumanam exerceri à dominis fundorum tyrannidem in agricolas. Hanc vnam cauſam & præcipuam inter cæteras, bellum ruſticorum per Germaniam, patrum noſtrum memoriâ prætendebat: nimirum ſe homines liberos & Chriſtianos, ſeruilibus oneribus præter dignitatem grauari. Non enim cogitabant ſe, aut ſeruili ortos genere, aut vltrò poſſeſſiones agrorum comparaſſe cum ſeruitute coniunctas: & maiores ſuos veteres colonos longè deteriore fuiſſe conditione: vtpotè qui vel ſerui vel glebæ adſcriptitij fuerint. Dominis habendnm eſſe magnam gratiam, quòd contenti iure patroni in liber-

tos,

tos, eos manumiserint, & nunc inter ingenuos censeantur: libertatem Christianam rem esse spiritualem, quam nihil seruitus ciuilis minuat.

Hoc argumentum quia fusiùs à me pertractatum est in lectionibus in Epistolam Diui Pauli ad Philemonem, vlteriùs non persequar. Tantùm admoneo, dominis fundi & patronis, census & seruitia loci moribus consueta, iure non tantùm humano, sed diuino præcepto deberi.

Si quædam sunt onera nimis dura & grauia humanitatis dominorum est ea moderari & tollere: quòd si nolunt, negari tamen à vero Christiano ea non debent. Communi domino Iesu Christo reddituri quidem sunt rationem factorum suorum domini: sed interim ipsi non sunt armis, aut alia vi à clientibus, aut à seruis, aut à libertis cogendi. Quicquid Dei verbum de officio seruorum erga dominos præcipit, & hic locum habet. Duris & inhumanis æquè seruiendum esse bona fide dominis, ac clementibus, & benignis, Apostoli in Epistolis suis vbique docent.

CAP. XXXIII.

De famulis, liberis, & mercenariis.

QVod eos attinet qui à parentibus in minori traduntur ætate instituendi in opificio aut arte quapiam certis legibus, quum spectetur vtriusq; vtilitas, magistros patris affectum, & discipulos natorum assumere conuenit, & quæ diximus de natorum officio erga parẽtes, & seruorum erga dominos, sunt ipsis obseruanda, quamdiu sub eorum disciplina degunt. Semel translata patria potestas ad alium, ante tẽpus à patre reuocari non potest. Quocirca magistro potiùs parendũ erit, quàm parenti, si aliud forte nato mandaret, quàm magistro probatur.

Tyrocinij completo tempore, aut ad patrem remissus, aut sibi permissus, vt deinceps sibi suo more viuat, perpetuò accepti beneficij memorem esse oportet: vt eum omni obseruantiâ colat, sub cuius disciplina ac potestate pueritiæ aut primæ adolescentiæ tempora trànsegit. Si fortè duriusculè se habitum arbitretur, in meliorem partem id interpretetur, idque in suam fuisse rem. Memineritque omnes nos in propria causa non rectum videre, & deteriores facere licentiam, seueritatem meliùs erudire. In summa, mala sepeliat obliuione, accepta bona æternâ recolat memoriâ.

Mercenariorum qui liberi sunt, & operam suam ad aliquod ministerium pacta mercede locarunt, sexus, conditiones, & ætates variæ sunt. Quocircà vna lex præscribi omnibus non potest: nisi hæc vna, nempe obsequia & ministeria debita cum fide esse præstanda; victu & amictu, aut alio quouis pretio libertatem in quoddam seruitutis genus esse commutatam, atque oportere ipsos componere se ad arbitrium & sententiam eorum, quibus se subiecerunt, & suos locarunt labores.

CAP. XXXIIII.

Oeconomis in magnis familiis, & architectis operum parendum esse.

SED quia in magnis familijs principum & regulorum, priuatis quóque in rebus præfectos cum potestate imperandi esse diximus, de obedientia quæ ipsis debetur aliquid similiter dicendum est. Est enim œconomis & præfectis alicuius operis non secùs parendum, quàm patribusfamiliàs ac ipsis dominis, si coràm præsentes adessent.

Nauclero in naui parere nautas oportet, & architecto fabros, cæmentarios, ac reliquos omnes operarios: æquum enim est, mandata fideliter exequi quæ ad cuiusque pertinent prouinciam, eos qui suas locarunt operas. Hìc non parere, nec bona fide versari, improbi hominis est, non boni Christiani: qui vbique in omnibus rebus Deum respicit, & proximo debitum officium persoluit. Ordinem omnibus in rebus & æquitatem Deus seruari vult, in mutua compensatione officiorum. Quemadmodum mercenarium fraudare mercede iniquum est, ita operas non fideliter præstare, furtum. Vult igitur religio vt quisquis operas suas locauit alicui, aut alij quouis modo subest, ei obediat, qui habet ipsi præcipiendi potestatem.

CAP. XXXV.

Legibus & censuris Collegiorum & societatum mercatorum & artificum parendum.

QVocirca nec ordo qui in collegijs & societatibus hominum eiusdem siue opificij, siue artis aut scientiæ conspicitur, mihi est prætereundus. Sapientiæ enim diuinæ quidam radius ibi quoque relucet: quo docemur nullam societatem consistere posse sine regimine. In vrbibus benè constitutis diuersa opificia societates diuersas vel collegia constituunt, quæ suas leges & præfectos habent, quibus societas regitur: item censuras ac mulctas suas quibus subijciuntur, quotquot in illam societatem sunt adscripti.

Sunt tamen tam qui præsunt, quàm qui parent, priuati. Hæc subiectio imperiumq; in ijs duntaxat versatur rebus, quæ artificium concernunt, & conducunt ad eius conseruationem. Et hic fides integra & conscientia bona retinenda est; etiam vbi nulla intercedit sacramenti religio. Pactorum & conuentorum rationem cum habeant plerumque censuræ societatum, eis parendum est.

CAP. XXXVI.

De Academiis & Collegiis literatorum qui liberales scientias & disciplinas profitentur, eorúmque priuilegiis.

QVollegia verò quæ in Academijs videmus studiosorum bonarum disciplinarum, suis quoque constant legibus & constitutis, quibus obediunt omnes qui illic aggregantur. Et ibi præcipiendi authoritas, & obediendi necessitas, ex loci constitutionibus religione conscientias obligant, quamdiu illic versari contingit.

Sed cùm instituta legésq; collegiorum, quarum aut ipsi sibi authores fuerunt, aut quas Principes indulserunt, aut confirmarunt traditas à fundatoribus, contra publici iuris formam; non sunt propriè leges, sed pacta quædam inter ipsos inita, vel priuilegia, quibus ipsa tantùm astringuntur collegia, cum ijs quæ illa concernunt: Principis authoritas non ita legibus illis alligatur, quin ex causâ possit contra illas leges aliquid statuere, quod bonum & vtile videbitur. Violata instituta illa censeri non debent, si quippiam à Principe extra ordinem, contra consuetum morem, aut mandari aut innouari contigerit. Absurdum est Principem qui omnium totius regni sui legum est moderator, priuati Collegii aut etiam Academiæ, legibus & priuilegijs ita esse adstrictum, vt ex causâ contra eas nihil possit mandare.

Quod admonitione vix dignum censerem, nisi scirem adolescentiæ feruorem, facilè specie quadam recti commoueri, quando contra sua priuilegia, & collegiorum instituta fieri aliquid conspiciunt: acsi Principes illis eisdem legibus essent adstricti, quibus ipsi seipsos obligârunt. Vnde non rarò turbæ tum in vrbibus, tum in Academijs nascuntur ignorantiâ officij erga summum Principem: cui licere nolunt, quod sibi permittunt, quoties suas leges ipsi transgrediuntur.

Paucæ Academiæ inueniuntur, quæ turbas, aut cum ciuibus publicè, aut priuatim in collegijs interdum non patiantur. Feruida iuuentus, imperita rerum, nacta duces, facilè commouetur: idque plerumq; eodem ferè morbo imperita multitudo solet, prætextu priuilegiorum. De multis vnum adferam exemplum. Ludouicus duodecimus, quem patrem patriæ Galli vocant, initio regni sui restituit in pristinam integritatem quæ corrupta & neglecta esse constabat: iudiciorum formam correxit, & disciplinæ scolasticorum priuilegia interpretatus est. Itaque decretum suum rex iussit in Parlamenteo Senatu atque alijs regni foris promulgari: quæ res scholã Parisiensem non parùm turbauit, ob violationem priuilegiorũ. Conuenere igitur, & deliberatum fuit de literarijs exercitationibus deferendis: missum est à Rectore ad concionatores, vt plebi indicarent, deinceps cessatum iri à concionibus & scholasticis exercitijs. Multa præterea petulanter & impotenter dicta factáque sunt in ipsum Regem & Guidonem de rupe ipsius Cancellarium. Posteaquàm primus ille æstus deferbuisset, audito regem quæ facta erant iniquo animo ferre, missi sunt legati ab Academia, qui totam rem excusarent, & iratum

Regem

Regem placarent. Quibus, vt est apud Gaguinum, Georgius de Ambasia Rothomagensium Primas nomine Regis his verbis respondit; *Eruditi viri, non mirum vobis esse debet, si aquissimus rex de abusibus, qui prætextu vestræ libertatis committi deferuntur, vestris priuilegiis limites posuerit. Ipsi pro vestra eruditione nostis, quid in his omnibus peccatum hactenus est. Emendare vosipsos prius decebat, quàm alterius censuræ iudicaremini. Neque enim sua opinione rex, sed prudentium virorum consultis ac responsis, errat orum delicta legibus cohibuit, quibus repugnare vos non oportuit: ita vt repentinis edictis à vestro studio cessaretis, prohibentes disserere per Ecclesias populo verbum Dei. Quo medius fidius facto regem à vobis despectum esse quis ignoret? Vestræ libertati detractum ire rex noluit. Dolos amouere, fraudes amputare est arbitratus, non vt vestræ quieti aduersaretur, aut bonos à literaria lucubratione auerteret. Tenet memoria, quanta tranquillitate vos fouerint reges, qui eum præcesserunt. Nouit quæ sunt in regnum suum, & rem communem Christianorum, vestra merita. Sed vestra res sincera esse non potest, quæ peruersorum abusionibus, atque illegitimis negotiis perturbatur. Ea regis conscientia est, vt paucissimos malit doctrinæ recte incumbentes, quàm dyscolorum incompositam multitudinem. Date operam vestrorum mores componere, vt regiis institutionibus audientes, sapientiam, cuius gratia conuenistis, comparetis. Si hoc ritu conuersabimini, tum Principis gratiam vobis impetrabitis, tum priuilegia vestræ communitati affatim conferentur. Hæc cum Pontifex dixisset, petentibus legatis, an aliud præcipere rex illis optaret: ite, inquit, & scholasticos vestros, qui hoc nomine digni sunt, salutate: de malis nulla mihi cura est. Moxq, percusso manu pectore, ipsi me, inquit, suis prædicationibus taxauerunt, illos autem mittam alio prædicatum.* Optimi regis iusta fuit ira, quòd ab illis qui cæteris sapientiâ & eruditione clariores habebantur, & quos omnis modestiæ atque obedientiæ exemplo prælucere populo decebat, publicè proscinderetur.

Alienum ab officio grauium & sapientum virorum est, multitudinem quocunque prætextu aduersùs reges magistratúsue concitare, aut apud imperitam plebem in contemptum adducere. Hunc fructum ab Academijs Principes expectant, vt pietatis & humilitatis disciplina mansuefaciat animorum ferociam. Et, vt ne qua hominum societas in factiones & partes discedat, semper vbique cauendum est: in primis id mali genus præcipuâ curâ vitari oportet ab ijs qui liberales disciplinas humanitatemq; profitentur. Præcipua pars totius Philosophiæ, in officiorum cognitione versatur. Ea literarum studijs operæpretium adfert, & veluti coronidem addit. Quid enim prodest diuinitatis & humanitatis studijs maiorem vulgo dedisse operam, & variam eruditionem comparasse, si nihil quis didicerit, vnde multitudine in amicos, in parentes, in patriam, in Principem, atque in Deum magis pius euaserit? Turpe est eos qui cæteris sunt doctiores, non etiam esse meliores.

Discant igitur omnes, & inprimis sapientiæ studiosi, Christianam modestiam; & hanc de principibus ac præpositis suis opinionẽ (nisi fortè res ipsa clamet contrariũ) habeant, ipsos nihil temerè, nihil nisi iustis de causis, extra ordinem facere. Pluris principis voluntas esse debet constitutiunculis, quando quod naturâ suâ ius & æquum est non violatur: quod si fit, aduersùs hoc malũ non est verum seditio remedium, sed potiùs grauioris mali incendiũ. Dei sapientia cedendum esse malo docet, & tolerantiæ bono illud vincendum.

CAP. XXXVII.

De collegiis & societatibus Prophetarum, Sacerdotum, Leuitarum, Apostolorum, & Episcoporum Ecclesiæ Christi.

COllegia etiam & cœtus habuisse Prophetas in veteri Testamento legimus, quibus præfecti non deerant, qui familias Prophetarũ regebant: sicut constat Samuelem, Eliam, & Elizeum præfuisse Prophetarum filijs, qui subesse ac parère suis doctoribus indignũ munere Prophetico non iudicârunt. Sacerdotes & Leuitæ suos principes quibus subijciebantur, ordinatione diuina habuerunt, etiam in captiuitate & exilio.

In nouo Testamento Seruator noster priuatus quidem vixit, tamen discipulos habuit, qui ei dicto fuerunt obedientes: nec tamen more Regum aut tyrannorum huius seculi imperauit. Posteà Apostoli quosdam assumpserunt, cooperarios & adiutores in opere Domini, qui ipsorum dirigebantur authoritate, quibus cæteri Ecclesiarum

Presbyteri & Episcopi parebant: quod ex Tito & Timotheo, aliisque Apostolorum discipulis clarius est quàm vt probatione egeat. Idem de Petro & Marco dicendum est. Tamen ad omnes Apostolos dictum erat, Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eos, benefici vocantur; vos autem non ita. Quibus verbis si præcipiendi authoritas ita prohibita intelligitur, vt non debeat minister Euangelij præcipere alijs Euangelij ministris, nunquam ab Apostolis id esse factitatum legeremus. Quare ex illis Seruatoris nostri verbis, ab Ecclesia velle tollere veterem Ecclesiæ gubernationem, nisi quatenus id temporis loci que conditio non fert, meo iudicio non paruus est error.

Si nulla alia esset gubernationis forma, præter illam quæ est Regum & magistratuum ciuilium; nec alia superioritas, ab ea quæ est propria huius mundi Principibus; valeret argumentatio quæ à nonnullis ex verbis Seruatoris nostri ducitur. Sed ex ijs quæ diximus, apparet inter priuatos ordinem inueniri, qui superiores & inferiores continet. Quorum alij imperant, alij parent. A negatione enim vnius partis, ad negationem totius generis, malè colligitur argumentum.

Quocirca quemadmodum olim Timotheus & Titus, & alij quamplurimi cum suis Ecclesijs paruerunt Paulo, ac cæteris Apostolis: & similiter Timotheo, Titóque alij Presbyteri & Ecclesiæ: sic hodie pari ratione suis Episcopis & Archiepiscopis Presbyteri cum plebe obedire tenentur, in omnibus quæ concernunt Domini nostri Iesu Christi spirituale regnum.

CAP. XXXVIII.

In corpora, & fortunas Christianorum Episcopi nullam habent potestatem, nisi quam à ciuili magistratu acceperunt.

IN corpora verò & bona fidelium nullam habent potestatem, nisi fortè magistratus eis ciuilem prouinciam commiserit. Vincula & carceres aut corporalem coercitionem Apostolis suis Dominus nullam dedit. Leges interdum concedunt plerisque in locis, priuatis hominibus, vt ergastulis, & vinculis domesticos castigare possint.

Tametsi ministerium Ecclesiasticum, nullam cogendi externam potestatem det Apostolis, aut Episcopis Ecclesiarum, eam tamen non posse dari à ciuili magistratu, si & reipub. & Ecclesiæ interesse videbitur, ex nullo Dei verbo demonstratur. Sed quicquid sit, siue vincula habeant & custodias Episcopi, siue nullas, parendum ipsis est in ijs quæ ad ipsorum munus pertinent: nec leuius hodie peccatum est contemnere Christianum Episcopum, quàm fuit olim summi sacerdotis in populo Dei non paruisse iudicio. Verba Domini nostri clara sunt quæ ad Apostolos est locutus: Qui vos audit, me audit; qui vos reijcit, me reijcit, &c. Successisse Episcopos Apostolis, & eorum tenere locum, alibi fusiùs disputauimus.

CAP. XXXIX.

De collegiis Presbyterorum, qui Canonici, olim Decani vocabantur.

COllegia Presbyterorum qui hodie Canonici, olim Decani vocabantur, suos præpositos habent, & adnumeranda his mihi videntur, quatenus nihil, quod ad ciuilem magistratum pertinet, exercent. Sunt enim Presbyteri Episcoporũ cooperarij in Ecclesiæ regimine. Sed suis decretalibus, priuilegijs, & exemptionibus, turbauit veterem Ecclesiarum politeiam, & authoritatem Episcoporum Romanus Episcopus labefactauit, vt suã vnius stabiliret. Bonus Ecclesiæ ordo postulat, vt omnes alicuius Diœceseos Presbyteri, alijq; qui in Clero censentur, sub obedientia sui Episcopi degant, & ipse ita subsit regulis Ecclesiasticis, vt nemini iniuriam facere possit, etiamsi maximè velit. Cui rei satis Patrum canonibus cautum est, Regúmq; qui susceperunt Euangelium legibus. Quæ vbi vigent, nulla Episcoporum tyrannis metuenda est. Contra leges vsurpata potestas tyrannis est.

In societate sub æqualitatis nomine vnum cæteris collegis imperitare, & sibi præcipuam quandam authoritatẽ adsumere, tyrannis verius appellari poterit, quàm secundùm leges

leges vnum præesse & moderari ea, quæ ad Ecclesiasticum regimen pertinent. Præstat enim longè legitimum habere Episcopum, quàm pati tyrannicum.

CAP. XL.

De collegiis Monachorum & Cœnobitarum.

SVperstitiosos greges Monachorũ huius seculi, & alias societates fraterculorum ego præterirem, vtpotè quæ verbo Dei & iuri gentium aduersentur, & hodie in Ecclesia nihil aliud sunt, quàm nefariæ coitiones & conspirationes contra filij Dei Euangelium, in Regum & magistratuum, atque omnium Christianorum, qui ipsis aduersantur, perniciem. Tamen de ijs aliquid quàm potero paucis dicam, duabus potissimùm de causis: primùm propter veteres Monachos, quorum sanctitas tanquam clypeus veritati obijcitur: quum tamen isti præter nomen, cum illis nihil habeant commune. Deinde propter subiectionem & obedientiam, quam in omnibus rebus suis præpositis magna religione exhibent.

Veterum Monachorum quod fuerit institutum, cùm ex varijs veterum scriptorum scriptis, tum in primis ex vno Augustini tractatu de opere Monachorum, quiuis potest discere.

Origo prima nata est ex persecutionibus contra Christi Ecclesiam motis: quando pij petiuere solitudines, non opinione alicuius sanctimoniæ ex solitario vitæ genere, sed aduersariorum fidei furoris declinandi causâ, & tyrannidis quæ Christi cultores nusquam ferre poterat. Ibi duram viuebant vitam, precibus assiduis & labori manuum intenti. Reddita pace Ecclesijs, cum in vrbes & cultiora loca possent redire, plerisque vita illa à turbis remota magis placuit. Posteà huius vitæ secuta est admiratio, & ad virtutem exercitium non inutile visa est: ac ita multi pietatis studiosi hoc vitæ genus amplexi sunt: qui tamen nullis sese votis, nullis legibus obstringebant: sed quod liberè adsumpserant, liberè poterant etiam dimittere. Præpositum habebant, quem Abbatem vocabant, qui non tam imperabat, quàm præibat, tanquam ad virtutem doctor & dux. Hic conuocatis cœtibus, & ad virtutem & tolerantiam adhortabatur, docebatque non suas aut aliorum hominum superstitiosas traditiones, sed Domini Euangelica præcepta. Et in illis suis congressibus, de pietate, de virtutibus, & sacrarum literarum mysterijs, quæ soli fuerant meditati, & ex verbi Dei lectione didicerant, disserebant.

CAP. XLI.

Priscos Monachos nullis peculiaribus regulis aut institutis fuisse adstrictos.

LEgimus cùm quodam die Monachi qui sub magno illo Antonio degebant, simul conueniissent, eum rogasse vt aliquam viuendi normam, & præcepta quædam eis traderet: sed illũ prolato noui Testamenti codice respondisse, En adest regula quam nos sequi conuenit: hîc habetis omnia rectè viuendi præcepta: his nihil amplius potest addi. Tamen ætas quæ posteà secuta est, exercitia quædam Monachis præscripsit. Quum quisq; sibi lex esset, & pro viribus & constitutione sui corporis externis exercitijs vteretur, nulla superstitio, nullum supercilium, exercitia illa contaminabat. Sed vbi admiratio externorum exercitiorũ peperit æmulationem: quosdam pudere cœpit in illis exercitijs cuiquam inferiores videri. Vnde factum est primùm vt viribus impares, paria adsumerent onera: deinde etiam vt exigerentur tanquam necessaria. Vnde & meritorum & operum supererogationis opinio est consecuta.

Sed hoc omnibus fuit commune, vt secundùm Apostoli regulam, ex labore manuum sibi victum compararẽt. Sacrilegium credebatur vesci pane, quem sudore vultus sui Monachus non quæsiuisset. Ex mendicato aut eleemosynis non viuebant otiosi: nec vllum ex paupertatis professione quæstum captabant: sed ipsi mendicos & pauperes subleuabant. Nam quicquid de laboris pretio supererat (quod non erat exiguum parcè & tenuiter viuentibus) præfectus totum egenis erogabat.

Non censebantur in Clero. Eundem enim esse monachum simul & clericum inauditum erat. Illud vitę institutum cum Ecclesię ministerio non conueniebat. Monachi enim professio solitudinem postulabat semotam à turbis hominum: Ecclesiarum vero ministris in hominum frequentia viuendum est. Quandocunq; tunc accidebat monachum ad Ec-

cleſiæ miniſterium eligi, ſolitudinem relinquebat; & ad vrbes & pagos, vbi erant Eccleſiæ, ſe conferebat. Vulgari eáque vili veſte amiciebantur, ſed quæ nulla erat deformitate notabilis. Tametſi cœlibes plerique omnes viuerent, nulla lex vxorem ducere vetabat; mariti fieri poterant, ac prolem procreare.

CAP. XLII.

Noſtri temporis monachorum mores & inſtituta.

HVic vitæ generi ſi ex aduerſo conſtituas vitam moréſq; monachorum noſtri temporis, veram habebis antitheſin. Nihil enim magis diſſimile, nec magis contrarium fingi poteſt.

Primo enim vitæ inſtituto adhuc pueri adoleſcentuli, rerum imperiti, qui nec ſe, nec ſuas vires, nec vllam viuendi rationem ſatis habent exploratam, implicantur, vnde poſteà regredi nequeunt: idque aut coacti à parentibus, qui numeroſa prole onuſti, vt paucos ditent, cæteros in monaſteria conijciunt: aut illecebris quibuſdam attracti, ac religionis fuco decepti, cucullum induunt.

Alij quorum grandior eſt ætas, quàm vt vlla ignorantia excuſare poſſit, ſuique ſunt arbitrij, deſperatione quadam & impatientiâ rerum humanarum, illuc ſe præcipitant, duplo peiores futuri, quàm ſi, vt ipſi loquuntur, manſiſſent in ſeculo.

Nec deſunt quos otium, & vita mollis, curarum expers magis delectat, quàm labor honeſtus, & vita ſollicitudine & multis ærumnis obnoxia. Vt ſuauiter viuant, petant cœnobia, tanquam aſyla ignauiæ, & impunitatis omnis nequitiæ.

Hæc turpitudo rarè cuiuſdam opinione ſanctitatis, & præcipuè religionis velatur, tanquam pallio, ne ſit conſpicua vulgi oculis. Quia quotquot hodie inſtituta vitæ monaſticæ amplectuntur, ſacramento ſeſe obligant, victuros in paupertate, caſtitate, & obedientia: (quæ tria creduntur eſſe conſilia Euangelica, obſeruanda ijs qui ad ſingularem adſpirant perfectionem) nullum crimen æſtimatur in tante ſanctitatis profeſſores cadere, quod cuiuis è populo facilè poteſt contingere. Sic mundus faſcinatur ſimulatæ ſanctitatis ſpecie.

Nam ſi res ipſas quis ſpectet, inueniet nihil aliud eſſe quàm mera præceptorum Chriſti ludibria. Ridicula paupertatis profeſſio eſt, cuius nomine ingentes aut acquiruntur, aut poſſidentur diuitiæ: & quibus aliàs mendicare turpe eſſet, fit honeſtum: & mendacitas vertitur in quæſtum, cum magna iniuria eorum qui verè pauperes ſunt.

De caſtitate verò quid dicam? Hanc camarinam mouere nolo, ne teter odor exhalet inſuauis lectoribus. Quod Apoſtolus de philoſophis ſcripſit, verè & in iſtos competit: contempti numinis in ſeſe dignam recepiſſe mercedem.

Obedientia verò quam iactitant, ex diametro pugnat cum ea quam Seruator noſter & Apoſtoli verbo docuerunt & exemplo: quæ in hoc fita eſt vt omnes pareant Regibus ac alijs ſummis & inferioribus magiſtratibus: & vt nati ſuis parentibus, ſerui dominis ſubijciantur. Iſti autem his legitimis ſuperioribus ſeſe ſubtrahunt, vt ſub obedientia aut Abbatis, au Prioris, aut neſcio cuius præfecti degant, cui neque iure diuino, nec humano quicquam debent. Atque ita Regibus & vero magiſtratui ſubiectio fidéſq;, & genitoribus debitus honor negatur: nimirum ſecundùm antiquam traditionem quam à patribus ſuis acceperunt, Corban quod ex me eſt, tibi proderit ad ſalutem. Quid dicam? excuſſo Chriſti iugo Babylonicum ſubeunt, & ex liberis fiunt ſerui hominum. Quid enim Abbas aut Prior virtute ſanctæ obedientiæ imperare non audet? Nullus dominus vnquam in ſeruos maiorem poteſtatem ſibi vendicauit, quàm iſti vſurpant in homines liberos. Nemo facilè recenſeret ineptias quæ ſanctimoniæ nomine præcipiuntur, vt hæc ſunt; cribro haurire aquam, arbores aut ſtirpes inuerſis ſurſum radicibus plantare: & id genus innumera, ſtulta, vana, inepta, grauia, & inhumana, ab omni prorſus ratione aliena, quæ hominibus tanquam aſinis imponant: experiundi ſcilicet ingenij cauſa, domandæq; ferociæ eorum quos diſcipulos aſſumpſerunt. His autem parere præceptis innocentiæ & integritatis magnum creditur eſſe argumentum. Hæc fuêre, ſuntq; rudimenta & velut tyrocinia corruptæ obedientiæ monaſticæ, in qua præcipuam ſanctitatem repoſuerunt, quam poſtea licentia ad omne flagitium conſequuta eſt.

CAP.

CAP. IDEM.

Digressio in Iesuiticam obedientiam.

HÆc deliria, quamuis non apud omnes æqualia & paria sint, & alij plus, alij minùs pro suæ stultitiæ mensura desipiant: alios omnes, qui eos præcesserunt, impudentiâ & impietate Iesuitæ in cœcâ (quam cœci exigunt à suis) obedientiâ superant. Primum præceptum, quod discipulis suis tradunt, quandò nouitiatum auspicantur, est, *Ipsos oportere Domini nostri Iesu Christi personã agnoscere, non tantùm in Præposito generali, qui vniuerso imperat ordini, verumetiàm in ceteris omnibus Præfectis illius Societatis.* Credidi anteà hoc priuilegium Romanistas Catholicos vni tantùm Papæ Romano, tanquàm Christi Vicario, tribuere: & illum esse solum, in quo Christi personam loquentem Christianos audire oporteret. At hodiè postquàm Loiolæ discipuli emerserunt, Papa Romanus multos socios nactus est: qui posthâc de hoc honoris genere, cum eo certabunt. Isti mortales nunquâm cogitârunt sibi, in præcipiendo alijs, humanitùs multa posse interdùm accidere, quare ipsis parendum non erit. Ita in Præfectis, qui populo Dei, sanguine Christi redempto, spiritualem potestatem imperandi habent, Christi personam intueri oportet, vt homines esse meminisse quoque debeant.

Quæ autem & quanta sit hæc obedientia, quam in subditis isti requirunt, meliùs ex ipsorum verbis discere poterimus, quàm si nostris verbis referrentur. In supplici libello Regi Galliæ ab istis exhibito, hæc quæ sequuntur legimus. *De sancta obedientia dicetur, quam quidem omnes plurimùm obseruare, & in ea excellere studeant: nec solùm in rebus obligatorijs, sed etiàm in aliis, licet nihil aliud quàm signum voluntatis Superioris sine vllo præcepto videretur. Versari autem debet ob oculos Deus creator & Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur: & vt in spiritu amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur, curandum est.* Discrimen noui isti Legislatores inter res obligatorias, & alias, quæ nullam obligationem habent, constituunt. Et hoc quidem rectè, sed vtrobique obedientiam requiri, nec ratio nec vllum verbum Dei docet.

In peccato inobedientiæ, grauitas, ex rei grauitate quæ mandata est, & mandantis dignitate æstimatur: similiter & in virtute obedientiæ. Præceptum de re vtili & sancta, quæ ad ædificationem Ecclesiæ, & proximi salutem pertinet, maioris est momenti præcepto de re nihili, & fortè vanâ & ridiculâ. Hæc vox *aliis* latè patet: si addidisset *rebus*, magis verisimilem colorem haberet oratio. Volunt isti sanctuli, vt de Præfectis & Præpositis suis inferiores & subditi maiorem habeant opinionem, quàm de homine habere licet. Præpositi, quicunque illi sint, multis modis imperandi authoritate abuti possunt. Sed pergamus. Ibidem addunt, *Exactissimè omnes neruos virium nostrarum ad hanc virtutem obedientiæ, imprimis summo Pontifici, deinde Superioribus Societatis intendamus.* Hic Pontificem cum Superioribus Societatis coniungunt, quod superiùs fuit omissum. Sed Reges & summos magistratus, in quorũ regnis & prouincijs viuunt, prætereunt. Quibus tamen ipse Dominus & Apostoli docuerunt verbo & exemplo, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam esse obediendum. Si dicant priùs exercendos esse tyrones in rebus parui momenti, quò sint paratiores in rebus grauioribus ad parendum, tyrocinium non improbabo, modò non sit perpetuum, quod in perpetua seruitute homines liberos detineat.

Imperandi potestas nullis finita legibus, quæ non ratione, sed sola imperantis volũtate regitur, tyrannis est. Sequitur in eodem libello, *Ita vt omnibus in rebus, ad quas potest se cum charitate obedientia extendere, ad eius vocem perinde ac si à Christo Domino egrederetur (quandoquidem ipsius loco est, ac pro ipsius amore ac reuerentia obedientiam præstamus) quàm promptissimi simus re quauis, atque adeò literâ à nobis inchoatâ ne-dum perfectâ, studio obediendi relictâ, ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino conuertendo: vt sancta obedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu sit nobis semper ex omni parte perfecta, cum magna celeritate, spirituali gaudio & perseuerantia, quicquid nobis iniunctum fuerit obeundo, omnia iusta esse nobis persuadendo, omnem sententiam ac iudicium nostrum contrarium, cœcâ quadam obedientiâ abnegando. Et id quidem in omnibus quæ à Superiore disponuntur, vbi definiri non possit aliquod peccati genus intercedere.* Primùm quòd volunt obedientiam in omnibus rebus se extendere, ad quas se charitas extendit, perplexum valdè est: si intelligatur præcipiendi authoritas tàm latos habere fines, quàm habet in obediendo charitas, quæ omnia suffert, etiam tyrannicum imperium. De quo iudicare non tenetur, à Christo Domino esse egressum. Fieri potest, vt qui ipsius locum tenet, authoritate sua abutatur, & mandet, non quod ratio & æquitas postulat, sed quod libido suadet. Sæpè fit vt imperando peccet Præfectus, vbi parendo nihil peccabit subiectus. Non enim Præpositi ad

hoc à Deo sunt constituti, vt ad quiduis imperandum suæ potestati fræna laxent, sed vt modestè & moderatè gubernent.

Sed quandò amore & reuerentiâ ait præstandam obedientiam illi, qui in loco Dei est, miror plurimùm cur obedire detrectent ciuilem magistratũ in republica gerenti, qui non minùs Dei locum in terris tenere credendus est, quàm Pontifex, & Superiores societatis Iesuiticæ. Proindè non minor illi debetur obedientia, quàm homini, quem priuato consilio sibi quis in Præpositum elegit, & in cuius seruitutem nullo Dei mandato, nullâ inductus lege se mancipauit.

Promptitudinem studiumq; obediendi mandatis Superiorum nemo sanus improbauerit, nisi iusta causa sit detrectandi imperium. Sed omnem tollere causam detrectandi Superioris imperium, hæc noua doctrina de cœca obedientia videtur, quandò quicquid iniunctum fuerit, iustum esse, vult subditis esse persuasum: mandatq; omnem sententiam ac iudicium contrarium mandato, cœcâ quadam obedientiâ abnegare: idq; in omnibus quæ à Superiore disponuntur, vbi definiri non possit aliquod peccati genus intercedere. Duo hîc notanda sunt. Primum fieri non posse, si aliquod peccati genus in mandato intercedat, vt definiatur ab eo, qui omnem sententiam ac iudicium suum contrarium mandato cœcâ quadam obedientiâ abnegauerit. Deindè iniquum est subditos ad obediendum teneri, ad omnia in quibus definiri non poterit aliquod peccati genus intercedere.

Multa sunt, quæ in peccatis non numerantur, quæ tamen, si imperentur vt fiant, subditis turpe & indecorum fuerit parere: à quibus mandatum Superioris nec turpitudinem abstergeret, nec peccatum excusaret. Gratiâ exempli, Si Præfectus Iesuitarũ iuberet aliquem ex socijs vel patribus cum viridi cucullo concionari publicè in magna frequentia populi, aut loco pilei cassidem ferream in publico gestare, & loco tunicæ sub pallio loricam: quid? nùm huic mandato parere æquum esse censebit? Absurda si cui hæc videbuntur: En, exemplum proferam desumptum ex 3. lib. cap. 7. Petri Maffei, cœcæ obedientiæ Ignatij. *Obedientiæ studium* (inquit) *quibuscunque in rebus potuit semper ostendit. Romano quidem Pontifici, cuius in verba præcipuo quodam sacramento iurauerat, ita erat præstò, vt ad ipsius nutum sese paratum exhiberet. Confectâ iàm ætate, vnius baculi adminiculo, pedibus quocunque opus esset peregrè proficisci, vel etiam nauigium ascendere planè exarmatum, seq; eodem Pontifice iubente, mari ventisq; sine vlla dubitatione committere. Quem ipsius animum vir quidam primarius cùm haud satis probaret, & in eiusmodi re consilium prudẽtiamq; requireret: prudentiam quidem non obedientis, verũ imperantis esse respondit Ignatius.* Hinc videre possumus quam obedientiam Ignatius voluerit primò seruari Papæ, deindè Superioribus sui ordinis. *Et sanè* (ait Maffeus) *cum in Societate nostra virtutem hanc cæteris virtutibus anteferret, tum nihil huic laudi tàm cõtrarium dicebat esse Ignatius, quàm in Superiorum iussis & consilio examinando moram vel potiùs arrogantiam; negabatq; obedientis nomine dignum haberi oportere, qui legitimo Superiori, non cum voluntate iudicium quoque submitteret. Persuasum enim omnibus qui sub obedientia viuunt esse volebat se ferri ac regi à diuina prouidentia per Superiores suos, perinde ac si cadauer essent, quod quoquò versus se ferri, & quacunque ratione tractari se sinet: vel similiter atque senis baculus, qui vbicunque & quacunque in re velit eo vti, qui eum manu tenet, ei inseruit.* Hæc sunt Iesuitarum placita, quibus homines omni iudicio & ratione priuare volunt, & in viliſſimorum mancipiorum ordinem cogere: vt illis pro arbitrio suo tanquàm belluis abutantur.

Ecquid isti se cogitant esse religiosuli, quam habent de seipsis & suis opinionem? Credúntne statim vt eorum aliquis ad præfecturam fuerit electus, ex hominum numero exemptum iri? & à Spiritu Domini nostri, quem se repræsentare opinantur, totos in præcipiendo gubernatum iri, vt in suis mandatis nihil quod peccatum sit, vel vanũ & ridiculum, aut speciem mali habeat, sit futurum? Vbi & à quo hanc nouam tum imperandi, tum obediendi rationem didicerunt? Quis rex, quis tyrannus tam exactam à subditis suis exegit obedientiã? Quis Ignatianis Præfectis hanc tantam tam inauditam imperandi authoritatem dedit? Ciuilem & mundanam, ni fallor, hanc potestatem non dicent: sed spiritualem & religiosam: cuiusmodi illa fuit in veteri Testamento, quam habebant in filios Prophetarum, qui ipsis præfecti erant, vt Samuel, Elias & Elizæus; vel summus sacerdos in Leuitas, ac viginti quatuor principes sacerdotum, quibus quondam in ijs quæ ad ministerium tabernaculi vel templi pertinebant, paruerunt & filij Prophetarum in rebus quæ ad Propheticum munus & conuictum spectabant: vlteriùs illa imperandi potestas non porrigebatur. At obedientia illa fuit sancta siqua alia, Deoq; dicata: cœca tamen non fuit, quæ nihil videret, nùm illud quod mandabatur bonum & honestum esset? & quibus præcepta dabantur non erant sicut cadauer mortuum, aut baculus in manu senis.

In nouo Testamento nota est Apostolorum authoritas, & illorum qui eis succesſerunt in Euangelij

uangelij ministerio Episcoporum & Archiepiscoporum: quos qui audit, Christum audit: quos qui recipit, Christum recipit: & qui reijcit & contemnit, Dominum reijcit & contemnit. Apostolos certum est Spiritum sanctum habuisse directorem infallibilem, & per ora Apostolorum Dominum fuisse loquutum: & si ad alicuius mortalis iussa captiuandum fuit humanum iudicium ratioque, id tunc ad illorum verba fieri debuit. Tamen de illis & illorum præceptis liberum iudicium non est hominibus ademptum.

Cœca non fuit obedientia, qua fideles verbum Dei ex Apostolorum & Euangelistarum ore acceperunt, seq; illis subiecerunt. Obedientia sicut & cætera omnia bona opera, quæ ratione & iudicio, hoc est, prudentia & fide non diriguntur, laudem nullam merentur. Peccatũ enim est, non virtus, quicquid non est ex fide. Nihil detractum cupio virtuti obedientiæ, quæ veris & legitimis præpositis redditur, quicunque illi sint, ciuiles vel ecclesiastici; sicut nec imperandi authoritati, quam Dei & naturæ leges dederunt hominibus: sed iudicium est vtrobique adhibendum, tam ab eo qui præcipit, quàm ab eo cui præcipitur: vt ille qui iubet, ratione & iudicio mandet, quicquid mandat: & ille qui paret, iudicio & ratione mandatis obsequatur. Qui maiorem obedientiam requirit, quàm illa erat quæ primis Apostolis reddita fuit à fidelibus dum vixerunt, & postea, eorum successoribus Episcopis & Archiepiscopis, alijsque ecclesiarum Pastoribus, iniquus est.

Obedientia quam præstiterunt primi fideles non fuit cœca, sed oculatissima, quæ de Apostolis & Apostolicis præceptis quæsiuit & iudicauit, priusquàm se illis subijcerent. Alienum fuit ab Apostolis cuiusquam fidei dominari: prætextu enim Euangelij & potestatis Apostolicæ dominati in fideles non sunt. Imperandi verò hæc Ignatiana potestas subditis, dominatio est quædam, verè tyrannica. 2. Cor. 1. 24

Deus hominibus rationem & iudicium dedit, vt illis vtantur in omnibus suis actionibus: vt officiorum suorum rationem interrogati, iustam, veram, aut verisimilem queant reddere. Sed Loiola infrà mutas pecudes subditos abijcit, quando cadaueri mortuo & baculo in manu senis, sine vllo sensu & proprio motu, vult esse similes. Quos si homines crederet, ratione & iudicio mandata Superioris examinare permitteret. Ita subiectum alterius arbitrio Deus neminem esse voluit, qui liber est, & ætatis adultæ, & de officio iudicare potest, æqui & iniqui discrimen tenet, vt de sibi mandata re iudicare non debeat, & inquirere nùm rationi & æquitati consentanea sit, cui liquidò liceat obtemperare.

Ab animantibus cicuribus, quas Deus creauit in hominum vsus, homo in hoc differt, quòd illis nec rationem nec sermonem dedit, vt de rebus iudicarent ad quas illis domini vtuntur, vt sic suo iudicio & ratione quò iubet impellerentur. Hominis alia est ratio, cui iudicium & rationem dedit, vt domino cum modestia mandatum esse, aut absurdum, aut periculi plenum, aut impossibile, si fortè tale fuerit, significet. Quando Balaami asino Deus sermonem dedit, vt cum domino suo expostularet, quid homini concessum sit in simili casu docuit. Seruus quidẽ nec sui corporis nec consilij potestatem habet: sententiam suam & iudicium ad heri sui voluntatem & sensum formare tenetur, si nihil contra rationem imperet: sin autem iubendo à vero & iusto dominum aberrare contingat, os seruus habet & sermonem, quo cum domino suo expostulet. Non enim magis absurdum est cum domino suo seruum expostulare de præcepti iniquitate, quàm asinum Balaami insipientiam Prophetæ reprehendisse & prohibuisse.

Sed iniquum me quis dixerit officiorum æstimatorem esse, qui viros humanissimos, æqui & boni obseruantissimos, cum hominibus prophanis, & in seruos crudelissimis dominis, comparem. Quales quales isti sanctuli sint, mihi hoc vnum satis est, quòd sunt homines, nec Dauide sanctiores, nec Petro in fide ardentiores. Ille Ioabo innocentis cædem mandauit, hic sua simulatione Gentiles ad Iudaizandum induxit: illud quod fecit, mandare etiam potuit. Per istos noui generis obedientiæ authores, nè hiscere quidem subditis ad mandatum Superioris licebit: quodcunque illud sit, iustum & ex ore Christi profectum videri debet. Vide, obsecro, candide Lector, in quam seruitutem homines liberos isti sanctuli sub religionis specie redigant. Non tamen hic sistunt: infrà vilissima mancipia subditos abijciunt, quando exangui cadaueri & scipioni volunt esse similes.

Homines eo loco habere quo cadauer aut baculus est in manu gestantis, plusquam herile dominium est, & mera tyrannis iniuriosa in liberos subditos, & in Deum sacrilega. Deus dedit homini motum proprium, sensumque cum ratione, vt illâ & proprio iudicio in omnibus suis actionibus vtatur: non vt contrà propriam sententiam & iudicium illa submittat alieno arbitrio. Hoc enim soli Deo debetur, ipsiusque mandatis, quæ proximè ab eo proficiscuntur.

Si tantum vera religio in animis Christianorum posse t quantum illa superstitio apud monachos, florerent regna & ciuitates; & Principibus nihil esset fœlicius, quia tales haberent subiectos.

Hic videmus quomodo Satan ludat in rebus humanis, qui ad perniciem humani generis & pietatis euersionem, duas eximias virtutes, retinendæ & stabiliendæ societati humanæ inprimis vtiles & necessarias, promoueat, vbi minimè opus est; & ibi, vbi maximè opus est, quantum potest, hominũ animos alienat & abstrahit. Sed subiectio hæc & communis vtilitatis studium, quæ vigent in illo Pharisaico vitæ genere, & in Ecclesiam Christi contra diuinas & humanas leges irrepsit, ad præsens argumentum nihil pertinet, in quo de imperandi potestate & subiectione tractatur, quas nos Dei sermo docuit; nisi quatenus pudere Christianos debeat, plus superstitionem valere vera religione, permouendis ad officium præstandum animis.

CAP. XLV.

Transitus ad sequentem librum.

NVnc ergo progrediendũ mihi est ad imperia publica, quibus ciuitates & regna conseruantur, non secus quàm priuatis priuatæ societates & familiæ quas recensuimus. Sed memores velim esse lectores eorum quæ suprà diximus: continent enim rationes & argumenta confirmandis ijs de quibus disputaturi sumus idonea. Conspiciuntur enim in familia tres legitimi monarchici imperij formæ: naturale & paternum in natos; regium in vxorem; herile in seruos. Si paterfamilâs inclementer imperet, sæuiatque contra ius pariter in omnes, aut tantùm in eorum quosdã, priuata quædam tyrannis erit: aduersùs quam nullum est remedium, nisi superioris magistratus: qui si suum negligat officium, durum ferendum est toti familiæ, patrisfamiliâs iugum. Quicquid enim obseruantiæ ac subiectionis in re priuata vxor viro, & nati parentibus debent, eodem iure idem à subditis in rep. debetur Regibus, alijsque summis magistratibus. Et hoc consilio hæc præmissa sunt à me, vt hinc quod subditorum sit erga eos, quos Deus reipublicæ præfecit officium, & quæ pietas esse debeat, omnes nouerint, & subiectionis atque obedientiæ priuatim ac publicè incredibiles esse commoditates intelligant.

Primi libri finis.

DE

DE IMPERANDI AVTHORITATE, ET CHRISTIANA OBEDIENTIA

Liber Secundus.

CAP. I.

Homines multis neceſſitudinum vinculis deuinciuntur, ſed illud perpetuum, quod imperio conſtat.

HOminum genus Deus multis neceſſitudinum vinculis inter ſe deuinciri voluit, vtpotè communi naturâ, connubijs, ſanguine, affinitate, amicitiâ, religione, poſtremò iuris & legum ſub eodem imperio ſocietate. Ex duobus poſtremis vinculorum generibus, alterum homines in vnam ciuitatem, alterum in vnam Eccleſiam colligit. Quorum tanta eſt vis, vt cætera omnia neceſſitudinum vincula facilè diſſoluantur, vbi horum vtrumque vel alterum deeſſe contigerit. Quamuis naturæ communis ſocietate homines ſimul colligentur, & lege naturæ homo homini ſit deuinctus: non tamen ſimul omnes, quotquot per vniuerſum orbẽ ſunt diſperſi, vnam ciuitatẽ, nec vnum regnum poſſunt efficere. Deus quidem omne mortalium genus in vno concluſit orbe, ſed immenſis terrarum mariſq; ſpatijs, moribus & linguis ab inuicem diſſociauit, vt nequeant vno contineri ciuili imperio, & humanæ vitæ neceſſarium ſocietatis mutuæ fructum ſibi inuicem ſubminiſtrare.

Sub Noah aliquandiù & tribus humani generis principibus, ſimul mortales vixiſſe legimus, donec aucti numero, vna regione non potuere omnes contineri. Diſperſi itaque ſunt per orbem vniuerſum, & diuiſi ab inuicem locis, moribus, & linguis, peculiaria regna conſtituerunt.

Deus tamen vniuerſum hominũ genus in vnum recolligere decreuit, vt omnes quã poſſent ſocietatem colerent: quæ cum corporum vicinitate, & rerum externarum communione, fieri nequeat, fieret optima eorum parte, viz. mente & ſpiritu. Atque idcircò Principem ac Regem qui ſuo imperio omnes contineret, & ſpiritu regeret, dedit. Sed de hoc imperio hic non agitur, niſi quatenus ipſius miniſtri viſibilem & externam quandam habent adminiſtrationem, de qua ſuo loco dicemus.

Sed latiſſima, quæ legimus, imperia vix decimam orbis partem potuerunt complecti. Nemo mortalis vnus, monarcha vniuerſi orbis, nec vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, eſſe potuit. Id vni Chriſto qui Deus & homo eſt, proprium eſt. Ad eam magnitudinem Romanum creuerat imperium, vt ab vno Imperatore non potuerit regi; & fuerint coacti collegas aſſumere eiuſdem poteſtatis, & inter ſe imperium partiri. Illud tamen quantum quantum fuerit, decima pars orbis, vt dixi, non erat. Inexplebilis hominum cupiditas & ambitio, totius orbis imperium arrogare quidem ſibi potuit; adminiſtrare autem, ac tantam prouinciam ſuſtinere nunquam.

Vicinitas igitur ſe in vnum collegit, quæ ſub vnius, aut plurium poteſtate, honeſtum citra cuiuſquam iniuriam mutuæ ſocietatis fructum perciperet. Deus tamen admirabili ſua prouidentia, ad humani generis vtilitatem, varias gentes, eaſque longè diſſitas, ſæpe ſub vno imperio coniunxit, & rurſum coniunctas diſtraxit. Vnde ex illis mutationibus, variæ imperiorum formæ natæ ſunt, & factum eſt, vt non ſemper ijdem, nec eodem modo imperarint. Hominum tamen ſocietas idcirco diſſoluta non eſt. Non enim omne

omne imperium auersati sunt sed non semper ab vno, aut paucis quibusdam, eadémque ratione regi placuit. Societatem contineri imperio, ex his quæ diximus puto constare. Quæ quo latiùs extenditur, atque ad maiores res, & magis arduas; opus est, vt illud quoque sit maius

CAP. II.

Imperij partes & sunt plures & varia forma; sed quacunque est, summa potestate habet opus.

NOs imperiorum quæ Deus dedit mortalibus publicum secundo loco posuimus, ordinem non dignitatis, sed naturæ secuti. Et publicum quod tam communi gentium constat iure, quàm cuiusquam nationis proprio ciuili, bifariàm diuidimus: & aliud esse ciuile, quod res externas, quæ ad pacem & bellum pertinent, moderatur; (quod vulgò temporale, aut seculare vocant) aliud Ecclesiasticum, quod religionem, & sacra administrat, & spirituale dicitur. Eam autem partem, quæ in ciuili gubernatione sita est, nunc tractabimus, & ipsius varias formas prosequemur, de sacrorum administratione posteà suo loco dicturi.

Cùm autem nihil in rebus humanis, quod idem semper & vbique omnibus probatum fuerit, inueniatur: in tanta varietate temporum, locorum, & hominum, nemini mirum videri debet, si eadem regiminis forma non vbique semper omnibus placuerit.

Non tamen hanc rem humano regi arbitrio putandum est. Mortales non sub eo gubernationis genere viuunt, quod maximè probant, optantque. Deus est, qui sua prouidentia, regna & imperij formas mutat, & transfert, dat vel aufert vni, aut pluribus, prout ipsi videtur rebus humanis expedire.

Sed quæcunque vnquam ciuilis regiminis forma extitit, cùm multa ei fuerint necessaria, tum imprimis suprema potestate semper opus fuit. Vlteriùs enim quàm illa se porrigit, diu societatem ciuilem retinere est impossibile.

CAP. III.

Quæ sit & quanta suprema potestas, quodq; omnes alias quæ sunt in eadem rep. sub se contineat, & quod legibus exempta leges ferat, & cum maiestate coniuncta sit.

HAEc potestas moderatrix, & princeps est legum ac iudiciorum, aut potiùs summa quædam lex, quæ ciuilia omnia iura in se continet; iubet quæ facienda sunt, vetatque quod fieri nefas, præmijsque pœnisque in officio ciues continet, facítque vt iustitiam colant, & sibi sint vtiles, ac societatis mutuæ percipiant emolumentum.

Architectonica hæc suprema potestas est, & sub se omnes reipub. partes, & quicquid ad populi salutem est necessarium continet. Ei prima cura incumbit religionis, secunda iudiciorum, postrema belli. Legum latio nulla vnquam fuit quæ à religione non inceperit. Est enim Dei cultus omnis societatis & iuris legúmque fundamentum; vt eo sublato corruat omnis ciuium societas. Et hæc est, ac semper fuit omnium gentium, quæ sensum numinis non suppressêre, sententia. Porrò cuius rei cura alicui mandatur, eiusdem etiam potestas traditur; non vt mutet, aut suo arbitrio quidquam innouet, sed vt à Deo traditam religionem, & à primis patribus receptam tueatur, ac propaget. Quemadmodum quod naturâ ius & æquum est, nulla plebiscita, nulla senatus consulta, nulla Principum edicta, sapientúmve responsa mutare possunt: ita nec religionem quam à Deo non ab homine didicisse oportet. Rerũ naturas mutare mortales non valent.

Sicut scientiarum artiúmque liberalium mechanicarum professores, summo imperio, quod in rep. viget, subiecti degunt; pari ratione pontificum sacerdotumque & Ecclesiæ Christi Episcoporum, atque Pastorum collegia, eidem imperio sunt subiecta. Nec vlla est ratio cur summum imperium subijci debeat sacerdotibus causâ religionis, alia ratione quàm iurisconsultis in ijs quæ sunt iuris; & belli peritis, in ijs quæ ab bellum pertinent.

Summam hanc potestatem viuam esse oportet, quæ audiat, videat, iusque administret; cui si vlteriùs aliqua cogitetur maior, quæ hanc coerceat, iam non ampliùs summa dici poterit.

poterit. Pari ratione, ipsa nec consortem æqualémve admittit, quæ eam remorari, eíque possit obsistere. Sic enim nec summa esset, quæ parem haberet. Inferiores & superiores potestates bonus quidem regiminis ordo postulat, sed nec in orbem conuerti, nec in infinitum decurrere res potest, ne simul omnes frustrentur, & sint inutiles. Semel ad plures aut vnum est deueniendum, qui sua ipsius potestate non precaria, sit rerum moderator summusque iudex, à cuius iudicio nulla sit prouocatio, etiamsi eum errare contingat: id enim pati præstat, quàm incerta & inutilia omnia iudicia iuráque reddere.

Ab hac potestate ius ciuile cuiusque gentis nascitur pendetque, & quisquis hoc summum obtinet imperium, siue is sit vnus Rex, siue pauci Nobiles, vel ipse populus vniuersus, supra omnes leges sunt. Ratio hæc est, quòd nemo sibi ferat legem, sed subditis; suis se legibus nemo adstringit. Imperium enim est eorum, quæ referuntur ad aliud quidpiam, & inter duo ab inuicem distincta constat, vt pater & filius. Sic qui imperat & legem fert, alius & distinctus sit oportet ab eo, cui imperatur, & lex fertur. Quamuis actiones partium rei compositæ sint diuersæ, sicut apparet in homine, qui constat animo & corpore, non tamen partium dicuntur, sed totius hominis, & hoc modo idem homo sibi imperat & pater. Theologis & Philosophis, eundem sibi imperare & parere, pro ratione diuersarum partium, cum ratione constat. Sed in politico regimine idem fieri est absurdum. Eundum hominem partiri iurisconsulti nesciunt, vt idem homo sibi imperet & pareat. Rex non sui ipsius, sed populi est rex; proinde quando legem dat, non sibi, sed populo eam dat.

Pari ratione, Nobilitas & populus, quamuis constent ex pluribus, quod summum imperium attinet, se in vnum colligunt, vnumque constituunt indiuiduum, nempè vnum populum, aut vnam Nobilitatem. Vt populus Athenienſis, vnus erat; item populus Romanus vnus; similiter Lacedæmoniorum Ephori, & nobiles Veneti, in vnum veluti corpus conglutinantur. Qui quando leges condunt, non eas sibi vniuersis, sed priuatim singulis; & ita totum à qualibet parte distinctum intelligitur, vt quamuis in toto partes contineantur, tamen separatæ habeantur; & aliæ sint totius vniuersi populi actiones, aliæ singulorum; vt quod populus fecit vniuersus, non censeantur feciſſe singuli; & quod à singulis est profectum, haud rectè dicitur factum ab vniuersis. Itaque vniuersus populus, non magis quàm Princeps teneri potest suis legibus, quas non sibi sed singulis tulit.

Si legibus suis legislator teneretur, eas mutare non posset. Atqui nonnunquam interest reipublicæ, leges mutari, & de legum rigore aliquid interdum laxari: quod ab ijs fieri permittendum non est, qui subijciuntur legibus. Accidit, leges quæ ad vtilitatem populi latæ sunt, ob temporis conditionem fieri inutiles & noxias: tamen eas infringendi potestatem cuiuis facere pernicioſum esset reip.

Est enim summi imperij & hoc quoque proprium, attemperandi leges commodo reip. potestatem habere. Quapropter nihil temerè à populo Romano factum est, qui suos principes quos reges esse nolebant, lege regia legibus esse solutos tanquam reges essent, voluerunt, vt nomine populi facerent, quod aliâs per leges non licebat.

Salus reip. ab hoc summo dependet imperio: quod licet Dei naturæque legibus non sit exemptum, in hoc inferiori orbe non agnoscit maius; sed solum Deum quem habet authorem, habet quoque iudicem.

Maiestas cum hac suprema potestate coniuncta est, à qua separari non potest. A magnitudine maiestas dicitur, quòd sit dignitatis magnitudo, in eo penes quem est rerum summa potestas. In populari statu populi dignitas maiestas est, & in regno Regis: vbi proceres imperant, optimatum. Hinc lege Romana maiestatis crimen definitur, *illud quod aduersus populum Romanum eiúsue securitatem committitur: ac minuere maiestatem dicitur, qui de dignitate aut potestate populi, aut eorum quibus populus potestatem dedit, aliquid minuit.* Parem esse rationem regum & optimatum, quandocunque summum imperium aliam obtinent, consequitur. Et in regno maiestatis crimen aliam definitionem habet, aliam in optimate statu.

CAP.

CAP. IIII.

Quibus modis hæc poteſtas acquiratur, & à quo conferatur.

HAEc tanta poteſtas diuerſis modis acquiritur vni vel pluribus hominibus: nempe aut iure naturæ, aut Dei iuſſione, aut hæreditaria ſucceſſione, aut donatione, aut iuſto bello, aut nobilium populíve ſuffragijs, vel etiam tyrannide, hoc eſt, vſurpatione, dolo, & fraude, atque iniuſta vi, Deo mundi iudice proſperum ſucceſſum dante iniquis hominum conſilijs atque molitionibus

Sed ſiue hanc poteſtatem vnus aliquis obtineat, ſiue plures, à Deo illam proficiſci ſacræ teſtantur literæ. Nam cum nec in belluas homo habeat dominium, niſi quatenus à Deo creatore & Domino rerum omnium illud accepit, multo minùs in hominem, ius vllum aut poteſtatem vſurpare poteſt, nſi Deus det. Salomon in Prouerb. Dei ſapientiam inducit hoc modo loquentem: *Per me Reges regnant, & principes decernunt iuſta, &c.* & Daniel explicans Regi Nebuchadnezari ſomnium, ait: *Altiſſimus habet poteſtatem ſuper regna hominum, & dat illa cuicunque vult, & conſtituit ſuper illa viliſſimos homines.* Caſus nullus habet in hac re locum: ſiue ſorte, ſiue ſuffragijs, regnum alicui obuenerit, à Dei prouidentia confertur. Sortes quidem mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Non tantùm vt olim in Saulis & Matthiæ electione, & in ſuffragijs decem tribuum, quando Ieroboam rex electus eſt, id fieri ſolitum intelligendum eſt, ſed ſemper, & vbique, quotieſcunque res ita poſtulat. Eadem enim Dei prouidentia totius vniuerſi orbis regna diſpenſat, qua quondam Iudæ & Iſraëlis. Non enim mundi creator Iudæorũ Deus tantùm fuit, ſed eſt, & fuit ſemper, eritque omnium gentium.

Succeſſionis & hæreditatis iura Deum habere authorem, non vno in loco ſacræ ſcripturæ commemorant. Exemplis à ſententijs ſacris probari nihil opus eſt.

Bellis autem non tam acquiri quàm à Deo dari dominationem, nuſquam non in ſacris hiſtorijs eſt obuium. Vt omnes ſciant Deum bellis præeſſe, eaque moderari & regere, paſſim vocatur Dominus exercituum. Armatorum præliantur turmæ, ſed Deus cui vult parti dat victoriam.

AEquè à Deo ſunt illa regna, quæ confert per homines, videlicet, per ſuffragia liberi populi, vel magnatum, aut per laborem militum; ac ea quæ per ſeipſum largitur. Non enim minùs à Deo regna & imperia reges Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorumque, vt Salmanazar, Nebuchadnezar, Cyrus, Darius Hyſtaſpis, Alexander Macedonicus, Octauius, Tiberius, & Nero obtinuerunt, quàm Dauid & Salomon.

Danielis verba ad regem Nebuchadnezarem clara ſunt. *Tu rex regum es, & Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cœli, in manu tua & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit, &c.* Et ad regem Baltazarem idem alio loco in hanc eandem ſententiam locutus eſt, inquiens; *O rex, Deus altiſſimus regnum & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nebuchadnezari patri tuo, & propter magnificentiam quam dederat ei, vniuerſi populi, tribus & linguæ tremebant & metuebant eum: quos volebat interficiebat; & quos volebat, exaltabat; & quos volebat, humiliabat. Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt ab eo, & è filiis hominum eiectus eſt, &c. donec cognoſceret quòd poteſtatem habeat altiſſimus in regno hominum, & quemcunque voluerit ſuſcitabit ſuper illud.* Per Ieremiam Dominus vniuerſos reges terræ ita alloquitur. *Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis.*

Hæc ſtudioſiùs ad verbum inſero, quòd emphaſim magnam mihi habere videantur, & ad obediendum nedum bonis regibus, ſed etiam tyrannis populos adhortentur, atque à rebellione deterreant. Et quia mobilis eſt rerum humanarũ ſtatus, ne caſui aut fortunæ hominúmve conſilijs rerum viciſſitudines, & magnas mutationes, quas videmus, adſcribamus; à Deo eas prouenire diſertis verbis docemur. *Ipſe enim mutat tempora, & ætates, & transfert regna, atque conſtituit.* Et Eccleſiaſticus, *Regnum de gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.*

CAP.

CAP. V.

Deus regna dat bonis & malis citra vllum discrimen sexus, ætatis, aut conditionis.

NEc hîc personæ conditionem respicere homines debent: boni pariter & mali, Reges tyrannísque ab irato aut propitio Deo dantur, tolluntúrque. Dominus per Oseam populo suo sic loquitur: *Dedi* (inquit) *tibi Regem in furore meo, & in indignatione mea abstuli eum.* Apud Iobum Elihu suffragatur, quando ait, *quòd Deus regnare faciat hominem hypocritam propter peccata populi.* Et vt modò diximus, *Dat illa cuicúnque vult, & constituit super illa vilissimos homines.* Si enim tantùm viri & boni & sapientes, ac Regia stirpe orti, regna obtinerent; nunquam fœmina, nunquam pueri & infantes, nunquam ignobiles, & viles obscuris loco & parentibus orti, (cuiusmodi sunt serui & seruis nati) & quod magis mirum potest videri, si non etiam perditè impij & crudeles Tyranni regnarent; tum sapientiæ, sexui, generi, industriæ, & virtuti mortalium regna à Deo deberi crederentur, & hominum virtutem ei esse necessariam ad huius inferioris orbis gubernationem. Sed Dominus homines scire vult, per quos suis non habita ratione sexus, ætatis, conditionis, aut virtutis, aut malitiæ, se scire se (inquam) Deum omnipotentem homines ineffabili sua prouidentia rectè regere: & ad eam rem se bonorum similiter & malorum ministeserio vti nosse.

Quid maiori admiratione dignum, quàm vnius pueruli vagientis in cunis reuerentiâ ingentem hominum multitudinem in officio contineri? Sed Dei (nisi cœci sumus) hoc esse opus confitendum est. Nam volente Deo quàm facilè contemptus interueniat, nos variæ docent historiæ. Dicant mihi contemptorum numinis doctissimi velim, cur hîc non ibi Regis puerilem ætatem contemni contingat. An sapientiam mihi & fidem ac fortitudinem subditorum allegabunt? At illæ virtutes, vnde apud illos potiùs quàm apud istos? Hîc stupeat humana mens oportet, nisi casu & fortunâ versari res humanas, aut hominum regi arbitrio dicere velimus: quod absurdum & impossibile esse, ordo rerum, qui vbique conspicitur, conuincit. Regno quod incolume seruarum iri Regi infanti Deus vult, dabit sapientes consiliarios, & fidos regni ministros, duces belli concordes, & populum obedientem. Quòd si contingat infantẽ regem, quem Deus esse saluum vult, habere improbos consiliarios, eorum mala consilia in bonũ diriget finem, vt contrà quàm expectandũ est prosint; aut ea remorabitur, facietq; ne noceãt: malorũ conatus frustrabitur, & ferocientẽ plebem constringet, ne sæuiat. Sin perdere aut affligere Regem, regnũ, & gentẽ certum sit, horũ nihil, sed contraria, quæ pernicie & ruinã sunt attractura.

Priscorum & primi seculi sapientum vetusta doctrina hæc est: à Deo esse hæc, quæ dicimus omnia. Iob in sua cum amicis disputatione de Dei iudicijs & prouidentia, ait: *Apud ipsum est fortitudo & sapientia, & decipiens & qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Baltheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat: effundit despectionem super principes, & eos qui oppressi sunt releuat.* Idem alio loco, *Non auertit à iusto oculos suos, & Reges in solio collocat, & illi eriguntur.* Tritum illud est apud Græcos, ἐκ δὲ διὸς βασιλῆες.

Nebuchadnezaris Babylonij casum magnos omnes Reges, quos facilè florens rerum status inebriat, & facit vt Dei sui; obliuiscantur, semper in memoria habere optarem, ne sibi suæq; virtuti ac viribus tribuant, quod solius Dei beneficium est. Sæpiùs antè prærnonitus à viro Dei Daniele fuerat, tantum illud imperium non ipsius prudentiâ, non virtute aut militari robore fuisse partum, sed à Deo supremo mundi rectore in ipsum collatum: tamen in hanc cogitationem incidit, vt secum diceret, *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in robore facultatis meæ, & in gloria decoris?* Cùm sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit, inquiens, *Tibi dicitur, Nebuchadnezar Rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit det illud.* Factum simul ac dictum subitò euentus secutus est, & regis animus in belluinum sensum est mutatus: atque sic amens inter feras septem annos vixit: donec ad se reuersus, animum & oculos in cœlum sustulit: & Deum factorem suum Dominum ac moderatorem vniuersi, qui regna dat & aufert quibus & quando vult, agnouit.

CAP. VI.

Summum imperium diuersitatem accipit ab iis quibus cõmittitur, vnde tres legitimi imperii constituuntur differentiæ.

SEd ne Deus ad rerum humanarum gubernationem credatur indigere Regibus, illis reiectis, summum imperium etiam dat Magnatibus: quos posse concordes rempublicam administrare, nisi Deus inuidiam & excellentiæ cupiditatem frænaret, haud esset possibile.

Et quod multò magis mirandum est, in quo Dei potentia magis apparet, ipsum populum sui moderatorem facit, vt is regat, qui tantùm regni natus est: atque ita contraria simul temperat, vt idem regat qui regitur.

Hinc tres legitimi imperij differentiæ numerari solent: prima est vnius principatus, altera optimatum potestas, tertia potentia popularis; quæ vulgò tribus Græcis vocibus, Monarchia, Aristocratia, & Democratia significari solent.

Democratia siue popularis potestas est, vbi penes populum vniuersum, aut eius potiorem partem, summum imperium residet. Potiorem illam partem intelligo, quæ aut capitum numero, aut curiarum, aut tribuum vincit. Difficile enim est (ne dicam impossibile) in magna republica vniuersum conuocare populum. Hinc apud Athenienses ciues diuidebantur in populos aut pagos, & parœcias, in tribus, in gentes, & in curias: apud Romanos in tribus, in curias, & in centurias. Quæ sint supremæ potestatis partes iam attigimus, nempe ea quæ est condendarum & abrogandarum legum, decernendæ pacis vel belli, magistratus creandi & exauthorandi: qui iurisdictionem quam habent, populo acceptam ferre debent: qui eam tanquam depositam ipsorum fidei commisit: proinde factorum potest ab eis rationem exigere.

Aristocratia verò est paucorum in rep. potestas, quæ optimatum dicitur: non quòd semper diuitijs, nobilitate, aut virtute præstent, sed imperij potestate: quòd simul vniuersi vel potior eorũ pars imperij summam obtineat. Hîc & illic ordinum diuersitas, & bonorũ varij gradus summi imperij maiestatem non minuit, quod nec sub regibus sit, qui populo magis dignitatis suę studiosi sunt. Lacedęmonij habebant suos Ephoros, suos Senatores, & Reges; Romani, Consules & Senatores, qui dignitate & honore supra plebeios excellebant. Athenienſis populus institutũ Thesei in Democratia retinuit, qui nobiles eorúmq; munia à plebeis distinxit vocauitq; Eupatridas qui ijdem erant cum Romanorũ Patricijs.

Monarchiam definio merum & summum vnius in subditos imperium, soli Deo subiectum, quod à Græcis παμβασιλία dicitur. Cuius hæ sunt notæ: Primùm, vt sit supra leges, tanquam maior ac superior quædam lex, aliarum omnium moderatrix atque interpres, à qua iura ciuilia dependeant, vt nec veteres abrogari, nec nouæ condi leges possint, nisi ipsius accedat authoritas: vt pacis belliq́ue, fœderum, & societatum penes eum sit potestas: vt in regno suo nullius parere iudicio, aut sisti, nisi velit, teneatur; eiq́ue subiectorum nemo inferendi vllam vim aut cogendi habeat potestatem, sed sacrosanctus & inuiolabilis sit, cui Deus tantùm dedit imperium.

CAP. VII.

Summum imperium vni committi non minùs tutò posse, quàm paucis principibus aut populo vniuerso. Illudq́, non esse metiendum extensione locorum & regionum.

HAnc potestatem sunt qui calumniantur; eam esse tyrannicam autumant, tanquam Dei & naturæ legibus eximatur monarcha, & ei quiduis pro sua libidine permissum sit. & nulla æquitatis habita ratione, per omne scelus grassari liceat; ius, fas, & nephas eodem loco habeat; quod nemo sanæ mentis vnquam adseruit. De principe nihil quod nefarium sit cogitandum est. Si expectationem quæ de ipso habenda est fallat, à subditis in ordinem cogi non debet. Dei iudicio relinquendus est, cui factorum suorum redditurus est rationem.

Neque enim absurdius est vnum aliquem hominem hac præditum esse potestate, quàm totum aliquem populum, aut paucos optimates, qui omnes non secus quàm reges, ea possunt abuti. Quicunque hac potestate eminent, semper Deum supremum mundi rectorem, quem habituri sunt iudicem, eos intueri oportet.

Sed

Sed non diademate, aut ornamentis externis, nominéque regis vel imperatoris Monarcham, vel etiam latitudine regionum, cui imperat, æstimandum iudico : sed sola suprema imperij potestate, in subiectum populum, quocunque nomine censeatur, Ducis, Comitis, Domini, Principis, æquè ac Regis & Imperatoris. Qua ratione Moses, Iosua, & alij iudices populi Dei, non minùs Monarchæ fuêre, quàm Dauid aut Salomon. Similiter Comes Flandriæ & Artesiæ, post translatum summum imperium à Francisco Gallorum in Carolum quintum, illarum prouinciarum Monarcha est. Cum quo populus æquo iure contendere non possunt, quemadmodum olim consueuerant, quando Francorum Reges, iudices erant inter Comites & populum. Idem iudicandum de cæteris omnibus, quibus data est summa potestas. Arausium, vulgò Orangia, paruą est ditio; Princeps tamen in populum illum summũ habet imperium, nemini præterquàm vni Deo subiectum.

Ex hac definitione excluduntur reges beneficiarij, qui certis legibus precariò regnant sub potentiore Monarcha, cuius sunt clientes & vasalli : quibus adnumero eos, in quos non tam translatum quàm certis legibus est communicatum à populo vel proceribus imperium, qui sibi retinent supremam potestatem. Qui etsi ijsdem ornamentis omnique splendore vtantur, quibus Monarchæ ornari solent : multùm tamen maiestate & authoritate ab eis distant.

CAP. VIII.

Miscери non posse tres imperiorum formas.

QVia in quâuis harum reip. formarum aliquid est quod desideratur, sunt qui ex his tribus generibus perfectum reip. statum posse conflari credunt, & hoc pacto quod deest suppleri, & quod redundat rescindi. Sed aliena multa ab vsu communi, moribus & rebus minimè consentanea, in suis disputationibus excogitârunt, vt quod sibi proposuerunt, efficerent. Deus qui suâ prouidentiâ cuncta dirigit, mentes & animos hominum flexit, vt rei sequerentur naturam potiùs quàm doctas hominum cogitationes. Formatæ respublicæ & gubernatæ sunt, priusquàm disputari cœptum est, quis esset earum optimus status. Et gubernando, non disputando, regiminis formas gentes expressêre : vt norint homines non arte aut humano consilio imperia esse inuenta, sed prouidentiâ Dei, atque arcanâ ipsius directione constare, ac gubernari.

Quis non miretur Platonem quem diuinum vocant, adeò absona ab omni ratione, vsúque scripsisse de repub.? Aristoteles alter Philosophorum princeps, qui facilè cæteros omnes acumine superat, in libris de repub. multa similiter absurdè disserit, quæ hodie à nostri temporis hominibus non immeritò exagitantur. Cicero vir apprimè in reip. negotijs versatus, contra rerum quem habebat vsum, tradidit tres reipub. formas posse misceri : atque eam statu optimo constitutam esse remp. quæ ex tribus generibus illis, Regali Optimati, & Populari confusa esset. Plutarchus meliùs, qui Herodoti sententiam secutus ait, tres præcipuas videri : reliquas, intentione aut remissione harum ortas, vitia potiùs esse & corruptelas quàm formas reipublicæ.

Exempla quæ proferuntur ad probandum conflatum reipub. statum ex tribus generibus, propiùs inspecta, re, vsúque aut merè optimatum, aut populi fuisse reperiuntur. Ex antiquis rebuspublicis, Lacedæmoniorum credita est ex tribus composita : idem censent quidam de Venetis, quorum resp. certum est à nobilitate regi, & Ducem principẽ tantùm esse nobilium. Sparta Regibus summæ potestatis paruit ante Lycurgi tempora : deinde regio retento nomine, status popularis factus est. Sed Ephori qui libertatis populi patroni voluerunt haberi, tandem sensim totam ad se pertraxere potentiam : vt in ipsos Reges exercuerint imperium, ipsi interim subiecti nemini : quod imperij genus optimatum est. Rectè & id à Plutarcho fuit obseruatum, vbi formarum politeiæ exempla adfert, Lacedæmoniorum imperio optimates præfuisse : eius verba hæc sunt. *Has principes formas reipub. potentissime gentes delegerunt : Persæ regnum cum mera potestate nulli obnoxia iudicio; Spartani paucorum optimatum liberam dominationem : Athenienses legibus suis contentam puram populi administrationem.*

Romanam rempublicam qui credunt fuisse mixtam, falluntur. Primum quidem honoris locum Patricij tenebant, sed populi maior erat quàm Senatus authoritas. Quæ sunt

ſummi imperij, notas populus omnes habuit: vt eſt poteſtas condendarum & abrogandarum legum, & pacis & belli: atque ſummorum magiſtratuum creandorum, & diſtribuendarum prouinciarum authoritas. Deinde populus conſilia Senatus impedire, vetare, & inhibere poterat. Contra populum autem nulla Senatus Conſulúmve erat authoritas. A Conſulibus ad populum erat appellatio, imò & à Dictatore: à populo verò ad Senatũ aut Dictatorem, nulla. Poſtremò, ſiquando Conſules ad populum deſcendebant, faſces & ſecures, inſignia ſui magiſtratus, demittebant, quæ omnia certiſſimæ erant argumenta popularis imperij. Honoris prærogatiua ſupra ſingulos, populi poteſtatem non impedit, ſicut nec Regũ qui reguntur ab optimatibus. Heluetiorum quorundam popularis ſtatus, diſcrimina ciuium nulla admittit: ſed id populi poteſtatem nec auget, nec minuit.

Has reipublicæ formas confundi non poſſe, rerum natura docet. Species enim & formæ rerum non miſcentur naturâ. Si fit cogitatione, quod indè prouenit, eſt monſtrum: cuius generis ſunt centauri & chimeræ.

Quicquid componitur ex pluribus, nihil eſt eorum vnde componitur, ſed aliud quiddam ex eis reſultans. Atque ita illa quæ ex tribus formis componetur reſp. nec regnum erit, nec procerum, nec populi poteſtas, cuiuſmodi nulla vnquam fuit, nec nomen vllum eſt quo vocari queat.

Natura ſummi imperij indiuidua eſt, vt eam communicari pluribus, qui vnum non conſtituunt, ſit impoſſibile. Gratiâ exempli, demus Regem, nobiles, & populum; dico, quamdiu tres diſtincti ordines manebunt, impares poteſtate, in ijs rebus quæ concernunt ſummum imperium, coniunctum illud penes omnes non eſſe. In rebus verò quæ ab imperio ſummo dependent, inæqualitas conſtare poteſt: in ipſo imperio non poteſt. Voluant atque reuoluant cogitando rem, vt lubet, verſentq́; in quamuis partem; ſemper ad horum trium vnum ſumma rerum recidet, ſi quid plus minúſve vni dederis, quàm alijs.

Sed quoniam noſtrarum cogitationum ea eſt vis, vt minimè cohærentia ſimul queat cogitando componere, Rex, nobiles, & populus pares cogitentur, in rebus quæ ad ſummum pertinent imperium, & ita coniunctim illud ineſſe in tribus, aut in maiori parte, vt non ſit in ſingulis: & in deliberationibus Rex tantùm vnum habeat ſuffragium, nobiles ſimiliter vnum, & populus vnum; nec regius, nec optimatum, nec popularis hic ſtatus dici poterit. In regem populus cum nobilitate iunctus tantum poterit, quantum ipſe cum nobilitate, in populum, vel cum populo in nobilitatem. Duo ſemper imperabunt tertio: à rege prouocatio erit ad nobilitatem & ad populum; & à nobilitate populóve ad Regem populumq́;, aut ad Regem & nobilitatem.

Si quis reip. ſtatus mixtus ex tribus dici poteſt, hic eſt. Nec quomodo aliter miſceri poſſit video. Sed vereor vt ſubſiſtere queat: nunquam fuiſſe certum eſt. Trium ſuffragijs omne quod in deliberationem veniet decernendum erit; quæ ſi in duas diuidantur partes, nihil erit periculi. Verùm vbi eueniet in tres contrarias ſentẽtias hos tres diſtrahi, quid tunc fiet? Rex bellum velit, populus pacem, nobiles inducias. Et in iuuandis ſocijs vicinis, Rex hunc iuuandum cenſeat, nobilitas alterum, populus neutrum. Sexcenta huius generis occurrent in rep. Conſilium huius reip. ex quibus componetur, quòd æqualitatem iuris inter hos tres retineat, multa quidem excogitari doctè poſſe fateor, ſed quæ potiùs ad Vtopiam Mori, aut remp. Platonis referas, quàm ad vllam rempublicam quæ vnquam extiterit.

Optimatibus autem & populo coniunctim ſummum imperium dari, minùs poſſe arbitror, propter diſſenſionẽ quæ facillimè poteſt interuenire. Quiſquis in ſocietatem ſummi imperij alium admittit, Dominum adſumit. Si nobilitas populum adſumat, popularis reſpublica fiet. Vt dignitatem honoris præcipui retineant nobiles, poteſtatis nunquam retinebunt: vt apparet in ſenatu Romano, qui libenter eiectis Regibus, imperium retinuiſſet, ſed populus id pati noluit: vnde tandem totam remp. ad ſe Tribunitia poteſtate pertraxit. Idem dico de Rege, ſi ſummi imperij participes fecerit Regni proceres, regnũ mutabit in Ariſtocratiam, ſicut in Romano imperio quod nunc eſt, factũ eſſe quidam volunt. Cogitatione vt tres iſtæ reip. formæ confundantur, re ipſa id fieri nequit, nec vnquam factum eſt. Exempla quæ allegantur, inſpecta propiùs errorem huius opinionis facilè produnt. Nunc de reip. ſingulis formis ordine nobis diſſerendum.

CAP.

CAP. IX.

Quatuor sunt imperii monarchici differentiæ.

MOnarchici imperij differentias tres, partim à personis, partim à diuersa dominandi ratione, statuo, contra multorum opinionem. Prima est primorum Patrum humani generis, quos Gentiles dixêre heroas: altera est Regum: tertia Dominorum: his quarta videtur adijcienda tyrannorum. Sed quia tyrannis grassatur per omnes regiminis formas, vnam speciem per se constituere non potest. Possunt enim optimates sua potestate abuti; potest & populus; potuêre & primi illi Patres atquè ac Reges & domini: quocirca necesse est, tot formas tyrannidis inueniri, quot sunt legitimi imperij. De ea tamen quæ vnius est loquemur tanquam de quarta quadam monarchici imperij specie, quòd frequentior sit, & magis in oculis omnium versetur; cæteræ plerumq; lateant: vnde etiam minùs sunt odio expositæ. Quomodo autem hæ quatuor imperij formæ, quibúsve notis inter se distinguantur, ex earum definitionibus facilè poterit intelligi: nos suis quasque locis pertractandas hic omittemus.

CAP. X.

De prima imperiorum origine falsæ opinionis confutatio.

QVæri enim solet quæ fuerit prima imperiorum origo. Eam plerísque historiarum scriptores mihi non satis adsequuti videntur. Idque incuriâ quadam & incogitantiâ Christianis accidisse reor, potiùs quàm ignorantiâ primæ originis rerum humanarum, ex qua petenda fuerunt prima regnorum initia.

Ethnicos scriptores incertas sequutos fuisse coniecturas, nemini mirum videri debet: ignorârunt enim quæ fuerint prima humani generis exordia. Opinati sunt quidam veluti fungos è terra, primos homines è terra natos sermonis & rationis fuisse expertes, sicut Horatius in quadam describit Satyra.

Quum prorepserunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Vnguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porrò
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus;
Donec verba quibus voces sensúsque notarent,
Nominâque inuenêre: dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Ne quis fur esset, neu' latro, neu' quis adulter.

Rudem itaque primò mortalium vitam fuisse & incultam sine Regibus, sine certis sedibus crediderunt, & quondam palantes vagari mortales per agros, per syluas & nemora solitos, intemperiémq; cœli in antris & tugurijs declinâsse. Cuius vitæ imago quædam & apud Homerum extat, vbi de Sicilia canit, Odysseæ ζ.

——— ἔστ' ἀγοραὶ βουληφόροι, ἠδὲ θέμιστες;
ἀλλ' ὄιγ' ὑψηλῶν ὀρέων νάιουσι κάρηνα
ἐν σπήεσσι γλαφυροῖσι, θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων, ἠδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι.

Quos quidam ita reddidit.

Nec fora consiliis feruent, nec iudice; tantùm
Antra colunt vmbrosa, altis in montibus: ædes
Quisque suas regit, vxorem, natosq; : nec vlli
In commune vacat socias extendere curas.

Posteaquàm prædones freti viribus & robore corporis, imbecilliores deprædari cœperunt, Reges à populis aduersùs iniurias fuisse creatos aiunt: atque ita qui agrestes erant, & societatis ciuilis legitimiq; imperij expertes, malis edoctos illuc tandem tanquam ad asylum recurrisse. Alijs placet à viris sapientibus, eloquentiæ viribus, feros & agrestes homines ad ciuile vitæ genus fuisse traductos, de quibus etiam Horatius in arte Poëtica.

Syluestres homines, sacer interpresq; deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rapidosq; leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testitudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, legesque incidere ligno.

Vtrumq; ex parte verum esse vt concedam, non inde arguitur primos mortales à societate & cultura humanitatis vixisse alienos. Constat enim eos simul habitasse, & vnam tantùm constituisse ciuitatem, quamdiu vna regio eos capere potuit. Posteà diuino quidem iudicio primam illam societatem hominum dispersam, per vniuersum orbem non ignoramus: sed primæ suæ educationis statim fuisse oblitos non, est verisimile.

Belluina illa vita post tot secula ab hominum restauratione, hodie adhuc quum in Americanis & alijs quibusdam populis conspiciatur, argumentum non præbet, primos populos olim similiter vixisse. Nam istos ad nostrum viuendi morem nullo exemplo, nullis præceptis facilè transferres: tantus inest amor ferinæ cuiusdam libertatis, vt sola vis aut necessitas, ad sanam mentem eos queat adducere.

Cultissimi primi humani generis Patriarchæ, ac sapientissimi fuerunt, vtpote qui viderant prius seculum omni disciplinarum genere, iisque omnibus quæ humanæ vitæ tum commodum, tum ornamentum adferunt, excultum. Quocirca longè magis verisimile est, honestam & cultam viuendi normam exemplo & sermone tradidisse natis & nepotibus, (quæ posteà propagata ad posteros peruenerit) quàm ferino ritu vixisse: & quicquid humanitatis & scientiarum hodie in vniuerso hominum genere extat, à primis illis Patribus vsque ad nos emanasse, ijs tantùm immutatis, quæ temporum conditio mutari postulauit.

Ex tribus humani generis Principibus vbi innumera populi multitudo nata fuit, vt vnus locus eos non caperet, nouas sedes quærere coacti sunt. Vnde lapsu temporis factum est, vt inclementia cœli, locorum asperitas, latrocinia, bellorum vastitas, & mali mores induxerint feritatem & barbariem: atque ita qui remotiùs habitarunt ab ijs qui cultiores erant, degenerarunt à prima patrum institutione. Asia verò, Assyria & Aegyptus disciplinas atque humanitatem quam acceperant a patribus studiosiùs retinuerunt coluerunteq;: & ab eis ad cæteras gentes deriuasse memoriæ proditum est. Quemadmodum igitur post diluuium humanum genus à primis Patribus fuit restitutum, ita etiam bonis moribus fuit informatum: nec omni ex parte falsum est quod de aureo seculo scripserunt Poetæ.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua, sine lege fidem rectúmque colebat.
Pœna metúsque aberant, nec verba minantia fixo
Aere ligabantur, nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.

Quæ omnia certè de agresti illa vita non possunt intelligi. Quatenus tamen vera sunt, velim Christianum lectorem apud se expendere, & innocentiam prisci seculi non fuisse nullam credere, non tantam tamen sicut versibus illis significatur. Comparatione illius primæ ætatis cum posteriorum seculorum moribus, innocens & sancta maiorum vita videri potest. Illa secula fuerunt fœliciora nostris, in quibus innumeræ ad peccandum illecebræ obijciuntur, quæ illa prior ætas ignorauit. Quòd fidem rectumq; dicuntur coluisse sponte, sine lege, intelligendum est, sicut ipse Poëta interpretatur, quando addit, Nec verba minantia fixo ære ligabantur: quia tunc nullæ fuerunt leges, nulla edicta quæ supplicij metum incuterent: non enim negat salutaribus præceptis homines fuisse institutos, in omnibus ijs quæ ad hominis officium pertinent. Idem enim ingenium fuit patrum & nostrum, eadem naturæ conditio, & tam homo homini similis est quàm est aqua aquæ. Nisi ad virtutem formati fuissent, nunquam eam sine lege sponte coluissent. Rectores igitur & directores habuerunt. At erant sine iudice tuti, nec supplex turba timebat iudicis ora sui. Et hoc intellige, ad eũ modum, qui nunc est, si fiat comparatio iudicis metum

metum nullum fuisse ; quia qui iudex erat, idem erat aut pater, aut auus, aut patruus, aut frater natu maximus.

CAP. XI.

Ex sacra historia docetur vera imperii origo, & quòd non hominum fuerit inuentio, sed Dei & naturæ constitutio, & prima imperia fuisse paterna.

MIrum est Christianos errorem gentilium potiùs amplexos fuisse, quàm veritatem Mosaicæ historiæ & Propheticæ doctrinæ, quæ Deum primum humanæ naturæ & imperiorum faciunt authorem. Nam ex Genesi notum est, summam potestatem cum ipsis simul hominibus incepisse, quando primis reparatoribus humani generis, statim ab initio post diluuium gladij ius vltoris parricidiorum Deus tradidit, & paulo pòst derisi patris pœna seruitus fuit instituta. Vnde cæteras omnes iuris gentium partes synecdochicôs licet intelligere, atque naturâ cum ipsis hominibus prima imperia esse nata: & cum homines subiecti nascantur parentibus, accepisse Principes, non elegisse. Seriem sacræ historiæ qui considerabit attentiùs, primos hominum progenitores primos quoque fuisse Reges facilè inueniet. Nam illos tres Noachi natos, Sem, Ham, & Iaphet (quos multa constat vixisse sæcula, & populosas vidisse ex sese natas nationes) iure naturæ, natorum & nepotum suorum fuisse Principes & Dominos negari non potest.

Princeps totius orbis Noah fuit, & natos pares authoritate esse voluit: nec in fratres imperium vni dedit. In tres partes inæquales vniuersum mundum diuisit: & Semo natu maximo maior & melior pars orbis terrarum contigit, ac sic prærogatiuam honoris iure natiuitatis accepit. Minor pars Europa Iapheto cessit: nisi quòd in tabernaculis Sem habitauit, & partem Orientis quæ vergit ad Septentrionem obtinuit. Ham enim vel Hamon (quo nomine Gentibus notior est) Affricam & Ægypto vicina loca, Palæstinam, Tyrum, Sidonem, & reliquam totam terram Canaan possedit, cum illis regionibus quas per tyrannidem Nimrod vsurpauit. Qui ab his tribus Principibus commemorantur nati, Reges & duces primi fuerunt gentium, paris dignitatis & potestatis sub suis patribus, sub quibus recensentur.

Ne mirum cuiquam videatur me æquare nepotes patruis, adoptatos à Noaho ego fuisse arbitror, sicut de filijs Ioseph factum ab Israële legimus: qui à patribus exemplum desumpsisse videri potest. Non enim fuerant primi Veterum iuris ignari, sapientissimos fuisse constat. Cum ipsorum sapientia si nostram conferamus, nostra infantia est. Horum neminem certum est potestatem accepisse à populo, sed eam natiuitatis iure, & patris voluntate ipsis contigisse. Morituri verò eam non legarunt populo, sed natis reliquerunt, quos aut successores suos esse voluerant, aut quibus gubernationis prouinciam se adhuc viuis mandauerant. Summæ potestatis est collegam adsumere, aut vnum vel plures successores designare. Nec statim primis Patriarchis mortuis, facta populis est eligendi Regis cui parerent potestas. Primogenituræ prærogatiua principatum cum sacerdotio coniunctum dabat maximo natu, nisi parens, penes quem summa erat potestas, aliud statuisset,

Omnes consentiunt in hanc sententiam, primas hominum societates paruisse Regibus: & pro legibus fuisse ipsorum arbitria. *Omnes antiquæ gentes* (inquit Cicero) *Regibus quondam pæruerunt. Quod genus imperii primùm ad homines iustissimos & sapientissimos deferebatur. Deinde etiam deinceps posteris prodebatur, quod in iis etiam qui nunc regnant manet.* In hoc à veritate sacræ historiæ aberratur, quòd vnde primum regia potestas initium habuerit ignoratur, quando à populis primos creatos fuisse Reges creditur: acti primi mortales nullis fuerint orti parentibus, nullumque eorum imperium in natos, nullaque natiuitatis prærogatiua. Nascendi lex & ordo, primos legitimos Reges dedit: populi verò electio primos tyrannos inuexit, qui primum illud verum & legitimum paternum imperium perturbàrunt, quando adhuc primis patribus superstitibus ab eorum obedientia recessum est, & seorsum sub Nimrodo regnum constitutum, vel potiùs noua quædam tyrannis.

Prima nomina gentium regionumque quæ nobis Moses reliquit, testantur primos gentium populorumque authores, primos quoque fuisse Reges. Ex Iapheto quindecim regna populique narrantur; ex Semo viginti septem; ex Hamo vel Hamo ne triginta

vnum. Capita illa familiarum naturæ lege fuisse dominos ac Reges natorum ac nepotum suorum, Moses apertè indicat: & horum tantam fuisse apud suos authoritatem & reuerentiam, vt eorum populi & regiones assumpserint nomina quibus Mosis temporibus & multis posteà seculis regiones & populi nuncupati sunt, & ab inuicem discreti; & in sacris literis hodie non aljis nominibus distinguuntur.

Hi sunt illi Baalim quos tanquam quædam numina Israëlitæ coluerunt: & gentiles Heroas & Deos indigites vocârunt. Hos etiam primos fuisse reges mortalium, Poëtæ & alij Scriptores agnoscunt: à quibus longâ serie qui fuêre procreati regna tenuerunt. Belli Troiani principes suum genus ad Belum aliquem, aut ad Iouem, aut alium quempiam deorum posse suum referre genus, magni ducebant.

Hinc discere possumus quæ fuerint regnorum initia, & primi Reges: ac falsam esse opinionem eorum qui credunt primos populos palantes incertis sedibus, more bestiarum, in antris & syluis, sine lege & Rege vixisse: & posteà à sapientibus hominibus, populos ad cultioris vitæ genus fuisse adductos: quorum suffragijs contra vim & iniuriam tandem Reges fuerint creati. Nam vt societas simul cum hominibus nata est: sic etiam ea quibus conseruatur omnia; vt sunt imperium, sacerdotium, pietas, iustitia, fides. Nihil Deus primis parentibus quod ad constituendam ciuitatem esset necessarium deesse voluit.

Hoc igitur certò tenendum est, patriam potestatem regiam, hoc est, summam fuisse apud primos humani generis authores, siue secula prioris æui ante aquarum inundationē spectemus, siue quæ post secuta sunt sub Noaho, & ipsius natis ac nepotibus: & Patres illos iure naturæ principes fuisse eorum quos procrearunt: ac proinde eodem illo iure subiectos ijs vixisse natos & nepotes: à quorum potestate seipsos emancipare, atque alios Reges eligere, aut nouam formam reipublicæ constituere, inuito patre, nefas fuit. Vndè necessario consequitur prima imperia fuisse Monarchica & paterna, quæ neminem superiorem præter Deum agnoscebant, naturâ, solo Deo authore, comparata.

Hoc imperij genus mite ac clemens, optimum & æquissimum fuisse, atque sine vlla vi aut coactione liberum, haud est ambigendum. Tamen si durum & iniquum fuisset (nam & homines illi patres fuerunt) ferendum erat: nulla tanta iniuria, nullum tantum patris in natos peccatum esse potuit, quod eos ab obedientia & subiectione paterna liberaret. Nati & nepotes nullum ius coërcendi habuerunt in patrem, qui summus magistratus erat: is quando aduersatur, quia superior iudex ad quem recurratur nullus est, Dei expectandum est iudicium.

CAP. XII.

Paterno imperio successisse regium, non electione populi, sed hæreditaria successione.

HAEc gubernationis ratio, sicut cum primis gentium progenitoribus incepit, cum illis similiter finem accepit. Quæ sequuta sunt imperia, quamuis in illa patria potestas deriuata sit, paterna dici non possunt. Eadem quidem regiminis authoritas retenta est, sed diuersitatem à personis accepit, & regia facta est. Quæ tametsi à paterna, tanquam ab exemplari omni ex parte absoluto sit desumpta, ac eius sit æmula, non nihil tamen ab ea deflexit. Princeps optimus ille censetur, qui ita gubernat, vt pater suorum subditorum veriùs quàm Dominus dici mereatur. Principes (inquit Philo) sunt publici parentes ciuitatum & gentium: & quotquot boni sunt, non cedunt pietate naturalium. Nam hoc tantùm inter patrem & Regem interest, quòd ille naturâ sit princeps, hic (vt ita dicam) adoptione & legibus. Quod naturam æmulatur, ab ipsa differt: quocirca regum imperium diuersum sit oportet à paterno, quamuis eadem authoritas vtrique sit communis, & beneuolentiam & animum paternum erga subditos induat, naturâ tamen pater non est.

Hos Reges qui proximè succedere patribus, non populi certis pactis & conuentionibus sibi elegerunt, sed ab ipsis patribus acceperunt. Primogenituræ ius tum cœpit, & sacrosanctum fuit. Et nisi ille, penes quem summa erat potestas, iustis de causis aut transtulisset ad alium, aut inter natos & nepotes illud partitus esset, manebat apud natu maximum: sed pater ex quota parte filios hæredes esse vellet, constituere potuit. Hinc tanta primis illis seculis fuit Regum multitudo, vt singulæ ferè vrbes suos haberent Reges.

Quocirca

Quocirca hæc duo consequuntur, primum, imperiorum potestatem non à populis manasse ad Reges, sed à Regibus iusto Dei iudicio transisse, tumultu & seditione, ad populos. Vtrius autem, Regúmve an populi peccato, an potiùs vtriusque, videbimus posteà.

Alterum est, prima illa imperia fuisse paterna, quæ gentium scriptores vocant Heroica: & transmissa ad natos & nepotes aut iure natiuitatis, aut voluntate patris, lapsu temporis tandem facta esse regia. Vnde efficitur iure hæreditario à Deo conferri regna, similiter & testamento ac voluntate eius, penes quem est rerum summa potestas, etiam vbi nulla subscribunt populi suffragia: sicut postea factum ab Isaac & Iacob & à Dauide legimus, qui sua authoritate primogenituræ ius transtulerunt, & legarunt testamento. Dauid, posthabitis natu maioribus, Salomonem Regem creauit. Nicomedes filius Nicomedis Philopatoris, Bithyniæ rex, moriens sine liberis, regnum populo Romano testamento suo reliquit. Attalus similiter populum Romanum hæredem Asiæ scripsit. Hinc Romanos imperatores & collegas adsumpsisse, & successores adoptasse legimus. Constantinus Romanum imperium tribus filijs partitus est: idem fecere alij plures. Carolus Magnus Occidentis imperium adeptus, eadem potestate tres filios eidem præfecit. Exemplorum multitudine supersedo, quibus & regna legitimè parta, & posteris distributa fuerunt, nulla interueniente populi authoritate, sed illius, penes quem tota erat, aut parta legitimo bello, aut à maioribus accepta.

CAP. XIII.

De ijs qui summum imperium proximè à Deo acceperunt, nominatim ab ipso Deo vocati, in quos populum vllam habuisse potestatem dici nulla ratione potest.

QVm tribus alijs præterea modis perueniatur ad legitimum regnum, nempe immediata vocatione Dei, populi procerúmue electione, & iusto bello, præteriri non debent à me. Legimus enim proximè à Deo Reges quosdam constitutos; vt Moses, Iosuah, Dauid, & Saul. Regis nomine eos omnes complector (vt antè dixi) qui merũ & absolutum habent Imperium, nulli, nisi vni Deo subiectum, etiamsi non vocentur Reges, nec caput habeant redimitum diademate. Regis verò maiestas (vt suprà dixi) in potestate imperandi, non in ornamentis sita est. Et hac ratione mihi Moses, & Iosuah, & reliqui Iudices populi Israelitici æquè Reges, & monarchæ sunt, ac Dauid, aut Salomon. Tametsi inter reges & iudices dispar fuerit imperij ratio, & externa gubernationis forma diuersa, par tamen fuit authoritas.

Hoc regium imperium medium est, inter paternum & herile, nonnihil ad dominationem deflectens. Sed iudicum potestas nulla in re libertatem populi minuebat, mereque paternum erat officium, sine vlla magnificentia, quam reges habere conuenit. Iudex parùm differebat à cæteris è vulgo primoribus. Imperium illud simile nonnihil erat Dictaturæ apud Romanos: antequàm oppressa libertate populi in regium dominatum transiret; & hoc excepto, quòd potestatem iudices proximè à Deo acceperunt, eamque perpetuam; Dictatores verò, & ad certum tempus, & à populo, à quo exauthorari poterant. Vniuersus enim Romanus populus Dictatore maior manebat: populus autem Israeliticus suis iudicibus, sicut etiam regibus, inferior erat, non secus quàm suo patre tota familia.

Quemadmodum summa fuit primorum Principum humani generis potestas in natos, nullis terminata legibus, nisi Dei: ita etiam pari ratione Regum, quos ipse Deus per se supra populos constituit. Et sicut natis in illos nulla fuit potestas, ita nec subditis populis in hos, de quibus loquor regibus. Quidam hodiè huic regiæ potentiæ (odio tyrannidis) adeò sunt infensi, vt eos quos ipse Deus in reges elegit, & vngi iussit, populi subijciant arbitrio & electioni: ac tum demum ratum fuisse quod Deus constituerat, si populus comprobasset, disputant: vt hac ratione populi authoritatem in suum regem stabiliant. Qui certè quid regia sit potestas, quantumuis sint magni iurisconsulti, aut nescire, aut scire se dissimulare mihi videntur. Ex vna specie vniuersum genus definiri non potest, sicut nec homonymon. Omnium regum non est eadem potestas: tot sunt ferè regnandi leges, quot sunt regna. Regis nomen multis est commune, quorum in subditos non est par authoritas.

Mihi omnes differentias quæ ex varijs pactis & conditionibus nascuntur, recensere non

non est propositũ : quia nec eas omnes noui, & hic inferere quas ex varijs scriptis colligere possum, augeret opus in immensum. Summatim attigisse capita satis est. Absurdum, & ab omni ratione alienum est, Reges quos Deus ipse vocauit, & populis præfecit, populis vlla in re subijcere. Mosen, Iosuam, Dauidem, & Salomonem in arbitrio populi non fuit reijcere; sed horum seruorum Dei tenebantur subire imperium. Idem de Saule dico, qui quamuis iniquus Rex & Tyrannus euaserat, animaduertendi in eum populus nullam authoritatem habuit. Solius enim Dei relinquendus fuit iudicio. Psalmus secundus iram Dei denunciat omnibus, qui audebant imperium detrectare eius, quem Deus Regem constituerat. Et quamuis de Christo ille Psalmus, vt alij plerique intelligantur, habuere tamen etiam suam veritatem in typo.

Quàm in Regem potestas nulla fuerit olim subditis, exemplum sententiaque Dauidis pluribus in locis docent, qui innocentem eum non fore pronunciat, quisquis in Regem manum ausus esset inijcere. Consiliarij tamen & hortatores tum non deërant, vt aut ipse Regem feriret, aut ab alio percuti sineret. At quantæ causæ, quàm iustæ, iustæ necis in Saulem poterant allegari? Primò quòd iusta esset aduersùs tyrannum innocentiæ defensio, qui Dauidi genero fidissimo, ac optimè tum de ipso, tum de toto Israële merito, non ob aliam causam infensus esset, quàm quòd in tripudijs chorus puellarum sibi occineret, *à Saule quidem mille cæsos hostium, à Dauide verò decies mille*: & quòd sciret à Deo eum successorem regni esse designatum. Itaque non Dauidi, sed Deo impiè bellum inferri, cuius decretum irritum facere conabatur. Deinde qui clemens & misericors contra Dei mandatum voluerat videri parcendo Regi Agago impio, & hosti populi Dei, quem Deus necari iusserat. Immanem etiam sæuitiam in Dei sacerdotes & multitudinem innoxiam exercuerat, quando Abimelechum summum Dei sacerdotem, & alios eius comites 84. numero, nihil mali meritos, crudeliter odio Dauidis mactari iussit: quorum nec sic sanguine satiatus, crudeliùs insuper in totam vrbem Nob, citra vllum sexus, ætatisve discrimen desæuijt, vt ne iumentis quidem pepercerit, clementior in Dei hostes quàm in Dei sacerdotes. Prætereà fœdus cum Gabaonitis à Deo comprobatum, vt gratificaretur populo, perfidè violarat, & totum Israëlem iræ Dei fecerat obnoxium. Quis magis idoneus tot parricidiorum vltor Dauide esse poterat, si populo, aut inferiori magistratui potestas coercendi Regis vlla fuisset? Deus Dauidem Regem designauerat, ipsèque inter proceres, & præcipuos belli duces non postremus erat; Regem tamen suum violare nunquam ausus est. Is qui se iactabat interfecisse Saulem, & qui Isbosethum iugularant, mortem ab ipso tulerunt sui parricidij præmium. Quod haud rectè factum esset, si in Regem Tyrannum animaduertendi apud Israelem proceribus, aut populo potestas fuisset.

Prophetæ liberè tam populi quàm Regum ac inferiorum Principum peccata reprehendunt; nusquam tamen taxantur, aut inferiores magistratus, aut ipse populus, quòd in suos Reges Tyrannos, & in Deum impios non animaduerterint. Tam enim in reatu est, qui conniuet ad impietatem, aliaque flagitia, quibus opponere se debet, ac ille qui perpetrat. Reprehenditur quidem populus, quòd Regum impietatem imitatus est, non autem quòd ab illis non defecerit, aut non coniurarit in eorum vitam: quod dubio procul à Prophetis factum fuisset, si Regem Tyrannum, & à cultu vero Dei recedentem, ius coërcendi habuisset. Nemo in Reges Iudæ, aut Israëlis, à perduellionis crimine immunis fuit, qui coniurauit, aut aliquid tentauit, nisi fortè à Deo speciale mandatum ad eam rem accepisset. Rex enim augusta illa dignitate, quam à Deo habet, sacrosanctus est, & inuiolabilis subiectis, non secùs quàm parens naturâ natis.

Prætereà si propter tyrannidem, deficiendi à Rege potestatem, eumque cogendi armis ad officium remansuram in populo Samuel intellexisset, quando iura fisci regij recensuit, quo cum iniuria & populi oppressione vsuros Reges præuidebat; non adiecisset, *Et clamabitis in illa die ad dominum Deum vestrum, & non exaudiet vos.* Quibus verbis necessitatem subeundi tyrannicum iugum denunciat, contra iniustam illam vim leges & cautiones non est author, vt adhibeantur, quas si transgressi fuissent, desinerent esse reges. Vir Dei non ignorabat, facilè quidem fore cum Rege paciscì; sed quia sine pernicie reipub. Reges non posse cogi vidit, de seruitutis iugo excutiendo spem sustulit.

Ad has rationes regiæ potestatis inimici effugia quærunt, quæ vix vlla responsione digna

digna sunt: & sanè nisi imperitis sacrarum literarum imponerent, silentio illa præterirem. Magis ingenuè Bucchananus agit, qui sacris historijs in hac re nullam facit vim, nec falsum affingit sensum. Vtinam similis vbique sibi mansisset. Sed fatetur, quod res est, Iudæorum Reges à ciuibus non fuisse punitos; & eorum exempla dicit ad Reges nostri temporis nihil pertinere, qui quicquid habent potestatis, à populo acceperunt; cum illi non à ciuibus fuerint creati, sed à Deo dati. Itaque (inquit) *optimo iure qui honoris eis erat auctor, idem & pœnarum fuit exactor.* Quocirca liquere arbitror ex his quæ diximus, populum Israëliticum in suos Reges nullum habuisse ius: nec ipsorum authoritate multitudinis fuisse maiorem.

CAP. XIIII.

Gentes nihilo plus potestatis in suos habuere reges, quàm populus Dei.

NVnc videndum est, num quid potestatis ampliùs gentium populi habeant in suos Reges, quàm habuere Israëlitæ. Nulla causa adfertur cur gentibus licere plus in suos Reges, quàm Israëli Deus voluerit. Vtrobique enim par obedientiæ & subiectionis ratio: & vtrisque Deus Reges dedit ijsdem legibus, etsi non eodem modo. Notum est Babyloniorum, & Persarum Reges, similiter & Græcorum, in populum Dei accepisse à Deo imperium. Et quando populus postulauit Regem qui more aliorum Regum imperaret, non fuit eorum mens, vt plus authoritatis sibi vsurparet, quàm vicini Reges tunc temporis habebant in subditos. Communi ergo quodam iure intelliguntur Asiæ, ac totius ferè Orientis Reges imperasse, & eam quæ fuit Regum in populo Dei potestas, fuisse etiam vicinorum Regum, qui monarchicum obtinebant imperium.

Si vnctioni aliquid inesse priuilegij creditur, qua figurabatur Dominus noster Iesus Christus: (nam id metum incussisse Dauidi ne Saulem auderet attingere, quando dixit, Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo *Christo Domini*, vt mittam manum meam in eum, quia *Christus Domini* est) dico hoc non esse nihil. Sed cùm eam Reges habuerint communem cum sacerdotibus, & prophetis, qui eo nomine similiter reuerendi erant, nec tamen idcirco eximebantur à pœnis debitis sceleribus, si quid animaduersione dignum commisissent; tutos à supplicio Reges non reddidisset, si vindicari à populo aut à proceribus eorum peccata Deus voluisset. Sacra enim vnctio flagitijs contaminata, immunitatem à pœnis peccato debitis non adferebat. Sed vt Deus ostenderet aliarum gentium regna, regesque non minùs sibi esse curæ, quàm populi sui, Elias iubetur Hazaëlem in Regem Syriæ inungere, & Iehu in Regem Samariæ: & Cyrus nondum natus, *Christus* Dei futurus ab Esaia prædicitur. Vnde liquere arbitror parem dignitatem, & potestatem gentilium Regum in suos populos fuisse, quæ fuit Regum Israëlitarum: nec plus concessum auctoritatis nationibus cæteris in suos Reges, quàm Israëli, aut Iudæ in suos.

Cùm mundus hodiè eadem prouidentia regatur, qua olim; nihil ad populum referre arbitror, regnum quomodo Rex à Deo acceperit, an extra ordinem proximè ab ipso vocatus sit, an per homines, per quos Deus regna conferre solet hominibus, illud acquisierit. Bello legitimo comparari regna magna non eget probatione. Quæcunque enim hodiè sunt regna, si inquiratur eorum prima origo, à bello incepisse, belloque parta inueniemus. Vnde magnus eorum error apparet, qui omnia legitima regna referunt ad populi suffragia, & tyrannidis accusant quicquid armorum vi partum est, & inuito populo possidetur: ac si discrimen nullum esset, inter legitima bella, & ea quæ temerè, & cum iniuriâ suscipiuntur. Multum autem interest quomodo hoc vel illo bello regna parta sint. Propter peccata quæ tum Reges, tum proceres, populúsve committunt, regnum de gente in gentem transfertur. Hoc modo Deus vlciscitur hominum impietatem, cædes, adulteria, incestas & fœdas libidines, ac oppressiones pauperum, peregrinorum, viduarum, & pupillorum, & omnia scelera quibus hominum societas, & iura gentium multis modis violantur; vt sunt iniuriæ, damnaque vicinis & socijs illata, contumeliæ, periuria, fœderum & pactorum violationes, hostiles nullo denuntiato bello inuasiones.

Si Rex quispiam lacessitus prior atroci iniuriâ bellum moueat hosti, eumque vi & armis

armis regno deturbet, illudque occupet, aut superbum populum domet, ac sibi subijciat; tyrannus nullo iure dici debet aut haberi, quamdiu vindicta non est atrocior acceptâ iniuriâ. Hunc Regem Iunius Brutus (aut ego vehementer fallor) non dicet nullam habere potestatem in deuictum populum, quam ab eo non acceperit: neque eum faciet populi, procerúmve beneficiarium & clientem. Victoris est victis imponere leges quas volet, sibique videbit vtiles. Si autonomiam ipsis concesserit, & libertatem ciuilem, sibique summum seruet tantummodò imperium, magna debebitur clementiæ victoris gratia; qui, cùm iure belli seruos habere potuerit, liberos esse malit. Sapiens ille victor est qui victoria clementer vtitur. Non est facile nouas populo dare leges. Qui saluum cupit populum, & firmum imperium, nihil nouabit, nisi quod Principis victoris authoritatem minuit, causamque præbere potest rebus nouandis.

Hoc Principis beneficium potestatem nullam populo facit, qua posteà Principem in ordinem cogat, eique imperium abroget. Legum priorum ius à noui Principis voluntate vim & robur accepit; in quibus nihil admissum à victore debet intelligi, quod ipsius authoritati deroget, nisi perspicuis verbis sit expressum. Quisquis malàm, imò audeo dicere bonam causam, armis discernit, si succumbat, & in potestatem aduersarij veniat, fit seruus victoris, cui occulto, iusto tamen Dei iudicio, est traditus: eique bona fide seruire tenetur, nisi seipsum redimat. Quod si nequeat, seruitutis iugum subeundum est. Et vbi victor posuit arma, & pacem dedit, rebellare contra fidem datam, aliúdve moliri in perniciem victoris domini, crimen perfidiæ, & perduellionis est. Quòd si libertatem victor concedat, æquitas quæ Patrono libertum obligat, hîc locum obtinet. Hæc pluribus posteà demonstrabimus. Hoc autem me nunc probasse sufficit, populum iusto bello deuictum, in victorem nullam habere potestatem: qui quicquid consecutus est imperij, soli illud Deo debet.

Tamen victorem temperare victoriam, & vbi obtinuit quod bello quærebatur, victis pacem & pristinam libertatem æquis conditionibus reddere, summa laus est. Hæc moderatio necessaria est eis qui tyrannidis & crudelitatis notam cupiunt effugere. Non enim quod cupiditate rapiendi aliena bellum geritur, iustum est, sed quo propria repetuntur, aut intolerabilis vindicatur iniuria: quæ qui est consecutus, vlteriùs progredi non debet. Victoria abuti ad occupandum aliena, victori non licet, nisi fortè adeo atroces fuerint belli causæ, & cum hoste huiusmodi, qui pacta fidemque seruaturus non sit, quique restitutus non possit quiescere.

Tanta interdum sunt Regum populique peccata, tam enormia, & iniuriæ ac contumeliæ tam insignes, & toties repetitæ, vt victor erga victos non debeat, nec possit citra magnam iacturam, & regni periculum, vti clementia; cogaturque, si sibi, regnóque suo consultum velit, aut gentem delere, aut eam sibi subijcere, ac illius reipublicæ formam mutare: sicut à Dauide factum legimus Philistæis, Ammonitis, Moabitis, Edomitis, & Aramitis, quos partim tributarios fecit, partim Regibus sublatis per gubernatores rexit. His populis iusto bello domitis, nemo sanus in Dauidem potestatem vllam attribuet: nec tamen idcirco tyrannicum fuisse dicet, quòd violentum imperium in illos exercuerit.

CAP. XV.

Reges interdum certis legibus eliguntur, in quos non transfertur imperium, sed tantùm communicatur, manentq; maioris potestatis subiecti imperio.

NVnc de rege videamus quem proceres, populúsve liber sibi præficiunt, (nam in hoc cardine vertitur controuersia) quo loco sit habendus: ecquid præcipuæ potestatis in hunc populus proceréve habeat præ cæteris de quibus locuti sumus Regibus. Diximus suprà suffragiorum directorem esse Deum; & summæ potestatis, quam in imperijs necessariam docuimus, Deum esse authorem, quocunque modo ea obueniat.

Sed error hîc facilè interuenit propter tradendi imperij diuersam rationem. Quod qui non attendunt tribus fieri modis, perniciosè miscent & confundunt politeias. Aut enim mandatur, aut tantùm communicatur summum imperium, aut illud abdicando totum transfertur in alium. Quando Senatus, populúsque Romanus summum imperium sine vlla prouocatione mandabant Dictatoribus; similiter quando Reges omnem suam potestatem

testatem delegant Proregibus, nihil à se illi abdicabant, sicut nec hi abdicant. Nulla enim tanta potestas mandari potest, quin maiorem qui mandat sibi retineat. Populus Romanus in suos Imperatores imperium suum transtulit, non semper abdicando illud à se, sed communicando; quemadmodum & ab ipsis etiam factum est Imperatoribus, quando collegas adsumpserunt.

Proceres populúsue in creatione noui Regis, si summam potestatem certis legibus tantùm regi communicant, sicut legimus olim factum Spartanorum Regibus: Rex tantùm summus magistratus, est subiectus maioris potestatis imperio: nempe aut populi, aut magnatum, aut vtriusque. Nam etsi Regium nomen, & ornamenta tradantur; quod præcipuum est in vero Rege negatur, aut acciditur. Vnde fit, vt status illius populi, potiùs Aristocraticus, aut Democraticus censeri debeat, quàm regnum, aut monarchia. Sin populus in Regem quem eliget, potestatem illam supremam ita transfert, vt à sese abdicet, eam habere desinit; atque ita cùm priùs vniuersi fortè maiores, aut pares essent cum illo quem creârunt Regem, omnes & singuli fiunt eo inferiores, & subditi. Ipse autem tam in vniuersos, quàm in singulos potestatem accipit: non secus quàm si totum imperium successori Rex traderet, ipse eo se exuit, & illum induit, fitque priuatus, & subiectus ei, cuius antè fuit dominus. Sed si tantùm communicaret summum suum imperium, illud ipse habere non desineret; non ampliús monarcha esset, qui collegam haberet paris secum potestatis.

CAP. XVI.

Populus Romanus iudicauit, Reges esse solutos legibus, quando decretum, quo summum imperium tradebat Imperatori, legem vocauit Regiam.

POpulus Romanus proprium esse Regis iudicauit, omnibus esse solutum legibus, quandò decreto suum Principem omnibus legibus exemit. Regia lex idcircò dicebatur, quia potestatem Regiam, hoc est, absolutam dabat Imperatoribus. Vlpiani verba hæc sunt, *Quod Principi placuit legis habet vigorem: vtpote cum lege Regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperiũ suũ, & potestatẽ concessit. Quodcunque igitur Imperator per epistolam & subscript onem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat.* Titus Liuius lib. 34. legem hanc simul cum ipsa vrbe natam esse dicit. Hæc lex fuit sub Augusto repetita. Et Strabo libro vltimo ait, Imperatoribus principatum ineuntibus, recitari solitum.

Legem eam nusquam extare totam, dolendum est, sed ex crebra ipsius mentione in iure ciuili, & fragmento quodam tabulæ æneæ, quæ in Lateranensi Basilica dicitur extare, & partem legis regiæ, quæ de imperio Vespasiani lata fuit, continet, colligere licet, quæ fuerit: & singulis principibus, qui voluntate Senatus, populúque creabantur, fuisse leges regias latas, nec semper easdem, sed diuersas.

In fragmento hæc leguntur.

Fœdúsue cum quibus volet facere, ita vti licuit Diuo Augusto, Tiberio, Iulio Cæsari, Augusto, Tiberióque, Claudio, Iulio Cæsari, Augusto Germanico, vtique ei Senatum habere, relationem facere, remittere Senatusconsulta per relationem, discessionémque facere liceat. Vti licuit D. Augusto Tiberio, Iulio Cæsari, Augusto Tiberio, Claudio Cæsari, Augusto Germanico.

Vtiq; quùm ex voluntate authoritatéue, iussu mandatúue eius, præsentéue eo, Senatũ habebitur, omnium rerum ius perinde habeatur, seruetur, ac si è lege Senatus edictus esset, habereturq;.

Vtiq; Coss. magistratus potestatem, imperium, curationémue cuius rei petentes, senatui populoque Romano commendauerit, quibúsue suffragationem suam dederit, promiserit, eorum Comitiis, quibúsque extra ordinem ratio habeatur.

Vtiq; eis fines pomerij proferre, promouere cùm è repub. censebit esse, liceat, vti licuit Tiberio, Claudio, Cæsari, Augusto, Germanico.

Vtiq; quæcunque ex vsu reipublicæ, maiestate diuinar. humanar. publicar. priuatarúmque rerum esse censebit, ea agere facere ius potestásque sit, ita vti Diuo Augusto, Tiberioq;, Iulio Cæsari, Augusto, Tiberioq;, Claudio Augusto, Germanico, fuit.

Vtiq; quibus legibus plebísue-scitis scriptum fuit, ne Diuus Augustus Tiberiúsue, Iulius Cæsar, Aug. Tiberiúsque Claudius Cæsar Aug. Germanicus tenerentur, his legibus plebísue-scitis Imp. Cæsar Aug. Vespasianus solutus sit, quæque ex quaque lege rogatione Diuum Aug. Tiberiúmue, Iulium Cæsarem, Augustum, Tiberiúmue, Claudium Cæsarem Aug. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imperatori Cæsari Vespasiano Aug. facere liceat.

Vtique quæ ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab imperatore Cæsare Vespasiano Augusto, iussu mandatúue eius à quoquam sunt, ea perinde iusta rata sint, ac si populi plebísue iussu acta essent.

Sanctio. Si quid huiusce legis ergô, aduersus leges rogatione, plebísue-scita, Senatúsue-consulta fecit, fecerit ue, siue quod cùm ex lege rogatione plebísue-scito, Senatúsue-consulto facere oportebit, non fecerit huius legis ergô, id ei ne fraudi esto, néue quid ob eam rem populo dare debeto, néue ea de re apud eum agi sinito.

Vidêre viri sapientes, quanquam libertatis essent amantissimi, summum imperium intra legum angustias si coerceatur, non posse cum vtilitate publica èxerceri; proinde cùm leges omnes interpretandæ sint pro ratione locorum, & temporum, ac personarum, & occurrant multa quæ legem, aliâs iustam & vtilem, reddunt iniquam & inutilem, ad Dictaturæ, & Imperatorum ius in omni re dubia sibi recurrendum iudicârunt.

Et profectò ita res est, non tantùm in repub. sed etiam in regno. Si enim ducum, quibus magna, & ardua prouincia commissa fuit, facta Magistratus Regésue ad legum exactam normam vélit exigere; reos capitis facile erit quosuis fortissimos, ac etiam ipsis patriæque fidissimos peragere. Nemini tutũ erit magnas res aggredi pro salute publica. Quocirca prudentis Principis & æqui est, conniuere ad multa quæ necessitate quadam contra leges in re ancipiti pro salute publicâ commissa, vel omissa sunt. Regnum benè administrare, res est omnium difficillima. Quare qui Reges legibus subijciunt, ne quid præclari pro rep. gerere audeant, impediunt, & calumnijs improbissimi cuiusuis exponunt. Aliud est violare leges, aliud violare ius; ius inquam, ex quo leges natæ sunt, non quod faciunt: illud natura constat; hoc voluntate, & arbitrio hominum.

Grauissimas habuisse causas oportet Romanum populum, cui libertas vitâ potior erat, quando summum suum imperium legibus solutum, in vnius ciuis potestate esse voluerint. Quod Dictatori, vt res postulabat, fuit temporarium, Imperatori & Regi oportet vt sit perpetuum: nimirùm id regni statu exigente.

Crescunt & stant ciuitates & regna summi imperij reuerentiâ. Plena turbarum, & motuum Romana respub fuit, & procul dubio in certum exitium erat ruitura, nisi Maiestatis summi imperij obseruantia eam rebus fluctuantibus sustentâsset. Quicquid seditio discordiáque ciuilis destruebat, vnius imperium rursus erigebat. Proscriptiones, & ciuium cædes si quis mihi obijciat; respondebo, partem perire fuisse necesse, vt tota seruaretur respub. Tyrannides igitur laudas? minimè. Sed grauius malum vt vitetur, minus perferendum iudico. Si ea prudentia fuisset in Flandris, & Brabantis, contra hostem stare poterant: sed perijt libertatis amore malè defensa libertas. Ergo ipsis accidit, quod omnibus euenire necesse est, qui nec imperare, nec parere nôrunt.

CAP. XVII.

Notum esse debet penes quem sit summa reip. potestas. Summum imperium nullis potest legibus tradi, quæ illud tollant.

SVnt interdum contra Regiæ potestatis abusum cautiones quædam adiectæ in Regum inauguratione, quæ regiam eneruant potentiam, summumque eis imperium adimunt; quod tamen nec populo nec proceribus tribuunt, sed incertum relinquitur, penes quem sit rerum summa potestas. Verbis quidem penes Principem eam esse profitentur; cùm re ipsa, si pactæ leges seruentur, sit penes populum & proceres. Quæ res discordiæ ciuilis seminarium est, dum incertum relinquit, cui potissimùm sit parendum. Dolo malo quippiam fieri dicitur, quando aliud est factum, aliud simulatum. Hic verò aliud fit, aliud simulatur. Summum imperium tradi videri volunt Principi, cùm illud sibi retineant. In pactis & transactionibus conditiones quæ rem de qua transigitur euertunt, aut pro non adiectis habendæ, aut ita sunt interpretandæ, vt stet id de quo agitur. Qui summum imperium tradunt,

tradunt, nullas leges addere possunt, quibus quod datur, tollitur. Si populus proceresue suum beneficium esse volunt, quod confertur imperium, aut disertis verbis expressum id oportet, aut ex ipsa tradendi ratione notum fieri: sicut in inuestitura feudorum fit; vt nouerit beneficiarius quòd potestatem superiorem debeat agnoscere.

Sunt qui disputant summam imperij potestatem populum à se non posse abdicare, hac similitudine. Quòd cùm aut Imperator Regem aliquem creat, saluo semper summo imperio id facit; aut Rex, putà Franciæ, cùm extraneo, vel etiam fratri, filióue ditionem regendam possidendámue tradit, casus regios, animaduersionem regiam, & supremum dominatum perpetuò excipit: quin etsi minùs in formulâ inuestituræ, fiduciæue expresserint, ipso iure excepisse putantur. Vnde concludunt, populum, proceresue tradendo imperium vel regnum, summam potestatem retinere imperij. Sed hæc ratio nihil aliud probat, quàm liberum populum, aut proceres, tradendo imperio non illud abdicare: sicut nec Romanus populus fecit creando Dictatores, vel etiam Imperatores perpetuos. Sed hoc nihilo magis euincit, imperium non potuisse abdicari à populo, & totum transferri in Imperatorem vel in Regem, quàm Imperatorem, vel Regem non posse deponere imperium, & illud totum transferre in alium, fierique priuatum. Vt vetera omittam, Carolus quintus nostrâ ætate & imperij insignia deposuit, & Principibus Germaniæ remisit; & filio Philippo regna Hispaniarum & cæteras omnes ditiones tradidit, & factus est priuatus.

Deinde liber populus & ipsi magnates suis in Deum & homines peccatis, & libertatem, & imperij maiestatem non secùs quàm Reges amittere possunt. Et quidquid de se, & suis rebus priuatis possunt singuli, de publicis possunt etiam vniuersi. Quemadmodum Dominus feudi, si vasallo iniuriam insignem intulerit, & patronus liberto, excidunt suo iure; similiter vasalli & liberti. Malus populus interdum Regi suo rebellis fit, eumque iniuria afficit: proinde eodem iure iacturâ libertatis potest mulctari. Postremò, summum imperium nunquam à Deo fuisse populo demandatum me demonstrasse reor, sed aut exactis Regibus vsurpatum, aut deficientibus, necessitate ad eum deuolutum.

Conditiones, & pacta inter Regem & populum scribere, quæ si violentur, Rex esse desinet, & sacramẽto ac fide qua tenetur regi, liberatus eẽsebitur populus; facilius est, quàm vtiliter sine magno reipublicæ damno, illis vti. Reges iuratam fidem seruare teneri, nemini sano dubium esse potest. Sed si eam non præstiterint, & pacta conuenta violauerint, atque id à se factum negẽt, nolintq; se iudicio sistere, annon ad dubiam Martis aleam confugiendum erit, bellumq; ciuile mouendum, cuius incertus futurus est exitus? Euentus plerumq; ciuilium bellorum mali sunt, & semper exitiales populo. Quorum si tædio aut timore Principem suum ab illis pactis, & conuentionibus liberum esse velit, prudentiùs meo iudicio, & magis è re sua id fecerit, quàm vt incerti belli sit expositus discrimini.

Quibus Principis vnius suspecta potentia est, & legibus eam quibuscunque possunt accîdunt; perinde faciunt, ac solent ij qui alas auium arrodunt, ne nimis altum volent, easque in sua potestate non habeãt. Isti ita subijci volunt, vt etiam ipsis subiectus sit Princeps: & quo minor eius est potentia, ipsorum sit maior: quod vbi magis toti est in commune reipublicæ vtile, quàm priuatim paucis, benè est, nihil dico. Sed vereor ne Regij imminutio imperij, regnis & rebuspublicis Christiani orbis magnã aliquando cladem adferat. Olim vna tantùm fuit regnãdi lex: hodiè tot sunt quot regna habemus. De quâ re hoc loco satis.

De Rege nobis est sermo, cui summum imperium populus, proceresue in se, & omnia sua tradiderunt: in qua re Rex non tam beneficium iudicatur accipere, quàm dare: perindè ac illi qui seipsos in seruos dedũt, aut adoptandos tradunt, sicut & mulier quæ viro nubit, beneficium non dant, sed accipiunt. Et quemadmodum vinculum necessitudinis, quod vtrinq; inter istos nascitur, inæqualis obligationis leges cõtinet: sic diuersa est mutua inter reges & subditos obligatio. Debet quidem ille iustus, & clemens esse Rex, qui ab iniuria subditos defendat, & in officio malos contineat, ac ius cuiq; suum conseruet; hi verò debent suo Regi omnem fidem & obsequium quæ ei negare non possunt, etiamsi non præstet boni Regis officium. Quamuis nanciscantur, seruus, filius, & vxor, ille malum dominũ, hic durum patrẽ, illa maritum improbum, non ideircò liberantur, nec sui iuris fiunt, vt deserant dominum, vel patrem, vel maritum. Ita nec statim populus, si in malũ Regem inci-

derit,iuſtas cauſas defectionis,aut rebellionis habebit. Sæpè ſerui quàm populi melior eſt conditio. Nimirum vbi leges atroces iniurias in ſeruos committi non patiantur, ad quas ſerui poſſunt confugere,& iudicis implorare auxilium: populus verò contra Regem præter Deum neminem habet iudicem,ad quem recurrat affectus iniuria. Id quibuſdam durum & iniquum videtur.Idcircò ſupra Regem in regno ipſius iudices ſomniant: atque ita pro populo contra Reges diſputant,ac ſi ſoli in populum peccarent;& non contra populus in Regem.Vtrinque peccari ſcio; ſed meo iudicio faciliùs, grauiùs, & periculoſiùs à multis peccatur in vnum; quàm ab vno in multos: & quod tyrannidem attinet, multorum grauior eſt, quàm vnius.

Quod populi ſit ingenium,optimi populi,ſub optimo duce, ſacræ literæ nobis exemplum proponunt Iſraëlitas ſub Moſe. Vnde de cæteris omnibus populis, facere iudicium licet,& ex vno diſcere omnes.Fieri enim poteſt,vt populus falsò ſe credat accepiſſe iniuriam,& malè interpetetur, quod benè & ad vtilitatem reipub.à ſuo Rege factum fuerit. Quocirca offenſi populi procerúmve Regem exponere libidini,aut eorum arbitrio,quos iudices darent,perabſurdum & iniquum eſt.Proindè vt ſeruis natiſque, vbi leges eos totos in poteſtate dominorum & patrum relinquunt,ſi iniquè vinciantur,mutilentur,vel etiam necentur,nemo iudex,vindex futurus eſt,niſi Deus:ita populo ſubiecto Regi,qui ſuperiorem iudicem habet neminem.Præſtat enim ſeruos & natos iniuriam pati,quàm patres aut dominos ab eis violari.Eadem ratio ſuadet, ſatius eſſe populum iniuriam pati, quàm Regiæ maieſtati à ſubditis vim vllam inferri.Multa contra hæc diſputantur, quæ infrà fuſiùs diſcutientur: & quid veri falsíve contineant, explanabimus: expoſuiſſe quæ ſit veri Regis authoritas hoc loco ſufficit.

CAP. XVIII.

Quòd herile imperium ſit iuſtum, & ſeruitus ſub eo non ſit naturâ ſuâ iniuſta.

EST de Rege,qui herilem in ſubiectos habet poteſtatem,nobis quoq; diſſerẽdum. Tametſi enim Rex Dominus ſit proprietarius regni ſui,agri tamẽ ab eo ſunt vtendi, fruendiq; dati ſubiectis: & liberum eorum ac perpetuum vſum cuique largitur, vt retinere, alienare, vendere, dare, & legare, prout ipſis videtur,poſſint:quod ſub herili domino non licet, vbi omnia in poteſtate & arbitrio ſunt domini;nec diutius quis fundi ſui eſt poſſeſſor quàm placet domino. Quodcunque poſſidetur,emendi, vendendi, comparandi, & alienandi, ſeruis domini voluntas lex eſt.

Qui regiæ potentiæ ſunt inimici, & tyrannidis eam inſimulant, dominum nunquam ferrent.Tamen intereſſe hominum,totas gentes hanc ſeruitutem ſeruire, Deo viſum eſt: aliàs non fieret,nec ſeruire per ſuos prophetas iuberet. Quum ſalus populi ſumma lex habeatur.Et aliquæ gentes ingenio ita comparatę ſint, vt nequeant vti libertate, ſeruire eis eſt vtilius quàm liberos perire. Paradoxum quidem ſcio libertatis amatoribus id videbitur; tamen res ipſa, & exempla ita eſſe cogunt fateri, gentes eſſe, quæ non tantùm Rege opus habent, ſed etiam domino.Moſchouitarum Princeps ſubditorum ſuorum legitimus eſt dominus: nec inter tyrannos numerari debet,quamdiu moderatè, clementerque dominationem exercet; quia ſalus illius populi id poſtulat. Si quis vbi nulla cauſa eſt, eandem poteſtatem vſurparet tyranni notam non euaderet.

Non enim magis eſt iniquum, totum aliquem populum ſeruum fieri, quàm vnumquempiam hominem, qui ſuo peccato, aut alio quouis caſu, in ſeruitutem incidit. Seruitutem legitimam, & herile dominium,non tantùm in populo illo agnoſco, cui magis ſeruire expedit, quàm eſſe liberum; ſed etiam vbique gentium, quæ in aliorum perniciem abutuntur libertate, & ſuis peccatis meruerunt in ſeruitutem redigi. Videmus enim liberas gentes, imò & eam quam peculiariter Deus ſibi adoptarat, libertatis amore in ſuum exitium proruiſſe, quando ſeruitutis iugum, quod Deus ipſis imponebat, ſubire recuſarunt. Propter peccata iratus Deus in ſeruitutem ſæpe populum ſuum hoſtibus tradidit. Dauid & Salomon vicinas gentes iugum ſeruitutis ſubire coëgerunt. Eos opinor nemo Chriſtianus tyrannos fuiſſe dicet. Quod Deus Dauidi conceſſit, alijs Regibus non negauit.

Omnes

Omnes propemodùm Orientis populi suis Regibus seruierunt, si subiectionis ratio comparetur cum ea quæ fuit apud Macedonas, & Romanos, & hodiè apud nos in vsu est. Quidam id accidisse putant, quòd Asiaticæ gentes sint seruili ingenio magis quàm Europæi; eorumq; Reges fuerunt tyranni, neq; apud eos legitima fuerint imperia. Quàm autẽ vera & probabili ratione id dicatur, viderint ipsi: nos propheticæ literæ contrariũ docent, quæ Syriæ Reges mandato Dei victos fuisse tradunt; & Cyrum Persarum vocant *Christum* Dei: & alios Orientis monarchas, quibus ipse Deus imperia dederat, seruos suos etiam vocat, quem ab ipsis & agnitum, & cultum fuisse eorum edicta testantur.

Humanissimi olim fuerunt omnes Asiæ populi, & præter cæteras omnes nationes ingenio liberali, ac mansueto. Vnũ Tullij de hac re testimonium vice multorum nobis esto; in Epistola ad Quintum fratrem ait, *Asiaticos esse ex hominũ omni genere humanissimos: non modò in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios perueniisse putetur humanitas.* Imperia quæ apud illos floruerunt, præ imperijs Occidentis excelluerunt, quantum aurum & argentum præstant ære & ferro. Barbaries siqua hodiè illic conspicitur, aut obliuione priscæ patrũ virtutis accidit, aut crebra irruptione Barbarorum, aliũde potiùs importata est, quàm ibi nata. Malè iudicant qui mansuetudinẽ, & cæteras mitiores virtutes, quæ se ad imperium alterius facilè flecti patiuntur, seruile quiddam esse putant; & peruicacem atque indomitam feritatem, imperijq; impatientem, altitudinem animi & libertatis amorẽ. Quò bellua efferatior, minùs cicurari potest, minusq; disciplinari; mansuetæ verò animantes, & cicures facilè formãtur ad hominũ vsus, fiúntq; sibi & dominis vtiles: sic homines quos Deus alieno imperio vult subesse, quò magis illis virtutibus præditi sunt, quæ verum hominẽ decẽt, faciliùs instituẽtur ab obsequiũ & obedientiã imperij eius, quem Deus superiorẽ constituit.

Populus Israëliticus ad eam creuit multitudinẽ, vt suspecta fieret Ægyptijs. Cum sexcentorum millium hominum robur non parum terroris potuisset incutere Regi, duram, & iniquã quamuis seruirẽt seruitutem, de rebellando nunquã cogitarũt: non tamen minùs erat facile Deo armare populũ suum contra Ægyptium, quã contra Cananæũ; & illustribus victorijs, in libertatẽ eos asserere, quàm prodigijs & miraculis. Sed vt Deus ostẽderet se esse omnipotentẽ cœli & terræ Dominum & rectorẽ, iubebat quidem suum populũ liberum dimitti: sed certo & admirabili consilio fugere populũ suum, non concedente domino, noluit. Idcirco toties mittitur Moses ad Regẽ, vt ab eo impetraret populi dimissionem. Poterat Deus mandasse, vt spreto tyranno abirent: sed politicum ordinem, cuius ipse author est, seruari voluit; ne serui crederent fas esse, fugere dominos, aut in eos insurgere. Constituta in Israële republica per Iudices, quos extra ordinẽ excitauit, vbi satis supplicij dederant, & peccatorũ suorũ, atque in Deum impietatis eos pœnitebat, à seruitute armata manu vindicauit. Sed hoc extraordinariũ fuit, vnde lex quæ sequẽda sit, non est colligẽda.

Seruire posteà iussi sunt Regi Babylonio; contra quẽ rebellasse non fuit impune. Finito tempore septuaginta annorum, quod Deus captiuitati & exilio constituerat, in Persarũ & Medorum potestatem venerunt, sine quorũ venia, ad propriam remeare patriã, & seruitutis excutere iugũ, non sunt ausi. Iudicarunt expectandum donec ipsis à rege redeundi fieret potestas: in manu Dei norãt esse corda Regum, qui ea mutat & dirigit quò vult. Posteris vero eorum qui post Christi vixere aduentũ, ea defuit modestia. Inuitis enim Deo & hominibus liberi esse voluerunt, ac Romanorũ excutere iugum: vnde tandẽ factum est, vt propemodũ ad internecionem totus populus deletus sit, dum persuasionibus Iunij Bruti similium inducti, in libertatem asserere se conati sunt. Si quis obijciat, exemplum à me de Babylonica seruitute allegatum, esse particulare, & inde non probari omnibus tyrannis esse parendum: nec ego infero, quorumuis tyrannorum subeundum esse iugum: sed eorum duntaxat quibus re ipsa Deus aliquem populum subiecit. Plausibile est libertatis nomen, & suauis eius fruitio; si quis ea rectè norit vti: & id esse hominibus vtile Deo videatur. Quare cauendum est ijs quos Deus seruitute aut punit, aut exercet, ne nimio libertatis amore, sese in grauius malum dent præcipites.

Turcorum Imperator hodiè more orientalium Regum imperat, & non tantùm Rex, sed Dominus etiam suorum subiectorum est. Si iusto bello ditiones & regna illa quæ possidet, occupasset, inter tyrannos non idcircò numerandus esset, quia quod placuit ei dominium deuictarum nationum, sibi reseruauit: sed initia & progressus illius imperij sunt huiusmodi, vt à tyrannide excusari non possit. De qua statim quod

sentio declarabo, si priùs qua nota herilis dominatio differat à regio principatu, & à tyrannide, dixero.

CAP. XIX.

Discrimen inter dominationem regiam & herilem.

IN regno nulla vis in tributis, & alijs reip. oneribus interuenit contra ciuium voluntatem, & consensum taeitum vel professum. Pro ratione temporis pacis belliq; tributa, & alia subsidia noua & vetera, vectigalia, & capitationes exiguntur, & remittuntur vniuersali approbante populi cõsensu. A domino verò imperantur, & capiuntur ab inuitis & nolentib. citra vllam iniuriam. Non enim opus est vt accedat eorum qui serui sunt consensus. Proprietas enim & vsus omnium rerum quas possident, ad dominum pertinent, sùntque in eius arbitrio, & dispositione

Si quæritur num Rex non idem ius habeat in fortunas suorum subditorum; respondeo habere quidem, si id regni aut ipsius personæ extrema quædam atq; extraordinaria exigat necessitas: aliàs minimè. Lege Dei & iure gentium fides in omnibus rebus, dictis & factis, seruãda est: semel concessa, data, transacta, in perpetuum duratura, irrita fieri, aut reuocari non debent à Rege, nisi fortè causæ adsint, quibus illa omnia debeant cedere; qualis est (vt dixi) extrema quædam reip necessitas. In herili dominio hac consideratione nihil opus est. Gratiâ exempli, Achabo non licuit Nabotum vineæ possessione deturbare: nec Dauidi possessiones suorum subiectorum inuadere, aut aliàs exactionibus, & tributis non necessarijs grauare. At Ammonitarum, & Edumæorum (quorum erat dominus) agros & possessiones in sua potestate habebat: & ea auferre, mutare, conferre, à quibus, & quibus, & quando lubebat, iure gentium potuit, vtpote victor, qui victis tributa inuitis & nolentibus imponere, etiamsi ipse non egeat, potest: sed horum nihil pro libidine, sine iusta causa. Quamuis in seruitute non spectatur domini necessitas, sed vtilitas: & seruitus referatur ad vtilitatẽ domini, tamẽ abesse debet crudelitas. At in libera subiectione, & officijs Regi, & regno debitis, in consideratione veniunt Regis dignitas, & publica necessitas. Dominus cauet, ne populus quem seruire oportet, opulentiâ lasciuiat, & fretus diuitijs nouas res moliatur. Rex studet suorum subditorum commodis: vt securi ab hostibus, pace, & omnium rerum copia fruantur.

Huius seruitutis status, & conditio paulò antè notata fuit: cuius & 18. cap. lib. 2. Reg. v. 31. 32. exempla, in abductis decem tribubus in Assyriam, & Iuda in Babylonem, habemus. Hæc seruitus communis fuit tunc temporis omnibus deuictis populis: quorum alij clementiùs tractabantur. Diuersa tamen ista seruitus debet intelligi ab ea quæ est mancipiorum, quibus iura & leges nullam ciuilem actionem concedunt. Poterant enim isti vendere, emere, dare, legare, permutare merces, seipsos ac sua obligare, vocare in ius, & causam dicere, accusare item & defendere: sed erant veluti relegati ad certa quædam inhabitanda loca, vnde migare non licebat: & ad quoduis domini ministerium quod imperasset, tenebantur obligati. Non admodum dissimilis hæc erat conditio seruorum, qui glæbi sunt adscripti.

Hoc dominij genus cùm verbum Dei nusquam tyrannidis accuset, nisi vbi seruitus aut immerentibus imponitur, aut durior quàm æquum est imperatur, damnare, magnæ est, ne quid grauiùs dicam, temeritatis, & imperitiæ. Nunquam ita viri Dei Prophetæ, aut Apostoli iudicârunt, non theologi, non iurisconsulti: nisi quos animi aliqua perturbatio in hunc errorem induxit. Ex iure belli seruitutes natæ sunt, in quo nihil fortuitò, aut casu accidit. Dominus exercituum bellorum est director: & in hostium potestatem tradit, quos morte, aut captiuitate siue exercendos, siue puniendos iudicat. In victoris potestatem venit victus, & quæ sunt eius omnia: quæ aut vendere, aut sibi retinere potest, & corporis vti seruitio, ad quodcunque volet obsequium; quod ei negare religio & æquitatis ratio non sinunt, quamdiu nihil imperatur quod sit impium aut iniquum.

Initia ferè regnorum omnium huius ætatis cœpere à dominatione, aut iusto bello parta, aut tyrannide nata. Sed clementiâ Regum, & Principum Christianorum violenta cessarunt imperia, & seruitutes abolitæ sunt, & in ciuilem & liberam subiectionem commutatæ. Cuius beneficij memoriam perpetuã retinere fidos gratosque populos oportet; non

non abuti Principum gratia, & beneficio, ad subijciendum eos arbitrio eorum, quos in perpetua retinere seruitute, si libuisset, potuerunt. Si deditione facta certis legibus conuentum sit, nec hoc potestatem facit illius populi maiorem eâ, quæ est victoris Principis, ad cuius fidem confugere metus maioris mali coegit. Si mihi res esset cum ijs qui Christianis credunt bellare non esse licitum; de bellorum æquitate ac necessitate pluribus mihi esset disserendum, & quæ sint iura belli explanandum. Sed hæc tota disputatio instituitur contra eos, qui classicum canunt, & populum, inferiorésque magistratus ad arma vocant contra suos Principes: populíque potestatem supra suos Reges extendunt, & omnia regna in Democratias, & Aristocratias transformant.

CAP. XX.

Regia dominatio suam quandam similiter adfert seruitutem.

QVòd subiectionem liberam posuimus sub Rege, seruilem sub domino, non ita velim accipi, quasi regum imperium seruitutem nullam adferat. Quantum enim à paterno regimine recedit, tantùm ad dominationem vergit. Regi subijci, seruire est, & passim in verbo Dei subiecti vocantur serui. Omnes liberi populi rem quoque ita accipiunt. Nec hoc cuiquam mirum videri debet, aut contrarium ijs, quæ diximus. Nam & vxor marito, & liberi parentibus seruiunt, & homines liberi mercede alijs famulantur. Sunt enim hæc diuersa seruitutis genera: & alia est seruitus, quâ subijcimur Regibus, alia quâ serui in potestate sunt domini.

Eam quæ sub Regibus futura erat, Samuel exposuit populo petenti Regem: *Ius* (inquiens) *regis qui imperaturus est vobis, hoc erit: filios vestros tollet, ac ponet in curribus suis, faciet q; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum; & constituet sibi tribunos, & quinquagenarios, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros vestros, & vineas, & olueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. Seruos etiam vestros & ancillas & iuuenes optimos, & asinos, auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit, vosq; eritis ei serui. Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in illa die.* Sunt qui non hîc putant legitimum ius Regis describi, sed oppressiones & iniquas exactiones tyranni: ego vtrúmque. Primùm ius fisci, quotiescúnque iusta causa esset futura regibus hæc quæ recensentur exigendi: & simul tyrannidem, quando temerè ad luxum, & auaritiam Regum, & aulicorum satiandam extorquerentur. Ius fisci communis theologorum & iurisconsultorum sententia probat, illud ergo prætereo, tanquam minimè controuersum.

Quicquid hîc à Samuele commemoratur, à Dauide & Salomone factum legimus; & fieri à laudatissimis Principibus nemo sanus damnat, quotiescunq; aut regni publica, aut ipsorum priuata postulat necessitas. Quomodo enim bello remp. defendet, & subditis factas iniurias vlciscetur, nisi militiam subditis imperare possit, & delectum habere militum: & ad sarcinas aliáque impedimenta transferenda, populi vehiculis, & seruis, & iumentis vti? Prætereà cùm more aliarum gentium sibi dari Regem peterent, sine illis opibus & ornamentis, quibus regia illustratur maiestas, esse non debuit. Aulæ magnus est apparatus, & famulitium magnum, & splendidum. Sordebat Iudicum frugalitas. Regium splendorem ad existimationem suæ potentiæ terrendis hostibus, & totius gentis honorem, apud vicinos necessarium arbitrabantur. Se contemni credebant quia Regem nullum habebant. Et profectò ita res est, si ingenia hominum spectemus, qui Deum non respiciunt, sed à rebus externis pendent, regia ornamenta purpuræ, auri & gemmarum sunt necessaria. Sine illis enim regia apud vulgum vilescit authoritas. Vanitas humani ingenij rebus vanis pascitur, & mouetur plus quàm veris. Qui regem volunt, & quibus habere est vtile, & necessarium, horum sumptuum ferre partem necesse est. Quòd agros, & vineas, & fundos esse vsurpaturos Reges prædicuntur, id ex multis regio fisco adiudicandis est intelligendum, sicut apparet ex Nabothi historia, cuius vineam Achabus eo inuito inuadere noluit, aut eum vi possessione deturbare. Sed oppresso per calumniam Nabotho, vinea iure fisci ad regem est deuoluta.

Hæc futura pōpulo aſſueto libertati grauia & moleſta Propheta præuidebat, qui tandem concludit ipſos fore ſeruos, reſpiciens tam ad iuſtas ſeruitutes, quas ſubiecti omnes debent ſuis Regib. quàm ad iniquas exactiones malorum Regum, qui mediocritatem in ea rè ſeruaturi non erant. Salomon tamen diſcrimen magnum conſtituit inter Iſraëlitas, & deuictas nationes, quas ipſe, aut ipſius pater tributarias fecerat, & loco ſeruorum habebat. *De filijs autem Iſrael noluit ſeruire quemquam* (ait Scriptura) *ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, & Principes, & Duces, & præfecti curruum, & equorum.* Magna tamen oportet fuiſſe tributa, quæ Salomon populo ſuo impoſuit, quando defectionis occaſionē decem tribus inde acceperunt. Imperata tributa illa fuerint authoritate regia, an impetrata à populo, Scriptura incertū reliquit. Nulla eſt res quę ad defectionem citiùs populum excitat, quàm extraordinaria tributa, & grauiora quàm aut poſſit, aut velit ferre. Hic inprimis (ſicubi vſquam) prudentiâ regibus opus eſt, ne nimis ſuum ius vrgeant, aut latiùs, quàm par eſt, extendant, ſi beneuolentiam & amorem ſubiectorum velint retinere.

Sed Reges & Dominos cauere oportet, ne grauiora onera ſubiectis, aut ſeruis imponant, quàm commodè ferre poſſint. Alienum hoc eſt ab humanitate & clementia. Siquidem nec aſinis, muliſve clitellarijs maiores ſarcinas muliones imponunt, quàm eorum vires ferendo ſunt pares: multo minùs hominibus, qui eiuſdē conſortes ſunt naturæ, hominem iniquum eſſe conuenit. Crudelitatem in belluas Deus omnium creator in lege ſua improbat, qui ſeruitutem tamen admittit, modò ea ſit iuſta & clemens. Qua menſura quis menſus proximum ſuum fuerit, eadem metietur ei.

Marcus Antonius triumuir, per luxum ducentis talentorum millibus, quæ ab Aſiaticis acceperat, abſumptis, exhauſtus pecunia, altera ducenta millia imperabat. Ibi Hybræas quidam orator nobilis huiuſmodi oratione vſus eſſe dicitur. Si potes (inquit) ô Antoni alterum vectigal eodem anno exigere, illud etiam poſſe te æquum eſt, binas vt æſtates binóſque etiam autumnos habeamus. Ducenta tibi talentorū millia Aſiā iam pependit: hæc ſi tu non accepiſti, exige ab ijs qui acceperunt: ſin cùm acceperis, iam non habes; quid nunc cauſæ eſt, quin ipſi perierimus? Hoc ſermone magnoperè flexit Antonium Hybræas, cui acquieuit, & exigere nouum vectigal deſtitit. Magnum quidem diſcrimen Regem facere conuenit inter liberum populum, & eum cuius ferociam armis domuit, & in iuſtam ſeruitutem redegit; ita tamen vt humanitatis, & clementiæ vbiq́ue & ſemper meminerit, & ſe hominem vti hominibus, non belluis. Reges ſcire conuenit ſe patres eſſe ſuorum ciuium, & eam erga ſubiectum populum charitatem retinendam, quæ eſt parentum erga liberos, quos omnibus in rebus quantum poſſunt iuuant, & ipſis quàm ſibi plus theſaurizant: de quorum ſalute, opibus, & fœlicitate non minùs gaudent, quàm de ſua. Ad celſitudinem & nobilitatem pertinet imperij, liberis imperare hominibus, qui amore; non ſeruis, qui coacti timore parent. Excelſi eſt animi malle amari quàm metui. Amor ſtudio & beneuolentiæ coniunctus eſt, timor odio & inuidiæ. Quidquid alij argutentur, amore nullum validius eſt vinculum, timore nullum imbecillius. Malus diuturnitatis cuſtos eſt timor.

Herile dominium eo infirmius eſt regio principatu, quòd illud ſeruorum metu contineatur, hic charitate ciuium. Id dico, vbi populus ſeruituti non eſt adſuetus, nec ſalutis eius intereſt ſeruire. Nam ijs qui ad ſeruitutem iam olim occalluerunt, & conſuetudo eius ſenſum abſtulit, & tempore reddidit ſuauem, ipſa ſub moderato domino libertate populari, eſt potior. Sed ſi res ipſæ ſpectentur, quemadmodum de Regum imperio dixi, illud tantum ad dominationem vergere, quantum à paterna recedit charitate, tamen propriè dominatio non eſt. Idem de herili dominio dico, quantum à regiâ clementiâ recedit, tantum inclinare ad tyrannidem. Tyrannis tamen nec eſt, nec dici debet, ſi legitimè parta eſt, & ſe intra iuris limites continet.

Tria igitur hæc moribus, & legibus diſtincta ſunt; regius principatus, herile dominium, & tyrannis. Priora duo conſtant æquitate: ſola tyrannis cum iniuria coniuncta eſt. Itaque audito quid inter Regem, & herile dominium ſit differentiæ, & quæ diuerſitas ſit ſeruitutis ſub vtróque, de tyrannide nunc nobis diſſerendum eſt, vt quid ſit nouerimus, & quantum diſtet à rege, & domino, tyrannus.

CAP.

CAP. XXI.

Quid tyranni vocabulum significet.

TYranni vocabulum sunt qui deductum volunt ἀπὸ τῶν τυρίδων & τῶν ναῶν, quasi sit τυρίδα ναίων; ab arcibus & turribus, in quibus Reges & tyranni habitare solent. Odiosum apud veteres non fuit vocabulum, nec iniustę dominationis, sed honoris appellatio. Ijdem enim fuêre Reges & tyranni. Plato in literis ad Dionysium, eum tyrannum salutat: & ipse eodem se inscribit nomine: & Virgilius AEneid. 7. de AEnæa, quem & Regem & pium appellat, canit:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Cur autem posteà nomen tyranni in odium venerit potiùs quàm Regis, & hoc blandius illo est factum, cùm poëtarum vetustissimi passim Reges vocent λαροφάγους & λημοφάγους, nulla certa causa potest adferri, præter hanc vnam, quòd vsus, *quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi*, obtinuerit, vt tyrannus crudele quiddam, ac inhumanum significaret, & lenius Regis nomen sit visum; quemadmodum vtróque vocabulo promiscuè olim significabantur ij, penes quos rerum erat summa potestas omnibus soluta legibus.

Errant qui tum demùm regis & tyranni nomen putant cœpisse fieri diuersum, quando quidam eorum legibus subijci cœperunt, (quod nunquam in vera monarchia factum est) qui soli reges dicti sunt; & ijs qui soluti manserunt, tyranni: sed quando regia potestate abuti, & eam per scelus inuadere, nullus fuit metus; illi, qui iniuria grassabantur, soli tyranni: qui moderatè se gerebant, vsu & consuetudine reges appellati sunt. Vndè Seneca lib. 1. *De clementia ad Neronem*, ait Tyrannum distare à Rege factis, non nomine. Species enim ipsa fortunæ, ac licentiæ par est, hoc est, vterque solutus est legibus.

CAP. XXII.

Tyrannidis mala definitio refellitur.

TYrannidem definiunt, aut definire vulgò creduntur Plato & Aristoteles, *Vnius dominationem referentis omnia quæ agit ad suum commodum.* Quæ definitio non mihi probatur duabus potissimùm de causis. Prima est, quòd plures æquè possunt exercere tyrannidem, ac vnus: deinde cùm Princeps queat citra reip. iniuriam, omnia quæ agit ad suum referre commodum, hæc nota non satis apta videtur, quæ constituat discrimen inter Regem, & tyrannum, nisi aliud quippiam accedat, quod sit atrocius.

Tyrannidem verò à multis exerceri, tres viri Romani docent, & exemplo ipsæ Athenæ esse possunt, quæ crudeliorem tyrannidem passa est sub triginta tyrannis, quàm vnquàm antea sub vllis regibus. Et apud Lacedæmonios, nullus Rex sæuiorem crudelitatem exercuit Ephoris. Cùm itaque plures æquè ac paucos inuadere contingat imperium fraude, dolo, vi, aliisque malis artibus, ac in eo versari cum iniuria, & ciuium oppressione; totidem sunt formæ tyrannidis, quot esse constat bonæ & legitimæ gubernationis. Ea quidem prima est species, quâ vnus aut per scelus acquirit imperium; aut benè partum crudeliter, & iniquè administrat, aut vtrumq;. Secunda, paucorum iniqua dominatio. Postrema vniuersi populi, in quo peior pars vincit meliorem. Tenuiores & pauperes ciues cum numero superent, ciuitatem totam non rarò trahunt quò ipsis lubet: & ditioribus, ac melioribus dum inuident, ex eorum oppressione & damnis sua quærunt commoda. Postremæ istæ tyrannides tanto graviores sunt, quo intolerabilius est à pluribus opprimi, quàm ab vno, & remedium aduersus iniuriam difficilius.

Tyrannides definiri eorum qui imperant commodis, vel vnius Regis in monarchia, aut optimatum in Aristocratia, aut multitudinis in Democratia non intelligo, nisi etiam addatur aut intelligatur violatio iuris, & detrimentum totius reip. & aliorum ciuium iniuria. Aliâs omnes ferè, quotquot ab orbe condito (paucis exceptis) rerum tenuere gubernacula, tyrannidis (quod graue est) erunt accusandi. Non ignoro fuisse viros qui neglectis rebus suis, cum earum iacturâ, & propriæ etiam vitæ, summam salutis & vtilitatis publicæ habuerunt curam. Quam etsi fateor esse oportere primam, & præcipuam tam in regibus, quàm in omnibus alijs, penes quos summum imperium Deus esse voluit,

voluit, aut qui aliquo funguntur in rep. magiſtratu: non tamen ſtatim inter tyrannos numerandi ſunt, qui hanc tantam tamque raram virtutem non ſunt perfectè conſecuti, quamdiu à vi & iniuria ciuium ſe continẽt, nec vllius magni mali cauſam cuiquam rerum ſuarum ſtudio, aut ſua ignauia adferunt.

Cicero ac alij quamplures *Stoicis* hyperbolis delectati, magnificè, & vt decet philoſophos de virtute loquuntur: quæ leuiori interpretatione ad communem vitam transferendæ ſunt. Magna eſt virtutum & vitiorum inæqualitas. Quemadmodum pares virtutes non ſunt, ita nec æqualia ſunt omnia peccata. Verum quidem eſt & iuſtum, quod Platonem ſecutus ait Cicero, *Eos qui reip. præſunt, ad ciuium vtilitatem ſic tenere, vt quicquid agunt, ad eam referant, obliti ſuorum commodorum.* Et tertio De finibus: *vir bonus & ſapiens, & ciuilis officii non ignarus, vtilitati omnium, plùs quàm vnius alicuius, aut ſuæ conſulit. Nec magis vituperandus eſt proditor patriæ, quàm communis vtilitatis & ſalutis defertor, propter ſuam vtilitatem aut ſalutem: ex quo laudandus ſit, qui mortem pro repub. opperit.* Hæc acutè & præclarè dicuntur, ſed parùm accommodatè ad naturæ humanæ imbecillitatem, & corruptionem morum quæ inter homines obtinuit. Tyrannus quidem omnia quæ agit ad ſuum refert commodum, ſed non idcirco quiſquis omnia ad ſuum refert commodum tyrannus eſt. Nemo eſt fur, aut fœnerator, aut peculator, aut ſacrilegus, niſi qui auarus eſt: tamen inde non ſit conſequens, eum qui pecuniæ eſt auidior, aut furem, aut fœneratorem, aut ſacrilegum eſſe. Nam ſordidus & tenax eſſe poteſt, qui rem habet lautam & amplam, in quem nihil horum verè dici poterit.

Patriæ proditio, & violatio Principis, execrandum crimen eſt in ciue & ſubdito, ſicut in rege eſt tyrannis. Sed non quiſquis ſibi, aut alicui priuato potiùs ſtudet, quàm reip. aut Principi, ſtatim in crimen, aut proditionis, aut læſæ maieſtatis incurrit. Ipſa ergo res ponderanda venit: nempe quæ, & quàm atrox. Nam non quoduis præteritum à ciue reip. commodum, aut acceptum per eius negligentiam damnum, ſicut nec quæuis Principis offenſio, pondus habent aut patriæ proditionis, aut læſæ maieſtatis. Ad legum enim ciuilium rationem hæc exigenda ſunt, non ad Philoſophorum præcepta, aut diuinas regulas, quibus conſcientiæ inſtituuntur, & perfecti formantur mores. Quocirca idem dico de regibus, & cuiuſuis reip. Principibus: Iniquum nempe eſſe negari regibus, quod ciuibus indulgetur. Omnes enim vulgò videmus eſſe ſuarum rerum magis ſtudioſos, quà aliorum aut reip. *At regis eſt pluris facere vtilitatem publicam ſuis commodis.* Fateor; & quod amplius eſt, addo, eum vitæ ſuæ diſpendio ſalutem publicam debere redimere. Sed hæc patriæ charitas infimos pariter ac ſummos obligat. Quis enim eſt qui non ſeipſum totum, & vitam ſuam debeat patriæ, & ſuo Principi, ſi res poſtulet? Quiſquis igitur publico bono ſuum præfert, ſiue rex ſit, ſiue ciuis, ſiue ſubiectus, eius peccatum non excuſo, ſed odioſiùs, quàm æquum eſt, non accuſo. Ex ipſa enim re faciendum de crimine eſt iudicium.

Dentur regni proceres, detur populus, qui poſthabitis ſuis commodis tantùm regni regíſque ſui quærant emolumenta, & qui nullos honores, nullas opes ſperent à rege, aut à republica, præmia laborum ſuorum pro ſalute publica, quibus hoc vnum ſit præcipuum præmium, in re honeſta placuiſſe Principi, & publicæ profuiſſe vtilitati (hoc enim æquè iuſtum eſt præſtare ciues & ſubiectos, ac regem tantùm ſpectare remp.) & ego ſimiliter regem illum tyrannũ definiam, qui cùm ſubditos habeat tam fidos, tam ipſius amantes, tam ſollicitos ne quid ei depereat, aut quicquam deſit, ſua nihilominùs plus quàm ſubditorum quærat commoda. Sed quia non cum perfectis viuitur hominibus, præclarè nobiſcum agitur, ſi contingat cum illis viuere, in quibus harum virtutum, & aliarum quæ tuendæ hominum ſocietati ſunt neceſſariæ, quædam apparent ſimulachra. Ciuiles actiones ad perfectam virtutis normam non ſunt examinandæ.

Quemadmodum igitur nemo perduellis haberi vult, aut damnari maieſtatis, qui ſua cõmoda pluris facit, quàm ſui regis & reip. & qui non plus gaudeat, quicquid exteriùs ſimulet, diſſimulétue, quòd publicum obeat munus, propter vtilitatem quam inde ſperat, quàm quòd prodeſſe poterit reip. bonus tamen ciuis & fidus ſuo Principi ſubiectus habetur, quamdiu ſe intra legum fines continet: ſic idem regi dari æquum eſt, nec tyrannus habendus, propterea quòd omnia referat ad ſua & familiæ ſuæ commoda potiùs quàm reipublicæ, quamdiu id citra cuiuſquam facit oppreſſionem, & iniuriam.

Eſto

Esto igitur: potiùs administrationis regni scopum habeat rex suum, & suæ familiæ commodum, quàm ciuium; peccat quidem dum aberrat à vero, qui esse debet, virtutis fine: sed quamdiù nemini nocet, nemini iniustam vim infert, tyrannus dici non debet. Differt rex à tyranno factis, non animo, aut intentione. Discrimen ea facit apud Deum, inter probum regem & improbum. Animus, & ea quæ intùs versat, ac intendit, Dei solius sunt referenda iudicio. Apud homines, qui ex virtute vitam instituunt, boni viri nomen non merebitur: sed tyranni vitârit infamiam. Quemadmodum ciuis amans honesti, semper publici commodi studiosior erit, quàm priuati, nec ex iniuria alterius emolumentum captabit: multo minùs Rex cui virtus cordi erit. Tamen cùm proprias commoditates nemo ciuis negligere teneatur, quin fructum possit sperare & percipere, qui iure ex quouis honesto labore, etiam ex magistratu, (si quo fungitur) prouenit: similiter Rex, absque vlla infamia vtilitatem capere potest quam regni iura adferunt. Quòd si sola lucri cupiditate feratur, à virtute quidem aberrat: sed quamdiu à vi & iniuria abstinet, tyrannus non est. Non enim Reges magis sibi subiectis ciuibus secundùm virtutem tenentur viuere.

Charitas Christiana non quærit quæ sua sunt. Sed ab ea eiusq; perfectione quantùm homines absunt, tantùm sui amorem dominari necesse est. Diuinus ille homo sit oportet, qui se, non sua commoda, suámque gloriam præferat aliorum, imò totius reipublicæ. Plerique omnes qui ad rempublicam accedunt, aut opes aut honores habent sibi proposita præmia: quorum si è republica spem tollas, perinde facies, ac si supplicia, & pœnas tollas, atque sine spe & metu, sola virtute iubeas homines viuere: quod optandum magis est, quàm expectandum.

CAP. XXIII.

Alia definitio mala tyranni confutatur.

NEc illa mihi placet definitio, quæ tyrannum nominat eum qui principatum non volũtate populi, sed vi inuadit, vel fraude intercipit. Iusto bello suprà docui principatum acquiri, & vi, atque inuito populo, iure occupari. Sæpe legitimus hæres regni, aut dominus, inquitate populi eiectus, cogitur bello, aperta vi, doloue regnum recuperare, inuadere, intercipere, & retinere.

Satis mirari nequeo in Scriptoribus, qui potestatem regiam aut penitùs sublatam, aut diminutam, aut ad populi redactam arbitrium volunt, eos ita loqui, ac si semper populus esset ἀμυνόμενος, reges verò nunquam; & soli reges iniuriam populo facerent, & populus regibus nullam.

Est & hoc absurdum, quòd quidam tyrannos legitimos fuisse disputat, nempe Dictatores apud Romanos, AEsymnetas apud Græcos: tyrannos, quia legibus potentiores erunt; legitimos, quia populi consensu electi. Quàm hæc sibi constent, vt idem principatus dicatur legitimus, & tyrannis, quem ipse illegitimum principatum definit; videant alij. Ego Dictaturam nunquam tyrannidem à Romanorum sapientissimis dictam audiui. Abusus quidem illius potestatis in tyrannidem abijt, sed nullo populi, aut senatus consensu. Si populi salus summa lex est, quando ea Dictatorem postulauit, qui rectè ad reipub. vtilitatem Dictaturâ vsus est, nullo modo tyrannus dici debuit. Si idcirco quia legibus erant potentiores Dictatores, fuerunt tyranni; & hoc sit esse tyrannum, esse legibus potentiorem; iusti, quibus lex nulla constituta est, & omnes primi reges gentium, quorum arbitria populis pro legibus erant, fuerint tyranni.

Nec minùs illud absurdum est, quòd idem author populi suffragijs legitimum & illegitimum metitur imperiũ, tanquam populi voluntas in hac re iuris & æquitatis sit regula, & regna populi sint beneficia, non solius Dei dona: Discrimen inter regnum & tyrannidem constitutum à Socrate apud Xenophontem mihi magis placet. βασιλείαν ἢ κ' τυραννίδα ἀρχὰς εἶ ἡγεῖπθαι, διαφέρειν ἡ ἀλλήλων ἐνόμιζε, τῶν μὲ γὰρ ἑκόντων τῶν ἀνθρώπων, κ' κατὰ νόμους τῶν πολέων ἀρχόντων, βασιλείας ἡγεῖπθαι τῶν δὲ ἀκόντων, κ' μὴ κατὰ νόμους, ἀλλ' ὅπως ὁ ἄρχων βούλοιτο, τυραννίδα. Hic videmus in legitimo regno præter populi consensum, ius legum requiri, à quo si deuiet populus, non regem sed tyrannum ipsius consensus facit. Tyrannidem non constituit Socrates in eo tantùm, quòd principatus inuaditur, aut tenetur, inuitis ciuibus; sed addit, contra leges, vt tyrannis

iudicari

iudicari non debeat principatus inuito populo, iure tamen, occupatus; sed is tantùm qui contra leges inuaditur, & contra leges administratur. Quamuis enim legum vinculis non astringamus Regem, vtpote qui ipse sit summa quædam lex, & omnium legum fons, & moderator; non eò valet, vt leges iuraque proterat, sed vt ea conseruet, ac tueatur.

Neminem moueat quòd Socrates in vtraque definitione duo quædam diuersa ponit, reges & consensum populi; quasi reges legitimi esse nequeant, quantumuis regnum iure ipsis debeatur, nisi accedat populi consensus: & illud demum ius sit, quod populus ratum habet. Sic enim superflua foret clausula adiecta, ἢ κατὰ νόμους τοὺς πολίων. Vir sapiens quum populi malitiam, leuitatem, & petulantiam non ignoraret, & quàm rarò quod bonum est probetur multitudini, non ausus est legitimum regnum consensu populi definire: sed consensus vagam libertatem sustulit, quando eam intra legum, iurisque cancellos inclusit. Abundat igitur (inquies) quod de populi consensu insertum est? Minimè. Quoniam ad officium populi pertinet, in eum consentire regem, quem leges iuraque ipsi dant.

Præterea non exacta regni, vel tyrannidis definitio ibi traditur: sed quid regno, quid tyrannidi sit proprium, & qua in re differant, indicatur. Xenophonticus Socrates hanc de populi voluntate habuisse non videtur opinionem, iuri & legibus eam semper fore consentaneam: vsu rerum aliud compertum habebat. Quare in regno aut in tyrannide non est spectanda quæ sit populi voluntas: sed quid ius velit, & quid leges statuant. In Prophetis, & sacra historia notaui creari tyrannos, quando sua fretus authoritate, neglecto Deo, populus regem sibi elegit. Ingenium populi ignorasse mihi videntur, aut saltem illud ipsis non venisse in mentem, qui tantum populo tribuunt. Graue crimen tyrannis est, nec eius labes temerè cuiusquam principis aspergenda nomini.

Reges homines sunt, vt alij mortales, qui in suo munere labuntur, quod ipsis tanto procliuius est, quo locus in quo stant, est pronior in casum: atque eò magis lubricus, quo plures eos circumstant ad peccandum illecebræ. Multa concurrant oportet teterrima flagitia, antequam regia maiestas, tyranni commaculetur infamiâ.

CAP. XXIIII.

Quis verus tyrannus, & quid sit tyrannis, & quot eius partes.

TYrannis extremum significat omnis iniuriæ & crudelitatis. Colluuies omnium flagitiorum & scelerum est, ex quodam incurabili morũ & ingenij morbo contracta, in totius reipublicæ perniciem proruens: vt vulgò omnes horrescant audito tyranni nomine. Tyrannis enim tota ἐξ ἀσωτίας καὶ ἀκολασίας est conflata

Extat tyranni elegans descriptio apud Platonem in 8. & 9. Dialogis de rep. cuius hic paucis summa capita tangam. Tyrannum necessariò esse, fierique propter imperium, infidum, prodigum, profusum, libidinosum, auarum, iuris & legum contemptorem, populi oppressorem, ferum, crudelem, impium, sacrilegum, nemini amicum, qui in perpetuo versetur metu, qui oderit bonos, suspectósque habeat; faueat, adulerúrque malis.

Aristoteles in Ethicis disputat, quasdam esse virtutes, quæ communem mortalium facultatem superant, & paucis quibusdam, ac in primis Deo charis contingunt hominibus, eásque Heroicas vocat: quibus non solùm in hac vita ad tempus homines nobilitantur, sed supra cæterorum hominum sortem euehuntur, atque in Deorum referuntur numerum, eorúmque memoria immortalitati consecratur. Et contrà, flagitia quædam similiter inueniri, à quibus omnes naturâ abhorrent, & qui ea perpetrant, omni se humanitate exuunt, degenerántque in feras, & in quædam naturæ monstra: adeò vt inter huiusmodi homines, & forociſſimas belluas, ac reprobos spiritus, parũ, aut nihil intersit.

Quemadmodum igitur raræ illæ & diuinæ virtutes homines ad cœlos euehunt, & faciunt vt vniuerso orbi sint admirationi; sic tetra illa flagitia, & humani generis pestes, suos authores Deo & hominibus exposos reddunt, eorúmque execrabilem memoriam. Ad hæc extrema non peruenitur, nisi per media. Nam vt nemo fit repentè optimus, ita nec turpissimus. Sed sicuti eximiæ, ac diuinæ cuiusdam virtutis Princeps, quem inter Heroas referas, rara quædam res est; similiter deploratæ, ac perditæ nequitiæ, qui tyrannus

tyrannus haberi mereatur, infrequens. Nesciunt enim homines omni ex parte boni, aut mali esse; vtrumque esse volunt, prout ipsos cupiditates diuersè trahunt.

Sunt tyrannidis plures partes, & variæ formæ; nec vna in re semper versatur. Alius alio tyrannus est immanior. Prima tyrannidis pars est immodicum excellendi supra cæteros omnes desiderium. Secunda, omni pudore posthabito, contemptus iuris & honesti, consequendæ gratiâ dominationis. Tertia, crudelitas & contumelia. Quarta, luxus & profusio in cibo, potu, Venere, largitionibus in voluptatum ministros, vestitu, lusu, atque opum & diuitiarum insana ostentatione. Quinta, iniusta bella, ac tam vicinorum quàm ciuium iniquæ oppressiones. Sexta, inexplebilis plura habendi cupiditas, vnde varia exactionum genera, nouæ rationes vndique habendæ pecuniæ, & sacrilegia. Postrema, qui supremus est gradus omnis nequitiæ, est intolerabilis fastus, atque in Deum impius. Ex his partibus, velutj quibusdam membris, perfecta tyrannis absoluitur: quæ contra naturam omnium rerum, quæ symmetriâ suarum partium pulchritudinem nanciscuntur, maiorem turpitudinem ex complemento harum partium contrahit, & deformior ac monstrosior efficitur: & ex earum defectu, deformitas, ac turpitudo imminuitur.

CAPVT XXV.

Primus ad tyrannidem gradus est supra cæteros excellendi amor.

HÆc vt fiant clariora, pluribus rationibus, & exemplis rem paulò fusiùs explicabo. De prima tyrannidis parte Cicero hanc habet sententiam, notatione valdè dignam. *Vt quisque* (inquit) *animi magnitudine maximè excellit, ita maximè vult princeps omnium esse, vel potiùs solus esse: difficile autem est, cùm præstare omnibus concupieris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè propria.* Enthusiasmo Cicero hic euectus, pestem totius humani generis, ac calamitatis nostræ fontem attigit. Excellentiæ enim dulci veneno primus parens illectus, æqualitatem Dei concupiuit: quam assequutus, solus esse Deus voluisset. Non alio peccato diabolus è cœlo corruit.

Quàm malè consulunt ciuitati animarúmque saluti, qui gloriolis pueritiam inebriant, & honoris cupidine tanquam aculeo ad virtutem incitandam censent adolescentiam: acsi nemine etiam impellente non satis ipsi vltrò prauitate naturæ cò proruamus. Nihil est quod virtutem magis eneruat cupiditate honoris & gloriæ. Ipsa sacrilegè Deum debitâ pietate fraudat, & dum charitati nullum relinquit locum, omnem virtutem contaminat. Qui puer didicit, eminere supra cæteros esse pulchrum, & ab alijs superari turpe; cui non inuidebit adultus? Vitata crudelitate, & sæuitiâ, quæ teneram ætatem in desperationem agit, & non tam flectit quàm frangit, prima cura esto ei, qui primam adolescentiam vel pueritiâ formandam suscipit, domandæ ferociæ, qua contra Deum & homines efferantur homines. Instillentur modestiæ & humilitatis præcepta tenellis animis: doceantur præferre se nulli, aliorum obsequi studijs, melioribus cedere, & eos admirari, ac sine inuidia imitari.

Excellendi amor & studium certissima pestis est mortalium: qua non tantùm nobiles belli duces abripiuntur, sed quotquot aliqua in re eminere soli cupiunt, quicunque illi sunt, siue Philosophi, qui acutè de virtute disputant; siue sint Theologi, religiosuli, & sanctuli. Nihil interest, qua in re quis solus appetat videri, pulchrúmque ducat digito monstrari, ac dici, *Hic est ille.* Quacunque in re quis alios omnes ambitiosè vincere cupit, siue id sit in sacrorum voluminum interpretatione, siue in ipsa vitæ externæ sanctimonia & religione, improbus est; quia cum alijs æquitatem nunquam seruabit. Ab hoc hominum genere odia, & æmulationes, bella, & dissidia nascuntur: inuentaque ab eo sunt arma ferro nocentiora, calami tincti virulentiâ, quibus non secus armantur in suam, & aliorum perniciem, quàm ferro barbari milites. Et isti sunt qui Ecclesiam, & Respublicas scindunt in sectas, & factiones, ex quibus innumera mala sequuntur, quæ hic narrare longum esset, notâsse satis est. Hac viâ certum est ad tyrannidem quandam aspirari, quatenus ea honoris contentio iustitiam non seruat, & eminere sola desiderat. Hoc modo à duobus Episcopis, Romano & Constantinopolitano, tyrannis vniuersæ Ecclesiæ exitialis inuecta est. Et hæc de prima tyrannidis parte dicta sufficiant.

CAPVT XXVI.

Regnandi gratiâ iuris violatio, ſecundus ad tyrannidem gradus.

QVæ deinde ſequitur, eſt impudens legum omniſque iuris contemptus, regnandi gratiâ. Quam impudentiam eleganter in perſona Æteoclis Euripides expreſſit, quando eum introducit impudenti ore ſic loquentem: εἰπεῖν γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυραννίδος περὶ κάλλιστον ἀδικεῖν τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών. Quos verſus Latinè Cicero ſic reddidit, *Si violandum eſt ius, regnandi gratia violandum eſt, cæteris in rebus pietatem colas.* Quod ſi verum eſt, eâ impudentiâ fuiſſe Cæſarem, vt hos verſiculos ſemper habuerit in ore, atque ita fuerit comparatus animo; quæ per neceſſitatem geſſiſſe videri poteſt, excuſari non poſſunt à tyrannide.

Plutarchus ait, Quemadmodum Geometræ non omnia docent, ſed quædam ſibi dari poſtulant, quæ vocant ἀιτήματα; ita tyrannos deſiderare quædam ſibi etiam eſſe conceſſa: quorum vnum eſt hoc quod modò diximus, περὶ τυράννιδος ἀδικεῖν; aliud, ἀναιρεῖν τοὺς ἀδέλφους, & alios quoſuis, vt ne ipſi quidem progenitores ſint liberi. Quid multis opus eſt? Qui ita ſunt affecti, obtinendi retinendiq́ue regni causâ, violare omnia iura diuina, & humana, ſibi fas eſſe volunt.

CAPVT XXVII.

Quæ ſit tyrannorum crudelitas.

ET hinc naſcitur, quem tertium dixi gradum, in homines immanis crudelitas, & de qua mox dicturi ſumus, in Deum impietas. Inuiſi ſunt tyrānis, quotquot ipſis obſtare credunt: vt ſunt ad quos regni ius pertinet, aut quibus diſplicet per ſcelus occupatum imperium; omnes denique à quibus ſe magis metui, quàm amari ſciunt.

Abimelech ſeptuaginta ſuos fratres interfecit potiundi regni causâ; quod ipſius pater modeſtè recuſauerat vltrò ſibi oblatum. Abſolon dominandi libidine incenſus, patri non pepercit, cui & vitam ſimul cum regno eripere conatus eſt: quod ſcelus perfeciſſet, niſi Deus hominem in ipſo conatu oppreſſiſſet. Saul poſtquàm à Dei ſpiritu deſtitutus in tyrannum degenerauerat, crudele odium in Dauidem de toto Iſraële optimè meritum concepit, & optimo viro genero ſuo mortem machinari nunquam dum vixit deſtitit. Implacabilis eſt tyrannorum ira. Qui vetante Deo clemens & benignus voluit videri, & miniſter diuinæ vltionis contra impios Amalechitas eſſe noluit, in Sacerdotes Dei octuaginta quinque, viros nihil commeritos, crudeliter deſæuijt. Quorum non exſatiatus ſanguine, conuertit rabiem in ipſam Sacerdotum vrbem, *percuſſitq́; viros, & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemq́; & aſinum, & ouem in ore gladii.* Exemplorum huius generis plenæ ſunt hiſtoriæ. Cædes & proſcriptiones Romanorum ciuium factas à Mario, & Sylla, & à Triumuiris, quis commemoret? Tyrannis ludus eſt, innoxium fundere ſanguinem, & optimos quoſque citra delectum ætatis, ſexus, conditionis, aut ſanguinis, de medio tollere. Vna Ottomannorum domus ſatis exemplorum nobis miniſtrat. Selimus in thalamo ſuo cum imagine ſui, filio hæredi Solimanno hos verſus ſcriptos reliquit, ad dextram tabulæ Græcâ linguâ.

Tutus vt imperij Princeps ſibi ſceptra capeſſat,
Anxia ne dubio corda pauore premat:
Ne putet eſſe nefas, cognatum haurire cruorem,
Et nece fraterna, conſtabilire thronum.
Iura, fides, pietas, regni dum nemo ſuperſit
Æmulus, haud turbent relligione animum.
Hæc ratio eſt, quæ ſola queat regale tueri
Nomen, & expertem te ſinat eſſe metus.

Et ad ſiniſtram linguâ Sclauonicâ:

Te ſemel aduersùs peccantem mitis haberi
Ne ſtudeas, pœnâ vindice tutus eris.
Protinus enſe recidendum, putreſcere ſi quid
Incipiet; clemens Rex malè ſceptra gerit.

Ad

Ad veniam facilis peccati porrigit ansam,
Qua se sustentans ad noua damna ruat.

Hic Selimus haud dissimilis istis præceptis fuit moribus: patrem imperio deiecit, veneno fratres sustulit, & fratrum filios aut neci dedit, aut in exilio mori coëgit. Sed hoc iam olim à primo Ottomanno solemne fuit illi familiæ, vt nemo extiterit in hunc vsque diem, qui aut paterno, aut fraterno, aut natorum, non tinxerit sceptrum sanguine.

CAPVT XXVIII.

Tyrannorum luxus & libido.

HAusto humano cruore, furijs animus exagitatus, in omnem fœditatem se prouoluit, & delicijs ac luxu animi tormentum lenire cupiens, hûc illûc oberrat, vt animo sedato & tranquillo, atque à metu libero, quem scelerum conscientia parit, esse queat. Quì cùm nouis sceleribus non minuatur, sed indies magis magisque augeatur; frustrà inde petitur remedium. Quocirca quarta pars tyrannidis noua voluptatum subinde genera excogitat, quorum nonnulla adeò sunt tetra, adeò obscœna, vt animus meminisse horreat. Vna Romanorum historia abundè exemplorum nobis suppeditat. Incestus, stupra, libidines omne genus priorum Cæsarum, vsque ad Vespasianum, notata scriptoribus, recensere particulatim nihil opus est. Satis hoc sit, fuisse tyrannos. Inter quos, vt Caligula & Nero principatum tenuerunt, ita sese in omnium turpitudinum cœno volutârûnt: quibus nihilo meliores fuêre plerique alij, qui posteà imperârunt: vt Domitius, Commodus, Bassianus, Caracalla, Heliogabalus, & quotquot præterea tyrannidem exercuerunt. Siue illi inter Gentiles, siue inter Christianos numerentur, omnibus vna & eadem descriptio conuenit, quam de Gildone Africæ tyranno Claudianus cecinit. Sunt enim tyranni omnes sibi persimiles: diuersi moribus esse nequeunt, quibus est idem ingenium.

——— *pars tertia mundi*
Vnius prædonis ager, distantibus idem
Inter se vitiis cinctus. quæ cunque profunda
Traxit auaritiâ, luxu peiore refundit.
Instat terribilis vinis, morientibus heres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies, oritur prædâ cessante libido,
Diuitibusq́, dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulchra vel coniuge notus
Crimine pulsatur falso: si crimina desunt,
Accitus connina perit, mors nullâ refugit
Artificem; varios succos, spumásque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota nouercis
Gramina. Si quisquam vultu præsentia dammet,
Liberiúsue gemat, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertáque pocula pallens
Haurit; & intentos capiti circumspicit enses.
Splendet tartareo furialis mensa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, suspecta veneno.
Vt vino calefacta Venus, tum sæuior ardet
Luxuries, mixtis redolent vnguenta coronis.
Crinitos inter famulos, pubémque canoram
Orbatas iubet ire nurus, nuperq́, peremptis
Arridere viris. Phalarim, tormentáque flamma
Profuit, & Siculi mugitus ferre iuuenci,
Quàm tales audire choros: nec damna pudoris
Turpia sufficiunt; Mauris clarissima quæq́,

Fastidita datur; media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Nisamona maritum
Ingerit: exterret cunabula discolor infans.
His fretus sociis, ipso iam Pincipe maior
Incedit: peditum præcurrunt agmina longè,
Circundant equitum turmæ, Regesq; clientes,
Quos nostris ditat spolijs. Perturbat auita
Quemq; domo, veteres detrudit rure colonos.

Luxum ac libidinem enarrare tyrannorum longum esset: paucos tamen nominabo libidine & luxuriâ insignes, quibus orbis quondam paruit. Antonius & Cleopatra flagitijs & tyrannide pares, quos morum turpitudo conciliârat, tandem non tam viribus aduersarij, quàm luxu & libidine perierunt. Superbus nauiũ apparatus exitio regibus fuit. Aliud erat pugnare cum hoste, aliud in cœna contendere, quantum vno hausţu posset absorbere Cleopatra. His adderem amicum & inimicum Herodẽ Iudæorum tyrannum, qui nulli fuit inferior, nisi quòd prudenter in hac parte insanire visus est. De Caio Caligula adserit Suetonius, *Nepotinis eum sumptibus, omnium prodigorum ingenia superâsse: nouum balnearum vsum commentum, & portentosissima genera ciborum atque cœnarum: vt pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet.* Id enim à Cleopatra didicerat, cuius & Antonij in nauibus fabricandis imitatus est insaniam, *quãdo Liburnicas [illegible] extruxit gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & triclinioꝝ laxitate, magnaq; etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, littora Campaniæ peragraret. Iacere in mare moles, excindere rupes, vallibus æquare montes, quicquid aut arduum, & non nisi immensis sumptibus, aut ne vix quidem fieri poterat, fieri voluptas erat. In epulis nihil palatum eius sapiebat, quod facilè parari poterat. Quod ab anni tempore erat alienum, & è remotissimis orbis partibus allatum, Caio dignum erat.* Neronem ei sceleribus & sanguine propinquum non absurdè subijcio, *qui diuitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat quàm profusionem. Laudabat mirabaturq; auunculum suum, nullo magis nomine, quàm quòd ingentes à Tiberio relictas opes in breui spacio prodegisset. Quadragenis in punctum sestertijs aleam lusit. Piscatus est aurato reti, purpura coccoq; funibus textis. Nunquam carrucis minùs mille fecisse iter traditur. Soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turbâ, atque cursorum.* Pluribus exemplis morari lectorem nolo. Quid luxum consequatur videndum est.

CAPVT XXIX.

Tyranni prodigi sunt & auari.

OMnibus innatũ est tyrannis, vt qui sunt prodigi, simul sint & auari. Fieri enim potest, vt quispiam sit auarus, qui non sit prodigus: sed non contrà. In luxum profusus, qui nec modum, nec rationem vllam tenet sumptuum, posteà cogitur nouas conficiendæ pecuniæ rationes excogitare, ac sine modo & ratione per scelus & vim vndique corradere, rapere, ac spoliare quod profundat; ciuium opes & pecuniam, quarum quietam possessionem tutamque, bonus Princeps defenderet, fisco, prædæ, ac libidini militum, & aulicorũ calumnijs exponere: vt amplas possidere opes, perduellionis & læsæ maiestatis sit crimen: auri sacra fames eò impietatis adigit, vt nemini parcant, vt nec ab ipsis sacris rebus, Deo atque religioni dicatis, manus abstinere queant. Qua in re primas tenuêre Romani Episcopi, quibus sacra omnia venalia habẽre nulla est religio: de quorum tyrannide quid dicam? Hæc tantùm leuiter tango, quæ tamen sæpiùs ad mentem reuocata, atque inculcata cupio, vt attentiùs secum cogitent tyrannorum qui haberi vindices volunt, quibus monstris Deus homines subiecerit, & parere voluerit.

Prædandi studio atque aliena inuadendi bellum mouere, tyrannidis est proprium. Supplicijs, cædibus & sanguine, spolijs prædaque pascitur tyrannis. Vt boni Principes regna & respublicas erigunt & fouent, & depulsis malis, multis beneficijs afficiunt: ita tyranni proterunt, & vastant omnia.

CAP.

CAP. XXX.

Tyranni sunt in Deum impij.

COlophonem addunt tyrannidi, qui mortalitatis suæ obliti, pro numine se coli expetunt, templa sibi dicari, sacerdotes constitui, statuas & aras erigi, atque litari. Quod nihil aliud est quàm Deo insultare, atq; gigantum more ipsi bellum inferre.

Huic sacrilegæ impietai adfinis est ea, qua verus Dei cultus reijcitur, & fictitius erigitur, & falsus Dæmonum aut Diuorum stabilitur; vera doctrina de Deo, & de filio Dei, de operum meritis, de peccatorum remissione, deprauatur. Exempla qui cupit, illos ipsos ad mentem reuocet, quos suprà nominaui. Alij in hac re alijs fuêre modestiores. Quo autem tyrannus fuit truculentior, fuit in Deum ipsum eo magis blasphemus.

Caligulà nihil fuit insolentius; in templum Dei suam imaginem collocari, ac se pro numine coli iussit. Antiochi sacrilegium qui anteà Iouis signum in locum sanctum intulerat, minus habuit impietatis, nisi quòd verum Dei cultum funditùs abolere conatus est.

Horum numero accenseo Machumetem apertum & professum Christianæ religionis hostem; nec excludo Romanum Episcopum, qui in hac reprobæ mentis insania, non modò quos dixi æquat, sed eo magis antecellit, quòd in Ecclesia omnipotentis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, tanquam alter quidam Christus sedet, ac iura diuina & humana suæ subijcit potestati, falsa inflatus opinione summi sacerdotij, & imperij in ea quæ Deus sibi soli, filióque suo reseruauit.

Hinc discere possumus quanta sit immanitas tyrannidis: & qui in tyrannorum numero sint habendi. Malus Rex, aut durus, & inclemens dominus, non statim meretur dici tyrannus. Domini & Reges homines sunt, qui more vulgi in ijs quæ ad eorum pertinent munùs, multis modis peccare possunt. Is demum æstimari debet tyrannus, qui omnibus notis illis quas diximus, aut saltem præcipuis est insignis: qui in Deum, & homines est impius, & crudelis: qui contra ius inuadit imperium, ac contra leges diuinas & humanas ex libidine suâ cuncta moderatur: qui populum opprimit, quem defendere ab iniuria deberet: in summa, qui pernicies est, & exitium, nec esse definit, suæ reipublicæ.

CAP. XXXI.

Vnde primùm nata sit tyrannis, & quis primus in orbe fuerit tyrannus.

VNde autem primùm tyrannis orta sit, & quis primus fuerit in orbe tyrannus, quamuis ex ijs quæ dixi possit intelligi; paulò pluribus tamen edisseram. Quæ vulgò credita sunt heroum regna, illa fuisse primorum patrum, à Deo naturæ ordine constituta, quibus proximè succesſère regia, diximus. Quomodo autem ab optimo illo imperij genere recessum sit, & quis primus perturbârit, coniectare rem tam veterem, & à memoria nostrorum seculorum remotam, haud esset facile, nisi Diuinus Moses, historiæ primi seculi non ignarus, prodidisset. Alij historiarum scriptores Ninum aiunt auitum gentium regnandi morem mutâsse, ac violenti imperij primum fuisse authorem.

Mutationis regnorum generales, ac communes quædam sunt causæ tam in Deo, quàm in hominibus. Hinc regnandi libido, & horrēda flagitia punienda flagitijs, sūt causæ omnium motuum, qui accidunt regnis, & rebuspublicis: sed vindicis Dei iustitia prima & præcipua est. Quemadmodum propitius Deus bonos dat reges, sic etiam iratus dat tyrānos. Virga furoris Dei fuit Assur. Quot enim sunt tyranni, tot sunt flagella Dei. Attilam non puduit se *flagellum esse Dei* palàm profiteri. Tamerlanus cuidā, qui ei familiaris erat, interroganti, cur in turbam puerorum, & puellarum impuberum, quā ciues cum oliuarū ramis & clauibus vrbis ad eum miserant, sese eius dedentes fidei, equites immisisset, qui miſellos conciderent, & pedibus equorum protererent, respondit; Non humani consilij suas esse actiones, sed vltricis iræ Dei.

Mitius fuit fortè, & lenius paternum imperium, quàm vt puniendis natorū, & nepotum peccatis esset idoneum. Magnus interim erat numinis contemptus, & præfracta rebellio, atque inobedientia. Itaque mollia securæ peragebant otia gentes, sub indulgentiâ

patrum & auorum, cùm ab austro subitò exoritur tempestas, quæ Aquilonis & Orientis peruasit partes, suóque subiecit imperio.

Partiti anteà inter se fuerant vniuersum terrarum orbem tres Noahi filij: & Oriens Semo, Auster Hamo, Iapheto Occidens cum Septentrionis quadam parte cesserat. Sed Hami nepos Cusi filius, illa non contentus sorte quæ parenti ipsius obuenerat, Semi & ipsius natorum fines inuasit: quod perficere non potuit, nisi à multitudine adiutus. Ipsius fratribus, cuique in sua gente vel familia regnare, satis fuit. Nemo vlteriùs fines imperij extendere sibi fas esse ducebat. Natu minimus filiorum Cusi, collectâ perditorum hominum manu, quos in otio ex venatione & præda viuere delectabat, potiùs quàm ex agricultura, aut alio quouis honesto labore; primus bello alienos inuasit fines, & ita per vim Rex creatus est. Sacræ literæ indicare videntur, hanc societatem primò ad venationem ferarum coijsse, sed vlteriùs posteà ad latrocinia fuisse progressam.

Quod creditur nouæ condendæ vrbis, & turris extruendæ Nemrodus fuisse author, non mihi probatur, cùm Moses disertè dicat, non vnius mandato aut consilio id esse factum, sed communi totius multitudinis consensu. In Phaleci tempora, & turris ædificatio, & linguarum diuisio, ac proinde partitio terræ incidit: quoto vitæ ipsius anno Scriptura non dicit. Nec mihi placet quòd regnare Nemrodus dicitur incepisse à diluuio centesimo trigesimo anno: cùm fortè tunc nondum natus fuerit. Tempora vitæ solius Semi, & ipsius stirpis numerantur, non Hami & Iapheti, nec eorum qui ab eis sunt orti. Quare definiri certum tempus principij regni Nemrodici non posse arbitror. Post conditam Babylonem, & orbis terrarum diuisionem regnum inchoâsse, indè apparet, quòd Assur è terra illa, quam occupauit Nemrod, dicitur exiuisse, ac condidisse aliam vrbem Niniuem: quippe qui ab eo aut fugatus fuerit, aut eius tyrannidi cesserit. Quoto verò anno aut à Babylone conditâ, aut à diluuio, cùm non sit scriptum, intra centum annos plus minúsue, errare facile erit ei, qui definire certum volet tempus.

Sed hîc esto huius limes sermonis; Nemrodum primum fuisse tyrannum, & contemptis Dei & naturæ legibus, improbæ multitudinis fauore ad regnũ fuisse euectum: nec aliter potuisse fieri. Mitto dicere hunc fuisse quem Babylonium Saturnum gentes dixerunt, & plura huius generis. Huic argumento sufficit, à populo non primos manâsse Reges, sed tyrannos, demonstrari. Quod & alio confirmatur argumento. Israel electus ille Dei populus, nullos sibi vnquam elegit Reges aut Iudices; sed à Deo datos & designatos accepit. Quando autem sibi Abimelechum, septuaginta parricidam fratrum, constituit principem; non legitimum Regem, sed tyrannum creauit. Similiter quando decem tribus reges creârunt, Deus ipsis per Oseam exprobat non ex ipsius sententia id esse factũ, & principes constitutos, ipso non consulto; sicut quando Ieroboamum regem sibi elegerunt, & zãbri, Amri, & Thebni. Quòd à Deo Ieroboamus regno destinatus erat, Israël ignorabat; neque obsequendi Dei voluntati gratiâ eum secuti sunt, sed vlciscendi sese de Roboamo vero suo rege. Faceſſat igitur eorum opinio, qui ad populum referunt creationem priorum regum, vt eos multitudinis procerúmue arbitrio, libidinisque exponant, si videbuntur exercere tyrannidem; quandoquidem stultæ plebis est, vel barbari militis, vel vtriusque, adsciscere tyrannos.

CAP. XXXII.

Tyranni puniendis hominum peccatis sunt mundo necessarii.

QVemadmodum vix dum benè reparato mundo, tyrannus fuit puniendis hominum peccatis necessarius; ita ab illis temporibus crescente indies magis ac magis hominum malitiâ, eorundem aucta est necessitas. Si enim aliâ ratione humani ingenij ferocia posset domari, & mundi impietas ac iniustitia puniri, ac Dei iudicia exerceri; Dei prouidentia tyrannos nullos toleraret. Sed cùm multis modis magno vsui & bono sint in huius inferioris orbis gubernatione, ferendum est quod malis est necessarium, & bonis non inutile. Multa sunt Dei iudicia, quæ non nisi per malos commodè possunt executioni mandari: siue Deus suos velit exerceri, siue populi peccata vlcisci. Tyrannos puniendis hominum peccatis, & vlciscendis tyrannis, Deus iudicat inprimis idoneos. Euertendæ Ierosolymæ, templóque exurendo, & ingrato populo affligendo, pius

Princeps

Princeps aptus non fuisset: inuentus itáque est Rex Babylonius Nebuchadnezzar.

Ecquis fuit Octauius? Eúmne legitimorum principum catalogo inscribemus, an Tyrannorum? Satis sit dixisse regnandi gratiâ iura legésque violâsse, patriæ nefarium, bellum intulisse, ciuium multorum innoxio sanguine, & armorum vi oppressa libertate principatum sibi comparâsse, Senatus demum populíque Romani consensum extorsisse. Tametsi enim libertate, illa seruitus populo Romano, adeóque orbi vniuerso, fuerit vtilior; Dei opus hoc fuit, non Cæsaris beneficium. Qui cæteris gentibus seruitutem iniecerant, qui suam libertatem diutiùs ferre non poterant, iugum eos pati seruitutis, æquum, & vtile fuit. At sub quo domino? nempe sub eo, de quo populus vniuersus quodam ludorum die, maximo assensu, comprobauit versum in scena pronuntiatum de Gallo matris Deûm tympanizante; *Vidésne? cinædus orbem digito temperat.* Verùm qualis qualis ille fuit, necessarius Romanis totíque imperio tyrannus fuit. Bellis ciuilibus finem imposuit, pacem rebus dedit. Quamuis per iniustam vim principatum inuaserat, posteà bellum nullum non necessarium mouit.

Mirandum non est, si potior pars orbis sub tyrannorum semper potestate fuerit. Quo magis ad senectam inclinabit mundus, & corruptiores mores futuri sunt, verendum est ne eo plures & crudeliores surgant tyranni. Quàm grauem vnius Episcopi tyrannidem Christianus orbis hos sexcentos & ampliùs annos pertulerit; præteritorum, temporum historiæ docent, & qui hodie viuunt, sentiunt & lugent, nec finem vllum adhûc vident.

CAP. XXXIII.

Magnum est inter tyrannos discrimen.

INter tyrannos quoniam magnum discrimen est, & inquitate sunt valdè impares; innumeras magis & minùs differentias constituunt. Quæ ad rem præsentem non conducunt, eas pertranseo: alias ad tria capita reuoco. Tyrannorum enim alij sunt qui humana tantùm iura violant; & alij tantùm diuina; tertij, qui diuina pariter & humana contemnunt: quibus nihil est sanctum, nihil inuiolatum. Isti omnes & ab inuicem in hoc diuersi sunt, quòd alij iure quidem obtinuerunt principatum, sed in tyrannos degenerârunt: sicut apparet in Saule primo Israëlitarum Rege: & non rarò vsu venit. Alij sunt qui per scelus quamuis ad imperium peruenerunt, posteà tamen rectè & ex vtilitate reip. regnum administrant. Alij verò sunt, qui tyrannidis suæ nec modum statuunt, nec finem faciunt: & principatum quem sceleratè adepti sunt, sceleratiùs gerunt, in suam & totius populi perniciem.

Quemadmodum legitimus principatus principis vitio mutatur in tyrannidem, & de Rege fit tyrannus: similiter quædam tyrannides mansuescunt tempore, ac transeunt in legitimum principatum: nimirum cessante iniustitia, & iuris legumque oppressione. Quando enim ipse tyrannus aut ipsius hæredes desistunt ab iniuria, & regnum moderantur æquitate, & clementia; desinunt esse interdum tyranni. Nam non rarò reip. interest rerum summam ad vnum aliquem deuolui, atque remanere apud eum qui tunc principatum occupat. Non semper est facile principatum etiam vsurpatum deponere, aut in aliam formam mutare, cum salute publica.

CAP. XXXIIII.

Quædam tyrannides vbi transeunt in legitimum principatum, nefarium tyrannos est violare

HVic tyrannorum generi, initio, quando primùm ad tyrannidem affectant viam, resistendum fortiter ab ijs quibus reip. salus commissa est. Exempli gratiâ: Iulio Cæsari, Pompeium authoritas Senatus populíque Romani opponere potuit. Nemo iure Pompeium, Catonem, aliósue, qui Senatum secuti sunt contra Cæsarem, culpare potest, tanquam iniustum bellum susceperint. Sed à victore repub. compositâ, & in tranquillum statum adductâ; victos, quibus Deus necessitatem parendi imposuerat, priuata coniurâsse authoritate in victorem, nefarium fuit. Bello enim pax quæritur, quò tandem deuenien-dum est. Et quicquid bello dirimendum suscipitur, victoria decidit: eiusque proinde

iudicio ſtandum eſt. Quum enim caſu victoria non contingat, ſed Domini exercituum prouidentiâ detur, ipſe, vt victori victus obediat, ſe velle re ipſa ſatis indicat. Belli leges ſubijciunt victori corpora, & res externas eorum, qui victi ſunt.

Quoquo modo igitur Cæſar dictaturam fuerat adeptus, & eam retinuit, non fuit priuato conſilio à priuatis necandus. Peccârunt eius interfectores contra remp. quia quod publica authoritate ſtabat imperium, priuatâ non erat demoliendum; & tantum abeſt, vt quæ obtendebatur, ſint conſecuti libertatem, vt in maiorem calamitatem conieccrint remp. Quàm non probante Deo facinus illud perpetratum ſit, euentus docuit: illius enim authores coniurationis omnes malè perierunt, & reip. obfuerunt. Incredibile eſt, quanta mala ſint mortem Cæſaris conſequùta. Malo præſenti non medetur qui grauius accerſit.

Octauius etiam in numero eorum haberi poteſt, qui ex tyrannis fiunt Principes legitimi. Ex vſu erat Romani imperij vnum Principem authoritate & potentiâ eminere. Eò procerum opes & factiones creuerant, vt bellorum ciuilium nullus aliter futurus fuerit finis. Pleriq́ue ferè omnes ita comparati erant, vt neque pares neque ſuperiores ferre poſſent.

CAP. XXXV.

Sunt tyrannides, quæ mutari in legitimum ſtatum nequeunt.

SEd ſunt aliæ tyrannides quæ mutari in meliorem ſtatum non poſſunt, cuiuſmodi ſunt illæ quæ cum perpetuâ coniunctæ ſunt iniuriâ, vel impietate, vel cum vtroque. Piratarum potentia, quæ latrocinijs toti mediterranno mari infeſta erat, & non tantùm maria, ſed vrbes, ditiones, & inſulas occupauerat, in legitimum imperium durante iniuriâ tranſire non potuit. Seruorum item ſexaginta millia ab impoſtore quodam collecta, toti Romano imperio incuſſêre formidinem. Manus illa bello victrix caſtra Romanorum imperitorum cepit & diripuit, Prætores fugauit, & inſequuta eſt.

Alius Athemo paſtor ouium Siro illo non minorem cladem attulit. Gladiatores etiam non modo in libertatem ſe, ſed regnum ſibi vindicare iuſto exercitu conati ſunt, Iſtorum duces purpura, & auro induti, ac diademate caput redimiti, regum more incedebant. Verum quidem eſt, non diu durâſſe, & pœnas latrociniorum ſuorum ſtatim dediſſe. Sed quid ſi diutiùs durâſſent? Nos tyrannides & legitima imperia non fœlici rerum ſucceſſu, nec diuturnitate temporis metimur, ſed iure aut iniuriâ. Potuit Deus iſtis latronibus latrocinandi tempora longiora dediſſe. Proinde falſum eſt, quod quidam verum eſſe audet affirmare, quòd pirata captus, ad Alexandrum ductus, reſpondere eſt auſus, Nihil ſe differre ab eo, niſi quòd ille magno exercitu, & magna nauium copia mundum deprædaretur, ipſe autem vnicâ nauiculâ. Plurimum enim intereſt inter Reges qui poteſtate ſua abutuntur, & latrones qui nullo iure fulti gladium arripiunt, vt quoſuis deprædentur. Aliud eſſe nemo ignorare debet, gladium à Deo acceptum ſtringere in eos, in quos minimè oportet; aliud vſurpare & abuti ad latrocinia. Quare meritò hoſtes humani generis habendi ſunt, quotquot ſibi hanc vſurpant poteſtatem: ad quos opprimendos, omnes accurrere, tanquam ad commune aliquod incendium, debent. Vſurpata gladij poteſtas, gladio coërcenda eſt; vt pereat gladio, qui contra ius gladium acceperit.

Poteſtas illa etiam à Deo ad tempus conceditur puniendis hominum peccatis: cui nonnunquam non tam religione quàm neceſſitate parendum eſt. Quamuis Deus ataxiæ non ſit author, & iniquitati rerúmque perturbationi obſequi neminem velit, & in tali hominum perditorum colluuie, nihil ordine, nihil iure fiat: latronum tamen & ſicariorum turmæ, cùm nullo iuris vinculo conſocientur; inter poteſtates, quas Deus ordinauit, vt eis obediatur, cenſendæ non ſunt. Nemo inter eos Rex, aut qui à Rege ſit miſſus, aut ab alio aliquo ſummo imperio: tamen quia homines ſunt, quos Deus nobiſcum vult viuere, humanæ ſocietatis vinculum, quamdiu viuunt, manet. Eis officiũ, fidémque deberi negare non audeo; vt ſi quid iſtis priuatim aut publicè, cogente neceſſitate, promiſſum fuerit, interueniente nominis Dei ſacramento, non ſit ſeruandum.

Si quis ab iſtis captus ſeſe redimat, pretium quod promiſit, dimiſſus ea lege, ſoluere, ſi habeat, tenetur: quia pluris eſſe debet nominis Dei reuerentia, & vita ciuis, ipſius pecuniâ.

Pecuniâ. Quòd si fides negetur seruanda, perniciem adferet omnibus, qui in latronum incident manus, & ad desperationem eos adiget.

Si publica fides detur, eis non fraudi fore, si arma posuerint, & deditos vitâ donatum iri, idque iudicatum sit vtilius reip. quàm desperato furori ciuem aut militem exponere; sacrosancta seruabitur ab ijs, quibus sacramenti religio inuiolabilis est. Ludere homines periurijs, & fidem datam fallere, hominis est perditè impij. A Pompeio fides piratis seruata est cum magno Romanæ reipublicæ commodo. Istæ tyrannides quoniam nullo fultæ sunt iure, sed à Deo politicum ordinem constitutum euertunt, in legitima imperia non vertuntur, quamdiu eam vitæ rationem duces sequũtur. Si mores mutent, & iure gentium, ac legibus viuere incipiant, latrocinium mutatur in imperium: quod addo propter eos quibus initia regni dedere latrocinia. Latronum coitiones aut per se dilabuntur, aut opprimuntur: diu perstare non possunt, nisi formam imperij mutent, & iure gentiũ viuere incipiant. Obedientia verò eis non debetur. Rebellare, & coniurare in eos, opportunitate datâ fas est, iubente, inuitante, atque opitulante legitimo magistratu, cui Deus gladium dedit.

Athaliæ tyrannicum regnum in Iuda legitimum nunquam fieri potuit; nec Asmoneorum principatus contra Dauidis hæredes præscribere. Ioiada fidus Athaliæ non fuit, nec debuit. Ipsa enim occisis regni hæredibus, regnum sibi retinere cogitabat, & iam quinque annos regnârat, quãdo ipse regni hæredis auspicijs coniurationis author primoribus regni fuit, eosque ad inaugurandum & sacrandum regem hortatus est. Fidelis enim Athaliæ sine iniuria veri & legitimi regis sui esse non potuit. Functus igitur est cum omnibus qui eum adiuuerunt, officio boni viri, & in patriam ac regem fidelis & pij subditi.

Tamen in Asmoneos aut in Herodem huiusmodi nihil tentatum est, nec fuit, meo iudicio, tentandum. Dauidis stirps tota iacebat humi, sine viribus erigere se non poterat. Est in talibus actionibus temporis, locorum, omniumque quæ incidunt habenda ratio. Vbi pares causæ & agendi opportunitates non concurrunt, pares actiones non sunt, nec parem merentur laudem. Temerarij conatus prosperos successus rarò sortiuntur; cæca est temeritas quæ petit casum ducem. Temerarij autem sunt conatus, quoties supra humanas vires, non authore Deo, nec auxilium promittente, quippiam aggredimur.

CAP. XXXVI.

Impiis regibus etiam est obediendum, nisi quidpiam iubeant, quod diuinis aduersetur mandatis.

Tyranni, quos secundo loco posui, à quibus violari tantùm iura diuina dixi, sunt illi, qui ignorantiâ veræ religionis, aut auito errore, aut nouo ac recenti assumpto, persequuntur veros Dei cultores, eósque affligunt; in cæteris rebus iura ciuilis societatis tuentur, ac rempublicam rectè gubernant. Isti ferendi sunt: & orandus est Deus vt eorum misereri velit, & ad veritatis notitiam vocare dignetur. Nullum patrum nostrum extat exemplum, nullum diuinum est præceptum quod subditos à principe suo deficere; aut minùs ipsius dicto obsequentes esse doceat, propter circa cultum Dei errorem. Fit sæpè, nobis occulto Dei iudicio, iusto tamen, vt circa pietatem turpiter errent Principes, cætera egregij, qui non secùs quàm pij sacrosancti habendi sunt.

Solomon. & plerique alij in Dei populo reges, se impietatis duces præbuerunt. Quorum nonnulli & pios persecuti sunt, & innoxium, abrepti idolomaniâ, fuderunt sanguinem. Nemo tamen vnquàm Propheta, vel sacerdos, sacerdotúmue princeps cum nobilitate, suas esse partes æstimârunt, vim inferendi regi, cúmque cogendi in ordinem. Iusto quidem iudicio Deus interdum domi ex ciuibus hostes excitauit qui malos reges affligerent, quos omnes Scriptura improbat, præter illos, qui iussi ab ipso id aggredi ausi sunt. Christiana gens inde à Christi Domini seruatoris temporibus multos pertulit principes veræ pietatis inimicos, tum gentiles, tum Christianos hæreticos; in quos coniurâsse neminem Christianum legimus, ante Episcopi Romani tyrannidem, cuius hoc proprium est, subditos contra suos armare Principes

CAP.

CAP. XXXVII.

Tyrannides quedam ab impietate in Deum natæ sunt, & cum ea sic coniunctæ, vt eis parere nemo queat, quin fiat impietatis particeps.

POstremi sunt illi, quibus non satis est humana iura violare: ipsi Deo bellum indicunt, & desperatâ quâdam audaciâ veram assumunt Dei religionem oppugnandam: sicut Mahumetes, & alij qui eum sunt sequuti, quorum etsi non fuerit par malitia, idem tamen fuit furor. Tyrannis Sarracenorum, Calypharum, Mammelucorum, impium Christianæ religionis odium profitebatur. Ottomānorum Imperium ijsdem vestigijs insistit.

In Ecclesiam Christi quæ irrepsit tyrannis Episcopi Romani, in omnem Christianum populum, atque adeò in ipsos reges, & summos orbis Monarchas, pariter & in omnes omnium Ecclesiarum Patriarchas & Episcopos, tam impia & iniqua est, vt nemo ei parere queat, ac subijci, quin particeps fiat sceleris & impietatis.

Iohannes Leidanus Rex Monasterienſis, & quotquot falsæ & impiæ religionis obtentu, ad tyrannidem aspirant, in hoc numero sunt habendi. Quamuis impiæ istæ tyrannides inuito Deo nequeant existere (nam nulla est potestas, quæ à Deo data non sit) non tamen cuiuis citra delectum parendum est. Excipienda semper est illa, cui subijci ac parere citra sacrilegium, aut proximi iniuriam, nemo potest. Mardocheus potiùs capitis periculum subire voluit, quàm vt impio Hamano incuruaret sese. Mahumetes magnus ille impostor, fuit tyrannus, cui parere, eique se subijcere, honorémue vllum habere, Christianus nullus liquidò potuit. Idem sentiendum de Calyphis, qui ab eo manârunt. Honor nefarijs illis ac professis Christi delatus hostibus, aut obedientia, non est ab impietate immunis; nisi contrà testari, & dominum profiteri liceat. Abnegationem enim Christi Domini nostri tacitam in se continet. Romanus Episcopus in eodem (vt dixi) versatur crimine, qui se cum Domini nostri contumeliâ, & Principum magnâ iniuriâ honorari expetit, & subiectionem atque obedientiam non debitam, ab omnibus Christi fidelibus superbè ac arroganter exigit: quam ei reddere, est characterem nominis eius accipere, eúmque adorare: quod facere in Iohannis Apocalypsi vetamur.

Magnam merentur laudem Principes, qui se populumq; suum vindicârunt ab illa tyrannide. Contra hoc tyrannorum genus, æternum ius est omnibus, quos Deus gladio armauit ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Priuatis autem hominibus, quicunque illi sunt, tam qui illorum subiecti non sunt imperio, quàm eis qui subditi sunt, potestas nulla est, vt in eos manus injciant, vimque inferant.

CAPVT XXXVIII.

Quibus sub Ottomannico imperio viuere datur, sine impietate ab eo deficere, aut eum prodere, non licet. Iure Scanderbeius ab Amurathe defecit, eique bellum intulit.

DVo sunt genera Christianorum sub Ottomannorum imperio: alij sunt, quos pietatem retinere, Deúmque colere, more maiorum finit: alij blasphemare Dominum & Christianam religionē coguntur. Illis causa nulla est detrectandi imperij; hi quouis tempore, quauis occasione, possunt, imò debent ab eo deficere. Nulla enim sacramenti religione, potest se quis impietati alligare.

Scanderbeium puerum cum fratribus, à patre Iohanne Castrioto Epeirotarum Principe, Amurathes abstractum, Turcicis moribus, ac Mahumetica superstitione, in aula sua institui curauerat; sed is post præclaras victorias, auspicio tyranni partas, non potuit Christianæ religionis, nec patriæ charitatis obliuiſci. Defuncto ergo suo patre, tyranno illusit, & magna prudentiâ, ac fortitudine, paternam ditionem recuperauit, ac contra Ottomannos defendit. Patris sui solus erat hæres superstes; detentæ ditionis, ac per fraudem occupatæ, recens feruebat iniuria. Ipse gladio à Deo, princeps natus, armatus erat; patria seruitute oppressa suum legitimum postulabat principem, & tyrannus vana spe paternæ hæreditatis iuuenem ducebat, eum necandi opportunitatem expectans. Itaque apud tyrannum cùm nec sine impietate, nec sine vitæ periculo diutiùs manere posset, iure ab eo defecit. At fidem iurârat Amurathi. Equidem eam frangi non probarem, nisi fœdera

fœdera pacta tyrannus violâsset prior; eíque, cui Deus æquè ac ipsi gladium dederat. Iura diuina & humana pro Scanderbeio militabant: nec temerè quicquam aggressus est, quandò vim à se & patria sua fortiter propulsauit. Vnde laudem fortissimi herois, inter Principes Christianos meritò obtinet. In re simili Principibus ius idem est, ac semper fuit. De priuatis hominibus, populóque, quibus ius gladij Deus non dedit, vel quondàm datum abstulit, aliud iudico.

Ianizari autem baptismo Christi tincti, nullo sacramento se possunt astringere, vt in fide Turcici imperatoris maneant, quæ ad impietatem compellit, atque eos in ea retinet: percutere tamen tyrannum, quamdiu sub eo militant, nec transierunt ad alium Principem, penes quem est legitima coërcendi malos, & necandi tyrannos authoritas, religio non sinit.

Cæteris, à quibus nihil exigitur Christianæ religioni contrarium, in fide data, & in pactis ac fœderibus cum tyranno initis, est manendum. Daniel & eius socij Babylonio Regi fidem seruârunt, & in omnibus dicto audientes fuêre, quamdiù nihil imperauit, quod esset impium.

Sunt enim duo quædam distincta ab inuicem in tyrannis consideranda. Primum est imperij potestas, quæ à Deo est, bona, vtilis, & necessaria conseruandæ societati humanæ; alterum est, improbitas tyranni, qui aut potestatem illam malis artibus est adeptus, aut eâ malè vtitur. Qui potestati illi parent, rei bonæ, & Dei ordinationi parent: nihil eis nocere potest peccatum tyranni. Gratiâ exempli, Saul, Ahab, Nero, quòd fuerunt tyranni, ipsorum peccatum fuit, id neminem contaminare potuit. Regia potestas data tyranno, Dei donum fuit, cui qui paruerunt, Deo obtemperârunt, non tyranno.

CAP. XXXIX.

Fidem suam Romano Episcopo nemo obligare potest, quòd sine impietate quis ei subiici, aut tanquam Episcopo, aut tanquam Principi, nequeat.

VErùm vbi illa potestas innititur sacrilegæ blasphemiæ, quæ ad impietatem & iniquitatem impellit; iusto Deo irati iudicio concessa diabolo & membris eius, tenebrarum potestas est: & illi potestati qui se obsequentem præbet, se sceleri atque impietati deuouet. Mori ergò, ac quæuis extrema pati præstat, quàm impietatis fieri cultorem. Tyranni qui tali potestate sunt præditi, bis sunt miseri, & ipsa ambitione, & ambitæ rei possessione.

Romano Episcopo fidem suam nullo sacramento Christianus obligare potest, in ijs quæ dominationem illam concernunt, quam sibi sub nomine Vicarij Domini nostri Iesu Christi vendicat; quoniam mendacio nititur, & sacrilego errore. Mentitur enim se eum esse, qui non est; & errant, qui ea potestate, quam iactitat, credunt esse præditum. Si tamen res esset media, & impietatis expers, & vnius tantùm temporis, reuerentiæ nominis Dei nonnihil tribuendum ducerem. Posteaquàm autem ita res est, vt fides ei seruari sine impietate nequeat, nulla obligatio tenet. Eò enim ventum est, vt veri Dei cultores apud eum aut blasphemare cogantur, aut mori; alia conditione secum eos viuere non patitur. Sicubi autem conniuetur, contra ipsius voluntatem fit.

CAP. XL.

Christianorum Principum, & Episcoporum, qui ciuilem potestatem exercent, imperio parere, nihil habet impietatis. Papæ Romani, Mahumetis, Calypharum, & Iohannis Leidani, alia est ratio.

PRincipum, qui Meretricis magnæ poculo sunt inebriati, & cum ea scortantur, alia est ratio. Habent enim potestatem ciuilem, quæ nec sacrilego errore, nec mendacio nititur, sed ordinatione diuina, & iure gentium: cui se subijcere liquidò possunt Christiani fideles, citra Christi Domini iniuriam, vllámue pietatis Christianæ violationem. Idem iudico de Episcopis, qui Duces aut Comites sunt, & feuda illa cum imperio ciuili coniuncta, accepta ferûnt veris & legitimis summis imperijs Imperatorum, Regúmue. Si patiantur cum alijs suis subiectis viuere Christi fideles, fides & obedientia inuiolabilis est eis seruanda, non secùs quàm

quàm alijs Principibus. Si verò perſecutionem contra veros Chriſti fideles ob papiſticam idololatriam moueant; nullum tamen ius eſt priuatis vim illam armis repellẽdi, quòd viri Eccleſiaſtici ſint, & ciuilis poteſtatis vſurpatores habeantur.

Nam à Romano Epiſcopo diuerſi ſunt, quòd ciuilem illam poteſtatem non miſceant, tanquàm iure diuino debitam, Eccleſiaſticæ ſuæ functioni: ſed ſe habeant in temporalibus more aliorum vaſſallorum, qui Superiorem & dominum agnoſcunt, fidemque debitam præſtant. Proindè non fas eſt ſubditis, in hos tyrannos aut coniurare, aut arma capere. Deo permittendi ſunt, qui ſimul cum Papatu hos euertet, tantoque citiùs, quo ſe crudeliùs gerent erga innocentes.

Nam id audeo prædicere, diutiùs ibi Papatum duraturum, vbi veri Chriſtiani viuere pari iure cum cæteris ciuibus permittuntur, quàm vbi omni ſuppliciorum genere in eos ſæuitur. In Sodomis ſi inuenti fuiſſent decem iuſti, illæ vrbes permanſiſſent incolumes. Malis à Deo propter bonos benefit: interitum autem ſibi accelerabit crudelitas pontificia. Multùm ſemper profuit, prodeſt, ac proderit imperijs, pios viros habuiſſe in gratia & fauore. Eorum fides in ſuum Principem, etiam tyrannum, ſyncerior, & obedientia promptior eſt, quàm cæterorum ſubditorum. Ioſeph AEgyptijs ſeruator fuit, & prouentus Regis ſui auxit. Nebuchadnezari Babyloniorum, Daniel cum ſocijs magno vſui fuit. Eſdras, Nehemias, Mardocheus, Perſarum regibus ob virtutem & fidem gratioſi fuêre, & magno in pretio habiti. Iſraëli Elias currus & auriga fuit: Elizeus ei ſucceſſit. Per eos ſub impijs regibus Deus reſtitutione veræ doctrinæ, & pluribus Reipublicæ commoditatibus populum ſuum recreauit; illis eiectis, calamitas; receptis, ſtatim Dei benignitas præſtò fuit. In fide & obedientia Iſraëlitæ Regum ſuorum manere potuerunt, quamuis ab eis in religione diſſentirent, & Deum Hieroſolymis colerent; alia res erat regnum, alia res diuini cultus deprauatio. In Iſraële nouum regnum defectionem à vero Dei cultu peperit, non defectio regnum. Stare regnum incolume potuit ſine Ieroboami impietate, quamuis ei & ſucceſſoribus aliud viſum fuerit.

Seditioſum arbitror quod quidam Pontificijs infenſi adfirmare audent, iuriſdictionem temporalem Prælatorum Eccleſiaſticorum per ſe ipſam nullam eſſe: *quandoquidem nec principes eâ ſe exuere aut ſpoliare, nec Eccleſiaſtici eam, vel à regibus vel à populis ſuſcipere potuerunt, nedum vt vi, ac doloſis artibus eam vſurpare debuerint, vt eos feciſſe conſtat in potiſſima mundi parte.* Dolos & fraudes Eccleſiaſticorum vt ego deteſtor, ita principatum in illis veneror, quamdiù eum partem Eccleſiaſtici ſui miniſterij non faciunt, nec ita coniungunt vt ſeparari non poſſint. Quos ſi contingat, relicto Romanõ Epiſcopo, & Eccleſiæ Romanæ idololatriâ, Chriſti recipere Euangelium, & Epiſcopos remanere ſimul & principes (ſi regno & reipublicæ interſit) poſſe cenſeo. Sunt enim homines, ſunt & ciues. Epiſcopatus, ſiue verus, ſiue falſus, ſiue corruptus is ſit, eos nec ſocietate hominum, nec ciuium eijcit; neq; eis iura gentium ſuorúmque ciuium adimit, quo minùs pari iure cum cæteris hominibus cenſeri debeant, eíſque omnibus vti, fruíque, quibus cæteri mortales ciuéſque fruuntur. Si verò ita implicitus eſſet principatus impietati, & impietas principatui, vt alterum ab altero diuelli nequiret, vtrumque pariter eſſet abijciendũ.

Patrum noſtrorum & noſtrâ memoriâ, Monaſterienſes Anabaptiſtæ Regem creârunt. Quod tametſi ipſis malum, infœlix, infauſtumque fuerit; malis nondum ſatis edocti, pergunt qui in eodem verſantur errore, furores illos defendere, & Regem & regnum clàm habere, exterminandi impiorum, & tabernaculi Iacob erigendi opportunitatem expectantes. Si iratus Deus alicui genti, conatus iſtorum hominum iuuerit, nunquàm eorum tyranni tempore Reges legitimi fieri poterunt. Ipſos enim deficit ius gentium, & ſola religio & ſacra authoritas verbi Dei falsò prætenditur, atque tanquàm fundamentum huius regni, cui innitatur, ſubſternitur. Si ab impietatis errore more aliarum gentium ſemotum regnum, per faſque nefaſque haberent, tempus & iuſta regiminis moderatio tyrannidem apud homines aboleret.

Qui regiam poteſtatem Calyphis ademerunt, Mahumeticis retentis erroribus, regnum & iura ciuilis Magiſtratus ab illa ſuperſtitione ſeparârunt, & aliud eſſe crediderunt Regem, aut tyrannum eſſe, aliud Antiſtitem Mahumeticæ impietatis. Iſti Chriſtianorum fieri amici, aut etiam abiurata ſuperſtitione Chriſtiani, vt regna ſua retineant, poſſunt. Quod nec Romano Epiſcopo, nec Machumeti, nec Calyphis, nec Ioanni Leidano, nec alijs

alijs huius generis tyrānis potest contingere: quia regni nullum ius, nisi quod ab impostura & impietate profectum est, habent; quá explosâ, & regnum vnà simul ex ipsorum manibus excutitur.

Plurimum interest inter tyrannos qui impietatem Mahumeticam receperunt, & illos quibus ipsa regnum attulit. Illic superstitio authoritate regia defenditur, hîc superstitione regnum nascitur; quæ si perit, regnum vnà collabitur. Muleasem hominem Mahumeticæ sectæ, Carolus Cæsar, pulsũ regno à Barbarossa, restituit, vtpotè qui vicinus, & amicus erat. Alia enim res est regnum, alia res superstitio. Fœdera & amicitiæ inter Reges diuersæ religionis intercedere possunt, quamdiu ea quæ est alterius, ab iniuria immunis est, nec vllum superstitio pietati molitur exitium. Aliàs quomodò constare possit amicitia, non video. Abraham, Dauid, Salomon, cum vicinis Regibus fœdere iuncti fuerunt, & amicitiam coluerunt. Nec tam fœdera populi Dei cum AEgyptijs à Prophetis reprehenduntur, quàm fiducia auxilij, quod ab illis expectabant, quo se tutos fore sperabant contra Dei comminationes.

CAP. XLI.

Tametsi perpetua sit Ottomannici imperij iniuria in Christianos, non tamen fœdera, cum eo inita, violare Christianis est integrum.

OTtomānicum imperium Christiano nomini est inimicum, & illud iniuriâ, quâ nulla maior excogitari potest, afficit; quandò pueros Christi charactere insignitos, à complexibus parentum auellit, non ad seruitutem corporis (ferendum hoc esset,) sed vt abnegato Christo, impietatis Mahumeticæ fiant mancipia, & nati Christianis, Christianorum, & patrum suorum hostes fiant infensissimi. Dum hæc durabit iniuria in Christianos, tyrannidem Ottomannicæ stirpis (vt taceam cætera) nullum tempus abolere poterit.

Mameluchorum regnum Christo similiter bellum indixerat, qui tanto Ianizaris Turcici Imperatoris erant sceleratiores, quòd isti vltrò suo consilio, viri facti, Christum abnegabant; illi alieno coacti, & adhûc pueri. Tametsi subditis nec in hos tyrannos vlla sit, fuerítue potestas, manet tamen æternum ius Christianis Principibus vlciscendi hanc iniuriam, & oppressum tyrannide liberandi populum. Quod non ita velim à me dictum accipi, tanquàm violare liceat fœdera, promissáque, aut inducias, si quæ cum eis sint pactæ, ac interueniente nominis Dei sacramento confirmatæ; sed vt tempore exacto, aut iure gentium à tyrannis violato, quod ad ipsorum pertinet officium Principes Christiani cogitent. Quòd si Mahumeticæ sectæ, aut alterius cuiusuis Principes ab iniuria publica Christiani nominis abstinent, nec in perniciem nostram coniurârunt; ad fidem Christi bello cogendos non censeo.

CAP. XLII.

Diuersa contrariáque religio non est iusta vicinis belli inferendi causa.

EVit tempus quandò Principes Christiani idoneam inferendi belli causam rebantur, si qua gens diuersam profiteretur religionem. Inferendo bellum incredulis (quæ erat illius seculi ignorantia) credebant se Seruatoris nostri mortem vlcisci, ac si omnes increduli essent Iudæi, & Romani illi, qui Dominum Iesum crucifixerunt, aut ab illis orti.

Nobilitas Franciæ quondàm cum socijs vicinis collecta manu transiêre in Africam, & vrbem eiusdem nominis obsederunt. Reges illarum orarum per suos caduceatores, & legatos, quæ essent belli causæ scire cupiebãt. Nihil enim meminerãt se in Francos peccâsse, aut quicquam ademisse, quod bello aut vlciscendum, aut repetendum esset. Duces responderunt, se aduenisse vindices mortis Domini nostri, quem maiores eorum crucifixissent. Mauri, audito hoc responso, mirabantur pœnas de crucifixo Domino ab ipsis reposci, cuius nec ipsi, nec eorum maiores authores fuerant. Renunciari ergo iubent causam, quæ prætendebatur, esse nullam. Iudaicam enim gentem cum Romanis id perpetrâsse. Iudæos verò non minùs se detestari, quàm Christiani. Muti ad hæc nostri, domum, vnde venerant, nulla re, quæ sit alicuius momenti, gestâ, redierunt.

Hæc noto, ne quis putet tyrannos esse omnes, qui religionem sequuntur diuersam à nostra, belloque persequendos.

Istæ differentiæ quas recensui notandæ sunt ijs, qui de tyrannis rectè iudicare volunt, & quatenùs eis parendum sit, quíque non sint violandi: & qui per legem Dei, & iura gentium, in ordinem cogi, & regno deturbari, aut etiam necari possint, & à quibus, & quando, docere est propositum.

Tyrannos quosdam deserere, atque etiam in eos coniurare fas esse, ex ijs quæ diximus, apparet; nempè quandò citrà impietatem, aut proximi iniuriam sub ipsorum imperio viuere non datur: sed eos percuti à subditis, aut in eos coniurare priuata authoritate, non probari. Auspicijs supremæ authoritatis illa res semper opus habet.

CAPVT XLIII.

Necare tyrannum priuatis non licet, nisi mandat is cui per leges in tyrannum ius est.

QVamuis præclara gentiles tyrannoctonëia cuiuis proposuerint, qui tyrannum necâsset, ac vulgò persuasum habuerint, victimam nullam gratiorem Ioui, mactari tyranno: ratione tamen victi, & æquitate rei, philosophicas ratiocinationes suis destruxerunt legibus, quæ indemnatũ quempiam necari, aut non auditum condemnari vetant. Et quamuis scelerati hominis nota sint malefacta multa, magna, atrocia, nemini priuato in eum animaduertendi potestatem faciunt; sed expectari volunt iudicis sententiam. Sed ne sic quidem adiudicatum morti reum, carnifex interficit, nisi iussus à Iudice, & ex eius præscripto, non vt sibi videbitur. Et est quisquam tantæ temeritatis & audaciæ, qui Regem non auditum, non damnatum, audeat percutere?

Inter cæteras belli leges hæc vna erat, vt contra hostem pugnare nemini, qui sacramento militiæ authoratus non esset, liceret. Nota est historia Pompilij & Catonis, cùm ille Imperator teneret prouinciam Macedoniæ in bello Persico, & vnam legionem dimisisset, in qua Catonis filius militabat: exauthoratum eum cùm audisset pater, ad Pompilium scripsit, vt si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento; quia, priore amisso, iure pugnare cum hostibus non poterat. *Adeò* (inquit Tullius) *summa erat obseruatio in bello mouendo. In epistola ad Marcum filium scripsit Cato, se audisse eum missum factum esse à Consule. Monet igitur vt caueat ne prælium ineat. Negat enim ius esse, qui miles non sit, pugnare cum hoste.*

Hostis patriæ priùs declarandus est publico iudicio eorum, penes quos est imperium. Contra eum autem nec sic quidem arma capere licet, antequàm quis ad eam rem authoratus fuerit. Militi eruentum gladium ostentanti, & insolentiùs iactanti, quòd Othonem interfecisset, Galba, cuius in primis id verum esse intererat, respondit; Commilito, quis iussit?

Demus tyrannum hostem esse patriæ, priùs præcedat iudicium oportet, quo denuntietur tyrannus, & deinde authoratum eum esse qui percutiet. Aliâs qua authoritate eum audet ferire priuatus? à quo iussus? quo sacramento militiæ authoratus? sub cuius Imperatoris auspicijs? Quotquot Monarchæ subiecti sunt, eius respectu priuati cùm sint, difficile, ne dicam impossibile, est haberi iudicium. Quid si non omnibus, sed paucis quibusdam videatur? Quid si pluribus, & tamen reuera tyrannus non sit? Malis bonus Rex videri potest tyrannus, sicut Moses Choræ, Dathani, & Abironi, & ipsi populo (à quo, nisi prohibuisset Deus, lapidibus fuisset obrutus) visus est. Ad tyrannidem aspiranti, legitimum facile est Regem insimulare tyrannidis.

Agè, sit tyrannus. Quid si placeat & probetur à maiore parte regni? Quid si vtilis sit & necessarius reipublicæ? Vt horum nihil sit, qui sacramento ei suam obstrinxerunt fidem, nullo iure eum possunt tangere.

Viriatus à suis est interfectus, postquàm quatuordecim annos Hispanias aduersùm Romanos mouisset. Pastor ouium primò fuerat, mox latronũ dux, postremò tantos ad bellum populos concitauit, vt assertor contra Romanos Hispaniæ putaretur. Sed cùm interfectores eius præmium à Cepione Consule peterent, responsum est, Nunquàm Romanis placuisse, Imperatorem a suis militibus interfici. Sertorius decimo demum anno inchoati belli,

belli, ijsdem quibus & Viriatus, suorum dolis est interfectus: sed percussores præmium ne petendum quidem à Romanis esse duxerunt, quòd mensinerant anteà percussoribus Viriati fuisse negatum.

CAP. XLIIII.

Tyrannorum cædes plerúmque sunt Reip. funestæ, & hoc nomine plures reip. vtiles Principes fuisse sublatos, quam pernicioſos, exempla docent.

SEd hoc notatu dignum arbitror, tyrannorum interfectores qui voluêre videri, non tam vt reip. prodesſent, quàm vt priuatam vlciscerentur inimicitiam, aut vt ipsi tyrannidem occuparent, hoc facinus fuisse aggressos: hinc plerumque violenta morte occubuisse, nunquàm, aut perrarò reip. profuisse. Interfectores Cæsaris post patratam cædem eodem anno malè perierunt, nec remp. liberârunt. Hinc à *Iulii Cæsaris* cæde, si recenseam vsque ad *Constantini Magni* tempora, Romanorum Imperatorum facta, exemplis fiet manifestum, ab interfectoribus suorum Principum priuatam fuisse quæsitam vtilitatem, non publicam; & non tam liberâsse patriam tyrannis, quàm tyrannos commutâsse. Caium Caligulam, Domitianum, ac Commodum insignes tyrannos, domesticorum insidiæ sustulerunt, non consilio liberandi illis monstris remp. sed ne in illas eadem pœnas inciderent, ad quas ipsi, contra alios, tyrannorum animos exasperauerant, fuerantq; ministri. De interfectoribus Caligulæ sumptum fuit supplicium, quod sumendum etiam erat de ijs, qui Domitianum, & Commodum sustulêre, si res in iudicium adducta fuisset.

Omnium odio, quo dignus erat, perijt Nero: sed quo rerum successu? Iure quidem à Senatu damnatus fuerit; respublica tamen nihilo meliùs habuit. Vno anno, qui mortem eius secutus est, plus ciuilis sanguinis est effusum, quàm nouem annorum ipsius tyrannis fuderat. *Tacitus lib. 1. hist.* ita scribit: *Finis Neronis vt lætus primo gaudentium impetu fuerat; ita varios motus animorum, non in vrbe apud patres, apud populum, apud vrbanum militem, sed omnes legiones, duceſq; conciuerat, euulgato imperij arcano, posse Principem alibi quàm Romæ fieri.* Spes in Galba & Pisone eius filio melior affulgebat: ea fallere potuit, si tam breui spatio non fefellit. Esto, fuerit certa. Summi imperij reuerentiâ semel sublatâ, factum est, vt eodem fato, quo tyranni solent, boni Principes non pauci perierint. Sed quid Otho? Quid Vitellius? Certè Nerone meliores non erant futuri, si superuixissent: mutatus tyrannus, non sublatus fuisset. Dei clementia Vespasianum dedit & Titum, non hominum per cædes Principum grassantium prudentia.

Sublato Domitiano, qui Nerone sceleribus non fuit inferior, patri fratriq́ue dissimilis, series quædam bonorum Principum secuta est vsque ad Commodum. Eum domestici, sicut Domitianum, timore, vt sibi consulerent, non reipublicæ liberandæ causâ necârunt. Prætendebatur tamen ea, quæ erat tyrannis, saluſq́ue reipublicæ; & quæsitus à percussoribus est vir integerrimus Pertinax, quò meliùs parricidij tegeretur turpitudo. Sed eò progressa erat militaris licentia, vt probos Imperatores non ferret. Qui Commodum passi fuerant virum pessimum, non tulerunt Pertinacem. Eandem qui Imperatoris creandi potestatem esse suam, simul & exauthorandi, atque necandi, arbitrabantur; exponere auctioni orbis terrarum imperium ausi sunt. Et inuentus est Didius Iulianus, qui illud à militibus emeret, falsò ratus sibi fore fidos, quos auro mercatus esset. Mercedem ergò tulit, quæ à prædonibus expectanda est.

Ad Seuerum imperium peruenit, qui percussores Pertinacis vltus est. Hic tolerabilis Princeps fato suo mortuus est, à percussoribus liber, nimirùm parricidiorum vltor; eo tamen meliores, non rarò milites obtruncârunt. Bassianus Caracalla regnum velut hæreditarium à patre accepit, & Getam fratrẽ, quem imperij consortem pater legauerat, in sinu matris propria manu cõfodit. Hic plurimos Senatorij ordinis viros interfecit, & inter eos Papinianũ, quòd necem fratris Getæ excusare nollet, diceretq́;, Non æquè facile esse parricidium excusare, ac facere. Et hic parricida incestuosus & crudelis tytannus, fuit dignus (si tyrannos necare fas esset) in quẽ milites suo iure vterentur. Macrinus eum interfici curauit, vt ipse in imperiũ succederet. Qualis qualis autem hic fuit, aut se esse simulauit, eodẽ iure quo Bassianum interemerat, similiter perijt. Nomen Bassiani militibus gratum erat: ei ergo filium in Syria superstitem educari audito, exercitus ad eum defecit, & Macrinum

cum filio Diadumeno iugulârunt, ei remensâ mensurâ, quâ erga suum Imperatorem vsus fuerat.

Quamdiù in animis hominum insidebit, quicunque illi sunt, tyrannos de medio tollere, rem esse laude dignam, & vtilem reip. quandocunque eos tædium capiet sui Principis, tyrannus erit, nullaque innocentia eum tutari ab improbitate multitudinis poterit. Heliogabalum igitur militaris fauor Imperatorem fecit, quo homine sol nihil vnquam vidit fœdius, nihil tetrius. Huius cædem fortè nemo accusaret, si se intra hos limites effrænis militum licentia contineret, & non nisi malos & pernicioſos humano generi tolleret tyrannos. Sed probi mores, vitæque integritas, Alexandrum Seuerum bonum Principem ab hac iniuria non protexit. Eum quoque cum matre Mammea militaris furor abstulit, vt in eius locum Thrax, infimo loco obscurus homo, succederet: quem propter corporis vastitatem, & crudelitatem morum, alij Cyclopem, alij Busiriden, alij Antæum nominabant: sed ipse etiam militibus suis meritas pœnas dedit.

Gordianum tertium Senatus Imperatorem fecit, qui sapiens, pudicus, & iustus fuit gubernator, amans iustitiæ, & à crudelitate alienus: hunc tamen Philippus opprobrium Christiani nominis, Præfectus Prætorio factus, sustulit. Verùm tunc quando Imperatorem suum neci dedit, fuisse Christianum non arbitror, si ex disciplina Ecclesiæ illius ætatis, Christianus æstimandus est. Vibius Gallus cum filio Volusiano, præter suum meritum destituti à militibus, apud forum *Flaminium* sunt interfecti. Æmilianus sex mensium Imperator simili defectione suorum perijt.

De Valeriano patre nihil dico. Galienus improbus fuit: sub eius imperio legiones per prouincias, sibi Imperatores varios delegêre; indè per totum imperium magni motus nati sunt: tandem Galienus cum fratre Valeriano circa Mediolanũ interfecti sunt. Quintilius Flauij Claudij frater à Senatu Augustus est appellatus; vir nulla in re fratre suo inferior: sed paulò post Aquileiæ interficitur. Aurelio imperium ab exercitu offertur, qui & fraude quorundam non procul à Byzantio cæsus est. Taciti verò optimi Principis, quẽ tantus patrum, militum, populique consensus, quo nullus maior vnquàm fuit, inuitum ad imperium traxerat, nec sanctitas, nec modestia impedire potuit barbari militis crudelitatem, nè & hunc interficeret. Quòd Flauianum Taciti fratrem, qui iniussu patrum imperium, tanquàm hæreditarium esset, arripuit, Tarsi obtruncârunt, mirum videri non deberet, si aut tantùm bonos, aut tantùm malos tulissent; sed quòd neque bonos neque malos Principes ferre potuerint, mirum est eis, qui vndè profecta tam desperata sit audacia ignorant. Eam nunc reuocant, quotquot inferioribus ordinibus superiores, summosque Reges coërcendi potestatem adserunt.

Probus Imperator re & nomine, tyrannos, qui multi erant, & imperij nomen & insignia adsumpserant, per vniuersum imperium extinxit: tandem tamen à militibus suis interemptus est. Numerianum, vt patri Caro succederet in imperio, propter virtutem Senatus & exercitus elegerant; sed hunc Arius Aper ipsius socer occidit, vt in se transferret imperium. Quod ægrè ferens exercitus, Diocletianum elegit, qui Aprum interfecit. Carinus verò Heliogabali magis similis, quàm patris aut fratris, à militibus suis est occisus. Diocletianus & Maximianus priuati perierunt, alter sua manu, alter à militibus, iussu Constantini interfectus. Maxentius victus à Constantino suffocatus est in flumine, Maximinus à vermibus corrosus interijt, Licinius postremus malè perijt.

A Iulio Cæsare vsque ad Constantinum Magnum, nominis alicuius fuêre numero 45. Cæsares, ex quibus tantùm 15. placida morte quieuerunt; cæteros 30. (inter quos alij fuêre boni Principes, qui cæderentur indigni; alij poterant ferri, & eorum qui reuerà tyranni erant, nemo fuit qui in tyrannorum catalogum ab interfectoribus debuerit referri) milites sustulerunt.

Milites qui suos iugulârunt Imperatores, quis excusare potest? Pridiè ante cædem per genios iurabant Imperatorum, pro eorum salute vota nuncupabant, & Dijs sacra faciebant. Vndè tam subita mutatio, vt quos paulo antè omni obseruantiâ & honore coluerant, repentè fierent tyranni, digni in quos sæuirent crudeliùs quàm in hostem, nullo duce mandante, nullo Imperatore, sine auspicijs, sine sacramento?

Exempla plura quipetit, à Constantino vsque ad excidium Constantinopolitani imperij legat historias. Græca si quis requirat, ab Alexandri Magni morte, vsque ad totalem

talem imperij illius reductionem sub Romanis, legat historias illorum temporum, & cædes Tyrannorum & Regum quæ occurrent; inueniet istis quas recensui pares. Libet tamen Græcæ historiæ vnum hûc adferre exemplum. Dionysius Syracusanus omniũ iudicio tyrannus fuit, & qui eum eiecit, Dionem inter tyrannoctonos tenere primas, multi credũt: tamen propriæ iniuriæ fuit vltor; deindè popularem statum Syracusis restituere in animo nunquàm habuit. In corruptissimo illo Syracusano populo, libertatem nunquàm probauit; ea tamen prætendebatur. Aristocraticum statum animo secum versabat, scilicet qui æqualem ferre nequiuit, & Heraclidem necari passus est. Inuenit autem & ipse percussorem, amicum & hospitem Callippum, qui pòst quoque perfidiæ suæ iustas pœnas dedit.

Vetus militaris disciplina hoc habebat, vt ne in legitimo quidem bello, nec cum hoste legitimo, pugnare ipsi tribuni ducésue ordinum auderent, non iussi ab Imperatore, ne fortè temerè pugnaretur, cum totius exercitus periculo: cuius rei iudicium non est cuiuslibet, sed solius Imperatoris. Et qui hanc belli legem violârunt, etiam vbi prosperè fuit pugnatum, peritis bellandi imperatoribus temeritatis pœnas dederunt: qui sic partam victoriam casui, non virtuti tribuebant. Huius seruandæ disciplinæ adeò studiosos fuisse Romanos legimus, vt patres natis priuari maluerint, quàm hunc ab ipsis militiæ turbari ordinem. Posthumius Dictator Aulum Posthumium filium victorem securi feriri iussit, quòd non suo iussu castris egressus hostes fuderat. Item Manlius Torquatus Consul simili pœnâ filium quoque affecit, quòd prouocatus à Geminio Metio Tusculanorum duce, cum eo, se inscio, dimicâsset; satius esse iudicans, inquit Valerius, patrem filio forti, quàm patriam militari disciplinâ carere. Nunquàm Papyrij Dictatoris seueritatem, in re simili, Quintus Fabius magister equitum, qui ausus fuerat contra ipsius mandatum, eo absente, cum Samnitibus congredi, euasisset; nec eum victoria, nec generis nobilitas, nec patris Dictatura, nec tres patris Consulatus protexissent; si non Tribunitia potestas, populique fauor eum pœnâ subtraxissent: victoriam de hoste partam capite luisset.

Si quos authoritas publica gladio cinxit, belli leges non sinunt eum exercere, nisi ad mandatum Imperatoris; qua fretus audacia, nuper priuatus cucullatus fraterculus perfidè sub specie amicitiæ, venenato cultro suum Regem petijt? priuatus, inquam, non quilibet è vulgo, sed mundo, mundique rebus mortuus, à ferro & sanguine professione remotus, de quo nulla huiusmodi habebatur suspicio: cui si militiam iustam imperâsset Rex, religionem obtendisset, nec sibi fas esse arma tractare: coactus verò, de vi & tyrannide quæstus esset. Sed benè res habet, quòd lupina rabies ouis tecta vellere se prodat: ex vno, Christiani, discite cæteros: sunt sibi omnes persimiles, qui faciunt, factumque probant, atque defendunt.

Si hoc demus, Tyrannos posse indemnatos interfici, vita optimi cuiusque Principis nusquam tuta erit. Semper enim exposita audaciæ atque libidini desperatissimi cuiusque, cui tyrannus videbitur, manebit. Dolo bis appetitus princeps Auraicus, tandem occubuit. Si sacrosanctum Maiestatis tuæ caput, regina Elizabetha, Deus suâ prouidentiâ tutatus non esset, iam olim conspiratione malorum perijsses. Quis consilia, fraudes, coniurationes, quas hoc hominum genus in te, in regnum tuum, machinari non destitit, hos triginta quatuor imperij tui annos, recenseat? Quocircà si periculo inuoluuntur eodem cum tyrannis etiam boni Principes, & ex cæde tyranni non minus periculi toti reipublicæ impendet, quàm si infœliciter pugnetur cum hoste; valeat pestilens opinio, quæ tyrannos necari à priuatis fas esse ducit. Multos cæsos narrant historiæ tyrannos; sed rarò cum vtilitate publica. Si quid boni inde eueniat; casus est, non percussoris virtus.

CAPVT XLV.

Apostolica doctrina iubet quosuis Christianos, cuiuscunque sint gradus aut ordinis, tyrannicis potestatibus parere.

SEd antequàm vlteriùs in hac quæstione progrediar, præmittendum est, quod Dei verbum nos docet, de obedientia summis imperijs debita, penes quemcunque illa sit, siue penes plures, optimates, aut populum; siue penes vnum, nempe Regem, Dominum, aut Tyrannum: sic enim facilius ad contrarias rationes respondebitur. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto,* (inquit Apo-

ſtolus Paulus.) *Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo; & quæ ſunt poteſtates, ſunt à Deo ordinatæ. Itaque quiſquis ſe opponit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi condemnationem afferent.* Hic audimus poteſtates eſſe à Deo; vnde imperia & dominia non obtineri humanis viribus & conſilijs intelligitur: nec ea eſſe populi procerúmue beneficia, ſed Dei dona. Prophetica & Apoſtolica doctrina rectà nos vbique ad Deum, non ad homines reſpicere iubet.

Quoties enim ad externa reſpicimus media, quibus ad regnum peruenitur, & quinam ſint quos ad tantam maieſtatem euectos videmus, à veritate facilè abducimur. Notum eſt ſub quibus Imperatoribus Paulus vixerit. Sub Claudio hæc Epiſtola ſcripta fuit, quando multi ſeditioſi Iudæi, prætextu nouæ libertatis, magnos tumultus mouebant: à quibus vt deterreret Chriſtianos, in omnibus ſuis Epiſtolis magno ſtudio obedientiam & ſubiectionem inculcat. Ad Titum, *Suggere* (inquit) *ipſis, vt ſeſe ſubijciant principatibus, & poteſtatibus, vt obtemperent, & vt ad omne opus bonum ſint parati.* Et Apoſtolus Petrus idem monet in prima ſua Catholica. *Subiecti eſtote (inquit) cuiuis humanæ ordinationi propter Dominum, ſiue Regi, vt qui ſupereminet, ſiue Præſidibus, vt qui per eum mittantur, tum ad vltionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentium; quoniam ita eſt voluntas Dei, vt benè agendo obmuteſcere faciatis amentium hominum ignorantiam.* Graues cauſæ mouebant Apoſtolos, vt tam ſeriò & toties præcepta de ſubiectione repeterent. Videbant Iudæorum conſilia ad rebellionem ſpectare, inter quos & Chriſtianos in illis initijs Eccleſiæ, Gentiles diſcrimen facere non facilè poterant. Inualuerat Sadoci, & Iudæ Gaulonitæ hæreſis, quæ tandem exitium illi genti attulit. Et cùm multi ex Iudæis ad fidem conuerterentur, quorum ingens & libertatis, & politiæ, & regni externi amor animos permouebat; & Imperatorum palàm impia & flagitioſa vita, & dominatio duriſſima, deſiderium afferebat regni, quale fuiſſe legebant ſub Dauide, & Salomone, ac alijs pijs Regibus, & ſub Meſſiah futurum ſperabant; facilè ad res nouas & ad reſiſtendum Imperatoribus pertrahi poterant. Quid mirum ſi humanæ iſtæ cogitationes animos credentium, & nuper ad fidem conuerſorum turbàrint? cùm ipſi Apoſtoli, quamdiù cum eis Dominus vixit in terris, illas abijcere non potuerint, quin ſemper nouum cogitarent regnum; pium nempè & moderatum, contrarium Romanorum & aliarum gentium moribus; terrenum tamen, quale fuerat Dauidis & Salomonis. Quocirca inprimis fuêre iſtæ admonitiones neceſſariæ Chriſtianis omnibus, vt ſcirent regna impiorum Regum eſſe profecta à Deo: proindè eorum imperio eſſe quoque parendum. Humanum iudicium fallit in hac re, quandò iniquum iudicat, vt malis ſubijciantur boni; & contrà æquũ eſſe, vt mali pareant bonis. Diuinæ prouidentiæ pro huius vitæ tempore aliud viſum eſt: ipſa namque prudenter hominibus malis vtitur, ad humanas res gubernandas. Quapropter non ſecùs malis regibus eſt obtemperandum, quàm bonis. Multa nos latent: omnia Deo patent; qui meliùs nobis nouit, quid humanis rebus & huius vitæ temporibus expediat, & magis neceſſarium ſit. Mali non ſemper ferunt bonos rectores: meliùs à malis reguntur & affliguntur mali: ſimiléſque amant labra lactucas.

Et nequis putâret hæc à Paulo præcipi, ſcandali tantùm vitandi cauſâ, aut pœnarum, quas leges decernunt contemptoribus Maieſtatis, ſummam complexus ratiocinationis ſuæ, addit: *Quapropter neceſſe eſt ſubijci, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quibus verbis religione conſcientias obſtringit, & ad Dei tribunal eos, qui imperium poteſtatis ſupereminentis detrectare audent, reuocat. *Dei* (inquit) *miniſter eſt tuo bono*: iniuria Dei miniſtro facta recidit in dominum: & impia eſt ingratitudo, eum audere contemnere, quem ad ſuam vtilitatem audit à Deo conſtitutum eſſe. Et Diuus Petrus propter Dominum vult Chriſtianos ſubiectionis, & ſeruitutis ferre iugum (idque cum omni timore) non eorum tantùm qui boni & æqui ſunt, ſed etiam improborum.

CAP. XLVI.

Refellitur deprauatio loci Paulini, capitis decimi tertii Epiſtolæ ad Romanos.

Vidam fœdè hunc locum ſua interpretatione deprauat, vt tueatur quam ſibi finxit in regnis poteſtatem procerum, & populi ſupra Reges, contra hanc Apoſtoli regulam, quæ omnem animam non plebeiorum tantùm, ſed etiam prorſus omnium Magnatum poteſtati ſuperiori ſubijcit. Si Regis autem ſuprema eſt poteſtas, proceres, & vniuerſus populus illi ſunt ſubiecti:

ſubiecti: ſin populi procerúmue poteſtas eminet, Rex ei ſit quoque ſubiectus, oportet: Sed tunc Monarchia euertitur, & Democratia, aut Ariſtocratia conſtituitur. Paulus non explanat, penes quem, ſupereminentem poteſtatem, de qua loquitur, eſſe intellexerit; an penes Senatum populumque Romanum, an penes Cæſares. Sed Petrus occurrit Pauli interpres, qui Regem ſuperiorem eſſe affirmat; ſub quo inferiores conſtituit magiſtratus, qui omnem quam habent poteſtatem ab eo acceperint. In quem nihil iuris habere cenſendi ſunt, vt eum ſibi ſubijciant, cui ipſi ſubiecti ſunt.

Sed operæpretium eſt audire huius loci calumniam; & quibus rationibus confirmetur. Prima, quâ per partes amplificat, *eſt paucitas Chriſtianorũ, qui tunc temporis re tenues erant, priuati, & ignobiles; ac idcircò magis ſollicitos eſſe oportuit de otio domeſtico, & tranquillitate publica, quam de reipublicæ ſtatu, de imperii maieſtate, de Regum vita & officiis; neq; iure quicquam aliud ſibi vendicare poterant, quàm vt ſub imperii qualiſcunque vmbrâ laterent: inſana fuiſſet, ſi tentâſſet reipublicæ gubernacula ad ſe pertrahere: immatura fuiſſet illa luxuries, & idcircò compeſcenda.* Hæc ille. Ad iniuriam Pauli, & Apoſtolicæ doctrinæ nihil dici potuit contumelioſius. Nempè, Paulus vafer & verſutus erat, qui diffiſus viribus, nihil tentandum contra ſtatum imperij illius temporis iudicauit; haud dubiè aliud daturus conſilium, ſi affuiſſet opportunitas opprimendi Caligulam aut Neronem. Quòd ſi Eccleſia multos habuiſſet ex Senatorio ordine, & tantus Chriſtianorum numerus fuiſſet, qui facilè reipublicæ gubernacula ad ſe pertrahere potuiſſet, intempeſtiua illa non fuiſſet luxuries, & per conſequens minimè reprimenda: & Paulus alia vſus eſſet oratione. Præcepta igitur illa Pauli illius tantùm temporis neceſſitati ſeruierunt; nec æternæ & immotæ Dei legi, cui perpetuò ab omnibus parendum eſt, erunt annumeranda.

Sed falſitas huius gloſſematis duobus modis reuincitur; primùm moribus & vſu primorum Chriſtianorum; qui ab Apoſtolis ſic fuerunt inſtituti, vt nedum vim vllam inferre magiſtratui, ſed illatam repellere, flagitioſum iudicârint. Vbi etiam numero & viribus aduerſarios fidei æquârunt, nihil vnquàm eos vi & armis tentâſſe contra publicam poteſtatem legimus. Creuit tamen adeò Chriſtianorum multitudo, ex omnium hominum ordinibus, vt terrorem imperio facilè incutere potuerint, ſi armis aduerſùs vim ſe defendere voluiſſent. Sed ea fuit maiorum noſtrorum virtus & patientia, vt maluerint quoduis tormenti genus perferre, ac fortiter mori, quàm ſuperioris aut inferioris cuiuſquam magiſtratus dignitatem lædere.

Tertullianus ad Scapulam Præſidem Carthaginis ſcribit. *Circa maieſtatem* (inquit) *Imperatoris infamamur; tamen nunquàm Albiniani, nec Nigriani, vel Caſſiani inueniri potuerunt Chriſtiani. Sed iidem ipſi qui per genios eorum in pridiè vſque iurauerant, qui pro ſalute eorum hoſtias fecerant, & vouerant, qui Chriſtianos ſæpè damnauerant, hoſtes eorum ſunt reperti. Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris: quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt vt ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto Romano imperio.* Hæc Tertullianus: ex quo tunc temporis quantus fuerit Chriſtianorum numerus diſcere poſſumus. Is in eodem libro narrat de Ario Antonino Aſiæ Præſide, *quòd cùm religionem inſtanter perſequeretur, omne illius ciuitatis Chriſtiani ante tribunalia eius, ſe manu facta obtulerunt: ille paucis duci iuſſis, reliquis ait.* ὦ δειλοὶ, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνὸς ἢ βρόχος ἔχετε. *Hoc ſi placerit & hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris & fœminis, omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus ſe tibi, quantis ignibus, quantis gladiis opus erit, quùm ipſa Carthago paſſura eſt decimanda, cùm propinquos, cùm Contubernales ſuos illic vnuſquiſque cognouerit, cùm viderit illic fortaſſe & tui ordinis viros, & matronas, & principales quaſque perſonas, & amicorum tuorum vel propinquos vel amicos?* Hæc Tertullianus ibidem, qui in Apologetico ſuo, quid Chriſtiani poſſent non diſſimulauit, ſi vlciſci iniurias libuiſſet, vbi ait, *Si enim hoſtes exortes non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirùm Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque, vnius tamen loci & ſuorum finium gentes quàm totius orbis. Externi ſumus & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis relinquimus templa. Cui bello non idones, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere?* Intellige, priuata authoritate. Nam & in caſtris militabant Chriſtiani. Ex his Tertulliani verbis facilè intelligimus, non inopiâ virium Chriſtianos nihil

tentâsse contra summos magistratus, sed religione. Sic enim ab ipsis Apostolorum temporibus vsque ad illam ætatem fuerant instituti, nihil adversùs potestates esse tentandum: & Seruatorem nostrum & Apostolos sermone & exemplis docuisse, reddere obedientiam magistratibus, didicerant.

Chrysostomus longè melior est huius loci interpres. Sed ipsa Pauli verba suâ secum interpretationem afferunt: nihil opus est eam aliunde peti, quando potestates Imperatorum sui temporis claris & perspicuis verbis ordinationem Dei esse affirmat. *Itaque* (inquit Chrysostomus) *Paulus ait, qui se opponit potestati, Dei ordinationi resistit; apertè condemnans factionum suæ gentis duces, qui miserum populum contra Romanum imperium, prætextu libertatis & religionis, concitabant.* Caligulæ imperiū non minùs Dei ordinatio fuit, quàm Constantini: non minùs Christus Dei fuit Saul, quàm Dauid. In Rege & quouis alio magistratu, non est spectanda personæ virtus, sed præcipiendi authoritas. Non igitur Paulus vitandæ offensionis causâ, illa præcepta scripsit, & alia quæ sunt huius generis plura; sed quòd æquum sit parere potestate publicâ eminentibus, in omnibus ijs quæ non aduersantur diuinis legibus.

CAP. XLVII.

Rationes aduersæ partis confutantur.

NVnc ad fictiones respondendum est, quibus Paulinæ sententiæ veritas peruertitur. Fingere enim quædam nos iubet, ex quibus inferat paucorum quorundam, ad quos scribebat, Apostolum habuisse rationem, non vniuersorum ciuium. *Finge* (inquit) *aliquem è nostris Doctoribus scribere ad Christianos qui sub Turcis viuunt, ad homines (inquam) re tenues, animo demissos, & inermes, & paucos, & ad omnem iniuriam expositos. Quod, rogo, aliud consilium daret, quàm quod Paulus Ecclesiæ quæ tum Romæ erat, quàm quod Ieremias in Assyria exulantibus dedit?* Si pij fuerint Doctores illi qui mentem Pauli rectè teneant, ac Ieremiæ, & eodem mouentur spiritu; nullum aliud consilium daturi sunt quàm quod dederunt illi viri Dei. Nunquàm enim nec violandi iura gentium, nec nouandi res, nec respub. turbandi, nec Regibus, dominis, aut tyrannis bellum mouendi, priuata authoritate, exulanti populo, aut seruitute oppresso authores erunt. Adhortabuntur pios ad fortiter ferendas præsentis vitæ miserias. Est enim Christiana fortitudo quauis seruitute maior.

Turcorum Imperator, non sibi, suis viribus, sine Deo nobis irato, tot regna & tot populos deuicit, ac seruire coëgit: aduersùs quem, quamuis olim iusta fuerit defensio, quandò ignorabatur Dei voluntas, nunc ab ipsis effectis postquàm est satis cognita, rebellio deuictis non est licita. In nouo bello mouendo, non tantùm metiendæ sunt vires & copiæ, sed causa & authoritas concurrant oportet. Vbi alterum horum deficit, bellum iniustum est. At neutrum in populo, qui iam multos annos seruiuit, & subiectus Turco fuit, inuenitur.

Seruanda fides est ei, sub cuius fide quamuis duriter, tranquillè tamen viuitur. Quid igitur, an iniusta sunt arma contra Turcos? Minimè: si tractentur ab ijs, quos Deus gladio armauit. Stringant gladium in hostem, qui ius à Deo acceperunt gladij: non vsurpetur ab ijs quibus illud negauit, aut iam diù abstulit, nisi fortè gladio perire velint. Summorum magistratuum est iustis de causis arma capere, non priuatorum, etiamsi impares suis dominis non sint copijs.

CAP. XLVIII.

Aliud argumentum, quo Apostolica præcepta eluduntur, refellitur.

ALiud argumentum quod affert, est huiusmodi. *Paulus maritorum erga vxores, vxorum erga maritos; parentum in liberos, liberorum erga parentes; seruorum in dominos, mutua diligenter persequitur officia. Magistratus quod sit officium etsi scribat, nominatim eos nusquam compellat: quod ob nullam aliam causam omissum est, quàm quòd nulli tum essent in Ecclesia, ad quos scriberet.* Ergo Paulus eorum hominum ad quos tum scribebat, non autem vniuersorum ciuium rationem habebat. Hanc argumentandi rationem exagitare nolo. Tantùm aio, si hoc modo liceat illudere Scripturas, nihil est tam perspicuè dictum, quod non possit

possit hac ratione quiuis facilè eleuare, ac dicere, Ad rationem illorum temporum, & personarum esse scripta, quæ allegantur: & præcepta Apostolica non pertinere ad omnes mortales, quia paucis quibusdam Ecclesijs scripta sunt.

Quæcunque de officio virorum, vxorum, parentum, liberorum, dominorum & seruorum præcipit Apostolus, ex Dei & naturæ lege desumpta sunt; proindè non eos tantùm ad quos Apostolus scribebat, sed vniuersum hominum genus obligant.

Ea autem, quæ de subiectione & obedientia debita magistratibus scribit, cùm ex eodem fonte sint desumpta, quis dicat nisi peruicax propositi defensor, ad eos tantùm pertinere, ad quos tum scribebat Apostolus? Cur potiùs hoc, quàm illa tantùm ad eos Christianos pertineant, qui tunc temporis viuebant, non etiam ad nos, & in vniuersum ad omnes, qui viuunt sub Regum & magistratuum imperio?

Sed age, fingamus & hoc etiam, Paulum vixisse sub imperio Principum, qui Christianum nomen sunt professi, videlicet sub Constantio Constantini filio, aut sub Iuliano Apostata; quid de his est verisimile Apostolum ad Ecclesias fuisse scripturum? An dicemus si sibi secum consentire vellet, Constantium Arrianæ sectæ sequacem, & Iulianum Apostatam pro legitimis Imperatoribus habiturum non fuisse, & Christianis omnibus interdicturum ne conuictu, ne colloquio, ne consuetudine eorum vterentur? Miseri profectò Ecclesiarum illius temporis Pastores & Episcopi, qui quod esset suum officium ignorârunt; aut si sciuerunt, bis miseri, qui nec eo defungi sunt ausi, sed maiorem hominis mortalis habuerunt rationem, quàm Dei; & quos ciuilium legum pœnis à ciuibus exigendis relinquere debebant, pro Imperatoribus coluerunt. Sed censuræ Ecclesiasticæ rigor illorum temporum, Patres illos ab huius culpæ infamia vindicat. Publicas quidem conceptas preces contra Iulianum legimus; puniendum verò ciuibus, aut mactandum militibus, Episcopos eum exposuisse non legimus. Tantum enim ab effusione sanguinis etiam noxij illorum temporum Episcopi abhorrebant, quantum hodiè innoxium sitiunt Romani. Milites Christianos ad defectionem non solicitârunt, nec à sacramento militiæ, quo suo Imperatori obligabantur, liberârunt, modò integram Christo seruarent fidem. Militare sub impio Imperatore Apostata, vel hæretico, nulla prohibebat religio.

Quamuis Orthodoxi Episcopi multis modis grauiter affligerentur, à fide tamen Imperatorum nemo vnquàm recessit, aut violandam à quoquam censuit. Sacris quidem Christiani populi interdicere *etiam Imperatores*, si qui fortè Episcopi ad suum officium pertinere iudicârunt, imperio tamen deijciendi, aut quemquam suis possessionibus deturbandi potestatem se habere, nunquàm crediderunt.

CAP. XLIX.

Excommunicatio priuat tantùm hominem externâ visibiliq; societate, quam fideles Christiani habent inter se, manentibus cæteris societatis humanæ vinculis.

QVod conuictum, colloquium, & consuetudinem cum excommnicato attinet, illa intelligenda sunt de ijs quæ Christianorum sunt propria, quatenùs Christiani sunt, non quatenùs homines & ciues. Rupto Christianæ societatis vinculo, remanet ciuile & humanum. Iustâ excommunicatione ciuis Ecclesiæ Christi quis esse desinit, idque vsque ad tempus pœnitentiæ; non suæ ciuitatis aut orbis. Is qui Ecclesiâ eijcitur, non è sua domo, & familiâ pellitur: vxor, nati, famuli, excommunicato marito, parenti, domino, manent vt antè obligati; nec eius colloquium, conuictum, aut consuetudinem in his rebus quæ ad familiam pertinent, vitare tenentur: pari ratione nec alij ciues in rebus ciuilibus, & quæ ad hominum pertinent societatem. Qui societate fidelium eiectus est, potest esse debitor, aut creditor, aut vtrumque, à quo repetenda, & cui reddenda erit pecunia. Commercia huius vitæ censura Ecclesiæ nec permutat, nec tollit. Quod Reges legibus ciuilibus censuræ Ecclesiasticæ contemptores coërcent, & puniunt, id ipsis non potest esse fraudi, qui supra suas leges sunt, nec illis vllo iure tenentur.

Tamen & nos quoque fingamus omnes Episcopos illius seculi suum officium ignorâsse, ac eorum neminem Apostolicum habuisse spiritum. Domini nostri institutio extat apud Matthæum, ad eam recurramus; inde discere licet, quo loco habendus sit, qui Ecclesiam audire recusat: *Quodsi Ecclesiam non audierit* (inquit Dominus) *sit tibi sicut Ethnicus*

Ethnicus & Publicanus. At Ethnicis qui mariti, patres, domini, & Reges fidelium fuerunt, Apostolo iubent reddere debita officia; ergo & illa similiter reddenda sunt etiam ijs, quos Ecclesiæ censura eiecit cœtu fidelium.

Si quis dicat, aliam esse rationem Ethnici, & excommunicati, à cuius colloquio & consuetudine adeò alienos Paulus fideles esse vult, vt ne cibum quidem cum eis capiant; cùm tamen de Ethnicis id nusquàm prohibeat, sed liberum permittat eorum interesse cœnis: Respondeo, non de necessariorum officijs, cuiusmodi sunt vxoris erga maritum, liberorum erga parentes, seruorum erga dominos, subditorum erga suum Principem; sed de ijs, quæ beneuolentiæ Christianæ testandæ gratiâ, fideles inter se mutuò exercent, quamuis nullo alio necessitudinis vinculo deuinciantur, Pauli verba esse intelligenda. Vt tota res exemplis planior fiat: sit excõmunicatus quispiam in mortis periculo constitutus, famis, morbi, aut alicuius casus; fame periturum cibabo, læthali morbo laborantem, si eius medendi teneo scientiam, curabo; ex incendio & aqua extraham & seruabo: quia id non tantùm debeo Christianitati, sed naturæ humanæ, & hoc pacto imitabor Samaritani exemplum. Cum socijs excommunicatis contra communem hostem si sit pugnandum, de rebus quæ ad bellum pertinent, & ad oppugnandum hostem, colloquar; si verò ad cœnam me vocent, nec ibo, nec ipse inuitabo.

Sed si maritus, aut parens, aut dominus, aut Princeps sit excommunicatus, à conuictu non abstinebo. Marito, parenti, domino, debentur honor & obsequium, non quatenùs sunt Christiani, sed quatenùs sunt maritus, parens, & dominus. Regũ & subiectorũ eadem est ratio. Propter excommunicationem nemo iure suo cadit; nec à debitis officijs liberantur, qui ad illa iure diuino aut humano obligati sunt. Rex excommunicatus regno suo non idcircò excidit; nec subiecti idcirco liberantur à fide, qua tenentur suo Principi. Non enim paterfamiliâs è sua domo & familia, nec Rex è suo regno potest excommunicari.

CAP. L.

Quòd Episcopus Romanus Reges excommunicandi ius, & ab eorum obedientia subiectos absoluendi vsurpat, aperta tyrannis est.

Vòd Episcopus Romanus sibi ius vsurpauit, solijs deijciendi Reges, & subditos absoluendi ab eorum obedientia & fide, tyrannis est contra Patrum morem, & veteris Ecclesiæ vsum; & tantùm adhûc paulò plus minúsue 600. [a] annos in perniciem omnium regnorum, & inprimìs Rom. imperij, nata. Quòd nonnulli huic tyrannidi paruerunt, aut superstitione inducti, aut factionibus Rom. Episcoporum victi; nihil contra veritatem Euangelicam, & iuris æquitatem præscribit. Ecclesiæ censura nec Dei legem, nec iura gentium euertit. Lege Dei & naturæ, vxor marito, liberi parentibus, serui dominis, subiecti Principibus obligantur. Pacta, conuenta, fœdera, sacramenti religio, lege Dei & iure gentium firma, rata, & inuiolata sunt seruanda. Nulla igitur Ecclesiæ censura (quæ præter Dei gloriam & proximi salutem nihil spectat, ea potest) infringere. Deploranda profectò est humanæ conditionis miseria; quæ religione religionem euertere conatur. Hanc amentiam, non inter humanæ mentis errores, non inter hæreses, sed inter furores quibus funditùs humanæ societatis fundamenta eruuntur, numero.

[a] *Temporibus Gregor. 7. Hon. 3. Innocent. 3 & aliorum.*

CAP. LI.

Soluenda sunt tributa Regibus, eoq; fraudare grauius est peccatum vulgari furto, quo priuati damno afficiuntur.

Idem Apostolus aliud officiũ Principibus & magistratibus debitum notat, quandò ait: *Propter hoc enim etiam tributa soluitis.* Multùm in hac re hodiè peccatur, & nescio qua iudicij peruersitate, sibi, suóque peccato blandiuntur homines; vt nihil in Deum se credant peccare, si Principem suo iure in victigalibus, & tributis, aliísque in rebus defraudent. Hodiè eò ventum est, vt quicquid aut Principibus, aut Ecclesiasticis surripitur, furtum non putetur; cùm tamen alterum sit peculatus, alterum sacrilegij crimen. Et vbi in conciuibus defraudandis, aliquantulum adûc conscientiæ est reliquũ; in publico fisco, &

& ijs quæ ad Ecclesiasticos pertinent, prorsus nihil, modò clàm & impunè esse possit. Tamen inter debita, Spiritus sanctus recensèt tributa, & vectigalia, quandò per Apostolum Paulum omnibus reddi iubet quod debetur, *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.*

Serui si non sufficit vox, ipsum Dominum audiamus: qui interrogatus à Iudæis, an liceret censum dare Cæsari nécne; respondit, *Reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei.* Furari, rapere, fraudare, vel detinere, quæ sunt aliorum quorumuis, peccatum esse omnes intelligunt; Principis verò vel reipublicæ vectigal fraudare, & tributum non soluere, vnde fit, vt peccatum aut nullum, aut certè leue putetur? Magna profectò est humani ingenij peruersitas. Cùm turpius sit furtum liberorum qui expilat suos parentes, quàm qui alienos; longè turpissimum furtum sit oportet, quod in Regem committitur.

Salomon in Prouerbijs, natorum furta in parentes, latrocinio comparat. *Qui subtrahit* (inquit) *aliquid à patre vel à matre, & dicit non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Atque Reges, loco nobis esse parentum diximus; & hoc minimè controuersum est, præceptum de honorandis parentibus, parentum vocabulo Principes, & magistratus significare. Vndè non minùs latrocinium esse furtum factum principi quàm parenti, fit consequens.

De obedientia verò, quæ cæteris eorum mandatis debetur, quid dicam, cùm hodiè non pudeat quosdam palàm docere, leges principum infringere non esse peccatum, & incurri tantùm pœnas constitutas legibus, præterea nihil? Sed parùm intelligunt quid significet illud Pauli, *Necesse esse subiici, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Scio quidem principes laqueum non inijcere conscientijs; & plerumque externam tantummodò respicere politiam, & eorum mandata habere pondus pro ratione rei quæ mandatur aut prohibetur. Tamen præter id quòd difficile est de principis mente iudicare, non quid princeps intendat, vniuscuiusque conscientia considerare debet, sed quid ipse Deus velit, & quosque nos ad parendum nostris Magistratibus obliget, quandò impium non est quod mandatur, nec flagitiosum.

CAP. LII.

Constitutionibus ciuilis Magistratus de rebus Ecclesiasticis, Ecclesiarum Pastores, & reliqua plebs obedire tenentur.

SVnt in quibusdam Ecclesijs reformatis Magistratuum ciuilium constitutiones consilio & consensu omnium ordinum receptæ: quibus ordinis Ecclesiastici hominibus, ad vniformitatem in omnibus Christianorum cœtibus, Liturgiæ certa forma; & ad honestatem publicam, & decorum, vestis genus præscribitur, quibus publicè vtantur: item de nonnullis alijs rebus adiaphoris, quibus si quis rectè vtatur, nihil in Deum peccatur. Tamen nescio qua morositate, nonnulli sunt qui excolantes culicem, & deuorantes camelum, suis Magistratibus parere in huiusmodi rebus recusant.

Doctrina de filio Dei, de redemptione generis humani, de pœnitentia, & peccatorum remissione, de fide, & inuocatione nominis Dei, purè & sincerè populo proponitur, & sacramenta secundùm Dominicæ institutionis normam administrantur. Quæ qui fide tenet, Christum Dominum obtinet, qui est caput, *ex quo totum corpus, per commissuras & compages suppeditatum & compactum, augescit Dei augmento.* De cuius corporis vmbra dum disputatur ab istis, corpus ipsum discerpitur & laceratur. Dum importuni homines tragœdias mouent de rebus adiaphoris, faciunt vt imbecilliores de vniuersa doctrina dubitare incipiant, & vt confirmentur in suis erroribus inimici, qui de nostris dissidijs in sinu gaudent,

Quatuor genera hominum nobis hodiè consideranda sunt, quorum habenda est ratio. Primi sunt Pontificij, & alij hæretici: deindè qui nuper conuersi veritatem Euangelicam amplectuntur; rudes tamen adhùc sunt & parùm firmi: tertij sunt qui probè in fidei doctrina sunt instituti, & quos nemo facilè à veritate dimoueat. Duo priora genera offenduntur importunis istis quæstionibus; tertij verò, præter mœrorem quem concipiunt de infirmorum scandalo, nullum fructum percipiunt. Quartum hominum genus est eorum qui sibi placent, sibi sapiunt, cæterisque insultant, & opinione peculiaris scientiæ inflati, magno supercilio contemnunt quotquot ipsis subscribere recusant, & eos quibuscunque possunt maledictis lacerant.

Hoc

Hoc vlcus non tetigissem, nisi Magistratibus debitam obedientiam labefactarent, dum ipsorum authoritas in dubium reuocatur, contra ea quæ à pijs Doctoribus disputata sunt de Magistratuum officio, & authoritate in rebus quæ concernunt externum Ecclesiæ statum, & reformationem morum; *nempè Christianum Magistratum de rebus Ecclesiasticis posse condere leges, & imperare ministris, & Ecclesiarum pastoribus, vt officio suo ritè fungantur, & ea obseruent quæ Deus per Apostolos Ecclesiis tradidit obseruanda*; vt hoc pacto aboleantur hæreses, ac prophani cultus, atque in vera doctrina populus Dei instituatur.

Episcoporum, & Presbyterorum cum vniuerso populo Christiano officium est, de pietate Principum ac Magistratuum, Deo gratias agere, ac ipsis in omni re pia & honesta parere, & obsequi. Et quamuis à Domino Iesu Christo claues regni cœlorum acceperint, nihil indignum sua vocatione patiuntur, si pius Magistratus aduigilet, ne sua potestate abutantur; & loco moueat, quos nouit in doctrina & moribus plebi Christianæ potiùs scandalum afferre, quàm emolumentum.

Quamuis regia potestas doctrinam de Filio Dei, & de sacramentis, ac cæteris religionis capitibus, innouare non possit (quod nec ipsis concessum est Episcopis:) tamen de locis, & temporibus, quandò, & vbi, commodè haberi poterunt pietatis exercitia, constituere valet. Item quo ordine, quo ritu, quo gestu, quo habitu mysteria decentiùs celebrabuntur. Decorum & ordinem natura docet homines seruare, rebus in omnibus. Qui cùm non semper idem & vnus sit, maneátque apud omnes, & varietur pro ratione temporis, loci, & hominum, vna lex omnibus gentibus præscribi non potuit. Idcirco id ab Apostolis liberum Ecclesijs relictum est.

Ineptè ratiocinantur quidam ab exacta rituum forma à Mose tradita vni genti, & vni populo, in vna prouincia, in celebrandis mysterijs, & in reliquo vitæ genere; idem oportere à Seruatore Christo, & ab Apostolis intelligi esse factum in nouo Testamento, orbi vniuerso. Aliâs quod absurdum est consequi, ipso Mose minùs Seruatorem fuisse fidum in suo munere. Quàm id sit futile, quàm parùm firmum, facilè videre poterit, qui differentiam vtriusque Testamenti, & legislatoris, & populi, propiùs volet inspicere. Doctrina vtriusque Testamenti vna & eadem manet. Aduentu Domini abolitæ sunt veteres ceremoniæ, ac sacramentorum facta est mutatio; & loco illius veteris externi cultus operosi, ac seruiliter alligati loco, temporibus, ac ritibus innumeris, institutus est nouus, liber, & facilis; cui nec locus, nec tempus, nec aliquid huiusmodi præscribitur. Id si non consilio factum esset, & quia populum Christianum magis liberum esse Deus voluit, quàm Iudaicum, rectè dici posset consequi, minùs curæ fuisse Domino suam Ecclesiam, quàm fuerat olim Mosi.

Quicquid hodiè in scriptis Euangelicis nec mandatum, nec vetitum nouo populo legitur, liberum intelligitur. Vnde qui præsunt in Ecclesia, de loco & tempore, cæterisque quæ ad Ecclesiæ bonum ordinem pertinent, constitutiones facere possunt; & quod olim non licuit sacerdotibus Leuiticis, imò nec ipsis quidem regibus; eas mutare, & abrogare, citrà religionis violationem possunt. Quare de his rebus, quod publica authoritate decretum est, bonâ conscientiâ à priuatis reijci, aut improbari non debet. Quamdiù enim nec omittitur, quod à Deo est mandatum, nec committitur quod est prohibitum; totum non malè interpretamur licitum. Proindè si quidpiam publica præcipiatur authoritate quod est huiusmodi, à singulis est obseruandum.

Christianus populus hanc libertatem habet, vt in externis rebus sibi legem modúmque possit statuere, non populariter & tumultuariè, sed per Ecclesiarum Pastores & Ministros; aut vbi publica receptum est authoritate Euangelium, per fideles Principes ac Magistratus, in quos populi potestas translata est; aut per vtrosque in Christiana republica. Nam quemadmodùm in legibus ciuilibus condendis Iurisconsultos in consilium Reges & Principes adhibent; ita & in religione reformanda habent Theologos, & Ecclesiarum Antistites quos consulant. Christianis Principibus prima religionis esse debet cura; quorum pijs edictis de religione, ab omnibus tam populo, quàm Ecclesiarum Pastoribus obediendum est.

CAP.

CAP. LIII.

Compendiosa disputatio contra eos, qui in rebus mediis ad ornatum & ordinem decorum, Ecclesiasticis constitutionibus Magistratuum obsequi detrectant.

HVic consilio duo hominum genera aduersantur. Primi Magistratuum authoritatem in hoc negotio nullam agnoscunt; sed omnes reformationes factas à magistratu Christiano in doctrina, ritibus, & ceremonijs, quantumuis sunt piæ, habent pro hæreticis, & schismaticis. Contra quos hic disputare non intendo, sed remitto ad eos qui hunc errorem doctè & piè confutârunt.

Sunt alij ex nostris, qui inobedientiæ prætendunt conscientiam: quòd ea quæ publicâ authoritate mandantur, partim superstitiosa, partim papistica esse iudicent; cuius generis sunt lineæ & candidæ vestis vsus in sacris, & genuum inflexio in receptione Eucharistiæ, & alia plura, quæ hîc recensere nimis longum esset. Quare de superstitione dicam in genere, & demonstrabo in his quæ modò tetigi, nullam inesse superstitionem, nisi superstitiosi sint, qui rebus illis vtuntur.

Superstitio est, religionem attribuere rebus, quibus nulla ineſt. Definiri etiam potest; *inanis Dei metus.* Secundùm quam definitionem, isti qui superstitionem vitare volunt, in superstitionem incidunt, dum metuunt Dei offensionem, vbi nulla est; & peccatum in re media sibi vltrò fingunt. Superstitio duplex est; re, & opinione. Gratiâ exempli, Sanctorum inuocatio, preces pro mortuis, vt liberentur à pœnis Purgatorij; aquæ exorcizatæ aspersio, re & naturâ suâ superstitiosa sunt: nec possunt nisi superstiosè fieri. Sunt alia quæ cum superstitione non sunt coniuncta, nisi accedat falsa opinio: vt est, ieiunare diebus Veneris, aut Sabbati, & cœlibem vitam degere, & id genus plura, quæ piè fieri possunt, quandò ex fide fiunt: quibus si accedat erronea opinio meriti, aut satisfactionis pro peccato, aut supererogationis, error in superstitionem vertit, quod naturâ suâ bonum est. Quod non tantùm accidere videmus rebus medijs, sed etiam ijs, quæ nobis præceptæ sunt, & quas sine impietate omittere non possimus. In veteri Testamento Deus iusserat Sabbata, & neomenias haberi dies festos; vitulos & hircos, ac eorum sanguinem sibi offerri, & thymiamatis fieri suffitum; nec poterant hæc omitti sine crimine: tamen quia superstitiosè fiebant, displicuerunt Domino, & grauiter à Prophetis culpantur. Idem dico de Domini cœna, superstitione sæpè contaminari ab ijs qui communicant; etiamsi foris in oculis hominum celebretur, sicut ab ipso Domino instituta fuit. Sed huius superstitionis homo sibi author est, non ipsa res: qui vt superstitionem vitet, falsam opinionem deponere, non à re sacra debet abstinere.

In veste candida superstitio nulla ineſt; nisi quam suo vitio adfert, qui eâ vtitur. Quod dici solet, eâ Romanam Ecclesiam abuti, & ab Ægyptiorum superstitione habuisse originem, hoc nihil quenquam mouere debet, qui ab illorum errore liber est. Si illis ijsdem de causis præciperetur, quibus mouebantur Ægyptij sacerdotes, aut huius ætatis Romanæ Ecclesiæ Clerici, iusta esset excusatio. Diuinus Moses, si eam contaminatam vestem duxisset, propter Ægyptiorum sacerdotum abusum, ad verum Dei cultum ipsius vsum non transtulisset. Nec hoc quicquam habet momenti quod aiunt, Nec ab Ægyptiorum superstitione, nec à Leuiticarum ceremoniarum vsu, quidquam inferri fas esse in Christianorum sacra. Respondeo, Ceremonias, ritúsque Leuiticos non fuisse omnes eiusdem generis. Aliæ significationem habebant rerum futurarum, quarum consummatio fuit in Domino, & earum reuocare vsum Christianis non licet. Aliæ erant ad ædificationem institutæ, vt Mosis & Prophetarum lectio: aliæ ad decorum tantùm, & honestatem, vt Cantus Psalmorum, & instrumenta musica, & vsus lineæ vestis Ephod: quæ communis erat omnibus ministrantibus in templo: qua & Dauid vsus est, qui nec sacerdos, nec Leuites erat. Huius generis ceremoniæ nihil aduersantur gratiæ noui Testamenti, exhibitæ per Christum.

Sed non video cur aut ad Ægyptiorum sacerdotes, aut ad Pontificiorum & Leuiticorum morem referri debeat potiùs, quàm ad veterem ritum Baptismi, in cuius susceptionem candida veste recèns baptizati solebant amiciri; non superstitione, tanquàm indè sanctitatis aliquid baptizato accederet; sed honoris causâ, & testificationis, sumptâ

ex moribus illius ſeculi manumiſſionis, cuius alba veſtis erat inſigne, qua etiam in teſtimoniũ lætitiæ Veteres vtebantur. Quod Ægyptij ſacerdotes laneas veſtes credidêre impuras, & myſteria in candida veſte Pontificij ſomniant, ad ſuperſtitionis eorum pertinet errorem. Sed Anglicanæ Eccleſiæ doctrina hunc nobis ſcrupulum eximit: quæ præter decentiam, nihil ſanctimoniæ veſti affingit.

At ſunt qui offenduntur hac veſte: idque vt ipſi aiunt, iuſto odio papiſticæ ſuperſtitionis: qui quandò ſuum Paſtorem eâ vident indutum, veteris idololatriæ quædam ſe adhùc credunt videre rudera. Offenſio non ſemper arguit rem eſſe malam, qua nonnulli ſolent offendi, ſi iuſta offenſionis cauſa deſit. Pontificij offenduntur Miſſam eſſe abolitam. Nota eſt diſtinctio dati, & accepti ſcandali.

At ſunt idololatriæ rudera. Teſtantur igitur eam eſſe demolitam. Præſtaret nullas impietatis remanere reliquias. Non ſunt dicendæ reliquiæ impietatis, quæ tantùm abuſu, non naturâ ſuâ ſunt impia, præſertim quando in bonum vſum ſunt conuerſæ. Auro Ægyptiaco tabernaculum Dei ornatum fuit; & idololatrarum gentium ſpolia, ad templi conſtructionem à pijs regibus fuerunt dedicata. Modeſtia Chriſtiana cauet, nè de ijs quæ publicâ Eccleſiæ regniq; alicuius authoritate ſancita ſunt, aut de Principis ſui voluntate, priuato iudicio temerè quiſquam iudicet. Temeritatis & audaciæ excuſatio nulla eſt, vbi conſtat Eccleſiæ mentem, & Principis voluntatem, ab omni ſuperſtitione alienam. Id vnde conſtat, (inquies.) Ex doctrina publicè recepta id ſciri facilè poteſt. Tu qui Eccleſiæ Paſtor es, plebem tuam rectè inſtitue, & quis ſit veſtis candida vſus, & aliarum huius generis rerum doce; atque ita ſcandalum, ſi quod metuis, amoue. Proteſtatio (inquies) contra factum nulla eſt. Fateor: ſed ſuperſtitionis priùs rem conuince: quod quamdiù factum non eſt, excuſatio inepta eſt.

At multæ ſunt reformatæ Eccleſiæ, quæ lineam illam veſtem non admittunt; & peregrinarum Eccleſiarum Miniſtri & inſularum Ierzæ & Guernzæ, qui Eccleſiæ Anglicanæ adnumerantur, eâ non vtuntur. Reſpondeo: Eum qui in illis Eccleſiijs vſum huius veſtis vellet introducere, à ſchiſmate non poſſe excuſari; ſicut nec à ſuperſtitione, quicquid contrà ad ſuam excuſationem poſſet allegare.

Tanta eſt publicæ authoritatis vis, in aliqua re media, vt labem quæ alioquin rei ex veteri conſuetudine adhæret, queat abſtergere, quod priuata nequit. Gratiâ exempli; Nullas audere vrbes inhabitare, & ab vſu vini, & ab vſu carnium abſtinentia, cum opinione meriti, & peculiaris cuiuſdam ſanctimoniæ, aut quòd prophanæ ſunt; ſuperſtitione & ingratitudine aſperſa eſt, Deoq; diſplicet, qui per Chriſtum nobis æqualiter eſculenta omnia ſanctificauit: tamen is cui ſumma quondàm in ſuos fuit poteſtas, & certo conſilio interdixit vrbes incolere, aut vti vini potu, de ſuperſtitione damnari iure non debet: priuatâ & particulari fide id mandari & obſeruari potuit. Similiter ſi ſummus Magiſtratus iudicauerit intereſſe reip. vſum carnium certis diebus inhiberi; ſubditos, qui huiuſmodi edicto parent, nulla ſuperſtitio contaminat: à qua tamen ægrè quis eos excuſauerit, qui priuatim idem adſumerent, & obſtinatiùs recuſarent carnibus veſci, illis diebus quibus ab eis ſuperſtitioſi abſtinere ſolent. Ecquod maius periculum ſuperſtitionis ineſſe geſtationi mandatæ lineæ veſtis publicâ authoritate, idque conſilio non ſuperſtitioſo poteſt, quàm mandato eſu piſcium?

Quod peregrinorum Eccleſijs & inſularibus permittitur, priuilegium eſt, quo notum omnibus fit, nullam religionem ab Eccleſia Anglicana veſti tribui; nec credi ſacramenta minùs ritè adminiſtrari in veſte communi, quàm in alba linea veſte. Cur igitur (inquies) idem vbique non omnibus conceditur? Tu quiſquis priuatus es, curioſiùs in Principis tui conſilium, & comitiorum totius regni noli inquirere, quamdiù quod tibi præcipitur non eſt naturâ ſuâ impium; & ſcito quoties id fiet, te modeſtiæ Chriſtianæ limites excedere; & longè tutius tibi eſſe, & tuæ conſcientiæ, parere, quàm hæc importuniùs in quæſtionem vocare. Contumaciæ genus illud eſt peſſimum, cui defendendæ falsò obtenditur religio. ἀναρχίας μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν. *Apud omnes gentes boni ciuis ſemper fuit habitum, ciuitatis ſuæ leges obſeruare, improbi contemnere.* Sapienter Sophocles, νόμους παρεὶς ὧν χθόνος θεῶν τύραννον ἴσχει, ὑψίπολις. Et alio loco, ᾧ τὸν κακῶς πρὸς ἄνδρος ἄνδρα δυμόρου μηδὲν δικαιῶν τὸν ἄρσεν' ὧν κλύειν.

CAP.

CAP. LIIII.

Exempla obedientiæ; & duris imperijs, quæ nihil continent impietatis, esse obtemperandum.

REchabitarum apud Ieremiam à Deo commendatur illustre exemplũ obedientiæ: qui nec vrbes vt incolerent, aut vinum biberent, animum vnquàm potuerunt inducere. Tanta fuit parentis etiam defuncti obseruantia, tantumque per multa secula mortui valuit authoritas, vt quod testamẽto moriens vetuerat, transgredi nunquàm fierint ausi. In hac tamen pædagogia, si præcipua quædam supererogationis merita, si pro peccatis satisfactum iri credidissent, & idcircò supercilium præcipuæ cuiusdam supra cæteros sanctimoniæ adfuisset, nunquàm ipse Deus eam commendâsset.

Prima pars honoris quæ debetur parentibus & Principibus, est obedientia. Lycurgus quantum momenti haberet prompta obedientia cùm intelligeret, adsuefieri voluit etiam Magnates magistratibus obedire. Et cùm in alijs rebus publicis, qui cæteris potentiores sunt, videri nolunt magistratus pertimescere, (id enim illiberale arbitrantur:) Spartæ verò optimates, parêre magistratibus, & humiles esse, atque vocatos non modò ad imperata ire, sed currere, vt obediant, glorioſum ducunt. Nam vt alij imitentur, & faciliùs pareant, hoc suo exemplo futurum putant. Quamdiũ ita comparati fuerunt Lacedæmonij, floruerunt, & facilè vicinis socijsque imperârunt.

Ottomãnicum imperium partum fuit, & hodiè stat fide & obedientiâ militum; & Constantinopolitanum diſſidijs, & factionibus ciuium, atque summi imperij contemptu, ac licentia, inobedientiaque militum interijt. Dissolui tyrannis Ottomãnica nunquàm poterit, quamdiũ imperandi parendique virtutes hinc indè vigebunt: nisi fortè opponatur par fides, & æquè prompta obedientia. Tyrannicum, quòd mihi quis obijciet, illud esse imperium, & seruos tam milites, quàm præcipuos quosque belli duces; Christianis probrosum est, &, à libera virtute ad sui defensionem non posse obtineri, quod extorquetur à seruitute, deplorandum. Quis dicat seruos fuisse, aut seruili ingenio præditos Lacedæmonas? Parêre, quicquid hominum vulgus iudicet, illiberale non est: maior ea est virtus, quàm imperare.

Si dura sint quæ imperantur, qualia tyrannorum solent esse imperia, præceptum Domini occurrat; *Si quis tibi tuam tunicam capere voluerit, dimitte ei & pallium: si te angariauerit, vt eas mille passus, ito alia duo millia.* Hæc vt benè intelligantur de priuatorum iniurijs, meliùs de oneribus publicis quę imponuntur à magistratibus, interpretari licet. Nam si patienter priuatorum iniuriæ ferendæ sunt, multò magis magistratuum. Angarias non esse priuatorum, ex iure notum est. *Nolite resistere malo* (inquit Dominus) *sed vincite in bono malum.* Non est igitur tyrannidis malo, quod tantùm corpori dolorem, aut fortunis damnum adfert, resistendum, sed bono patientiæ vincendum.

Quid si impia iubeat? Ne pareto. At malè multabor: patere. Vitæ periculum erit, cum iactura bonorum omnium; aut fuge, aut morere. Ego vxorem & numerosam prolem habeo; sum nobilis & diues, assuetus in otio lautè viuere: paupertas & exilium mihi ipsa morte grauiora sunt. Vtrumuis elige, aut hæc, aut Christum amittere, quando vtrumque simul non potes retinere. At quàm sunt hæc dura? (inquies.) Sed Seneca homo gentilis tibi respondebit; *Imperia dura si tollas, quid virtus erit? Non est è terris mollis ad astra via.* Terræ iacturam facies, & cœlum recipies; vitâ mortali priuaberis, & immortalitate donaberis: parua sunt damna, quæ tam ingenti compensantur lucro. Paradoxotata hæc esse carni, & mundo, scio: sed quid facias insanienti, qui nec bonos, nec malos ferre scit gubernatores, aut dominos? Atque hæc de obedientiâ, quæ debetur summis imperijs, dicta sunto.

CAP. LV.

Non est temerè de Regibus & Principibus iudicandum, nec curiosius priuatis hominibus in eorũ facta consiliaq; inquirendum: temperandum est à conuitiis & maledictis in Principes ac magistratus, & modestè quicquid peccant, ab iis quorum hoc munus est, reprehendendum.

REstat & alia quædam honoris pars debita Regibus, eisque omnibus qui cum imperio rempub. gubernant, quæq; neglecta, facilè ad rebellionem vulgi excitabit animos,

mos, aut tardos ac segnes ad obedientiæ reddet obsequium. Ad pudorem, reuerentiam, & obseruationem, qua colendi sunt cùm omnes qui magistratu funguntur, tum inprimis Reges, pertinet, vt præclaram & honestam de ijs ciues habeant opinionem: vt benè de ijs loquantur, eorúmque virtutes prædicent, ac laude prosequantur. Si fortè (vt homines sunt) ipsorum mores, vitáque repugnet; à maledicentia linguam, & calamos temperent. Nam fama *tam ficti, praui, tenax* est, *quàm nuntia veri*: & id scire oportet, odio & inuidiæ illustria nomina semper fuisse obnoxia. Non enim possunt non incurrere in multorum offensionem. Primùm quia cupiditatibus omnium, cum quibus ipsis res est, satisfacere nequeunt. Deindè non rarò reipublicæ causâ coguntur inimicitias suscipere, & aduersari eis, quibus aliâs gratificari fortè non fuisset molestum, si licuisset.

Consilia & rationes Principum cùm ignorentur, difficile est priuato homini, de eorum actionibus rectè iudicare. Nemo tamen hodiè non id sibi adsumit: & quo magis res sunt vndique perturbatæ, & multis intricatæ ambagibus, plures futuri sunt iudices, qui pro sua libidine facta suorum Principum interpretabuntur. Paucis annis, quibus sub Principe Auraico in Belgio vixi; quem non audiui, cum quo me tum loqui contigit, tum Ordinum, tum Principis actionum censorem, & iniquum interpretem, temerè maledicta congerentem in suos gubernatores, perinde ac si omnium quæ fiebant publicè eis fuisset reddenda ratio? Rectè quidam, illiberalis & inuerecundi censet esse ingenij, de Principum potestate & rebus gestis, quæstionem mouere, quando & Imperator sacrilegium esse scribit, de eo quod à Principe factum est, disputare. At maledictis proscindere, & confictis impudentissimis mendacijs Reges, ac nobiles quasque personas diffamare, ludus creditur. Leges de famosis libellis, infames esse iubent, qui libellis infamiæ cuiquam notam affigere conantur. Tu quisquis es in quem scripta huiusmodi incident, scito à spiritu Christiano non proficisci: maledicos enim regnum Dei non admittit. Quemadmodum vitia publicè nota, reprehendi ab ijs, quorum illud munus est, Ecclesiæ ac Christianæ reipublicæ interest; ita crimina occulta, fictaque, addo etiam vera, intempestiuè in vulgus spargi, plurimum mali adfert. Illic scandalum tollitur, hîc offertur: & tantò peccatur grauiùs, quò maior est qui maledicit, & de quo maledicitur. Illud addo, multa sæpè peccari à Principibus, quæ palàm fieri plus mali, quàm boni sunt allatura. Non enim semper satis est esse verum quod dicitur, nisi etiam sit auditoribus vtile.

Inter cæteras humanæ naturæ labes, hæc vna est, quòd homines maledictis delectantur. Nulla re faciliùs popularis captatur aura, quàm maledicendi audaciâ. Eam vulgus *parresiam* laudat, quâ cum voluptate aliena peccata carpuntur, carpíque audiuntur. Et sunt qui in hac re sibi adeò placent, vt se quosdam esse Elias, & Iohannes Baptistas credant: à quorum tamen spiritu tantùm absunt, quantùm cœlum à terra distat. Si vnquàm accurato iudicio opus est, & à præcipiti temeritate alieno, hîc inprimis illud requiro, ne quid licentius in viros Principes effutiatur, maledicendi potiùs libidine, quàm emendandi voluntate. Quod in thesi frequenter est vtile dici, & necessarium, in hypothesi plerumque fallit iudicium.

Dicturo de Rege, aut aliquo viro Principe, illud Exodi priùs vt occurrat opto, *Diis ne detrahito, & magistratus ne execrator, nec Principi in populo tuo maledicito.* Semper honori eorum, qui patrum in populo tenent locum, est consulendum, ne in contemptum apud plebem veniant. Si quæ sunt Regum, & magistratuum tetra flagitia, multa, & manifesta; si qua impietas, cuius sit periculum, ne populum ad eam pertrahat, ipseque Rex cum populo suo pereat; ad officium pertinet Episcoporum & pastorum Ecclesiæ ea reprehendere; cum ea tamen modestia, & grauitate, quâ factum olim à Prophetis legimus, sine populi motu, sine vi; non declamatorio more, aut satyrico, qui vitia dum exagitat, non sanat. Pastores, animarum sunt medici, quibus solertia eorum qui corpora curant, in medendis vulneribus, & in propinandis pharmacis est imitanda: qui medicamenta sua ita attemperant, vt quod lethale est, admixtum non noceat; quod nimis amarum, gustus non refugiat. Imperitus medicus ille est, qui vulnera curare nescit, nisi secet & vrat. Extrema illa remedia sunt, nec nisi desperatis morbis adhibenda. Sit Nathan in hac re exemplo, sit Samuel, qui Regum suorum peccata reprehenderunt, citra vllum opprobrium, aut contumeliam.

Eum, qui plerisque mos est, non probo, qui Principum & Magnatum regni consilia, factaque

factaque publicè apud plebem suggillant: & quæ authoritate publicâ sunt constituta, condemnant, idque illis non præsentibus, apud ignaram plebem. Quid sit *surdo maledicere*, si hoc non sit, nescio. In re bona sæpè peccatur, quandò modus, quem res postulat, non adhibetur. Temerarium est priuatum hominem in ijs quæ publicè peccari iudicat, se immiscere, vt ea scripto culpet, aut reprehendat; nisi certum sit periculum, contagionem mali populo exitium allaturam. Prophetæ publici fuêre populi Dei doctores extra ordinem vocati, qui nunquàm quæ aut à Principibus, aut à populo peccabantur, nominatim perstringere ausi sunt, nisi speciali à Deo accepto mandato: Sacerdotum, & Leuitarum illæ erant partes. Qui missus non est, ingerere se alieno officio non debet. Adulari palàm Principibus, graue quidem peccatum est; sed conuitiari, & contumeliâ afficere, grauius.

Hæc paucis notare volui, quòd obseruationem & obedientiam summis reipublicæ gubernatoribus debitam remorentur & impediant. Christianè de hac re Concilium *Toletanum* decreuit his verbis: *Sed & hoc pro pestilentiosis hominum moribus salubri deliberatione censemus, ne quis in Principem maledicta congerat. Scriptum est enim à legislatore*; Principem populi tui ne maledixeris. *Quod si quis fecerit, excommunicatione Ecclesiastica plectatur. Nam si maledici regnum Dei non possidebunt, quanto magis talis ab Ecclesia necessariò pellitur, qui diuinæ violator sententiæ inuenitur?* Hoc itaque Decreto hunc librum claudo, & ad confutandas rationes, & argumenta eorum, qui summa Regum imperia, vel Romanis Episcopis, vel Proceribus regni, populoque subijciunt, me accingo.

Secundi libri finis.

DE IMPERANDI AVTHORITATE, ET CHRISTIANA OBEDIENTIA,

Liber Tertius.

CAP. I.

Ab Episcopali benedictione, & iureiurando Regum, demonstrare quidam volunt, Reges iure successionis hereditariæ, aut electionis, non consequi plenum ius regni, nisi ea etiam accedant.

AB Episcopali benedictione, ac iureiurando, quod Reges præstant in sua inauguratione, nonnulli probare nituntur Episcoporum, Procerum, & populi authoritatem supra Regem; sed inprimis Episcoporum. Quorum vt coryphæus est Romanus Papa (qui se caput vniuersalis Ecclesiæ iactitat,) ita in Reges & regna supremam quandam potestatem vendicat. Et quoniam tantùm ad regnum (vt aiunt) admittantur illis conditionibus, quas iurant se seruaturos; non teneri subiectos ad obedientiam & subiectionem diutiùs, quàm à Regibus seruantur. Et quia Regiæ potentiæ aduersarij non eandem tenent de religione sententiam; alijque in cœno & tenebris volutantur Romanæ idolomaniæ, & pontificiæ tyrannidis sunt clientes; alij verò indè emerserunt quidem, sed tyrannidis odium eos veris & legitimis magistratibus iniquiores reddit: istos in hac tractatione paululùm quiescere sinam, vt Pontificiorum argumentis ductis ab inunctione, & sacratione Episcopali, respondeam. Cui quia sacramenta permista sunt, silentio vix præteriri poterunt: tamen quantùm potero, id à me fiet perfunctoriè, donec ad particulare

descendero disputationem de iuramenti obligatione, quod Reges & Principes in sua inauguratione præstant.

Rossæus ab Imperatore incipit, qui ad rectè moderandum Iuramentis sacrosanctis adstringitur, priusquàm reip. administrandæ plena ei potestas concedatur: *Nempe quod remp. Christianam, Pontificem, & Ecclesiam Romanam, cuius sit aduocatus, tuebitur; ius æquabiliter dicet, & paci consulet; leges omnes, iura, & priuilegia imperii confirmabit; facultates imperii neque distrahet, neque oppignorabit; neminem indicta causa proscribet, sed in is ordinem in eo sequetur: quod secùs factum erit, irritum habeatur. Aquisgrani, progressus Archiepiscopus Colonienſis, coram infinita multitudine Cæsarem rogat, an fidem catholicam seruare, defendere Ecclesiam, administrare iustitiam, tueri viduas & pupillos, & an honorem debitum Romano Pontifici velit exhibere? Vbi spospondit, ductus ad aram conceptis verbis iurat; post ad solium regreditur.* Nec adhûc (inquit) Germaniæ Imperatoris nomen & honorem est assecutus. *Deinde enim nomine totius imperii, Principes præsentes Colonienſis Archiepiscopus interrogat, an fidem & obsequium ei præstare velint? Quo promisso inungitur, & diaconi more vestitus in cathedra collocatur: gladius ei traditur, annulus similiter & sceptrum: diadema verò Archiepiscopi tres eius capiti imponunt: & inde ad aram adductus iterum iurat: cui in imperatoria sede collocato; Moguntinus se suosq; collegas, & Ordines imperii, vt vero & legitimo Imperatori cõmendat.*

Sed videamus etiam in successione hæreditaria Regum, quid fiat. Secundus ab Imperatore inter Reges Christianos habetur Rex Galliæ. Etenim hæreditariæ successioni, quemadmodũm & electioni, prætextu huius consecrationis, ius & robur detrahunt. *Regum verò successio* (inquit Rossæus) *etiamsi quodammodo est hæreditaria, & perpetua ferè serie à patribus ad filios descendit; tamen nec illa adeò libera est atque soluta, quin ipsius obligationis à repub. cum Rege contractæ, luculenta præferat indicia. Quẽadmodùm enim in Gallia, quemadmodum in Anglia, vel Polonia, vel vllo alio regno, defuncti regis filius in patris solium assumitur; non quasi sui fundi dominus, quo modo Turcarum Princeps mortuo patre repente, sine vllo inducente, imperium occupat, vt bellico iure partum: sed tanquam prædii alieni curator, ab Episcopis & proceribus & plebe ad rempublicam capessendã liberis votis petitus, & in defuncti patris locum surrogatus*: Quàm sint hæc vera, mox videbimus.

In Galliæ regnũ Rex sic inducitur ab Archiepiscopo Rhemensi; in Ecclesia illâ altari sistitur, & postulatur vt Episcopis & Ecclesiis eorũ conseruet priuilegia Canonica, ius & iustitiam debitam, Episcopos omnes & singulos, Ecclesiasq; ita tueatur, quemadmodùm officium eius requiret. Nota candide lector, Episcopos primam suijpsorum, & suorum priuilegiorum habere curam, nec sufficere ipsis iuramentum regni; vtpotè qui eius nulla sint pars: sed veluti hædera quæ adhæret arbori, eamque depascitur, & tandem enecat; sic isti Reges, & eorum regna. Non quòd negem Episcoporum, & eorum quæ ipsos concernunt, defensionem ad Regem pertinere, hæc dico; sed quòd ea res speciale iuramentum non postulet. In numero procerum populique haberi, satis Episcopis esse deberet. *Quæ quùm Rex facturum se receperit, & iureiurando firmârit, tum deinceps Episcopi duo interrogant multitudinem populi circumfusam, vtrùm hunc pro Rege habere velint? quumq; populus consensum suum præbuerit, tum corã Archiepiscopo Rex iuramento, quod regni dicitur* (prius enim solos Episcopos attingit) *ad hunc modũ se obstringit: In nomine Iesu Christi populo Christiano mihi subiecto, ea quæ sequũtur spondeo. Primùm quòd Ecclesia Dei, in vera pace, meo præsidio perpetuò conseruabitur. Deinde quòd prohibebo rapinas, & iniustitias in omni hominum genere. Tertiò præcipiam in omni iudicio exerceri æquitatem & misericordiã: vt Deus clemens & misericors mihi misericordiam suam impertiat. Deinde bona fide laborabo pro virili mea, vt ex omnibus terris iurisdictioni meæ traditis, expellam omnes quos Ecclesia hæreticos declarauit: quæ omnia iureiurando rata facio. Quibus absolutis, Archiepiscopus eum inungit, sceptrum tradit, diadema regale capiti eius imponit, & in regalis throni possessione collocat, diserte addens: Hæc omnia tibi, tanquam vero & legitimo hæredi, authoritate omnipotentis Dei, iam nunc traduntur per nos, qui hîc adsumus Episcopos, & alios Dei famulos: meminerisq; sacerdotes tanto esse tibi magis honorandos & fouendos, quanto eos cernis magis sacris altaribus appropinquare.*

Anglicani autem Regis institutio ita ad hanc Gallicanam quàm proximè accedit. *Angliæ siquidem Rex ad summum Ecclesiæ Westmonasterienſis altare, apponens manum sacrosanctis Euangeliis, religiosè iurat, se totâ vitâ exhibiturum reuerentiam atque honorem omnipotenti Deo, Ecclesiæ Catholicæ, & Ministris eius; se dicturum populo ius æquabile, & abrogaturum*

turum omnes iniquas leges, & iniustas consuetudines. Quo facto mox Archiepiscopus Cantuariensis cum vno & altero ex Proceribus, ad populum conuersus, explicat illis Regis iusiurandum, quemadmodum iuste & legitimè se imperaturum est professus. Et tum à populo quærit, vtrum tali Principi se velint subiicere, eiúsque mandatis obedire?

In regum Poloniæ inauguratione, quæ paulò diuersa est, nihil inest, quod sit alicuius momenti, cui responsum plenè non erit in confutatione eorum, quæ ex horum trium Regum institutionibus deducuntur: excepto quòd in fine iurisiurandi Regis Poloniæ explicatè ponitur: *Si (quod absit) iuramentum meum violauero, nullam nobis incolæ regni obedientiam debebunt; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia.* Hanc quoque clausulam in Brabantiæ Ducis receptione addi notum est. Quærunt aduersarij, *nùm hæ tam magnificæ, & illustres actiones, mutæ tantùm sint cæremoniæ, ad stultæ plebeculæ oculos perstringendos, & non potiùs viua repræsentatio stipulationis factæ inter Imperatorem & imperium, inter Regem & regnum, de eo recte & Christianè & ex legibus procurando.*

CAP. II.

Ad rationes & argumenta superioris capitis respondetur, docetúrq;, Imperatores & Reges plenum ius imperii, vel regni, consequi ab ipsa electione, & natiuitate, etiamsi nec coronentur ab Episcopis, nec quicquam iurent.

RESpondetur, sublata superstitione, vt sacrosanctam Imperatorum & Regum maiestatem, ac inuiolabilem esse significetur, in illorum coronatione solemnes cæremonias rectè adhiberi. Regi idcirco per Antistitum religionis manus, gladius datur, vt intelligat, se illum non à populo, non à Nobilibus, non ab Episcopis, quibus gladium nullum Seruator dedit; non denique ab vllo mortalium, sed ab ipso Deo accipere: & valere has solemnitates plurimum ad religione hinc indè obligandos animos; Principis præstando pij & boni Regis officio; populi & omnium ordinum ad reuerentiam tantæ maiestatis, & omnimodam obedientiam eidem præstandam: ne quis aduersùs eum insurgere audeat, quem Deus suum vicarium constituit.

Sed multò aliter euenit, & in contrarium finẽ hæc adhibentur; nempè ad tantæ Maiestatis minuendam, & eleuandam authoritatem & potentiam, eamq; subijciendam Episcopis, & Proceribus, populoq;, vt datâ acceptáue occasione, eos de solio deijcere, regnoq; priuare audeant. Primùm ex Episcopali coronatione & iureiurando hæc argumentantur; neque electionis, neque natiuitatis, aut hæreditariæ successionis ratione, plenum regni ius obtineri: deindè ab Episcopis, & Proceribus, & populo, Reges iam electos, & natiuitatis iure hæredes, liberis votis ad capessendam remp. expeti, & in defuncti locum surrogari: præterea non tanquam rei suæ dominum adsumi Regem, sed alieni prædij curatorem. Proindè si Rex promissis non steterit, aut se malè gesserit, primùm Ecclesiasticam potestatem exauthorandi Reges habere ius: deindè similiter Proceres & populum. Quibus hos pernicioſos errores defendant argumentis videbimus: sed falsa hæc esse priùs ex ipso iure hæreditariæ successionis, & electionis docebo, exemplisque confirmabo. Certum est quamplurimos Christianos extitisse Reges, & Imperatores, qui neque ab Episcopis coronati fuêre, neque iusiurandum vllum præstiterunt: quos tamen constat veros & legitimos Reges, & Imperatores fuisse, & plenum ius habuisse imperij, & regnorum suorum

Constantinopolitani Patriarchæ primi hanc coronandi Imperatores ceremoniam inuenerunt, cui Episcopi Romani addidêre vnctionem. Henricus primus iam illo recepto more coronandi & inungendi Reges & Imperatores, sibi delatum imperium cum insignibus imperij, mortuo Conrado recepit: sed coronari & inungi noluit. Quantus autem fuerit Imperator ex historijs notum est. Mirum est quemquam, qui hæc non ignorat, in hoc versari posse errore, vt amplius ius coronatione acquiri tradíue credat, quàm anteà habebat, ratione aut hæreditariæ successionis, aut legitimæ electionis. Cùm nihil horum priscis temporibus fuerit necessarium: vndè obsecro fit, vt hodiè, nisi ab Episcopis accipiatur corona, plenum regni ius Rex non habere credatur?

Ritus varios, eosque solemnes ineundi regni in vsu fuisse apud varias gentes legimus: sed nihil ad minuẽdam Regiæ maiestatis authoritatẽ. Nunc autem quemadmodùm olim

Reges ab Imperatoribus Romanis diadema accipere, signum fuit clientelæ; similiter à Pontificibus accipere coronam, subiectionis, & inferioris conditionis esse sub Episcopis, argumentum mundo persuasum esse volunt. Hoc, & iuramenta quæ exiguntur à Regibus ita esse necessaria, vt nisi accedant, in regno successionis ius natiuitati, genericque, aut electioni debitum, nullum sit futurum. Certo certius tamen hoc est, Imperatores & Reges olim non iurâsse populo, sed populos Regibus. Moses populi Dei dux nihil populo iurâsse legitur; similiter nec Iosua, nec alius quispiam Israëliticorum Iudicum.

CAP III.

Quamuis in mutuis pactis inter partes contrahatur obligatio, non est necesse vtramque partem iurare.

TAmetsi in omni pacto, inter partes contrahatur obligatio, non tamen est vtramque partem iurare necesse. Inter vassallum & seniorem pactum intercedit: solus tamen vassallus iurat domino suo, non dominus vassallo. Ex fœdere quod Dauid inijt cum decem tribubus non probatur, quidquã eum iurâsse[a] populo. Et vbi Ioiada fœdus inijsse legitur cum quibusdam centurionibus, & quòd postea principes familiarum Israel, & omnis multitudo inijt pactum cum Rege in domo Domini; de data fide Regi & Ioiadæ intelligi debet, non de iurata fide populo à Rege: quod in illo 11. cap. 4. Regum, apertiùs significatur, vbi dicitur, *Adiurans eos Ioiada in domo Domini, ostendit eis filium Regis.* Quod enim Regis infantis potuit esse iuramentum?

a 2. *Paralip.* 23. & 4. *Reg.* 11.

Hoc enim obseruandum, vbi de fœdere fit mentio in libris Regum, & Paralipomenõn, facto à populo, aut à Rege cum Deo, vel cum populo; renouatum extra ordinem fuisse post defectionem à Deo, aut à Rege, aut simul ab vtroque, sicut sub Athaliæ regno accidit, esse intelligendum. Hinc Dauid fœdus cum decem tribubus, quæ Isbosethum secutæ fuerant, pepigit: quod factum cum tribu Iuda, & Beniamin non legitur: sicut nec in receptione Saulis, aut aliorum Regum. Sed quandò qui inimici fuerunt, & contrarias partes secuti sunt, se dedunt, & redeunt ad suum Principem, post defectionem, id est necessarium, aliâs minimè. Quamobrem opus fuit, vt decem tribus quæ contra Dauidem bellarânt, sacramento ei se fore fidos adstringerent. Sic etiam eos qui sub Athaliæ imperio septem annos vixerant, vero & legitimo suo Regi (abiuratâ Athaliâ) iureiurando suam fidem obligare[a] debuerunt. Ezechias conuocato populo post exhortationem, placere sibi dixit, vt fœdus inirent cum Domino, quippè quod violatum ab antecessoribus eorum fuerat, ipsis erat renouandum. Et[b] ibidem Iosias percussit fœdus coram Domino, vt ambularet post eum: & captiuitate reducta sub Esdra fœdus bis renouatum legitur. In quibus fœderibus solus populus Deo, & regibus vel ducibus suis[c] iurârunt.

a 2. *Paralip.* 29. *cap.* 10. *ver.*
b 34. *cap.* & 4. *reg.* 23. *cap.*
c 1. *Esr.* 10. 3. & 2. *Esr.* 9. 38.

Quoniam priscis temporibus non nisi bona de regibus habebatur opinio, nec præsumebatur, quòd reip. aut cuiquam iniuriam facere vellent; iuramentum nullum ab eis exigebatur. Mali ominis res est, sinistram de nouo rege habere opinionem, aut mali quidpiam suspicari. Plinius iunior satis apertè ostendit Imperatores Romanos non fuisse solitos iurare Senatui, aut Consulibus, populóue Romano, sed vt legibus, ita sacramento fuisse solutos: iurare verò cæteros omnes Cæsaribus solitos, ipsos verò nemini, probatione non eget. Hunc nouum esse morem exigendi sacramenti ab Imperatoribus & regibus, & postremis ac malis temporibus natum, apparet ex veteri coronandi, & inungendi Reges ratione: & quandò primùm regum vnctionem inuexerunt Episcopi, eam fuisse à iuramento liberam, ex coronatione Othonis primi, quam hìc subijcio, vt à Wittichindo narratur, quiuis videre potest.

Defuncto itaque patre patriæ, & Regum optimo maximo Henrico, omnis populus Francorum atque Saxonum, iam olim designatum Regem à patre, filium eius Oddonem elegit sibi in Principem, vniuersaliq; electionis notantes locum, iusserunt ad Aquisgrani palatii. Est autem locus ille proximus Iulo, à conditore Iulio Cæsare cognominato. Quumq; illo ventum esset, duces ac præfectorum Principes cum cætera principum militum manu congregati, in sistorio basilicæ magni Caroli coherenti collocârunt nouum ducem in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamq; suam contra omnes inimicos spondentes, more suo fecerunt eum Regem. Dum ea geruntur à ducibus ac cætero magistratu, Pontifex maximus cum vniuerso sacerdotali ordine, & omni

omni plebe, infrà in basilica præstolabatur processione noui Regis. Quo procedente, Pontifex obuius lauâ suâ dexteram tangit Regis, suáque dextrâ lituum gestans, linea indutus stola, planetáque insulatus, progressúsq; in medium vsque phani, substitit: & reuersus ad populum qui circunstabat (nam erant deambulatoria infrà, supraq; in illa basilica in rotundum facta, quò ab omni populo cerni posset:) En (inquit) adduco vobis à Deo electum, & à domino rerum Henrico olim designatum, nunc verò à cunctis Principibus Regem factum Oddonem: si vobis ista electio placeat, dextris in cœlum leuatis significate. Ad hæc omnis populus dextras in cœlum leuans, cum clamore valido comprecati sunt prospera nouo Duci. Proinde procedit Pontifex cum Rege tunicâ stricta, more Francorum, induto, ponè altare: super quo insignia regalia posita erant, gladius cum balteo, chlamys cum armillis, baculus cum sceptro ac diademate. Ipse autem accedens ad altare, & sumpto indè gladio cum balteo, conuersus ad Regem ait; Accipe (inquit) hunc gladium, quo eicias omnes Christi aduersarios, barbaros, & malos Christianos, authoritate diuina, tibi tradita omni potestate totius imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum. Deindè sumptis armillis, ac chlamyde induit eum. His cornibus humo tenus demissis (inquit) moneris, quo zelo fidei ferueas, & in pace tuenda perducere vsque in finem debere. Exindè sumpto sceptro baculóque; his signis (inquit) monitus, paterna castigatione subiectos corripias, primumq; Dei ministris, viduis ac pupillis, manum misericordiæ porrigas, nunquamq; de capite tuo oleum miserationis deficiat, vt in præsenti & in futuro sempiterno præmio coroneris. Perfusus itaque oleo sancto, & coronatus diademate aureo, ab ipsis Pontificibus Hildiberto, & Wichfrido, ac omni legitima consecratione completa, ab iisdem Pontificibus ducitur ad solium.

Proceres quidem hîc iurâsse Imperatori, fidemque dedisse legimus: iuramenti Regis nulla fit mentio. Inire regnum Imperatores regesque solemni ritu, priscis temporibus; ac rationi est consentaneum: iurare verò fidem subditis, quantùm ego potui obseruare, nouum. Quod eò à me non disputatur, tanquàm receptum morem improbem, sed vt demonstrem hoc non esse necessariò coniunctum cum acceptione Regni: & vbi more hoc receptum est, non derogare supremæ monarchicæ potestati. Deus ipse iurauit Abrahamo; iurauit & Dauidi: iuramentum præstitum inferiori, non ei superiorem subijcit. Quod veteres id exigendum non censuerint à suis Principibus, factum est, ne diffidere viderentur de fide & integritate eius, cui tanta concredita erat potestas.

CAP. IIII.

Ex iure pontificio probatur coronationem nullum conferre ius, quod ante coronationem non habebatur.

CLemens 5. vis electionis quanta esset cùm non ignoraret, eos excommunicauit, qui literas à Papa concessas, & alias actiones papales ante coronationem gestas impugnare audebant. Eius verba hæc sunt: *Quia* [a] *nonnulli (prout accepimus) contra doctrinam Apostoli, sua prudentia (quin potius imprudentiæ) innitentes, ac disceptare super his, de quibus eis non expedit, satagentes, asserere non verentur, quod summus Pontifex ante sua coronationis insignia, se non debet intromittere de prouisionibus, reseruationibus, dispensationibus, & aliis gratis faciendis, nec se in literis Episcopum similiter, sed electum Episcopum scribere; nec etiam vti bulla, in qua nomen exprimatur ipsius. Nos talium temeritates compescere cupientes: singulos, qui occasione huiusmodi aliquas literas nostras super negotiis quibuscunque confectas, quæ à nobis ante coronationis nostræ insignia emanârunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententiâ innodamus. Datum apud Pesecum Burdegalen. Diœcesis. Anno 2. pontificatus.*

[a] *Lib. 5. Extr. com. tit. 10.*

Hinc iurisconsulti aiunt, quòd in Regem seu Imperatorem Romanorum à Principibus electoribus regni & imperij, in cõcordia electus, potest statim ex illa electione, licitè nomen Regis adsumere, ac iura & bona regni & imperij in Italia & alijs prouincijs eiusdem regni & imperij administrare. Nam statim ab illa electione, ius imperij ad eum emanat, regnumque à Deo, qui suffragia direxit, immediatè accipit; & nihil est, quod Episcopus [b] Romanus obijcit. *Si Principes sacrilegum vel excommunicatum, in Regem, tyrannum vel fatuum, hæreticum eligerent aut paganum, num inungere, consecrare, ac coronare hominem huiusmodi deberet?* Episcopus faceret, quod se dignum iudicaret: nihil ad eum electio pertinet. Imperatorum regnorumque iura non ab eius pendent consecratione: priores Episcopis & Papis fuêre Reges, & Imperatores. Etenim per vniuersum orbem innumeri

[b] *Venerabilem. Extr. de elect. & elect. potest.*

exiterunt

extiterunt Reges & Imperatores, ſacrilegi, excommunicati, tyranni, fatui, hæretici, & pagani, vt Deo, ipſiuſque prouidentiæ viſum eſt, qui regnis præficit etiam viliſſimos mortalium. Papæ non eſt, nec cuiuſquam, Deo præſcribere, quos Reges dare debeat.

Itaque ſi Deus Principes electores, eâ mentis ignorantiâ, erroréue in eligendo Cæſare laborare vellet, vt ſibi eligendum ducerent hæreticum, excommunicatum, ſacrilegum, & tyrannum, ego eum non minùs Regem Imperatoremq; iudicauero quouis optimo Principe; & non ſecùs ei parendum eſſe, in omnibus rebus iuſtis, quàm bono Principi. Idque quia præmoniti ſatis in verbo Dei ſumus, regna dari etiam hominibus viliſſimis, vtpotè ſeruis, tyrannis, improbis & impijs, æquè, ac moderatis & pijs Principibus. Proindè parere ac ſubijci quoque eis citra diſcrimen mandamur. Aliud eſt imperium, aliud eſt ſacrilegium: imperio qui paret, rei bonæ, quæ à Deo eſt, paret: neque conſequens eſt parere idcirco ſacrilegio & hæreſi, quia hæretico aut ſacrilego paret Principi. At mandabit hæreſin, ſacrilegia, & impia multa fieri. Quod ſæpiùs iam monui, repeto; Ne pareto: *Deo potiùs obediendum eſt quàm homini.* Qui pœnam metuit, cedat furori, fugiat tyrānum. Hoc vnicum remedium aduerſùs tyrānidem Deus pijs conceſſit, qui mundum regendum tam bonis quàm malis Principibus tradidit, De hac re audiatur Auguſtinus. *Deus* (a inquit) *ipſe dat regna terrena & bonis & malis, neque hoc temere, & quaſi fortuitò, quia Deus eſt, non fortuna: ſed pro rerum ordine ac tempore, occulto nobis, notiſſimo ſibi.* Et alio loco: b *Neronis tanta fuit luxuries, vt nihil ab eo putaretur virile metuendum: tanta crudelitas, vt nihil molle habere crederetur, ſi neſciretur. Etiam talibus tamen dominandi poteſtas non datur, niſi ſummi Dei prouidentiâ, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas.*

a *Aug. de ciui. lib. 4. cap. 33.*
b *Aug. de ciui. lib. 5. cap. 19.*

CAP. V.

Sententia Nicolai Cuſani.

NIcolai c Cuſani de Regis electi iure ſententiam audiamus. *Sufficit ſcire* (iuquit ille) *quòd electio libera, à naturali & diuino iure dependens, non habet ortum à poſitiuo iure, aut homine quocunque, vt in eius arbitrio exiſtat, quoad hoc, validitas electionis, maximè in eligendo Regem & Imperatorem, cuius eſſe & poſſe ab vno homine non dependet. Vnde Electores, qui communi conſenſu omnium Alemannorum, & aliorum qui imperio ſubiecti erant, tempore ſecundi Henrici conſtituti ſunt, radicalem vim habent ab ipſo communis omnium conſenſu, qui ſibi naturali iure Imperatorem conſtituere poterant; non ab ipſo Romano Pontifice, in cuius poteſtate non eſt dare vnicuique prouinciæ per mundum Regem vel Imperatorem, ipſa non conſentiente, &c.* Deinde ſequitur: *Vnde ipſi cōmuni fungentes legatione omnium qui imperio ſubſunt, etiam totius ſacerdotij & Romani Pontificis, eligunt: qui electus ſine dubio ex ipſa electione cuncta conſequitur. &c.* Addit præterea: *Vnctio autem & coronatio (quas etiam legimus aliis regibus tribui) nec arguunt in Papa maioritatem ſupra ipſam electionem confirmandā vel infirmandam; vel ſuper ipſum etiam imperium, quoad temporalia; (ſicut nec vnctio quæ fit Regi Franciæ Rhemis, aut coronatio ipſiuſmet Imperatoris per Archiepiſcopum Colonienſem Aquiſgrani. Et hoc ex eo, quia legitur Othonem primum, ab Archiepiſcopo Moguntinenſi Hildeberto Aquiſgrani inunctum in Regem Alemanniæ & Francorum, de conſenſu & voluntate Principum, & totius populi Alemanniæ, Saxoniæ, & Franciæ. Sic etiam legitur, ab Hergero Archiepiſcopo Moguntinenſi, vnctionem ac diadema, mortuo Conrado Rege, Henrico primo de communi omnium conſenſu oblatum, qui recepto diademate noluit inungi, quia dixit ſe indignum. Ex quibus patet vnctionem nihil præſtare imperiali poteſtati. Inſignia enim illa, quaſi ad maieſtatem ſacram, quæ imperio ineſt, oſtendendam, materiali viſibili ſubiecto imperii, cum cæremoniis impenduntur, vt ſint ſigna prædicantia admirandam illam potentiam: ſicut ſimilia in Romano Pontifice videmus fieri, tamen ante omnia talia, Papa eſt poſt electionem.* Ex his Nicolai Cuſani rationibus & exemplis, perſpicuum omnibus fit, quid iuris ſola electio adferat, & quid coronatio addat.

c *Lib. 3. De concordia cathol. ad extrau. de elect. & elect. poteſt. cap. 4.*

CAP. VI.

Henricus quintus in ſua coronatione Papæ iurare noluit; & quid cauſæ ſit cur Imperatorum electioni, Papæ non tantum tribuunt iuris, quantum ſuæ.

TAmen hiſtoriā Henrici quinti etiam hīc ſubijciam, qui in ſua coronatione Papæ iurare noluit. Ex ea enim euincitur, Iuriſconſultos illius ætatis, qui Imperatori erant à conſilio, non iudicâſſe Imperatorem, Papæ aut Epiſcopis iurare teneri.

Henricum

Henricum 4. Romani Pontifices, & alij Episcopi multis modis afflixerunt, quem & postremò suscitato filio contra patrem, vi regno deturbârunt. Filius autem surrogatus patri in regnum, eis meritam reddidit mercedem. Quùm enim Romam cum exercitu venisset, vt à Pontifice coronaretur, is ab eo postulauit, vt priùs ipsi & Romanæ Ecclesiæ iuraret: quod facere recusauit dicens; Imperatorem nemini iurare debere, cui iuramentorum sacramenta sint ab omnibus exhibenda. Helmoldus Presbyter in chronicis Sclauorum, rem ita narrat. *Facta est ergo contentio inter dominum Papam & Regem, & interceptum est opus consecrationis. Statim armatus Regis exercitus efferatus est in iram, iniecerũtq; manus in clerum, & spoliauerunt eos vestibus sanctis, quasi lupi grassantes inter ouilia. His auditis, Romani proruunt ad obsistendum, eo quòd viderent iniuriari clerum; ortumq; est bellum in domo beati Petri, tale quale non est auditum in annis antiquis. Præualuit autem exercitus Regis, attriuerunt q; Romanos interfectione magna nimis; nec fuit discretio cleri & vulgi, omnia deuorante gladio. Ibi pugnauit robustissimus quisque, quousque obrigesceret gladius in manibus eius. Et repleta est domus sanctificationis, morticiniis, & cadaueribus: profluxerunt q; de aceruis mortuorum, riui sanguinis, adeò vt Tiberina fluenta mutarentur in colorem sanguinis. Sed quid multis immoror? Dominus Papa, & cæteri qui occisioni superfuerant, in captiuitatem ducti sunt. Videres ergo Cardinales funibus in colla missis, nudos trahi, vinctis post terga manibus, & de ciuibus immensas cathenatorum cateruas duci. Postquàm ergo profecti de Roma, venerunt ad primæ mansionis locum, accesserunt quidam Episcopi & religiosi ad dominum Papam, dicentes ad eum: Magnus dolor est cordi nostro, sanctissime Pontifex, de tanto facinore quod commissum est contra te, & clerum tuum, & ciues vrbis tuæ. Sed mala hæc exigentibus peccatis nostris improuisa magis, quàm deliberata fuerunt. Assentire ergo nobis, & complacare Domino nostro, vt & ipse complacetur tibi, & perfice in eo opus benedictionis tuæ. Quibus ille respondit: Quid dicitis, ò dilecti fratres? Virum hunc iniquum, virum sanguineum & dolosum, à nobis consecrandum ducitis? Benè expiauit manus suas ad percipiendam consecrationem, qui æras Dei perfudit cruore sacerdotum, & domum sanctificationis repleuit cadaueribus interfectorum. Absit à me verbum hoc vt ego consentiam consecrationi eius, qui seipsum execrabilem reddidit. Cumq; illi dicerent cautum esse saluti suæ, & eorum qui erant in captiuitate, vt Regem placaret; respondet cum magna libertate, dicens. Non timeo Dominum vestrum Regem: Occidat corpus si vult; amplius non habet quod faciat. Multùm quidem prosperatus est in cæde ciuium, & cæteri sui; sed dico vobis in veritate, quia de cætero non assequetur victoriam, nec videbit pacem in diebus suis; sed nec filium generabit, qui sedeat in throno eius. Cumq; hæc renunciata fuissent in conspectu Regis, exarsit in iracundia magna, iussitq; omnes captiuos decollari in facie Domini Papæ; vt vel per hoc deterreret eũ. Ille verò instanter hortatur eos, mori fortiter pro iustitia, promittens eis eternæ vitæ immarcescibilem coronam. At illi vnanimiter prouoluti pedibus eius, orabant dilationem vitæ. Tunc beatissimus Pontifex, suffusus lachrimis, conteſtatus cordium inspectorem, se malle mori quàm cedere, si non præpediret ouibus Christi iure impendenda compassio. Fecit ergo quod necessitas imperârat, & promisit se Regem consecraturum, vt captiuitas relaxeretur. Reuersiq; in vrbem, Dominus Papa & Cardinales fecerunt Regi secundùm voluntatem eius, ex toto quidem obsequio, dederunt q; ei priuilegium super omnibus quæ desiderauerat anima eius.* Hactenus Helmoldus. Ex ijs patêre arbitror nihil iuris adferre Regibus, aut Reginis coronationem, aut iusiurandum, quod ex electione aut natiuitate non habeant. Hunc Imperatorem iurâsse Aquisgrani Episcopo Colonienſi non est verisimile, qui id Papæ exhibere noluit.

Iniquus est Romanus Episcopus qui neget electioni Imperatorum & Regum, ius quod ipse suæ tribuit. Par enim ius competit Regibus in sua regna, ex electione de ipsis facta, quod Romano Papæ in suum Papatum, eius confert electio.

Mirum esset ex Imperatorum & Regum coronatione, Pontifices sibi obnoxios, Reges esse, audere argumentari; cùm Ostienses Episcopi, qui Papas coronant, nihil potestatis in ipsos sibi vendicare posse nouerint, nisi penes Romanum Episcopum summum totius orbis Christiani, & omnium Ecclesiarum Imperium crederent. Nam electiones Episcoporum & Magistratuum confirmandas esse ab eo qui summum tenet imperium, notum est. Quando suos dominos Papæ agnoscebant Imperatores, indignum suam electionem ab eis probari non iudicabant. Quotquot electionem Imperatorum & Regum, vel etiam successionis hæreditariæ ius, aut ab Episcopis, aut à Proceribus, populóue confirmandum censent, atque etiam confirmari, eis similiter summum imperium tribuunt.

Maior

Major potestas à minore nec probari, nec improbari potest. Hinc fit vt Romanus Episcopus sui solius electionem tanti faciat, vt eâ solâ se consequi plenum suæ Apostolicæ sedis ius ante consecrationem credat, quod posteà habiturus est; idque electioni Imperatoris neget, vtpotè quem loco vassalli, atque clientis habeat: ipse verò superiorem agnoscat neminem.

CAP. VII.

Ante coronationem adiri regni possessionem, ex recepto vsu, multis docetur exemplis.

IVre autem natiuitatis etiam adiri possessionem regni ante consecrationem, vsu & consuetudine notum est. Iohannes 2. anno ab incarnato Christo. 1407. infans vnius anni, Castellæ Rex electus est, cùm Ferdinandus ipsius patruus, aut alius quispiam ex linea collaterali Regiæ stirpis potuerit eligi. Est enim illud regnum regio generi hæreditarium, & personæ electiuum. Iacobus sextus Scotiæ Rex, in maternum regnum infans successit, nec minus iuris in regno suo habuit, antequàm quidquam populo suo iuraret, quàm habet hodiè. Item Gallorum Rex Carolus 9. puer admodùm regnum inijt, priusquàm per ætatem scire posset quid iuramentum valeret. Carolus 7. ac si patris sui legitimus fuisset hæres, diù regnauit, antequàm Rhemis consecrari potuit. Rex Carolus quintus cùm longiori vitæ diffideret, & hæredem regni adhùc infantem relicturus videretur, legem tulit, quæ natos Regum ante 14. ætatis annum coronari prohibet: haud dubiè id nunquàm facturus, si ius regni vel tantillum à coronatione pendere iudicâsset: præsertim illis temporibus, quandò de iure regni cum Anglis certabatur. Ideò enim coronantur Reges, quia sunt Reges, non autem fiunt Reges, quia coronantur.

Quamuis nihil iuris coronatio Regi adferat, quod aliundè totum priùs non habeat; tamen expendamus quid indè aduersarij queant efficere. Ab Imperatore exordiar. Electo Imperatori statim Prncipes electores conditiones iam superiùs notatas proponunt, quibus absolutam, & legibus omnibus exemptam supremam potestatem certis legibus astringũt: vt sunt, *Quòd leges omnes, iura & priuilegia imperii confirmet; neminem inducta causâ proscribat, sed iuris ordinem in eo sequatur; quod secùs factum erit, irritum habeatur.* Quas cõditiones, si reip. est vtile, non improbo exigi. Olim Populus Senatusq; Romanus aliud iudicauit. Illis interim cautionibus testatum fit, quæ sit Imperatoris potestas, nisi legibus illis se submitteret: qua in re de iure suo derogat, quod ei aliâs maneret integrum.

Quod si promissa quæ iurauit, non seruârit; non excidit regno. Tantùm irritum futurum est, & vim non ius fore, quod ex imperio contra pactas conditiones fecerit, certum est. An iura & priuilegia imperij aliqua sint, quæ adimant imperium Cæsari, si contra leges iuratas fecerit, nescio. Certè scriptum ius non adimit, quod Principum legibus soluit.

Tametsi enim quæ Imperatores & Reges sanctè iurârunt, seruanda sint; & dignus existat qui fallit fidem, vt ei nulla seruetur; tamen si fortè Imperator fidem iuratam violârit, summi imperij reuerentia ius mouendi belli in Imperatorem subiectis non concedit.

Principum Germaniæ, & ciuitatum magnam esse libertatem & potentiam non ignoro, cui absit, vt ego quidquam detractum velim: sed quo ea maior est, Imperatoris est minor: quidquid eis accreuit, Imperatori decreuit. Vnde ad defendendam rempub. minùs potens factus est: quandò enim premit aliqua necessitas, distractas imperij vires recolligere est difficile.

CAP. VIII.

Regum quorundam iuramenta duo continent, quorum alterum ad Regum officium, etiamsi nihil iurent, pertinet; alterum est, quo derogatur Regiæ potentiæ.

IMperatoris & Regum iuramentum duo quædam continet, quorum alterum est Regis officium, ad quod tam iure diuino, quàm humano tenetur, etiam si nihil iuret: Cuiusmodi illa sunt, *Quòd fidem Catholicam seruabit, Ecclesiam defendet, iustitiam administrabit, viduas & pupillos tuebitur.* Alterum quædam continet, ad quæ nec Imperator, nec Reges tenentur, nisi ipsi sacramenti religione seipsos seruandis illis obstringerent: cuiusmodi sunt, vrbium, & Nobilitatis priuilegia, & immunitates, quibus Cæsareæ & Regiæ potestati derogatur: vt quòd Imperator Pontificem,

&

& Ecclesiam Romanam defendet, cuius se fore promittit aduocatum. Et quòd Reges Ecclesijs, & Episcopis conseruaturi sunt priuilegia Canonica, quæ nullo iure diuino nec humano fulciuntur; & quidquid est huius generis, quo debilitatur Regia potestas, & potentia & authoritas subditorum in Regem augetur.

Prior iuramenti pars nihil continet difficultatis, præter hanc vnam, viz. num vtrinque promissiones illæ sub conditione fiant, an absolutè, & vt aiunt, simpliciter. Quam controuersiam infrà tractabimus, vbi ad iuramentum Regis Poloniæ ventum erit. Altera iuramenti pars, qua legitimæ Regiæ potentiæ detrahitur, & subditis plus quàm ordinario iure possint sibi vendicare, tribuitur, habet difficultatem: non quin Rex teneatur seruare quicquid sacramento nominis Dei se seruaturum esse promisit; sed si iurare recuset, aut coronari ab Episcopo nolit, num propterea regni iure excidat. Imperatorum enim, & Regum electioni, & hæreditariæ successioni conditiones illas coniunctas naturâ non esse docuimus, quin adire regnum Rex possit iure hæreditario, aut electionis, antequàm coronetur, aut quicquam iuret.

Sed cùm omnium regnorum non sint eadem iura, & pluribus sit Regum nomen commune, quorum non est par in subditos potestas; malè ab aduersarijs ad vnam normam omnia regna exiguntur, & simul coniunguntur plures Reges cum Romanorum Imperatore, cuius potentia non tam attrita, quàm multis modis accisa est. Omnium enim non est par, & similis regnandi ratio.

Pleriſque in locis Reges siue vltrò sua sponte, quòd reipub. vtile fore iudicarent; siue pretio, fraude, dolóue circumuenti; siue bello aut vi, aliáue necessitate coacti, dimidiam partem regiæ potentiæ suis concesserunt subditis. Quo iure, quáue iniuria, serò disputatur, quandò factum esse constat. Anglorum & Gallorum Reges Monarchæ sunt, qui absolutè regium in suos habent imperium: Danorum & Polonorum Reges, nescio quibus legibus, cum populo & suis Palatinis illud partiti sunt: si modò vera sunt quæ à Rossæo, & nonnullis alijs feruntur.

CAP. IX.

Reges non esse Dominos regnorum suorum, sed tantùm Curatores, ex verbo Dei falsum esse conuincitur, & liberis votis Reges electos, aut natos à populo expeti, falsum.

QVod autē Rossæus ait, *Successores in regno ab Episcopis, & Proceribus, & plebe assumi, non quasi fundi Dominos, sed tanquam prædii alieni Curatores, & ad capessendam rempub. liberis votis expeti, & in defuncti locum surrogari*, falsum esse docebo.

Sed odiosè comparantur nostri Reges, cum Ottomannis, qui non tantùm Reges sunt, sed etiam Domini suorum subditorum. Quid autē inter Dominum & Reges interſit, à nobis dictum fuit: repeti nihil opus est. Regius dominatus ab herili differt, quòd hic libertatem tollat, ille nihil ei officiat. Alieni prædij Reges curatores esse, verbo Dei & legibus ciuilibus aduersatur. Quidquid in regno possidetur, aut feudum est, aut allodium. Feudorum Rex est directus dominus: ab allodijs tributum, & seruitutem, quando reipublicæ necessitas postulat, potest exigere.

Verba Prophetæ Nathanis regni proprietatem pertinere ad Reges apertè significant, quibus ad hunc modum Dauidem alloquutus est, *inquiens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: ego vnxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in sinu tuo, dediq; tibi domum Israel & Iuda; & si parua sunt ista, adiiciam tibi multo maiora.* Et Daniel ad Regem Nebucadnezarem: *Tu Rex Regum es, & Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tuâ, & sub ditione tua vniuersa constituit.* Itaque dominus Nebuchadnezar erat regnorum, quæ Dominus ei dederat, non curator; sicut nec Dauid in regno Iuda & Israel. Sed Ioseph in Ægypto, & Daniel in Babylone, alienæ rei fuêre curatores, sicut etiam & hodie sunt omnes inferiores magistratus & rectores prouinciarum sub Regibus.

Item liberis votis expeti Regem, vbi legibus hæreditariæ successioni regnum defertur, & iure sanguinis proximo defuncti Regis debetur, affirmare, ab omni ratione alienum est. Voti enim libertatē tollit ea, quæ à legibus, omni sublata intercedendi potestate,

proficiſcitur recipiendi Regis neceſſitas. Si quis, vt acumen ſuum oſtentet, neceſſitatem cum arbitrij libertate contendat poſſe ſtare, nihil ei aduerſabor. Sint libera vota populi, & neque coacti, neque inuiti recipiant Regem, eiq́ue ſeſe ſubijciant voluntarij, modò negetur poteſtas eum reijciendi, quemcunque electio, aut natiuitas dederit. Sed quomodo regiam dignitatem, ab Epiſcoporum, & Procerum, populiq́ue electione pendere, ex hac conſecrandi Regis ratione doceant, videamus.

Quod populus interrogatur, vtrùm hunc pro Rege habere velint, ſuperflua quædam eſt ceremonia. Quid ſi negarent? Quid ſi in diuerſa diuiderentur ſtudia? Sed vt tota multitudo, quæ illic cõueniſſe poteſt, conſentiat, quota, obſecro, pars illa eſt populi totius Germaniæ, aut Galliæ? Illorum ſcilicet conſenſus toti imperio, aut toti regno Galliæ Regem dabit.

In Romani Regis coronatione Archiepiſcopus à populo petit, *vt ſi placet electio, dextris in cœlum leuatis, ſibi placere Regem ſignificent.* Sed non in hunc finem id à populo illic præſente exigitur, vt iudicetur in eius poteſtate eſſe Regem repudiare. Primùm omnium totius populi, & procerum qui ſubſunt imperio, nomine & authoritate Imperator iam electus eſt. Deindè milleſima pars totius imperij non adeſt. Præterea reliquus populus, ad quem res non minùs ſpectat quàm ad eos qui præſentes adſunt, nullam poteſtatem dedit communi nomine admittendi, aut repudiandi Regis. Poſtremò, coniunctio *ſi* non ſẽper eſt conditionalis: proinde hæc clauſula, *ſi placet vobis*, idem eſt ac ſi Epiſcopus diceret, Quandoquidem placet, aut quòd placet iſta electio, *id dextris in cœlum ſublatis ſignificate.* Quiuis ſermo interpretandus eſt tam ex ſenſu eius qui loquitur, quàm eorum qui ſermonem excipiunt. Sed nec Archiepiſcopus ſignificatum vult, nec quiſpiam tunc intelligit populo facultatem dari repudiandi, aut admittendi Regem. Falſa igitur eſt interpretatio, quæ hinc trahit populi conſenſum neceſſariò requiri in coronatione Regis, vt plenum conſequatur imperium.

Sed etiam hæc ſententiam aduerſariorum euertunt; primùm quòd Rex Gallorum ait in ſuo iuramento, *ſe ſpondere populo Chriſtiano ſibi ſubiecto*; deindè quòd Archiepiſcopus Regi dicit, quando ſceptrum ei tradit, & diadema capiti eius imponit: *Hæc omnia tibi, tanquàm vero & legitimo hæredi, authoritate omnipotentis Dei, iam nunc traduntur per nos, qui hic adſumus, Epiſcopos, & alios Dei famulos*: horũ verborum hunc verum eſſe ſenſum oportet, populum eſſe ſubiectum regi antequàm ei quidquam iuret; atque Regni diadema, authore Deo, legitimo hæredi cui obuenit, eſſe tradendum; & idcirco tradi: & cùm poſſet illa ornamenta Regi à Nobilibus tradi, per Epiſcopos id fieri, vt omnes intelligant regnum rem eſſe ſacram, & proximè à Deo tradi.

CAP. X.

Epiſcoporum conſecratio nihil Regibus dat authoritatis, & fabula eſt à S. Remigio Clodouæum fuiſſe vnctum; ex formula tamen conſecrationis nihil aliud efficitur, quàm iure Reges eſſe antequàm conſecrentur.

EPiſcopi qui ex ritu coronandi & vngendi Reges, authoritatem à Deo ſibi eſſe commiſſam creandi & eligendi Reges, & poſſe repudiare legitimum hæredem diſputant, propter hæreſim, aut aliud aliquod peccatum, peruerſè errant, nec liberi ſunt à læſæ maieſtatis crimine. Quod ſi tanti ſuum oleum faciunt, vt ipſis religio ſit, eum, quem ipſi non probârint, regem inungere, illud ſibi retineant, & ſciant regiam dignitatem indè non pendere. Chriſtus Domini fuit Cyrus, nullius tamen ſacerdotis, aut Prophetæ vnctus legitur chriſmate. Rex eſt, quem diuina prouidentia natiuitatis aut electionis iure ad regnum naſci voluit.

Sed vndè Epiſcopis hæc tanta poteſtas, vt nemo Rex ſit futurus, niſi quem ſua vnctione dignum cenſuerint? A Domino noſtro Ieſu Chriſto eam ipſos non habere certum eſt: imò nec à Regibus, nec à proceribus, nec à populo. A quo igitur? A conſuetudine, inquiunt, quæ cœpit cum Clodouæo primo Chriſtiano Rege, *qui hoc ius Rhemenſi dedit Epiſcopo, & poſteà illud ſummus Pontifex Victor confirmauit: id quod Rex item agnoſcit, & rurſus confirmat.* Papæ! Quid audio? A Clodouæo igitur? Sed quid? Réxne legitimus erat Clodouæus, antequàm baptizaretur, & inungeretur à Rhemenſi Epiſcopo? An tum demum cœpit eſſe Rex, qnando eum Sanctus Remigius baptizauit, & poſteà Regem inunxit?

Regem

Regem fuisse Francorum legitimum ante baptismum, & vnctionem illam, notum est. Illa igitur quid Regi contulit, quod anteà non habuerit? Ecquid hodiè amplius Regi dare potest quàm quod olim Clodouæo dedit? Sed baptizatum quidem Clodouæum lego, in Regem verò vnctum non inuenio. Vnctio, cuius quidam mentionem faciunt, ad baptismi pertinebat ceremoniam. Postquàm tamen ita vultis: sicut Sanctus Remigius Clodouæũ, qui anteà verus Rex erat, vnxit; ita Rex sit priùs oportet verus & legitimus, quàm eum Rhemensis vngat. Legitimum hæredem eum qui non est, facere non potest sacrandi formula: supponit enim eum esse legitimum hæredem. Vnde consequens fit proximum hæredem verum esse Regem, priusquàm coronetur: & coronationem nihil aliud esse, quàm notam, & insigne Regiæ dignitatis à Deo illi qui sacratur, collatæ.

Si olim successores Sancti Rhemigij, procereſque Francorum, coronationi Episcopi vim inesse tantam credidissent, & ipsorum, & procerum, atque populi esse Regis futuri electionem, nunquàm tantoperè laboratum fuisset in Childerico deponendo. Negandus tantùm à nobilitate, & populo consensus: neganda tantùm coronatio à Rhemensi Episcopo fuisset. Sed Pipinus, procereſque Franciæ tunc temporis hoc ius ignorabant, quandò consulendum duxerunt Romanum Episcopum, & à Bonifacio Moguntino Archiepiscopo coronatus est. Si tamen Rossæus fabulam illam veram esse contendat, nihil aliud obtinebit, quàm cùm hoc proprium priuilegium sit Gallorum Regibus, vniuersalem legem cæteris regnis non constituere.

CAP. XI.

Potestas Regia in regnis hæreditarijs, est à sola generatione.

MAnifestè quoque falsum & illud est, quod ait Rossæus, *Ordinem coronationis esse generalem omnium Gallorum, Christianorum, Episcoporum, procerum, & populi vocem, ad Regem ita dicentium; Regia potestas tibi non est à natura, à generatione sola, sed nunc tibi traditur per Episcopos, omnipotentis Dei authoritate.* Nam quod homines attinet, natiuitatis, sanguinisque ratione solâ, Deus regnum, quod in vna quapiam familia collocauit, confert; non quia natiuitas sanguisque id meruit, sed quia ipse Deus ita voluit. Nec aliud quicquam homines respicere fas est, quùm nusquàm Deus delectum facere subiectos iusserit inter bonum & malum Principem, cui pareant: sed ei parere, quemcunque dedisset.

Constituto enim regno in Dauidis familia, quamuis multi fuerint indigni, qui regnarent; tamen quùm propter Dauidem, manere regnum in illa familia voluerit, illud nec à populis proceribúsue auferri, aut transferri aliò potuit. Et quamuis parem causam allegagare de cæteris regnis non possumus; esse tamen apud Deum causam, cur in hac familia potiùs, quàm in alia quauis, regnum esse velit, dubium non est. Regnum, quod solius authoritate Dei est traditum, non nisi eiusdem authoritate est adimendum. Conferendi adimendique regni potestatem à proceribus populoque abstulit, quandò in aliqua familia illud collocauit, aut victori iusto bello dedit.

Falsum est igitur Regem neminem nasci, neque vllum omnino inter Christianos regnum esse, in quo hæreditaria successio sic polleat, quin penes populum constituendi ius remaneat. Quandò expectatur partus viduæ defuncti Regis, quam reliquit grauidam, sicut in Gallia, & alijs hæreditarijs regnis factum constat; Posthumus qui nascitur, Regem nasci, nemo subiectus illius regni, nisi perduellis, negabit.

CAP. XII.

Ementita & conficta iuramenti formula, & fabula de ampulla & cœlesti liquore, confutantur: & ius sacrandi Reges, quod Rhemenses Episcopi pretendunt, nullum esse demonstratur.

QVod adfertur iuramentum ex Bibliotheca Belluacensi, ante quingentos annos, tempore Henrici primi, in libro quodam inuētum; nempe. *Ego N. Dei gratiâ mox futurus Rex Francorũ, in hoc die ordinationis meæ polliceor coram Deo & Sanctis eius, quòd seruabo priuilegia canonica, iustitiamq; & ius vnicuiq; Prælato debitam, vosq; defẽdam, Deo iuuante, quãtùm potero; quẽadmodũ Rex ex officio in suo regno defẽdere debet vnumquemq; Episcopũ & Ecclesiã;*

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY, NEW YORK

& administrabo populo iustitiam, & leges, vti ius postulat. Hæc est (inquit Rossæus) *antiqua Gallicos Reges sacrandi, & in regio solio constituendi forma, à primo Clodouæo, vsque ad Philippum primum continuata.* Ergo & Clodouæus illa formula vsus est: & S. Remigius (si Deo placet) illam formulam Regi suo dictauit: cui Rex regnum simul tradidisse oportuit, sicut Syluestro Constantinus Imperium Occidentis scilicet. Nam nemo qui se iam fuisse, & esse Regem crederet, ita loqueretur; nec quisquam tam ineptus, qui Regi suo talem formulam præscribere auderet. Regnum scilicet S. Remigio tradiderat, vt illud in feudum ab eo reciperet: sed cui Franco id verisimile putas esse futurum?

Hoc non ait, (inquies:) tamen tam verum hoc est, quàm à Clodouæo vsque ad Philippum primum illa formula fuisse vsos Francorum Reges. Scimus ætate S. Remigij non eos fuisse Episcoporum mores. At sunt quingenti anni. Et hoc facilè credimus: nimirum illis temporibus, quandò densissimis homines erant immersi tenebris, & nihil non auderent Episcopi & Monachi, fuisse illam formulam iuramenti confictam.

Nam quisquis illius author fuit, persuasum mundo esse voluit, Regem virtute coronationis Episcopalis regnum accipere, illudque deberi Episcoporum benignitati. Nam tota refertur ad defensionem Episcoporum, Procerum nulla mentio. Quod autem de populo additur, veluti parergon adiectum videtur.

Expende, candide lector, ac tecum formulam examina, & videbis nihil, aut perparum differre ab iuramenti forma, quâ vassalli Dominis suis iurare consueuerunt, ac sese suamque fidem illis obstringere. Impudentiam, obsecro, istorum spectate hominum. Potens & bellicosus Rex Clodouæus erat, antequàm Christianus fieret, qui nec vnctione, nec coronatione vlla opus habuit, vt Rex fieret, aut in regno confirmaretur: & illa vngendi Reges consuetudo nondum inualuerat; quæ tum demum cœpit, quandò in regnum Pipinus Childerico surrogatus est.

Quod narratur de sacro oleo in ampulla cœlitùs per angelum, aut (vt alij volunt) candidam columbam misso, mera est, vt dixi, fabula, quæ nullo fide digno Scriptore probari potest. Illorum enim temporum historiæ nullam eius faciunt mentionem, cùm tamen miraculorũ, quæ illo die, quo Clodouæus baptizatus est, memoriam non præterierint. Præterea ille liquor (si vera est fabula) non missus cœlitùs narratur, vt Clodouæus in Regẽ vngeretur, sed vt more recepto, sicut cæteri omnes, qui tunc temporis baptizabantur, consueuerant.

Gaguinus de ea ita scribit. *Cum sacrosanctum oleum, quo liniri ritu Christiano qui abluuntur solent, siue Ministrorum incuriâ, siue hoc agente Deo allatum non esset, eccè de superis delapsa columba, phialam (quam ampullam vocant) odoratissimi liquoris oppletam, ad manus Remigij detulit. Alii aiunt ab angelo; & cùm præ turba, diaconus cum oleo non posset ad S. Remigium penetrare, id esse factum.* Addit Gaguinus, *Creditum est Spiritus Dei ministerio id præparatum fuisse. Eo liquore hic Clodouæus primùm, posteri deinceps Francorum Reges, hactenùs regnum administraturi sacrantur.* Stultæ plebeculæ commentum placet: cui aliud miraculum additur, liquorem illum fontem habere in ampulla perennem, vacuam viuo Rege, impleri quandò nouus inungendus est Rex.

Clodouæus quatuor habuit filios quos regni hæredes reliquit, à quibus in quatuor regna, regnum Francicum distractum fuit. Regno Parisiorum præfuit Childebertus, Suessionum Clotarius, Aurelianorum Clodamirus, & Metensium Theodericus. Quis istorũ quatuor cœlestis olei hæres à Rhemensi Episcopo vnctus & coronatus fuit? Quamuis posteà diffectæ regni partes in vnum coaluerint, fuére tamen rursum pluries diuisæ. Sed de nullius Regis inunctione fit vsquàm mentio, donec ad Pipinum ventum est, quem non Rhemensis, sed Bonifacius Archiepiscopus Moguntinensis vnxisse dicitur.

Quàm nihil sit frontis in Rossæo, hinc maximè fit euidens; quòd cùm non ignoret ab Episcopis Aurelij congregatis, prærogatiuam, quam Episcopus Rhemensis sibi arrogat, illic fuisse negatam, & confutatam; adserere tamen eam audet debitam & necessariam. Sed constat ex ipsa confessione tergiuersantis Rossæi, plerosq; Reges non ab Episcopo Rhemensi vnctos, coronatosque, sed ab alijs, diuersis in locis; quod excusatur, tanquàm necessitate aliqua factum, aut belli; aut quia Episcopus Romanus in Gallia erat, à quo coronam accipere magis honorificum videbatur; aut quia Rhemis nullus erat Archiepiscopus. Benè habet, quòd excipitur necessitas: quæ quum non minor sit in hoc Rege,

quàm

quàm in vllo qui ante eum fuit, eandem quoque excusationem valere, æquum est: vt possit (si ipsi videatur) ab alio quouis coronari Episcopo, propter eos qui hoc ad plenum regni ius obtinendum necessarium iudicant.

Regi tamen in primis cauendum est, ne dum pluris facit Episcopalem coronationem quàm æquum est, pernicioſum errorem confirmet; & ius, quod aliundè habet plenum, petere videatur ab Episcopis: qui eò rem nunc deduxerunt, vt nisi ab ipsis quis coronetur, Rex haberi non debeat.

CAP. XIII.

Coronatio Episcopalis falsò adseritur tollere de regno controuersiam.

ROssæus disputat, coronatione Regum Galliæ omnem controuersiam, si qua sit, de successione tolli. *Cùm enim* (inquit) *Philippo patre mortuo, de successore statuendo, æmulatio & contentio inter Proceres inciperet exardescere, (neque enim proxima cognatio sine Ordinum assensu ad Regiam sedem obtinendam satis erat:) Ludouicus autem Philippi filius, quoniam in adolescentia Ecclesiæ amicitiam liberali defensione promeruerat, pauperum & orphanorum causam sustentauerat, tyrannos potentiore virtute perdomuerat, ad regni fastigium à bonis expetebatur, sicut mali & impij eum excludere volebant. Hanc ob causam consulti Proceres decreuerant (potissimùm ita suadente sapientissimo Iuone Carnotensi Episcopo) vt ad tranquillitatem reip. procurandam, & refellendam impiorum machinationem, quàm citissimè Aurelias conuenirent, & Ludouicum Regem coronare festinent. Hoc enim controuersiam omnem tolleret, & ei plenam gubernandi regni tradebat potestatem.* Hæc Rossæus: cui hoc modo respondetur. Henricus sextus, Lutetiæ, potioris partis totius regni Franciæ consensu coronatus fuit Francorum Rex; id tamen controuersiam de regno non sustulit. Sed fortè Rossæus non est Francus: sin est, eum certè nemo à perfidiæ & læsæ maiestatis crimine, non modò in hunc Regem, sed in omnes quotquot à Carolo 6. post coronationem Henrici 6. regnârunt, excusabit: quos omnes accusat tyrannidis, & totam suam gentem damnat defectionis, & perfidiæ. Sed quid non persuadet odium? Regum exterorum odium fecit, vt Salica lex placeret, & eâ nihil æquius, nihil regno Francorum vtilius crederetur. Nunc verò in proprios Reges odio conuerso displicet, atque ad fœminas transferendi regni leues Gallos incessit cupiditas: leues dico Gallos (candide lector) non fortes Francos, & regi suo fidos.

CAP. XIIII.

Præstigiæ Pontificiorum Episcoporum in coronatione Regis permutatione gladiorum, quando Rex, abiecto seculari militiæ gladio, ab Episcopo cingitur Ecclesiastico.

PErgit Rossæus: *Quare Senonensis Archiepiscopus cum aliis permultis (sed absente Rhemensi) sacratissimæ vnctionis liquore delibutum Regem, abiecto seculari militiæ gladio, Ecclesiastico ad vindictā malefactorū accingens, diademate coronauit; necnon & sceptrum, & virgam, & per hæc Ecclesiarum & pauperum defensionem, approbante clero & populo, tradidit. Quæ historia luculenter docet, etiamsi in proximo sanguine magna fuerit ad regnū adipiscendum prærogatiua, tamen eam dignitatem propriè per Episcopos cum cleri & Ordinum approbatione, tum demum conferri, cùm Rex coronatur.* Hûc vsque Rossæus.

Sed quorsùm hæc tendant qui non videt, meo iudicio nihil videt; nempè Episcopos sub specie religionis, Reges sibi obnoxios olim reddere voluisse, atq; etiámnum hodiè velle. Quod apertissimè idem Rosseus indicat marginali annotatione ad hūc locum, quem modò notaui, quæ sic habet: *Regis gladius est Ecclesiasticus, quia ab Ecclesia & ad Ecclesiæ bonū atq; defensionem traditus.* Materialem gladium habere Ecclesiam Romanam, est theologia noua, Veteribus nunquàm audita: nisi Ecclesia Reges & magistratus habeat, qui à Deo proximè, non ab Ecclesia gladium acceperunt, in quibus, quandoquidem Ecclesiæ partes sunt, gladium habet. Sed Rossæus Ecclesiam pro Ecclesiastico ordine accipit, atq; adeò pro ipsis Episcopis: qui vnde, aut à quo gladium acceperint, quem tradunt Regibus, difficile esset Rossæo ostendere, nisi fortè ex titulo de maioritate & obedientia, vbi Bonifacius duos esse gladios in Ecclesia, spiritualem viz. & temporalē, Euāgelicis dictis acutè docere sibi videtur, quandò hoc modo disputat: *Nam dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, in Ecclesia scilicet; cùm Apostoli loquerētur, non respondit Dominus, nimis esse; sed satis. Certè qui*

in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis, Converte gladium tuum in vaginam. Vterque ergò est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum & militum sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem authoritatem spirituali subijci potestati. Nam cùm dicat Apostolus, Non est potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt: non autem ordinatæ essent nisi gladius esset sub gladio. Hæc quæ Bonifacius Octauus docet, si non inepta, falsa, absurda, & à sensu Scripturæ prorsùs aliena sunt, & quæ veterum Patrũ ante eum nemo intellexit; quid possit dici ineptum, & absurdum nescio. Sed qui papatum inijt vt vulpes, regnauit vt Leo, & mortuus est vt canis, Scripturam sacram deprauare, & ad tyrannidem suam stabiliendam torquere, nemini sit mirum. Fieri enim non potest, vt melioribus auspicijs Papatum qui non est ingressus, meliùs Scripturam interpretetur. Apud Lucam Dominus alloquitur discipulos, & iubet vt deinceps quisque sibi prospiciat. Quamdiũ in terris cum ipsis egerat, nihil eis deesse passus erat, necessaria ipsis citra eorum curam suppeditauerat: quùm autem iam tempus adesset, quo in cœlum reciperetur, cuique sui habendam fore curam præmonet. Apostoli rerum cœlestium adhûc rudes, non satis adsecuti sensum verborum Domini, duos animi simplicitate gladios proferunt, quos Dominum postulare ad defensionem credebant: & huic Apostolorum errori, non tam alludit, quàm illudit Bonifacius, & ambitioni suæ atque vsurpatæ tyrannidi seruire cogit, mysterium fingens, vbi nullum est. Tanti momenti res clarius & apertius argumentum desiderat: discrimen nullum fuit inter gladios, quos habebant discipuli, materialis vterque erat.

Quid autem differat ille gladius, quo Regem accingunt Episcopi, à gladio secularis militiæ, lubens discerem. Dominus nullum vnquàm gladium tradidit Apostolis. Petrum iussit condere, quo temerè vsus erat, gladium in vaginam, cui periturum gladio prædixit, quisquis gladium vsurparet. Si quicquid Petro dictum fuit, Romano Pontifici dictum debet intelligi, gladios suos reconditos in vagina teneat, sicut à Domino, Petro præceptum fuit, nisi illis perire velit. Rebus quibus quis abutitur, ijsdem punitur: & qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem ducetur; & qui gladio percusserit, gladio vicissim ferietur.

Sed Papisticæ præstigiæ sunt, quòd Rex secularis militiæ gladium abijcit, vt Ecclesiastico accingatur. Verbum Dei gladius est Ecclesiæ: alium gladium viri Ecclesiastici nullum habent, nisi fortè eorum nonnulli militaria feuda, & quæ dicuntur regalia, ab Imperatore, aut à Rege habeant, quibus coniunctus secularis est gladius. Gladium Nero gessit ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: qui etsi secularis militiæ fuerit, prophanus dici non debet, quamuis in manibus & potestate hominis prophani fuerit, (à Deo enim eum habuit.) Et Christianorum Regum gladius, à gladio Neronis nihil differt, nisi recto vsu aut abusu, qui vtrobique inueniri potest. Qui secularis militiæ gladium abijcit, vt Ecclesiastico accingatur, fiat oportet, abiecta seculari militia, verbi Dei minister: aut planè ridiculus ille sermo est, & inanis ceremonia, nisi quatenùs Papæ & ipsius cleri interest Regibus esse persuasum, quicquid habent potestatis, se ab Ecclesia, hoc est, ab Ecclesiasticis viris accepisse.

CAP. XV.

Rex quidem à subiectis recipitur, sed non confirmatur: si naturâ qui imperet non sit idoneus, procuratio regni agnatis committetur.

POstquàm Rossæus, natiuitatis, & electionis iura, quantùm potuit, extenuauit, protestatur se *non putare Gallorum Reges illis suffragijs eligi, aut negare eosdem hæreditaria sanguinis agnatione succedere; sed adserere iuxta omnium Christianorum & liberarum rerump. morem, atque regnorum naturam & morem, proximos hæredes debere confirmari, approbari, plenamq; possessionem & iurisdictionem accipere à rep. ad quam semper spectat, si quis naturâ stultus, aut insanus, si vel corpore, vel animo monstrum, etiamsi idem generis necessitudine sit proximus, eum tamen quia regere non potest, sed tantùm destruere, ab assumendo Regis officio repellere, &c.* Regna Christianorum, quæ à gentilitate ad Dominum conuersa sunt, eiusdem sunt naturæ cum cæterarum gentium Regnis, quæ iure gentium, & æquis legibus ciuilibus reguntur. Christianismus

nismus nullas gentium politeias euertit, aut mutat. Rossæus tamen liberas respub. cum regnis, quæ duæ sunt diuersæ gubernationis formæ, malè coniungit. Regnum autem non est resp. libera, quamuis sit in liberos homines. Resp. ferè genus significat, & resp. libera, speciem; quæ cùm regno sub eodem illo genere collocatur. Quæ libera si sit, tamen Regem habet; is monarcha non est, de quo nunc disputatur.

Regem autem initio regni, recipi à rep. oportere, & plenam possessionem & iurisdictionem accipere, fatemur: confirmari verò & approbari, ea significatione, quâ minor potestas à superiore confirmatur, negamus; & à rep. hoc est, à regnicolis id deberi Regi contendimus: nec in potestate esse subditorum, reiecto legitimo hærede, alium ei substituere.

De insano, & stulto naturâ, ad regni Ordines spectare vt videant quid sit magis è re totius regni, modò veris hæredibus, nec fraus, nec iniuria fiat, extra controuersiam est. Proximis agnatis regni procuratio committitur, aut proximus hæres in regnum admittetur. Quid autem Rossæus his verbis, monstrum animo vel corpore, innuere velit, facile est intelligere. Si tamen monstrum sit huiusmodi, vt omnium iudicio non tantùm Episcoporum (qui ex sua libidine metiuntur, qui sint idonei, quis secùs) ad regnandum sit naturâ ineptus, idem iudicandum quod modò diximus de insano, & stulto.

Quòd Rossæus fatetur idem ius habere Gallorum Principes, regni hæredes à naturâ, quod Imperatores Germanorum habent ab electione; accipio: sed quod addit, Imperatorem electum non ex electione, sed ex coronatione ius imperij regendi assequi, falsum esse suprâ demonstraui. Plenum enim regni ius, & integrum, cui nihil quidquam desit, habere Imperatorem ab electione iam superiùs adeò perspicuè docuisse me arbitror, vt non contentiosis abundè satisfactum putem.

CAP. XVI.

Sponso Regem electum, aut natum coronatum, marito ineptè comparari; & hæresin esse affirmare, Regem illum esse tyrannum & inuasorem, qui possessionem regni suscipit absque Episcopali consecratione, & iureiurando. Nazianzeni authoritas retorquetur in Romanum Episcopum, & impudenter Henrici primi & Othonis exempla adferri, reprehenditur.

SEd præterire nolo simile, quod de sponsalibus adfertur, ex quibus in vxorem maritus ius accipit, si modò intra nuptiarum leges contineatur, nec ad ciuilia transferantur iura. Etenim celebratio nuptiarum, vinculo sponsalium per verba de præsenti, vt loquuntur, cõtractorum, nihil addit. Contractæ priùs veræ fuêre nuptiæ: vt si millies vtrinque posteà priuatim vel publicè promissiones iterentur, validius quàm erat antè, non fit coniugij vinculum. Eodem modo natiuitate aut electione Rex nihil iuris ex consecratione consequitur, quod priùs non habebat. Et quemadmodùm ad vinculum nuptiarum non pertinet publica illa solemnizatio, post contractum matrimonium per verba de præsenti, (nam sine ea veræ constant nuptiæ:) similiter nec publica coronatio nouum aut maius aliquod ius Regi confert. Romanorum Imperatores electi, & regni Galliæ hæredes, malè comparantur cum sponso qui fidem dedisset alicui puellæ vel fœminæ, ipsam fore vxorem, per verba de futuro; cùm potiùs marito comparandi sint ex electionis vi aut natiuitatis.

Hæresis est & dogma contrarium Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, adserere Gallicanæ reip. Regem in sacro coronationis actu, vbi expressè mutuus est vtriusque partis consensus, è sponso verum tanquàm maritum & coniugem, Regem reip. euadere: & quicunque aliter regnare vult, esse adulterum, non maritum; esse tyrannum, non Regem; esse inuasorem, non successorem; maximè si ab antecessorum suorum fide decesserit. Nam quod de Galliæ Rege & de electis Imperatoribus dicitur, de alijs regibus est intelligendum, quos tamen verbum Dei pro regibus habet, & omnes gentes tanquàm Reges coluêre, quamuis sine vllo iuramento, aut coronatione susciperent imperia, nec in fide maiorum suorum permanerent.

Ante Pipinum nulli Francorum Reges, nec Romanorum Imperatores coronati vnctiue leguntur. Constantinus Magnus, eiusque filij, Constans & Constantius; similiter

Valentinianus & Valens, Gratianus, Theodosius, Honorius, & Arcadius, & alij innumeri coronationem Episcopalem ignorauêre: Fuerunt tamen veri Imperatores, & patrum, aut prædecessorum suorum legitimi successores, etiamsi à fide & religione patris quidam eorum desciuerint. In successione autem Regum, quos Deus vngi iussit, tam Roboam, Abiam, Manasses, alijque qui idololatræ fuêre, veri Dauidis successores habentur, quàm Asa, Iosaphat, & Ezechias. Et, vt suprà diximus, Henricus primus Imperator coronari noluit. Hi tamen omnes, si Rossæo credimus, quamuis ab omnibus legitimi Reges habiti fuerint; tyranni, non Reges; inuasores, non successores; maximè qui ab antecessorum suorum fide, & religione recesserunt, dicendi erunt. Idque sibi demonstrâsse visus est authoritate Nazianzeni, qui de successore Athanasij scripsit; *Propriè successor est, qui non minùs in fide, quàm in throno succedit. Quia autem contrariam fidem amplectitur, aduersarius quoque in throno censeri debet, & rem ipsam veritatemq; successionis non habet; nisi fortasse quis ita successorem dicat, quemadmodùm morbum sanitati, tenebras luci, tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ.*

Sed Nazianzeni verba de Episcopis ad Reges transferri nec debent, nec possunt. Nimium enim interest inter vtriusque munus. Episcopi inprimis est, veram de Deo tradere doctrinam; quæ vbi deficit, veri Episcopi quoque ratio perit: Regis verò officium, in conseruanda ciuili societate, imperij authoritate consistit. Non enim quemadmodùm pseudoprophetis credere prohibemur, sic malis Regibus parere vetamur. Episcopi officium hæreticus verè præstare non potest, tyrannus tamen Regis obire munus potest.

Si cui aptanda commodè sententia Nazianzeni sit, Episcopis aptetur, qui à veritate Euangelica defecerunt: & illi potissimùm Episcopo, qui de successione Apostolica cùm glorietur, nihil nec in doctrina, nec in regimine, nec denique in tota vitæ ratione habet Apostolicum: qui verè, heû nimiùm verè, tanquàm pestis sanitati, tenebræ luci, tempestas tranquillitati, dementia prudentiæ, in Ecclesiam Christi non tam successit, quàm irrepsit.

Quod ex Witichindo adfertur de Henrico primo Germaniæ Rege, quem optimum & maximum Witichindus ait fuisse, facit, vt denuò repetam, eum nunquàm fuisse coronatum, nec vllum præstitisse iuramentum. Cætera quæ de coronatione Othonis subiungit Rossæus, testantur, nondùm illa ætate eò fuisse ventum, vt iuramentum à Regibus Episcopi exigere fuerint ausi.

CAP. XVII.

Cur Episcopalem coronationem tanti faciant Romanistæ Episcopi. Falsæ adsertiones de iure Romani Episcopi in exauthorandis Regibus refelluntur.

COronationem vnctionemque, vsu, & consuetudine magis, quàm vlla necessitate, ab Episcopis fieri solitam, aduersarij tantoperè vrgent, vt persuasum sit populo, quicquid potestatis Rex habet, inprimis ipsis, deindè populo ferre acceptum debere: vndè consequens quoque esse volunt, exauthorandi abdicandique Reges, tum Ecclesiæ, hoc est, Episcopis Romanis; tum populo, ius potestatemque competere. Cuius rei, vt pleniorem fidem faciant, his, quæ subijciam, sacrarum Scripturarum testimonijs vtuntur: quæ postquàm diluero, ad populi Procerumque potestatem & iuramentum, quod à Regibus exigitur, veniam.

Ius in Ecclesia Regis abdicandi, ita volunt intelligi esse penes Romanum Pontificem, *vt cùm Christi vicarius sit, & vniuersæ Ecclesiæ Pastor, videat nè quid Christo, nè quid eius Ecclesiæ, ac religioni iniuriæ fiat: nè quid vel populi ac regni, vel Regum ipsorum salutem impediat: (cuiusmodi sunt hæresis, schisma, perniuium, apostasia, & similia, quæ sine graui Ecclesiæ detrimento in regibus esse nequeunt:) & cùm nihil leniter admonuisse profuerit, cùm censuras contemni audierit, cùm periculum graue è tali regimine imminere, deponi deniq; & vtile & commodum esse agnouerit, tum populos obedientiæ vinculo eximat: detq; operam, vt alteri commodiori grex à Christo redemptus committatur. Quod ius ei in solos Christianos Reges propterea concessum est, quòd vt gentiles nullo se iure Ecclesiæ subiecerunt, ita ei Reges Christiani se suaq;, hoc est imperium suum totum submiserunt. Quippe cùm non aliter Christianis imperandi ius cuiquam esse possit, quàm si Regum Regi Christo, eiusq; sponsæ Ecclesiæ obedientiam promiserit. &c.*

Speciosa

Speciosa hæc est oratio, quæ formâ suâ facilè capiat incautos: videntur enim omnia quæ hic congeruntur, coniuncta esse cum boni Pastoris officio, atque ita proponuntur, acsi nihil humanitùs Episcopis æquè ac Regibus possit accidere: cùm tamen indè à prima Ecclesiæ origine, non rarò religionis Antistites populo ad impietatem se præbuisse duces constet. Nomen Ecclesiæ similiter lectorem decipit, cui tanquam Christi sponsæ Reges obedientiam promisisse dicuntur, quandò pars visibilis & externæ Ecclesiæ, vnius temporis & loci, atque illius corruptissimæ, pro Ecclesia Catholica, supponitur; & quod amplius est, de vno mortali, qui non rarò vir est pessimus, intelligitur; qui titulo vniuersalis Ecclesiæ Pastoris, omnem eius honorem & authoritatem sibi arrogat; & vt veræ & Catholicæ Ecclesiæ, & omnibus pijs Dei cultoribus insultet, Ecclesiæ titulo contra Ecclesiam armatur.

Reges Christianos filios esse Ecclesiæ non diffitemur, sed illius Catholicæ, quam credimus, quæ constat ex Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, atque Sanctis omnibus, qui Deum fide & pietate indè à prima mundi origine vsque ad hæc tempora, & in finem seculi coluerunt, atque colent.

Quòd ius imperandi Christianis hîc negatur Principibus, qui Christiani non sunt; contra Catholicam & Apostolicam doctrinam pugnat, quæ tam in veteri quàm in nouo Testamento, ius regni supra fidelem populum Ethnicis regibus tribuit. Ante hæc tempora inauditum fuit regnorum atque imperiorum iura à Christianismo pendere. Non postremus Monasterienſium Anabaptistarum ille est error. Rex infidelis non magis Christianis populis imperandi iure incapax est, quàm priuatus quisque herilis dominij in mancipium Christianum. Et cùm Apostolis nulla data fuerit potestas directa nec indirecta, in corpora, aut fortunas Christianorum, vt propter hæresim, aut aliud quodpiam peccatum eas adimere possint, & transferre ad alios; multò minùs Episcopi ius aut potestatem regnis priuandi Reges prætendere possunt. Restitutionem quidem eorum, quæ fraude aut vi ablata sunt, pœnitenti peccatori imperare possunt: vlteriùs verò progredi, dominij genus est, quod Apostolis & Ecclesiarum pastoribus Christus non dedit.

Ius quoddam, fateor, Dominum morte sua peperisse fidelibus, rebus externis vtendi cum bona conscientia, vtpote qui verus hæres & Dominus sit mundi, cui à Patre data sunt omnia. Illud ius Adam à Deo acceperat, quandò dominus omnium rerum factus est. Sed sicut ipse per peccatum cum tota sua stirpe illo iure excidit; ita per Christum pij omnes restituuntur. Atque hoc modo Reges Christiani ius quoddam habent, quo carent ethnici, vt suis regnis piè & religiosè ad Dei gloriam vti possint, non secùs, quàm priuati Christiani suis rebus. Sed hoc ius spiritualis res est, soli Deo cognita, & ad conscientiam tantùm spectat: politeias & iura ciuilia non perturbat, nec illis sese admiscet: ita terrenis vtitur, vt cœlo sit contenta, hoc vnum satagens, vt in rerum externarum communi vsu Deo probetur.

CAP. XVIII.

Contraria positio, quâ Regum authoritas supra Episcopos adseritur.

ITaque ego positioni aduersariorum aliam ex aduerso constituam, desumptam ex verbo Dei, quæ sit superioris antithesis, vt facilius lector videat, quæ vera falsaue sit: & dicam, Ius in Ecclesia Episcopos abdicandi, atque etiam eum, qui se omnium Coryphæum esse iactat, penes Christianos Imperatores & Reges est: vt cùm sint Dei vicarij in terris, videant nè quid Christo, ne quid eius Ecclesiæ ac religioni iniuriæ fiat; ne quid populi ac regni, vel Regum ipsorum salutem impediat; cuiusmodi sunt hæresis, schisma, periurium, apostasia, & similia, quæ sine graui Ecclesiæ detrimento in Episcopis esse nequeunt: vt cùm nihil leniter admonuisse profuerit, cùm censuras & regulas Ecclesiasticas ab Ecclesiæ Pastoribus & Episcopis contemni audierint, & periculum graue è tali regimine imminere, deponi denique & vtile & commodum esse agnouerint; tum populum ab eorum iugo liberent, dentque operam vt alijs melioribus Pastoribus grex à Christo redemptus committatur. Quod ius solis Christianis Regibus propterea concessum est, quòd vt gentiles nullo se iure Christo, Ecclesiæque subiecerunt, ita ei Reges Christiani se, suasque, hoc est, imperium suum totum submiserunt: quippè qui Regum Regi Christo,

Christo, eiusque sponsæ fidem,& obedientiam promiserint. Hanc meam sententiam veram esse aio,atque adeò manifestam,vt nemo nisi palàm improbus, in controuersiam,eam vocare possit: quod de aduersaria non potest dici.

Sed age,videamus quibus rationibus aduersarij suæ assertioni fidē faciūt,& nùm Scripturæ loci qui allegantur, non veriùs probandæ huic meæ thesi adhibeātur,quàm aduersariorū. *Omnem animam* (inquiūt) *potestatibus sublimioribus subditam esse Paulus iubet. & Seruator apud Matheum Petro ait, Quodcunque super terram Ecclesia ligauerit (nulla enim hic Regis exceptio, qui & terra nomine continetur) in cœlo quoque ligatum esse. Sacra scriptura Reges iubet seruire Ecclesiæ,& nutritios eius esse: & futurum vt vultu in terram demisso adorent, & pulverem pedum eius lingant, profitetur.*

CAP. XIX.

Loca sacrarum Literarum, quæ aduersarii citant confirmando suo errori, probant contrariam positionem.

ATtende, candide Lector,quàm impudenter diuinis testimonijs isti abutantur,& quod Paulus de subiectione ciuili,& obedientia Regibus debita scripsit,ad Ecclesiam transferre conentur. Cui tametsi obedientiam deberi non diffitear,longè tamen diuersa est ratio, quæ cum ciuili nihil habet commune. Tota obedientia illa referetur ad Deum & Filij Dei regnum, quod huius mundi non est: hæc de qua Paulus scripsit, ad Reges & ciuiles magistratus. Superiores potestates Paulus in loco citato intelligit Reges ,alióque summos magistratus, non Papas, aut Episcopos; quod ex ipso contextu luce clariùs apparet. Et quandò omnem animam subiectam esse oportere eminentioribus potestatibus ait;seipsum, imò & Petrum , cæteróque omnes Christianos, hoc est, vniuersam illius temporis visibilem Ecclesiam, illa dictione complexus est,& inprimis ad quam scribebat, Romanam , regibusque subiecit.

Super huius loci expositione Patres audire operæpretium est. Chrysostomus in hunc locum ità habet; *Ista imperantur omnibus,& sacerdotibus & monachis , non solùm secularibus: id quod statim in ipso exordio declarat , cùm dicit, Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, si Euangelista , si Propheta, siue quisquis tandem fueris. Neque enim pietatem subuertit ista subiectio, & non simpliciter dicit , Obediat ,sed , Subdita sit.* Iudicet Lector , cuius mens nullo est præoccupata præiudicio, vtrius thesi, meæ an partis aduersæ, Pauli citatus locus probandæ magis congruat: vt doceatur Reges subiectos esse Ecclesiæ, hoc est, Papæ, ab illis citatur; ego contra cum Chrysostomo,& alijs Patribus aio, Paulino illo præcepto., omnem externam ac visibilem Ecclesiam, etiam ipsos Apostolos subijci Regibus: rem æquo animo vos ipsi perpendite; ego nihil aliud addam.

Alter locus hic fraudulenter additur , vt Reges subijciat iudicio Papæ, quem vnum vbique nomine Ecclesiæ vult intelligi,cui potestatem illam ligandi atque soluendi Reges tribuit. Sed negamus Ecclesiæ nomine vsquàm in verbo Dei vnum Papam intelligi. Et quamuis fateamur iudicio Ecclesiæ Reges esse subiectos,scire conuenit Papam,& cæteros omnes qui censentur ordinis Ecclesiastici, eidem similiter esse subiectos: & illud Ecclesiæ iudicium sumendum non esse ex vnius Romani Episcopi capite, sed ex Apostolorum & Prophetarum, atque adeò omnium Orthodoxorum patrum scriptis,& in primis ex symbolis, tam in ijs quæ doctrinam, quàm quæ mores concernunt: quorum iudicium qui reijcit,alienum se ab Ecclesia ostendit. Romanus autem Episcopus cum suo clero id facit; meritò igitur à pijs Principibus contemnitur.

Quod potestatem ligandi atque soluendi attinet;ad Reges regnis eijciendos non extenditur. Spiritualis est illa ligandi atque soluendi potestas,& ad solam peccatorum remissionem est referenda ; qua licèt & Regum peccata remitti , aut retineri possint , potestatem Regiam non tangit,nec vlla in re minuit.

Locus Esaiæ 49. c. 23. v. ad illam Ecclesiam spectat , quam credimus, cuius pars cum Christo in cœlis triumphat ; pars per vniuersum orbem dispersa ipsi militat : eam Reges gentium & populi suspiciunt, ac venerantur, & in ea communem adorant Dominum. Peruersè ambiguitate vocabuli abutuntur Pontificij , & quod proprium est vniuersalis Ecclesiæ, aptant, trahuntque ad Romanam Ecclesiam (qua nulla esse potest corruptior) atque

atque ad vnum mortalem, qui ibi tanquàm in templo Dei sedet, ac si ipse cœleste aliquod numen esset cœlitùs delapsum, ab omnibus, tam à plebe quàm à summis ipsis Regibus adorandus; quos & creandi, & exauthorandi potestatem sibi vendicat.

CAP XX.

Vetus Israëlitica Ecclesia nullos vnquàm Reges excommunicauit, & quæ ex sacris historiis testimonia proferuntur, vt ius excommunicandi Reges probetur, aliena sunt, & sententiam contrariam confirmant esse manifestè veram.

ILlud ius excommunicandi Reges, olim Ecclesiam Israëliticam habuisse demonstrari credunt ex 1. Reg. 13. cap. *Samuel* (inquiunt) *Saulem Regem à se priùs institutum, quia spiritualem functionem vsurpâsset, quia mandata Dei transgressus esset, quasi excommunicatum regni iure priuauit, & in Dauidem illud transtulit.* Nemo certè (nisi quos Deus eodem vertiginis spiritu, quo istos homines, percusserit) ex hac historia colliget, potestatem veteri Ecclesiæ Israëliticæ exauthorandi Reges fuisse datam. 1. Reg. 13 1. Reg. 15.

Quod à Samuele factum narratur, Ecclesia censeri fecisse non potest: nisi Samuelem dicere velimus Ecclesiam; quod absurdum est, nec vsquàm in verbo Dei vsitatum, ut vnus Propheta, aut sacerdos dicatur Ecclesia. Quod interdum Minister nomine totius Ecclesiæ facit, Ecclesia fecisse dicitur; sed illud hîc locum non habet. Nam Samuel nihil hîc nomine Ecclesiæ fecit, sed illud quicquid fuit, nomine Dei, à quo mandatum acceperat, factum est. Quod tametsi speciale & particulare in Samuele fuerit, vndè generalis nulla lex detùmi potest; tamen commune cum omnibus Prophetis hoc cæteros verbi Dei doctores habere libenter agnoscimus: nempe ut iram Dei denuncient tyrannis, & alijs improbis Principibus; modò se intra hos contineant cancellos, neque populum ad seditionem contra Reges excitent. Samuel hîc Regem solio non deiecit; populum aduersùs eum non susciauit, nec ab obedientia eius absoluit: ex filijs Prophetarum nullum subornauit, qui venenato cultro sub specie amicitiæ, malum Regem confoderet. Vnxit quidem Dauidem successorem regni, non vt contra suum Regem arma caperet, & eum regno simul & vitâ priuaret.

Iehu quidem in Regem decem tribuum Israel vnctus est, vt domum Ahab funditùs euerteret: Dauid verò tantùm vt succederet. Rex permânsit Saul dum vixit. Iam suprà dixi, quomodò Saulem Christum Dei, suum Regem & socerum non fuerit contingere ausus, nec id ab alio fieri sit passus. Cui si nostri Iesuitæ, aut alij qui eodem abripiuntur spiritu adfuissent consiliarij, quantas, ô bone Deus, rationes, quot effata theologica attulissent, ad persuadendum tam immanem tyrannum, tot sacerdotum, tot innoxiorum infantum interfectorem quoquo modo de medio tollendum? Sed vnicum mansueti Dauidis exemplum euertit quidquid contra tyrannos aut scripserunt aut scripturi sunt sophistæ. Nunquàm pijs viris, quibus vita factaque Dauidis nota erunt, fidem facient, tyrannum à subditis posse interfici.

Hoc à me præteriri non debet, quòd Saulem dicere excommunicatum non audent, sed quasi excommunicatum. Hoc modo Epicurus callidè illudere solebat aduersarios, qui de natura deorum cum eo disputabant; & cùm eos habere corpus, nec negare nec affirmare auderet, mediam viam excogitauit, vt diceret, non quidem deos habere corpus, sed tanquàm corpus; nec sanguinem, sed tanquàm sanguinem: sic belli isti homines excommunicatum fuisse Saulem cùm non audeant dicere, aiunt, quasi excommunicatum à Samuele regno priuatum: quò persuadeant ab Ecclesia Reges olim ante Christi aduentum fuisse excommunicatos, ac Regno pulsos. Sed (vt videtis) neutrum hoc exemplo demonstratur. Samuel quidem denunciat Regi Dei iudicium, & regnum translatum ab eo ad alium. Interim regnum ipse non transfert: sed cauet ne Regem nimio pudore suffundat, vnde in contemptum venire posset apud populum: tergiuersantem, & peccatum suum excusantem admittit ad sacrificium, & cùm eo in sacris communicat. Vna hæc historia docet quomodo Ecclesiæ Doctores & Episcopi, se erga Regem tyrannum gerere debeant. Si qua esset in aduersarijs ingenuitas, & ad cedendum veritati vlla voluntas, contrarium ab vsu Romanæ Ecclesiæ ex Samuele & Dauide discerent, nempè; non esse excommunicandos, nec necandos, regnóue deturbandos

bandos Reges tyrannos à subditis. *Sic Ieroboamo cum vitulos aureos posuisset, contra eum & domum eius totam Propheta diuinum iudicium pronunciauit: Et ne mingentem quidem ad parietem de ea reliquum futurum esse praedixit.*

CAP. XXI.

Ahiæ vaticinium contra familiam Ieroboami; quòd Asa Maachan auiæ sacerdotium abrogauit, & Azarias sacerdos Oziam templo eiecerit, & in Athaliam Ioiada coniurauerit, excommunicandi, aut Reges exauthorandi, non docet Ecclesiam vel sacerdotes habere potestatem.

DE Ieroboamo autem quod allegatur, nihilo plùs valet, vt demonstretur aliqua authoritas Ecclesiæ Israëliticæ deponendis Regibus, quos nullos vnquàm deposuit. Ahiah Propheta excidium familiæ Ieroboamicæ prædixit: sed nec ipse, nec alius quispiam de regno Ioroboamum deturbauit: regnauit enim viginti duos annos, & placida morte diem suum obijt. Me continere non possum, quin lectorem admoneam, vt consideret, quomodo isti Scripturam repugnantem ad suum sensum trahant. Ahijah pronunciauit diuinum iudicium, tanquàm Dei nuncius, contra domum Ieroboami, & Samuel contra Saulem; Ergo (inquiunt) vetus illa Ecclesia ius habuit abdicandi Reges. Quæ est ista collectio? Quo nexu cohærent hæc? Argutos sophistas, laqueos Aristotelicos nectere peritos, communis sensus hic deficit, sicut & in historia, quam de Asa Rege Iuda citant. Matrem suam (hoc est auiam) Asa Rex de augusto imperio deposuit. Priapi simulachrum colebat Princeps fœmina, & magnæ authoritatis; ei tamen imperium abrogatum est. Obsecro, quid inde? Rex matri principatum abstulit: quid hoc valet, quod a Rege factum est, ad probandum ius Ecclesiæ? Si summus sacerdos id fecisset, aliquid videri possent appositè ad rem dixisse. Maachan subiecta erat Regis nepotis sui imperio: qui quòd in hac re auiam suam in ordinem coëgit, nihil ad sacerdotem pertinet.

Sequitur aliud exemplum, quod si verum esset, triumphum (nondum tamen, ne sic quidem, parta victoria) si canerent, ferendum esset. Sic *Oziam* (inquiunt) *Azarias sacerdos de templo primùm, mox etiam de regno eiecit.* Hic habemus eiectionem Regis de templo, factam à summo sacerdote; deindè deiectionem è regno. Sed mendax artifex, tanquàm alter quidam Sinon, vera falsis commiscet. Eiectum Regem de templo à sacerdotibus vt verum est, ita falsum à sacerdotibus regno fuisse priuatum. Seorsim ab hominum communi societate, sicut lex Dei de leprosis mandabat, habitauit: cæterùm Rex mansit quamdiù vixit, & filius eius nomine patris regnum administrauit, ac populo ius dixit. 2. Paralip. 26.

Quod subiungitur exemplum maiorem habet veri similitudinem. Sic *Athaliam Ioiada sacerdos regno simul & vitâ priuauit.* Ita factum imperitis videri potest. Superiùs hanc historiam pluribus exposui, cuius hæc est summa. Cùm Ioiada sacerdos, & proceres regni cum populo, Regi essent obligati, qui ex stirpe Dauidis superstes erat; eius vitam & regnum tueri tenebantur, & ablatum restituere, contra vim & tyrannidem Athaliæ. Quidquid summus sacerdos cum proceribus & populo in hac re fecit, Regis authoritate & auspicijs, non sui ipsius fecit: & quia saluus Rex esse non poterat, Athaliâ incolumi; ipsa interfecta est, non sacerdotis, sed Regis authoritate. Si Henricus tertius Gallorum alienum regnum occupâsset, legitimo Rege superstite, nemo damnaret Episcopos, Proceres, populumque, qui ab eo ad suum verum Regem deficerent. Sed hoc nihil ad Ecclesiam pertineret, neque indè vllum Regis exauthorandi ius probaretur competere Ecclesiæ.

CAP. XXII.

Quod ignis cœlitùs missus milites Ochoziæ consumpsit, & Elias Baal sacerdotes interfecit, & Eliseum in Prophetam, Iehu in Regem Israelis, & Hazaelem in Regem Syriæ vnxit, non probat Reges constitui, aut destitui posse ab Episcopis.

ITem quid illud est? *Elias Achabo & Iezabeli in os restitit.* Quid indè conficitur? An quisquam est sana mente, qui demonstrari intelligat ius Ecclesiam, aut Eliam, nomine Ecclesiæ ideò habuisse exauthorandi Achabum, & Iezabelem? Per vestram fidem, vos obsecro, dicite magistri nostri, & vos sanctuli Iesuitæ, (nam

(nam ego vos authores iudico libri de iusta Henrici tertij abdicatione è regno Francorum) si aliquis nostrûm hoc argumento contra vos vteretur, ac diceret; Apostolus Paulus in os restitit Petro, quia reprehensibilis erat; ergò Paulus potestatem & ius habuit exauthorandi Petrum; crasso nùm eum non rideretis ore? Non absimile est & hoc vestrum argumentum.

Item, *Ochosia duos quinquagenarios, eorumq́, milites numero centum, igne cœlitùs immisso Elias perdidit*; factum non negamus: verùm ipse Regem de solio suo non detraxit, non confodit, non regno expulit. *Deindè quadringentos & quinquaginta pseudoprophetas idem Elias, inuitis Rege & Regina, interfecit.* Sed nec inde sequitur quòd potestatem exauthorandi Reges, aut Ecclesia, aut Elias habuit: hæc nec cohærent, nec se consequuntur.

Nulla hîc est allegandi Scripturas fidelitas. Vbi vnquàm legistis Eliam quadringentos & quinquaginta pseudoprophetas, inuitis Rege & Regina, interfeciſſe? cùm certum sit iussu Regis conuocatos fuisse Baalitas, & eo præsente pactum conuentum inter Eliam & pseudoprophetas, vt veri Dei cultor haberetur, cuius sacrificium ignis cœlestis absumeret. Posteà cum surdus Baal ad suorum preces esset, & Deus ratum se habere serui sui Eliæ sacrificium, igne cœlitùs demisso, palàm omni populo feciſſet; Achabo præsente, si non iubente, probante tamen, ex pacto omnes illi Baalitæ cæsi sunt. Regina verò absens erat, nec de re nisi iam perfecta quidquam cognouit. Iniquè quidem id tulit, & vlturam se iurauit. Sed neque hinc ius vllum apparet abdicandi Regis.

Prætereà *Hazaëlem Regem Syriæ, Iehu Regem Israelis, & Eliseum vice sua Prophetam instituit, cum ea potestatis significatione, vt qui fugeret gladium Iehu, interficeret eum Eliseus.* Hîc vncti Reges, non abdicati leguntur. Sed quia horũ Regum creatio cum aliorũ abdicatione coniuncta fuit, quæ hîc Prophetæ fuerint partes, quódue officium, consideratione est necessarium. Hasaëlis & Iehu historiæ notæ sunt: eas ergo hîc inseri nihil est opus. Quod autem Prophetam attinet, quidquid hîc ab eo factum legitur, extraordinarium fuit, vndè nulla potestas Ecclesiæ ordinaria potest inferri. Hoc primùm. Deindè, Prophetæ partes sunt nuncij à Deo missi, non hominis ius & potestatem habentis abdicandi Regem, & nouum creandi: & quod antè de Samuele & Ahiah diximus, huic quoque loco seruit.

Et ad locum ex [a] xlviij. cap. Ecclesiastici, Respondeo, intelligendum esse de spiritu Prophetico, quo Regibus prædixit futurũ excidium familiæ & regni eorum. Nunquàm enim vllus Prophetarum, qui Rex non fuit, more Episcopi Romani bellum cuiquam Regi intulit, aut regno expulit, nec fieri procurauit, nisi accepto speciali mandato à Deo: quod cùm extra ordinem sit factum, nemini est imitandum.

[a] *Qui deiecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo.*

Ius, quod prætenditur Ecclesiæ, intra ipsius fines concluditur, nec sese ad exteras gentes porrigit, quæ Ecclesiæ non se subiecerunt. At potestas prophetica Eliæ Hazaëlem incircumcisum gentilem in Regem Syriæ inunxit: vndè nemo arguere potest authoritatem ordinariam Ecclesiæ, cùm Paulus disertè dicat, *Eos qui extra Ecclesiam sunt*, ad suum iudicium non pertinere.

CAP. XXII.

Testimoniis Prophetarum impudenter abutuntur Pontificii, vt probent prædictum fuisse olim, Ecclesiam noui Testamenti Reges regnis spoliandi potestatem habituram.

EAdem impudentiâ & Prophetarum abutuntur testimonijs, vt doceant hanc in Reges potestatem, atque eos abdicandi ius, futuræ noui Testamenti Ecclesiæ prænunciatam ac promissam: quæ audire est operæpretium. *Apertiora sunt* (inquiunt) *quæ de noua lege prænuntiata primùm, mox in eadem instituta reperiuntur. Priora sunt illa de futura Ecclesiæ in Reges potestate vaticina: Et* [a] *erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ; vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent, & scies quia ego Dominus.* Et rursus; [b] *Gens, & regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Et illud ad Ieremiam insigne, *Ecce* [c] *constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & dissipes, & ædifices, & plantes*: & in Psalmis; [a] *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei*: & alibi, *Reges eos* [b] *in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringes eos.*

[a] *Esa.49.*
[b] *Esa.60.*
[c] *Ierem.1*
[a] *Psal.71.*
[b] *Psal.2.*

Qui in tenebris versantur, manu prætentant viam, quam non vident: ita isti in densissimis Ægypti tenebris constituti, obuia quæque Scripturæ loca arripiunt, non eligunt.

Esaias præuidit futurum, vt Ecclesia, quæ contempta & neglecta fuerat mundo, post multas & varias afflictiones, tandem emergat, & fauorem & gratiam Regum consequatur, qui eam susceturi & defensuri erant. Quòd si non alio modo id fieri potest, quàm vt Reges & Reginæ deijciantur solijs ab Ecclesia, & Ecclesiarum Episcopis, & pietatis suæ mercedem recepturi sunt damnum, & probrum; Regibus nemo vnquam persuaserit, talem alumnam suscipere. Sed meliùs est à Christo & Christi discipulis edocta Ecclesia, quàm vt nutritoribus ac nutricibus suis, talem sit redditura mercedem. Hæc ingratitudo procax, & ingrata procacitas Babylonicam meretricem decet, non Christi sponsam. Quis hæc Esaiæ verba, *Erunt Reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ*, hoc modo interpretetur, & dicat significare, Tu habitura es potestatem & ius detrahendi Reges & Reginas è solijs suis? Quid magis absurdum, & à sensu Prophetæ magis alienum dici potest?

Illud verò, *Demisso vultu in terram adorabunt te, & lingent puluerem pedum tuorum*, per metaphoram dicitur sumptam à gestu adorantium, quo significatur, Reges in Ecclesia, & cum Ecclesia, supplices adoraturos Deum, & Dominum Iesum Christum; non autem pedes Romani Idoli, quos gentibus osculandos protrudit, quibus & diademata Regum de capitibus eorum deturbat. Sed, vt Hieronymus hunc locum interpretatur, *Hæc prophetia impletur, cùm caput Ecclesiæ Christus adoratur in corpore Ecclesiæ: & si ad quosdã dicitur, Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: non quòd scabellũ adorandũ sit, sed quòd maiestas pedũ illius indicetur: cur non adoretur Ecclesia, quæ totũ Christi corpus amplectitur?*

Item quandò dicitur, *Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur*, [c] Esaias non loquitur de Regibus, & populis qui sese submissuri erant Ecclesiæ, in quos solos iam concessum est Ecclesiam habere illud ius quod prætenditur; sed de Ecclesiæ hostibus & inimicis, & alijs quibusuis gẽtibus & regnis, qui Christi subire iugũ detrectabũt, quibus minatur exitiũ, quòd Christo Domino & ipsius Ecclesię bellũ intulerint.

[c] Esa. 60.

Hæc testimonia malè allegantur, vt probetur Ecclesiæ ius in Christianos Reges, de quibus hic non agitur. Quid (inquies) si illi deficiant à semel susceptа fide, eamq; oppugnẽt? An non eodem loco sunt habendi? Maximè. Quid tum? Deus vltor futurus est, non Ecclesia. Perituros enim Propheta prædicit; sed nihil est necesse Ecclesiam procurare inimicis, quos diligere iubetur, exitium. Gens quidẽ Deo rebellis, & impiorum ac tyrannorũ regna, vastatione vastabũtur, iuxta Prophetæ vaticiniũ: sed non inde efficitur ab Ecclesia vastatum iri. Id ei proprium non est. Barbari, Turcæ, Tartari, & hoc hominum genus, magis sunt idonea furoris Dei instrumẽta, quàm Christiani: sicut quondàm fuêre Vãdali, Gothi, Hunni, Herules, Alani, Franci, Lõgobardi, & Saxones, & si qui fuêre alij Rom. imperij depopulatores. Quorum ferociam Christiana religio tandem perdomuit, & ex hostibus seruos Christi fecit, non occidendo, aut regna eorum vastando, sed perferendo.

Quod locum Ieremiæ attinet; is à nostra quæstione est prorsùs alienus, vtpotè intelligendus tam de gentibus & regnis infidelium, quàm Iudæorum, quibus Deus per suum Prophetam prospera, & aduersa, quæ immittere decreuerat, prænunciabat: & ad nudum prophetiæ munus referuntur, non ad aliquod ius, vel authoritatem datam Prophetæ aut Ecclesiæ, debellandi gentes, populos, ac nationes, vel mutandi & transferendi regna & imperia, quibus Propheta vaticinabatur.

Quòd si aliquo Scripturæ loco Seruator noster Apostolos, & præsertim Petrum iisdem & totidem verbis esset alloquutus; quàm cupidè Papa hoc pro se dictum arriperet, ad extruendam turrem Babylonicam, & miscenda per vniuersum orbem Christianum incendia? tamen nihil Dei Spiritus illis verbis aliud intelligi voluit, quàm verbi Dei ministerium, Prophetæ commissum: sicut ipsius tota vita testatur, & ipsemet præcedente sententia exponit, vbi ait: *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me, Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce ego constitui te hodiè, &c.*

Nihil habet ingenui candoris commentum Romani Episcopi in hæc Ieremiæ verba, ad Imperatorem Constantinopolitanum scribentis: *Potuisses autem* (inquit) *prærogatiuam sacerdotij ex eo potiùs intelligere, non à quolibet, sed à Deo; non Regi, sed sacerdoti; non de Regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus viz. qui erant in Anathoth: Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas, & dissipes, ædifices, & plantes, &c.*

Puerilis & affectata talis argutia indigna est Episcopo. Non enim constitutus fuit Ieremias Regum Rex, sed Propheta tantùm; & verba illa, *Constitui te*, significant Prophetam,

&

& ad personam Ieremiæ referuntur. Nihilq; minus intelligitur quàm sacerdotij prærogatiua: cùm infra sacerdotem summum, ordine sacerdotij, inferior esset; superior tamen prophetiæ spiritu, vtpotè Doctor, qui discipulis est eminentior: quod commune non fuit omnibus sacerdotibus, quamuis aliàs ex officio Doctores essent populo Dei. Melius Gregorius Magnus lib. 18. c. 8. in Iob. de docendi ratione hunc Ieremiæ locum interpretatus est, quandò ait: *Artem docendi postulare, aut Doctores in auditorum suorum mentibus, prius studeant peruersa destruere, & postmodùm recta praedicare, nè bonum sancta praedicationis semen, plena malis corda non capiant. Vnde ad Ieremiam dicitur; Ecce constitui te hodie super gentes & regna, vt euellas, & destruas, vt disperdas, & dissipes; & aedifices, & plantes. Prius itaque iubetur, vt destruat, & postmodùm aedificet; prius vt euellat, & postmodùm vt plantet: quia nequaquàm rectè veritatis fundamentū ponitur, nisi prius erroris fabrica destruatur.* Hæc *Gregorius*. Quamuis non ex sententia & sensu illius Scripturæ scripsit, prærogatiuam sacerdotij nullam intellexit, sed rationem docendi Prophetæ præcipi; quod verum est. Nam vtrumque in sua prophetia, vt ei præceptum erat, præstitit.

Alij duo loci ex Psalmis Dauidicis desumpti, de Domino Iesu Christo sunt interpretandi; non de Ecclesia: quod ita clarum est, vt impudentis sit aut negare, aut ahò trahere: nisi fortè quidquid de Domino Iesu Christo dictum est, ad se rapiat quoque Romanus Episcopus. Quod tam constanter à nobis cum tota Antiquitate negatur, quàm impudenter à clientibus Romani Episcopi affirmatur. Si cui tamen in re tam clara, pluris sit adsertio papistica, cedò vel vnum Doctorem ex tota Antiquitate, qui locos illos de potestate Ecclesiæ in deponendis Regibus sit interpretatus; & deponendos illos Reges dicat, qui Christum adorant. Quod alios attinet, qui, tanquàm vasa figulina, diuntur conterendi Christi potentiâ, hostes sunt Ecclesiæ, de quibus conuenit inter nos, Ecclesiam non iudicare.

CAP. XXIIII.

Ex locis quibusdam noui Testamenti frustrà Romanistæ eandem potestatem probare conantur.

QVod Petro Christus oues suas (& Reges igitur) pascendas commisit, quòd claues, & ligandi atque soluendi potestatem dedit, quòd D. Paulus omnes Præpositis subiacere iussit, quòd idem consuetudine cum hæreticis interdixit, quòd iisdem D. Iohannes nè Aue quidem dici permisit: quomodo id faceret, nisi ab obedientia Regis, qui talis quidem esset, absoluere posset? Fateor & Reges verbi Dei pabulo esse pascendos: sed hoc non est Reges pascere, eos suis regnis deturbare. Si hoc idem est pascere Reges, quod debellare Reges, pastor bonus fuerit Mahumet. Ecquas hoc modo vnquam oues Petrus aut alius quispiã Apostolus pauit? Quis veterum Patrum ex tota antiquitate hanc pascendi oues rationem probauit? Nouus iste pascendi mos est, à Mahumete primò inuentus, & ab Episcopo Rom. posteà receptus. Dominus quidem claues ligandi atq; soluendi Apostolis dedit: sed ad reserandum atque claudendum regnum cœlorum, quod bella nescit, nisi cum Satana, mundo, & vitijs. Illud regnum huius mundi esse Dominus noster negauit: proinde ad regna & imperia principum malè aptantur.

Quod D. Paulus omnes Præpositis subiacere iussit; ergò & Episcopum Romanum Imperatori; sicut olim omnes subiacebant, & Dominos suos eos agnoscebant. Sed si vultis Episcopis etiã Reges subiacere, quòd in Epist. ad Heb. potissimùm eos videatur innuere, nè Reges idèò facite quouis priuato homine deteriore conditione, quẽ nullus vnquàm Episcopus ob quodcunq; delictũ iure potuit bonis externis exuere. In corpora aut fortunas Christianorum Dominus Apostolis nullam potestatem dedit. Vndè ergo, quæso, in Reges tanta potestas? Episcopi partes non sunt in clerum dominari; tantùm abest vt Regibus possint imperare. Paulus testatur se fidei Corinthior. non dominari, quæ tamen vnica materia fuit, in qua excolenda quidquid habebat authoritatis impendere debuit. Petrus presbyter presbyteros ita præesse vult, vt clero non dominentur. Vultis ergo vos cum vestro Papa Regibus dominari, eosque solijs deijcere? Quo exemplo? quo iure? Tantùm abest, vt testimonia veteris ac noui Testamẽti, quæ adfertis, vobis suffragẽtur, vt totam vestram euertant sententiam: & quidquid à vobis olim tentatum in hac re fuit, & hodiè tentatur, contra omnia iura diuina, & humana fit; prosequar tamen reliqua.

Quòd idem Apostolus consuetudine cum hæreticis interdixit, quòd iisdem D. Iohannes ne aue quidem dici permisit; Respondeo, quidquid est in verbo Dei præceptorum huius generis, de non communicando cum hæreticis, vt ne quidem aue ijs dicamus, totum ad fraternæ charitatis normam, & Ecclesiæ ædificationem esse reuocandum eis, qui casum in Pharisaismi foueam vitare desiderant, & nihil contra Samaritani parabolam peccare. Quod commodè fieri potest, etiamsi absit potestas ab obedientia Regis absoluendi subiectos: de qua re anteà locuti sumus, nec ea hîc repeti opus est.

CAP. XXV.

Potestas Apostolorum tantùm sit spiritualis, quemadmodùm Christi regnum est spirituale.

ADdunt, Spiritualem tantùm Apostolorum potestatem esse ne quis putet, procidit mortuus, increpante Petro, cum vxore Saphira, Ananias: Satanæ traditus Corinthius in interitum carnis: energumeni item, iubente Paulo, Hymenæus, & Alexander. Et, quod ait idem Paulus, *Nescitis quia angelos iudicabimus? quanto magis secularia?*

Quod hîc allegatur, vt probetur potestatem Apostolicam non esse tantùm spiritualem, sed etiam corporalem, prorsùs ineptum & blasphemum est. Nam potestas illa, quâ Petrus Ananiam, & Saphiram interfecit, si interfecisse dicendus est, diuina & cœlestis fuit, nempe Spiritus sancti virtus edẽdi miracula, qua præditi mortuos etiam suscitabant Apostoli. Idem dicendum de traditione Corinthij Satanæ; eam autem potestatem Papæ non habent. Si eam haberent, malè cum Regibus ageretur: malè olim cum Romanis Imperatoribus, imò cum vniuerso orbe actum esset. Non enim ea vterentur, vt Petrus & Paulus ad ædificationem, sed ad destructionem. Si quos diris deuouent, simul ad Orcum mittere possent, nemo bonus hodiè viueret.

Fingamus tamen bruta Romani Iouis fulmina esse tantæ efficacitatis, vt vexandum hominem à malo spiritu possint exponere; sicut à Deo factum esse legimus, & euenisse Sauli notum est: non tamen idcircò Rex esse desineret. Regem energumenum Israel habuit; nec tamen ideo Rex esse destitit, nec populus ab eius obedientia recessit, nec sibi recedendum esse iudicauit.

Quod idem Paulus ait, *Nescitis quia Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* nihil argumenti habet: quia Paulus illic Corinthiorum infimos, iudices idoneos arbitratur, qui lites inter fratres dirimant, potiùs quàm vt accedant tribunalia gentilium Magistratuum. Vndè sic etiam argumentari quis posse videtur: Qui Angelos iudicaturi sunt, rerum temporalium non sunt inidonei iudices; at infimi quique fideles iudicaturi sunt angelos; Reges autem & eorum regna sunt res temporales; ergo infimi quique fideles idonei sunt, vt de Regibus, & de summis imperijs iudicent. Bella hæc est argumentatio, qua non tantùm Romano Pontifici, & alijs Episcopis potestas in Reges probatur competere, sed etiam infimis quibusque de plebe. In quibus si fallit, oportet vt etiam fallax sit argumẽtatio pro Episcopis. Nam & contra eos ex eodem fonte duci poterit argumentatio, qua probabitur plebem de Episcopis posse iudicare, quandoquidem Angelos plebs Christiana aliquandò iudicabit.

Præterea sessuros aliquandò Apostolos super thronos 12. cum Domino iudicaturos duodecim tribus Israel, Dominus promisit: & in Apocalypsi, victori cuiuis promittitur sessio in throno Christi: sed indè nemo nisi ineptus, & superbus Cumanus asinus, hæc adferet vt potestatem Papæ aut Ecclesiæ stabiliat exauthorandis Regibus, aut alijs summis Magistratibus; quod Dominus ipse nusquàm fecit, nec faciendum præcepit, sed priuatus vixit, & priuatos Apostolos suos reliquit.

Dignitas illa, quæ promissa est Apostolis, & cæteris fidelibus, non præsens, sed futurum seculũ respicit. Quicquid ex officio in præsenti seculo à noui Testamẽti Ministris sub Dom. Iesu Christo procuratur, docendo & administrando sacra, cum rep. quæ non ipsis, sed Regibus atq; alijs summis magistratibus est commissa, non debet commiscerI. Si fortè vt ciuibus & subiectis, aliqua reip. pars à Rege, aut à magistratu eis fuerit mandata, sequendæ sunt regni aut reip. leges. Ex allegatis Pauli verbis, nihil aliud conficitur, quàm ad prudentes viros, qui in illa Ecclesia esse poterant, tanquàm ad arbitros, causas & lites fuisse deferendas, potiùs quàm vt disceptarentur coram infideli iudice.

Ergo

Ergo, inquient, stat argumentum; multò magis Episcopos, & proindè summum totius Ecclesiæ Pastorem rerum temporalium esse idoneum iudicem. Respondeo, Neminem Episcopum magis, quàm alium quemuis è plebe, lites ciuiles posse iudicare, alio modo quàm vt solent arbitri, de consensu, & voluntate vtriusque partis; nisi potestatem iurisdictionemq; à ciuili magistratu habeant. At Romanus Episcopus, præterquàm quòd summus totius Ecclesiæ pastor non est, se pro summo ac legitimo iudice Regum & regnorum venditat: quod ex Pauli verbis, non magis efficitur, quàm plebem eam habere in Reges, aut in ipsum, potestatem.

CAP. XXVI.

Numerianus, & Theodosius non fuerunt excommunicati.

EXempla quæ adferuntur, vt demonstretur hæc Ecclesiastica in Reges potestas, inuenientur aliena, si propiùs inspiciantur, à re, quæ probanda suscipitur. *Babylas* (inquiunt) *Antiochenus Episcopus, vnicum eo tempore Christianum Imperatorem Numerianum (Philippum alii, alii Decium dicunt) ob percussum Regis cuiusdam filiũ, obsidis loco in fœdere sibi dati, excõmunicauit.* Ego expectabam, vt dicerent, imperio priuauit. Sed Antiochenus Episcopus (quod miror) authoritatem Romani Episcopi non expectauit. Et Numerianum Imperatorem constat non fuisse Christianum; quomodo ergo excommunicari potuit? Oportet fuisse Philippum, qui fraude Dominum suum interfecerat. Sed illa ætate excommunicandi Reges mos nondum inualuerat; & excõmunicatum fuisse Chrysostomus non narrat, qui totam historiam fusè prosequitur contra gentes. Demus tamen esse factum: Imperator propriâ manu crudeliter necuerit puerum; disciplina Ecclesiæ illius temporis id quod fecit Episcopus, postulabat. Sed non submisit percussorem, qui vitæ Imperatoris insidiaretur, non diadema de capite deiecit; subiectos populos ac milites à fidelitatis sacramento, quæ nostra controuersia est, nec ipse, nec alius Episcopus absoluit.

Additur Babylæ Ambrosius, qui Theodosium ob eædem Thessalonicæ factam, dicitur excommunicâsse. De quo idem dico, nempè, quòd Imperatorem suum non deposuit: illud namque ius se habere, aut vllum alium Episcopum, non docuit. Quod excommunicationem attinet, nihil huiusce modi narrant Ecclesiasticæ historiæ, quæ tantùm aiunt ad diuinorum mysteriorum communionem non fuisse admissum, donec cædis Thessalonicensis pœnitere se testimonia dedisset. Attende, candide lector, quomodò isti, vt suam & Romani Episcopi defendant tyrannidem, testimonijs historiarum abutantur. A Babyla Imperatorem, quem Chrysostomus nusquàm nominat, & ab Ambrosio Theodosium excommunicatos fuisse non legimus, nisi quis, à templi ingressu prohiberi, & ad participationem corporis & sanguinis Domini non admitti, excommunicationem vocet: quod ob diuersas causas accidere potest.

Scriptores, qui non satis attentè res gestas considerârunt, factum Babylæ & Ambrosij, excommunicationem interpretati sunt. Sed rem, vt gesta est, expendite & iudicate. Theodosius in templum venit, immemor crudelis edicti quod contra Thessalonicenses emiserat, quo insontes pariter cum noxijs, peregrini, & hospites, qui culpæ non fuerant affines, cum ciuibus perierant. Miserandum narratur exemplum de duobus filijs necatis inter amplexus patris, cui optio data erat redimendi alterum è duobus quem vellet: qui dum dubius hæret & cunctatur quem potissimùm eligeret, vtrumq; amisit. Cùm huius generis plura ad Ambrosium rumor pertulisset, Imperatorem percipiendæ sacræ synaxi idoneũ non iudicauit. Sed nec Ambrosius, nec illius temporis Episcopus Romanus, in iudicium Imperatorem esse vocandum æstimârunt, vt in eorum consistorio, ipsis iudicibus rationem facti sui redderet. Non ea erat tunc temporis Episcoporum tyrannis, non tanti spiritus, violare vt auderent regiam maiestatem. Si imperator ad Ecclesiam non venisset, nihil eorum quæ legimus accidisset.

Par est Babylæ factum. Ipse & Ambrosius ex occasione data, templo, & corporis & sanguinis Domini nostri Christi communione indignos, innoxio sanguine impiatos iudicârunt: quæ si data non fuisset occasio, neuter eorum vltroneâ excommunicatione Imperatorem lacessendum credidisset. Tametsi morosam seueritatem Ambrosij non probem; pij tamen Pastoris officio functum fuisse reor, qui liberè Imperatorem peccati admonuit,

cuius conſcientia veterno quodam ſecuritatis ſopita languebat, quam graui & ſeria illa reprehenſione excitauit & ſanauit; quandò ne quod ad ſalutem & peccatorum remiſſionem inſtitutum eſt, ad æternæ damnationis iudicium manducaret, prohibuit. Si Romani Epiſcopi more, excommunicandos Imperatores putâſſent, tempus, quo ad Eccleſiam venirent, non expectâſſent.

Quod igitur Babylas fecit, & Ambroſius imitatus eſt, nihil commune habet cum Epiſcopi Rom. tyrannica excommunicatione. Pij illi viri docere voluerunt, parricidis non patêre fores Eccleſiæ, niſi priùs pœniteant. Epiſcopus Rom. ita Reges excommunicat, vt illis pœnitentiæ locum nullum relinquat. Si Reges & Imperatores excommunicandi mos illis temporibus valuiſſet, quomodo cenſuram illam euaſiſſet Conſtantius & Valens, & alij plures impij & iniqui Imperatores? Maior cauſa Ambroſio data fuit, Iuſtinam & Valentinianum excommunicandi, quàm Theodoſium.

CAP. XXVII.

Arcadius ab Innocentio non fuit excommunicatus. Si, quod quidam narrant de Leone Iſauro, & Gregorio ſecundo, verum eſt; Gregorius ab impietate in Deum, & perfidiâ in Dominum ſuum non poteſt excuſari.

DE Innocentio, dico Arcadium Imperatorem, eiuſque coniugem Eudoxiam, ab eo fuiſſe excommunicatos non poſſe doceri. Nondùm eò audaciæ peruenerant Romani Epiſcopi: nec vlla cauſa erat, cur potiùs Imperatorem excommunicaret quàm Arſacium, qui in Iohannis locum ſurrogatus fuerat, cæteroſque Epiſcopos qui Iohannem condemnârant: quorum iudicium ſecutus Imperator, cum Iohanne communicare recuſabat. In vita Chryſoſtomi Innocentium præter commiſerationem nihil Iohanni attuliſſe opis legimus: & quòd Chryſoſtomi damnationem non approbauit. Quòd ſi Imperatorem excommunicare tentâſſet, iuriſdictionis ſuæ fines exceſſiſſet. Patriarchis enim ſuos fines Concilia præſcripſerant: ad vicinos Epiſcopos cauſæ cognitio pertinebat. Quocirca non niſi temeraria eſſe potuit Romani Epiſcopi ſententia, qui parte altera non audita, ex rumoribus & delationibus eorum, qui fauebant Chryſoſtomo, ſolus ſine Synodo contra Eccleſiæ morem, in Imperatorem Dominum ſuum ſententiam excommunicationis proferre auſus eſſet.

Si exempla ius dant, aut adimunt, contraria facile eſt adferre. Theodora Auguſta, & Antonina Beliſarij ducis vxor, cum Beliſario auſæ fuerunt, in Pontum Inſulam relegare Siluerium Romanum Papam. Eadem Theodora Vigilium Siluerij ſucceſſorem ad ſe adductum Conſtantinopolim, contumelijſq; ac verberibus affectum, funè in eius collum iniecto, per vrbis plateas tractum, in exilium deportari iuſſit. Nullus tamen Papa excommunicatione hanc iniuriam vltus eſt.

Gregorium 2. quod attinet, ſi verum eſt quod quidam ſcribunt, & hîc allegatur, primùm nullo Patrum exemplo, contra Dei verbum & Patrum doctrinam cultum imaginum in Eccleſijs defendit, quibus repurgari templa Imperator Leo Iſaurus mandauerat. Deindè Domini ſui proditor fuit; qui ad defectionem ab eius Imperio totam Italiam, & alias regiones ſolicitauit, atque induxit; & vectigalia, quæ ſolui Chriſtus Cæſari mandadauit, prohibuit. Quòd Imperator accuſatur de hæreſi propter deiectas Diuorum imagines, eſt craſſus gentium error, quem veteres omnes Theologi vno conſenſu condemnant. Veteres voco, quotquot Orthodoxi ſcripſerunt quingentis poſt natum Dominum annis. Quorum, ne prolixior ſim, tantùm nomina inſeram, notatis locis in quibus reprobantur religioſæ imagines. Illas autem condemnauit Origines contra Celſum lib. 6. & 7. Tertullianus in Apologetico contra gentes. Lactantius de origine erroris cap. 17. & 18. Hieronymus in epiſt. Ephiphanij ab eo versâ. Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum, lib. 1. cap. 10. Idem de fide & Symbolo cap. 7. Concilium Elibertinũ Canone 36. & in decretis Iuonis: *Placuit picturas in Eccleſiis eſſe non debere, nè quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.* Itaque tyrannicum Gregorij factum, vtpotè impium, nullum ius probat.

CAP.

CAP. XXVIII.

Zacharias non depoſuit Childericum, nec regnum Francorum ad Pipinum tranſtulit.

DE Zacharia non ita res habet, vt ab adulatoribus Papæ narratur. Tyrannidis nomine, cuius pudere deberent, gloriantur Rom. Epiſcopi, quandò falſis, & ab ipſis confictis hiſtorijs credi volunt factum eſſe, quod nec vnquàm factum eſt, nec fieri potuit. In re dubia Pipinus & cæteri Franciæ Proceres conſulendum duxerunt Epiſcopum Romanum; num liceret ab inutili Rege, qui vmbram & nomen tantùm gerebat Regis, imperium transferre ad eum, qui labore, ſtudio, & vigilantia ſua ſalutem populi procurabat? Eos mouebat ſacramenti religio, qua fidem ſuam Childerico vero ſuo Regi obligauerant

Zacharias verò, quem iam ſibi antè deuinxerat Pipinus, vt ei gratificaretur, ſcrupulum Francis ademit, & illa religione ſoluit. Rectè an ſecùs nunc non diſputo, ſed nihil aliud egit, quod quiuis Epiſcopus & Theologus in ſacris literis verſatus, de re dubia conſultus reſpondere non poſſit.

Quamuis in Gallia non deeſſent Epiſcopi & Archiepiſcopi doctrinâ & eruditione Romano nihil inferiores, minorem eo authoritatem habere viſi ſunt, quòd res ipſos propiùs attingeret: atque hoc modo hanc rem narrant viri hiſtorici. Nemo Gallus ſine læſæ maieſtatis crimine Romano Epiſcopo tantam poteſtatem tribuit, vt poſſit abdicare Regem, & alium regno in eius locum ſurrogare. Marſilius Patauinus in Tractatu de tranſlatione imperij; Zacharias (inquit) Childericum non depoſuit, ſed deponentibus, vt quidam aiunt, conſenſit. Clericorum verò ſcriptura, in hoc reijcienda, tanquam Francis præiudicialis & falſa. Cui viro alicuius iudicij veriſimile futurum eſt, Zachariam regno priuâſſe Childericum hominem innoxium, cùm vicinos hoſtes Reges Longobardorum ſibi infeſtos ferret, nec regno deijciebat? Sed ea tunc temporis non credebatur eſſe Romani Papæ poteſtas. Præterea Papæ vaſſallum fieri Pipinum oportuiſſet, ſi authoritate ipſius in regnum Childerico ſucceſſiſſet. Nam ad ius directi domini pertinet, ob iuſtas cauſas feudo priuare vaſſallum, & alium eodem inueſtire: atque ita Papa omnium Chriſtianorum regnorum directus dicendus eſt dominus. Sed rem Pipinus non ita intellexit, nec illius ætatis vllus aut Epiſcopus, aut Theologus: & populus Francorum id nunquàm eſt admiſſurus. Papæ tamen id ſibi perſuadent, cupiuntque vniuerſo perſuaſum orbi: nimirùm qui & Romanos Imperatores vaſſallos ſuos eſſe contendant, & à Græcis ad Francos authoritate ſua ſe tranſtuliſſe imperium. A quo autem hoc ius Papa obtinuerit, quia docere haud eſt facile, (à Domino autem Ieſu Chriſto certum eſt ciuile imperium nullum fuiſſe relictum Apoſtolis; & donatio Conſtantini impudentis mendacij, falſique eſt conuicta) populus, ſi Deo placet, in conſortium vocatur, cuius in hac re poteſtatem eò extulerunt, vt regna populi faciant beneficia: & cuius in Eccleſiaſticis negotijs nullas eſſe partes volunt, ſummam in deponendis & recipiendis Regibus conſtituant. Atque ita regna & imperia feuda ſunt, partim Eccleſiæ, partim populi. De populi iure nunc nihil dicam; & quantum ad Eccleſiam ſpectat, nemo prædeceſſorum Zachariæ legitur vllum vnquàm exauthorâſſe Regem: nouum hoc fuiſſet & admirandum; totos ſeptingentos annos nihil huiuſmodi Patres docuiſſe, aut cognouiſſe.

CAP. XXIX.

Leo non tranſtulit à Græcis imperium ad Francos. Si tentatum id ab eo eſt, ſicut quidam volunt, nullo iure id feciſſe potuit.

LEo 3. *Pontifex imperium à Græcis ob religionis contemptum ad Germanos tranſtulit*. Impudentia Romani Epiſcopi & clientum ipſius incredibilis olim poſteris futura eſt, qui affirmare audeant imperium Romanum à Græcis ad Francos, à Leone 3. fuiſſe tranſlatum. Nam ſimul conuulſa Rom. Epiſcopi authoritate, cuius teſtimonium in propria cauſa nullum eſt, corruit, quidquid hiſtorici Papæ nimiùm credulì, ſine vllo erroris examine, ſuis Hiſtorijs inſeruerunt. Rom. imperium nunquàm fuiſſe in poteſtate Papæ, ex omnibus hiſtorijs ipſa meridiana luce clarius eſt. Quod quis ius non habet, in alium transferre non poteſt. Quàm autem Romani Epiſcopi eſſent auxilij inopes, quandò tum Pipini,

tum Caroli Magni opem implorare coacti sunt, res ipsa declarat: à quibus vt amplissimas possessiones ex præda Longobardorum acceperunt, ita præter verba, & meras nugas nihil dederunt.

Latissimum sibi comparauerat Carolus imperium, Saxones perdomuerat, & fidem Christi suscipere coëgerat: & tandem Italiæ regnum, expulsis Longobardis, iure belli quoque suum fecerat. Rhegino de Carolo narrat, quòd Papiam armis ceperit, & Desiderium Regem cum ipsius vxore & filia, omnem etiam thesaurum palatij, ibíque venientes omnes Longobardi, de cunctis ciuitatibus Italiæ, eius se subdiderunt dominationi. Adalgisus verò filius Desiderij fugâ elapsus, mare introiuit; & Constantinopolim perrexit. Carolus subiugatâ Italiâ, & ordinatâ, custodiam Francorum in Papia dimittens, cum magno triumpho in Galliam reuersus est.

At (inquient) Leo legatos ad Carolum misit cum clauibus confessionis S. Petri, & vexillo vrbis Romæ. Claues confessionis S. Petri? hoc est, quod modò dixi, nugas. Quod vexillum attinet; illud fuit populi Romani, & procerum, sine quorum consensu illud mittere non potuit. Eo enim significabatur vrbis dominium Carolo deferri, cui constat, Romanos se tunc tradidisse. De qua re Marianus Scotus ait, Carolus hoc tempore à Romanis Augustus est appellatus: & Sigebertus, Romani vno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per Leonis manus coronant.

Quod Episcopus fecit, fuit ministerij, non dominij: consensus omnium ordinum vrbis tradidit imperium, non vnius Pontificis. Quod translatum à Leone pontifice ob religionis contemptum dicitur, verisimile non est; quandoquidem Irene superstitiosa mulier tunc regnabat, quæ cultum simulacrorum restituerat: & Concilium Nicenum secundum recens erat, per omnia cum idololatria Romana consentiens. Malè distincta temporibus hîc coniunguntur: nam vt Gregorius religionem prætendere potuit, Leoni certè nulla causa fuit.

CAP. XXX.

Bellarmini duæ potissimùm rationes, quibus ius Romani Papæ in Reges & eorum regna, se docere putat.

BEllarminus vt hanc translationem imperij factam authoritate Pontificis probet, toto libro, quem de translatione imperij scripsit, valdè sudat: sed tam ipse quam alij omnes operam ludunt, quidquid scripserint præteritorum temporum Scriptores, nisi illud ius transferendi regna summo pontifici competere doceatur. Quod cum efficere conetur; hîc addere ipsius omnes rationes, superfluum esset: vnam, eámque præcipuam attulisse & confutâsse sufficerit. Si enim ius Reges abdicandi, & imperia transferendi, habet Romanus Episcopus; potuerit certè olim à Childerico regnum Francorum ad Pipinum, & imperium à Græcis ad Francos transtulisse.

Sed, vt ipse ait, tota res pendet à duabus sententijs, quarum altera hæc est, *Romanum Pontificem totius Ecclesiæ, id est, omnium Christianorum patrem & pastorem esse*: altera, *Summum Ecclesiæ totius pastorem, ita non modo priuatis hominibus, sed etiam Regibus & Imperatoribus præesse, vt si causa Christi & Ecclesiæ exigat, possit eos regnis atque imperiis exuere, eáque regna & imperia ab aliis ad alios transferre.*

Primam sententiam dicit quinque libris à se probatam: quos hîc confutare alienum esset, & iam à viris doctissimis abundè factum est. Alteri, quam variis coloribus pinxit, fucum detraham, vt eius falsitas appareat. In ea enim totius controuersiæ præcipuum est robur situm. Nam, vt maximè verum esset, Romanum Episcopum omnium Christianorum esse patrem; nisi quoque doceatur potestas Ecclesiastica esse politicâ superior, nihil efficitur.

Quando Principes (inquit) *sunt Christiani, & in Ecclesiæ Catholicæ membris ac filiis numerantur; duæ illæ potestates ita coniunguntur ac conueniunt inter se, vt vnam rempub. vnum regnum, vnam familiam, imò & vnum corpus efficiant.* Vnum enim, *vt Apostolus ait, Rom.* 12. sumus corpus in Christo; singuli autem alter alterius membra.

In hoc autem corpore mystico Ecclesiæ, potestas Ecclesiastica veluti animus quidam est, politica autem veluti corpus, vt S. Gregorius Nazianzenus docet in oratione ad populum timore perculsum,

sum, & Imperatorem irascentem. Neque in controuersiam id reuocari potest, cùm constet Ecclesiasticam potestatem spiritualem ac cœlestem esse, politicam verò humanam ac terrenam: & rursus illius finis aeterna beatitudo sit, huius autem pax & tranquillitas temporalis: illa animos & corda potissimùm regat, ista in corporibus vim suam habeat: illa legibus diuinis & cœlestibus oraculis, ista iure ciuili ac gentium nitatur: illa denique auctorem immediatum Deum habeat, ista per ius gentium & consensum populorum ad Principes deriuetur.

Igitur quemadmodùm distincta sunt animi & carnis munera, & separata etiam inueniuntur in Angelis, qui corpore vacant, & belluis, quæ rationis sunt expertes: & tamen in homine, quia vnam hypostasim efficiunt, ita conueniunt & coniunguntur, vt animus præsit, caro subijciatur; & possit animus iure suo, carnem ieiuniis, vigiliis, aliisq; laboribus coercere, ne impedsat munera spiritus; vel etiam si opus sit, ad finem ipsius spiritus consequendũ, possit spiritus carni imperare, vt se ac sua exponat omnia, etiã cum detrimento vitæ, vt sanctos martyres facere videmus: pari ratione in Ecclesia Christi, si verè vnum corpus sit, tantã esse oportet coniunctionem Ecclesiasticæ ac politicæ potestatis, tantumq; inter eas ordinem, & vnius ad alteram subiectionem, vt in his quæ ad aeternam salutem adipiscendã pertinent, Ecclesiastica potestas politicã dirigat, eiq; imperet, & si opus sit, cohibeat & coerceat, ne adeptionẽ propriifinis impediat; etiam tũ detrimẽto propriæ potestatis.

CAP. XXXI.

Responsio ad Bellarmini rationes. Exponitur Nazianzeni sententia, qui suam Episcopalem authoritatem supra regiam potestatem nonextulit, eo sensu qui allegatur à Bellarmino.

AD arte contextum mendacium, simplicem responsionem, candide lector, accipe. Primùm duas potestates coniungi, & conuenire inter se, vt vnam remp. vnum regnum, vnam familiam, imò & vnum corpus efficiant, quòd *vnum* (vt ait Apostolus) *corpus sumus in Christo*, fateor; & primam hanc sententiam lubens amplector. Sed ea quæ sequitur sententia, nempè; in hoc autem mystico Ecclesiæ corpore, potestas Ecclesiastica veluti animus quidam est, politica autem veluti corpus; falsa, & iniqua est, Deo, & Christianis principibus contumelioſa. Tantum enim à priore distat, quantum aurichalcum ab auro, scoria ab argento, & veritas à mendacio. Prior sententia Pauli est, posterior Bellarmini, & eorum qui cum eo idem sentiunt.

Quàm autem iniqua, & falsa, Principibusque omnibus contumelioſa comparatio sit, quæ Ecclesiasticam potestatem animo, ciuilem verò corpori comparat, docebimus; & quòd hæc & illa rationem animæ obtineant in reipub. corpore, dante Deo, demonstrabimus. Ad Gregorium Nazianzenum hoc loco mutum, priùs quid paucis respondeam animaduertite.

Oratio illa Nazianzeni admodùm sublimis & elegans est, omne genus referta figuris & ornamentis rhetoricis: quæ tota in duas partes diuiditur: priore populum, cui offensus erat Imperator, Episcopus alloquitur: alterâ ipsum Imperatorem placare, & populum ipsi reconciliare conatur. Indè verba quædam quibus metaphoricòs Gregorius vsus est, à Bellarmino vulgari & protrita significatione citantur. Quod certè aut ignorantis, aut maligni hominis est. Ego paulò altiùs citatum locum repetam, vt verus sensus clariùs appareat.

Finito sermone ad populum, Nazianzenus ad Imperatorem conuersus, eum sic affatur. *Quid autem de vobis dicemus Principes, & in potestatibus constituti? iam enim ad vos sermo noster se vertit, &c.* paulò post. *Num sermonem suscipitis liberum? & quòd lex Christi & vos meæ potestati meoq; subiecit tribunali? Imperamus enim & ipsi, addo, imperio maiori & perfectiori: aut oportet potiùs vt spiritus subsit carni, cœlestibusq; terrestribus? Suscipe igitur sermonem liberiorem. Scio te ouem esse mei gregis, altaris sacerdotem, Pastoris magni agnum, rectèque è supernis à spiritu directum, & lumine sanctæ Trinitatis, quemadmodum & nos, illuminatum: ac ideò breuis & succinctus ad te meus est sermo. Christi gratiâ regnas, Christi gratiâ dispensas; ab illo tibi datus est gladius, non vt illo vtaris, sed vt eo mineris, & tanquàm depositum purum tradenti custodias. Imago Dei es, & imaginem per manus ducis hic dispensantem, ad aliam vitam transmutandam, in quam omnes transmutabimur, &c.*

Hic audimus sublimia verba & magnifica, *Christi lex vos meæ potestati, meoq; subiecit tribunali.*

tribunali. Imperamus enim & ipsi, addo, imperio maiori, & perfectiori. Oportet vt spiritus subsit carni, cœlestiaq; terrestribus. Hæc allegoricôs dici, res ipsa & orationis contextus demonstrat: & Nazianzenum hoc neutiquàm intellexisse de imperio aut tribunali, vndè pro sua authoritate damnare posset Imperatorem, & imperio spoliare, vel cogere sub anathematis & interdicti pœnâ in ordinem. Romano Papæ hoc esse proprium Bellarminus contendit. Peculiarem illis verbis nullam sibi vendicat potestatem Nazianzenus, quam non haberet cum cæteris Episcopis communem. Misera profectò esset Imperatorum & Regum conditio, si tot imperijs, tot tribunalibus, quot in regnis suis habent Episcopos, essent subiecti. Nazianzenus tribunal vocat metaphoricôs suum ambonem, & suum imperium, atque potestatem, liberum sermonem nomine & authoritate Christi ad Regem, quo supplex Regem adhortabatur & precabatur, populo vt ignosceret & clementer tractaret. Totum suum imperium, totam sui tribunalis potestatem, in illa sua oratione exposuit: & spiritum vocat spiritualem Euangelij doctrinam, suamque Christianam exhortationem: carnem, iræ & vlciscendæ iniuriæ libidinem. Cœlestia, diuina præcepta vocat; terrestria, terrenos affectus. Itaque concludit, *Suscipe igitur sermonem liberaliorem, &c.* Quæ sequuntur, hunc verum sensum esse conuincunt: non Papam esse superiorem Regibus, aut Ecclesiasticam potestatem cuiusuis Episcopi esse spiritum, politicam verò corpus: illam esse cœlestem, hanc esse terrenam. Hoc nunquàm sancto Episcopo, ne per somnium quidem, in mentem venit.

CAP. XXXII.

Falsum est, potestatem ciuilem esse tantùm terrenam & humanam, quùm cœlestis & diuina non minùs sit quàm Ecclesiastica.

BEllarminus prætereà sibi dari vult, tanquàm extra omnem positum controuersiam; quòd constet Ecclesiasticam potestatem spiritualem atque cœlestem esse, politicam verò humanam & terrenam. Verùm quandoquidem totius Pontificiæ tyrannidis, aliorumque, quos idem æstus abripit, controuersia versetur in hoc veluti cardine, & pendeat à recta cognitione discriminis & excellentiæ, quam Deus in his duabus potestatibus constituit, ignoscet nobis Bellarminus, si paulò accuratiùs hanc rem examinauero, antequàm ei quod postulat demus. A potestate politica exordiar. Eam isti tantùm humi volunt repere, vt ipsi è cœlo veluti è sublimiore loco, infra se positos Reges, regumque imperia despiciant: vtpotè qui toti versentur in cœlis, Reges verò in terris. Tametsi nihil de ministerij Ecclesiastici dignitate detractum velim; rem tamen aliter se habere, ex ipsarum proprietatum, effectuumque consideratione apparebit. Nimis contemptim de potestate ciuili sentiunt scribuntque, qui Pharisaico inflati spiritu, sibi solis diuina & cœlestia concredita esse putant: & regiam potentiam è terris non è cœlo esse natam: atque ita versari circa terrena, vt altiùs non assurgat, neque in cœlum feratur. Quid? Populos regere, ius suum cuique tribuere, religionem ac pietatem promouere, tueri bonos, & iniuriæ obnoxios; viduas, pupillos, pauperes, & peregrinos à vi & oppressione defendere; punire sontes, coërcere malos, salutem denique totius populi procurare; inter terrena & humana numerantur? *ô cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!* Quis sanæ mentis, cui hæc penitiùs introspexerit, diuina & cœlestia esse munera neget? Episcoporum quidem hodiè, vt olim sacerdotum, officium est, verbum Dei docere, sacris præesse, ritus & cæremonias celebrare, easque impartiri populo. Regum autem officium in iudicijs, & iustitia administranda versatur. In solio Dei sedent, ac ipsius iudicia exercent: estque illorum officium, oppressos leuare, & afflictos recreare: quæ certè quibusuis cæremonijs & sacrificijs, ipso Deo teste, longè præstantiora sunt. Regum atque Iudicum actiones, celebriores, ac multo meliores esse externis sacerdotum actionibus, ex ipsarum rerum inter se collatione fit manifestum. Deus per Esaiam reiectis solemnitatibus & sacrificijs, totoque religionis apparatu, cuius ipsemet author fuerat, Regum ac Magistratuum requirit officia, præfertque tanquàm meliora: quæ vsque adeò tanti facit, vt neglecta, religioni ac cæremonijs omnem gratiam detrahant. *Discite* (inquit) *ô vos Reges & Principes, qui populum regitis, benefacere, quærite iudicium, dirigite oppressum, iudicate pupillo, iudicate viduæ, &c.*

Iustu

Iustus Deus scelerum & flagitiorum vindex, Saulem, quem ad regnum euexerat, misit vt Amalechitas cum omni pecore, & tota quam possidebant supellectile, stirpitùs deleret, nec quemquam eorum superstitem relinqueret. Cui mandato quia partim obtemperare noluit, sed moderatione, clementiaque maiore quàm Deo gratum erat, vsus est, seruauitque Regem viuum, & quidquid erat in pecore aut supellectile maioris pretij; à Deo reprobatus est.

Itaque Samuel vir Dei, iussus à Deo, Regem grauiter increpuit: cui inter cætera dixit, *Numquid benè placitum est Deo in holocaustis, vt in obtemperando voci Iehouæ? Melior est obedientia quàm sacrificium, & auscultare magis quàm adeps arietum, quia sicut peccatum diuinationis est rebellio, & idolum & teraphim transgredi.*

Prætendebat Rex, opima illa spolia seruata esse ad immolandum Deo: sed Samuel ostendit, quibus suis sacrificijs regium ministerium in vlciscendis impijs esse longè præstantius: adeò vt nullus vnquàm sacerdos gratiorem Deo obtulisse potuerit victimam illâ cæde Amalechitarum, si, vt ei mandatum erat, Saul eam fuisset exequutus.

CAP. XXXIII.

In Christiana rep. idem est finis ciuilis potestatis, qui est Ecclesiasticæ.

ADiuersitate finis Bellarminus, & alij plures, Ecclesiasticam functionem supra ciuilem extollunt, quòd illa in cœlum feratur, hæc in terris demersa sit: illa ad æternam beatitudinem respiciat, hæc verò in pace & tranquillitate temporali acquiescat. Qua in re similiter fœdè erratur, quandò Christiana politeia non præstantiorem habere finem creditur, eâ quæ est Gentilium, qui Deum & vitam æternam ignorant.

Quomodò enim ciuile imperium & Ecclesiasticum ministerium se mutuò complectentur, vt vnum & idem corpus regant, si in diuersos fines ferantur? Finem politeiæ ciuilis, quotquot philosophantur, summam fœlicitatem esse censent. Eam autem in pace & tranquillitate temporali, quàm rectè Bellarminus collocet, ipse viderit.

Ad summum bonum referri humanas omnes actiones, certum est axioma philosophicum: & hoc quod Philosophis fuit incertum, quodnam illud esset, de eo Christiani nihil dubitant. Quamobrem Christiani Principes, si re vera sunt quod dicuntur, ad æternam beatitudinem, futurámque in cœlis vitam, totam politeiam præsentis vitæ referent. Quòd si homines terreni sint, rebúsque caducis affixi, is erit eorum finis, qui animus: quod & sacerdotibus & Episcopis non secus euenire potest, quàm Regibus, si ipsi aut impij aut terrenis rebus sint addicti: qualis enim quisque est, talis est finis actionum ipsius. Hinc fit vt Deus impiorum sacerdotum detestetur sacrificia, & religionem eorum inter abhominationes censeat.

At, inquient, nos rem, qualis est naturâ suâ, non vt malè, aut benè ab homine tractatur, ac indè vitium contrahit, consideramus. Age, & nos eam quoque sequemur rationem, quò aut mouente Deo, aut naturâ ducimur. Quoduis politicum imperium legibus & moribus constat, in quibus primas tenere oportet, quæ religionem & Dei, deorúmue cultum præcipiunt. Illud quodcunque est, naturâ finem habet fœlicitatem, salutemque populi: quæ si ea creditur esse, quam, Deo docente, didicimus; finis beatitudo æterna erit: & eò referentur omnes leges, & omnia populi studia, idémque erit qui religionum, etiam bellorum, & judiciorum, & omnium denique ciuilium actionum postremus finis.

Quæ veri finis scientia vbi abest, & alius cogitatur, aut honestum, aut voluptas, aut vtilitas: eò similiter diriguntur belli domique omnes leges, ciuiumque publicæ actiones. Et quamuis religio soli Deo immortali debeatur, sitque pietas omnis honesti fons & origo, simul cum immortalitate conjuncta, deflectetur tamen religio ad eum finem, qui est politicæ potestatis. Qui si terrenus & belluinus est, eadem religio erit, & tantùm terrena & caduca procurabit, aut terreno more, cœlestia. Hæc duo ita simul coniuncta sunt, & amicè conspirant, vt alius esse publicæ religionis finis, alius totius reip. nequeat: sic est harum rerum natura, quidquid priuatim sibi vnusquisque boni vel mali contra publica reip. instituta sequendum colendúmue constituat. Non enim pij, qui in deprauata rep. viuunt, ad eundem collimabuut scopum, quò summum illius imperium. Ad Deum factorem suum, hominem respicere conuenit, quisquis sit reip. status finis.

Principium

Principium & finem relationem quandam inter ſe habere, notum eſt. Quocirca (vt paucis rem concludam) vt vnus author regnorum eſt, & omnis politicæ poteſtatis; ita eundem ſimiliter finem vltimum eſſe oportet. At Deus eſt author regnorum, & omnis politicæ poteſtatis: ergo & finis. Ab obiectis quod adfertur argumentum, nihil habet quod quemquam magnoperè mouere debeat. *Illa* (inquit) *animos & corda potiſſimùm regat, iſta in corporibus vim ſuam habeat.* Animos & corda regere propriè Dei eſt: cooperarios tamen ad eam rem, tametſi Eccleſiarum paſtores agnoſcam; nihil tamen per eos fit, quod Deus non etiam per pios Reges operetur. Docent illi pietatem, hi imperant; illi oppugnant impietatem; Reges exterminant, & puniunt. Vtroque modo ad Deum homo adducitur, vt in hac parte nihil habeat Eccleſiaſtica poteſtas, quo ſe ſupra regiam extollat. Imò hoc præſtat ciuilis poteſtas Eccleſiaſticæ, quòd illa poteſtatem habeat in corpora, quæ huic eſt negata. Cuius ſi quis cauſam ſcire deſiderat, paucis accipiat: Conſilio Dei factum eſſe, vt Miniſterium paſtorale cogendi externam nullam haberet potentiam, vt doctrinæ efficacitas nemini niſi ſoli Deo tribueretur.

CAP. XXXIIII.

Legibus diuinis ciuilis poteſtas æquè nititur, atque Eccleſiaſtica.

ALiud argumentum, quod ducitur hinc, *Quia legibus diuinis & cœleſtibus oraculis nitatur poteſtas Eccleſiaſtica, iure ciuili & gentium, politica*; craſſum continet errorem. Non enim idcircò ciuile imperium minùs legibus diuinis & cœleſtibus oraculis nititur, quàm Eccleſiaſticum miniſterium, quia iure ciuili & gentium nitatur. Nam ſi numerus ſententiarum aliquid habet ponderis in rebus diuinis, & non tantum valeat, quod ſemel in vno loco dictum eſt, ac illſud quod centies eſt repetitum, quot teſtimonijs ſacrarum Literarum poteſtas Eccleſiaſtica ſtabilitur, totidem & etiam pluribus politica poteſtas adſtruitur.

Ineptè illa etiam opponuntur inter ſe, tanquàm diuerſa, & alterum altero ſit excellentius, quòd diuerſis regantur legibus; quandò leges eundem habent authorem, & eandem æquitatis rationem. Vt enim diuinæ leges, & cœleſtia oracula à Deo profecta ſunt; ſic etiam ius gentium, & naturæ lex, iuraque ciuilia. Leges ciuiles, quibus populus Chriſtianus regitur, aut ex verbo Dei ſcripto, aut ex naturæ lege depromptæ ſunt, aptanturque moribus, locis, & temporibus: & æquitate certant (ſi non vincunt) cum piorum Epiſcoporum decretis, & canonibus, quos ex diuini verbi fontibus deduxiſſe creduntur. Diuinæ ſapientiæ, per quam viri ſapientes quæ iuſta ſunt decernunt, acceptum ferri debet, quicquid boni & æqui tam in ciuilibus, quàm Eccleſiaſticis legibus inuenitur.

Addit Bellarminus: *Illa denique authorem immediatum Deum habet, iſta per ius gentium & conſenſum populi ad Principes deriuatur.* Magnus in theologo hic error eſt, magna ignorantia; neſcire, quemadmodum Eccleſiaſticæ poteſtatis ante legem, ſub lege, & poſt legem, proximus author fuit Deus, ſimiliter fuiſſe & politicæ: & ſicut ſacerdotium à Deo eſt, ſic & imperium. Non minùs proximè à Deo principatum habuit in populo Dei Ioſua, quàm Eleazar ſacerdotium. Quòd Saul & Dauid regnum habuêre proximè à Deo, ne quis crederet in populo Dei ſingulare illud eſſe, & non commune alijs gentibus, quaſi Deus Iudæorum tantùm fuerit Deus, & non gentium; Hazaëlem hominem ethnicum incircumciſum, inungi in Regem Syriæ per Prophetam ſuum Eliam iuſſit; & Cyrum nondum natum, Chriſtum ſuum futurum prædixit. Tantum abeſt vt ſolo iure gentium conſenſuque populi politica poteſtas ad Reges deriuetur, excluſâ illâ ſingularis prouidentiæ curâ, quam in verbo ſuo reuelauit ſe habere humani generis Rectorem, de regno, & ſacerdotio populi ſui: quod, vt mundo teſtatum fieret, pari, & eadem, atq; per omnia ſimili ordinatione, quâ ſuos ſacerdotes & Reges in peculiari populo inſtituit, ſe gentium etiam conſtituere Reges, per prophetas ſuos docuit. Hominis in hominē imperiū non niſi à Deo eſt.

Ius gentium, hoc eſt, naturæ lex, mortalium inſcripta mentibus, malè oppōitur diuinitùs ſcriptis oraculis, tanquàm inferior, atq; eis imperfectior, cùm ex eodem fonte manârint. Vitium enim legis non eſt, ſi quid deprauatio naturæ corrupit. Illo naturæ iure Prophetica & Apoſtolica ſcripta, præter Dei promiſſiones, nihil habent præſtantius.

CAP.

CAP. XXXV.

Ciuilis potestas est reip. instar animæ, sicut est Ecclesiastica.

POstremo loco Bellarminus amplificat, quod secundo loco posuerat, quādò comparauit Ecclesiasticam potestatem animo, & politicam corpori: & nunc eodèm recurrere facit orationem, vt sit veluti complexio deducta ex superioribus, qua persuasum esse cupit, Ecclesiasticam potestatem præesse debere politicæ, vt spiritus carni. *Et quemadmodùm animus carnem potest coercere ieiuniis, vigiliis, aliisq; laboribus, ne impediat munera spiritus: & quod magis est, ad finem suum consequendum, spiritus potest imperare carni, vt se, & sua exponat omnia, etiam cum detrimento vitæ. Tantam enim esse coniunctionem harum potestatum, quando simul concurrunt, tantumque inter eas ordinem, & vnius ad alteram subiectionem, in his quæ ad æternam salutem adipiscendam pertinent, vt Ecclesiastica potestas politicam dirigat, eique imperet, & si opus sit, cohibeat, & coerceat, ne adeptionem proprii finis impediat, &c.*

Quod superiùs dixi, repeto; Comparationem hanc esse ineptam, & in Deum, & summum imperium, quo res humanas regi voluit, contumelioſam. Ambæ istæ potestates vt ab eodem sunt authore Deo; ita vtrique proprias dedit leges, nec politicæ potestati Ecclesiasticam esse directricem voluit, nec politicam Ecclesiasticæ. Regulam inflexibilem, certam, & æquam esse oportet, ad quam cætera sunt exigenda. Cùm autem vtraque à recto possit deflectere, ac sæpe deflectat; meliorem & certiorem, quàm possit altera esse alteri, quæ iusta & immota est, Deus eis dedit, verbum suum.

Æquè ac Reges, possunt Episcopi potestate sua Ecclesiastica turpiter abuti. Abusos fuisse, probatione non est opus: res manifesta est. Quod subiectionem attinet, Ecclesiastica est politicæ Christianæ subiecta, in ijs omnibus quæ in controuersiam vocari, & in iudicium apud homines adduci possunt. Quod vt meliùs intelligatur, duo sunt in ministerio Ecclesiastico consideranda. Primum est diuina gratia, quæ hominum ministerium comitatur, & salutem efficaciter operatur: quæ cùm sub oculos & aspectum nostrum non cadat, iudicium nullum de ea haberi potest. In ea tamen tota excellèntia Euangelici ministerij sita est. Alterum est ipsum externum ministerium, tribus contentum partibus, Euangelicâ doctrinâ, sacrorum administratione, & regimine Ecclesiastico. In quibus quamuis ciuile imperium nihil innouare possit, sicut nec ipsa Ecclesiastica potestas; Christianæ reip. statum quia varijs & multis modis turbare possunt; ad eius, qui constitutus iudex & rector est populi Dei, officium pertinet, videre ne quid Ecclesia detrimenti patiatur; puram doctrinam defendere, falsam reprimere, & quantum valet supprimere, authores punire, ad summum quod Deus in vnaquaque rep. constituit imperium pertinet.

Et quamuis Rex, nec Episcopus, nec presbyter Ecclesiæ sit; ad eius officium tamen spectat, eos qui Ecclesijs præsunt, in officio continere, nec permittere vt sacramenta Christi contaminentur: sed ea populo ministrentur eo ritu, quem Seruator instituit, cum ea reuerentia, & cultu externo, qui regioni & genti est honestissimus, & maximè religiosus. In Ecclesiæ regimine, cuius plures partes sunt, quia sæpe magni motus, turbæ, factiones, iniuriæ, & varij abusus interueniunt; summi imperij est, licentiam frænare, & audaciam compescere.

Sed mihi videor audire quosdam qui dicunt; Quid? homo prophanus de sacris rebus? & num terrenus Deos iudicabit? Sed nòrint, Reges, Principes, & Iudices, etiam Deos vocari; & religionem, atque res sacras ad eorum pertinere curam; & quod fuit Moses, Iosua, Dauid, Iosophat, Ezechias, & Iosias, in veteri Iudæ populo, Reges & Principes Christianos esse in populo Christiano: & eandem habere in Episcopos & alios Ecclesiarum Pastores potestatem, quam illi habuêre in sacerdotes. Nec aliud fuit Patrum de hac re iudicium, qui iudicijs iniquis Episcoporum oppressi, & iniuriam passi, ad Imperatorum confugêre auxilium; vt ipsorum authoritate rescinderetur, quod perperàm iudicârant Episcopi.

Et quamuis Reges non sint Theologi (quod eos esse nihil tamẽ magis prohibet, quàm Dauidem fuisse vatem) habent Theologos. Si medici lethalia populo propinarent pharmaca, ad magistratus officium pertinet, aut malitiam, aut ignorantiam illam punire.

At quomodò, quùm medici non sint? Habent medicos, qui aut ignorantiam temeritatẽque, aut fortè malitiam aliorum demonstrabunt. Architectus est omnis summi imperij moderator, (vt secundo libro à nobis dictum est) qui sub se habet omnes reip. partes. Seruus Christi est Episcopus: sed Rex quoque Dei Minister dicitur, quisquis ille sit, etiam tyrannus & impius, multo magis Christianus.

CAP. XXXVI.

Rex imago Dei est, sicut Episcopus Christi: & tanto excellentiùs Christi gloriæ imaginem refert, quo Christi gloria, Iudicis & mundi Rectoris, maior quàm Mediatoris

AVgustinus in Quæst. vet. & no. Test. ait, Dei imaginẽ habere Regẽ, sicut & Episcopum Christi. Item Ambrosius in Epist. ad Ro. cap. 13. Principes hos Reges dicit, qui propter corrigendam viam, & prohibenda aduersa creantur, Dei habentes imaginem, vt sub vno sint cæteri. Et Gregorius Nazianzenus Imperatorem sic alloquitur: *Imago Dei es, & imaginem per manus ducis, hic dispensantem, & in aliam vitam transmutandam, in quam omnes transmutabimur.* Tertullianus ad Scapulam sic scribit; *Colimus ergo Imperatorem vt hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consequutum, solo Deo minorem.* Quibus verbis Regem supra Episcopos, Patres illi extulerunt, quando & imaginem Dei eum gerere, atque hominem secundum à Deo, & solo Deo esse minorem scripserunt. Seruator noster Christus nusquàm Apostolos ciuili potestati exemit, cui ipse, quoad vixit, paruit.

At Rex Regum, & Dominus dominantium erat Christus, cuius nomine Apostoli, & eorũ successores Episcopi, legatione funguntur. Sed respondeo; quamuis magna eorum sit dignitas, non tamen Regibus sunt pares, nedum superiores; quippè qui in Dei solio sedeant, & Dei, non hominum iudicia exerceant. Legatus vel nuncius, qui à Rege ad alium mittitur Regem, aut ad Ducem Regis sui vassallùm & clientem, non constituitur eis, ad quos mittitur, maior aut æqualis. Perfert ille quidem Regis sui mandata, inferendi vim potestas nulla ei datur. Pareant illi necne, eorum periculo fit: perfungitur suo officio, si fideliter mandata Domini sui perferat. Legato quidem debetur honor, propter Dominum à quo mittitur: sed non vt par aut superior fiat eis, ad quos fuerit missus. Sine imperio legationem esse Apostolicam, Apostolus Paulus in secunda ad Corinth. apertè testatur. *Itaque* (inquit) *nomine Christi legatione fungimur; velut Deo precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo.* Et Petrus cleris dominari prohibet.

Dominus noster Christus Deus & homo, Rex Regum, & Dominus dominantium est, atque totius mundi rector & iudex, sicut & redemptor. Gloriæ ipsius & maiestatis decus, in Regibus non in Apostolis voluit relucere, quatenus ipse mundi dominus, rector, & iudex est: & in Apostolis, alijsque Ecclesiæ Pastoribus, subiectionis & humilitatis (ad quam ipse vt mundum redimeret, & patri suo reconciliaret, sese demisit) inesse imaginem. *Quemadmodùm* (inquit) *me misit pater, & ego mitto vos.* Missus autem erat à patre vt doctor, & mediator humani generis, subiectus magistratuum ciuili imperio. Maiores quàm ipse erat, non eos constituit: nec in regna Regésue, virtute legationis suæ, potestatem vsurpare voluit. Legati igitur & vicarij sunt Christi, sed crucifixi, & legationem suam obeuntis sub alieno imperio.

Rex autem, quamuis mandata quæ nomine Christi ad eum perferuntur, recipere teneatur, & Domini sui legatos honore prosequi, non ita tamen quasi sit illis inferior; cùm Dei imaginem & ipse referat excellentiorem eâ quæ fuit in Apostolis. Non igitur ad eorum pedes prouolui debet, tanquàm ipso digniores sint. Eum honorem nec à Centurione Cornelio sibi exhiberi Petrus est passus, nec à Iohanne Angelus. Quanto Regis officium est maioris potestatis, tanto est similiter maioris maiestatis.

Hinc in veteri lege summos sacerdotes Regibus semper fuisse subiectos legimus: ambo tamen gerebant imaginem Christi, sed diuersa ratione. Sacerdos Christũ mediatorẽ referebat; Rex verò supremum mundi rectorem ac iudicem: & quemadmodùm sacerdos sacrificium pro salute Regis offerebat; sic Rex sacerdotes gubernabat. Antistes religionis

tanquàm

tanquàm dux in sacris præit, Deumque ostendit, atque in eum, non in se iubet mentem defigere. Et quandocunq; imperij maiestas religioni cedit, Deo cedit, non sacerdoti. Qui etsi religione debeat esse Rege sanctior, maiestate imperij Rex est eo augustior. Proinde ille paret, hic imperat.

Iniqua harum dignitatum est illa comparatio, quæ Reges distineri rebus terrenis, atque profanis iudicat; sacerdotem verò tantùm in diuinis & cœlestibus occupari. Nihil enim præstantius in regio regimine considerant, quàm in arte textoria, aut fullonia. Qui hoc modo rem considerant, quicunque illi sint, non possunt non contemnere Maiestatem regiam, eamque Ecclesiasticæ, nescio cui, subijcere potestati; & vilissimum quemque sacrificulum dignitate Regibus anteferre.

Hinc intolerabilis ille fastus cleri papistici natus est; & imprimis illius, qui summi sacerdotij opinione tumidus, supra omnia quæ apud homines in aliqua sunt honoris admiratione, seipsum extulit. Nunquàm episcopalem dignitatem tot hominibus communem, Episcopus Romanus tam facilè mundo persuasisset, Regia maiestate esse maiorem, nisi priùs vnus sibi fratrum suorum omnem dignitatem & authoritatem subiecisset, vt de singulari solus superbiret sacerdotio: & ea ratione solium regio imperio augustius conscenderet, non considerans sacerdotio munus præstantius Reges esse sortitos.

CAP. XXXVII.

Sacerdotij præcipua pars relicta Regibus.

QVod in ipso sacerdotio erat olim præcipuum, transmissum ad Christianos Reges & Principes fuit. Respondere de iure, ad sacerdotes antiquitùs pertinebat, eratq; iurisprudentia pars quædam diuinæ sapientiæ, longè præstantior eâ, quæ ritus sacrificiorum tractabat. In populo Dei Sacerdotes & Leuitæ fuêre iurisconsulti: & apud alias gentes idem mos diù viguit. Magi Persarum, sacerdotes Ægyptiorum, & nostri Druidæ, duas has sacerdotij excoluêre partes: cæremonijs & sacris præerant, & leges iuraque seruabant.

Id enim indè ortum habuit, quòd in rerum humanarum primordijs cum ciuili imperio sacerdotium coniunctum fuerit, ac ita per multa secula manserit. Deus in lege sua munera quidem illa duo discreuit; ita tamen, vt præcipuam partem sacerdotij iudicibus Regibusq; reliquerit. Quæ sita est in iustitiæ administratione, tanto est excelsior cæremonijs & externo Dei cultu, quanto Deus magis iustitiâ & æquitate delectatur, quàm victimis.

Hanc sacerdotij partem, tanto magis Reges & Principes præ sacerdotibus excolendam suscipiunt, quòd in hunc maximè finem à Deo ordinantur, & potentiâ maiore ad eam tuendam muniuntur. Hinc sacerdotis vocabulum apud Hebræos, כהן *cohen*, Principibus tributum legimus. Profectò digna est Celsi definitio iuris quæ celebretur: eleganter enim illud his verbis definit. *Ius est ars boni & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes; bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram (nisi fallor) philosophiam, non simulatam affectantes.*

Responsa dare de lege in rebus controuersis ac dubijs populo, Deumque consulere de republica, ad sacerdotis functionem pertinebat. Sed quanto præstantius est, quod bonum & iustum est perficere, quàm consilium dare, tanto præstabat Rex sacerdote. Quid vellet Deus fieri, per sacerdotem & Prophetas, Regibus & Principibus indicabat; sed ea res Prophetam supra Regem non magis extollebat, quàm bona consilia sapientum & consiliariorum, sapientes & consiliarios. Responsis sacerdotum & prophetarum parere, est Deo non homini parere, cuius tantùm partes sunt quæ consiliariorum.

At Euangelij prædicatio (inquient) potentia Dei est ad salutem cuiuis credenti: per eam enim ingeneratur fides quâ iustificamur, & quâ ex Spiritu sancto regeneramur, & nouum induimus hominem, & diuinæ efficimur consortes naturæ, & filij Dei vocamur, & sumus. Ministerium Euangelij est dispensatio mysteriorum Dei, quæ & ministerium Spiritus vocatur, non literæ; vitæ, non mortis: & Mosis ministerio excellentius est, ac cum maiore coniunctum gloria. Maior potestas in terris dari hominibus non potuit, eâ, quâ peccata remittuntur, aut retinentur in terris;

ſoluuntur & ligantur in terris, ſoluenda & liganda in cælis.

Reſpondeo, excellentiæ miniſterij Euangelici me nihil velle detractum: ſed duo quædam (vt modò dixi) in miniſterio Eccleſiaſtico conſiderari. Primùm ſunt diuinæ Spiritus ſancti actiones, quæ externum hominis miniſterium conſequuntur, quarum Miniſter efficientiam non attingit: tamen quia cooperator eſt Deo, non ei negantur ſublimia nomina & effecta, quæ propria tantùm Chriſti ſunt: quæ quùm ſub ſenſũ non cadant, homines de ijs iudicare nequeunt. Alterum eſt externũ miniſterium, vt eſt prædicare Euangeliũ, baptizare, & Eccleſiam regere; & hanc nos externam poteſtatem, cum externa poteſtate comparamus, & internas actiones & inconſpicuas, Deo relinquimus: illæ cum externis æquari non poſſunt.

Nemo mihi Theologus negaturus eſt, fidem, peccatorum remiſſionem, iuſtitiam Dei, qua iuſtificamur, regenerationẽ, nouam creaturam, Dei eſſe actiones, non hominis. Quòd miniſterio externo Euangelij, aut ſi quis mauult, Eccleſiaſticæ poteſtati hæc tribuuntur, tropus eſt. Nam & ſine hominum miniſterio illa fieri poſſunt; & non rarò miniſterium conſequũtur. Neq; hodiè alio modo peccatum remittit Euangelij Miniſter, quàm ſacerdos à lepra mundabat. Multis Euangelium prædicatur qui non credunt, & quibus myſteria communicantur, omnes eorum non percipiunt gratiam; quę tamen credentes, non adhibitis ſacramentis, fide conſequuntur; vt non ſine cauſa Paulus dixerit: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed Deus eſt qui dat incrementum.*

Paulus gaudebat ſe paucos Corinthiorum baptizâſſe, nè quis inde cauſam gloriandi haberet, ac illius miniſterio plus tribueret quã par erat, abutereturq; eo ad ſchiſma. Efficacitas poteſtatis Eccleſiaſticæ propria eſt gratię Dei, nec eam attingit externus hominis labor. Cooperatur quidem Deo, ſed Deus non ſemper cooperatur homini; ſed vbi maximè cooperatur, ne tunc quidem efficientiã gratię attingit Miniſter, eo modo quo ciuilis poteſtas ea quæ Deus per illã exequitur, quandò aut noxios punit, aut oppreſſos releuat.

CAP. XXXVIII.

Iudicium quidem de moribus, Eccleſiaſticæ poteſtatis eſt; in quo tamen ſi quis ſit læſus, ad Regem, ipſiuſq; delegatos recurrere poterit, & ab eo reſtitui.

IVdicium de moribus non adimo Eccleſiæ, ſed vt liget aut ſoluat, vt retineat peccata, aut remittat, quatenùs in cœlis apud Deum pœnitentiâ & fide peccator liber, & ſolutus eſt propter Chriſtũ; aut impœnitentiâ, peccatis ſuis, ad pœnam æternam obligatus manet. Hæc res magna quidem eſt, ſed effectus ſunt inconſpicui, & externo miniſterio, quo perficiuntur, ciuilis magiſtratus poteſtas non eſt inferior, quâ malis hominibus repurgat Eccleſiam, & defendit bonos.

Diſpenſationem gratię Dei in Eccleſiaſtico miniſterio, vel poteſtate Eccleſiaſtica maiorem, quam in ciuili non negamus; ſed eam non ſic admiramur, vt minoris æſtimemus iudiciorum Dei diſpenſationem creditam Regibus, cæteriſque ſummis magiſtratibus. Poteſt Epiſcopus exteriùs per errorem aut malitiam ſoluendos ligare: de qua re, iuſta deferri ad ſummi imperij moderatorem poteſt à ſubditis querela.

Hanc ſententiam multis non probatum iri ſcio, eritque in poſterioribus libris, pluribus diſputanda; num ad ſynodos & Cõcilia generalia ſemper deferenda ſint omnia huiuſmodi iudicia. Tantùm hoc aio, qui ciuiles pœnas à magiſtratu ciuili excommunicatis atque alijs præfractis Chriſtianis, qui Eccleſiæ præceptis parere detrectant, irrogari æquum cenſent; & illud quoque æquum eſſe iudicent, vt ab eo, aut eius nomine, qui legis & iudicij primus, & præcipuus in rep. eſt author, de tota re cognoſcatur.

Quid? (inquient) vis Eccleſiaſtica iudicia à Rege, aut alio ciuili ſupremo iudice retractari? Quid ni in rebus huius generis, quemadmodum iuriſconſultorum, medicorum, & textorum, & fabrorum controuerſię, ſi inter eos tanti momẽti ſuboriantur lites, vt interponi ſupremi imperij authoritatẽ neceſſe ſit, deferuntur ad Regis tribunal; Epiſcoporũ & Theologorum etiam tandẽ deferantur? Non enim minùs Principi deerunt Epiſcopi & Theologi, qui cognoſcant citra perſonarum delectum, de hæreſi, aut de iniuſta excommunicatione, quàm iuriſconſulti, qui de iure, aut medici de medicina, textores de lanificio, & fabri de rebus fabrilibus iudicent.

Mirum

Mirum certè, mundo persuaderi posse perplexas controuersias meliùs Romæ posse ab auditoribus Rotæ, aut alijs Papæ iudicibus decidi, quàm vbi natæ fuerunt: quæ in Gallia, Lutetiæ Parisiorum; quæ in Anglia, Londini; & quæ in Germania, Spiræ. Iniquum est iudici qui de alicuius criminis pœna pronunciaturus est, illius ipsi cognitionem negari: aliter enim quomodo iustus esse iudex potest?

Hæc tamen à me non ita intelligi velim, quasi tribunalia, foraque confundi, atque misceri velim, & ciuiles iudices de causis Ecclesiasticis iudicare. Sed de postrema appellatione loquor, cuius auxilium afflictis, & iudicio, siue per errorem, siue per calumniam, siue per vim oppressis, negandum non est.

Accedit ad hæc, quòd nec in sacris historijs, nec in scriptis Propheticis aut Apostolicis inuenitur Ecclesiasticam potestatem, regiæ fuisse superiorem & directricem, nisi illâ eâdem ratione modoque, qua ipsa suijpsius est directrix, nempe verbo Dei. Consulebant quidem sacerdotes Deum, & responsa dabant Regibus: sed hoc non fuit peculiare tantùm sacerdotibus. Nam Deus etiam Prophetis, qui non erant generis Leuitici, vsus est; vt tam sacerdotes ipsos, quàm Reges in viam reuocaret.

Mos idem fuit omnium gentium, vt sua numina consulerent per suos sacerdotes, & augures; non tamen sacerdotium crediderunt potestatem esse eminentiorem potestate regia, aut imperatoria, totiúsue reip. Vndè, quæso, nunc ea persuasio?

Postremò, eadem ratio fuit Apostolorum & Episcoporum sub imperio infidelium Principum, quandò priuati priuatis præerant, quæ nunc est sub Christianis Principibus, vbi publica authoritate præsunt sacris, sicut publico magistratu illi funguntur. Quòd si ea, quæ hodiè prætenditur, potestas Ecclesiastica in summos magistratus, à Deo est, multò magis tunc esse debuit in priuatos; vt quemadmodum regna transferre, & Reges suis regnis & dominijs eijcere, disputatur posse Ecclesiastica potestas; multò magis tunc priuatas possessiones fidelium auferre, & à veris possessoribus ad alios transferre, Apostolos & Episcopos potuisse oportet. Sed hoc est falsum, & antehâc inauditum: Ergo & illud necessariò huic connexum; Reges ab Episcopis regnis posse spoliari: par enim vtrobique est ratio, imò maior hîc, quàm illic. Nam si in Reges potestas Ecclesiastica eò se porrigit, vt de eorum regnis (si ita salus Ecclesiæ, aut ipsius Regis postulet) disponere possit, & constituere quod magis ad Dei gloriam pertinere videbitur; multo magis hæc eadem locum habere debet in rebus priuatis hominum priuatorum, qui non minùs se, & sua omnia consecrauerunt Christo, quàm Reges, & summi orbis monarchæ. Et hæc hoc in loco pro eminentiâ ciuilis imperij in viros Ecclesiasticos, & eorum ministerium, contra Bellarminum, & alios qui idem sentiunt, dicta sufficiant.

CAP. XXXIX.

Confutatio capitis, Vnam sanctam Ecclesiam, *Extra. de maioritate, & obedientia: vbi Bonifacius octauus seipsum suamq; Pontificiam dignitatem effert supra omnem aliam, quæ in terris in aliquo habetur pretio.*

HAud mihi hoc loco negligenda sunt argumenta Bonifacij octaui in Extrauagante de maioritate, & obedientia, c. *Vnam sanctam Ecclesiam,* quibus Ecclesiasticam suam potestatẽ supra omnem ciuilem & Imperatoriam, dignitate, nobilitate, & authoritate excellere contendit: nimirum quòd suam Ecclesiasticã potestatem arbitretur spiritualem esse, Regum verò & Imperatorum, terrenam. Inter cætera, quibus id persuasum vniuerso orbi esse vult, duo adfert. Primum est decimarum solutio; Alterum Episcopalis benedictio. Vndè argumentatur, summa imperia ciuilia, quæcunq; illa sunt, ipsius subesse potestati. Verba Bonifacij prætereo; Ipsius ratiocinatio hoc modo potest resolui. Qui offert decimas, minor est eo cui offerũtur; Reges, & Imperatores, alijq; summi magistratus, soluũt decimas sacerdoti: ergo ipsi sũt sacerdote inferiores. Alterius resolutio est huiusmodi; Qui benedicit, maior est eo cui benedicitur; Pontifices benedicũt Imperatoribus & Regibus: sunt ergo eis præstantiores.

Argumenta hæc videntur habere veri speciem, propter similitudinem quam habent cum argumento Apostoli in Epist. ad Hebræos cap. 7. vbi à solutione decimarum, factâ Melchisedecho, & benedictione, quâ Abrahamo benedixit, ostenditur Abraham & Leui,

qui in ſuo patre erat, inferiores fuiſſe Melchiſedecho: quoniam maioris fuerit benedicere minori; & oblatio decimarum, teſtimonium fuerit agnitæ excellentiæ ſacerdotalis & maieſtatis Regiæ, cum profeſſione quadam ſubiectionis.

Reſpondeo, Paralogiſmum committi à glorioſo Bonifacio, qui faſtu ſuperbiæ cœcus, videre non potuit, alia ratione olim decimas à priſcis illis Patribus fuiſſe ſolutas, alia ratione hodiè ſolui. Nam ſi hoc valere debeat argumentum, multò magis ante Chriſti aduentum Reges ſubiectos reddidiſſet ſacerdotibus. Etenim ſtrictiori iure oblationi decimarum aſtringebantur Chriſtianis Principibus, qui & à ſummo ſacerdote benedicebantur, ſicut & noſtri Reges benedicuntur ab Epiſcopis: nec tamen ideo vllus ſummus ſacerdos poteſtatem ſuam dignitatemque ſuperiorem eſſe iactauit, eâ, quæ Regum erat. Sub lege, alia fuit cauſa offerendi decimas, quàm Abrahami temporibus. Fuerunt enim ante datam legem, & poſteà paſſim apud cæteras omnes gentes, vectigal & tributum debitum ſummo imperio. Quod cùm Deus in Iſraëlitico populo ſibi ſeruaret, ſummi imperij iura ſibi perſolui voluit. Itaque in illo populo decimæ non tam ſacerdoti, quàm Deo debitæ ſoluebantur: in quas nullum ſacerdos ſibi potuiſſet vendicare ius, niſi Deus illud ipſis expreſſa lege dediſſet, ſicut apparet ex vltimo capite Leuitici, & 18. Deuteronomij: locos lege. Hinc apparet Reges offerendis decimis, non ſupremum aliquod imperium in ſacerdote ſe agnoſcere, ſed in Deo ſignificâſſe: & in ea re non ſacerdoti, ſed Deo, tanquàm ſummo rerum omnium Principi, honorem exhibuiſſe.

Abraham verò, qui Melchiſedechum decimis honorauit, rationem regiæ maieſtatis habuit, potiùs quàm ſacerdotij. Nondùm enim vlla lege Deus ſibi debitas decimas dederat ſacerdoti. Cum ſummo imperio apud priſcos Patres ſacerdotium coniunctum erat. Proindè dominum & Regem ſuum Abraham ſacerdotem Melchiſedechum agnouit.

Si quæ Deo ante legem offerebantur ex vôto decimæ, ſicut apparet Iacobum feciſſe, totæ exurebantur: ſacræ enim erant, & numerandæ inter anathemata. Quod autem Deo ſacrum erat, in humanos vſus conuertere non licebat, niſi Deus ipſe conceſſiſſet. Decimas autem tunc fuiſſe deſtinatas ſacerdotum vſibus, cùm nuſquàm ſacræ teſtentur literæ, pro certo adſerere, aut obſtinatiùs negare, temerarium exiſtimo.

Multa quidem in lege Moſaica, apud priſcos Patres vſu recepta, Iſraëli ſeruanda Deus præcepit: indè tamen veriſimile non ducitur argumentum, omnem veterum Patrum morem, à lege naturæ habuiſſe ortum. Pleraquè enim ad cæremonias pertinent, quæ leguntur ante Moſen obſeruata Patribus: vt eſt diſcrimen mundorum & immundorum animalium, & eſus ſanguinis prohibitus, quandò eſum carnium Deus indulſit: & circumciſio non à Moſe, ſed ab Abrahamo fluxit: quæ omnia non ad naturæ legem, ſed ad cæremonias retulerunt Apoſtoli.

Quòd decimæ ſolutæ leguntur Magis apud Medos & Perſas, atque etiam ſacerdotibus apud alias gentes in eorum vſum, imitatione quadam factum eſt priſcæ Patrum religionis; ſed nemo indè iudicauit, ſacerdotes eſſe ſuis Regibus digniores. Decimarum autem exactionem ad ius regium pertinere, ex lib. 1. Samuelis cap. 8. apparet, & hiſtoriæ idem paſſim teſtantur.

Quòd hodiè ſoluuntur decimæ, ex liberalitate populi Chriſtiani & piorum Principum accidit, ſuntque ſtipendia miniſterij Eccleſiaſtici, quo honorantur Eccleſiarum Epiſcopi & Paſtores. Quemadmodum igitur ex honorario, quod medico aut iuriſconſulto datur, non conuincitur medicum aut iuriſconſultum eſſe poteſtate & honore ſuperiorem eo, qui honorarium exhibuit: ita ineptè ratiocinatur Bonifacius à decimarum ſolutione, poteſtatem ſuam Eccleſiaſticam eſſe maiorem regiâ, ac proindè Pontifices ſuperiores eſſe dignitate aut authoritate Regibus. Quod ſi conſequi neceſſe eſt, oportebit omnes quotquot iure decimas recipiunt, eſſe dignitate & authoritate ſuperiores illis qui ſoluunt decimas. Cauſa ſoluendi decimas, iuſque inſpiciendum eſt, antequàm certi quidquã indè colligatur. Si ſoluuntur tanquàm Deo debitæ, illis Deus, non homo colitur. Si verò Regi, habentur inſtar tributi, & agnoſcit qui eas ſoluit, eum ſuperiorem Dominum. Quòd ſi dantur ſtipendij nomine, ſunt laboris merces; ſi ſubleuandæ neceſſitatis gratiâ, ſunt eleëmoſynæ. Non igitur Bonifacius conuincit ex decimarum acceptione, ſe Regibus eſſe ſuperiorem, niſi priùs doceat, quo nomine ab ipſo, & ab alijs Eccleſiarum Epiſcopis accipiantur. Vicerit autem ſi docuerit, iure dominij deberi.

CAP.

CAP. XL

Benedictio Episcopalis non arguit, Rege Episcopum esse maiorem.

NEc validius alterum argumentum est, à benedictione pontificia ductum; valetque tantùm in re simili, ratione subiecti, non ipsius argumentandi formulæ; quia sæpe accidit maiores à minoribus benedici. In Rege, & sacerdote, & patre, superioritatis est argumentum solemnis precatio. Indicat enim præcipuo quodam honore supra eos quos Deo commendat, eum esse præditum, qui beneprecatur.

Quandò in populo Dei sacerdos benedicebat populo, Regibus, & Principibus, argumentum quidem fuit, eatenùs in illo suo munere ipsum excellere supra eos quibus benedicebat: sed cùm excellentia illa sit, vt Græci aiunt, κατὰ τι, nisi constituatur idem sacerdos similiter & Rex, non consequetur ex benedicendi actione, eum esse superiorem Rege: nec summi sacerdotes populi Dei id vnquàm indè deduxerunt. Potest enim fieri vt pater priuatus benedicat filio suo in magistratu constituto, sicut Iacob Iosepho benedixit: vndè nihil aliud potest doceri, quàm quatenùs Iacob pater erat, qui vt pater benedicebat, fuisse Iosepho filio suo maiorem. Similiter dico, quatenùs sacerdos Christum mediatorem inter Deum & homines referebat, benedicebat, & pro salute Regis hostias immolabat, fuisse Rege maiorem

Sed eo excellentiæ genere superari quiuis Monarcha multis modis potest à sibi subiectis, vt in cognitione variarum artium, & scientiarum: quæ excellendi ratio ad regiæ Maiestatis excellentiam collata, nihil est. In hoc nostro noui Testamenti tempore, Episcopus & presbyter, qui aut sacramenta celebrat, aut preces publicas concipit, ligat & soluit, & verbum Dei docet tanquàm Minister Christi, & œconomus gratiæ Dei, eatenùs est maior eis, quibus illa ministrat: vndè tamen nemo rectè inferet, Euangelij Ministrum esse dignitate aut potestate absolutè maiorem. Prætereo ineptam, stultam & vanam allegoriam duorum luminarium, in qua Papa seipsum, suumque papatum Soli & diei comparat; Imperatorem verò & imperium lunæ noctique; vt quæ rideri magis sit digna, quàm refelli. Transeundum nobis est ad Reges & Imperatores excommunicatos, & videndum, an ex facto Romani Episcopi ius nasci potuerit.

CAP. XLI.

Quæ facta scriptaq́, sunt à Romanis Pontificibus, testimonia non sunt idonea probando iuri de quo controuertitur. Henricus quartus primus fuit Imperator, quem Papæ ausi sunt excommunicare, & Imperio spoliare.

GErmani (inquiunt) Imperatores ob schismata, hæreses, & sacrilegia, à Pontificibus deiecti multi narrantur: huiusmodi sunt Fridericus primus, Fridericus secundus, Otho 5. Ludouicus 4. & famosus ille Henricus 4. quem Gregorius 7. ob simoniam, homicidia, adulteria, & Sodomiticam turpitudinem excommunicauit, & imperio priuauit. Singulas horum Imperatorum recensere historias, & iniquitatem Romanorum Pontificum, ac perfidam tyrannidem, nimis longum esset. Quæ designata sunt ab Hildebrando in Henricum (quem præter cæteros famosum dicit, & criminibus grauat, quæ Romano Pontifici magis sunt peculiaria) sufficient. Ex eis de cæteris fieri poterit iudicium.

Otho Frisingensis historicus clarissimus, in historia sua sic habet; *Anno Domini* 1057. *Henricus 4. pene puer, patri in regno successit. Hic excommunicatus fuit per Papam Gregorium 7. Si recte, videat ipse.* Et subiungit, *Lego & relego Romanorum Regum, & Imperatorum gesta, & nusquàm inuenio quemquam eorum, ante hunc, à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum; nisi quis pro anathemate accipiat, quòd Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à beato Ambrosio, propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus est.* Hæc ille.

Sed Henrici 4. historiam paucis complectar, vt iniquitas Romanorum Episcoporum magis appareat. Fuit enim puer septennis à patre relictus, & sub tutela matris, & Princi-

pum aliquandiû vixit. Sunt qui educationem culpant, & fieri potest vt fuerit mollior, quàm conueniebat, & vbi ad pubertatis peruenisset annos, vt licentiùs vixerit. Quæ res, non tam ei vitio verti debet, quàm institutoribus, & militiæ, & bellis, ad quæ puer coactus est descendere. Et id quoque fortè accidit, vt antequàm ad maturam peruenirent ætatem, aulici eo fuerint abusi. Sed cùm vir factus esset, de imperij iure ei cum Pontificibus Romanis nata est controuersia. Lasciuæ iuuentutis peccatorum facilis fuisset veniæ impetratio, si parere Pontificum tyrannidi voluisset. Verùm inuestituras episcopatuum & abbatiarum, & fidelitatis sacramenta propter imperij feuda possessa ab Episcopis postulare, inexpiabile crimen fuit.

Ediderat Gregorius 7. decretum, quod extat 16. q. 7. cuius occasione non tantùm Germania, sed totus Christianus orbis sæpe in partes decessit: & qui suos Imperatores & Reges oderant, Pontificum factiones secuti sunt: vnde funesta cùm omnibus Christianis, tum inprimis imperio, bella ciuilia exarserunt. Hinc crebræ rebelliones aduersùs Henricum. Sed cùm victor euaderet, varijs calumnijs est appetitus. Aduersarij diffisi armis Henricum posse vinci, ad fulmen Pontificium confugerunt: eò tunc Episcoporum potentia creuerat, vt Regibus esset metuenda.

Primus hic Imperator fuit, in quem sui fulminis vires, quantùm possent, Papæ experti sunt. Itaque Romam euocatus est, vt sese Papæ Consistorio sisteret, factorum suorum ibidem redditurus rationem. Semel igitur, & posteà iterum, atque iterum, citatus Henricus, quamuis initio contempsisset Papæ audaciam, tandem amicorum suasu Romam iuit, ac sese totum Papæ permisit arbitrio, à quo iussus est non discedere Româ: sed ibi totum annum pœnitentiam agere, ieiunijs & orationibus vacare, memorias martyrum visitare, Ecclesiarum limina terere. Huic sententiæ dum paret, Papa imperium ad alium transfert: de qua perfidia Helmoldus presbyter, in Sclauorum chronicis, quæ sequuntur narrat.

CAP. XLII.

Compendium Historiæ Henrici quarti, qui primus fuit, quem Episcopi Romani regno deiicere ausi sunt.

Cardinales (inquit) *videntes quia præ timore sedis Apostolicæ contremiscunt potestates, & curuantur ij qui portant orbem, suggerunt Apostolico vt transferat regnum ad alium virum, dicentes indignum esse vt talis regnet, qui de publicis conuictus est facinoribus: itaque constituitur Rodulphus Dux Sueuiæ, cui Papa coronam misit, hoc versu intitulatam; Petra dedit Romam Petro, tibi Papa coronam.* Alij hoc insigne elogium sic referunt, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.* Et hæc omnia clàm Henrico fiebant, quem tamen interdum ad prandium Papa admittebat.

Episcopus verò Stratsburgensis fidus Henrico amicus, quàm potuit celerrimè Romam accurrit, Regique qui nihil minùs suspicabatur, proditionem indicauit, suasitque vt clàm Româ se subduceret, & vitæ suæ, atque imperij rebus consuleret.

Vincitur prælio Rodolphus, & dextram manum amittit. Ex lethali vulnere decumbens, familiares, qui astabant, his verbis est alloquutus: *Videte manum meam de vulnere sauciam. Hac ego iurani domino Henrico, vt non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ eius: sed iussio Apostolica Pontificumq; petitio me ad id deduxit, vt iuramenti transgressor honorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos exceperit videtis: quia in manu, vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo qui nos ad hoc instigauerunt, qualiter nos duxerint: ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis: & hoc dicens, cum graui molestia diem clausit extremum.*

Henricus Imperator prospero successu elatus, Romam exercitum ducit; & ibi conuocato Episcoporum Concilio, Gregorium 7. tanquàm proditorem, Papatu abdicat, Rauennate Episcopo in eius locum surrogato, qui Clemens dictus est; à quo accepta benedictione, Populus Romanus cum Imperatorem & Augustum salutauit. *Factumq; est verbum hoc in laqueum magnum in Israel; siquidem ex illa die orta schismata in Ecclesia Dei, qualia non fuerunt à diebus antiquis.*

Nam

Nam neque sic fractus est Hildebrandi animus, Imperatorem enim aliâ aggressus est viâ. Saxones, & alios Imperatoris inimicos, iussit alium creare Imperatorem, nempe Lotharingiæ & Lucemburgiæ Principem, qui etiam victus malè perijt. Ecbertus tamen Saxo nihil territus his exemplis, Imperium inuasit: sed neque hic contra Imperatorem substitit: propè Brunsuigam à militibus obtruncatur.

Mortuo Hildebrando successit Vrbanus 2. qui Conradum maiorem natu filium Imperatoris, Italiæ præfectum, aduersus patrem concitauit: quem vt vlcisceretur pater, minorem natu Henricum successorem imperij designauit. Perempto Conrado, Paschalis, qui in Vrbani defuncti locum Papa assumptus erat, & hunc Henricum contra patrem armauit: qui tandem Episcoporum Saxonum auxilijs patri imperium ademit.

Clemente mortuo, vniuersa Ecclesia ad Paschalem redijt. Is Imperatorem ab vniuersis Episcopis excommunicari fecit; & eò vsque sententia inualuit, vt Principes Henrico diadema tollendum, & ad filium eius transferendum decernerent. Rex in cohorte regia Hilgelsthem tunc erat; Moguntinensis, Colonienſis, & Wormacienſis ad eum, mandatum Principum pertulerunt. Illo percunctante deiectionis culpam; *Quid*, inquiunt, *queris ea quæ optimè nosti?* Obijciuntque ei, quòd causa fuisset schismatis in Ecclesia, quòd episcopatus, & abbatias vænales habuisset; in creandis Episcopis non electionis, sed solius pecuniæ habitam fuisse rationem: proinde authoritate Apostolica, & consensu Principum, regno & Ecclesiastica communione dicunt priuandum.

Quos contrà Rex interrogat; quid vnquàm ab vllo eorum accepisset pretij, ob collationem episcopatuum, quibus ipsos præfecerat? qui ingenuè confessi sunt, nihil eo nomine fuisse datum aut acceptum. *Gloria Deo*, ait Rex, *quia vel in hac parte fideles inuenti sumus. Certè istæ duæ dignitates præstantissimæ sunt, & magnum quæstum cameræ nostræ adferre potuissent: condignam ergo beneficijs nostris rependitis gratiam. Nolite, quæso, effici participes eorum, qui leuauerunt manus aduersus Dominum, & Regem suum, & temerauerunt fidem, & iuramentorum sacramenta: Eccè iam deficimus, paruméq; nobis vitæ restat, curis semper & labore confectis.*

Secedens Rex paululùm amicos sui participes fecit consilij. Resisti legatis non poterat, qui stipati magnis militum copijs venerant, vt inopinantem opprimerent Regem. Qui cùm in tanto se discrimine videret, assumptis imperij ornamentis solium regium conscendit, & legatos alloquitur dicens. *Hæc quidem imperialis honoris insignia mihi præstitit æterni Regis pietas, & Principum regni electio concors: potens autem est Deus, qui me ad hoc culmen sua dignatione prouexit, mihi conseruare quod concessit, manuséq; vestras à cœpto opere cohibere: diuino enim præsidio nos innixiùs niti oportet, omni scilicet militiâ & armis destitutos. Hactenùs quidem externis bellis impliciti semper custodiæ nostræ diligentiâ constitimus, omnes impugnationum iacturas, propitia Diuinitate, virtute prælij euincentes. Hoc autem intestinum malum, sicut nec suspectum habuimus, ita nec præcauimus. Quis enim in orbe Christiano tantum nefas consurgere crederet, vt iurata Principi sacramenta fidelitatis irritentur, suscitetur filius aduersus patrem, postremò, nulla beneficij gratia, nulla honesti reuerentia exhibeatur? Certè maiestas imperatoria eam etiam erga hostes honestatis disciplinam seruare consuenit, vt proscribendis siue damnandis, vocationum siue induciarum remedia non negauerit: antè præmuniens quàm feriens, priùs inuitans per gratiam, quàm damnans per sententiam. At nobis contra fas vocationes & audientia negantur, ideoq; præfocamur ne audiamur: quis tantam alienationem à fidissimis amicis, maximè verò à Pontificibus crederet? Dominus ergo factor orbis vos coërceat, quos pietas non reuocat. Quòd si nec Deum, nec honestatem vestram reueremini, eccè præsentes sumus, violentiam explodere non possumus. Necessarium est vim sustinere, cui refragari locus non est.*

Cœperunt ergo Pontifices hæsitare quid agerent: magnarum enim rerum ingressus semper sunt difficiles. Tandem Moguntinus allocutus est socios, dicens, *Quousque trepidabimus socij? Nonne officij nostri est Regem consecrare, consecratum inuestire? Quod ergo Principum decreto impendere licet, eorundem authoritate tollere non licet? Quem meritum inuestiuimus, immeritum quare non diuestiamus?* Satimque accepto conamine Regem aggressi sunt, eique coronam de capite abruperunt: deinde sublatum de sede, purpurâ, cæteriſq; quæ ad sacram inuestituram pertinent, funditùs exuerunt.

Tunc Rex confusione circundatus, ait ad eos, *Videat Dominus & iudicet, quæ iniquè agitis*

agitis contra me. Ego quidem luo peccata adolescentiæ meæ, recipiens à Domino stateram equi ponderis, ignominiam, & confusionem, quantam nemo Regum qui ante me fuerunt, sustinuisse dignoscitur. Non vos tamen ideo immunes à peccatis, qui leuâstis manus aduersus Dominum vestrum, & prænaricati estis iusiurandum quod iurâstis. Videat Dominus, & vlciscatur in vos; Deus, inquam, vltionum Dominus. Non consurgatis, neque crescatis, neque prosperetur honor vester, sitq; portio vestra cum eo qui tradidit Christum Dominum.

At illi obturantes aures suas perrexerunt ad filium, deferentes ei imperialia, firmantesque eum in regnum.

CAP. XLIII.

Filium Henrici quarti Henricum quintum patri surrogârunt Episcopi, & contra patrem excitârunt.

Itaque exauthoratus Henricus fugere filium cogitur, & collecta parua manu militum Coloniam venit: vbi à filio cum longè maiori exercitu fuit obsessus; & ciuitati cùm metueret, clàm noctu indè se subduxit, petens Leodium, quò ad eum conuenêre quotquot fidi permanserant, & casus sui Imperatoris commiseratio tangebat. Nactus iustum exercitum, Martis aleam experiri voluit, obsecrans Principes & reliquos milites, si Deus ipsis victoriam largiri dignaretur, vt filium seruarent incolumem; benignior parens filio, quàm is erat parenti: sed miser victus in filij potestatem venit.

Quantas autem captus contumelias pertulerit, & hic Helmoldum audite. Eius verba hæc sunt: *Quanta opprobria vir iste magnificus in illis diebus pertulerit, sicut relatu difficile, ita auditu lamentabile est. Insultabant ei amici, illudebant ei nihilominùs inimici. Denique, vt aiunt, pauperculus quidam, sed literatus, coram omnibus adorsus est eum, dicens; Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ priùs operabaris, iudicans iudicia iniusta, opprimens iustum, & dimittens noxium. Cui cùm astantes irascerentur, viri scilicet sensati, Cæsar compescuit eos dicens, Nolite quæso irasci in eum: ecce filius meus qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam, quanto magis alienus? Sinite eum vt male dicat, quia voluntas Dei est.*

Erat autem illic Episcopus Spirensis, Cæsari quondàm dilectissimus: nam & templum ingens Dei Genitrici apud Spiram construxerat; præterea ciuitatem & Episcopum diligenter promouerat. Dixit ergo Cæsar ad amicum suum Episcopum de Spira; Ecce destitutus regno, decidi à spe, nihilq; mihi vtilius est, quàm renunciare militiæ; da ergo mihi Prebendam apud Spiram, vt sim famulus Domine meæ Dei genitricis, cui deuotus semper extiti: noui enim literas, & possum adhùc subseruire choro. Ad quem ille, Per matrẽ (inquit) Domini, non faciam tibi quod petis. Tunc Cæsar suspirans & illachrimans, ad circumstantes ait: Miseremini mei, miseremini mei, vos saltẽ amici mei, quia manus Domini tetigit me.

Bonus hic Imperator non diù superuixit. Leodii mortuus est; mansitq; corpus eius inhumatum in capella quadam deserta quinque annis. Tantâ enim seueritate Dominus Papa, & ceteri aduersarii eius in ipsum vsi sunt, vt mortuum vel humari non sinerent, &c.

Præterea, vt idem author ait, *Fuit ille Ecclesiis admodùm bonus, his videlicet quos sibi fideles persensit. Porrò Romanum Antistitem Gregorium, & ceteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit, &c.* Idem author: *Certè Dauid peccans, & pœnitens, Rex & Propheta permansit. Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum iacens, orans, ac pœnitens, gratis pessundatus est: nec inuenit tempore gratiæ, quod ille obtinuit duro legis tempore. Sed disputauerint de his qui scierint, vel ausi fuerint: vnum hoc scire licet, quia Romana sedes adhùc hodiè luit factũ illud.* Hæc Helmoldus. De famoso illo Henrico, historiæ nihil addo; sit candidi lectoris iudicium liberum, num Reges hoc modo tractare sit Apostolicum: inquiratq́ue quo iure, quo exemplo, hæc ab Episcopis facta sint: & num hic spiritus præfuerit carni, eamque in ordinem coëgerit. Quisquis ille spiritus fuit, qui hos Pontifices rexit, Christi certè non fuit, nec quicquam Christi habuit.

CAP.

CAP. XLIIII.

Historia Friderici primi, & quæ fuerint ipsius hæreses.

CÆteri Germaniæ Imperatores, qui ob schismata, hæreses, & sacrilegia, à Pontificibus deiecti numerantur, fuêre fortissimi Heroes, qui rem Christianam contra Mahumeticam & Turcicam vim facilè defendissent, ac propagâssent, nisi domi à Pontificibus, varijs technis, bello ciuili fuissent impliciti. Schismatis non fuêre authores, sed Episcoporum auaritia & ambitio.

Quod hæreses attinet, nulla causa fuit, cur à Pontificibus alicuius insimulentur; quidquid superstitionis & erroris in eis fuit, à Romana Ecclesia hauserant. Ipsi nullius noui dogmatis fuêre authores. Tamen Friderici primi hæreses audiamus. Prima hæresis fuit, quòd descendenti de equo Papæ, cui pedes obuiàm processerat, cùm dexteram deberet tenere strepam, tenuit sinistram imprudens; vtpote qui tenendis strepis operam nunquàm dederat. Altera fuit, quòd Aupliam à Guilielmo Siculorum Rege, bello recuperare Pontifici noluit. Tertia, quòd inuestituras feudorum Ecclesiasticorum imperio asserebat, & eo nomine ab Episcopis, & alijs Germaniæ Prælatis, hominium & fidelitatis sacramenta exigebat. Quarta, quòd legatos Pontificios non vocatos, Germaniæ ingressu prohibuit. Postrema, quòd nomen suum in literis, Pontificis nomini præponebat. Nihil horum tamen iure & exemplo maiorum non debitum Imperatori doceri potest: sed vtriusque Epistolas hic subnectam.

Hadrianus Episcopus, Seruus seruorum Dei, Friderico Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Lex diuina sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit; ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis voce docemur, quia omnis qui se exaltat humiliabitur. Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentiam tuam non mediocriter admiramur, quòd beato Petro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non quantam deberes reuerentiam exhibere videris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis, in quo, insolentiæ, ne dicam arrogantiæ, notam incurris. Quid dicam de fidelitate beato Petro & nobis à te promissa, & iurata, quo modo eam obserues? cum ab his qui Dij sunt, & filij Excelsi omnes (Episcopis videlicet) homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis, manifestè nobis factus contrarius? Cardinalibus à latere nostro directis, non solùm Ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis. Quid dicam? Respisce ergo, respisce, tibi consulimus. Quia dum à nobis consecrationem & coronam meruisti, dum inconcessa captas, ne concessa perdas; Nobilitati tuæ timemus. Vale.

Ad has Pontificis literas Imperator ita respondit: *Fridericus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hadriano Romanæ Ecclesiæ Pontifici, omnibusq; adhærere volentibus iis quæ cœpit Iesus facere & docere, S.D. Lex iusticiæ vnicuique quod suum est restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem: à quibus (videlicet progenitoribus nostris) & regni dignitatem suscepimus, & coronam. Nunquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dignoscitur? Sed eius pietatis concessione libertas data est, Ecclesiæ pax restituta, & quicquid regalis Papatus vester habere dignoscitur, largitione Principum donatur. Vnde cùm Romano Pontifici scribimus, iure ex antiquo nomen nostrum præponimus, & ad iustitiæ normam eidem nobis scribenti concedimus. Reuoluite annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus illic inuenitur. Ab his autem qui Dii sunt per adoptionem, & Regalia nostra tenent, cur Homagium & Regalia sacramenta non exigamus? cùm ille noster & vester institutor ab homine Rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, tamen pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplum vobis dedit, vt & vos ita faciatis. Docet itaque vos, dicens, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Aut igitur Regalia nobis dimittant, aut, si hæc sibi vtilia iudicauerint, tunc quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari persoluant. Cardinalibus vtique vestris clausæ sunt Ecclesiæ, & non patent ciuitates. Quia non videmus eos prædicatores, non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores; non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrasores. Cùm autem viderimus eos quales requirit Ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes causæ humilium, in æquitate necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non differemus. Humilitatis autem (quæ est custos virtutum) & mansuetudinis*

vestræ

veſtræ, non minimam notam incurritis, cùm huiuſmodi quæſtiones religioni non multum conferentes, ſeculæribus perſonis proponitis. Prouideat itaque Paternitas veſtra, ne dum talia mouet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem ſerotinum ori veſtro aures ſuas arrigere feſtinant. Non enim non poſſumus reſpondere auditis, cùm ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam vſque ad ſedem Petri reptâſſe videamus, paci Eccleſiæ ſemper benè prouidentes. Valete,

Hæc eſt ſumma hæreſium Friderici primi, ob quas Hadrianus fulmen ipſi minabatur; ſed morte præuentus, illud ſucceſſori Alexandro excudendum, vibrandumque reliquit. Vnde tum in Germania, tum in Italia factiones, proditiones, & cruenta bella nata ſunt. Quibus tametſi non inferior eſſet Fridericus, ſuperſtitione tamen & amore redimendi filij victus, tandem ceſſit, & Venetias iuit, atque ad pedes Alexandri ſe abiecit. Sed quo Patrum exemplo, quo Dei verbo, ſummi orbis Monarchæ, humi coram ſe proſtrati, pedibus collum preſſerit Papa, lubens à Pontificijs intelligerem.

Friderici. 2. hæreſis non alia fuit, niſi quòd iura Imperij, & Apuliam, atque Siciliam, Romani Epiſcopi arbitrio permittere noluit. Hûc inferrem hiſtorias, tum horum Imperatorum qui hic nominantur, tum aliorum, quos Romanorum Pontificum tyrannica interdictâ prædæ & cædi expoſuerunt, niſi me & prolixitas deterreret, & iam ante me ab alijs factum eſſet. Ab Henrico quarto pauci fuêre Imperatores, in quos Romani Veioues ſuo fulmine cũ totius orbis Chriſtiani maximis motibus & ſcãdalis non detonuerint.

Miror Romaniſtarum impudentiam, qui horum facinorum audeant reſricare memoriam, quam æternâ ſepultam eſſe obliuione vtilius eſſet rei Pontificię. Nihil pijs votis populo Dei magis optandum eſt, & aſſiduis precibus à Deo optimo maximo precandum, quàm vt omnes Chriſtiani, & inprimis Principes, Epiſcoporum Romanorum hypocriſim, perfidiam, proditiones, impoſturas, dolos, fraudes, inexplebilem auaritiam, immanem crudelitatem, faſtum, ſuperbiam, impotentem regnandi libidinem, & ſummam in Deum, & Chriſti Eccleſiam, impietatem nôrint, & oderint.

CAP. XLV.

Malos Reges & tyrannos excommunicatos ſubiectus populus non ſemper deſeruit, nec deſerendos iudicauit: multò minùs bonos, qui tantùm odio, & impotenti tyrannide Romani Epiſcopi fuerant excommunicati.

VErùm vt generatim ad excommunicationes Regum & Imperatorum, quotquot adferri poterunt, quæcunque tandem illæ ſint, aut re ipſa veræ, aut falsò creditæ, reſpondeam; aio, nullo verbo Dei, nullóque veterum Patrum exemplo, aut à Pontificibus, aut ab Epiſcopis Reges propter flagitia aut impietatem regno fuiſſe deiectos, poſſe doceri. Conſtat ante Henricum 4. neminem ob excommunicationem regno pulſum, aut eſſe pellendum à quoquam fuiſſe exiſtimatum. Vt à Theodoſio incipiam, nec ipſe, nec Arcadius cum coniuge Eudoxia, nec Zeno, nec Anaſtaſius, nec Lotharius Francorum primus, nec Dagobertus, (qui ſe vt alter quidam Nero geſſit, primis regni ſui annis clementer & piè exactis; poſteà deprædari Eccleſias, templa demoliri, viros Eccleſiaſticos in exilium pellere, ſexcenta id genus deteſtanda facinora exercere cœpit, ob quæ grauiter reprehenſus à Seuerino Romanæ vrbis Epiſcopo, & tandem ab Amando Traiectenſi ſacris interdictus) à populo ſuo pulſus regno eſt; ſed precibus ad Deum fuſis à populo, tandem in viam redijt, & ad Deum conuerſus, reliquum vitæ piè tranſegit.

Philippus Auguſtus à Celeſtino 3. excommunicatus, quòd temerè vxorem Iſambergam Iohannis Daniæ Regis ſororem repudiâſſet, à ſuis deſertus non fuit. Quùm Bonifacius 8. virulentam bullam contra Philippum pulchrum edidiſſet, à Proceribus regni & Prælatis, qui Pariſijs conuenerant, reſponſum fuit; Epiſcopum Romanum eam non habere in regno Galliæ poteſtatem.

Item Iulius 2. Ludouicum 12. qui iure Pater Patriæ meruit dici, excommunicauit: ſed ipſi Epiſcopi cùm Proceribus. brutum illud fulmen Regi contemnendum cenſuerũt.

Henricus 2. Anglorum Rex, ab Alexandro 3. interdicti fulmine perculſus, quia Thomam Cantuarienſem in exilium expulerat, regno non excidit: ſed more ſolito, omni fide atque obſeruantiâ, nihilo ſeciùs quàm anteà, Angli ſuum Regem coluerunt.

Sueuo

Sueuo Rex Daniæ, Apostata & parricida, qui cognatos iusserat in templo necari, ab Episcopo Roscholechi communione fidelium & ingressu templi prohibitus, non fuit regno exutus, nec subditi imperium eius detrectârunt. Non tamen deërant, qui hoc prætextu regnum ipsius inter se partiri auebant.

Brigerum Sueuiæ Regem, flagitijs & crudelitate insignem, si quis alius, cùm in Ecclesias & Ecclesiarum Pastores sæuire, inprimis in Nicolaum Episcopum Vpsalensem, quem cum alijs pluribus, carceribus mancipauerat, tandem excommunicârunt, & simul cum eo Turgillum Canutum, generalem ipsius Capitaneum, qui Regi author habebatur malorum consiliorum.

Quamuis populus suo Regi grauiter succenseret, nec iugum ipsius excutiendi deëssет facultas, cùm se offerrent ipsius fratres belli duces; nemo eis auscultare voluit, sed in fide sui Regis permanserunt: vt coacti fuerint fratres Regis aliundè ab amicis auxilia petere, ad perficiendum quod in Regem moliebantur. Quem vbi cepissent, nulla fuit vrbs, nullum præsidium, quod se vltrò dederet, non vi coactum: tanta fuit fides, & obedientia erga Regem improbum, & excommunicatum, atque à fratribus vinctum, vt eos tandem coëgerint Regem libertati restituere, eiúque parere.

Boleslaus Poloniæ Rex flagitiosus, publicus adulter, inimicus Ecclesiæ, post crebras admonitiones Episcopi Cracouiæ, postremò excommunicatus fuit. Iratus ob eam rem, Episcopum iussit interfici. Gregorius 7. qui primus Reges solijs deiecit, excommunicationem confirmauit, & regnum interdicto suppossuit: regnare tamen non destitit. Imperauit annum vnum posteà Polonis, donec in itinere, vt ad Ladislaum Hungariæ Regem, amicum suum proficiscebatur, iusto Dei iudicio seipsum interfecit.

Romanorum Imperatorum nemo excommunicatus, idcirco vnquàm ab omnibus suis fuit desertus: ij tantùm quos aut cœca superstitio, aut Principis sui odium occupauerat, contra Reges suos rebellârunt. Et ex vicinis quos nulla aliena cupiditas abripuit, nullus propter interdictum Pontificis, vicino bellum inferendum iudicauit.

Ex his quiuis iudicium facere potest, quis sit populi Christiani sensus, quod iudicium, de fide & obedientia debita Regibus: & quanti æstiment Papæ Romani interdicta. Non semper est improbum populi iudicium: de quo vulgò dici solet, Vox populi vox Dei.

CAP. XLVI.

Primis Ecclesiæ temporibus Imperatores & Reges quantumuis mali, & impii, tyrannique, ab Episcopis non leguntur societate Christianorum eiecti.

SEd vndè factum putabimus, vt olim primis Ecclesiæ temporibus, Episcopi, Imperatores & Reges, quantumuis improbos & hæreticos, non excommunicauerint, nec subditos ab eorum obedientia absoluerint, concitauerintue contra suos Principes? Constantini Magni filius Constãtius fuit Arianus, qui multa contra orthodoxos mala perpetrauit; patruos suos occidi iussit, & Iulianum Apostatam Cæsarem nominauit.

Iuliano impio Apostatæ, & professo Christi Domini hosti, nemo Princeps in imperio Romano se opposuit: ab eius obedientia nemo Christianus, quem tolerare voluit, recessit: populus imperium non detrectauit. Quòd quidam contra eum publicas susceperê preces, ipsorum periculo id factum esto. Hoc certum est, illius ætatis neminem Episcopũ solicitâsse plebem ad defectionem. De eo Gratianus in suis Decretis, 11. q. 3. Imperatores: ex Augustini commentarijs in Psalmos inseruit: *Iulianus extitit infidelis Imperator, apostata, iniquus, idololatra. Milites Christiani seruierunt Imperatori infideli. Vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Quando volebat vt idola colerent, & thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum æternum, à Domino temporali; & tamen subditi erant, propter Dominum æternum, etiam Domino temporali.*

Valentinianus duas simul vxores habuit, & legem tulit, vt omnes qui vellent, impunè bina matrimonia susciperent. Valens eius frater Arrianus fuit, qui multa contra orthodoxos designauit, per tyrannidem innoxios afflixit: monachos illius ætatis ad militiam vi, tormentis, & cædibus coëgit. Quorum superstitionem, quæ tunc incipiebat,

tametsi non probem; Valentis in eos minùs probo tyrannidem. Hunc tamen nullus Papa, nec alius quispiam illius ætatis Episcopus, excommunicationis fulmine perculit.

Valentinianus 2. fautor fuit Arianorum contra Ambrosium. Valentinianus 3. mœchus & magus fuit: qui duces, de ipso & toto imperio benè meritos, necari iussit.

Siluerius, iussu Theodoræ Augustæ vxoris Iustiniani, eo conniuente (si non iubente) à Bellisario de papatu deiectus est, & factus monachus, in exilium deportatus; quia Anthemium hæreticum patriarchatu Constantinopolitano priuatum, restituere nollet. Hic quamuis dicatur excommunicâsse Bellisarium & Vigilium, qui dolo in eius locum se surrogari procurauerat, Augustam tamen Iustiniani coniugem præterijt.

Vigilius autem, qui vt in locum Siluerij succedere posset, Augustæ pollicitus fuerat se restituturum Anthemium: factus Episcopus, quia perficere promissa detrectabat, à Iustiniano & Theodora Constantinopolim accersitus, vbi per biennium cum eo est altercatum, de reuocando Anthemio; tandem cum adduci non posset, vt Anthemium restitueret, malè multatus, & publica ignominia affectus, fune in eius collum iniecto, per totam ciuitatem, cum ludibrio tractus est; atque ita coniectus in carcerem, tenuiter & miserè pane & aqua ibi alebatur. Hanc tam insignem iniuriam, nullo Anathemate Episcopi Romani vlti sunt. Hæresis Anthemij erat, quòd duas in Christo naturas negaret.

Quis commemoret Imperatores Constantinopolitanos, aut tetris facinoribus insignes, aut vero nomine hæreticos, aut falsò habitos, à Romanis Episcopis, in quos tamen censuræ suæ gladium stringere non fuêre ausi?

Mauritius Imperator à Chagano Auarum Rege, 12. millia Romanorum obtruncari maluit, siue auaritiâ, siue maleuolentiâ, siue vtroque, potiùs quàm singulos singulis redimeret nummis. Ob suspicionem affectati regni innoxium interfecit Philippicum generum suum. Iohannem Ieiunatorem, & eius successorem Cyriacum, & eorum successores Episcopos Constantinopolitanos, reclamantibus cæteris Patriarchis, & inprimis Gregorio Magno, œcumenicos decreto suo dici, & haberi voluit: tamen excommunicatus non est, quamuis ea res grauiter animum Gregorij vreret.

Ei verò succesit Phocas, parricida & proditor domini sui Mauritij: qui in seditione militum Imperator ab exercitu fuit salutatus, & in suburbano à Patriarcha Cyriaco coronatus Chalcedone: Mauritium cum coniuge & natis cepit, quos omnes, ipso spectante Mauritio, iugulari iussit. Tantum abest, vt hunc crudelem tyrannum excommunicârit, quòd ipsius, & vxoris imagines receperit cum faustis acclamationibus, ab omni clero & senatu. Cui idem Gregorius congratulans, in hæc verba scripsit: Considerate cum gaudijs & magnis actionibus gratiarum libet, quantas omnipotenti Domino laudes, quòd remoto iugo tristitiæ, ad libertatis tempora, sub imperiali benignitatis vestræ pietate peruenimus, &c. Et circa finem, Sed in omnipotente Domino confidimus, qui ea quæ cœpit, consolationis suæ nobis bona perficiet, & qui suscitauit in republica pios Dominos, etiam extinguet crudeles inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam vestram per tempora longa custodiat, vt de bono vestræ pietatis, quod tardè suscepimus, diutiùs gaudeamus. Hæc Gregorius ille Magnus, qui nihil veritus est adulari tyranno, quem (si à Papa excommunicandi sunt tyranni) diris omnibus deuotum oportuit.

Heraclius pium hunc scilicet Cæsarem sustulit, & Monothelitarum sequutus est errorem. Constans similiter Heraclij nepos, ob eamque causam Maximum, virum doctissimum & sanctissimum, cum duobus eius discipulis, crudelissimo supplicio affecit, ac Martinum Papam in exilium egit. Sed & hîc censura Romana siluit.

Gregorius secundus, vt quidam volunt, Leonem Isaurum excommunicauit, & primus subditos ab Imperatore suo alienauit, & tributa soluere inhibuit: & quia propendere eò vidit vulgi animos, oleum camino (quod aiunt) addidit. Quod si verum est, nullo prædecessorum id factum est exemplo. Non enim Constantio, aut Valente peior erat.

Sed huius Episcopi vita, quæ in tomis Conciliorum extat, contrarium testatur: quod mihi verisimilius est. Nondum enim eò temeritatis & audaciæ ventum erat, quæ posterioribus temporibus familiaris omnibus Papis fuit, vt ob nullas, aut ob leuissimas causas, diris deuouêre summos Christiani orbis Monarchas, dominos suos auderent,

auderent. Tamen non vulgarem fuisse Imperatoris in Episcopum iram, indè colligitur, quòd eum necari pluribus ducibus mandauerit; sed præsidio Longobardorum, & Romanorum ciuium, ac totius Italiæ, propter opinionem sanctitatis, quæ de homine habebatur, tutus fuit.

Et cùm Italia de nouo eligendo Cæsare consilium agitaret, quem Constantinopolim ducerent, illud compescuit, benè sperans de conuersione Principis: & ne ab amore vel fide Romani imperij desisterent, admonebat. Quod à Paulo Diacono confirmatur, cuius hæc sunt verba; *Hac tempestate Leo Imperator apud Constantinopolim, Sanctorum imagines depositas incendit, Romanoq; Pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandauit. Sed Pontifex hoc facere contempsit: omnes quoque Rauennæ exercitus vel Venetiarum, talibus iussis, vno animo restiterunt; & nisi eos Pontifex prohibuisset, Imperatorem super se constituere aggressi fuissent.* Fieri potest, vt quod factum est à Gregorio tertio, tribuatur huic secundo, erratumque in persona sit; sed neque id in ipsius vita legitur, nisi pro excommunicatione quis accipiat, quòd ab vtroque ad Imperatorem exhortatoriæ datæ sunt literæ.

Diuersitas opinionum de simulachrorum cultu, ita animos vtrinque exulcerauit, vt ab eo tempore, defecisse à suo Imperatore videantur Itali & Romani. Cui rei, causam Romanorum Episcoporum error atq; ambitio præstitit, dum contra Dei verbi veritatem, & Imperatoris sui mandata, simulachrorum cultum totis viribus defendunt.

Exarchos, qui imagines deponere, vt iussi erant, conabantur, operâ & auxilio Longobardorum eiecerunt Italiâ. A quo tempore Romani, totaque Italia parere Constantinopolitanis Imperatoribus, eisque consueta pendere tributa, desierunt. Sed quod excommunicationem attinet: quemadmodùm Belisarium excommunicatum legimus, præteritis Iustiniano & Theodora; ita Eurichus vltimus Exarchorum fuisse excommunicatus dicitur: sed ego vtrumque falsum esse arbitror.

Leo & Cõstantinus tantùm literis admoniti memorantur; quæ an ad eos peruenerint, in medium relinquo. Nam eorum qui cum literis missi sunt, alij præsentes apud Imperatorem eas tradere non fuêre ausi: alij in itinere detenti, post verbera, & detentionem in carcere, remissi Romam, Constantinopolim ad Imperatores peruenire nequiuerunt. Decretum quidem Gregorij, & 93. Episcoporum, erat generale de veneratione imaginum, quo iubentur extorres esse à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, & totius Ecclesiæ vnitate atque compage, destructores & depositores earum: sed particulare nominatim aduersùs Imperatorem nullum.

Constantinus Copronymus patri successit, qui imagines adorari vetuit: Synodum celebrauit, quæ cultum imaginum reprobat: & 34. annis imperauit: cui filius Leo quartus successit, qui & patris imitator fuit, & simulachrorum cultum est detestatus. Mirum ergo tela excommunicationis Episcopos Rom. in hos nulla vibrâsse.

Ecquid dicam de Gotthorum Regibus, tam qui primi in Hispania regnârunt, quàm in Italia? Hos sanè constat omnes fuisse Arianos, in quos tamen isto excommunicationis fulmine nulli Episcopi vsi sunt. Theodoricum Arianum, nobilium virorum Symmachi & Boëtij, nullo ipsorum peccato interfectorem, (qui nec Iohanni Papæ, nec Senatoribus, quos cũ eo ad Imperatorẽ Legatos miserat, indè reuersis pepercit) nemo excõmunicauit.

Syluerius Papa tulit Theodatum tyrannum Gotthum, Amalasunthæ vxoris suæ, quæ ad Regnum eum euexerat, crudelem parricidam. Hic enim metu & gladio coëgit clerum, in ipsius in regnum adsumptionem consentire. Syluerio autem ordinato in Episcopum, propter adunationem Ecclesiæ & religionis, Presbyteri qui anteà recusârant, ab eo persuasi subscripserunt Theodati creationi. Prætereo Vandalorum Reges, quos & Arianos fuisse constat, & crudeles Orthodoxorum persecutores. Primi Francorum Reges Christiani, multa impiè & crudeliter perpetrârunt. Clodouæi filij, Childebertus & Clotharius, manu propria nepotes suos impuberes crudeliter necârunt, ne patri Clodomiro succederent, sed ipsi inter se defuncti fratris regnum diuiderent. Clotharius multa prætereà mala perpetrauit: viduam fratris sui Clodouæi, cuius natos iugulârat, vxorem duxit: occidit in Ecclesia Gualterum D'iuetot, cuius hæredibus satisfecit, eos & eorum ditionem prærogatiua donans regia. Sed in petitione tertiæ partis bonorum Ecclesiæ, Archiepiscopus Turonensium ei

animosè restitit. Clotharius Ingundem & Aregundem sorores, simul vxores duxit. Singulos recensere Christianos Principes, qui regiâ potentiâ freti nefariè regnârunt, & turpiter vixerunt (quibus tamen Papæ nihil molestiæ exhibuêre) nimis longum esset.

CAP. XLVII.

Quandò Episcopi Romani Reges excommunicandi sumere cœperunt audaciam.

POstquàm fractę fuerunt imperij vires, pręcipuis prouincijs, & potentissimis ab eo distractis, metu & reuerentiâ imperij excussis; cristas erigere cœperunt Romani Episcopi, & paulatim experiri, quid valeret Papale fulmen; Primùm in fratres & collegas Patriarchas & Archiepiscopos: & vbi Romani imperij potentiam inter multos partitam conspexêre, singulos facilè cœperunt contemnere: quòd vno offenso, certum apud alios sibi scirent fore prę sidium: & sensim eò peruenêre audaciæ, vt Nicholaus 1. insignem illam Epistolam ad Michaëlem Constantinopolitanum scribere sit ausus, nouo prorsus styli genere, Veteribus planè insolito, sicut ex Epistolis Gregorij primi & Leonis primi, omnibus est manifestum. Et indè pro sua libidine, in quosuis Magistratus, gentes & populos cœpêre debacchari, tandemque Henricum 4. totis aggressi viribus, ei regnum ademerunt. Et ab eo tempore nulli fuêre Reges, nullum in orbe Christiano regnum, quod anathematis, aut interdicti fulgure tonitruque non concusserint. Quis clades & vastationes regnorum, & strages populi Christiani, quæ ex sanctissimorum illorum Patrum excommunicationibus natæ sunt, recenseat? Earum occasione plus Christiani fusum est sanguinis, quàm vnquàm Mahumeticus gladius absumpsit.

Præteritorum temporum memoriam mitto; à Caroli 5. tempore, qui imperare cœpit anno 1520. in hunc diem, qui est anni 1610. myriadas hominum nemo recenseat, quos tum bella à Papis excitata, tum in pace suppliciorum varia genera sustulerunt. Non tot hodiè viuere arbitror mortales in Europa, quot toto illo tempore violenta morte per vnius vilissimi homuncionis tyrannidem perierunt. Vt veriùs Romanus Episcopus Ecclesiæ Christi alastor sit, quàm Pastor. Ad ædificationem quæ data fuit Apostolis potestas, iste ad perniciem humani generis, & Ecclesiæ Christi vastationem abutitur.

CAP. XLVIII.

Excommunicatione vtendum ad Ecclesiæ ædificationem: quòd si ex ea plus mali quàm boni expectatur, est eà supersedendum.

QVamuis in ea non sim sententia, quæ censuram morum, & prophanorum hominum excommunicationem à sacris tollit: tamẽ ea non vtitur ex Christi Domini nostri Apostolorumque ipsius sententia, quisquis ad Christiani populi perniciem, & regnorum Regumque euersionem abutitur; sicut excommunicationes & interdicta Episcoporum Romanorum olim attulisse, & adferre quotidiè videmus.

Augustinus contra Epistolam Parmeniani ita scribit: *Cùm quisque fratrum (id est) Christianorum, intùs in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur; fiat hoc, vbi periculum schismatis nullum est: atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens, vt inimicum eum non existimetis, sed corripite vt fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quòd si se non agnouerit, neque pœnitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ vnitate dirimetur. Nam & ipse Dominus cùm seruis volentibus zizania colligere, dixit, sinite vtraq; crescere vsque ad messem. præmisit causam dicens, ne fortè cùm vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum.* Idem De fide & operibus ait; *Nos verò ad sanam doctrinam pertinere arbitramur ex vtriq; testimonijs tutam sententiam moderari, vt & canes in Ecclesia propter pacem Ecclesiæ, toleremus; & canibus sanctum, vbi pax Ecclesiæ tuta est, non demus.* In hanc sententiam plura ex eodem Authore possint citari.

Si hac moderatione vti placuisset Romanis Pontificibus, nunquàm nostri Maiores, nec nos tot cruenta bella experti essemus, quorum nullus apparet finis.

CAP.

CAP. XLIX.

Gregorius septimus sibi non constat in excommunicatione, coactusq; est incendia fulminum suorum nonnihil restinguere.

GRegorius 7. sæuus fulminibus excommunicationum tyrannus, videns incommoda quæ inde sequebantur, & violari iura naturæ; iuris Pontificij rigorem temperandum iudicauit. Et 11.q.3. *Quoniam multos*: quo decreto familiaribus, & domesticis excommunicatorum cautum voluit. Verba decreti sunt; *Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidiè cernimus, partim ignorantiâ, partim mia simplicitate, partim timore, partim etiam ex necessitate; denicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, temperamus. Apostolica itaque authoritate, ab anathematis vinculo hos subtrahimus, viz. vxores, filios, seruos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos, nec non & omnes alios, qui non adeò curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur: & eos qui ignoranter excommunicatis communicant. Quicunque autem orator, siue peregrinus, aut viator, in terram excommunicatorum deuenerit, & ibi non possit emere, vel non habeat vnde emat; ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis in sustentationem, non superbiæ, sed humanitatis causâ, dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Hinc Canonistæ hunc iactant verficulum:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse,
Hec anathema quidem faciunt, nè possit obesse.

Hic est ille idem Gregorius qui 15.q.6. fidem seruare vassallos prohibet Dominis suis. Eius hæc sunt verba. *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis, fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostolica authoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousq; ipsi ad satisfactionem veniant.* Et Vrbanus 2. Episcopo Vapicensi:

Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi, quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeto: qui si sacramenta prætenderint, moneantur oportere Deo magis seruire, quàm hominibus. Fidelitatem enim quam Christiano Principi iurârunt, Deo eiusq; Sanctis aduersanti, & eorum præcepta calcanti, nulla cohibentur authoritate persoluere. Et in Decretal. de hæreticis cap. 16. *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominis, & totius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hæresim, aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebuntur obstricti.* Et ibidem cap. 13. *Quod magis*: Principes & Domini, qui non pellunt hæreticos, excommunicantur, & eorum possessiones & dominia, prædæ omnibus exponuntur.

Hoc iure fretus, sereniſſimæ Reginæ Anglorum, & à Deo seruatæ Elizabethæ, similiter Henrici. 4. pij Gallorum Regis subiectos populos cuiusuis gradus & ordinis, Episcopus Romanus ab obedientia & fidelitate absoluit. Sed cùm nulla possit excommunicatio naturæ gentiumque iura soluere, immanis & impia hæc in Principes tyrannis non nisi aliundè corruptis animis persuadetur, vt à legitimo & naturali Principe propter excommunicationem Papalem desistant. Verè hoc dictum est; *Naturam expellas furcâ licet, vsque recurret.* Vidit Gregorius, si sibi decretisque suis constaret, maximam innocentibus iniuriam fieri, & naturæ iura violatum iri, si mulier à marito, nati à parentibus, famuli à Dominis, & contrà, propter excommunicationem aut deserendi, aut eadem incurrenda pœna excommunicationis esset. Idcirco temperandum iuris rigorem iudicauit. Sed ius non est, quod iura diuina & humana euertit. Admiranda profectò Gregorij, moderando hoc iure, clementia, qui maiorem habuit rationem priuatæ familiæ, & priuatorum, quàm regnorum & populorum, quos aut cruentis bellis inter se commisit, aut excommunicationibus suis implicuit.

Hoc scilicet est, Pastorem agere, & gregis procurare salutem. His argumentis demonstratum arbitror, paci & tranquillitati Ecclesiæ, si perturbationem excommunicatio allatura sit, eâ, quantumuis quispiam sit excommunicari dignus, esse supersedendum. Malum sæpè bono loco positum, non est mouendum, ne suscitetur grauius. Quandò non potest ex agro Dominico zizania euelli absque detrimento tritici, Deo res committenda est, & expectandum messis tempus.

CAP. L.

Quòd Reges excommunicare, aut alios, penès quos reſidet ſummum reipublicæ imperium, verbo Dei aduerſetur.

SED præteritorum temporum calamitates, & ingentia mala, quæ Romanorum Epiſcoporum pertinax audacia inuexit, non tantùm monent, ſed cogunt rem vlteriùs examinare, & inquirere; num Rex, aut ij, penes quos Reipublicæ Deus voluit ſummum eſſe imperium, pelli queant ſocietate fidelium. Excommunicationem enim intelligo, qua conſortio & conſuetudine Chriſtianorum quis interdicitur, & diris deuouetur. Ratio cur non poſſint more vulgi excommunicari, eſt, primò, quòd in verbo Dei nullum extet exemplum. Peſſimos tamen Reges fuiſſe quamplurimos in veteri populo Dei, notum eſt: quorum quum neminem excommunicatum legimus, temeritas eſt audere in noſtros Reges, quod ſanctorum Patrum neminem tentâſſe legimus. Verisimile enim inter tot ſanctos Prophetas & ſacerdotes non eſt, nullum vnquam extitiſſe, qui ſuo munere fungi non fuerit auſus. Perpetuus namque vſus Eccleſiarum, quas veras fuiſſe conſtat, & incorruptas, quantùm in hac vita eſſe poſſunt, non malus eſt interpretandæ Scripturæ canon. De primis Chriſtianorum temporibus, quæ malos Reges & Imperatores habuerunt, ſuprà docuimus, nullum fuiſſe excommunicatum: & tum demum cœpiſſe excommunicari à Romanis Pontificibus Reges, vt eorum creuit, aut adulta fuit tyrannis. Repetere nolo iam comemorata exempla Saulis, & aliorum Regum, in quos pro ſua authoritate Eccleſiam animaduertiſſe, falsò adſerere aduerſarios conuicimus. Rationem illam addo, quam Romani Epiſcopi, vt ſeſe iudicijs eximant, de ſeipſis adferunt: *Ab inferiore ſuperiorem non iudicari*. Docui paulò antè, Eccleſiaſticam poteſtatem, inferiorem, & ſubiectam ciuili ſupremæ poteſtati Chriſtianorum Principum, in ijs omnibus quæ in iudicium venire poſſunt, vt eſt hæreſis, cenſura morum, excommunicatio, Paſtorum Eccleſiæ creatio, aut exauthoratio, & alia id genus plura. Præterea Pſalmus 81. vbi dicitur, *Deus ſtetit in cœtu deorum, & in medio eorum diiudicat*: & ibidē; *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi*; de Regibus & ſummæ authoritatis Principibus intelligitur, docetque eos eſſe ſolius Dei ſubiectos iudicio. Quamuis à Deo Eccleſiarum Paſtores & Epiſcopi poteſtatem Eccleſiaſticam obtineant; ea tamen in ijs quæ in contentionem venire poſſunt, à Regia poteſtate iudicari poteſt. Tenentur enim Paſtores & Epiſcopi, Regi factorum ſuorum reddere rationem, rectè nécne ſua authoritate ſint vſi, vtantúrue: & oppreſſus Epiſcoporum iudicio, ad regiam poteſtatem recurrere poteſt, vt ab ea releuetur: ſicut olim factum conſtat ab Epiſcopis, tam in bona, quàm in mala cauſa ſub Chriſtianis Imperatoribus. Quo præſidio quùm deſtitutus ſit Princeps, & contra eum ſua poteſtate abuti poſſint Epiſcopi, conſequens eſt vt in benè ordinata republica excommunicari non poſſint ij, penes quos ſummum eſt imperium, ſiuè illud penes vnum Regem ſit, ſiuè penes Optimates, ſinè penes vniuerſum populum, ad quorum, in neceſſitate appellationis, recurrendum eſt præſidium. Non tamen in populari ſtatu, aut Optimatum, intelligo ſingulos eximi, ſicut vniuerſos; ſummum enim imperium penes ſingulos non eſt, quemadmodùm penes vniuerſos. Tamen Paſtores & Epiſcopi hanc cenſuræ partem ſemper retinent, vt iram & vltionem Dei propter peccata hominum, Regibus & Magiſtratibus, ac denique vniuerſo populo denunciare poſſint, & debeant: ab hoc cenſuræ genere nemo ſe poteſt eximere.

Deus qui eſt boni ordinis author, non perturbationis, ferri ac pati vult à bonis malos Principes, ne ordo, quem in rebus humanis conſtituit, perturbetur. Excommunicare, eſt cœtu & communione fidelium aliquem excludere, qui cœtus, quandò reſpublica eſt, aut regnum, aut pars præcipua regni, vel reipub. non poteſt è cœtu illo Rex ſine rerum perturbatione, & violatione ordinis, quem Deus conſtituit, eijci.

Putridum membrum, quod lethum toti corpori eſt allaturum, reſcindere, eſt prudentis medici, quandò cum ſalute totius corporis fieri poteſt: ſin mortem reſciſſio ſit acceleratura, malum illud eſt relinquendum, ac committendum Deo. Similiter quandò morbus occupauit caput, aut partes nobiliores quę tangi non poſſunt ſine corporis interitu, nemo vnquàm amputandas eſſe cenſuit. Idem dico de Rege, & alijs, penes quos reip. ſummum

mum residet imperium, qui capitis vicem in rep. aut regno obtinent.

Seruator noster monet quidem, si oculus scandalizet, aut pes, aut manus, totum reliquum corpus; vt eruatur oculus, & amputetur manus, potiùs quàm totum corpus intereat: sed de capite non idem præcipit.

Deus in lege sua vetuit, ne quis Principi populi malediceret, idque capitale esse voluit: Rex autem Christianus, populi Dei Princeps est; proindè maledicto anathematis non est appetendus. Maledictis Potestates lacessere verbum Dei pluribus in locis prohibet, & peculiare hoc futurum desertoribus fidei, iam olim præmonuit Diuus Petrus, vbi ait: *Dominatum despiciunt, audaces, & sibi placentes, non horrent dignitates conuitiis incessere; cùm ipsi Angeli, qui sunt robore & potestate maiores, non ferant aduersùs eas apud Deum iudicium maledicum.* Similiter Iudas: *Dominatum verò reiiciunt, & dignitates conuitiis incessunt. At Michaël Archangelus, quùm aduersus Diabolum certans disceptaret de corpore Mosis, non ausus est illi impingere notam maledicti: sed dixit, Increpet te Dominus.* Scio quo cauillo soleant nonnulli has eludere Scripturas, segregantes dominatum ab ipsis hominibus qui dominantur: quod nihil aliud est, quàm luci offundere tenebras; quas Iudas vno verbo discutit, quandò ait, Michaëlem tantum Archangelum, ipsi Diabolo falsò iactanti potestatem acceptam à Deo, iudicium blasphemiæ non fuisse ausum impingere. Ecquis tam effrons, aut desperatè audax, horum non ignarus, qui hominem illum, qui post Deum in terris secundus est, maledictis audeat lacessere? Diabolo certè nullus Rex nequior esse potest. Et Elihu apud Iobum ait, *Numquid licet dicere Regi: O inique; & Principibus, O impie?*

Postremò, amplas familias hominum priuatorum D. Paulus Ecclesiæ qui honorat titulo, multò magis Principum atque Regum familijs id dedisset honoris, si qui recepissent Euangelium: atqui nullo iure, neque verbo Dei priuari familiæ suæ societate, aut eijci paterfamiliâs cùm possit; consequens est, non posse ibi inter suos excommunicari. Domesticorum & familiarium cum patrefamiliâs necessitudinis vinculum, cùm naturâ constet, per excommunicationem non dissoluitur: sed inter Regem & regnum idem interuenit vinculum quod est inter domesticos & patremfamiliâs; temerariæ ergo & verbo Dei contrariæ sunt omnes excommunicationes & interdicta quæ in Reges, regna, & respublicas, ausus est ferre Romanus Episcopus.

Quod decretum Concilij Toletani 4. attinet, in quo Sunthilana Rex excommunicatus, & depositus authoritate Ecclesiæ dicitur, res ipsa, atque adeò decretum ipsum, fidem faciant: decreti verba inspiciamus. *Sanè de futuris Regibus* (inquiunt illi Patres) *hanc sententiam promulgamus; vt si quis ex eis, contra reuerentiam legum, superba dominatione, & fastu regio, in flagitijs & facinore, siue cupiditate, crudelissimam potestatem in populis exercuerit; anathematis sententiâ à Christo Domino condemnetur, & habeat à Deo separationem, atque iudicium, propter quod præsumpserit praua agere, & in perniciem regnum deducere. De Sunthilana verò, qui propria scelera metuens, seipsum regno priuauit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decreuimus, vt neque eum, vel vxorem eius, propter mala quæ commiserunt, neque filios eorum, vnitati nostræ vnquàm consociemus; nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem deiecti sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam sicut in fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerant, maneant alieni, præter id quod pietate piissimi Principis nostri, fuerint consecuti; non aliter & Geillanem memorati Sunthilanæ & sanguine & scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit, nec fidem glorioso Domino nostro pollicitam conseruanti; hunc ergo cum coniuge sua, sicut & antè factum est, à consocietate gentis, & consortio nostro placuit separari: nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creuerant, reduces fieri, præter id, quod consequuti fuerint pietate clementissimi Principis, cuius gratia bonos donorum præmiis ditat, & malos à beneficentia sua non separat.* Hactenùs Concilium.

Duas partes illius decreti audimus: altera continet contra Reges, qui potestate regia ad tyrannidem abuterentur, anathematis & iudicij, atque sententiæ Domini nostri Iesu Christi contra tyrannos & regni inuasores, denunciationem; cuius formula longè diuersa est ab ea qua Episcopi Romani vti solent. Deindè, non ab vno Episcopo illud decretum est factum, sed ab vniuerso Concilio, præsente & volente Sisenando Rege; qui regnum, quod armis acquisiuerat, ne per tyrannidem occupâsse videretur, à Concilio Epi-

ſcoporum probari voluit, & Sunthilanam regni iure excidiſſe declarari: qui tunc priuatus viuebat, & excommunicari, citra populi & reipublicæ periculum, poterat.

Hiſpaniæ Epiſcopi tyrannos multos fuerant paſſi: & fera Gothorum gens Reges ſuos mactare, & regnum per vim occupare conſueuerat: neminem tamen eorum, ante illud Concilium excommunicatum legimus. Decretum ab Epiſcoporum Concilio contra regni vſurpatores & tyrannos fieri, Rege poſtulante, nec Dei verbo, nec iuri gentium aduerſatur: nihil hoc publicam ſalutem, ordinemque rerum, quem Deus conſtituit, turbat, ſed confirmat, ac ſtabilit. Reges de ſucceſſione regni leges ferre poſſunt, & hæredes Teſtamento deſignare: quæ, ſi fraus, & dolus, iniuriaque abſit, ratæ habentur. Plura de hac eadem re in eo Concilio decreta fuêre, vt ſuo loco dicemus. Nihil tamen illi Patres accuſari poſſunt, tanquam ἰσοῖς τὰ ἰσταμένα πυδόμενοι, qui vt ſaluti Regis & reipublicæ conſulerent, Rege volente, populoque poſtulante, decretum illud ediderunt: quod indicatur, quandò gentis conſultu, factum id à ſe teſtantur. Alienum ab Epiſcoporum officio non eſt, ſi conſulantur à Regibus, & populo, de re quapiam ciuili, reſpondere, quod verbum Dei docet, & ipſi in conſcientia æquum eſſe iudicant; quandò ſimulatio abeſt, nec hoc agitur, vt religione, aut religionis Antiſtitum reſponſis ſcelus tegatur.

Præterea, Sunthilanam non regno deijciunt, quem, vt pios & modeſtos Epiſcopos decebat, tyrannicè regnantem tulerant: ſed ei, qui vltrò ſeipſum regno & faſcibus poteſtatis exuerat, conſcientiâ ſcelerum ſuorum territus, ſpem regni omnem adimunt, vt tutiùs regnet is, cui Deus iuſto bello regnum dederat. Accuſatur tamen tyrannidis Siſenandus, quòd adiutus Francorum copijs alienum regnum inuaſerit. Sed ego eum, vt pleroſque alios Reges, Dei relinquendos cenſeo iudicio. Si ius armorum à Deo habuit, & iuſta belli cauſa fuit, inter tyrannos numerari non debet. Et hæc dixiſſe ſufficiat ad ius, quod in Reges ſibi vendicant Epiſcopi.

Tertij Libri finis.

DE

DE IMPERANDI AVTHORITATE, ET CHRISTIANA OBEDIENTIA.

Liber Quartus.

CAP. I.

Sacramenti religio, qua Rex Poloniæ in ſua coronatione ſe adſtringit, periculi plena eſt.

POſtquàm de iure exauthorandi Reges locuti ſumus, (quod Eccleſiaſticæ poteſtati coniunctum eſſe volunt) nobis de iureiurando Regum dicendum eſt: ex eius enim violatione Proceres & populum à ſuis Principibus poſſe deficere, à pleriſque diſputatur. Mihi longè maioris momenti res videtur, id quod Reges iurant, quàm quòd eos Epiſcopi coronant. Nam nunquam cuiquam benè ceſſit, nec cedet, quidquid impij contrà ſentiant, adferántue, ſacramenti violâſſe religionem. Quocircà quamuis ſibi & ſuæ potentiæ Reges nonnunquàm iureiurando derogent, ſeruandum tamen eſt, quidquid teſte Deo & iudice iurârint, ſi modò in eorum ſit ſitum facultate.

Rex Poloniæ in ſua coronatione, vt alij Reges & Imperatores, iurat & promittit coram Deo & Angelis eius, *legem, iuſtitiam, & pacem Eccleſiæ Dei, populóq; ſibi ſubiecto, pro poſſe ſuo, facere, & ſeruare; Eccleſiarum Pontificibus condignum & canonicum honorem exhibere, &c.* In fine autem explicatè ponitur, *Si (quod abſit) iuramentum meum violauero, nullam nobis incolæ regni obedientiam debebunt: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.* Iuramentum hoc Regis Poloniæ ab aduerſarijs regiæ potentiæ vrgetur, & quod in eo diſertis verbis exprimitur, in omnibus aliorum Regum iuramentis intellectum volunt.

Quæ res profectò tum Regi, tum populo, plena eſt periculi: primùm quòd populus coram Deo in conſcientia liber à fidelitate & ſubiectione, quam debet & iurauit ſuo Regi, propter violatam ab eo iuramenti fidem non ſit. Ratio mea hæc eſt, quòd obedientia fidelitaſque debita Regibus, magis à Dei mandato, qui nos eis ſubijcit, pendeat, quàm ab ipſorum voluntate, & erga ſubiectos fide. Deinde, ſi vt humana ferunt, Rex iuramentum ſuum violauerit; aut ſi non violauerit, tamẽ ita videatur populo proceribúſve, apud quem iudicem hæc quæſtio diſceptabitur? Apud Ordines, inquies. At illi ſunt actores. Quid? Illorum iudicio ſiſtere ſe ſi nolit, & excipiat, (ſicut conſultum non eſt, nec quiſquam prudens Rex eſt facturus) annon certum ciuile bellũ, cuius incertus exitus eſt, expectandum? Nam niſi admodùm tyrannus ſit, ſemper ſuæ partis habebit aliquot defenſores. Quàm hoc non ſit reip. vtile, nôrunt qui quid ſit ciuile bellum experiuntur.

Vulgò dici ſolet (quod ſemper prudentis fuit habitum) è duobus malis eligere minus. Vtrum verò horum minus maiúſue malum ſit, facilè quiuis iudicare poteſt, qui hæc inter ſe comparare volet. Maius malum multorum periurium perfidiaque, quàm vnius eſt; & minus malum, perfidum pati Regem, anarchiâ, belloque ciuili: quæ conſequi neceſſe eſt, ex diſſolutione imperij, quando ab obſeruantia obedientiaque Regis populus & Proceres deſciſcunt. Niſi rebus humanis Deus præeſſet, & ſua clementia meliùs hominibus, quàm ipſimet ſibi, prouideret; diſſoluto, quo Reſpublica ſtat, imperio, populum illum interire neceſſe eſſet. Quàm tenui pendeat ſalus publica filo, vbi populus Proceresque à regiæ obedientiæ vinculo ſoluuntur, quis non videt? Cuiuis enim tunc, quod libet, licet.

Porrò

Porrò imperium illud molle ſit, & inualidum oportet in diuites, & potentes, & in eos omnes qui aliqua authoritate eminent: qui quantumuis ſint improbi, & iniqui tenuiorum ciuium oppreſſores, tantum abeſt, vt in eos poſſit animaduertere, vt vix ab eorum metu & calumnijs Princeps queat eſſe ſecurus.

Si quis obijciat, liberos ab obedientia Regis viuere, tum Proceres tum populum, mortuo Rege, quamdiù durat interregnum: non par nec eadem eſt vtriuſque ratio. Aliud eſt enim nullum Regem habere, aliud habentibus eſſe perſuaſum, nullam à ſe Regi deberi obedientiam. Et quamuis nullum interregnum ſit, ſine magno periculo; facilius tamen eſt, mortuo Rege, Proceres ad nouum Regem eligendum conſentire, quàm dum viuit qui regno potitur, alium cum commodo reip. conſtituere. Quando nihil turbarum quod exitiale ſit Reip. indè naſcitur, bonitate prouidentiæ Dei, non hominum prudentiâ accidit; quibus id caſus eſt, non virtus. Mare placidum timidiſſimus quiſque facilè contemnat; ſed nauigandi peritus, qui maris rabiem eſt expertus, quàm ei non ſit fidendum didicit: ad eundum modum, populi pacati & turbati ſe habet ratio.

CAP. II.

Quis ſit ſtatus Regni Polonici.

GEntem Polonicam nunquam vidi: ſed non poſſum non illis precari vt fœlix fauſtumque ſit ipſis Regis ſui iuramentum. Vereor tamen, ſi vera ſunt quæ Polonicæ hiſtoriæ quidam Scriptor de ſtatu illius regni narrat, ne nimia libertas exitium toti regno aliquandò adferat. Inter cætera, Author ille hæc ſcribit. *Circa annum Domini* 1468 (inquit) *ad comitia placuit mitti binos Legatos ex ſingulis ſatrapiis ſiue palatinatibus, qui decernendi in commune cum cæteris poteſtatem haberent. Quod ſic poſterioribus temporibus inolenit, vt ſine ijs legatis ſeu nuntijs terrarum (ſic enim vocantur) nulla comitia legitima habeantur, neque tributum decerni, ac ne lex quidem vlla fieri poſſe videatur: auctuſq; eſt, & ſubinde etiam augetur eorum numerus. Poteſtas verò eorum, inſtar Tribunitiæ poteſtatis apud Romanos, vel Ephororum apud Lacedæmonios eſſe cœpit. Nam tantum ij noſtra tempeſtate arrogare ſibi cœperunt, vt nullam rem maiorem iniuſſu ſuo decerni à Rege & Senatu, aut fieri velint: & in Senatum, atque adeò in Regem ipſum cenſuram grandi ſupercilio ſumant. Ad extremum, creſcente iam ambitione, de religionis quoque Chriſtianæ dogmatibus, ritibus & ceremonijs diſceptare, & non accipere, ſed ferre leges ſacrorum aggreſſi ſunt. Aluerunt hanc eorum licentiam, eoq; magnitudinis ſenſim prouexerunt partim Reges ſuperiores, multa ipſis indulgendo, ſiue inopiæ fiſci ſui releuandæ gratiâ, ſiue quieti & otio ſuo conſulentes; partim potentiores & factioſi nonnulli Proceres, certatim eos prehenſare, & epulis largitioneq; ſibi adiungere, & quocunque libuiſſet incitare, & quaſi tibias (quod quoſdam ex ipſis vocari ſolitos dixiſſe conſtat) inflare adorti; idq; ſiue vt gratificarentur, ſiue vt ægrè facerent Regibus, ſiue vt potentiam ſuam ſtabilirent, æmuloſq; ſuos deprimerent, aut vlciſcerentur; ſeu denique vt per eos ſubornatos quiduis perficerent, quod apertè per ſe ipſi vel aggredi non auderent, vel efficere non poſſent. Eſt quidem ſalutare admodùm in rep. eſſe cuſtodes libertatis communis: cæterùm prouidendum eſt etiam atque etiam, ne quod ad ſalutem comparatum eſt, abuſu vertatur in perniciem: metuendumq; eſt ne infinita illa poteſtas, & in licentiam erumpens libertas, non tam publicam fortaſſis vtilitatem ſpectans, vel priuatæ alicuius vnius, vel paucorum libidini & cupiditatibus, vel denique auræ populari ſeruiens, & regere magis quàm regi ſatagens, proſtrata & euerſa Regia poteſtate & authoritate ſenatoria, ſummam reip. confuſionem, & barbaram quandam exitialemq; ἀναρχίαν (vt Græci vocant) Polonis aliquando pariat; aut certè graui & acerba tyrannide finiatur. Quorum vtrumuis eò quidem propiùs impendere videtur, quò iuniores & imperituores rerum, eoq; audaciores, ad id munus obeundum legi, ſiue adeò ipſi ſeſe vltrò ingerere cœperunt, cedentibus impudentiæ & importunitati eorum natu maioribus, vt quiſque grauitate, vſu rerum, & ſapientia maximè pollet. Quod vtinam non in conſultando, vſu quoque veniret, vt non id plerumque obtineat, quod grauiſſimis aut plurimis dunt axat, ſed quod loquaciſſimis, clamoſiſſimis, & minaciſſimis placuit.* Ex his quis ſtatus ſit regni Polonici ſcire poſſumus, & quid mali non queat ex tam effræni licentia naſci. Malum conſilium tamen eſſet ſuadere Regi, iuratas conditiones, legeſq; frangere, aut quicquam nouare ſine publico regni Ordinum conſenſu: malum bono & quieto loco poſitum,

positum, non est mouendum. Sunt in regnis, & rebuspub. sicut & in humanis corporib. morbi incurabiles, ad quos curandos si quis accesserit, pro salute lethum ægris corporibus accelerabit.

Dux Brabantiæ eandem iuramento suo clausulam addit: sed aliam conditionem ducis vassalli, qui superiorem agnoscit Dominum, aliam Regis iudico. Dux Brabantiæ, populusque olim dominum superiorem habebant Imperatorem, qui legibus quibus voluit Ducem potuit obligare: superior enim dominus & iudex manebat ducis, & subditorum ipsius, qui læsæ parti ferret opem, siue populus in ducem, siue dux in populum peccâsset; vtrouis modo lis dirimenda esset, iure vel bello. Et huiusmodi pactum interuenire posse, inter eos qui dominum superiorem habent, non est absurdum.

Quis status sit rerum Polonicarum nescire me fateor, nec meum est eis quicquam præscribere, aut curiosiùs in eorum leges & mores inquirere. Propter eos tantùm hæc scribo, qui cuiuis pedi aptandum censent eundem calceum: & quia Rex Poloniæ & dux Brabantiæ ita iurant, ab omnibus Regibus idem debere fieri, imò factum debere intelligi, etiamsi non sit appositum, contendunt.

CAP. III.

Apud quos ex pactis conuentis, quæ mutuo ac solo consensu contrahuntur, nascatur obligatio; & quòd ea quæ inter Regem & populum intercedit, non nascatur ex partium mutuo solóq; consensu.

SEd quia constat inter Regem & populum obligationem nasci, tum ex ipsius rei natura; etiam si neutra pars, aut altera tantùm iuret; tum etiam ex pactis & conuentionibus vtrinque iuratis; contra hæc quæ modò disputaui duæ propositiones opponuntur: nempe, *In omnibus pactis & conuentionibus, quæ mutuo ac solo consensu inter partes contrahuntur, eos ipsos, per quos obligatio contracta est, eandem soluere & dirimere posse, quoties id ratio postulat. Itaque quibus est potestas Regis creandi, iisdem quoque eius abdicandi ius erit.* Altera verò hæc est: *Si quæ est iusta soluendæ conuentionis aut pacti occasio, quâ obligatio ipsa per se euanescat, & pro nulla habeatur, hanc vnam esse, si essentiales conditiones, propter quas propriè obligatio contracta est, manifestè violentur.* Has duas propositiones naturalis æquitatis esse certissimas regulas, quibus contradici non possit, aduersarij autumant. Pacta cõuenta iure gentium niti, & esse seruanda, iam dixi. Ex illo iure istæ propositiones desumptæ sunt, & quandam suam veritatem habent: sed quia latiùs extenduntur, quàm par est, & errori defendendo adhibentur, ad eas primùm in genere respondebo; deindè propositæ quæstioni ostendam non conuenire.

Primò si pacta conuenta inter pares, vtpote Reges & vicinos liberos populos, optimatésue interueniant, vt si Regi, populóue alicui libero sit ineunda societas cum imperio, & potentiore Monarcha, qui libertatem aut regnum, quùm dare aut adimere possit, tamen certis pactis & legibus possessionem Regi libertatemque relinquit; sicut quando Nebuchadnezar Zedechiam Regem constituit, & Herodes regnum à Romanis accepit, & Augustus Nicomediæ regnum Iubæ dedit, Senatus populusque Romanus Græciæ ciuitates liberas esse voluit: similiter quando ciues inter se, de rerum priuatarum violatis pactis apud iudicem disceptant, nihil verius, nihil æquius dici potest.

Sed in pactis, quæ inter maritum & vxorem, inter arrogantem & arrogatum, adoptantem & adoptatum, Regem & populum, interueniunt, alia est ratio. Nam inter Regem & populum, nemo nisi Deus iudex est, qui de iniuria & violatis conuentionibus iudicet: inter cæteros dispar est, & obligatio, & conditio. Deindè tametsi inter Regem & populum, maritum & vxorem, patrem & filium, pacta & conuentiones intercedant; non indè tantùm nascitur obligatio, sed ex ordinatione diuina, quæ pactis validior est, etiam vbi nulla pacta intercedunt: vt inter Mosen & Israëliticum populum, & inter iudices quos Deus dabat, & illum eundem populum: similiter inter victorem Principem, & iusto bello deuictum populum.

Proindè adsumpta propositio est falsa, nempè, imperia Regia constare pactis & conuentionibus, quæ mutuo ac solo consensu contrahuntur. Inuitis enim etiam legitimi

Reges

Reges imponuntur, vt iusto bello subactis populis. Ex historijs & rerum vsu notum est, legitimos Reges interdum à rebelli populo eiectos, vi & armis fuisse restitutos.

CAP. IIII.

Quibus est Regis creandi potestas, iisdem non competit ius exauthorandi, etiamsi violentur essentiales conditiones ob quas Rex eligitur.

QVæ sequitur Enthymematis illatio, quandò dicit, *Itaque quibus est potestas Regis creandi, iisdem quoque eius abdicandi ius erit*, euoluenda est hoc modo; qui Reges creant pactis & conuentionibus, quibus mutuo ac solo consensu obligatio inter partes nascitur, eandem soluere possunt, quoties id ratio postulat: id autem ratio postulare videtur, quando rationes essentiales pacti, ob quas obligatio contracta est, violantur. Sed in Regum creatione, & connubij coniunctione, nego solo & mutuo consensu ex pactis conuentionibus obligationem nasci: quoniam ad mutuum consensum vtrobique Dei specialis accedit constitutio: quæ magis deuincit partes inter se, quàm pacta mutui consensus. Firmiorem obligationem inter maritum & vxorem, ac inter Regem & subditos, Deus esse voluit, quàm sunt vulgares obligationes, quæ in pactis conuentis ex mutuo & solo consensu partium contractis nascuntur.

Vt autem hæc clariora fiant, notandum est, pacta & conuentiones in nuptijs nonnunquam varias interuenire, quibus vtrinque partes teneri extra omnem controuersiam pono; earum quædam ad officium vtriusque coniugis pertinent, suntque omnibus communes, quas stipulari paciscique necesse nihil est, quoniam connubij leges, etiamsi nulla fiat earum mentio, naturâ suâ coniugibus obligationem adferunt. Earum commemoratio potiùs est commonefactio debiti officij, quàm ex mutua stipulatione conuentio, virtute cuius obligentur aliàs liberi, nisi accederet. Quædam ad dotem, & iura dotis inter opulentos & diuites referuntur: quæ etsi frangi sæpè contingat, non ideò soluitur matrimonium. Contra suum officium sanctè in nuptijs promissum, multa peccare in vxorem maritus potest, & abuti rebus vxoris, quas in sua potestate habet, & multis modis ei fraudem & iniuriam facere, ac præterquàm virtus & generis dignitas vxoris postulat, tractare: nihil tamen horum liberat vxorẽ à iugo mariti. Et quod grauius est, nulla stipulatio, nulla conuentio potest addi, quâ à contracto semel matrimonio discedere liceat offensæ parti.

Addam quod maius est. Essentiales conditiones & causæ, ob quas contrahitur matrimonium, sunt tres: prima certæ prolis est procreatio; altera mutuæ consuetudinis & bonorum communionis solatium; postrema est aduersùs scortationem remedium. Has singulas, & interdum omnes violari, alterius coniugis peccato contingit, nec tamen idcircò soluitur coniugium. Sterilitas vxoris, ab eâ procurata; morositas, & quotidianæ rixæ, & iurgia; congressus cum coniuge impedimenta, ex morbo nata, quem suo peccato sibi conciuerit; tria hæc, etiam simul si concurrant, nexum coniugij non soluunt. Tametsi (vulgò quod dici solet) ex consensu partium coniugium fieri sit verum, audeo tamen & hoc adijcere, quod in regno accidere notaui, inuitis & coactis legitimum dari Regem; similiter nolentem maritum legitimè posse addici vxori, in cuius nuptias nunquam anteà consenserat. Lege Mosaica præceptum erat, vt qui Israëlitidem stuprâsset, perpetuam vxorem eam haberet, si patri puellæ ita visum esset. Ratio hæc est, quòd non tantùm hominum pactis conuentis, solo ac mutuo consensu contractis, constent matrimonia, sed ordinatione diuina, quæ coniuges tam arctè simul conglutinat, vt separari ab hominibus nequeant. Adulterium exceptum intelligi cupio, similiter & desertionem ab infideli coniuge factam: ita tamen vt accedat magistratus fidelis authoritas, vbi sub eo viuitur.

Qui credidêre non aliam esse naturam contractus nuptialis, quàm pactorum, quæ vulgò de re quauis fiunt; repudia, diuortiaque, tum ex vtriusque partis consensu, tum ex partis offensæ arbitrio, etiam libera esse statuerunt. Sed non ea facilitate, qua coniunguntur, separantur coniuges: mutuo quidem consensu fiunt coniuges, sed mutuo consensu non desinunt esse coniuges. Si hominum inuentum esset coniugium, vt ab hominibus contrahi, ita & ab hominibus posset dirimi.

In

In adoptionibus mutuo cõsensu cõtrahitur obligatio, quę non tam ex pactis & cõuentionibus ius patriæ potestatis adoptanti tribuit, & necessitatem obedientiæ filialis adoptato adfert, quàm ex rei natura, legibusque: quæ huiusmodi sunt vt nec prætor, nec filius inuito patre, possint illud vinculum dissoluere, & à patria potestate liberare. Idem dico de Regibus, qui electione, aut alio quouis modo, legitimi Reges fiunt, eorundem consensu aut arbitrio non posse exauthorari, quorum consensu aut creati, aut recepti, aut ad regnum sunt admissi. Quia quamuis per homines creentur Reges, & ab eis recipiantur, non tamen ab hominibus, in homines potestatem accipiunt: hominibus enim maior est, qui Regiam potestatem in homines dat Regibus. Inter electum Regem, aut natum, & populum, similis est necessitudinis vinculum, ei, quæ nascitur inter eum qui arrogatur in filium, & patrem adoptantem. Etenim in lege Dei parentum vocabulo Reges, & summos magistratus intelligi, extra omnem controuersiam est. Quapropter vinculum subiectionis, ac debitæ obedientiæ officium, non est tantùm voluntariæ submissionis, sed diuinæ iussionis.

Babylonicæ superbiæ persuasio hæc est, seueriter à Deo in Nebuchadnezare animaduersa, quenquam in animo suo persuasum habere, creandi Regis in se, aut alio quouis potestatem sitam esse, vt sine Deo seipsum, aut alium quempiam constituat Regem. Dispositionem Deus habet regnorum, & illi qui placuerit ei, illa confert. Quod longè alia ratione fieri accipiendum est, quàm ea quæ fiunt generali illâ prouidentiâ, quâ cuncta etiam minima quæque administrat, sine qua ne passerculi quidem duo cadunt in terram, aut væneunt obolo: speciali enim quadam curâ, quâ res humanas admirabili sapientiâ Deus gubernat, constituuntur Reges. Si humanum institutum esset Regium imperium; quibus potestas esset Regis creandi, ijsdem quoque esset ius abdicandi.

CAP. V.

Alia noua potestate opus est ad deponendum electum Regem.

QVamuis enim Deus ad regnum Reges per homines promoueat, & per homines de regno deturbet; non tamen semper per eosdem id fieri ius est: speciali enim quadam potestate propria, aut mandato ad vtrumque opus est. Quemadmodùm Prophetæ, Dei mandato vnxêre Reges, qui tamen illa eadem potestate eos exauthorare non poterant, nisi nouo accepto mãdato, sicut in Samuele & alijs Prophetis videre est, qui tam electionem, quàm abdicationem à Deo factam, Regibus denuntiârunt, nouis acceptis mandatis: ita qui Regem Monarcham eligunt, sua potestate, electo Rege, defuncti sunt: in quem cùm omnem potestatem transtulerint, ius reuocandi nullum retinuêre; nec ea ampliùs sunt authoritate, qua erant, durante interregno. Priuati enim sunt, quod eam actionem attinet, cùm anteà tanquàm depositum, summum haberent in sua dispositione imperium. Aliam ipsis nouam potestatem fieri oporteret, aut ab ipso Rege (quam daturum non est verisimile, nisi fortè cedere regno velit, & illud alteri tradere,) aut ab eminentiore aliqua potestate, quæ in regno supra Regem nulla est.

Nulla ratio est, cur in Romani Episcopi electione hæc vera iustaque sint, non autem similiter in ea, quæ est Imperatorum Regumque. Cardinales notum est habere Pontificis eligendi potestatem; sed non eiusdem electi abdicandi: perfuncti enim sunt officio suo, postquam canonicè quempiam elegerunt. Etenim in ara statim electum collocant, & tanquam numen cœlitùs delapsum adorant; & ipse vt electus est, omnem papalem potestatem nanciscitur virtute electionis, ante coronationem, quam post coronationem habiturus est, sicut superiùs monstrauimus.

Huius iuris ratio hæc est, quòd Papa proximè à Deo, non ab electoribus potestatem accipere, & Deum suffragia direxisse, creditur. Quemadmodùm sacerdotium in Dei, non hominum est dispositione constitutum; similiter & regnum, de quo claræ testimonia extant quamplurima, quæ superiùs à nobis citata cùm sint, superflua eorum hic foret repetitio. Proindè nihil sibi Papæ iuris ex electione vindicare possunt, quod non possint meliori iure Imperatores & Reges.

Constat Rom. Pontifices de sede Apostolica disponendi Imperatoribus ius dedisse, vt

nemo eligeretur, nisi quem ante, vel post electionem, Imperator probâsset. Sed nihil Imperatores, nec Reges vllam vnquàm Rom. Pontificibus dare potuerunt potestatem, de regnis suis disponendi, vt nemo Imperator, aut Rex esset nisi quem ipsi probarent. Quæ de electione & electi potestate ab Episcopis Rom. scripta sunt, quemadmodùm ad Pontificem nihil spectant; ita nec ad Reges. Ius vtriusque ijsdem nititur rationibus: nempe sacerdotium, & regiam dignitatem à Deo ita per homines tradi, vt non teneantur hominibus acceptum ferre quod acceperunt, siue regnum, siue sacerdotium sit, sed soli Deo. Quod à me non ita velim accipi dictum, tanquam sacerdotium verum, vt sibi persuadet, putem obtinere Episcopum Rom. sicut Reges & Imperatores verum regnum & verum imperium: sed per concessionem, more ipsorum loquor, vt intelligant id esse ius Imperatori, Regibusque electione vel natiuitate ante coronationem, quod in papatu, Rom. Episcopo prætenditur.

CAP. VI.

Nihil stipulandum à Regibus in eorum coronatione, nisi tantùm ea, quæ lege Dei, & iure gentium tenentur obseruare.

LEges qui paciscuntur alias quàm Regis officium erga subditos in sese complectitur, vt ipsi liberiùs viuant, quàm conditio subditorum sub Rege postulat, aut vt suum Regem, si videatur, coërceant, perindè faciunt, ac si vxor cum marito ante nuptias paciscereturmaiorem libertatẽ atq; authoritatem in domestico regimine, atq; adeò fortè in ipsum maritum, quàm cõnubij leges concedunt fœminis. Monarchæ nullæ conditiones proponendæ sunt, præter eas quas lege Dei & gentium debet subditis. Vbi plura exiguntur, excipiunturque, labes sunt regnorum, non propriè regna.

Et quemadmodùm Regem in sua inauguratione, nihil populo iurare ac promittere sub conditione, sed absolutè, se, vt Regem decet, regnaturum, & cuique ius suum seruaturum esse, conuenit; ita populum, Procerescque subiectionem & obedientiam simpliciter, & absolutè promittere æquum est. Excipi mandata impia, & iniqua, nihil opus est: primò quòd improbæ mentis sit, de Rege malè suspicari, & aliquid quod non est honestum, expectare: deindè quòd sceleri perpetrando nemo se adstringere possit.

Qui conuentiones pactaque huiusmodi inter Regem & populum cogitant, quæ si non seruentur, obligatio euanescet, tanquàm nihil nisi illis conditionibus sit Regi promissum, imprudenter, meo iudicio, faciunt; & nimia sua prudentia pessimè in populum istud consulunt: cùm eodem iure vtendi potestas, similiter Regi danda sit, vt pacta non seruet, si populus prior pacta fregerit. Sed quemadmodùm nulla populi peruicacia, rebellióue Regem ab officio liberat coram Deo, quin seruare teneatur ea omnia quæ se seruaturum promisit, & tam iure diuino quàm humano obligatur: sic populus ab officio & obedientia, quam suo Regi debet, recedere non potest, etiamsi Rex pacta conuenta quæ dicuntur, manifestè violârit.

Sed malignè Reges traducuntur, tanquàm soli pacta conuenta non seruent; de populis verò nihil, perinde acsi in hac re peccare nequeant, & pactas conuentiones æquè ac Reges violare. Si pari iure populo cum suo Rege certare fas est, æquum & hoc quoque sit Regibus, vt pactis conuentionibus non teneantur, quoties populus conditiones illas conuentas essentiales non seruauerit. Si mores hominum cuiquam obseruare lubeat, non minùs à populis peccari in Reges, quàm à Regibus in populos, inueniet. Rebellem legimus Israëlem contra sanctissimum ducem Mosen, & posteà contra Dauidem. Ecquis motus populorum & rebelliones Procerum, contra bonos Reges recenseat? Iniquus & corruptus ille iudex est, qui peccata vtriusque partis æqua lance non trutinat.

CAP. VII.

Contractus inter Regem & populum quæ sunt conditiones essentiales.

COntractus & conuentionis inter Regem & populum conditiones essentiales sunt nobis similiter inspiciendæ. Omnis ciuilis societas constat certis quibusdam legibus, quæ si dissoluantur, quæcunque illa sit, subsistere non potest. Quæ quamuis aliæ sint in regno, aliæ in Optimatum potestate, aliæ in

in populari regimine; communes tamen omnibus sunt imperandi obediendique leges: quarum alteram si soluas, simul dissolues societatem. Regni leges siue conditiones essentiales istæ sunt; vt vnus benè imperet, cæteri omnes benè pareant. Sed cùm imperij sint multæ partes, tot similiter obedientiæ esse oportet.

Multis modis tum à Rege, tum à populo imperandi parendique leges violari possunt, vt tamen maneat mutua inter eos contracta obligatio. Quis mortalium vnquàm Rex extitit, qui imperando moderationis leges adeò potuit exactè seruare, vt eas non sæpè fuerit transgressus? Idem de subiectis quæram, atque in primis de ijs, quorum maximè operâ Reges vtuntur, & adsunt ipsis proximi: num quis eorum ita legibus & mandatis Principis sui obsecutus sit, vt nihil peccârit? Eos esse tamen volunt Regibus instar fræni. Iniquum est à Rege exigi, quod non præstant subditi. Quòd si ob singulas violationes harum duarum essentialium conditionum, ob quas obligatio contracta est, euanescat omnis obligatio, iustaque sit soluendæ conuentionis aut pacti occasio; quod regnum in vniuerso terrarum orbe stabit incolume? Non censemus (inquient) ob minutulas quasque noxas Regum in populum, aut populi in Regem, euanescere mutuam, quæ inter eos est, obligationem. Sunt igitur Regum flagitia speciatim definienda, quot, quæ, & quanta. De thesi incerta est disputatio, quandò nihil certi definitur. Fingatur, exempli causâ, inter Christianos regnare aliquis Saul, aut Ieroboam, aut Achab, aut Manasses, aut Herodes, aut Nero, aut Caligula: & disputetur de officio populi, Procerumque, atque etiam Episcoporum, in huiusmodi Regem.

Notum est quàm rara sit res, & semper fuerit in populo veteri, & in alio quouis reip. statu, syncerus Numinis cultus, nulla superstitione contaminatus. De iustitia, quid dicam? Impios plures Reges in Iuda & Israële legimus, quàm pios: nullos tamen propter impietatem solijs deiectos à populo Dei, aut regno pulsos. Sæpè accidit eum, qui quibusdam in rebus à recta imperandi ratione aberrat, in cæteris æquitatem retinere. Quocirca quamuis vna alteráue conditionum essentialium pacti manifestè violetur; quamdiù stant quibus conseruatur ciuilis societas, Deus obligationem voluit integram manere, nisi fortè ipse eam abrogaret.

Nullus enim adhûc Tyrannus extitit, qui sine suo aut regni sui interitu, simul omnes potuit leges, aut etiam voluit infringere, nisi qui aut imperare nesciuit, vtpotè mente captus; aut noluit, vt qui regnum deserit, sicut nuper ab Henrico Gallorum in Polonia factum est. Altera tunc conuentionis inter ipsum & Polonos conditio essentialis ita violata est, vt subsistere nequiuerit, & Resp. fuerit interitura; nisi Proceres regni alium sibi Regem elegissent. Quid (inquies) iniqua si sint Regis imperia? Vnum hoc studeant, vt sit innocens eorum obedientia.

Interdum accidit, vt alibi notauimus, iniquum esse Regis superioris mandatum, cui tamen si subditus pareat, nihil peccat. Tributis grauioribus quàm æquum est, si Rex populum suum oneret, peccat quidem ipse, & mandatum eius iniquum est: tamen qui parent nihil peccant. Si verò mandatum sit huiusmodi, vt parêre vir pius nequeat, quin se scelere aut impietate contaminet, ne pareto; atque in ea re constantiam ac fortitudinem retineto. Cæterùm idcirco in cæteris rebus, quibus nec pietas, nec iustitia violatur, ab obedientia, fideque Regi debitâ ne recedito, ac si regno excidisset: vlteriùs progredi pijs hominibus nefas est.

CAP. VIII.

Aduersariorum Regiæ potentiæ argumenta referuntur ad duo summaria capita: primum refellit rationes, quibus probare conantur Reges esse subiectos legibus; alterum, quibus Procerum populique potestas supra Reges adseritur.

QVandoquidem autem Regiæ potentiæ aduersatij, multas rationes, easque acutas, &, ipsorum iudicio, quouis oraculo certiores adferre videntur, quibus populo Proceribusque Reges subijciant; nobis confutandæ sunt: eas omnes ad duo præcipua capita reuocabo. Primum argumenta euertet, quibus docere conantur, Reges esse subiectos legibus. In altero, populum vniuersum habere potestatem in suum Regem, si in tyrannum degeneret, vt regno deturbet, nullis solidis verisque argumentis demonstrari, euincam.

Legibus autem ſubijci Reges, his fortè rationibus quæ ſequuntur aſtruere volunt. *Principes* (inquiunt) *Philoſophorum communi conſenſu, tyrannum definiunt eum, qui nullis ſubiacet legibus, & dominatur ad propriam vtilitatem.* De hac re in definitione tyranni, quæ diximus repetere omnia, eſſet ſuperfluum: hoc fixum eſto; eum, qui per nefas principatum inuadit, aut illud cum iniuria ſubiectorum adminiſtrat, verè tyrannum dici: eum verò qui legibus eximitur, eſſe tyrannum, nihil eſt neceſſe, quamdiù ius pietatemque colit. Et quemadmodùm publicam vtilitatem cum iniuria priuatorum procurare iniquum eſt, niſi cogat neceſſitas, cui cedere æquum ſit priuatam commoditatem: ita Regem propriis commodis ſtudere citra cuiuſquam iniuriam, tyrannicum non eſt. Quandò autem Philoſophi poteſtatem ſolutam legibus, tyrannidem vocant, id de illa intelligunt, quæ contra ius graſſatur, & ex libidine non æquitate gubernat: quod nos non negamus. Sicubi imperium quod *Pambaſileia* dicitur, & nemini ſuæ adminiſtrationis rationem reddere tenetur, tyrannidem appellant, ex vulgi opinione loquuntur, qui neminem credit tantâ potentiâ rectè vti.

Deindè *pacta conuenta* (inquiunt) *ſeruanda ſunt Regibus. Tenentur ergo lege conuentionis, & contractus: quæ cùm robur accipiat tum à Principe, tum ab iis qui cum ipſo contrahunt, non poteſt ſolus, non conſentientibus ceteris quorum intereſt, & cum quibus contraxit, eam abrogare: vinculum enim ſoluitur eodem modo, quo colligatum eſt.* Reſpondetur: quandò ſolutus legibus Rex dicitur; ius gentium, Dei, & naturæ lex excepta intelliguntur, quibus ad ſeruandam fidem datam in pactis & conuentionibus homines obligantur. De ciuilibus legibus id tantùm intelligi debet, quarum Rex ipſe aut author eſt, aut quas in ſua habet poteſtate: vtpote quæ ab eius authoritate pendeant. Gratiâ exempli, Leges pleriſque in locis vetant indè annonam, aurum, argentum, ferrum, æs, & id genus nonnulla, quibus regio carere non poteſt, exportari: incidere tamen meſſis ſolito maior, aliaque occaſio poterit, quando futurum eſt vtilius reip. poteſtatem quibuſdam fieri transferendi frumentum, & annonam ad exteros.

Multæ cauſæ occurrere poſſunt, quibus Rex, aut alius quiuis ſummus magiſtratus, contra communem legem, ſinet aurum, argentum non factum, factúmue, aut ſignatum, ſuis ditionibus efferri. Præterea ſunt in quouis regno leges pœnales quamplurimæ, quarum rigorem moderari, ad Regum pertinet clementiam. Quoduis furtum etiam ſimplex morte puniri durum eſt. Ceruum aut aprum necâſſe, agricolis apud pleroſque eſt capitale. Alibi ius fiſci grauius inuenitur, vt ſummũ ius ſumma ſit iniuria, niſi benignitas & clementia ſuccurrat Principis: quod minimè poterit, ſi ſubijciatur legibus. Digni profectò ſunt, qui in has incurrant pœnas, & cum quibus ſummo iure agatur, qui Regem ſubiectum eſſe oportere ſuis legibus iudicant.

Si quid ciuiles leges continere contingat (vt neceſſe eſt multa contineant) proprium Dei, aut naturæ legibus, cuiuſmodi ſunt de ſtupris & adulterijs, de parricidijs, de periurijs, & in Deum blaſphemijs; tam populus, quàm Principes obligari certum eſt: quippe qui Deum ſupremum Dominum habeant, cuius mandatis ab omnibus parendum eſt.

Porrò fidem ſeruare tam exteris, quàm ſubiectis ciuibus naturæ lex eſt: quæ ſi violetur à Rege, ſubditos patienter ferre iniuriam oportet, quam nemini priuato vlciſci Deus permittit: ipſe vindex erit omnis iniuriæ: pœnas enim de ſuperioribus ſuis ſumere ſubiectos, nefarium eſt.

Alienis verò, ſiue hoſtes, ſiue ſocij ſint, ius ſuum authoritate publica repetere, bellóque perſequi licet: quod ſi priuata id authoritate facere aliqui audeant, quamuis ſubiecti non ſunt illi Principi, inter eos cenſendi ſunt, qui gladium vſurpant. Adeò res ſacra gladius eſt, vt nemini eo liceat vti, niſi eis, qui authoritate armantur publica.

CAP. IX.

Quo ſenſu teneatur Rex legibus quibus regnat, aliàs ab omnibus legibus ciuilibus ſolutus.

LEges tamen (inquiunt) *quas Rex fert conſenſu populi, à ſolo Rege abrogari non poſſunt, niſi populus conſentiat: ſolutus igitur non eſt legibus.* Reſpondetur, aliud eſſe legem abrogare, aliud legi ſubiectum non eſſe. Quid abſoluta ſua poteſtate Rex poſſit, hic non pluribus eſt diſputandum: hoc nunc ſatis eſt, nullam eſſe legem, rogante populo latam, in vero regno, quæ ita Regem

gem obliget, vt contra illam legem ire non ei liceat: sed quod nullam abrogat legem particulare regis factum, aut alicui indultum priuilegium, etiamsi centies id ab eo factum fuerit, aliam causam habet.

Quando populus à suo Rege aliquid decerni, & vim habere legis postulat; quòd id fieri sit è rep. vinculum sibi non Regi injici rogat. Quòd Reges in regni comitijs latas leges priuatim non abrogant, causa est ne abrogando receptam legem, regno & sibi ipsis detrimentum adferant; idcirco disceptanda res est: & priùs quid emolumenti, quidue damni, ex abrogatione veteris legis, & nouæ latione euenturum esse timendum sperandúmue sit, examinandum. Quod Regi licet, ei sæpè nocet. Interest maiestatis regiæ, nihil feciſſe videri temerè, & consilio malo abrogâsse, quod bono fuerat antè constitutum, ne posteà mutare cogatur.

Addunt, *Lege illa necessario teneri Regem quâ regnat, imperiumq́, summum obtinet: & Romanos Imperatores, qui lege regia soluti erant omnibus legibus, illa lege frui non potuisse, nisi ea tenerentur.* Respondetur, leges, quibus ius alicui adiicitur, ei nullam subiectionem neque seruitutem adferre; sed dominium & imperium: ferriq́ue, ne vim & iniuriam patiatur in iure suo. Quæ cùm non minuant potentiam eorum in quorum sunt latæ fauorem, obligant propriè alium quemuis potiùs, qui vim aut iniuriam alieno iuri inferre vellet, quàm eos, quibus cautum esse volunt. Lex, quæ Dei cultum præcipit, homines non Deum obligat: & ea quæ iubet honorari parentes, natos non ipsos parentes. Lex regia de Imperatoris iure lata, non obligat Imperatorem, cui potestatem facit liberam omnium legum; sed subiectos imperio legum, vt eũ suo illo concesso iure liberè vti frui sinant.

Lex illa quæ regnum confert Regi, aut è gentium iure nata est, aut ciuili, & duos respicit, Regem, & subiectum populum: Regi necessitatem nullam, nec obligationem adfert (nisi fortè apud Deum.) In arbitrio & potestate Regis est abdicare se magistratu, & regnum tradere alteri. Dictaturam deposuêre Romani, qui eam diutiùs retinuisse poterant, si libuisset: sed subiecti obligantur eum Regem recipere, quem iura gentium legesque ciuiles designant; ipsi tenentur legibus, ipsi eis alligantur, ac veluti quibusdam nectuntur vinculis, ac finibus includuntur. Principes autem qui illis soluuntur, fiuntque Reges & domini, obligari propriè illis non possunt dici.

Instatur præterea validiùs hoc modo: *In diuersis regnis varia sunt regni iura. Nam est vbi regnum traditur Regi & ipsius hæredibus, quicunque illi futuri sint, & cuiuscunque sexus: fœminæ succedunt æquè ac mares: alibi solos mares admittunt, & interdum cum hac conditione, si videbuntur digni, & ea ætate, prudentia, atque virtute sint, vt per se regnum queant administrare. Has verò leges cùm infringere Reges non possint, arguit eos, regni legibus esse subiectos. Gratiâ exempli, Regni hæredem si contra has leges solus Rex constituerit, vtpote filiam, vbi excluduntur fœminæ, aut natu minorem filium prætulerit maiori; res non tenebit, & perfidiæ crimen Rex incurret, si in legem illam iurauit.* Respondetur, pacta conuenta (vt diximus) legibus Dei & naturæ niti, à quibus nemo sanus vnquàm Reges exemit: Iura regnorum ipsius rei naturâ, pacta conuenta quædam esse inter Regem & populum, quibus tam Rex quàm populus tenetur. Sed hoc non magis subijcit Regem legibus regni sui, quàm vicinorum Regum & populorum, cum quibus pacta conuenta, fœderaq́ue societatis intercedere varia sæpè contingit. Nulla lex manauit à populo Proceribúsue, quâ Regem non seipsos obligarent: vtrique ex illa conuentione pariter tenentur: & quemadmodùm iura illa regni Rex mutare non potest; ita nec Proceres populúsue: obligatio mutua est. Quod si iura illa Proceres populúsue infringant, Rex de eis sumere potest supplicium, quippè qui Rex sit, & gladio armatus, ad dignitatem imperij sui defendendam. In Regem verò labefactantem illa iura, si monarcha sit, par non est Procerum aut populi potestas, vt eum vocare in ius possint, & vt causam dicat compellere: non enim habet superiorem in regno suo iudicem: nec eum bello cogere possunt, qui ius non habent vtendi gladio nisi ad mandatum Regis sui, qui subiectos nunquam armabit in se. Perfidè quidem Rex agit, Deoq́ue suo iudici & Domino violatæ conuentionis pœnas aliquando daturus est. Multis quidem modis tum in se, & familiam suam, tum in regnum & populũ suum peccat. Primò ipse ius quo regnat, labefactat; deindè natos aut alios hæredes iure illo, quo ipse Rex factus est, priuat; postremò regni hæredes inter se committit, regnumq́ue bello ciuili exponit, & in factiones diuidit. Nam populus huius iuris non ig-

narus, non facilè obtemperabit ei, qui contra leges irrepserit. Populus semper pronior erit in eos, quos sibi ius Reges dedit.

CAP. X.

Reges potestatem iudicibus facere possunt, vt de prædiolis, & de rebus ad fiscum regium pertinentibus iudicent, secundùm leges & regni iura; sed non de parricidio, aut alio quouis crimine, si quod commiserint,

ITem absurdum esse contendunt, subditos iudicio cum Rege experiri de fundo, & iure alicuius agri, si legibus subiectus non est: & regni iudices de Rege ferre sententiam in priuata re posse, non autem in grauissima, ex qua salus totius pendeat regni. Verba Buchanani hæc sunt: *Iniquum certè est, de prædiolo, de limitibus, de stillicidiis, aduersus Regem iudicium dari; & parricidii, veneficii, perduellionis nullum esse iudicium: in minoribus rebus seueritate iuris vti, in maximis flagitiis summam licentiam & impunitatem permitti.* Respondeo, in hoc differre Regem à Tyranno, quòd aliena capere vi, aut cõtra leges sibi quicquã retinere nolit: & quamuis legibus sit exemptus, secundùm leges tamen viuat, permittatq; suos iudices secundùm leges, de suis prædijs, & id genus pluribus iudicare. Potestatem enim illam sibi subiectis iudicibus potest facere; quia de pecunia tantùm agitur, quam in sua Rex habet dispositione: at vbi capitis, aut famæ periculum est; quùm vitæ suæ Rex, aut famæ potestatem non habeat; non magis authoritatem iudicibus dare contra seipsum potest, quàm seipsum necare: nisi priùs se regno abdicet, & priuatus fiat, iudicesq; potestatem capiant ab alio Rege.

Hinc Dauid perpetrato adulterio, & cæde Vriæ, quandò peccatum suum deflet, & confitetur, ait, *Tibi soli peccaui, & malum coram oculis tuis feci.* Insignem tamen iniuriam fecerat Vriæ fideli suo: sed quia nemo erat iudex illius iniuriæ nisi Deus, sensus est; *ego tibi soli* meo iudici *peccaui*, quippè qui præter te nullum habeo iudicem, qui vlcisci peccatum, quod commisi, possit. In illum enim maximè peccare videmur, qui vltor est legis violatæ. In hanc sententiam D. Ambrosius in apologia Dauid, cap. 10. scribit; *Rex vtique erat Dauid* (inquit) *nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius,*

Indices inferioresq; omnes magistratus sub Regibus & à Regibus constituti, nomine ipsorum, non suo, causas cognoscunt, litesq; dirimunt: & Reges sistere reuocareq; potestatem illam possunt, quandò volunt. In causis autem regijs tantùm tanquam arbitri sedent: non enim sunt Regis sui legitimi iudices.

Causa nulla est, eâ, quæ est capitis & famæ Regis, exceptâ, de qua permittente Rege iudicare non possint: æstimaturq; eorum iudicandi authoritas non grauitate, aut exilitate rei, sed Regis arbitrio & voluntate.

Sententia autem non à suo iudice lata, nulla est. Ecquis in regno Regis est iudex? Omnis iudicum potestas ac iurisdictio à Rege manat, nec in Regem tanquam in hominem suæ iurisdictioni subiectum possunt ab eo delegati iudices ferre sententiam, non magis quàm Rex in seipsum. Et quamuis mille mortes esset meritus, in eum animaduertendi non magis potestatem habent, quàm Rex ipse in seipsum vt sese iugulet, propter aliquod ab eo perpetratum flagitium. Fundos & agros suos, & alia quæ numerantur in bonis, Rex habet in sua potestate, & mandare potest iudicibus, vt de ijs secundùm communes ciuium leges statuant; & subiectis permittere, vt de iure legibus cum eo disceptent: vitæ verò & famæ ipsius alia est ratio. Earum exponendi potestatem subditorum iudicio non habet. Perindè enim illud esset, acsi Rex satelliti porrigeret gladium, dicens; Homo sceleſtus ego sum, & morte dignus, percute me.

CAP. XI.

Tametsi Reges legibus soluti sunt, tamen secundùm leges viuunt.

AT (inquiunt) Alexander ad Antigonum rescripsit, *Nihil tam proprium imperii esse, quàm legibus viuere.* Idem etiam Alexander Antigono rescripsit: *Ex imperfecto testamento Imperatorem capere non posse, sæpè constitutum esse.* Plato ait, *Qui legibus seruit, diis ipsis seruit.* & Aristoteles, *Qui legem præesse vult, is velle videtur*

tur Deum imperare: qui autem vult hominem, is etiam belluam adiungit. Itaque non magis absurdum est, Reges subesse legibus, quàm Deo. Vnde Martianus in libro D. *Qui bonis legibus obtemperant, Deo obtemperant: non enim in iudiciis damnare aut absoluere Titus aut Sempronius, nescio quis, estimandus est, sed lex ipsa.* Legibus parêre honorificum etiam iudicârunt Imperatores Theodosius & Valentinianus. Eorum verba hæc sunt: *Digna* (inquiunt) *maiestate regnantis vox est, legibus esse alligatum Principem fateri, & reuerâ, imperio maius est submittere legibus Principatum; & oraculo presentis edicti, quod nobis licere non patimur, alios iudicamus. Dat. 3. Idus Iun. Rauennæ, Florentio & Dionysio Coss.*

Omnes æquissimum semper iudicârunt, vt quis legem patiatur, quam ipse tulerit. Zaleucus commendatur, quòd cùm Locrorum legislator esset, pœnam quam contra adulteros lege sanciuerat, vt vtroque priuarentur oculo, filio adulterij reo remittere noluerit. Sed quùm in Patris honorem tota ciuitas adolescenti postularet ignosci, precibus victus, ita seueritatem suæ legis temperauit, vt sibi iuberet alterum oculum erui, vt filio vnum seruaret oculum, & pœnæ partem dimidiam ipse ferret, quæ condonabatur ipsius filio. Ius ciuile Romanum multas leges continet de Iure Imperatorum, quæ frustrà latæ fuissent, si illis subiecti non essent.

Respondeo; quo modo hæc intelligenda sint, ipsæ leges & doctissimi atque integerrimi viri, qui sub Imperatoribus vixerunt, docent. Paulus lib. 5. Sententiarum scripsit: *Ex imperfecto testamento legata vel fidei commissa Imperatorem vindicare, inuerecundum est. Decet enim tantæ Maiestati eas seruare lege, quibus ipse solutus esse videtur.* Et Plinius iunior exponit de voluntaria submissione, sicut iam notauimus, non de legis virtute, quæ in Principem nulla est: ita enim de Traiano scripsit; *In nostris quoque simili religione ipse te legibus subiecisti, Cæsar, quas nemo Principi scripsit.* Hic audimus non esse scriptas Principibus leges, quibus tamen vltrò se subiecit Traianus, subijciuntque omnes alij boni Principes. Theodohadus Gotthorum & Romanorum Rex, senatui vrbis Romæ rescripsit: *Imperiosa nimium res est pietas nostra, P. C. quando propria voluntate vincimur, qui aliis conditionibus non tenemur. Nam cùm Deo præstante possimus omnia, sola nobis licere credimus laudanda.* Legibus esse solutum, nemo bonus interpretatur, idem esse, quod iura legesque violare, & belluarum more viuere. Legibus namque non teneri, & in omnibus legum æquitatem tenere, nihil inter se pugnant. Voluntaria submissio maiestatem Principis nihil lædit, nec absolutam ipsius potestatem minuit. Non enim soluitur legibus, vt scelerate & impiè viuat, sed vt eas regat, moderetur que sua æquitate & prudentia, prout res, tempusque postulare videbitur.

Ciuitatis regnique sui legibus Principem obligari, & hoc argumento probare conantur: *Ciuitas cœtus est hominum iuris consensu & vtilitatis communione sociatus: quo & Princeps regnum obtinet, ac more aliorum ciuium agros & fundos suos, aliaq; quæ numerantur in bonis possidet. At hominum nulla multitudo conuenire potest, vt societate iungatur, & populum ciuitatemue constituat, nisi certis inter se denunciantur legibus: quæ si dissoluantur, dissoluitur etiam societas, siue ab ipso populo id fiat secum vniuerso, siue cum Principe. Eadem enim est Principis ratio cum populo, quæ populi inter se. Qui quemadmodum ex vaga multitudine fœdere mutuo inter se iunguntur, & ciuitatem constituunt; similiter Princeps cum populo, qui pactis quibusdam Principatum accipit: quæ si violentur, perit societas.* Iam pluries dixi, iure gentium, legeque ea, cum qua nati sumus, mortales teneri, quicunque illi sint, & illâ lege prima fuisse comparata regna, primâsque coaluisse hominum societates. Ante vllas scripta leges illud naturæ ius vnum & idem immotum vbique apud omnes gentes viguit. Hoc iure sublato, fateor nullum regnum, nullam ciuitatem, nullam denique hominum societatem posse consistere.

Ciuile verò ius cùm varium, inconstans, ac mobile sit, & proprium cuique genti & tempori, in arbitrio, ac moderatione situm esse dicimus boni & prudentis Principis, aut eorum penes quos summum reip. est imperium. Qui cùm illud ius ex causa mutare possint, eo teneri non possunt. Quod tamen non eò valet, vt leges patrias Reges contemnant, & solutiùs subiectis viuant, atque hac licentia ad omnem abutantur turpitudinem: sed vt intelligatur supremam imperij potestatem, legum repagula effringere posse, quandocunque æquum & bonum, aut publicum commodum id postulat. Deinde si iura violari contingat ab eo, cui summum Deus commisit imperium, nullum esse su-

pra ſupremum iudicem alium hîc in terris, qui eum iudicet, cogatque in ordinem.

CAP. XII.

Argumentantur, Reges Perſarum & Medorum ſua decreta non potuiſſe reuocare, & ſubiectos fuiſſe ſuis legibus: ſimiliter Reges Anglorum teneri decretis ſuorum Parliamentorum.

ARgumentum aliud ex ſacra hiſtoria quod adferunt, magnam habet veri ſpeciem; nempe, Regum Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, atque Perſarum maior (inquiunt) fuit poteſtas in ſubditos, quàm ſit noſtrorum Regum, vt Domini gentium vetiùs, quàm Reges fuerint: tamen ſuis ipſi ſubijciebantur legibus, nec eas poterant tollere quas tulerant. Eſtheris & Danielis hiſtoriæ notæ ſunt. Decretum quod de conſilio ſeptemuirorum ſignâſſet Rex, lex erat adeò firma, vt ſecundùm inſtitutum Medorum & Perſarum reuocari ab ipſo Rege non poſſet. Id apparuit in Danielis periculo, qui contra Regis edictum intra vetitos dies Deũ ter in die precatus fuerat. Quamuis eum Rex liberare cuperet, non tamen aut legem reuocare, aut ei derogare regia ſua poteſtate potuit. Si quam ſuam legem Regi frangere fas eſſe debeat, illam inprimis deceret reuocari poſſe, quæ tum iniqua & impia, tum circumuento Rege per fraudem aulicorum eſſet obtenta. ſed Medorum & Perſarum leges inuiolabiles erant, & quicquid vim legis ſemel obtinuerat, fixum & immotum manebat. Decreto Regis ſemel abdicata Vaſthi, & regno depulſa, & reconciliationis cum marito ſpes ablata erat. Repudiatæ quidem coniugis Regem cùm miſereſceret, ſtatim obuiàm itum eſt à ſapientibus nouo coniugio. Itaque nec Dario liberare Danielem, nec Aſſuero reuocare vxorem, per leges Medorum atque Perſarum licuit. Fruſtrà totum diem tantus Monarcha laborauit, vt hominem quem nôrat pium atque innocentem, mortis periculo ſubtraheret. Tanta erat legum vis atque authoritas, vt qui aliâs ſuos Reges nihil non poſſe volebant, contra leges tamen, quarum ipſimet authores fuerant, nihil valerent.

Ordines apud Gallos conuocari ſoliti, idem robur quondam habebant, vt irritum fieri nec ab ipſo poſſet Rege, quicquid de conſilio ſtatuiſſet Ordinum: qui mos eſt etiam apud Anglos: & in decretorum conceptis formulis, Ordines ita loqui inueniuntur: *Relatũ in acta id quoque eſto, authoritate huius Parliamenti ſtatui, &c.* Quibus verbis indicari videtur, pondus addi regio decreto, vt à Principe poſtea nequeat tolli, niſi priùs acceſſerit eadem authoritas: & diplomata veterum Galliæ Regum ſignata reperiuntur manibus nobilium, qui tunc adſtabant Regi. Vndè apparet maiore quadam authoritate leges condi ſolitas, quàm ſit ipſius principatus, ſubiectoſque illis legibus fuiſſe Reges.

Hoc argumentum, & quicquid ineſt in eo roboris & virium, propono, non (qui eſt mos quorundam) inciſis neruis elumbe illud reddo, vt à me queat facilè proſterni. Attende igitur, candide lector, & vide quomodo in ſpeciem veriſimilis oratio incautos ſæpè fallat, cuius tamen ſolutio facilis eſt. Viri ſapientes olim iudicauêre (quod res eſt) habere vacillantes leges, eaſque ſubinde figere atque refigere, contemptum earum ciuitati adferre, cui ſacroſanctæ eſſe debent: quare antequam ferantur, multa eſſe conſideranda, quæ multos facilè fugiunt; & in Rege leuitate & inconſtantia nihil eſſe turpius: haud decere Regem, quicquam mandâſſe leuiter atque temerè videri, cuius ſtatim eum pœniteat, & tollere laboret: intereſſe plurimùm ad ipſius exiſtimationem, quicquid ſeriò ſemel pronunciâſſet, haberi inſtar diuini oraculi. Quoniam multi ſunt, qui Regum clementiæ ac facilitati inſidiantur, à quibus facilè poteſt decipi; in decretis legibuſque condendis, aut abrogandis, multorum ſapientum conſilio opus eſt, ne quod ab eis emanabit, ſurreptitium exiſtimetur: & in hac re non tam Regiæ potentiæ derogatur, quàm conſulitur.

In Parliamentis nihil Ordines ex imperio iubent: ſed ſupplices accedunt ad ſuum Regem, cui quid fieri ipſius & Regni interſit, indicant: & authoritas tanti Conſeſſus non eſt alicuius in Regem poteſtatis, aut imperij, ſed prudentiæ & conſilij eorum, qui nouum decretum fieri rogant, eique ſeſe nomine totius regni ſubmittunt.

Septemuiri, qui fuêre Perſarum Regibus authores alicuius decreti, ſuadebant & hortabantur,

tabantur, quod ipsis videbatur vtile, non imperabant: & decretum (quodcunque illud fuit) à voluntate Regis, non ab ipsis, authoritatem accepit.

Quod attinet Persarum morem, dico, Regem voluisse vtrobique vitare notam leuitatis, contemptumque edictorum suorum, quæ ex mutandi facilitate nascitur. Quod leges, institutaque Medorum attinet, nihil ad obligandum Regem, sed populum, factum est: quemadmodùm ex illis ijsdem locis apparet. Mutauit enim Assuerus decretum suum quod Haman ab eo contra gentem Iudaicam obtinuerat. Idem oportuisse à Dario esse factum in causa Danielis, quis dubitat? Iniquum erat edictum; innocentia pietasque Danielis regi nota erant: firmitas edictorum ad terrorem subiectorum erat, vt transgressoribus spes nulla esset veniæ, non vt Regi necessitas parendi imponeretur. Edictum illud ad stabiliendam noui Regis authoritatem & reuerentiam in nouo populo, Danielis inimici factum videri volebant: ex cuius abrogatione in gratiam vnius hominis, multa mala poterant allegari euentura. Persuasionibus ergo cum Rege actum est, non authoritate. Si nullam liberandi Danielis Rex habuisset spem, non tempus protraxisset, non tantùm in eare frustrà laborâsset. Victus igitur importunitate satraparum, cessit, sperans fore, vt Deus seruum suum conseruaret. Constat etiam Cyri edictum, de construendo templo Ierosolymitano, ipso adhûc in viuis existente, fuisse reuocatum. Præterea mutatâ sententiâ, Cyrus mortis pœnam, quam in Crœsum constituerat, ei remisit, vitaque eum donauit. Vnde apparet Persarum Reges edictorum suorum, legumque plenam habuisse potestatem, & quod regium est, fuisse solutos legibus, quas non sibi sed subiectis ferebant. Cum Regibus Galliæ quòd diplomata olim signabant nobiles, factum est tollendæ suspicionis causâ, ne surreptũ potiùs, quàm à Rege impetratũ videretur. Sed quàm hoc sit leue, signa Secretariorũ indicant, qui scribunt literas. Hoc magis mouere deberet, non priùs esse ratum quod à Rege est impetratum, quàm publicis tabulis fuerit illatum de iudicio senatus Regij, ad postulationem procuratoris ipsius, qui intercedere ex fide quam iurauit suo Principi, tenetur, si quid insit quod aut iniquum sit, Regique & reip. detrimentum iudicet esse allaturum. Quæ res tamen non est alicuius supra Regem authoritatis argumentum, sed fidelitatis.

CAP. XIII.

Maior est Regum authoritas in subiectum populum, quàm fuit olim Romanorum Cæsarum, in populum Romanum.

VEhemẽtiùs adhûc alia ratiocinatione insistitur. Principatus (inquiunt) lege Regia Imperatoribus Romanis datus, de iuris authoritate pendebat, non gentium, neque diuinæ legis, sed hominum: at illam esse maiorem ipso Principatu oportet, vtpote quæ Principatum haberet in sua potestate; aliâs de Principatu constituere nihil potuisset: Subsunt igitur illius potestatis legibus, & arbitrio, quibus eorum Principatus nititur. Etenim Principatus est quidam magistratus, à populo, vel à Proceribus institutus, quorum consensu & authoritate rempublicam gerit: vt quidquid agit, censeatur agere populi, Procerumque consensu & authoritate, non suâ, sicut nec cæteri magistratus: vnde consequitur, Principem leges condere maiore quadam potestate, quàm ipse est Principatus, & Principem qui se legibus subijcit, non seipsum sibi, sed potestati illi se submittere, quâ Princeps est constitutus.

Hic nodus quibusdam videtur esse Gordius, quem tamen non secare, sed soluere (Deo dante) mihi propositum est. Atque ita respondeo; nihil me in hoc argumento reprehendere, si de populi Romani Principe intelligatur, in quem senatus populusque Romanus nunquam tantam potestatem transtulit, quin sibi retinuerit maiorem, quamdiû liber fuit. Transferendo imperium illud à se non abdicauit: quod translationis genus communicatio quædam est imperij potiùs dicenda, quàm translatio. Nam lege regia non regnum conferri censebatur, sed quædam tantùm potestas, quæ Regum propria summique imperij erat, quod penes populum remanebat. Lex regia non semper eadem dabatur omnibus Imperatoribus: & quæ datæ fuerunt, certis imperium includebant terminis, quod populus merum & absolutum habebat, nullis terminatum legum finibus, nisi

solius

ſolius Dei, & iuris omnium gentium.

Diſcrimen magnum eſſe inter regnum, & Romanum Principatum, inde cognoſci poteſt, quòd Suetonius narret de Caligula. *Cùm (*inquit*) audiret fortè Reges qui officij causâ in vrbem aduenerant, certantes apud ſe de nobilitate generis, exclamauit,* οἷς κοίρανος ἔσω, οἷς βασιλεὺς. *Nec multum abfuit, quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemq́, Principatus in regni formam conuerteret. Verùm admonitus & Principum & Regum ſe exceſſiſſe faſtigium, diuinam ex eo maieſtatem aſſerere ſibi cœpit.* Hac adulatione Caligula deductus eſt à ſua ſententia.

Imperatorem autem Romanum, quidquid agebat, populi Romani nomine & authoritate feciſſe, non ſuâ, inde fit manifeſtum, quòd propagatis Imperij finibus, non ſuum, ſed populi Romani propagâſſe Imperium dicebatur.

Modum Imperij nullum pleroſque Imperatores tenuiſſe, tyrannis fuit: in quam Senatus populuſque Romanus iure ſuo animaduertere potuit. Quòd rarò aut nunquam id eſt factum, aut potentia Cæſarum impedimento fuit, aut maioris calamitatis metus. Nero à Senatu condemnatus & hoſtis iudicatus, quæſitus fuit vt more maiorum puniretur: hoc eſt, vt nudi hominis ceruice inſerta furcæ, vergis ad necem cæderetur. Domitiani acta Senatus authoritate reſciſſa leguntur. Sub Regibus autem nullus eſt Senatus, in Regem qui hoc audeat, aut iure poſſit, niſi fortè apud Lacedæmonios, quorum gubernatio non Regia, ſed Ariſtocratica erat. In alijs regnis nuſquàm Reges in ius vocatos, aut cauſam dicere coactos legimus. Bello autem victos Reges conceſſiſſe in victoris populi ſui leges, & conditiones, vis fuit, non ius: quippe quòd bonos pariter ac malos Reges in eam calamitatem incidiſſe certum ſit.

Dico igitur, non eſſe parem Imperatoris Romani authoritatem in Senatum, populumque Romanum, quæ eſt Regum in regni ſui Nobiles, pariter & populum. Vſurpatio quorundam Imperatorum ſupra ipſis datum ius, à tyrannide non poteſt excuſari. Fateor tamen à maiore quadam iuris poteſtate, Regiam ipſam authoritatem dependere; ſed ea, meo iudicio, non eſt populi; ſed vel Dei, vel naturæ, vel iuris gentium. Dei, vt in Moſis & Dauidis imperio; naturæ, vt in primorum Patrum, & ab ipſis, natorum gubernatione; gentium verò, vt in victorum dominatione in deuictas nationes. Non tamen inde fit conſequens, poſitiuis legibus, quas ex illa authoritate Reges condunt, ipſos eſſe ſubiectos, ſed populum; quem non tantùm propter iram, ſed propter conſcientiam parere poteſtati, per Apoſtolum ſuum Dominus præcipit: vtpotè quòd poteſtas illa ſit ab ipſo Deo. In populum autem ſummi imperij poteſtatem recidere, valdè rarum eſt. Quod vbi fit, eodem iure cum populo Romano vti poteſt.

Sed mihi hoc valdè mirum eſt, eos, qui Regiam poteſtatem aut eleuare, aut è medio tollere adnituntur, Romanorum Imperatorum iura in populum Romanum (qui liber erat) potiùs intueri, quàm in debellatas gentes, quibus tanquàm Reges dominabantur. Alio enim iure populo Romano, alio deuictis nationibus imperabant. Francorum, Vandalorum, Longobardorum, & Gothorum Reges, in iura Romanorum Imperatorum ſucceſſêre.

Scio ab illis temporibus, cum ſubiectis populis, ab ipſis Regibus, quibus Romani aut dedêre, aut ceſſêre prouincias, conuentiones multas factas, & tranſactas eſſe: ſed ex alijs cauſis quàm ſomniant Regiæ poteſtatis inimici, qui omnes populos fingunt liberos, certis legibus admiſiſſe, aut vocâſſe Reges; cùm plerique omnes bello victi, à victoribus recipere leges coacti fuerint.

Regna, quæ hodiè in vniuerſo ſunt orbe, à bello inceperunt; iuſto an iniuſto, rebus in tranquillum ſtatum adductis, & imperio ſemel conſtituto, non eſt inquirendum. Turbatis rebus bello, pax quæritur, & turbarum ac motuum finis: qui nullus vnquàm futurus eſt, quamdiù de iure diſceptabitur. Hiſpaniæ Rex in America hodiè dominatur: ſi quæratur quo iure, iuſta belli cauſa naſcetur. Si quondàm de Romanis quæſitum eſſet, quo iure imperarent Aſiæ, Africæ, & penè toti Europæ, nunquàm defectionis, & nouarum rerum cauſæ defuiſſent.

CAP.

CAP. XIIII.

Absurdum est adserere, leges latas esse coërcendis Regibus. Leges & priuilegia, quibus accisa est Regum potentia, profecta sunt ab ipsis Regibus.

IDem Buchananus hoc modo argumentatur: *Quandoquidem Rex homo est, qui multa per ignorantiam & errorem, multa sponte, multa propè inuitus peccare solet, quippe animal ad omnem fauoris & odij auram facilè mutabile, quod vitium magistratus augere etiam solet; omnes enim licentiâ deteriores sumus; leges, quæ eum in officio contineant, & ignorantem quid facto opus sit doceant, & aberrantem in viam reducant, salubriter sunt inuentæ: quæ certè inutiles essent, nisi contra Regem legibus agere fas esset.* Huic argumento superiùs ex parte responsum est. Restant tantùm bonæ istæ rationes, Reges esse homines qui multa peccare possunt, &c. quas agnosco; sed coërcendis Regibus vllas fuisse latas leges, non satis intelligo. Cuperem enim id demonstrari, certis & veris, aut saltem verisimilibus rationibus. Coërcendis populis, leges à Regibus esse latas, legisse & audisse memini; à populo verò Regibus coërcendis, nunquàm.

Quandò populus Romanus Principem vnum necessarium regendo imperio iudicauit, lege regia legibus eum soluit; quòd hæc duo simul non stent; quempiam Principatum tenere in rep. & legibus simul adstrictum esse. Regis ignorantia & error doceri, & sicubi aberret, in viam reduci potest, etiamsi nullis sit alligatus legibus. Imperatores suos, esse homines, Romani non ignorabant, & multa per ignorantiam & errorem, multa sponte, multa inuitos peccare, & animal esse ad omnem fauoris & odij auram facilè mutabile, & licentiâ in pessimos mores degenerare, vsu & experientia didicerant: tamen Vespasianum, & alios præterea, qui secuti sunt, Imperatores lege regia legibus esse solutos voluerunt. Quòd hodiè legibus Ordines imperij adstringunt Romanum Imperatorem, & alij alios quosdam Reges, vtile necne sit imperio, & regnis, vehementer dubito. Vereor ne potiùs id vtile sit priuatim paucis, quàm in vniuersum omnibus, qui viuunt sub Romano imperio, & regnis, vbi Regia potestas multis modis accisa est.

Errant qui putant illas leges potiùs esse populi & Procerum, quàm ipsorum Imperatorum, & Regum priuilegia, qui suæ potentiæ prodigi, eam abligurierunt. Quod & ipse Buchananus non diffitetur, quandò ait, *Reges populo non esse incredibile multa concessisse, vt stabilem regni sedem in sua familia collocarent.* Quæ coniectura eum fefellit, quùm nullibi minùs regnum sit familiæ proprium & hæreditarium, quàm vbi populus procerésue plurimum possint, & Regia potentia diminuta est.

Sed vt veritas magis fiat manifesta, prima incrementa Romani imperij velim lectorem recordari; quomodò prouinciæ, & regna, aut bello subacta, aut testamento Romanis relicta, libertatem acceperint, aut seruitutem pertulerint, maiorem aut minorem, non ex præscriptis legibus deuicti aut accepti populi, sed vt Romanis visum est suis rebus esse vtile; deinde, quæ & quot mutationes, posteà sub eodem imperio interuenerint; & inuenient seruitutem, libertatem, & omnia denique bona vel mala, ab Imperatoribus esse profecta iratis aut propitijs, prout ipsis data, vel accepta fuit occasio; & minimum hîc potuisse authoritatem populi.

Gentis Anglicæ quæ fuerint initia non ignorant ij, qui vel mediocriter tantùm in historiarum lectione sunt versati. Quod posteà clementia Regum, qui secuti sunt ea tempora, populis indulsit, aut Nobilitati dedit, iuri populi non potest adscribi.

CAP. XV.

Quòd Episcopus Romanus olim vixit subiectus canonibus Ecclesiæ; & quòd imperatoriæ leges cedunt sacris canonibus, non arguit Reges subiectos esse legibus ciuilibus.

ITem ratiocinantur similiter ab authoritate Romani Pontificis hoc modo; Romani Pontifices longè Regum omnium conditione sunt superiores, qui tamen legibus Ecclesiasticis haud eximuntur: igitur nec Reges ciuilibus. Gregorius Papa ad Mantuanum, & Thomam scribit, Iustitiæ & rationis ordi-

nem

nem suadere, vt qui à successoribus sua mandata seruari desiderant, prædecessoris sui proculdubiò, voluntatem & statuta custodiant: & Zozimus, Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem sedis (inquit) potest authoritas. Apud nos inconuulsis radicibus viuat Antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reuerentiam, &c. In hanc sententiam ex vetustioribus canonibus plura citari possunt, quibus manifestum fit, Romanum Episcopum non secùs ac alij Episcopi, subiectum esse regulis ac decretis Ecclesiasticis.

Responsio est facilis, confundi Romani Episcopatus tempora. Olim quando Episcopatus Romanus nondum degenerârat in tyrannidem, verum est, Episcopum Romanum fuisse subiectum Ecclesiasticis regulis, sicut cæteri omnes Ecclesiarum alij Episcopi; sed manifestum est longè aliam esse administrationem Ecclesiæ, quàm est regni, & Episcoporum authoritatem non esse Regiam dominationem. Nunc verò Episcopus Romanus eò peruenit superbiæ, vt non tantùm suam potestatem supra Ecclesiasticos extulerit canones, sed etiam vt omnes illas leges tam diuinas, quàm humanas, suo subiecerit arbitrio. Quum igitur Episcopi Romani Ecclesiasticis constitutionibus (nisi quatenùs rerum suarum ipsis interesse videtur) non pareant: malè contra Reges inde colligitur argumentum.

Prætereà argumentantur hoc modo: Imperatoriæ leges sacris Episcoporum canoninibus reuerentiam deferunt; ea tamen submissione minui suam maiestatem Imperatores non iudicant: deindè, constat etiam Reges & Imperatores Ecclesiasticis legibus & censuris esse subiectos: quid ni ergo & ciuilibus?

Respondeo, Legum Ecclesiasticarum alias esse desumptas ex sacris literis, quæ potiùs inter diuinas leges sunt censendæ, quàm humanas; de quibus iam sæpiùs diximus, illis etiam Reges teneri: alias esse de rebus medijs, in bonum finem & Ecclesiæ ædificationem latas; ad quas pij Principes eatenùs obligantur, quòd ex iure diuino tenentur ea promouere, quæ conducunt regno Dei, & animarum saluti: sicut inter leges ciuiles, cuique genti proprias, innumeræ sunt, quæ naturali nituntur æquitate; secundùm quas & Rex, ac populus vitam debet instituere, vt iam pluries est responsum. Et controuersia nostra est de iure populi in Regem, si contingat eum grauiter in illas leges peccare.

Verùm enimuerò tantum abest, vt Reges & summi Magistratus teneantur Episcoporum decretis, vt ne plebeios quidem affirmare audeam illis obseruandis obligari, nisi quatenus è diuina lege ducuntur. Non enim Apostoli, cæteriq́ue Ecclesiarum Christi Pastores, Pharisaico more quibusuis onerare possunt fideles constitutiunculis: ipsi sunt veriùs diuinæ legis Euangelijq́ue interpretes, quàm legislatores.

Gubernatio quidẽ regimenq́; Ecclesiæ cum cœlesti potestate ipsis commissum est, sed diuersũ à terrena dominatione. Hinc protestatio illa Pauli ad Corinthios, *Non quòd dominemur fidei vestræ:* & Diui Petri admonitio ad Ecclesiæ Presbyteros, *vt pascant Dei gregem, eiusq́; curam habeant*, eâ tamen modestiâ & moderatione, *ne videantur dominari in clerum*: quibus præceptis, & id genus plurimis, impotentissimus Romani Episcopi dominatus manifestè damnatur. Quocirca Canones Ecclesiastici & Sanctorum Patrum decreta, nullam vim legis in Christiana rep. obtinent, nisi quatenus ab Imperatoribus comprobantur. Iustinianus in Nouello. consti. 131. quatuor Conciliorum decreta, & Canones, Imperatoriâ authoritate sanciuit pro lege haberi.

D. Paulus, cæteriq́ue Apostoli nihil ex Imperio tradidêre Ecclesijs, quod à Domino non acceperant, sicut in ipsorum legatione Dominus iusserat, ea gentes doceri quæ mandauerat. Quandocunque Paulus ex suo sensu quidpiam docet, quod à Domino traditum non fuerat, hac admonitione vtitur, *Dico ego, non Dominus.* Quòd Apostoli, homines cùm essent priuati, tamen Ierosolymis decretum ediderunt de non edendo sanguine, & suffocato; argumentum non est idoneum probandæ Episcopali potentiæ, vt fidelibus quodcunque videbitur, imponere possent onus. Habuerunt Apostoli Spiritum sanctum directorem, sicut ab ipsis fuit adnotatum, quandò scripserunt, *visum fuisse Spiritui sancto.* Qui tametsi Apostolis peculiaris fuerit, nunquàm tamen vllis pijs Episcopis defuit, qui in ministerio suo humanis perturbationibus non dedêre locum; sed præter Dei gloriam & Ecclesiæ Domini nostri salutem nihil quæsierunt. Ipsi nulla potestatis Apostolicæ opinione inflati, humeris hominum grauia nulla onera alligârunt, quæ ipsi ne digito quidem tangere dignarentur; sed ea duntaxat tradiderunt, quæ Christianæ pacis & concordiæ stabiliendæ,

stabiliendæ, aut publicæ honestatis ordinisque causâ, sunt necessaria: cuius generis illud decretum Apostolicum tunc temporis fuit.

Quidquid honestum est, & cum ædificatione Ecclesiæ coniunctum, in diuinis præceptis est numerandum; quæ sola, cum authoritate docere oportet Ecclesiarum Pastores: quibus quidem qui se præbet obsequentem, Deo paret, non homini, quo tantùm vtitur nuncio. Sed quidquid est huius generis constitutionum, inter priuata tantùm sunt habenda, quamdiù solos Episcopos habent authores. Quæ tum demùm publicæ legis vigorem obtinent, quando Regia authoritate probantur. Et hæc est illa reuerentia, quâ Imperatoriæ & Regiæ leges dignantur sacros Episcoporum Canones, quandò vim legis obtinere suis edictis eos iubent, tolluntque leges contrarias.

Quod censuras Ecclesiæ attinet, suo loco diximus, quatenùs sint illis subiecti Reges, & alij, penes quos summum reipublicæ Christianæ Deus constituit Imperium. Interim id notandum, censuras Ecclesiæ, nihil habere commune cum pœnis ciuilibus. Itaque huic disputationi finem faciam, in qua (ni fallor) aduersariorum præcipua mihi videor confutâsse argumenta: nullum prudens prætermisi, quod alicuius esse momenti iudicârim, & quod dissolui ex ijs quæ dicta sunt, facilè nequeat.

CAP. XVI.

Mala populi definitio reiicitur, & bona confirmatur: & quæ sit liberi populi potestas in rep. quæ autem in regno, sub Regum imperio, declaratur.

POpuli potestatem in suos Reges qui tuentur, propriæ conscientiæ testimonio redarguti, populi vocabulum ad paucos viros graues è tota rep. selectos, qui populum representent, restringunt: & hos esse aiunt, qui Pares vocantur in Gallia, alibi Palatini, ac regni Duces, & Barones, Proceres, & qui sunt regni officiarij, inferioresque omnes magistratus: qui tamen non magis referunt populum, quàm equus asinum. Non enim ignorant, populum esse belluam multorum capitũ, à qua nihil boni sit expectandum. Sed non vident se dum hoc faciunt, non tam regnum in Democratiam, quàm simul Democratiam & Monarchiam in Aristocratiam transformare. Qui è populo tantùm probos & rerum peritos (qui pauci sunt respectu multitudinis) admittunt, popularem statum cogitatione sibi fingunt, qui nullus vnquàm fuit, & verbis populo summum imperium tribuunt, re ipsa Optimatibus.

Exemplar status popularis, ex Romana historia, & Græcorum rebus, aut etiam Heluetiorum, qui à nobis non sunt admodùm remotè dissiti, si quis petat, non inueniet censeri in populo solos patricios, & ἐυπατρίδας, aliosque viros primarios, graues, & vsu rerum peritos; verùm promiscuam multitudinem, in tribus & classes distributam, quæ non rarò multitudine suffragiorum meliorem ciuitatis partem superat. Manifestum fuit discrimen apud Romanos inter Senatum, & populum. Senatus vocabulo intelligebantur Patricij, populi verò, plebs. Excogitare res quæ non sunt, vt dixi, ad contemplationem pertinet Philosophorum otio abutentium: qui populi mores probè formare desiderant, de rebus vt sunt, ipsis differendum est.

Nihil opus est nouam populi definitionem comminisci: extat vetus populi definitio olim à Cicerone tradita, probata theologis & iurisconsultis; *nempe quòd sit cœtus multitudinis, iuris consensu, & vtilitatis communione sociatus.* Populi quidem nomine interdum, aliter atque plebis, Romæ omnes ordines continebantur, plebis verò tantùm multitudo: cuius quanta fuerit, tum Romæ, tum Athenis potestas, nihil opus est commemorem.

Sed quidquid popularis tyrannidis defensores versutè disputent, populi nomine intelligant oportet plebem discretam ab ordine Nobilium. Quod si negent, per se eorum argumenta concidunt. Nemo vnquàm Optimates sine plebe, populi vocabulo significauit. Vtrosque intelligant necesse est, aut solam plebem: aliàs ambiguitate vocis, seipsos ac suos lectores facile erit fallere. Romana plebs Optimates suos sæpè coëgit in ordinem: idem fecit Athenienſis. In promiscua multitudine, plures mali, & seditiosi semper fuêre, quàm boni: tamẽ eius erat velle, & iubere, quidquid ipsis de rep. videbatur.

Et quod tyrannicum in Regibus creditur, rogatus populus de re grauissima, sic se velle,

& iubere reſpondebat. Tribuni plebis, imò ipſi Conſules quandò populum alloquebantur, rogationem claudebant his duobus verbis, *Velitis, iubeatis*: & quando ad populum Conſules deſcendebant, inſignia ſummi magiſtratus demittebant. Hinc nos diſcere conuenit, quid populi nomine ſit intelligendum, & quæ ſit liberi populi poteſtas.

Populum vniuerſum magnæ alicuius prouinciæ, non poſſe in vnum locum conuenire, certum eſt. Athenę, & Roma, vrbes erant, in quibus id facilè fieri potuit. Sunt qui delegari quoſdam, qui populum referant, & mandata ſui populi in comitijs proponant, ſatis eſſe putant: Qua in re tamen occurrit difficultas, quòd iſti qui mittentur, tantùm legati & procuratores futuri ſunt; quibus liber populus modum, fineſq; legationis præſcribendi habet poteſtatem. Nam in ſuos legatos, vt omnem ſuam transferat poteſtatem agendi, & tranſigendi, ac ſi præſens adeſſet, ita vt quidquid fuerit tranſactum de conſenſu maioris partis ſtet firmum; quidquid illud erit, ſi legati non ea fide videbuntur populo verſati quæ ab illis expectabatur, cogi non poteſt; & miſſitando, conſultandoq; extrahetur tempus: & factum infectũ erit, ſi non probetur populo quod legati decreuerunt, quùm ſecundùm iſtos populus ſuo iure abdicare ſe nõ poſſit. Vnde euẽturũ eſt, vt inutiles illi cõuentus ſint futuri.

Quapropter qui ciuitates liberas excogitârunt, numerum quoque ciuium ſibi definiendum eſſe iudicârunt. Anglia, maior eſt quàm vt vnam ciuitatem liberam vniuerſus populus conſtituere poſſit. Smilis eſt natura, conditioque Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, aliarumque magnarum prouinciarum. Plura de hac re ſuo loco.

In regno, vel Optimatum imperio, ampliſſimarum regionum conuocantur Ordines, & conueniunt, qui populum repræſentant; ſed vt adſint, non vt præſint; vt conſilio ſuo adiuuent, non vt imperent. Si quid autem fieri, aut mutari neceſſarium, atque vtile viſum ipſis fuerit, Regem ſupplices adeunt, vt rem ipſius Maieſtati exponant, non vt iubeant. Qui plus populo tribuit vt cum authoritate dicere poſſit, *Ita volumus, Ita iubemus*, Dominum eum conſtituit; Regibus & Optimatibus locum nullum relinquit.

CAP. XVII.

Deum cuique populo ſui regendi poteſtatem feciſſe, & inde natam eſſe imperiorum diuerſitatem, eſt falſum.

SVnt qui regna, Regeſque regi hodiè æquum eſſe cenſent, vt quod placuerit Ordinibus populóue Rex ratum habere teneatur: quæ ſecùs gubernantur, non regna, ſed tyrannides eſſe putant. Eorum ratio hæc eſt; *Naturale ius, & naturæ, iuriſque illius conditor Deus, cuique populo plenam tribuit, liberámque ſui gubernandi facultatem, quam ſine certis, iiſq; horrendis vel in Deum & naturam peccatis, vel in vicinos Principes, & populos iniuriis, nemo eripere poteſt, &c.* Item, *Adeò vt ſemper, ſiue primas imperiorum origines inquirimus, ſiue diuerſos regendi modos, non violentos & tyrannicos, ſed legitimos & regales attendimus, vtrobique ad reip. populíque authoritatem, tanquàm verum horum vtriuſque fontem, recurrendum ſit.* Et alio loco: *Quid enim cauſæ eſt, cur Heluetii populari politeiâ regantur; Veneti Ducem habeant, ſed multis legibus deuinctum; Brabanti & Saxones Duces quoque, ſed multo liberiores; Galli, Angli, Hiſpani, Reges, ſed longè diuerſis conditionibus imperantes; Dani & Poloni Reges item, ſed ad certas regendi regulas, quàm priores illi magis alligatos? Vnde hæc diuerſitas, niſi à liberis ſingulorum populorum ſtudiis, qui talem reip. formam prætulerunt?* Alij in pauca rem contrahunt, & aiunt, *Eam eſſe reip. formam, quam populus maximè probauit. Reges & alios reip. Principes non plus habere iuris & poteſtatis, quàm placuit populo in ipſos conferre, & idem in ipſos habere multitudinem ius, quam ipſi in ſingulos habent è multitudine.* Hæc illi, qui varietatẽ imperiorum non tam ignorantiâ rerum, quàm craſſo errore à populi manâſſe voluntate arbitrantur. Qui ſi tantùm primas imperiorum origines attentiùs videre vellent quænam fuerint, inuenirent conſenſu omnium Scriptorum, ante leges, regna fuiſſe ſine vllis conditionibus tradita: Regumque arbitria pro legibus fuiſſe: & doctos Scriptores leges & magiſtratus opponere Regibus.

Tacitus, *Poſtquàm* (inquit) *Regum pertæſum eſt, leges maluerunt.* Cicero, *Omnes antiquæ gentes Regibus quondàm paruerunt.* Halicarnaſſæus, *Omnes Græciæ ciuitates initio ſub Regibus erant, & regni tædio, magna pars ſtatũ publicum mutauit, in leges ac magiſtratus omni poteſtate,*

ac

ac dominandi ratione transcripta. Vnde intelligitur popularem statum à populo manâsse; regna autem à populo habuisse initia, non dicunt.

Ego suprà demonstraui simul cum hominibus nata esse imperia, eaque fuisse paterna, cum summo tamen Imperio in natos & omnes nepotes. Vellem à Rossæo, vel à Iunio Bruto, aut eorum aliquo, qui huius sunt opinionis, demonstrari naturale ius, liberam sui gubernandi facultatem dedisse populis, & quandò & vbi Deus illius iuris naturæ conditor, potestatem illam populis fecerit; & non assumere quod est falsum, tanquàm extra omnem controuersiam positum.

Quod aiunt, *Eam potestatem à nemine posse eripi, sine certis ijsq; horrendis vel in Deum & naturam peccatis, vel in vicinos Principes, & populos iniuriis*, horendum est dictu. Nam si Rossæus sibi constare velit, hæc ipsius positio, iusta bella, & omnem seruitutem tollet, quod Dei verbum nusquàm facit. Nam & bella mandauit, & rebellem populum seruitute domari præcepit. Certum est populos suis in Deum & homines peccatis, sæpè mereri priuari libertate, & dura seruitute premi.

Sed ipsemet euertit quod posuit, quandò ait, *Si quis sola ambitione, vel imperii dilatandi cupidine ductus, nulla populi electione, nulla maiorum successione, nullo Dei mandato, nulla lege, legitimaq; causa, huic populo imperare vellet, eumq; sibi seruire cogat; longè ei grauiorem iniuriam facit, quàm si latro domum cuiuspiam effringeret, & bona opesq; domesticas extorqueret, &c.* Quibus verbis quinque modis, populum libertatem amittere posse fatetur: quorum vt vnus tantùm nefarius & tyrannicus notatur, ita qui à populi pendet authoritate, legitimus cõmemoratur: nempè quandò Regem, aut dominum cui pareat & subijciatur, populus eligit. Sed successio Regum in gente vel familia, in qua vel olim populi electio, vel Dei mandatum, vel iustum bellum regnum stabiliuit, non amplius in potestate populi est: multo minùs illud quod dono Dei, vel iusto bello in populum comparatum est regnum. Vnde apparet & illud quod subditur, similiter esse falsum, *Siue primas imperiorum origines inquirimus, siue diuersos regendi modos non violentos, & tyrannicos, sed legitimos & regales attendimus, vtrobique ad reipublicæ, populiq; authoritatem, tanquàm verum horum vtriusque fontem recurrendum esse.* Nemo enim sanus in regnis Dei mandato traditis, vel iusto bello partis, ad reip. populique authoritatem esse recurrendum dicet.

Statuamus tamen olim omnes populos fuisse liberos; quæ gens eam vsque in hunc diem retinere potuit? Mobilis & varius rerum humanarum indè ab initio semper fuit status, neque vllus hodiè est populus, qui libertatem multories non amiserit, & rursum acquisiuerit. Iure pariter & iniuria, Deo, qui iustus est rerum humanarum moderator & iudex, irato aut propitio, amitti, & acquiri constat. Quæ regio ab orbe reparato, non sæpè fuit subacta bello, cuius statum & leges inuito populo, victores iusto bello non mutauerint?

Vt ab Heluetijs incipiam, notum est ex Romana historia, ciuitatem illos olim vnam constituisse liberam, diuisam in tres pagos. Seruire tamen Romano Imperio coacti fuerunt, & post Romanos, varios habuêre & crudeles dominos, donec anno Domini 1300. fauente Deo, sese in libertatem asseruerunt. Victrix eorum causa Deo placuit: qui si victi fuissent, & priscorum dominorum nunc seruirent nepotibus, sicut circa illa tempora contigit Flandros vinci à suis Comitibus; nemo diceret, imò nec ipsi quidem, nisi noua motuum data esset occasio, iniustam eos pati seruitutem, aut indignam subire subiectionem: sicut nec Duces & Comites victores imperare victis ex præscripto legum & conditionum, quas dedissent victi populi. Non dubium est, inuitos subijsse tum Romanorum, tum aliorum iugum: quos omnes damnare tyrannidis, nec potuisse illos dominari Heluetico populo, sine horrendis in Deum & naturam peccatis, adfirmare valdè temerarium arbitror.

Si in cæteros Europæ populos regnaq; oculos cõijciamus, paucis ciuitatibus exceptis, vbiq; inueniemus seruire populum, & habere Principes, non eis quas ipsi dedêre legibus, sed quas aut domini indulserunt, aut vi & seditione extorserunt. Rarò euenit vt liber populus Regẽ, aut Ducem sibi eligat, legibus regnandi propositis quas maximè probat. Fieri tamen interdum notum est, nec improbo, quoties vtriusq; cõmodo fieri potest. Sed id semper & vbiq; fieri, plus mali quàm boni adferret. Senatus populusq; Romanus vsu didicerat, nec difficultates reip. expediri, nec imperium totius orbis administrari, à Principe

multarum legum vinculis astricto commodè posse: soluendum igitur suum Principem iudicârunt, vt meliùs remp. administraret. Qua in re libertatis amantissimum populum insaniuisse non puto.

Quòd hodiè populus in quibusdam regionibus, alius alio liberior videri vult, iactatque sua priuilegia, non est ab illa naturali plena liberaque sui gubernandi potestate profectum, sed ab aliquo quatuor, aut si mauis, quinq; modorum quos nunc recensui. Quàm autē vtile sit in commune regnis, à suis Principibus tam Nobiles, quàm populos priuilegia & immunitates obtinuisse, quibus quorundam ita accisa potestas est, & adeò imminuta maiestas, vt præter insignia, & Regis nomen, nihil, aut certè perexiguum regiæ potentiæ retinuerint, summa imperij aut ad nobiles, aut ad populum, aut ad Ordines translata; viderint illi, quorum interest.

Quid Veneti, quorum respublica plerisque adeò placet? Num populi conditio sub illis Optimatibus melior est, quàm in regno sub Regibus, aut alijs Principibus? Insulas magnas in mari possident, & regiones in Continente, & quondàm eorum latiùs patuit imperium. Quid? Núm nam imperant ex arbitrio populi, illis legibus quas ab eo acceperunt? Certè si roges, negabunt. An quod Regibus euenit, tyrannidem nullam exercere posse credendi sunt? Si Regibus populus maior est, quid ni & Optimatibus? In solos Reges stilus acuitur, tanquàm à solis Regibus, vim & iniuriam patiatur populus, non item à nobilibus.

Hoc tamen quidquid sit, vnum hoc aio; plerumque populos, quorum maior est libertas, à Principibus eam obtinuisse; non ipsos imperâsse. Quocirca Gallos, Anglos, Hispanos Reges diuersis imperare suis populis conditionibus, nego à liberis singulorum populorum studijs esse profectum. Obtinuerint id oportet aliquo quatuor modorum, quos suprà recensui. Temerarius sim, nisi instrumentis publicis, quæ singuli populi & ciuitates in suis archiuis asseruant, hæc ita se habere doceri possint.

CAP. XVIII.

Deus populo Israëlitico, sui regendi nunquàm liberam potestatem fecit.

POpulo sui gubernandi facultatem esse liberam, à Deo naturæ lege datam adsumitur; non probatur. Vnum nos habemus in sacris historijs populum, Deo præter cæteros omnes charum, qui tamen simulac incepit, seruiuit. Posteà verò seruitute Ægyptiaca libero, sui gubernandi potestatem ei Deus nunquam fecit. Quandò enim ipsius clementiæ placuit Ægyptiaca seruitute populum illum liberare, non iussit vt ipsi sibi ducem eligerent, sed Mosen misit cum Regiâ potestate, vt populum regeret. Cui in regimine, Dei iussu, non populi suffragijs, Iosua successit; & quotquot postea sequuti sunt Iudices, eos Deus misit; populus nullos, nisi tyrannos sibi adsciuit. Regnum quidem Gedeoni populus (quod non potuit) obtulit: sed Gedeon, non ignarus diuinæ legis, modestè accipere recusauit, inquiens, *Non dominabor ego vobis, nec dominabitur filius meus vobis, sed Iehoua dominabitur vobis.* Hac vitâ defuncto Gedeone, populus eâ authoritate, qua se falso pollere arbitrabatur, sceleratissimum parricidam Abimelechum, inuito Deo, ad regnum euexit.

Interiectis aliquot seculis, populus regimen Iudicum, ac sacerdotum pertæsus, meliùs tamen edoctus, suæ esse potestatis non credidit, præscriptis quas vellent conditionibus, Regem sibi deligere: à Samuele enim, penes quem tunc summum erat imperium, nullis finibus nisi diuinæ legis terminatum, Regem sibi dari postulârunt. Deus enim in lege sua prohibuerat, ne quem vellent Regem sibi deligerent, sed quem ipse elegisset reciperent. Quàm nihil illi populo in gubernatione potestatis Deus dederit, tota gubernationis ratio, quæ sub Mose & Iudicibus, atque Regibus fuit, manifestat.

Initio Moses omnes lites solus dirimebat: cui oneri, cùm imparem eum esse Iethro videret, author ei fuit, vt è populo principes viros eligeret, quibus minores partes gubernationis mandaret, maiores sibi reseruaret. Itaque Moses suâ ipsius authoritate, inconsulto populo, quod est summi imperij, præfecturas distinxit, & millenis, centenis, quinquagenis, ac denis præfectos constituit. Et quandò Deus senatum ei ex senioribus populi adiunxit, eius arbitrio res permissa est, modò ex senioribus populi, qui multi erant, septuaginta viros deligeret, non quos populus, sed quos ipse probâsset.

Boni

Boni Regis exemplar in Mose extare, Philo Iudæus author est, qui in libro de creatione Principis scribit, & id quoque esse summæ potestatis officium, eligere aliquot administrationis, reddendique iuris socios. Eadem potestate, iussus à Deo, Sacerdotes & Leuitas constituit, quibus, tanquàm summus in rep. Princeps, de omnibus rebus, quæ ad Dei cultum pertinebant, præcepta dedit.

Non defuêre quibus hæc tanta displiceret potestas, eamque insimulârint tyrannidis. Chorah, Dathan, Abiran, & On filius Pelethi filij Ruben, cum ducentis quinquaginta Principibus synagogæ coierunt aduersùs Mosen & Aaronem; quos his verbis allocuti sunt; *Plus satis arrogatis vobis: nam totus hic cœtus, hi omnes sunt sancti, & inter eos est Iehoua. Quare ergò effertis vos super congregationem Iehoua?* Hæc illi, qui affectantes sacerdotium, & Principatum, populi in ea re ius, ac libertatem ambitioni suæ prætexebant. Pertraxerant in suas partes maiorem Procerum, ac multitudinis partem: sed Deus miraculo hanc coniurationem compescuit, & vltus est. Quod nunquàm esset factum, si cuique populo liberam sui gubernandi potestatem fecisset: nisi fortè huic negatum fuisse populo dicamus, quod cæteris omnibus erat concessum.

Quemadmodùm ille populus rebellis ab initio & peruicax fuit, qui sæpè gubernationis formam, ac gubernatores suos mutâsset, nisi Deus eorum furorem fregisset, id ab alijs populis sibi permissis, factum quis dubitet? Mutationis Imperiorum, & formarum gubernationis, non tantùm Reges Regumque tyrannides causam præbuerunt, sed populi leuitas, malitia, & ingratitudo, nouarum rerum studio, præsentem reip. statum non rarò mutauit. Tanta est interdum populi improbitas, vt bonos alióquin Principes, inuitos fieri tyrannos coëgerit? Sæuiunt irati Reges in populum, & vicissim offensus populus in suum Regem: quo iure, quáue iniuria, quærendum non est. Impetu feruntur homines, quò vlciscendi se libido abripit, non quò ratio ducit.

Proindè populi ego nullam authoritatem supra suos Reges agnosco, solo naturæ iure datam, sine Dei dono speciali, à quo ius gladij datur. In populos autem suprema illa potestas naturæ iure non deuoluitur, antequàm stirps Regia, cui regnum successione debetur, penitùs interierit. Bella quæ à Nemrodo cœperunt, libertatem populis non tam dedêre, quàm ademêre. Et quotquot ordinis illius, quem in gubernatione primi Patres tunc diuinitùs constituerant, fuerunt præuaricatores, vt per se seorsum regnum, aut aliam gubernationis formam erigerent, grauiter peccârunt. Naturâ, & Dei prouidentiâ, non hominum voluntate, imperia comparata esse suprà docuimus.

Præterea *legitimum* & *violentum* malè opponuntur inter se, tanquàm quod violentum est, legitimum esse nequeat. Sæpe fit vt verus ac legitimus Rex non placeat seditioso populo: cui si imperare velit, vim eis inferat oportet. Sunt præterea multæ graues & variæ causæ iusti belli inferendi, quas hîc recensere nihil opus est. Dauid qui ab omni tyrannide alienus fuit, vicinos populos bello perdomuit, & eis seruitutis imposuit iugum. Nemo sanus, opinor, dicturus est, illud imperium non fuisse violentum, aut iniquum, quia violentum.

CAP. XIX.

Deprauata ex historiis sacris & alijs scriptoribus testimonia in falsum sensum detorta, vt demonstretur Reges accipere à populo leges, confutantur.

REgibus à populo leges dari, proindè esse populo inferiores, quibus rationibus probare conentur, operæpretium est audire. Verba Iunij Bruti hæc sunt: *In omnibus regnis bene constitutis* (inquit) *Rex à populo leges quas tueatur, quasq; intueatur accipit. Etenim Deus populo legem per Mosen præscripsit tum sacram tum ciuilem, quam perpetuo ante oculos haberet. Et vbi Saul electus est, & à populo constitutus, Samuel eam ipsi descriptam tradidit, quam diligenter custodiret: nec priùs cateri Reges quàm in ipsius verba iurati, recipiuntur. Ritus verò erat hic, vt vnà cum Diademate testimonium, quod legem Dei, doctissimi quiq; interpretantur, Regum capiti imponeretur.* Vide, candide lector, quis sit Iunij Bruti in citandis scripturis candor. Primùm, Saulem à populo constitutum Regem non legitur: deindè nec Samuelem ipsi tum sacram tum ciuilem legem tradidisse. Sed esto: demus ita esse.

Num hinc efficitur, legem à populo Reges accepisse? Mosi, populoque suo Deus legem dedit, Samuel Propheta regni legem Regi scribit & tradit. Quid? Hoccine idem est, ac si scriptum esset, Populus Regi legem dedit?

Sed videamus quæ sequuntur exempla: Cyrus, *Si quis leges patrias rumpere tentet, tanquàm legum custos, legibus auxilium promittit*; ergo igitur Cyrus à populo leges accepit, scilicet. Deindè, *Spartæ Reges Ephoris Regni nomine stipulantibus, se iuxta patrias leges à Licurgo latas regnaturos iurabant*: ergo igitur leges à populo Reges Lacedæmoniorum accipiebant. Præterea, *Ne verò leges contemptui essent, diuinitùs inspiratas, vel potiùs à Deo cœlitùs acceptas iactabant, quò non ab hominibus homines, sed à Deo optimo maximo se iudicari putarent*: ergò igitur leges à populo Regibus dantur. Istis bonis rationibus persuasum hominibus cupiunt, à populo Regibus præscribi leges, contra vsum omnium gentium & regnorum atque adeò omnem communem sensum: hoc enim non esset regere, sed regi. Sed postquàm semel fixum insedit animo, populo subijcere Reges, fieri non potest, quin etiam quod est summæ potestatis, ei tribuant.

Suprà ad summum imperium pertinere diximus tondere leges: quod si denegetur Regibus, & proprium sit populo, consequitur penes Reges non esse summum imperium, sed penes populum. Plato tamen Legumlationem regiæ potestatis munus & partem facit. Philo Iudæus Regis officium esse ait, *Iubere quæ oportet fieri, & vetare à quibus abstinere decet.* Cæterùm iussio faciendorum, & interdictio cauendorum propriè ad legem pertinet: atque indè consequitur, vt *Rex animata lex sit, lex verò sit Rex iustissimus*, & quisquis est Rex, simul est & Legislator.

Regum insolentia (inquit Buchananus) *desiderium legum fecit.* Cui contrà responderi potest; Populi Procerumque insolentia desiderium Regum fecit. Nam longè plures respublicas inueniemus à populi & Magnatum impotenti dominatione confugisse ad vnius imperium, quàm indè transijsse ad statum popularem, aut Procerum potestatem.

Leges tamen (inquiunt) *à populis inuentæ sunt, Regesq; coacti.* Sed ego vnicum tantùm requiro exemplum populi degentis sub Regis imperio, qui legem tulerit ad Regem coërcendum. Noti sunt celebres Legislatores. Antiquissimus omnium fuit diuinus ille vir Moses, qui non tam leges tulit, quàm à Deo optimo maximo mundi rectore latas promulgauit, populoque Israëlitico dedit: post multa secula sequutæ sunt multorum legum lationes.

Ceres fertur non tantùm rudes mortalium animos frumenti docuisse vsum, sed etiam leges. Arcadibus Apollo, Minos Cretensibus, Mercurius Ægyptijs, Seleucus Locrensibus, Draco & Solon Athenienſibus, Pythagoras Italis leges scripsisse feruntur. His addo primos Romani populi Reges Romulum & Numam, à quibus primas accepêre leges.

Quod ex Tullio allegatur, vt demonstretur populi legibus Reges fuisse coërcitos, nihil minùs probat. Tullij verba hæc sunt: *Mihi quidem non apud Medos solùm* (vt ait Herodotus) *sed etiam apud maiores nostros iustitiæ fruendæ causâ, videntur olim bene morati Reges constituti. Nam cùm premeretur initio multitudo ab iis qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem fugiebant virtute præstantem, qui cùm prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat. Eademq; legum constituendarum fuit causa, quæ Regum: ius enim semper est quæsitum æquabile: neque enim aliter esset ius. Id si ab vno bono & iusto viro consequebantur, eo erant contenti: cùm id minùs contingebat, leges sunt inuentæ; quæ cum omnibus semper vna atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia, magna esset opinio multitudinis: adiuncto verò vt iidem prudentes haberentur, nihil erat quod homines, his authoribus, non posse consequi se arbitrarentur.*

Ex his Tullij verbis non video quenquam intelligere posse vllas leges à populo impositas Regibus. *Legum constituendarum* (inquit) *eadem fuit causa quæ Regum.* Quid inde efficitur? populósne dedisse illas leges Regibus? Æquabile ius quæsitum est præsidio Regum contra potentiores: *id si ab vno bono & iusto viro consequebantur, eo erant contenti, nec quærebantur leges:* quippè quibus arbitria Regum pro legibus erant. *Cùm id minùs contingebat*; hoc est, quando ius à Regibus obtineri non poterat, *leges inuentæ sunt.* Quid hoc est? Idne est idem, acsi dixisset: Populus inuenit leges, quibus Reges cogerentur?

Ciceronē loqui de Romano populo palàm est; qui eiectis Regibus, tutius esse legibus subijci

subijci credidit, id est, Magistratibus, quorum imperium legibus est circumscriptum, quàm Regibus, quorum est absolura potestas. Reges & Leges Cicero non coniungit, sed tanquam disparata opponit: vt aliud sit Regum, aliud legum regimen. Igitur, vt verbis ipsius Ciceronis vtar, *quibus Regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper vni parêre voluerunt.* Cicero Reges nusquàm legibus subijcit: Magistratui verò leges præesse vult, quos ministros legum appellat. Malè hæc allegantur ex Cicerone, vt doceatur Reges subesse legibus, aut à populo accepisse leges. A definitione legis argumentantur, leges à populo latas. Iurisconsulti definiunt, *legem esse, quod populus sciuit, ab eo rogatus, cui rogandi ius est.* Miror ab homine docto hoc argumentum potuisse adferri, & speciem pro vniuerso genere accipi: nam illa definitio, tantùm conuenit legibus quas tulit Rom. populus, aut alius quiuis, qui pari fruebatur libertate; nec aptari potest legibus Anglorum, Gallorum, aut Hispanorum. Si enim à iurisconsulto regni Angliæ petas, quid sit lex, insanus erit, si hanc definitionem adferat, id apud Anglos esse legem quod populus sciuit, rogatus ab eo cui rogandi ius est: cùm sub Rege populi non sit ferre leges, sicut nec sub Optimatum imperio. Nam id demum lex est, quod placuit ei penes quem summum est imperium, siue populus, siue Rex sit. Sed audiamus quo argumento huius erroris absurditatem confirment.

CAP. XX.

Quòd imperator, cæteriq; Reges & Principes in sua inauguratione iurant se secundùm Leges regnaturos, interpretandum non est, Reges à populo leges accipere.

IMperator, Rex Galliæ, Reges Angliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Archidux Austriæ, dux Brabantiæ, comites Flandriæ, Hollandiæ, & reliqui, non priùs in Principatum recipiuntur, quàm Electoribus, Palatinis, Patriciis, Paribus, Optimatibus, se secundùm leges patrias, ius cuique reddituros promiserint. Sin fecerint, non minùs crimen maiestatis in leges committant, quam populus in ipsos, si secundùm leges imperantibus parere recusent. In summa, Principes legitimi leges à populo accipiunt, &c. Mi Brute; hoc enim tu tibi nomen adsumpsisti; brutum hoc argumentum est: teipsum paululùm collige, ac tute teipsum consule, & vide num consequens sit, eos omnes quos commemoras Principes, à populo accepisse leges, quas se obseruaturos iurant. Quod Dei legem, fidem Christianam & religionem attinet, quam iurant se seruaturos, eam certum est non à populo sed à Deo accipere: municipale verò ius, quod cuique prouinciæ aut regno est proprium, ab ipsis Regibus & Principibus manâsse, nemo certè negabit nisi brutus homo, brutúmue pecus rerum humanarum ignarum.

Ad testimonia, quæ modò attigimus, addo. Postquàm eò Romani creuerant, vt pluribus legibus esset opus, Decemuiri à libero populo delecti sunt cum summo imperio; qui ex decem tabulis legum Athenienſium, Romanis ius conscriberent. Vnde 12. tabularum leges, 10. tabulis, duabus additis, traductæ sunt: quæ basis & fundamentum totius Romani iuris sunt, & omnium aliarum legum, quas posteà addiderunt. Dictatores & ipsi condere leges poterant, & condiderunt, quæ ab ijs adhûc hodiè nomen retinent. Sola plebiscita populi censentur: quæ quidem à libero Romano populo, & gentium domino, edita esse fateor; sed à potestate Romani populi, quos commemorâsti, populi tantum absunt, quantum serui à dominis.

Ille autem populus, quando imperium tradebatur Imperatoribus, nihil minùs quàm vt in vllas leges iuraret Princeps, volebat: quin decreto sanciebat, eum velle esse liberum solutumque omnibus legum vinculis, quibus tenebantur cæteri magistratus. Edicta Principum, & sapientum responsa, inter leges censeri tam notum est, vt desperatæ sit impudentiæ negare.

Ius Romanum, quod hodiè extat, Iustiniani iussu collectum & digestum, ipsius authoritate prouincijs Romani imperij fuit traditum; quod indè adhûc viget apud Germanos & Italos, & meliorem Europæ partem: & à Regibus & Principibus probatum, robur habet, vbi municipales leges deficiunt.

Et illud quod additur, *Ex quo Parliamentum statarium est, frustrà sunt omnium Regum Franciæ edicta, ni senatus illa comprobet: cùm tamen senatus seu Parliamenti arresta, si lex desit,*

legis vim passim obtineant. Et in Anglico, Hispanico, Hungarico, & ceteris idem ius est, &c. Hoc argumentum nihilo meliùs euincet Regem leges accipere à populo, quàm quæ superiùs notata sunt. Regis edicta senatus comprobat (inquit,) sed cuius obsecro nomine id facit? Populine an Regis? Quis Senatui eam potestatem fecit? Populus? Edicta quidem Regis senatus explorat, num reuerà à Rege manârint, num non sint extorta, aut per insidias, & malas artes dolo impetrata: num non sint iniqua, Regi & regno exitiosa: Sed authoritate ac nomine Regis, non populi, siue improbent siue approbent Parlamenti Consiliarij, cùm res peragatur; idque ipsius Regis postulante procuratore, qui perfidi suo Regi futuri sunt, ni faciant: malè populi Senatúsue hinc supra Regem potestas colligitur.

Quod arresta attinet, ea nomine Regis pronunciantur, ac si Rex ipse loqueretur, à quo nulla est prouocatio. Quid mirum vim legis si habent, vbi lex deficit? Idnè ad populi ius potestatémue vllo modo referri potest, quod sapientissimorum virorum sententia, nomine & authoritate Regis lata, pro lege habetur; Qui non videt hic nullas esse populi partes, verè brutus est.

Miror plurimùm, doctis hominibus historiarum non ignaris, in mentem non venire, quæ fuerint regnorum quæ hic allegantur prima initia, & progressus in hunc vsque diem: & nihil minùs quàm à populi diuersis studijs habuisse originem regiminis diuersitatem. Franci occupârunt propemodum totam Galliam: Gothi Italiam & Hispaniam: Longobardi succesêre in Italia Gothis: iusta an fuerint hæc bella contra Romanos, & eorum prouincias mitto: sed hoc certum est, sine populi legibus regnâsse. Vis & rapina grassabatur, duella, non iudicia lites dirimebant; licentiam frænare militarem, barbarum in ordinem cogere militem, haud Regibus fuit facile: tempore & otio ad eam rem opus habuêre. Quidquid hodiè in Anglia, in Gallia, & in Hispania legitimi imperij cernitur, totum Regibus acceptum ferri debet.

Conuentus Ordinum in illa imperij Romani vastatione nulli haberi poterant: vis dominabatur, & quod placebat militi, lex erat. Ius arma dabant. Tandem ferocia cum barbarie deposita, legibus regna tam à Gothis quàm à Francis fuêre composita: & tempore ad eum adducta statum, quem videmus: non voluntate aut suffragijs populi, aliquáue potestate supra Regem, sed Regum benignitate, atque clementiâ erga populum. Et huius rei certissimam faciunt fidem tum Francorum historiæ, tum Gothicorum Regum Epistolæ. Carolus Martellus Francis primus author fuit habendi comitia, quæ Parlamenta dixêre: in quibus conueniebant Principes regni cum reuerendis Ecclesiarum præsulibus & populi primoribus. De Britannia quid dicam? Quibus obsecro populi conditionibus, imperâsse Romanos censemus? Item Saxones & Danos, & postremò Normanos? Gulielmus ille Normaniæ dux bello regnum adeptus, leges mutauit, & nouas populo dedit: & iure belli sua esse omnia proclamari iussit. Quòd posteà remisit agrorum & prædiorum possessiones, directo sibi dominio reseruato, clementiæ victoris est habenda gratia.

CAP. XXI.

Reges olim, nullis propositis legibus, absolutè regnârunt.

AFfirmatur, *Nullam gentem (quamdiù ius & æquitas viguerunt) Reges suos creâsse, aut approbâsse, nisi certis appositis conditionibus, quas si illi manifestè violârint, efficitur, vt qui hanc in illos authoritatem conferre potuerunt, non minus potestatis, in ea illis rursus adimenda, retinuerint.* Hæc adsertio verum sensum admittit; nec ei aduersarer, nisi adsumptio falsa esset, quæ populo vel Ordinibus sub Rege constitutis hanc potestatem adserit: qui vt regnum semel contulêrunt, illud adimendi non retinent potestatem.

Dico igitur quod certum est, tum demùm incepisse populum addere conditiones, quandò iuris & æquitatis ratio nulla haberi cœpta est. Cùm ad homines iustissimos & sapientissimos regna deferebantur, quorum arbitria pro legibus erant, pactis conuentionibus nihil opus fuit: ante leges constat extitisse Reges. Quandò Medi Deiocen, Phraortis filium, propter opinionem virtutis & iustitiæ in dirimendis litibus, quam erat consecutus, Regem sibi præfecerunt, conditionum nulla fit mentio.

Titus

Titus Liuius narrat, Romulum duodecim vulturum accepto augurio, statim à suis Regem fuisse salutatum. Qui postquàm factus est Rex, authoritate Regia regnum disposuit, & patricios a plebe discreuit: & plebem in tribus distribuit, non ex præscripto pacto in sua inauguratione, sed pro sua prudentia, & Regia authoritate.

In Israële verò Moses, Iosua, & reliqui omnes Iudices, & qui secuti sunt Reges, nullis additis conditionibus, absolutè imperârunt. Saulem à Deo Regem sorte indicatum, populus faustis acclamationibus acceperunt. Idem de Dauïde & Salomone adsero.

Tunc primùm à decem tribubus conditio proposita est Roboamo, quùm defectionis occasionem decem tribus captârunt: quorum iusta an iniusta fuerit postulatio, in medium relinquo: defectio iniusta fuit. Quemadmodum certis conditionibus apud nonnullas gentes regnari scio, ita id semper & vbique factum esse pernego. Et sicubi conditiones opponuntur, quibus summum imperium Regi adimitur, regnum similiter tollitur.

Natura regni hæc est, vt sit merum & absolutum vnius imperium, nulli, præterquàm vni Deo, subiectum: quòd si alicui imperium illis traditur conditionibus, vt factorum suorum teneatur reddere rationem, & causam dicere, siue apud Proceres, siue apud totius regni Ordines, Rex ille propriè non est; sed tantùm Princeps illius reipub. quales erant Reges Lacedæmoniorum, & hodiè sunt Duces Venetorum. Qui imperium hac conditione conferunt, vt si pacta conuenta non seruentur, illud posteà possint eripere, cùm maius imperium sibi retineant, regnum non dant, sed tantùm principatum.

Si cui hæc gubernandi ratio cæteris præferenda videatur, ferre possumus vt suo fruatur iudicio: sin autem nullum regnum credit legitimum, nisi quod huiusmodi includitur terminis, atque absolutam potentiam vni creditam, tyrannidis damnat; temerarium & seditiosum dogma, pernicioſũ regnis & Regibus, iure improbamus; & eius authores nec ab hæresi, nec à læsæ maiestatis crimine excusamus: vtpotè qui regiam potestatem, & dominationem verbo Dei commendatam improbet, & seditionis subditis regiæ potestati præbeat occasionem.

Absurdum non magis est, supremitatem imperij vni committi, quàm pluribus, siue illi sint nobiles, siue vniuersus populus. Nam vt modò Rex eam habeat, eaque vtatur in nobiles populúmue, qui ab officio recedent, modò ipsi nobiles populúsue in Regem, qui pacta conuenta manifestè violabit; absurdissimum est, & seditionis ac bellorum ciuilium plenum: nusquam id est visum, nusquàm ita regnatum, nisi in tumultuaria rep. partibus hinc indè summi imperij ius ad se vi trahentibus: vt videre est in Romana rep. post eiectos Reges. Necesse est vt supremam imperij potestatem fixam, totam, & indiuisam, aut vnus monarcha habeat, aut nobiles, aut populus vniuersus.

CAP. XXII.

Non est magis metuenda vnius Regis tyrannis, quàm populi, aut Optimatum.

QVòd metus tyrannidis vnius prætenditur, vanum est: quùm à populi Procerúmue tyrannide non minùs sit metuendum, quàm à tyrannide vnius Regis. Hanc sententiam ego satis mirari non possum, *Regem nullum à condito mundo, etiamsi optimum quemque seligas, extitisse, qui sua authoritate non fuerit aliquatenus abusus: adeo vt omninò fatendum sit, id quod philosophi etiam sola ratione instructi agnouerunt, monarchicam dominationem, perniciem ac interitum potiùs populo adferre, quàm præsidium & salutem, nisi habenis quibusdam coarctetur: quibus fiet vt maximum illud bonum, quod ex ea potest emanare, colligi, & ingens malum, quod alioqui omninò ex illa consequi necesse est, vitari & impediri possit.* Quid si contrà ego etiam disputem, & dicam; Nullum vnquàm fuisse populũ à condito mundo, qui sua libertate non sit turpissimè abusus, nec vllos vnquàm Optimates, qui non crudeliùs populum vexârint, quàm vlli Reges?

Populus Romanus crudeliùs à Patricijs tractatus est, quàm vnquam anteà à Regibus. Nunquam enim populus Romanus secessit à Regibus, sicut à Patribus, qui crudeliùs sæuiebant in plebem, quàm fecerant vlli Reges. Et hodiè, vbi accisa est Regia potestas, plebs à nobilitate pessimè tractatur. Tyrannum pati nolunt, vt ipsi impunè tyrannidem exerceant.

De

De populi tyrannide hoc loco nihil aliud dicam, quàm sæuiorem esse multò eâ quæ metuitur à Regibus. Sicubi autem fræno summa potestas opus habet, in populo inprimis ea frænanda est: deindè in Proceribus. Nullus tyrannus populo vnquàm ita nocuit, ac populus ipse sibi. Populus enim semper æger est, semper insanus, semper furore & intemperie agitur, virosque magnos, vel virtutibus, vel diuitijs præstantes, ferre non potest. Hinc apud Athenienses Ostraciſmi lex, quâ optimus quisque, etiam ipse Aristides, quòd nimis iustus esset, in exilium pellebatur. Quis vnquàm tyrannus iniquiorem legem tulit? Ephesij dicuntur Hermodorum Principem suum, quòd sapientiâ, religione, & fide, cæteris anteiret, exilio multâsse. Idem fecisset proculdubiò Israëliticus populus Mosi, nisi Deus eum cohibuisset. Regum dominationem Aristoteles ait repertam ad tutelam præstantium virorum aduersùs indomitæ multitudinis insolentiam. Libertas ac licentia popularis certam perniciem, ac interitum, nisi cohibeatur, reipublicæ adfert. Quid mali non Romano populo attulit Tribunitia potestas? Quis Caligula, quis Ntro, quis Domitianus, quis Heliogabalus, quis Commodus, tantam cladem populo Rom. attulit, quantam Marius & Sylla, Pompeius & Cæsar, Octauius, Antonius, & Lepidus? Mitto alios quos populare imperium peperit. At dices tyrannos: sed tibi respondeo, è liberi populi tyrannide procreatos. Tantum abest vt monarchica dominatio perniciem ac interitum populo attulerit, cùm in omni deplorato rerum statu semper ad eam, tanquàm ad vnicum salutis publicæ asylum, populus confugerit. Quid perituram & pereuntem Rom. remp. seruauit, atque restituit, nisi popularis imperij mutata forma in Monarchiam, aut Monarchiæ similem? Certum est per Dictatores, aliâs certò interituram Romanam remp. seruatam fuisse, ac stetisse. Quàm prauo iudicio res humanas expendant, qui monarchicam dominationem, quam Deus ad gentium & populorum salutem excitauit, potiùs perniciem attulisse populis iudicant, quàm salutem, quæso animum aduertite. Tametsi non pauci sunt, quos bellorum calamitas euertit, quibus maxima imperia parta sunt; pluris tamen esse debet, quòd posteà latè magnam & diuturnam pacem, & incredibiles commoditates orbi vniuerso adfert. Quod ad tempus quibusdam nocuit, posteà multùm, & diù multis profuit.

Et quod maius est, bonus Rex inueniri potest, sed bonus populus nunquàm, in quo peior pars semper non vincat meliorem: & facilius est vnum inuenire bonum Regem, quàm multos Optimates bonos. Peccatores nos esse omnes, & vnumquemque nostrûm à rectâ viâ sæpè aberrare, confitendum est. Quod de Regibus dicitur, optimum Regem etiam suo munere abusum fuisse; de quo hominum ordine id dici non potest? cur obiecro oculatiores sumus in Regum peccatis, quàm in nostris, aut populi, aut Procerum? Qui nostrûm immunis est à peccato, primus in Reges iaciat lapidem.

CAP. XXIII.

Formula iuramenti Regis Arragonum.

ITem formula quædam verborum, quâ Arragones vti dicuntur in Regum suorum inauguratione, atq; in comitijs triennalibus, quas vulgò vocant, *Las cortes de montzon*, mirum in modum placet. Ea verò est huiusmodi: *Nos qui valemos tanto commo vos, y podemos mas que vos, vos eligimos Rey con estas, y estas condiones intra vos y nos; vn que manda mas que vos.* Id est: *Nos qui tantundum valemus quantum vos, & plus quàm vos possumus, Regem vos eligimus his atque his conditionibus inter vos & nos; vnus maiore est imperio, quàm vos.* Sed obsecro, quid hinc efficitur? Arragonensium exemplum legem orbi vniuerso non præscribit. Deindè, vbicunque populi Procerúmue potestas tanta est, vt illis aut similibus verbis audeant suum Regem alioqui; maiestatem in suo Rege ipsos nullam agnoscere aio; aut si qua est, contumeliâ illam indignè affici. Facit rei absurditas, vt de hac formulâ vehementer dubitem. Ego in ijs quas legi Hispaniarum historijs, eam non inueni. Hoc manifestè falsum est, in conuentibus triennalibus illam formulam repeti. Quorsum illa verba ad Regem olim electum, aut ad eum qui hæreditario iure illud accepit, ac possidet? Notatum quidem inuenio, Ennicum (qui dictus fuit Arista) ex montibus Pyrenæis cum exercitu descendentem, magnis Maurorum deletis copijs, victorem in Nauarram peruenisse,

&

& Principem à Nauarreis & Arragonibus electum, propositis nonnullis conditionibus, vt in eos æquis legibus vteretur. A quibus etiam Iudex, qui medius inter eos & Regem esset, expetitus fuit, & Arragoniæ Iustitia vocaretur. Sed hic non Rex, sed tantùm Princeps fuit. Inter eum & primum Arragoniæ Regem Ramirum, interceſſerunt anni plùs minùs 128. An illa formula sint olim vsi Arragones, quandò tantùm habuêre Ducem, aut primos elegêre Reges, nescire me fateor; eam hodiè non esse in vsu, nec multis retrò seculis fuisse, certum est. Quod Iunius Brutus ait, Iustitiam Arragonicam repræsentare maiestatem publicam, & Regem ei in sublimiori solio sedenti præstare fidem & hominium, ab eo confictum est.

CAP. XXIIII.

Refellitur argumentum, quo docere conantur, populi authoritatem esse maiorem, quàm sit Regis, quia magistratus creati sunt propter populum, non populus propter magistratum.

Populi (inquiunt) *non à magistratibus primùm dimanârunt, sed quicunque vel ab vno Principe, vel ab electis à se primatibus regi voluerunt, eos dicunt antiquiores suis magistratibus fuisse: vnde consequitur, non populos propter magistratum, sed magistratus propter populum fuisse creatos; sicut tutor pupillo, non pupillus tutori constituitur, & Pastor ob gregem, non grex propter Pastorem.* Suprà demonstraui quæ fuerit vera imperiorum origo, & populos manâsse à suis Principibus, populúmque primos creâsse tyrannos. Præterea nec illud verum est de omnibus populis, & Regibus, qui primam illam ætatem secuti sunt; quùm historiæ testentur, plerosque Duces vagam, atque hinc indè dispersam collegisse multitudinem, aut ad eos eam vltrò confluxisse, vndè nouus conflatus est populus; sicut apparet in Ænea, & Romulo, alijsque pluribus, qui noui populi fuêre authores. Iusto bello deuictos prætereo populos. Puerilis error est, ex indefinita sententia, quæ in paucis quibusdam tantùm vera est, conclusionem ducere vniuersalem. Deindè fallit similiter hæc ratiocinatio, Magistratus est propter populum, non autem populus propter magistratum; ergò populus est maior suo magistratu. Similis cum superiore hîc committitur fallacia, quando affirmatur verum esse in vniuersum, quod tantùm particulare est. In libera republica, qualis fuit Athenienſis & Romana, populus maior erat suo magistratu: sed in regno, & Optimatum potestate, alia est ratio. Ibi magistratus ex arbitrio Principum creantur, & eorum nomine ius dicunt.

Præterea, illi penes quos summa reipublicæ est potestas, siue is Rex sit, siue Optimates, vel ipse populus, non propriè magistratus vocabulo significantur: sunt enim supra omnem magistratum, sicut & supra leges; vtpote qui eum sua authoritate constituant. Rectè magistratus officium potest tutelæ comparari, quia rem alienam magistratus procurant, aguntque aliena authoritate, ac nomine.

At Regia potestas rem propriam suo ipsius nomine tractat: quamobrem nec Procurator, nec Delegatus populi vllo modo potest Rex intelligi: proindè quamuis tutelæ omnes magistratus comparari possint, regnum non potest. Sed cùm Rex interdum summus magistratus dicatur, & Regiæ potestatis aduersarij hoc nomine Reges intelligant, & eorum axiomatis hic sit sensus; populos non propter Reges, sed Reges propter populos esse creatos, tanquam quosdam populi curatores atque pastores; examinanda quoque res est, num consequens sit, populum idcircò suo Rege maiestate & authoritate esse digniorem, maiorémue.

In vulgari tutelâ, certum est, rarò euenire, vt pupillus suo tutore maior sit. Domini feudorum multis in locis Vassallorum impuberum consuetudine tutores sunt, & nonnunquam auunculi & patrui constituuntur tutores nepotũ: sed non idcircò inferiores authoritate & dignitate suis pupillis fiunt. Pueris & discipulis eligitur & quæritur magister & doctor, quos nemo dicet magistro & doctore præstantiores, nisi aliunde id habeant. Pastorem verò quis vnquàm suo gregi subiecit, & gregem supra Pastorem extulit?

Inter Regem & populum, similis quædam necessitudo intercedit, ei quæ est inter maritum & vxorem, patrem & filios, dominum & seruos: quorum vt augeatur numerus, nihil maritalis, patria, & herilis minuitur authoritas, vt non possit in vniuersos, quod potest

in

in singulos, aut vt vniuersi potestatem habeant in patremfamiliâs, quam non habent singuli. Habeat aliquis sexcentas vxores, si tot habere posset, & totidem natos, & triginta seruorum millia possideat; tam est vniuersarum maritus, quàm singularum, & pater natorum, & dominus seruorum, tam generatim vniuersorum, quàm singulatim singulorum. Maritus, pater, & dominus in ducenda vxore, in adoptandis filijs, & acquirendis seruis, non tam beneficium censetur accipere, quàm dare. Eodem modo populus, quandocunque Regem, quem sibi elegit, recipit, non dat, sed beneficium accipit. Et quemadmodùm filijs, & seruis nulla competit in patrem & dominum authoritas; ita nec subditis in Regem, cui se subiecerunt. Quocirca à Regis constitutione facta per populum, aut Proceres, non rectè colligitur potestatem retineri in ipsum Regem: nisi fortè, vt sæpiùs diximus, ex pactis & conuentionibus Regia potestas accisa sit, & aliò translata.

CAP. XXV.

Falsum est quod quidam disputant, Reges à Deo electos, à populo debuisse constitui, vt quod habebant potestatis, secundùm Deum populo acceptum ferrent.

COntendunt tamen populum Reges constituere, & regna tradere, electionem etiam diuinam suo suffragio comprobare: atque ita fieri voluisse Deum, vt quantamcunque authoritatem Reges haberent, populo secundùm ipsum acceptam ferrent. Et tanti hanc constitutionem popularem Regum quidam faciunt, vt sine ea Deum nunquàm constituisse vllum Regem affirmare audeant. Eorum hæc sunt verba: *Adeo quippè penes populum Regis constitutio est, vt tametsi Rex Israel à Deo delectus esset, à populo tamen constitui iubeatur, dicente Deo, Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus dabit tibi, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem Dominus elegerit ex numero fratrum tuorum. Sed & vsus facto id probauit. Nam cùm à Deo electus esset Saul, Samuel populum in Maspha ad constituendum Regem conuocauit; & perinde ac si electio nulla esset, missa sorte, cùm ea super Saulem cecidisset, à populo publicè Rex est nominatus. Quinetiam cum Ammonitas percussisset, denuò à populo Rex est confirmatus. Et quidem Dauid multò antè Rex à Deo electus erat, nec priùs tamen regnare cœpit, quàm septimo post anno in Hebron est consecratus, & à populo constitutus. Sed & Salomonem filium Regem post se Dauid statuerat, neque id satis fuit, nisi præsente populo, in Gihon consecratus, ab eodem Rex nominaretur. Et mortuo Salomone, populus congregatus dicitur, vt constitueret Roboam Regem. Sic Azarias, Ioas, Ochozias, & alii Reges constituti à populo leguntur. Vndè & Absaloni captandi regni occasio fuit, cùm diceret, Quis me constituat iudicem super terram? & sollicitaret corda virorum Israel. Nec aliò alluſit ista Chusai Arachitæ ad Absalonem responso, Illius ero* (inquit) *quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuersus Israel, & cum eo manebo.* Eadem argumenta apud diuersos, immutatis verbis, inuenire licet: quibus verba Samuelis ad populum Israëliticum addo, quandò prædicit fore, vt oppressi magnis oneribus clament ad Dominum, *Propter Regem quem* (inquit) *elegistis*: & alio loco, *En Regem quem elegistis, & quem expetiuistis*, loquens de Saule, quem tamen Deus vngi in Regem anteà iusserat. Vndè effici videtur, Reges à solo Deo, nullo adhibito humano vel iure, vel authoritate, vel vi ac violentia, aut postulatione, aut contractu, aut consensu, sine hominis interuentu, non esse constitutos.

Ad hæc respondeo, me suprà demonstrâsse electionem Regis factam à populo, vel à Proceribus, Regem non idcircò facere inferiorem vniuerso populo, vel Proceribus. Tamē quoniam tantoperè vrgetur, idque ex malè intellectis Scripturæ locis, rem examinabo, euincamque Reges Israël & Iuda, à Deo proximè ad regnum vocatos, à populo posteà quidem receptos, sed non electos. Non enim opus fuit vt à populo constituerentur Reges, qui à Deo iam constituti essent, à quo & vocati: à populo recipiendi, non constituendi erant. Quantum sit ius electionis Imperatorum, à nobis dictum est. Præstantior est electio Dei. Præposterū est superioris electionem confirmari ab inferioribus. Quod electionem attinet, duobus citatis locis allegatam, ea non est intelligenda personæ aut indiuidui, sed generis; sicut ex verbis Mosis allegatis apparet. *Cùm ingressus* (inquit) *fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & dixeris, Constituam super me Regem, sicut habent*

habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus elegerit. Quibus verbis ius sibi Deus reseruauit constituendi Regis. Nam quamuis permitteret populo habere Regem, non tamen eum quem ipsi elegissent, sed quem ipse daret. Postulauerant enim Regem sibi dari, sed neminem nominauerant: hoc enim ad Deum pertinere ex lege didicerant: & idcircò per Prophetam Deum consulunt, vt norint quem in Regem velit ipsis præficere. Quod re & verbis Prophetæ docetur, quandò dicit, *Ecce dedit vobis Dominus Regem.*

Si populus potestatem eligendi Regis se habere credidisset, nunquàm Regem à Samuele postulâsset: nec Gedeon delatum sibi & hæredibus suis ab Israële regnum recusâsset. Quare lectores admonitos cupio, vt attentiùs perlegant sacras historias, in quibus narrantur Duces & Reges dati populo Dei, quorum primus fuit Moses, & secundus Iosua, qui Israëlem in terram Chanaan introduxit, eamq; deuictis hostibus sorte populo diuisit. Quos interuentu populi Duces esse factos affirmare, desperatæ aio esse impudentiæ. Idem dico de cæteris iudicibus, qui nullam partem suæ vocationis populo debuerint.

De Regibus quia mouetur controuersia, videndum est quæ fuerint in eorum creatione populi partes: eorum, inquam, quos ipse Deus Reges designauit, atque inungi iussit. Inter Reges & iudices quod potestatem attinet, nullum fuit discrimen. Tantùm splendore externo ac maiestatis quadam dignitate, & in familia ipsorum successionis iure constituto excelluerunt Reges: quare non magis absurdum sit proximè à Deo datos esse Reges, quàm iudices? Num quam prærogatiuam in sua vocatione iudices habuerint præ Regibus, qui proximè à Deo vocati sunt, & iussu ipsius à Prophetis sacrati, vt idcircò plus iuris populus in suos Reges sibi vendicare potuerit, quàm in iudices; difficile esset ostendere.

Ingenuè Buchananus confitetur, Deum solum fuisse Israëliticis Regibus honoris authorem, & etiam supplicij & pœnarum exactorem: proindè nullam potestatem in suos Reges populo reliquisse; aliorum Regum, quos sibi populus præficit, aliam credit esse rationem. Vtrorumque sunt nobis diluenda sophismata; Primùm eorum, qui contendunt Israëliticos Reges, quos ipse elegerat, Deum voluisse etiam denuò eligi à populo, & eo nomine habuisse potestatem in suos Reges: deindè de cæteris nationum Regibus videbimus. Vt à Saule incipiam, constat eum à Deo electum, sine interuentu populi, in prima reuelatione facta Samueli, & in eius prima inunctione. Conuocato autem populo à Samuele in Mispa, quid illic populus egerit, sacra historia narrat: quam totam, vt res fiat magis manifesta, hic subijciam.

Conuocauit Samuel populum ad Dominum in Mispa, & ait ad filios Israel; *Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium Regum qui affligebant vos, &c. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per millia vestra; & cùm applicâsset Samuel omnes tribus Israel, cecidit sors tribus Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes eius, & cecidit cognatio Matri, & peruenit vsque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus, & consuluerunt post hæc Dominum, an venturus esset illuc vir: respondit q, Dominus, Ecce absconditus est inter vasa. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum indè, stetitq, in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero & sursum: & ait Samuel ad omnem populum; certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo: & clamauit omnis populus, & ait, Viuat Rex.* Obsecro te candide lector, quam hìc notas siue nouam electionem, siue constitutionem Regis factam à populo? Ego, quæ mei ingenij est imbecillitas, præter simplicem Regis à Deo dati receptionem, nihil percipio. Primò, nè Samuel obtrudere populo videatur, non quem Deus ipse elegisset, sed amicum fortè, quem ipse maximè probâsset; sorti rem committit, vt per eam Deus populo suo palàm Regem indicaret, quem anteà ei reuelauerat, & iusserat Regẽ inungi. Populus verò vbi ex sorte cognouit Saulem à Deo designari Regem, sui officij tantùm esse duxit, fœlicia & fausta omnia suo Regi precari, atque ei sese regendos submittere. Non rogatur populus, an placeat ipsis Rex à Deo designatus, non numerantur suffragia; pauci quidam fastuosi aspernantur Regem. Et hæc de Saule sufficiant, quibus, non contentiosis demonstratum esse puto, Saulem proximè à Deo Regem fuisse constitutum, sine vlla populi interuentione, nisi vt eum reciperet, & se ei subijceret.

Nunc de Dauide videamus, quem similiter constat in Regem consecratum mandato

Dei, à Samuele. Ad eum legimus veniſſe viros Iuda, & vnxiſſe Dauidem in Hebron, vt regnaret ſuper domum Iuda: & poſteà vniuerſum Iſraëlem, cum quibus & fœdus inijt, & tertiò vnctus eſt in Regem. Vndè magis veriſimilis ratio duci poteſt, regnum à populo traditum fuiſſe Dauidi, niſi eorum verba obſtarent, quibus neceſſitatem habendi eum pro Rege, quem nôrant à Deo ad illam dignitatem vocatum, teſtantur. Quod enim Deus iubet, in deliberationem apud homines venire non debet: cognitæ Dei voluntati neceſſitas parendi homini incumbit.

Quotquot enim initio Dauidem non receperant Regem, Deo repugnauerant, ſicut ſecundus Pſalmus teſtatur, contra eos ſcriptus, qui eum Regem admittere detrectabant. Dicuntur enim conueniſſe & inijſſe conſilia, non tam contra Dauidem, quàm contra ipſum Iehouam. Vndè oſtenditur domus Iudæ & reliquarum decem tribuum officium fuiſſe, ſubire Dauidis imperium; non autem tradere quod non ipſorum, ſed Dei erat.

Salomon autem ſolius Dauidis mandato Rex factus eſt. Nathan & Sadoc non crediderunt populi ſuffragium, ad eam rem eſſe neceſſarium: Regis voluntas (penes quem ſciebant ſummam eſſe rerum poteſtatem) ſufficere ipſis viſa eſt. Tametſi patriæ poteſtatis ſummi imperij ſit, aut ex aſſe hæredem, aut ex quotacunque parte voluerit, ſcribere natum, & in regno quem volet ſucceſſorem deſignare, aut collegam adſumere; non tamen in eare ſuum arbitrium, ſed diuinum oraculum Dauid ſecutus eſt. Id populus ignorauit antequàm Rex indicaret; quod tum demùm ab eo factum eſt, quandò Salomonem vngi & creari Regem mandauit: populus autem totus in hac re à Rege pependit; ſicut ex primi capitis primi libri Regum hiſtoriâ conſtat.

Cùm enim regnum occupare, viuo adhûc Dauide patre ſuo, Adonias conaretur, vt anteuerteret Salomonem, quem rumor erat, in animo habere Dauidem, ſibi ſucceſſorem regni conſtituere, Bethſabe cum Propheta Nathan rem Dauidi indicat, reuocatque ei in mentem iuſiurandũ, quo Salomoni regnũ promiſerat. Bethſabe ad Regem verba hæc ſunt; *Domine mi Rex, tu iurâſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ; Salomon filius regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo. Et ecce nunc Adonias regnat, te (Domine mi Rex) ignorante. Mactauit boues & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocauit omnes filios Regis. Abiathar quoque ſacerdotem, & Ioab Principem militiæ; Salomonem autem ſeruum tuum non vocauit. Veruntamen, Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis quis ſedere debet in ſolio tuo, Domine mi Rex, poſt te.* Ex quibus Bethſabes verbis, quæ poſteà confirmantur à Nathane Prophetâ, & tota ipſa re geſta, manifeſtè liquet, falſum eſſe, Salomonem ſecundariò Regem à populo fuiſſe creatum, qui expectabat Regem à Rege deſignari, cui ſe ſubmitteret. Quæ potuit illa eſſe ſecunda creatio, poſtquàm à Dauide Rex Salomon creatus fuit, & in ſolio regni collocatus? poſt ſolemnem illam populi Ieroſolymitani acclamationem, & Regis Dauidis confirmationem cum gratiarum ad Deum actione? populo aliud nihil relictum fuit, quàm ſuſcipiendi noui Regis, eiuſque imperio ſe ſubmittendi neceſſitas.

Quod legitur in primo Paralipomenôn, conueniſſe omnes tribus Iſrael, & ſecundò vnctum fuiſſe Salomonem in Regem; cauſa fuit, vt iam deſignatum à Deo, & ſacratum mandato Dauidis Regem reciperent, eique ſe ſubmitterent, ac fidem hominij darent. Neque enim ibi aliud legitur eſſe factum, quàm à Dauide populo fuiſſe declaratum, Salomonem à Deo electum eſſe Regem, qui ſederet ſuper thronum regni Iehouæ, ſuper Iſraëlem.

CAP. XXVI.

Regnum Iſraëliticum non fuit populi, ſed Dei: in ſuos ergò Reges nihil habebant poteſtatis, nec populo illud acceptum ferre poterant.

ETenim & illud hìc notandum eſt, ſolium regni, non dici populi Iſraëlitici, ſed Dei: ſicut in ſecundo Paral. vbi Regina Saba Salomoni benè precatur his verbis; *Sit Iehoua Deus tuus benedictus, qui complacuit ſibi in te, ita vt poſuerit te ſuper thronum ſuum in Regem Iehoua Deo tuo, propterea quòd dilexerit Deus tuus Iſraëlem, &c.* Vnde colligitur Regem auguſta ſua maieſtate imaginem referre Dei, & ipſius ſolium non eſſe populi, nec à populo, ſed Dei, & à Deo.

Conſules, & Proconſules Romani, Dictatores & Magiſtri equitum, magiſtratum populi

Populi Romani gerere dicebantur. Reges verò nemo rectè dixerit populi magistratum gerere: quia non alienam, sed propriam rem procurant, aut, vt veriùs loquar, Dei: & idcircò Minister Dei vocatur, non populi. Malos vlcisci gladio, ad Deum pertinet, qui per Prophetas suos testatur ad se pertinere vindictam, & vltionem scelerum; *Mea est vltio, & retributio*, ait Dominus.

Populo suo quàm minimum iuris Deus dedit in electione ducum & Regũ; & grauiter culpantur à Prophetis, quandò ex sua libidine, non Deo authore præeunte, Reges sibi delegêre: vt est apud Oseã, *Ipsi Regem instituerunt* (inquit) *non ex me, Principes constituerunt, & non noui*. Quemadmodùm illud regnum Dei non populi erat, ità illud à Deo non à populo Rex accipiebat. Ampliùs addo, contumelioſum in Deum & impium videri, adserere sacrum illud regnum, aliquo modo conferendi ius pertinuisse ad populum.

Verba Chusai ad Absalonem, contrarię sententię nihil suffragantur: non enim ex animo sed fictè loquebatur, ex vulgi seducti sententia, quibus factio Absalonica persuaserat in eorũ esse situm potestate abdicare, & creare Regẽ. Quod igitur Chusai fictè est loquutus contra animi sui sententiã, se eũ Regem secuturũ, quem Deus elegisset, & populus vniuersus, nullum ius facit populo eligendi & abdicandi Regem. Nefaria fuit coniuratio, quæ totum populum, qui sequebatur Absalonem, violatæ maiestatis crimine reum fecit.

Quòd posteà decem tribus conueniſse narrantur, vt Roboamum Regem cõstituerent, non significat iure hæreditario & diuino Regem non fuisse Roboamũ, vt opus habuerit, à populo accipere, quod non habebat: sed, vt ita loquar, conuenerant ut hominiũ nouo suo Regi facerent, hoc est, vt sacramento se suamque fidem ei obstringerent. Et quamuis defectio illa, duce Ieroboamo, iusto Dei iudicio acciderit; populus tamen non excusatur à læsæ maiestatis crimine, sicut iam suprà notauimus ipsi exprobratum fuisse ab Osea. Nisi enim mala mens populi fuisset, & quæsita defectionis occasio, non defeciſſent: alium Regem ex familia Dauidis elegisse poterant, si personæ fuisset electiuum. Vsurpata igitur à decem tribubus creandi noui Regis potestas, non à Deo data fuit. Et hæc meam sententiam non parùm confirmant, à populo non tam Reges quàm tyrannos creari.

In ea re tunc temporis errâsse populum Israëliticum, & fuisse ausos, inconsulto Deo, nouum creare Regem, quod eorum patres sub Samuele ausi non fuerant, quid mirum, cùm hodiè post manifestatam veritatem, idem à Theologis, & iurisconsultis defendatur error? Debuit enim ille populus in Regum suorũ electione pendere à Deo. Impropriè electio dicitur (vbi nulla est intercedendi relicta potestas) necessaria cum omni subiectione receptio.

Quod adfertur de Ioa, & Ioiada sacerdote, non probat populi potestatem in eligendo Rege. Sacerdos rem in deliberationem non posuit, sed ostenso Rege, quem à cæde seruârat, ait, eum oportere regnare, & parendum esse Deo & æquitati: regnum enim deberi Dauidis stirpi. Quod ex eadem historia quidam notant duplex iusiurandum interuenire solitum, quo tam Rex, quàm populus iureiurando pollicebantur, se leges ipsius tam Ecclesiasticas, quàm politicas obseruaturos; deindè aliud iuramentum mutuum inter Regem & populum; nihil ad rem propositam facit, nisi formula iuramenti aliquid contineat, vndè doceatur populum authoritatem habere in Regem, potiùs quàm Regem in populum. Coniectura ex mutuo iuramẽto, Regem potiùs subiectum fieri vniuerso populo, quàm vniuersum populum Regi, nulla ratione nititur. Tametsi sacramentum illud superfluum fuisse non putem; necessarium tamen fuisse, vt Ioas Rex fieret, ita vt sine eo legitimus Rex esse non potuerit, iam à me superiori libro demonstratum est. Nec idcirco id narratur, vt probetur aliqua populi potestas supra Regem, aut propter illud iusiurandum, quod puerulus fecit, creatum esse Regem.

CAP. XXVII.

Confutatur opinio eorum, qui putant regnum Iudæ stirpi quidem fuisse hæreditarium, sed personæ electiuum.

PRæterea, vt populi demonstrent potestatẽ in Regem, aiunt, regnũ Iudæ stirpi quidẽ fuisse hæreditarium, sed personæ electiuum. Quod vt probent, allegant Ochoziam constitutum fuisse à ciuibus Ierosolymitanis in Regem; quùm tamen minimus esset natu, & ex filijs Iorami: & Oziã filiũ Amasiæ à populo

2. Par. 22. c. & 36. c. Regem factum, item populum terræ prætuliſſe Ioachas, fratre ſuo Ioram natu minorem. Sed ſacra hiſtoria potiùs ſignificare voluit debitum officium populi, erga interfecti Regis verum hæredem, quàm eius in eligendo Rege poteſtatem. Et quando Ochozias minimus natu dicitur Rex conſtitutus, non ſignificabatur electionis popularis poteſtas, qua minimum natu potuerit præferre maioribus, ſed potiùs contrarium: cùm cauſa reddatur, id accidiſſe non tam libera electione populi, quàm neceſſitate, quia maiores natu ab Arabibus ſublati fuerant; innuens, non debuiſſe præferri minimum, ſi maior aliquis eo ſuperſtes fuiſſet.

Quòd populus terræ Ioachas filium Ioſiæ minorum, Regem conſtituit, contempto Eliachim, qui fratre duobus annis ſenior erat, iniuria, non ius ſignificatur, nec vltra tres menſes regnauit, Ægypti Rege iniuriam non ferente factam Eliachim. Quare debitum ei regnum reſtituit, & popularem Regem captiuum ſecum abduxit. Quòd paſſim conſtituti Reges leguntur, nihil aliud ſignificabat, quàm receptos fuiſſe, atque ipſis populum fidem debitam, ſe præſtiturum iurâſſe. Minorem natu ſuffragijs populi iure ad regnum euectum eſſe, non id iubente Deo, aut patre ita conſtituente, non puto ex ſacrijs hiſtorijs demonſtrari poſſe. Communi lege ad natu maximum pertinuiſſe regnum verba Salomonis ad matrem ſuam ſatis apertè indicant: *Cur* (inquit *Adoniæ*) *petis Abiſag Sunammitidem vxorem dari?* Ipſe me natu maior eſt, eadem ratione ipſi regnum poſce. Niſi enim Dauidis (ita volente Deo) interceſſiſſet authoritas, in regno non Salomon, ſed Adonias ſucceſſurus fuiſſet.

2. Par. 21. c. Legimus Ioſaphat plures habuiſſe natos, quibus aurum & argentum, & alias res precioſas cum vrbibus dedit; ſed regnum Ioromo, quia natu maximus erat. Ex vſurpata poteſtate populi, aut decem tribuum, nullum veriſimile duci poteſt argumentum. Concludo igitur, Regnum Iuda hæreditarium fuiſſe in familia Dauidis, ſecundùm ſucceſſionis legem, iure communi conſtitutam, quæ maximum natu, ſanguine proximum Regi defuncto, minoribus ſemper prætulit, niſi ſuprema Dei poteſtas, aut regis aliter conſtituiſſet. Videmus enim in ſacra hiſtoria ius primogenituræ, interdum à Deo tranſlatum ad iuniores, quod aliâs manſurum erat primogenitis: ſed quod rarum eſt, & ſingulari priuilegio factum, legem non abrogat. Pericula interregni, ambitionis, & contentionis inter fratres ſemina, nulla in regno ſuo Deus eſſe voluit.

CAP. XXVIII.

Ex hiſtoriis ſacris quæ adferuntur exempla coniurationum in Reges, non probant id eſſe iure factum.

EXemplis ſimiliter ex ſacris hiſtorijs deſumptis argumentantur vi & armis priuata authoritate, tyrannidem à populo propulſari fas eſſe: vt quòd Ehud Eglon Regem confodit priuatus: & Iehu dominum ſuum Ioram Regem Iſrael, & Ochozian Regem Iuda interfecit. Sed quidquid eſt huius generis, in exemplum trahi non poteſt. Ratio hæc eſt, quòd particularia habuerint à Deo mandata, quibus à communi lege fuiſſe exemptos intelliguntur. Et de Iudicibus, & pijs Regibus epiſtola ab Hebræos teſtatur, eos fide perfeciſſe quæ de ipſis extra ordinem facta leguntur. Et verbo Dei docemur, vt ea quæ fide fiunt placere Deo, ita quicquid non eſt ex fide, peccatum eſſe.

Quàm malè adfertur Dauidis exemplum, tanquam ſe armauerit contra Saulem Regem, & ſocerum ſuum, eo quòd ſacra hiſtoria narret conſuluiſſe Deum cum in Ceila eſſet, nùm Saul, vt rumor erat, eò venturus eſſet; & an viri Ceilæ eum Sauli tradituri eſſent: ac ſi decreuiſſet mœnijs illius verbis, ſe tueri aduerſùs iniuſtam vim Regis: ſed nihil huiuſmodi vnquàm Dauid contra Saulem cogitauit: in re dubia & ancipiti Deum conſulit, facturus quod iuſſiſſet is, qui nihil mali iubere poteſt. Si iuſtum bellũ ſe Regi inferre poſſe credidiſſet, & iuſta arma contra tyrannum Regem, nunquàm ei peperciſſet, quandò bis eũ
1. Reg. 24. c. & 26. Deus in eius manus tradidit. Neque ex verbis Abigaëlis id colligitur, quandò Dauid dixit, quia certò Iehoua facturus eſſet ei domũ ſtabilem: quia prælia Iehouæ præliatus eſſet: intelligi non debet præliorum vocabulo bellum contra Saul, ſed contra Philiſtæos, & alios populi Dei inimicos. Repetere nolo quæ à me ſuperiùs de Dauide dicta ſunt.

Adferunt

Adferunt etiam Lobnenſes ab obedientia Iorami defeciſſe: quibus additur id quod à Ioiada, & à populi Proceribus aduerſus Athaliam patratum fuit, Item Amaſiam Regem publica authoritate à Ieroſolymitanis fuiſſe necatum. Exemplum Ioiadæ prætereo, vtpote cui iam à me ſit reſponſum. Defectio verò Lobnenſium ab obedientia Iorami Regis allegatur quidem, ſed non probatur iure eſſe factam, non magis quàm Edumeorum; quos conſtat zelo culus veri Dei non defeciſſe ab impio Rege: cauſa quæ additur, nempè id accidiſſe, quia dereliquerat Dominum Deum Patrum ſuorum, peccatum indicat Regis, & cur à Deo fuerit punitus: quæ Lobnenſes mouerit, nulla exprimitur ſpecialis cauſa. Qui conijciunt id eſſe factum odio impietatis Regis, nihil eſt cùm eandem cauſam alij Reges ſimiliter dederint; à quibus tamen non leguntur defeciſſe. Quis fuerit defectionis euentus non narratur: certum eſt diù non potuiſſe ſubſiſtere in Regis inimicitia, qui in ſua poteſtate Ieroſolymam & templum habebat: proinde à cultu Dei, & miniſterio templi, eos arcere potuit. Aut enim rempublicam per ſe oportet conſtituerint, aut ſe adiunxerint decem tribubus: nihil horum ab ipſis iure fieri potuit: vnde colligitur non diù in ſua rebellione durare potuiſſe. Et quamuis ob ſua peccata dignus eſſet Ioram, qui Deo rebellis erat, ſubditorum puniri rebellione; excuſari propterea, nec in exemplum trahi debet Lobnenſium defectio; tanquam id factum ſit, vt in Dei cultu & templi miniſterio permanerent. 2. Par. 21. c. 10. 2. Reg. 8. c. 22.

Coniuratio quoque Ieroſolymitanorum contra Amaſiam, & ipſius nefaria cædes allegantur, vt probetur populi Ordinúmue poteſtas ſupra Regem. Amaſias tamen laudatus fuit Rex, & pius; tantùm peccâſſe notatur, quòd contra Regem Iſrael temerè non neceſſarium bellum ſuſceperit: vnde magna eſt ſequuta calamitas; quæ Regi odium Ieroſolymitanorum conflauit. Sed infœlix prælij exitus, ciuibus Ieroſolymitanis iuſta cauſa non fuit, armis opprimendi bonum Regem. Frigidum hoc eſt, quòd hiſtoria ſacra non dicit à ſeruis domeſticis occultè & per inſidias fuiſſe occiſum; ſed aperta vi, & veluti publica authoritate: quaſi aperta vis publica authoritate nulla poſſit inferri; & minor ſit iniuria, quæ à multis & publica authoritate infertur, quàm ea, quæ ab vno & clàm proficiſcitur. Ieroſolymitanorum in re nefaria conſenſus, & publica authoritate confirmatus, parricidij crimen non excuſat. Sed ipſum coniurationis vocabulum, quo Scriptura vtitur, facinoris declarat naturam: nec ex hoc facto magis colligi poteſt ius, quàm ex coniuratione Abſolonis, & aliorum, qui Dauidi ſanctiſſimo Regi regnum eripere ſunt conati.

Quòd patris interfectores filius non eſt vltus, iure cæſum fuiſſe non arguit: ſicut nec per ſcelus proditorum perijſſe Ioam, quia Amaſias de percuſſoribus ſumpſit ſupplicium. Nam ſi ſcelerata Ioæ cædes fuit, iuſta Amaſiæ eſſe non potuit; etiamſi tota Ieroſolyma in eam conſenſiſſet. Adoleſcens ſexdecim annorum, initio regni ſui in poteſtate ſua non habuit paternæ necis vindictam: & priuſquàm ætate in regno confirmaretur, præcipui authores aut fortè mortui erant, aut fugâ ſuæ ſaluti conſuluerant; aut erant eâ potentiâ & numero, vt non potuerit. Quod mirum nemini videri debet, cùm ipſe Dauid animaduertere duo patricidia in Ioabum nequiuerit.

Ad hæc exempla, & alia quæcunque ſunt huius generis, etiamſi pluries fuerint repetita, Reſpondeo, iterationem peccati, non patrocinari peccato: & particularia cùm ſint exempla, nullam ſimilibus factis adferre excuſationẽ; niſi in adſumptione alicuius noti iuris contineantur, quod factum defendat. Quando enim huius generis exempla allegantur, tanquàm iure facta, nituntur ſententiæ de qua eſt controuerſia; putà, fas eſſe aliquandò priuatis hominibus necare tyrannum; aut populum, Ordinéſue poteſtatem habere animaduertendi in ſuos Reges. Proinde non rectè adhibentur ad ipſius probationem, niſi exemplis quiduis fas eſſe demonſtrari, poſſe credamus.

CAP. XXIX.

Argumentum ſumptum ex iure Cæſareo, de duobus promittendi reis, refutatur.

MAgno conatu magnum & pernicioſum errorem Iunius Brutus conatur defendere, comparando Regem & populum Iſraëliticum duobus promittendi reis, quorum vterque in ſolidum tenetur, & alter ſocium cogere poteſt ad officium; præſertim quando de perficienda aut omittenda re quapiam, facta eſt ſtipulatio. Bruti verba hæc ſunt; *Fecit Deus quod in dubiis nominibus creditores facere ſolent, vt*

plures in eandem ſummam obligentur; vt eiuſdem rei duo pluréſue rei conſtituantur, à quorum vnoquoque tanquàm à principali reo ſolidum peti poſſit. Eccleſiam vnico homuncioni committere lubricum erat. Eam itaque vniuerſo populo commendat, atque committit. Poterat Rex in lubrico gradu conſtitutus, facile in impietatem labi. Ne itaque collaberetur Eccleſia, populum interuenire voluit. In ea de qua agitur ſtipulatione, Deus, vel eius vice ſummus ſacerdos eſt reus ſtipulandi; Rex & populus vniuerſus, puta Iſrael, eſt reus promittendi, ambo ex vna eademq; cauſa, & quidem ex voluntate coniunctim obligati, &c. Conſtituuntur ergò, hîc duo rei, Rex, & Iſrael; ideoq; æqualiter in ſolidum obligantur. Quemadmodùm ergò cum Caius & Titius eandem pecuniam, Seio ſtipulanti coniunctim promiſerint, ſinguli in ſolidum tenentur, & ab eorum alteutro ſolidum peti poteſt: ita tenentur Rex per ſe, Iſrael item per ſe, curare, cauere, ne quid detrimenti Eccleſia capiat: vter verò negligat, Deus ab alterutro integram rem petere poteſt; & eo quidem magis à populo quàm à Rege, quò plures & difficiliùs labuntur, & magis ſoluendo ſunt, quàm vnus. Item vt in duobus correis præſertim fiſcalis tributi, vnus ita in ſolidum tenetur, vt beneficio diuiſionis per nouellam conſtitutionem Iuſtiniani conceſſo, vti nequeant; ita Rege & Iſraële tributum Deo Regi Regum promittentibus, vterque in ſolidum tenetur, &c. Hinc Iunius Brutus ratiocinatur, in populo & in Ordinibus, cogendi Regem ad officium, ineſſe poteſtatem, ſi deſertor veræ religionis fiat: & quod in cauſa religionis prætenditur, pari ratione in tyrannide diſputatur locum habere: ita vt quicquid peccant Reges, eo apud Deum populus teneatur, niſi repugnauerint, & Regi reſtiterint. Iunius Brutus nimis inflectit ciuiles leges ad cauſam ſpiritualem, quæ inter Deum & homines eſt: nec conſiderat, cum quo populo Deus primum fœdus pepigit, nec ſub quo duce: cui conſtat tutiùs Eccleſiam commiſſam fuiſſe, quàm populo. Dum itaque ſuas cogitationes coniungit legibus, falſum æquitati miſcet, fallitque, & fallitur. Dicit enim quod & verum putat, idcircò Deum duos ſtipulatum promittendi reos; quia Eccleſiam committere vni homuncioni lubricum erat; qui in impietatem labi facilè poterat: & ne collaberetur Eccleſia, populum interuehire voluiſſe: vt integram rem ab alterutro repetere poſſet: & eo quidem à populo magis quàm à Rege, quo plures difficiliùs labuntur; & magis ſunt ſoluendo quàm vnus. Hæc pulchra oratio eſt: quæ tamen præter ſpeciem nihil habet veri.

Repeto quod antè dixi, bonum Regem inueniri eſſe faciliùs, quàm bonum populum. Ferè peior pars populi numero vincit meliorem. Et ille populus, de quo agitur, ſemper refractarius & rebellis Deo fuit: non item duces & Reges. Deinde paſtori tutiùs grex committitur, quàm ipſe ſibi: qui ſi pereat paſtoris negligentiâ, gregem Deus à paſtore repetet; non contrà paſtorem à grege. Apud Prophetas non ratò legimus imputatum iri paſtoribus, ſi eorum negligentiâ grex perierit. Apud Ezechielem ſpeculatori comparatur paſtor: qui peccatores admonere debet. Quod ſi non fecerit, nec locutus fuerit, vt caueat impius, & recedat à via ſua impia vt viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu paſtoris requiret. Idem pluribus locis apud eundem Prophetam, & alios inuenitur. Vellem demonſtrari locum, quo in populo mandatur vt videat, ne Rex peccet, & niſi fecerit, id ipſi imputatum iri.

Ius quod allegatur, ciuium eſt: quibus in correos, qui non præſtarent quod promiſſum erat, iuſta datur actio: idque in debitis minimè controuerſis, quæ æquitas nulla eſt, quandò inter partes debitum controuertitur: & potentiâ & viribus correi adeò ſunt impares, vt alteri in alterum nulla eſſe queat actio; nec vllus ſuperior iudex, ad quem confugiat pars aliàs futura innocens. Vni uerſo populo in ſingulas tribus & familias poteſtas erat: hoc eſt maiori parti in minorem. Et quemadmodùm pars tenebatur legem obſeruare; ita etiam videre ne ab alijs violaretur: & quamdiù vna tantùm tribus aut ciuitas peccabat, debebat quidem à reliquis ad officium reduci; ſicut Deus in lege ſua ſanxiueat. *Si audieris de vna vrbium tuarum, quam Iehoua Deus tuus dat tibi, vt habites ibi, aliquem dicentem, Egreſſi ſunt quidam homines filij impietatis è medio tui, qui impulerunt habitatores vrbis ſuæ, dicendo, Eamus & colamus Deos alienos, quos non nôſtis; tunc inquires, & inueſtigabis, ac interrogabis diligenter: & ſiquidem veritas ſit & rumor verus, quòd facta ſit abhominatio iſta in medio tui; percutiendo percuties habitatores vrbis illius acie gladii; atque omnia ſpolia eius congregabis in medio plateæ eius, & combures igni vrbem ipſam, & omnia ſpolia eius, prorſus Iehouæ Deo tuo, eritq; cumulus perpetuus, non edificabitur amplius, &c.* Deut. cap. 13. Vniuerſo populo libero hîc poteſtas in ſingulos datur, & maiori parti in minorem: Quo præcepto debuiſſent

debuissent Rubenitas & Manasseos aliæ tribus vi & armis punire; si verum fuisset quod suspicabantur, nouam erectam fuisse aram dijs peregrinis; sicut vlti sunt Beniamitarum flagitium. Sed deficiente tribuum maxima parte ad cultum falsorum numinum, paucis non mandatur vt authoritatem in multos sibi vindicarent. Propter idololatriam decem tribus non erant à duabus reliquis delendæ, aut vi & armis cogendæ, iuxtà hunc allegatam legem.

Sub Roboamo per Semeiam Dominus à bello reuocauit Iudam & Beniamin; ne con- 3. *Reg.* 12.
tra reliquas decem tribus præliarentur. Nihilo enim sub Roboamo meliores fuêre suis fratribus: retinuerant quidem Ierosolymis aliquem veri Dei cultum, sed coniunctum & contaminatum falsorum numinum religionibus. Abia, qui Roboamo successit, idolo- 2. *Par.* 13.
rum quidem fana destruxit, & verum Dei cultum restituit: bellum tamen frustrà intulit Ieroboamo, tam regni quàm religionis causâ vt eos ad verum Dei cultum, & ad Dauidis familiæ regnum reduceret.

Ante creatos Reges varius fuit populi status: sed nunquam minor populi pars, qui vnam rempublicam constituunt, maiori legitimum bellum potuit inferre; nisi prius discessionis iusta causa data sit. Quia inter pares maior authoritas est penes maiorem partem, etiam si sit peior: quia de æquitate semper erit quæstio. Nam nemo tam impudenter, & perditè futurus est malus; qui iniquam se sustinere causam profiteatur: & quamuis magnus Tyrannus quis fuerit, se tyrannum esse, nisi furiosus esset, confiteri erubuit. Qui fuêre in populo Dei Idololatræ, & veri numinis cultus violatores, non crediderunt se tales esse: impietas religionis colore semper defensa fuit, & vera pietas nomine impietatis oppugnata: & tyrannis tanquam legitimus Principatus defenditur, & contrà iustum ac clemens imperium, pro tyrannide traducitur. Sub regio dominatu, pars quæ Regem sequitur, etsi minor sit, tamen propter Principalem Regis dignitatem, maiorem quoque habet imperandi potestatem: pondus Regiæ maiestatis totam authoritatem secum trahit. Sic ordo rerum & ius gentium est; quem perturbari Deus, qui ordinis est author, non confusionis, nusquàm voluit. Contrarium qui statuit, vt bonis faueat, qui sæpè vincuntur numero, quibusuis factiosis hominibus viam aperit, vbi potior pars melior erit. Satius est à bonis malos tolerari, quàm politicum ordinem, quo boni simul seruantur & mali, perturbari.

Malè igitur comparantur duobus promittendi reis, Rex & populus: quorum vterque coniunctim & separatim in solidum soluere tenetur. Deus de peccatis Regũ à populo innocente, qui similiter in eadem re non peccauerat, aut fortè grauiùs, nunquam sumpsit supplicium: nec ei peccati loco fuit, quòd in Reges suos propter ab eis perpetrata flagitia non insurrexerunt. Nam quamuis à subditis non sit Regum impietas imitanda, non idcircò est ab eis punienda.

CAP. XXX.

Populo non imputatur quod peccant Reges, nec propter eorum peccata puniuntur, nisi digni sint qui simul cum suo Rege affligantur.

DAuid iussit numerari populum, vndè plaga magna secuta est: sed non peccauit populus, quia Regis sui mandato non restiterit. Qui enim potuisset inermis populus, & qui non paratus ad eam rem erat; cùm armis à ducibus exercitus rès peracta sit? Sed peccauit quòd dimidium sicli, solui sanctuario mandatum pro redemptione sua, non persoluerit; plagam anteà per Mosen prædictam acciuit. Diuinæ iustitiæ non est, innoxios alienis peccatis inuoluere, & nihil commeritos punire. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur; sicut anima patris ita & anima filii*, ait Dominus. *Exod.* 30 *c.* 12. *Ezech.* 18. *c.*

Item addunt ob cædem Gabaonitarum à Saule perpetratam trium annorum fame af- 2. *Reg.* 1. *c.*
flictum fuisse Dei populum; quod non accidisset, si populus extra noxam fuisset: eam tamen vitare non potuit, nisi resistendo Regi. Potest igitur, imò debet Regi iniqua præcipienti aduersari: fieri autẽ id non potest, nisi vi vis repellatur. Arma igitur iusta sunt, quæ populus contra suum Regem reprimendæ tyrannidis causâ capit? Respondeo, multis mòdis populum criminum ac sceleruṁ Regis sui fieri participem: quod vt vitet, non opus

est vt Regi suo repugnet, & armis eum in ordinem cogat; satis est, si non placeant quæ scelerate & impiè fiunt à Regibus, nec operam auxiliúmue præstent iniquitati. Quandocunque populo probantur iniqua & impia Regis consilia, eisque se obsequentem præbent, nihil mirum est, si cum Rege suo in iram Dei incurrant; & Deus vlciscatur, quo tam populus quàm Rex peccauit. Vt gratificaretur populo, in Gabaonitas Saul desæuijt: non id facturus nisi gratiam populi sperâsset. Inuidiam exhibitæ clementiæ Amalechitis, contra præceptum Domini; & odium impiæ cædis sacerdotum Dei, hac noua gratia populi extinguere voluit. Meritò igitur in populo suo Deus puniuit voluptatem, quam ex clade Gabaonitarum ceperant: & quam sibi vtilem & profuturam sperauerant. Non minùs Deo displicuit Saulis crudelitas in sacerdotes, & ciuitatem Nobæ; eâ, quam in Gabaonitas perpetrauit; ob eam tamen Deus nullam calamitatem populo suo immisisse legitur; vtpotè qui particeps non fuerit illius tyrannidis regiæ. Israëlitæ satellites Regi nefariam cædem sacerdotum præcipienti, non paruerunt: quod satis fuit. In Regem non conuerterunt arma, defendendi sacerdotum causâ: non enim id vsquàm à Deo præceptum est. Quod tamen factum oportuisset, si populus & Rex simul rei promittendi fuissent. Quem putamus futurum illius regni statum, in quo populus persuasum habebit, apud Deum se peccatis Principis sui reos teneri, nisi mala ipsius remorentur consilia, & eum regant, atque in eum, imperium exerceant, à quo ipsi regendi sunt? Cùm actiones Regum foris pateant, consilia verò plerumque lateant; audacissimus quisque pro sua libidine omnia interpretabitur: & si quid ei non probetur, pietatem violari, indigna facinora committi, & iræ Dei totum populum obnoxium reddi, clamabit. Si quis ad mortem facinorosus ducatur, qui Deûm hominumque fidem testetur, se innoxium, se indigna morte perire; plebs credula, quæ sibi innocentis sanguinem imputatum iri arbitrabitur, latronem carnifici eripiet, & supplicio subducet.

CAP. XXXI.

Distributio subditorum in tria genera admittitur, & quod de priuatis hominibus concedunt aduersarii, probatur conuenire etiam subalternis magistratibus.

QVi prudentiùs & moderatiùs hoc argumentum tractant, quia omnium subditorum in hac re nolunt parem esse potestatem, quædam ab eis subditorum in tria genera facta est distributio: *quorum alii priuati sunt homines, nulla publica administratione fungentes; alii magistratum quidem gerunt, sed hi summis magistratibus subiiciuntur, quos subalternos & inferiores magistratus appellant: tertii, etsi summum quidem imperium non habeant, nec suprema ac ordinaria potestate funguntur, constituti tamen sunt in eo ordine, vt sint quasi frena & habenæ ad supremum magistratum in officio continendum.* Quòd verba libelli de iure Magistratuum hoc loco potissimùm adferam, à me fit, quòd meliùs mihi videatur gradus & conditiones diuersas distinguere, alijs, qui idem tractârunt argumentum & eorum multis in locis temperare ardorem, quem penitùs extinctum cuperē; & quòd mihi, meoque proposito seruiat illa, quam posuit, distinctio.

Sed hoc mihi multò maius est, quod ait, *hominem priuatum resistere non posse tyranno, qui semel à populo suo probatus & susceptus fuit, quamuis suo iure abutatur: retinet enim* (inquit) *authoritatis suæ fundamentum, in proprios & priuatos subditos, quoniam mutuo consensu, ac publicè contracta obligatio nullius priuati voluntate solui dirimíue potest. Quod si secùs fieret, recte vidit infinitas rerum perturbationes, ipsa etiam tyrannide peiores, secuturas: & in locum vnius tyranni, quem profligare mens esset, mille successuros.* Rationes & argumenta quibus eruditè hanc sententiam probat, adderem, nisi iam à me id factum esset: restat tantùm controuersia de inferioribus magistratibus, quos subalternos, & velut intermedios inter summum magistratum & populum vocat, quorum aliam putant esse rationem: *Quòd officia quæ ab eis exercentur, non tam à Rege quàm à suprema tate acceperint, proinde non tam nomine Regis, suo defungantur officio gladioq; vtantur, quàm ipsius regni.* Id pluribus verbis inculcatur, sed nullis solidis nec verisimilibus rationibus probatur.

Sed priùs & hoc videndum est, quos subalternos & intermedios magistratus vocet. Constituitur discrimen *Inter Regis domesticos, & officiarios (qui scilicet munus aliquod in basilica regia exercent, & ipsius personæ potiùs quàm regno inseruiunt) & eos qui publicis muneribus, quæ*

quæ ad regni statum vel iudiciorum causà, vel rerum bellicarum pertinent, funguntur: qui ideò in ipsis monarchiis non Regis sed coronæ administri nuncupantur. Cuiusmodi Romæ quidem erant Consules, Prætores, Præfectus vrbis, Præsides prouinciarum, &c. Tales quoque erant apud Israelitas Duces singularum tribuum, Millenarii, Centuriones, Quinquagenarii, Decuriones, & Seniores populi, &. Eius generis varii magistratuum ordines sunt hodiè apud Christianos, inter quos iure censendi sunt Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, Castellani, vt qui olim officia & munia publica exercerent, ad ea certo ordine legitimè, allecti, &c. In hunc ordinem præterea adnumerantur, qui in ciuitatibus ad varia munera eliguntur, quales sunt, quos vulgò Maiores, Vicarios, Consules, Capitolinos, Syndicos, Scabinos, & huiusmodi nuncupant. Qui omnes etsi supremo magistratui subsunt, & ab eodem inaugurantur & approbantur, non tamen ab eo propriè pendent, sed ab ipsa supremitate, id est, à summa illa imperii seu regni δυνάμει & authoritate, ideoq; defuncto eo qui summum magistratum gessit, manet in suo quisque gradu, quemadmodùm ipsa suprema potestas eadem manet, &c.

Sequitur posteà argumentum, quo superior adsertio doceri videtur. *Annon (inquit) æquum omni iure tam diuino quàm humano fuerit, aliquid istis inferioribus magistratibus ampliùs concedi, ratione præstiti ab ipsis iuramenti de procuranda legum obseruatione, quàm illis, qui priuatæ sunt omninò conditionis, & absque vllo publico munere? Dico igitur, si eo necessitatis fuerint adacti, teneri ipsos omninò aduersus manifestam tyrannidem, salutem eorum procurare (etiam armata manu si possunt) qui ipsorum fidei & curæ sunt traditi, tantisper dum ex communi statuum, vel eorum penes quos est omnis legũ regni illius aut imperii, de quo agitur, authoritas, consilio, meliùs rebus publicis consultum sit, & vt decet prouisum.* Hæc & id genus plura potestatis Regiæ aduersarij disputant, quæ tantò maiorem habent veri similitudinem, quòd aduersùs tyrannidem dici videntur, cum qua regnum tantam habet affinitatem, vt sola æquitate differat, (vt enim diximus, forma regiminis est eadem:) & suam quandam habent veritatem in aristocratica, & democratica gubernatione; quæ pro Rege certis legibus Principem asciscit. In quo rerum statu, inferiores sub Principe magistratus, non ab ipso Principe capiunt authoritatem, sed ab illa ipsa suprema potestate, qua ipse creatur Princeps. Gratiâ exempli: Romani Consules & Prætores ab illa eadem potestate creabantur, qua Dictatores, & primi Imperatores. Dico igitur, rectè quidem discrimen constitui inter aulæ regiæ ministros, & eos qui regni diuersis officijs præficiuntur: sed absurdum est magistratus populi Romani numerari & misceri cum præfectis bello & iudicijs, sub regio imperio.

Regni est alia natura quàm reip. popularis: regnum omnem supremitatem, summamq; imperij vni Regi tradit; qui vnus eam potestatem habet, quam Romæ populus habebat vniuersus. Quandò igitur aiunt inferiores magistratus, non propriè pendere à Rege, sed ab ipsa supremitate, id est, à summa illa imperij seu regni δυνάμει; quæro vbi & apud quos resideat: num in Rege, an in Ordinibus? In aliquo enim, aut in aliquibus vt insit, ceu subiecto, oportet. In populo eam apertè non videntur constituere: Regi verò eam detrahunt; quandò subalternos magistratus aiunt ab eo propriè non pendere. Vnde consequens est, vt summam illam imperij potestatem tantùm in Ordinibus esse sentiant: quorum authoritatem eò extollunt, vt dicant, *gentes populiq; Ordines ius sibi plerumq; retinuisse frænandorum Principum, cui nulla vetustas, vel temporis præscriptio obesse possit.* Quod si ita est, omne legitimum regnum tollitur, & eius loco constituitur vel populi vel Optimatum potestas. Reip. status & conditio denominationem accipit ab ijs, penes quos residet summum imperium. Si suprema potestas in vno Principe resideat, monarchia est: si in Optimatibus, aristocratia: sin verò in populo, democratia. Confundi & misceri inter se non posse demonstrauimus.

In regno suprema authoritas nulla cogitari potest, quæ tota non resideat in Rege: quare non verè dicitur inferiores siue subalternos magistratus non propriè pendere à Rege; sed ab ipsa, nescio qua, regni supremitate, quæ tota in Rege non sit. Rex refertur ad regnum, & contrà: estque Rex qui regit regnum, eique præest: cui subesse consequens esset, si qua regni δύναμις supra Regem esset. Regem autem à regno regi, tam est absurdum, quàm à curru equos trahi. Ab illa supremitate Rex supremus est; quam si ei adimas, regnum simul adimis.

Qui autem putant fieri posse, vt quemadmodùm Rex singulos in officio continere debet

debet ſua authoritate; ita Nobilitas vniuerſa, aut eius potior pars, Regem in tyrannum degenerantem reprimant; & idcirco iure tam diuino quàm humano, inferioribus Magiſtratibus aliquid amplius concedi, propter iuramentum de procuranda legum obſeruatione, quàm priuatis hominibus, æquum eſſe; ordinem quem Deus & ipſa naturę lex in hominum gubernatione conſtituit, non ſatis exactè expendere videntur; nec conſiderare ſummum imperium contra rei naturam in orbem iturum: & modò penes Regem, modò penes Ordines futurum. Prætereà animaduertendi poteſtatem nullam habere in ſuum ſuperiorem inferiores, qui quicquid habent poteſtatis, eſt ſuperioris, ſiue ea ſit belli, ſiue iudiciorum.

Quod iuramentum attinet, illud facit, vt minùs contra Regem poſſint cæteris, qui nullo ſacramento Regi tenentur obligati. Nam exacti & præſtiti iuramenti hæc eſt cauſa, nè poteſtate ipſis credita vel contra Principem, vel contra populum abutantur. Quod ſi fecerint, læſæ maieſtatis & perfidiæ grauius crimen incurrunt, alijs quibúſuis è plebe hominibus. Rex nemini poteſtatem dat, niſi hac conditione, quæ ſi minùs exprimitur, intellecta tamen intelligitur.

Poſtremò, rei difficultas maior eſt, quàm vt cum ſalute publica queat perfici, Primò, vnde ſcitur nobiles & reliquos Ordines non abuſuros poteſtate ſua in Regem, æquè ac Rex in Proceres populúmue? Deindè partem nobilium conuenire, res eſt plena periculi, mali que exempli, quod rebellium coniurationis habeat ſpeciem: & ab vno vel paucis quibuſdam, tanti momenti res tentanda non eſt: cæteris, ad quos non minùs res pertinet, tacentibus, aut tyrannidem probantibus; quia aut placet, aut quia tyrannis non videtur. Metuendum enim eſt, ne citiùs mali ſpecioſo quæſito colore coëant in boni Principis perniciem, quàm boni contra verum tyrannum, ad ſalutem populi. Prætereà, quis Ordines conuocabit? quis in regno ſub Rege tantæ authoritatis, vt ad eius mandatum venturi ſint, niſi poſt manifeſtam defectionem, apud eos qui iam iure aut iniuria defecerint? Ad hæc & hoc ſcire conuenit, populum Proceréſue malam poſſe ſuſtinere cauſam, & Regem bonam: & fieri etiam poteſt, vt tam Regis, quàm populi, aut Ordinum cauſa mala ſit. In bellis enim tam ciuilibus quàm hoſtilibus, non rarò vtrinque peccatur.

Ius diuinum & humanum quod hîc nominatur, quo nobilibus adfirmatur aliquid amplius concedi æquum eſſe, vellem doceri; nam nullum inuenio: mihi non ſatis eſt id dici, niſi demonſtretur. Nam vt Magnatibus, qui proximi ſunt Regi, amplius concedatur quàm priuatæ conditionis hominibus, æquiſſimum eſſe fateor; nempè vt liberior & facilior ad Regem pateat acceſſus, vt conſilio præſtò adſint, vt moneant, hortentur, conſulant, ſuadeant, diſſuadeant, quæ ad regni ſalutem, & Regis honorem pertinere iudicabunt: ita armata manu Regi reſiſtere, eumque cogi ab ijs qui armatam manum non habent, niſi quam ipſe Rex armauit, contra ius diuinum & humanum videtur. Sententia Domini noſtri, *Qui gladium acceperit, gladio peribit*, ex iure diuino ſumpta eſt.

Leges ciuiles autem ſummis Magiſtratibus, quales erant Conſules apud Romanos, nullum dabant militare imperium; Conſul delectum habere, ac militem armare non poterat. In nouis & ſubitis motibus, noua lege opus erat, qua iubebantur videre nè quid reſpublica detrimenti caperet. Duces verò, Comites, & Barones, qui hodiè ſubſunt Regibus, ſimiliter Conſules, Maiores, Burgimagiſtri, & qui dicuntur Scabini, inferiores quidē magiſtratus ſunt, ſed ſine bellico imperio; niſi mandet Rex in ſuo regno, aut Senatus populúſue in rep. Armorum poteſtas bellique ius ad ſupremam poteſtatem pertinet, & vt ſe aut alios armare poſſint, ſpeciale mandatum requirit. Armauerit militem, & exercitum comparauerit aliquis Regi ſubiectus Dux, aut Comes, vnus vel plures; cum Galba quæri poterit, *Commilito, quis iuſſit?* Nemo enim id per leges poteſt in benè conſtituta rep. cui Deus & leges non dedêre bellicum imperium.

Quòd defuncto eo, qui ſummum magiſtratum geſſit, hoc eſt, Rege, magiſtratus, & quotquot cum aliquo ſunt imperio, *manent in ſuo quiſque gradu vt prius*: ſcire conuenit, magiſtratus, & eos qui officia publica gerunt, ex donationis formula mandatique retinere aut amittere morte Regis magiſtratum aut officium publicum: deindè ſummam poteſtatem non mori ſimul cum Principe. Tranſit enim ab eo ad legitimum hæredem, in regnis hæreditarijs: & in electiuis ad vniuerſum illius regni populum; quorum nomine reſpublica

respublica regitur, & quibus electionis noui Regis ius competit, eligunt.

Sublatis Regibus hæreditarijs, ad vniuersum populum recidit imperium: cui tunc Deus hanc potestatem lege naturæ facit, vt illud aut sibi retineat, & per Principes & magistratus illud administret; aut vt totum in alium transferat.

CAP. XXXII.

Lex feudorum, quæ vassallum eximit ab officiis debitis domino, propter ab eo in ipsum commissam feloniam, ostenditur non habere locum inter Regem & subditos.

QVòd ex iure feudorum allegatur, *Dominum non minùs in vassallum, siue clientem, crimen perfidiæ committere posse, quàm vassallum in dominum: quo casu, etsi feudum domini ad vassallum non deuoluatur, redeatque ad directum feudi dominum; ipse tamen ius, quod habebat in feudum & vassallum, amittit;* Respondeo, aliam esse rationē vassallorum inter se, sub maiore domino, aliā Regis ad vassallos, & vassallorum ad Regem, qui superiorem nullum habet, apud quem de sibi facta iniuria inferior vassallus possit queri. Iniquum est quenquam priuatum sibi ius dicere, & eum qui est læsus, vltorem esse propriæ iniuriæ. Sed vt res magis nota sit, & quàm leges illæ feudorum quæ citantur, nihil argumenti contineant, ad probandam Ordinum, aut populi aliquam potestatem in Regem, visum est mihi eas hìc subijcere. *Lib. 2. tit. 26. §. 24. Domino committente feloniam, vt ita dicam, per quam vassallus amitteret feudum, si eam committeret, quid obtinere debeat de consuetudine queritur; & respondetur, proprietatem feudi ad vassallum pertinere, siue peccauerit in vassallum, siue in alium.* Super quo textu Franciscus Hottomanus hoc modo commentatus est. *Imperator* (inquit lib. 2. tit 52.) *iubet omnem fraudem & dolum abesse ab vtroque oportere, hoc est, vt non modo vassallus seniorem tanquàm patronum, verùm etiam hic illum tanquam clientem obseruet. De hoc tamen iure dubitatum est, in lib. 2. tit. 47. nec sine argumento, cùm neque vsquàm legatur dominum vllâ verborum formulâ fidem suam vassallo suo iurare, ac ne astringere quidem; nec patronus suo liberto aliud quidquam, quàm quod diserte ac nominatim promisit, debeat. Quod in textu legitur de consuetudine, ita exponit. Notandum igitur iuris patronatus amittendi causas nulla scripta lege definitas esse, lib. 2 tit. 23. Proprietatem feudi ad vassallum pertinere; ita exponit; ob crimen patroni vassallo proprietas feudi consolidatur, lib. 2. tit. 47. vbi tamen ambiguum huius rei proponitur.* Hæc Hottomanus. Loci citati textus verba hæc sunt: *Ex facto quæsitum scio, & ego à pluribus quæsiui, si dominus contra vassallum apertam feloniam fecerit, an sicut vassallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate priuetur; alii non nisi ex magna felonia, alii ex nulla.* Et hoc est illud ius, ex quo Ordinum authoritatem supra Regem demonstrare volunt, dubium, incertum, varium, non rarò iniquum.

Feudorum leges militares sunt, & feuda militiæ stipendia quondam fuêre: cuius ordo postulabat, vt inferiores vassalli, suis senioribus parerent, & semper præstò adessent, quandocunque vsus postularet. Supremi domini, id est Regis, intererat, mutuam amicitiam retineri inter seniores & vassallos; ne inuiti sub eo, à quo insignem aliquam iniuriam acceperant, militarent iatque hac occasione directus dominus seruitio suo fraudaretur. Quapropter æquum visum fuit, vt plecteretur pari pœna senior, qui graui aliquâ affecisset contumeliâ suum vassallum, qua puniendus eiat si in seniorem huiusmodi quidpiam designasset. Directus dominus talem legem ferre potuit; & ea lege feudum dare. Qua in re, habita est ratio superioris domini, & militiæ bene constitutæ, potiùs quàm officii vtrinque ex iure naturæ debiti. Malè aptantur hæc Regi qui supremum dominum non agnoscit, & subiecto ei populo. Sed ea quæ superiùs diximus de Dauide, sufficerēt ad plenam huius quæstionis solutionem, si abesset contendendi studium, & regiæ potentiæ odium. Sed vt totam complectar disputationem, summa eorum quæ diximus hæc est; Quamuis nonnulli, qui inter inferiores magistratus numerantur, habeant gladium, non est distringendus in illum qui dedit, & cuius auspiciis est eo vtendum: delegata potestas ab eo dependet qui delegauit: eiúsque nutui seruire debet. Quare nihilo plus potest illa potestate inferior magistratus in suum Regem, quàm priuatus. Non enim sua ipsorum authoritate iurisdictionem exercent: aut arma tractant inferiores magistratus, & militiæ Capitanei, sed eius qui eam potestatē dedit: nemo vnquàm quemquam in se armauit, aut armare potuit. Quare quicunque id audent, æquè ac priuati, in pœnam legis incurrunt,

runt quam Seruator noſter ore ſuo ſanxiuit, *Qui gladium acceperit, gladio peribit.*

CAP. XXXIII.

Principes, qui ſuperiorem agnoſcunt dominum, tamen poteſtatem habent & imperium non delegatum, ſed proprium, poſſunt ſe, & ſuos contra iniuriam & vim à domino illatam defendere, ſed non eum vltrò lacesſere.

NE videar in vniuerſum condemnare omnes Duces & Comites, alioſque Principes, qui ſuperiorem agnoſcunt dominum; inter inferiores, aut ſubalternos magiſtratus, non aptè mihi numerari videntur, qui demandatum proprium in ſubditos, & non ab alio habent imperium. Sunt enim Reges beneficiarij, aut qui ſeſe in clientelam dedêre potentioris imperij, eiſque ſe ſubiecêre; aut qui regnum acceperunt à ſuperiore Monarcha, tanquàm feudum: quibus adnumerandi ſunt, qui ducatum aut comitatum ſimili lege obtinent, ſoloque nomine differunt à Regibus beneficiarijs: ſi quod amplius ſit diſcrimen, perexiguum eſt: cuiuſmodi olim fuerunt Duces Burgundiæ, Flandriæ, & Arteſiæ; & hodiè ſunt Principes Germaniæ, & alij, qui in ſubditos non delegatam, ſed traditam & datam habent poteſtatem: eaque tanquam ſua, ſuoque nomine non alieno, vtuntur fruuntur, & ſuo nomine, non alieno ſubditis ius dicunt; eoſque à vi & iniuria defendunt.

Horum cùm non delegata ſed abſoluta ſit poteſtas, ſe & ſuos aduerſùs iniuſtam vim defendere poſſunt; eamque vi propulſare. Directo enim domino præter fidem & obſequium, ex pactis conuentis ratione feudi aut protectionis, nihil debent. Gratiâ exempli; Rex Agrippa à Romanis Imperatoribus totam Iudæam, & quidquid ipſius auus magnus Herodes poſſederat, obtinuit, & Regia authoritate rexit: & hodiè Bohemiæ regnum imperij eſt feudum: eſtque Bohemiæ Rex imperij clien's & vaſſallus: horum authoritas eſt regia, longè diuerſa ab ea quam habuêre Fœlix & Feſtus, aliique; qui à Cæſaribus miſſi in Iudæam, tanquam procuratores eam gubernârunt. Agrippæ verò poteſtas ipſius propria erat, & rem ſuam non alienam tractabat: at Feſtus authoritate Cæſaris præerat, & non ſuam rem, ſed populi Romani adminiſtrabat. Proinde iuſtam belli cauſam contra Cæſarem Agrippa habere potuit, non autem Fœlix aut Feſtus: ſicut nec alius Dux, & generalis Capitaneus, quem hodiè Imperator aut Rex quiſpiam prouinciæ militiæque præficeret.

Comites autem & Duces, qui in ſubditos proprium, non alienum exercent imperium, quamuis ſuperiorem agnoſcant dominum, ad defenſionem ſui & populi ipſis ſubiecti, contra omnem iniuſtam vim, gladio armati ſunt: quo & vti poſſunt contra dominum; ſi iniuriam non ferendam clienti, & fideli ſuo, ipſiuſque ſubiectis afferat. Plurimùm enim differt datum communicatumque imperium, à delegato & mandato: quòd eo aduerſùs delegantem, vti ratio non permittit; illo ius tueri ſe non prohibeat.

Inter hos & illos par diſcrimen eſt ei, quod inter eiuſdem patris natos, quorum alij emancipati ſunt, alij ſub poteſtate patriâ degunt, conſpicitur. Hi proprij nihil poſſident: patris enim ſunt quæ habent vniuerſa: illi propria bona & diſtinctam habent poſſeſſionem ab ea quæ eſt patris: quam ſi pater ipſis nulla de cauſa velit auferre, vt ad alium transferat, iuſta erit aduerſùs patrem defenſio: vtpote quòd iniuria ad vxores & ipſorum natos, quorum cura eis commiſſa eſt, pertineat: nihilominùs tamen aduerſarium patrem omni honore & obſeruantia tenentur colere.

Etſi enim contra patris iniuriam habeant legum defenſionem, tamen vt patrem malè multent, pulſent, aut necent, aut alio quouis modo malè tractent, propter acceptam iniuriam, iura naturæ non permittunt. Inculpata defenſio vt emancipatis permittatur, vltio acceptæ iniuriæ negatur. Eodem modo vaſſallis Regum & Imperatorum, quorum feuda proprium habent imperium, non delegatum, fas eſt ab iniuria dominorum ſe ſuóſque defendere: ſed fines transgrediuntur iuſtitiæ, ſi vlteriùs progrediantur. Vaſſallum iudicem fieri Domini ſui, niſi aliundè eo ſit aut par aut maior, rerum ordo non fert.

CAP.

CAP. XXXIIII.

A Rege non appellatur, quia superior in regno ipso Rege nemo est.

ALlegari etiam solet ex Romana historia, prouocatum fuisse à Rege ad populum in causa capitali Horatij sororicidæ, qui à delegatis per Tullum Hostilium regem iudicibus damnatus, à populo posteà est absolutus. Respondeo, historiam Titi Liuij esse notam: & indè non probari populum Romanum authoritatem maiorem regiâ habuisse: Res ita habet; Iudex in ea causa Rex esse noluit, nè ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicij, ac secundùm iudicium supplicij author esset: concilio populi aduocato, duumuiros inquit, qui Horatio perduellionem iudicent, secundùm legem facio. Lex horrendi criminis erat, duumuiri perduellionem iudicent: si à duumuiris prouocârit, prouocatione certato: si vincent, caput obnubito, infœlici arbori reste suspendito, verberato, vel intra pomerium vel extra pomerium. Hac lege duumuiri creati (qui se absoluere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem posse) cùm condemnâssent; tum alter ex his, P. Horati, tibi perduellionem iudico (inquit) lictor colliga manus: accesserat lictor, iniiciebátque laqueum: tum Horatius authore Tullo clemente regis interprete, Prouoco inquit: ita de prouocatione certatum ad populum est.

Nullum (nisi vehementer fallor) ex hac historia duci potest argumentum quo doceatur populum Romanum imperium habuisse in suum regem, aut à rege fuisse prouocatum ad populum, cùm hic narretur regem huius iudicij inuidiam declinâsse; & idcircò lege duumuiros creâsse iudices huius causæ; á quibus prouocationem dedit ad populum.

Hæc cùm omnia fiant regis iussu, non populi authoritate; miror à viris doctis hanc citari historiam, ac si iudex ipse rex sedisset, & ab eius iudicio ad populum appellatum esset; qui mos si fuisset apud Romanos, & iure à Rege ad populum prouocatio permissa fuisset, faterer quidem maiorem illius populi authoritatem quàm regis: sed negarem regem illum esse Monarcham; & dicerem illud gubernationis genus esse populare, non regium, quamuis suum Principem Regis nomine honorarent. Sed tantũ abest vt ita sit, cùm primum illud fuerit iudicium, quod de capite P. Horatij (teste Cicerone pro Milone) Romana ciuitas vidit, ad populum delatum: & Seruius Tullus dimidiũ de regia maiestate detraxisse dicatur, quandò priuatarum personarum quæstionibus ad alios iudices delegatis, sibi maiestatis tantùm crimina reseruauit.

Iurisconsultos hæc disputare absurdum est, qui ignorare non possunt à quibus appellare non liceat. *Stultum est* (inquit [a] Vlpianus) *illud admonere à Principe, appellare fas non esse.* In populo Dei pœna mortis sancitur ei qui detrectâsset parere sacerdotis aut iudicis iudicio. Verba legis hæc sunt; *Vir autem qui fecerit per superbiam, vt non obediat sacerdoti, qui stetirit illic vt ministret coram Iehoua Deo tuo, aut iudici, morietur vir ille, & auferes malum ex Israele.* Si fuisset in populo Dei aliqua maior regis aut iudicis aut summi sacerdotis, quandò nullus rex in Israël, nec iudex erat, potestate potestas; vel in summo aliquo senatu, vel in vniuerso populo, ad eam tam seuera lege prouocatio negata non esset.

[a] Lib. 49 tit. à quibus appellare non liceat.

CAP. XXXV.

Quamuis Episcopus Romanus subesse debeat decretis Conciliorum, & possit a Concilio deponi; non tamen inde sequitur eandem populum habere potestatem in suum Regem.

ITem argumentantur ab authoritate Conciliorum supra Papam, ad quod ab eo appellare licet; & quem deponendi, saltem propter crimen hereseos habet potestatem: tamen (inquiunt) nulla maior in terris creditur potestas, eâ quam episcopus Romanus sibi vendicat: vnde esse consequens aiunt, aut reges maioris authoritatis, quã pontifices, criménque hæreseos minus, quàm tyrannidis crimen; aut populos tantundem saltem potestatis habere in reges tyrãnos factos, quantũ habet Conciliũ in pontificem hæreticũ.

Respondemus, Theologorum Romanæ Ecclesiæ variare super hac re sententias, ídque propter diuersam opinionem de traditis à Domino Ecclesiæ clauibus, id est, potestate

ligandi atque ſoluendi cœtui Apoſtolorum, & ex æquo ſingulis & vniuerſis Apoſtolis: & quotquot ſunt in hac ſententia; conſequens eſt, vt maiorem authoritatem credant œcumenici Concilij eſſe, quàm ſit vnius Romani Epiſcopi, & ab eo dandam eſſe appellationem ad Concilium.

Altera eſt eorum qui contendunt claues eſſe traditas vni Petro, cum præcipua quadã cura paſcendi oues & agnos Chriſti: & iſti faciunt Petri authoritatem maiorem reliquorum Apoſtolorum, & conſequenter Epiſcopi Romani, quem volunt vnicum eſſe Petri ſucceſſorem; ac proinde eiuſdem poteſtatis: quam eò extollunt, vt iura diuina & humana commutare poſſit. Cui opinioni accedit alius error, Papam errare non poſſe, in ijs quæ pertinent ad fidem; ac proinde eum ob hæreſim deponi non poſſe. Ipſum Epiſcopum & Paſtorem eſſe totius vniuerſalis Eccleſiæ, poteſtatem in omnes & ſingulos habere Chriſti fideles; neminem verò in ipſum, nec coniunctim nec diuisim: proindè cùm ipſe ſit omnium iudex, à nemine iudicari poſſe, ſed ſolius Dei reſeruatum eſſe iudicio. Quæ poteſtas cùm verè regia & monarchica ſit, defenſores huius ſententiæ aiunt, quod neceſſe eſt conſequi, Papam eſſe ſupra Concilium, nec poſſe vllis ipſius decretis ligari, nec latam ab eo ſententiam reſcindi, nec ab vllo Concilio deponi: negabuntq; vllos Papas iure vnquàm fuiſſe depoſitos: ſed interdum ſchiſmatis tollendi cauſã, amore publicæ pacis, ceſſiſſe papatui: & quotquot ſecùs fuêre depoſiti, vim eſſe iniuſtã paſſos. Item, eodem iure ad Papam pertinere conuocationẽ, prorogationem, & tranſlationẽ Conciliorũ; & ita concidit argumentum, quod falſæ nititur hypotheſi.

Dato igitur, quod & factum negari non poteſt, à Concilijs, imò & ab Imperatoribus, depoſitos eſſe, & deponi poſſe Epiſcopos Romanos; immenſa illa poteſtas, quam ſibi vendicat, ei competere negabitur. Epiſcoporum Romanorum epiſcopè, & aliorum, naturâ ſuâ adeò differt ab illa ſupremitate, quæ Regibus eſt propria; vt cum ea nihil habeat commune. Regum imperium cum dominatione Deus coniunxit; & Epiſcoporum à dominatione eſſe alienum Seruator noſter voluit.

Præterea inter poteſtatem Concilij ſupra Papam, aut alios Epiſcopos; & populi procerúmue in comitijs Regni, nulla eſt analogia. In libero Concilio qui conueniunt Epiſcopi, pares ibi tunc ſunt poteſtate; & vniuerſi ſunt ſingulis maiores: populi verò poteſtas, & procerum, & Regis, in Regni comitijs eſt inæqualis; & vt quorundam aliqua ſit authoritas in rep. ibi præſente Rege ſilet. Conuentus ordinum authoritas eſt tantùm prudentiæ & conſilij; non vllius imperij in Regem, aut ſupra Regẽ. In libero Concilio Epiſcopi in dicendis ſententijs & ferendis ſuffragijs, Patriarchis & Primatibus, ac ipſi denique Papæ ſunt pares. In comitijs ordinum ſub Rege, ſententiæ pondus capiunt ab ipſius aſſenſu, à quo & pendent. Vt comparatio valeat, neceſſe eſſet Regum conuenire Concilia. Nam qui pares in Regno vocantur, non comparantur cum Rege; ſed ipſi inter ſe; ad Regem collati ſimul omnes, vt ſinguli, ſunt impares; ſicut à nobis iam monſtratum eſt.

Concilia Epiſcoporum conueniunt, Regum autem Concilia conuenire non eſt auditum. Optimatum autem & liberi populi comitia, cum Epiſcoporum ſynodis habent affinitatem: illi qui poteſtate ſunt pares, tractant quæ ad ciuilem gubernationem pertinent; hi quæ ad pietatem & morum ſanctitatem. Vtrobique vniuerſi poteſtatem habent in ſingulos, quicunque illi ſint, aut cuiuſcunque ordinis aut dignitatis. In Regno vnus ita ſolus ſupra omnes eminet, vt neque ab vniuerſis maieſtate, poteſtate, imperióue poſſit adæquari. Eſt in ſuo regno Rex tam erga vniuerſos quàm in ſingulos, quod ſunt vniuerſus populus & vniuerſi optimates in republica erga ſingulos. Non ergò ſequitur, Concilium poteſt deponere Papam, ergò Ordines poſſunt exauthorare Regem.

Quod comparationem attinet inter crimen hæreſeos & tyrannidis, ea nimis generalis eſt: certa hæreſis eſt cum certa tyrannide comparanda. Nam non quæuis hæreſis eſt tyrannide peior, nec quæuis tyrannis hæreſi minor. Romani Epiſcopi hæreſis quauis tyrannide eſt immanior. Munſteriana quoque hæreſis, & id genus, plures tyrannides in ſe continent, pariúntque: quibus quomodò reſiſtendum ſit, à me ſuprà dictum eſt.

CAP.

CAP. XXXVI.

Eodem iure subsunt populi Regibus, quo nati suis parentibus, liberti patronis, serui dominis.

QVærunt præterea, an maior sit subditorum erga Regem obligatio quàm liberorum erga parentes, mancipiorum erga dominum, aut libertorum erga patronum, qui eos manumisit. Respondeo, mihi illâ ipsam comparationem in primis placere: nec enim aliud quidpiam magis opportunum mihi posse dari, nec magis confirmandæ meæ sententiæ idoneum, arbitror.

A familijs omnis imperij forma manauit, atque desumpta est. Rex alio loco subditis esse non debet, quàm est domesticis paterfamiliâs: proindè colendus est obseruantiâ ac pietate à populo, qua nati colunt suos parentes: quibus etsi duros & crudeles esse contingat, nulla vnquam iniuria tanta interuenire potest, ob quam naturæ iura ipsis mutare liceat, atque authoritatem vsurpare imperandi parentibus, vt propter malefacta in domesticos commissa, mulctandi eos, ne dicam mactandi fas sit. Fugere quidem iniustam vim, necemque intentantes, sicut & subditis tyranni furorem vitare, natis permittitur: sed contrà stare, aut referire, minimè. Hic ad mentem reuocare Lectorem velim quæ libro primo de natorum officio erga parentes diximus, & huic aptare argumento.

Veruntamen audiamus quid ex hac comparatione conentur efficere: allegatur id quod scribit Cicero de officio filijfamiliâs, cuius pater vi patriæ suæ dominium vsurpare contendat. *Si pater* (inquit) *dominationem manifesta vi occupare, aut patriam prodere tentet, an filius tacebit? minimè; sed patrem supplex rogabit, ne id faciat: si autem precibus nihil profecerit, accusabit illum, atque minis terrebit: quòd si eò iam res processerit, vt periculum sit nè tandem patria obruatur, vitæ patris salutem patriæ præferet. En* (inquiunt) *qualis fuerit eius viri sententia, non solùm rationi consentanea, sed etiam maximè authoritatis.* Sed quid indè efficitur? Quomodo potestatem in suum patrem natum habere hinc demonstratur? Filiusfamiliâs reipublicæ suæ regnique est filius; qui quemadmodum patri tenetur, similiter & patriæ, Regique suo obligatur. Cicero hîc docere vult, vtrius horum duorum vinculum fortiùs adstringat; & quem cui debeat filius præferre.

Casus adferri debuit, in quo filiusfamiliâs patrem suum in ordinem cogere possit, in ijs quæ ad rem familiarem & domesticum regimen pertinent, quod nunquàm fiet; nisi quis naturæ iura velit euertere. In duobus quidem casibus amentiæ, & stultæ prodigalitatis, familiæ & bonorum suorum administratio patrifamiliâs interdici potest, & committi filio: sed hoc publicâ legum magistratuumque authoritate fiet; non priuatâ natorum. Idem & in Regem est ius quando suæ mentis non est compos: quod non tam censeri debet dominatus, aut authoritas in Regem, quàm fides & obseruantia, quæ debetur etiam infantibus Regibus, ab omnibus subditis.

Nihilo plus momenti habet, quòd adfertur de seruo & liberto, quos leges à seruitute dominorum, & ab officijs patrono debitis absoluunt, ob crimen commissum in seruum aut libertum; non enim id fit, nisi priùs causâ cognitâ à iudice, latâque sententiâ. Ipsi suo arbitrio seipsos in libertatem adserere non possunt, multo minùs in dominum consurgere, & propriam iniuriam vlcisci. Deus inter Regem & oppressum tyrannide populum iudex est, qui tempus & modum nouit liberandi populum, & vindicandi iniurias tyranni; & hoc pijs Christianis summum solatium in omni calamitate semper fuit.

CAP. XXXVII.

Non eadem est multitudinis potestas in Regem, quæ Regis in multitudinem.

HAs rationes & argumenta exemplis confirmant. Olim (inquiunt) apud Gallos ita regnatum fuit, vt non minorem potestatem vniuersus populus in suum Regem haberet, quàm ille in singulos: citanturque verba Ambiorigis excusantis factum suum Cæsari, quòd sua imperia essent huiusmodi, vt non minùs haberet in se iuris multitudo, quàm ipse in multitudinẽ. Idem Cæsar narrat quomodò Galli suos Reges ad tyrãnidẽ aspirãtes morte damnârint, sicut constat Ephoros fecisse suis Regibus. Itẽ ex Romana historia citant *Cæs. lib. 5. de bell. Gall.*

citant Lentulum, quòd cum Catilina de euertenda rep. coniurâsset, coactum esse Prætura se abdicare: & quòd Decemuiri legum Romanarum cum summo imperio conditores, in ordinem authoritate populi coacti sunt. Constare etiam inter Iuris Romani interpretes, Principem potuisse iusta de causa, à populo Romano imperio priuari, & morte damnari: & Venetorum Duces aliquot in monasteria detrusos, alios necatos iussu Senatus. Childericum Regem Francorum nihil mali commeritum, tantùm quòd inutilis regno videretur, populus regno priuauit, & in monasterium relegauit.

Ad hæc facilis est responsio: Gallos temporibus Iulij Cæsaris, nullum habuisse verum Regem; sed tantùm Principes, quibus summum quidem imperium populus communicabat; sed non à se abdicabat: proindè exempla quæ adferuntur, non conuellunt, nec aduersantur ijs quæ de veris Regibus & Regia potentia adserimus. Lentulus tantùm Prætor erat, nec quidquam eius exẽplum ad rem præsentem pertinet, Decemuiri tantùm à populo summum acceperant imperium in annum: quod ita fuit posteà prorogatum, vt à populo Romano illud iusta de causa posset repeti. Idem dicẽdum de Romanis Imperatoribus, quibus Senatus populusq; Romanus imperium abrogauit. Aliud enim est (vt diximus) communicare alicui supremũ imperium, aliud abdicando illud à se totũ in aliũ transferre.

Baldus in libris responsorum ait, Imperatorem posse supremum imperium alteri communicare, & communicando nihil à se abdicare: quia imperij honorem & maiestatem non potest in alium transferre, quin ipse remaneat superior: sic populus Romanus communicauit imperium Dictatoribus & primis Imperatoribus, vt posset etiam auferre. Regnum Lacedæmonum, si regnum dici debet, ab Ephoris, hoc est, à Magnatibus regebatur, quibus & Reges parebant. De Venetis idem dico, quorum Duces non sunt Reges, sed tantùm Principes Nobilitatis: Reip. illius gubernatio est Optimatum.

De Childerico, aio, eum tunc rerum fuisse statum, qui virum fortem, & rei bellicæ peritum postulabat: & quia ineptus rebus gerendis erat & orbus; facilè cessit. De hoc negotio diù deliberatum fuit: & res anteà multùm & sæpè fuerat agitata. Quare quicquid alij sentiant, qui hoc factum odio vel amore Pontificiæ Romanæ, vel popularis authoritatis, in deponendis Regibus, exaggerant, ego non tam vi fuisse depositum arbitror, quàm persuasum monachatu suscepto, imperio se abdicare, & illud alteri tradere, qui regno magis idoneus, ac tempori necessarius erat. Franci tamen cùm essent pij, sacramenti religio, fideque iurata Regi, eos non parùm turbabat; consuluerunt igitur Romanum Episcopum, vt scirent quid in tali rerum statu, contra sacramenti religionem liceret: res noua erat & inaudita. Quòd si Proceres & populus habere se potestatem exauthorandi Reges credidissent, nulla religio eorum turbâsset animos. Cunctatio in ea re, & consultus Romanus Episcopus ostendunt eos credidisse, Rege superstite, alium adsumere non fuisse in eorum potestate.

CAP. XXXVIII.

Tyranni nullo iure necari, aut eijci à populo possunt.

QVidam vt probet Tyrannos iure è rep. eijci ac necari (vtrumque simul coniungo, quòd se consequantur; etenim si fas est eijci Reges, fas est occidi; si occidi, eijci) hoc argumento vtitur: *Nisi persuasum à natura ipsa esset, Tyrannum eiici regno fas esse, non electum è Siciliæ regno Dionysium, non à Romanis Tarquinium superbum, non,* sicuti Gregorius Turonensis refert, *Childericum Clodonei patrem è Francico, Victorium Ducem sub Eorico Gotho, ab Aluernis; non Christiernum à Danis, Edwardum secundum, & Richardum secundum ex Anglico, Vitizam ex Hispanico electos legeremus.*

Cui simili ratiocinatione occurro; nisi Tyrannos interfeciisse nefarium esset, non legeremus eorum percussores malè perijsse: vt à Sicilia incipiam, Dionem cum tota familia extinctum fuisse post electum Dionysium; Brutum, & Cassium, cæterosque qui Iulium Cæsarem interfecerant, aut propria manu, aut familiarium, aut hostium, eodem anno occubuisse. Item non legeremus senatus decreto sumptum supplicium & de Chærea tribuno interfectore Caij Caligulæ. Nõn legeremus Dauidem eos, qui Isboset caput attulerant, necari mandâsse.

Sed

Sed multò aliter argumentabor, & dicam, Nisi bonos Reges tollere naturæ lege perfusum esset, non legeremus Pertinacem, Alexandrum, Seuerum, Gordianum, vtrumque Vbium, Gallum, Æmilianum, Quintilium Flauij Claudij fratrem, Aurelianum, Tacitum virum optimum, Probum, re, & nomine, & Numerianum, Imperatores omnium iudicio bonos, à militibus interemptos. Ineptam esse hanc argumentandi formam nemo non videt. Fruſtrà citantur exempla, quando de iure est quæstio.

Quod Dionysium Syracusanum attinet, dico pessimos illos insulares tyranno fuisse dignos, qui ita comparati erant, vt moderatam gubernationem ferre non magis possent quàm tyrannidem: sicut patet ex necato Dione. Addo, improbitatem populi non rarò coëgisse bonos alioquin Principes fieri Tyrannos.

De Tarquinio superbo, dico, causam quæ prætendebatur non videri satis idoneam, cur deturbari regno pater debuerit ob flagitium filij; nisi dicere velimus Dauidem à populo Israëlitico fuisse mactandum, ob adulterium, & Vriam necandum hostili gladio expositum, & eijciendos à populo Reges ex toto Israële, qui omnes ferè ad vnum fuerunt impij. Quòd si ea futura sit cuiuis populo iusta abdicandi Regem causa, nec tamen mouetur, vt peccantem Regem puniat, in magnam Dei iram incurrere oporteret: at populum nullum propter Regis peccatum à Deo afflictum legimus, qui ipse dignus ob propria sua flagitia non esset. A Deo puniri Reges fateor, sed populum qui propterea in suum Regem consurget, à perduellionis crimine non excusat. Ratio hæc est, quòd populus Regis sui iudex non sit, nec ius gladij habeat, quo vtatur in suum Principem. Cur enim liceat in suum Principem plebi, quod in neminem priuatum licet? Quid si plebeius aliquis aut patritius, patre patritio natus, Lucretiam violâsset; an iustum Romani iudicâssent, patrem simul cum nato pœnas adulterij dare?

De Childerico quid dicam? Eadem leuitate, quâ fuerat eiectus, fuit postea restitutus. Non quidquid offensus populus miléue perpetrat, ius est. Gothorum, Longobardorum, aliorumque, qui illa ætate, & ante illam ætatem regnârunt, mores fuêre huiusmodi, vt pro exemplo adferri non debeant: nisi quis in mutuas cædes grassari, prædari & vastare, vi & armis inuadere atque occupare aliena, ius esse, probare velit.

Christiernum autem à Danis in ordinem fuisse coactum scio, & dignum qui id pateretur, agnosco; de iure dubito, nisi ius esse dicamus, quod placet ei penes quem cadit victoria. Nam si Rex vicisset, ius tunc penes eum fuisset, & quæ valdè est diminuta Regis Danorum potestas, maior euasisset. Quandò ad Martis aleam veniendum est, ius est in armis. Arduum & difficile est iudicium controuersiarum inter armatum Regem & populum, quas prælium victoriaque diremit, non iudicium. Longè præstaret quidquid est huius generis Dei iudicio relinqui, quàm à priuatis quidquam temerè definiri, aut ex facto exemplum trahi ad probandum quid liceat, quid minùs.

Edwardi secundi mores non probo, sed illud multo minùs, quòd contra Dei & naturæ legem, ab vxore & nato vim passus est. Ex occultis Dei iudicijs hominum facta non sunt æstimanda. Lex gentium hæc est, vt victori pareat victus, non tamen semper melior causa vincit. Anceps est bellum, in quo quisquis succumbit, malam sustinuisse causam creditur.

Quod de Richardo secundo adfertur, tanquàm authoritate populi fuerit regno suo spoliatus, non bona fide historiam citari aio. Mitto temeritatem & audaciam dicere eorũ, qui facta Principum, & Dei iudicia quólibet trahunt, & ex sua libidine non rei æquitate interpretantur. Richardus inter tyrannnos numerari non dignus fuit: inutilis Princeps si quibusdam visus est; an ipsi magis fuerint vtiles, iudicabit Deus. Commiserationem magis tanti Regis casus meretur, quàm insectationem. Si res gesta disceptari apud æquos iudices posset, vt aliquandò haud dubiò procul apud Christi tribunal in vltimo iudicio disceptabitur, qua fuerit æquitate desertus à suis, quàm iustas causas habuerint eius aduersarij, vt eum adigerent se regno abdicare, & fame sitique postea necarent, facilè appareret. Omnes certè Reges & Principes vicini, & in primis Rex Gallorum Carolus, atrocitatem atque immanitatem facinoris horrentes, execrantes, detestantes tantam iniuriam Principi, vt prædicabant, longè innocentissimo, factam, sine mora vindicandam iudicârunt. Sola insania Caroli Gallorum impedimento fuit, vt præter minas contrà nihil tentatum sit. Quamuis Edwardus & Richardus indignam vim passi sint,

in iudicium tamen vocati non sunt, vt apud populum, & Nobiles, eorúmue legatos causam dicerent, & factorum suorum redderent rationem: quod factum oportuit, si Magnates & populus Rege superiores essent: sed quùm agendum sibi iudicârint cum Regibus, consilio, & persuasionibus, vt sese regno abdicarent; facto testati sunt, in Reges, quibus vim intulerant, se nullam habere potestatem, nec eos potuisse vllo iure aut legibus regno priuare.

CAP. XXIX.

Non eadem est ratio tyranni, & latronis publici, aut hominis furiosi.

ET quòd aiunt, *quando quæritur, an tyrannum qui iniustè dominatum inuadit, aut qui iustè acquisito malè vtitur, propulsare aut expellere liceat, perindè esse ac si quis quæret, num liceat raptorem de aliqua possessione deiicere, aut gladium furioso adimere*: Responderi potest, malè comparari hæc inter se. Aduersùs latrones & raptores publicos, priuati legibus & authoritate publica armantur; contra tyrannum non item: quia controuerti potest, tyrannus sit, necne, qui talis videtur. Fieri etiam potest vt per vim raptor alienam possessionem inuaserit, eamque possideat, qui tamen indè alia vi non possit iure à priuato depelli. Vi & armis, sua, quæ alius occupat, nemini priuato licet repetere: iudicis sunt partes, legitimè cognitâ causâ, & latâ sententiâ, per officiarios, in possessionem verum dominum restituere. Si fortè verus dominus vacuam possessionem inuenerit, eam occupare potest. Idem dico de regno iniustè occupato, indè tyrannum non esse depellendum, nisi ab ijs quibus potestatem Deus dedit iustitiam administrandi, & cuique suum tribuendi ac conseruandi, vt sunt Reges & Principes vicini, quique natiuitatis iure ius habent gladij.

Ad alteram quæstionem responsum esto, Tyrannum furioso in hac quæstione ineptè comparari. Non quiuis furor adimit mentem homini, cùm ratione insaniant homines quotquot eâ abutantur ad iniuriam, fraudem, dolum, & vim: de qua re iudicare non est cuiusuis. Insanus & furiosus morbo si Rex sit, vi & vinculis coërcendus est: quia sine ratione, belluino, ac furioso impetu abripitur. Insania verò motum, quæ in rationis abusu sita est, alia est res: eam non à quouis cohiberi Deus voluit; sed tantùm ab eis, quibus imperium dedit: quòd eo insaniæ genere plerique mortales omnes insaniant. Ecqua confusio in rebus humanis futura est, si insano vincere insanum permittas? At ita res habet; qui tibi insanus Rex, aut tyrannus videtur, ego prudentem & clementem Regem iudico: & contrà, quem tu opinaris bonum & prudentem Principem, mihi insanus & crudelissimus est tyrannus. Quid igitur in hac opinionum varietate fiet? Cùm de eadem re non sit eadem omnium sententia, nec de eodem homine, idem iudicium? Moderatum imperium mali sæpè vocant tyrannidem.

Ipse Absalon patrem calumniatus est; qui quamuis regnum sanctissimè (si quis alius) administrauerit, non ei tamen defuêre rebelles. Contra Mosen cùm Core, Dathan & Abiram seditionem mouerint, quis Princeps tutus erit? At regnum de gente in gentem transfertur propter iniustitias, &c. ergo id à subditis fieri debet, ergo in malos Reges subditis arma capere licet: id non consequitur; quantumuis interdum iustum Dei iudicium in tyrannum cadat, id peccatum rebellis populi non excusat.

CAP. XL.

Sententia Philosophorum & quorundam Scholasticorum, asserentium licitè & meritoriè tyrannum occidi per quemcunque subditum, condemnata fuit in Concilio Constantiensi.

PLato disputat Tyrannos è republica eijciendos esse: & Diuus Thomas non iniustè à multitudine disputat Regem posse destitui, si potestate regia abutatur. *Quia* (inquit) *hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se infideliter gerens.* Verùm quis iudex futurus est inter Regem & offensam multitudinem? Iniquum est eundem esse actorem & iudicem, & propriæ iniuriæ vindicem. Rex fideliter se gerens multitudini, hoc est, belluæ multorum capitum, falsò videri

videri poterit infideliter agere. Olim falsa hac opinione multitudo imbuta, bonos pariter ac malos mactare solita fuit Cæsares. Quid mereatur tyrannus, in considerationem frustrà vocatur, quando competens & æquus tyranni iudex deest. Ad Platonem respondeo, non tam quæri, an eijciendi sint tyranni, quàm à quibus: Rex tyrannum eijcere potest, & liberare indignè oppressum populum; sed à priuatis & subditis id fieri sermo Dei prohibet.

Fuit hæc quæstio disputata olim à Scholasticis, qui Philosophorum more plus ingenio tribuebant, suoque acumini, quàm præceptis institutisque diuinis: & hæc thesis Concilio Constantiensi proposita legitur, vt de ea iudicarent. *Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculatas insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque prestito iuramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectatâ sententiâ vel mandato iudicis cuiuscunque.* Tametsi illud Concilium multa contra verbum Dei decreuerit; fuit tamen iudicium in hac re huius Cõcilij sanum, quandò edito decreto condemnauit hunc errorem. Verba decreti hæc sunt. *Aduersùs hunc errorem satagens hæc sancta synodus, & ipsum funditùs tollere, declarat & definit huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamq; tanquam hæreticam scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria, vias dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper & decernit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & tanquàm tales iuxta canonicas sanctiones puniendi.* Nihil tamen cucullatus sanctitatis simulator, professione ab armis abhorrens & sanguine, sub specie amicitiæ Regem suum confodere extimuit. Et hæc tam nefaria Regis cædes probatur ab ijs, qui tyrannidis & impietatis insimulant hominem in terris à Deo secundum, cui & gladium commisit, quòd regnò vitæque ipsius insidiatorem trucidari mandârit: isti, si Deo placet, confictis mendacijs & maledictis quibus possunt, proscindunt Lutheranos & Caluinistas quos vocant, tanquàm seditionum & bellorum ciuilium authores, & Regum, atque omnium ciuilium magistratuum hostes; cùm ipsi cum suo Papa, incendiorum ac motuum ciuilium totius Europæ, quos hos sexcentos annos vidimus, & videmus, fuerint authores.

CAP. XLI.

Arma Principum Protestantium Galliæ sumpta fuêre ad Regis sui defensionem.

NVnquàm vlla Galliæ Principes arma cogitâssent, si Guisiana factio quieuisset: aduersùs quam orbi vniuerso notum est, iussu Regis pueri & Reginæ prima fuisse arma sumpta. Literarum autographa, quibus & Regis filij, & suam salutem mater Regina Principi Condeo commendabat, ipsius & aliorum Principum fidem & auxilium aduersùs Guisianam vim implorans, Francofurti in comitijs imperij, in quibus Maximilianus Rex Romanorum creatus & coronatus fuit, fuêre ostensa ipsi Imperatori Ferdinando, cæterisq; Germaniæ Principibus: quæ ego vidi, & legi, & exemplaria mihi indè desumpsi.

Prætereà finitis bellis, Rex testatus est quidquid armorum Condeus, & qui eum fuerant secuti, mouerant, pro ipsius & regni salute esse factum, & ita rem accipi & interpretari voluit: in cuius rei maiorem fidem conductis ex Germaniâ militibus, qui sub Condeo militârant, stipendia soluit.

Si quid militaris licentia in bellis crudeliùs designauit quàm moderatio Christiana fert, non laudamus nec probamus: tantùm hoc audeo dicere, crudelitatem Pontificiam, causam militi dedisse propter recentem memoriam suppliciorum, quibus in homines innoxios sæuitum fuerat, vt insolentiùs se gererent. Sed quidquid à nostris in hac re peccari potuit, quid illud est collatum cum furoribus papisticæ sæuitiæ, qua in nuptijs Regis Nauarræ grassatum est in omnem sexum & ætatem, primùm Lutetiæ, deindè per totum regnum Galliæ? Effusus ille sanguis innocens cum Abelis sanguine, de terra ad Deum clamat, & vindictam de parricidis postulat.

Innocentiam suam Euangelicæ pietatis professores Galliæ plurjes testati sunt, abijcendo arma quotiescunque Regi placuit, ipsos securos, vitam & fortunas eorum ab insidijs aduersariorum reddere. Qui hodiè verum suum & legitimum Regem bello persequun-

tur, quas causas adferre possunt, quò vel apud Deum vel apud homines factum suum excusare queant? Ipsorum vitæ religioníue nullam vim Rex intulit; & se non esse facturum promittit. Qua fronte audet Rossæus, & quotquot eiusdem sunt factionis, perfidiæ ac rebellionis damnare eos qui non cuiusquam offendendi, sed tantùm sui defendendi causâ, sunt ad arma confugere coacti? Isti notissimi seditionum Duces de seditione alios damnant: *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Verè istis dici potest, *Hypocrita, eiicite priùs trabes ex oculis vestris, & posteà videbitis, quomodo festucas ex oculis fratrum vestrorum possitis educere.* Vtinam Pontificij erga suum Regem eo essent animo, quo semper fuêre qui dicuntur Hugonoti. Experientia docuit semper eos fuisse paratos arma deponere, & Regi suo se subijcere, quotiescunque securæ pacis aliqua species ipsis oblata fuit.

Belgium autem quieuisset, nec quidquam vnquàm contra suum Regem mouisset, si in Albano aliqua moderatio fuisset: pacata illic inuenit omnia. Nam vbi intellexerant Principes & primarij gubernatores Regis voluntatem de non admittenda religione, populi ardorem in ea re represserant: fuissentque contenti omnes, si tutò potuissent, mansisse domi, & pro ratione fidei, quam Deus ipsis dederat, priuatim sine vllo metu Deum colere, si Regi ipsis eam facere gratiam, (quod tutò & sine fraude fieri poterat) placuisset. In verè Christiana religione nihil inest, quod Principis vlla ex parte minuit maiestatem: quod Pontificij de sua superstitione, quæ Romano Papæ ipsos plus quàm æquum est addicit, dicere non possunt. Quocircà nulla causa fuit, cur Hispaniæ Rex suum populum suspectum haberet.

Præterea quotquot sub Principe Auraico militârunt, legitimum habuêre Principem, qui à Deo gladium habebat, non ab homine delegatum. Vassallus quidem erat Regis Hispaniæ; & vt vassallum cum eo non potuisse bellum gerere, vt fatear, (quod tamen per leges patrias licuit) fuit Princeps aliundè, nulla in re cuiquam, nisi soli Deo subiectus, habuitque potestatem omnem quę in Rege Monarcha requiritur: diuersus tantùm latitudine & extensione regionum, & quòd angustioribus finibus claudebatur imperium, quàm Regis Hispaniarum. Vassallus Regis Gallorum fuit Imperator Carolus, similiter & Romani Pontificis propter regnum Neapolitanum, & vtriusque Siciliæ: contra eos tamen legitima bella gessit.

Cessent igitur maledicta, quibus à rabulis Reges & Principes, quotquot displicent Romano Pontifici, proscinduntur, tanquàm rebelles & tyranni; cùm ipse tyrannorum omnium sit immanissimus, in cuius gratiam scribunt quidquid scribunt. Et hæc leuiter tantùm commemoro, quæ ne attigissem quidem, nisi me conuitia & impudentissima mendacia commouissent, quibus homines improbi sine vlla ratione modoque quorumuis Regum & Principum & Magnatum, qui cum ipsis non sentiunt, nomina commaculant, atque in odium & inuidiam apud veritatis rerum ignaros vocant. Quæ scribendi ratio, hominum est malam causam defendentium; qui de veritate & æquitate causæ suæ diffisi, ad calumnias & maledicta se conuertunt: vt quos veritate vincere nequeunt, confictis fabulis obruant.

CAP. XLII.

Nulla est causa cur tantoperè vnius metuatur tyrannis, qui sibi suo nocet exemplo, & exitium accersit.

HAc autem libro vt finem imponam, postquàm particulatim respondi ad præcipuas rationes & argumenta, atque etiam exempla, quibus populi Ordinúmue potestas exauthorandi Reges, demonstrari creditur; generatim etiam ad similitudines & comparationes, vnde atrocior tyrannidis idea, quàm vulgò ipsa res est, concipitur, aliquid est dicendum: & metus terrorq; qui ex cogitationibus nascitur, aut adimendus, aut saltē minuendus est: ne dum tyrannos nimium metuimus, iniuriâ bonos & vtiles Principes afficiamus; & nobis ipsi tyrannos vltrò procuremus, & incidamus in malum quod vitare cupimus. Quorsum enim attinet tyrannos comparare cum homine furioso, qui stricto mucrone obuios quosque petat? aut nauclero, qui nauem in saxa & Syrteis impacturus est? aut cum eo qui nauim, in qua nauigat, sit perforaturus? & huius generis plura, ab

vsu

vsu & moribus sanorum hominum aliena; quæ nunquàm facta leguntur, nec futura sunt; sicut nec tyrannos qui his moribus comparantur, fuisse demonstrari potest? Quæ tamen si accident, cùm adeò rara & extraordinaria sint, nihil certi de eis constitui nec definiri potest: ex ipsa re, tempore, loco, & personis, tunc capiendum erit consilium. Exempla petantur tyrannorum, quos celebrant historiæ; qualis fuit Pharao, Saul, Herodes, Sylla, Iulius Cæsar, Caius Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, Constantius, Iulianus Apostata, Valens, Phocas, & quiuis alius tyrannide famosus: & quis fuerit reip. status, & quod fuerit sub huiusmodi Principe officium & priuatorum, & nobilium, inquiratur: & quomodo tunc se gesserint pij & boni ciues. Neque enim hodiè peiores pati tyrannos possumus, quàm olim fuerunt passi maiores nostri. Id longè tutius est, quàm de tyranni idea disputare, qui nusquam est, nec fuit. Facilius enim est ad ea respondere, quàm ad disputationes vniuersales, quæ nihil definiunt.

Si fatales exitus tyrannorum intueamur, non inueniemus bonorum virorum manu perijsse, sed paucorum conspiratione malorum, nullo neque populi, neque Magnatum publico consilio; nempe aut à tyrannis regni æmulis, aut ab ipsorum familiaribus & maximè intimis, priuato odio potiùs quàm amore reip. Ille exitus manet plerumque tyrannos. Cùm enim soli per se exercere nequeant tyrannidem, opus est vt habeant multos tyrannidis suæ administros. Inde fit vt tot tyrannos procreent, quot habent scelerunt Ministros; qui data occasione, illa eadem facinora edere in ipsum tyrannum, à quo primùm edocti sunt, nihil verebuntur. Rectè à Seneca dictum est;

Quod quisque fecit patitur, authorem scelus
Repetit, suoq; premitur exemplo nocens.

Qui metui malunt quàm amari, multos quoque metuant oportet: eodem carnifice tanto acerbiùs tyrannus torquetur, quo alios magis cruciat. Nemo vnquàm impunè patientiâ populi diu potuit abuti: erumpit illa sæpiùs læsa in furorem; quem frustrà à satellitibus comprimi posse speratur, cùm à domesticis insidiatoribus, tyrannus tutus esse nequeat. Herodes foris omnia tuta habuit, quantum humana prudentia poterat prouidere: & in sua tyrannide fœlix & beatus (si quis tyrannus) haberi poterat; sed domesticæ insidiæ hominem quiescere non sinebant: nemini tutò fidere poterat, & ab ijs maximè prodebatur, quos fidissimos sibi esse credebat: ita conscientiâ scelerum suorum, tanquam furijs infernalibus exagitabatur, vt nulla posset solida frui voluptate; vt omnium mortalium in hac vita qui tunc viuebant, fuerit miserrimus: quem ad hoc tantùm Deus trahere vitam volebat. Et hic non vnius Herodis peculiaris, sed omnium tyrannorum communis est status: quo perturbari pios Deus non vult, quandò per Salomonem in Ecclesiaste nos præmonuit futurum, vt locum iudicij & iustitiæ occupet impietas, quandò ait, *Vidi sub sole locum iudicii, & ibi impietas: & locum iustitiæ, & ibi impietas: & dixi in corde meo, iustum & impium iudicabit Deus, quia tempus omni voluntati, & super omne opus illic.* Non enim semper nec diù id durare potest. Postquàm tyrannorum iniquitate Deus vsus est suis exercendis iudicijs, necessariam conseruandis hominibus iustitiam reducit, & bonorum Principum regnum: vtrobique ad Dei voluntatem, cuius prouidentiâ mundus regitur, est respiciendum: nec anteuertendum hominum temeritate tempus est, quo Deus oppressum liberare populum constituit. Princeps qui iniqua mandat, certa semper pericula sibi creat, attrahitque sibi certum exitium: primùm quia tollit numinis metum, & æquitatis contemptum eis, quibus flagitiosa præcipit, adfert. Deindè quùm nemo facilè ad scelus perpetrandũ nullo proposito præmio impellatur; quo atrociora sunt quæ imperantur à tyranno, maiora à ministris expectantur præmia. Nemo gratis Deum offendit, nec famam & existimationem suam apud homines prostituit: & fieri non potest, quin æquè in odium populi incurrant, qui adiutores sunt Regi ad tyrannidem, ac ipse tyrannus. Quocirca quotquot participes sunt infamiæ & periculi, similiter esse volunt voluptatis & commodi. Satisfacere autem cupiditatibus eorum, qui se ad quoduis facinus perpetrãdum prostituunt, est impossibile. Vnde consequens est, vt odium conuertant in ipsum tyrannum, qui ipsi in malis obsecuti sunt: vnde tyrannos scire conuenit, tot ipsos sibi parare carnifices, quot ad maleficia vtuntur Ministris.

Hæc flagitiorum est natura, vt contemptum & odium adferant suis authoribus. Quemadmodum enim virtus gratiam apud omnes conciliat, ita scelerum turpitudo odium & inuidiam.

inuidiam. Hinc factum est, vt tyranni multi perierint, interfecti ab eis, qui tyrannidis ipsis fuerant administri. Cùm Deus sit humani generis conseruator, diutiùs pati non potest tyrannos, quàm puniendis hominum peccatis sunt necessarij. Quamobrem tutissimum aduersùs tyrannidem remedium est vitæ emendatio, & precum ad Deum assiduitas. Seria præceptorum Domini & Magistri nostri Iesu Christi meditatio, facilè quod sit piorum erga malos Reges & Principes officium docebit. Quisquis secum expendere volet præcepta de diligendis inimicis, nullius vnquàm futurus est hostis, nedum sui Regis. Maledicentibus qui benè precari paratus est, & maledicta maledictis sibi non esse vlciscenda statuit, nec vltionem vllam de acceptis iniurijs expetendam; conuitijs Reges & Principes non lacesset, nec eorum vitæ insidiabitur. Qui non resistendum esse malo didicit, sed bono tolerantiæ vincendum malum, nunquàm hic rebellis, nunquam perduellis inuenietur. Hæc Apostoli docuerunt, hæc Patres tradiderunt, & his præceptis instituti sæuissimos quosque tyrannos patienter pertulerunt, & perferendo vicerunt; & nobis posteris suis hoc exemplum reliquerunt: quorum vestigijs longè tutiùs insistitur, quàm contrarij & noui dogmatis authoribus fides habetur.

FINIS.